FRANCISCUS TER LEGISLATOR EUANGELICUS. FRATRUM MINORUM...

Diego : da Lequile, Claude Boizot, ...



Ternâ Lege Dei FRANCISCVS iam Domus unus
Ex Bonauentura ter REPARATOR adest.
FRANCISCI æquè Antonius extat Episcopus unus.
Doctrinæ in speculo cuius uterque patet.
Historiâ ille, iste allegoriâ primus: vtroque
Est PATRIARCHA nouus semper in Orbe nouus.

Diego (Fr.) De Lequile

FRANCISCVS

TER LEGISLATOR EVANGELICVS. ...

Fratrum Minorum strictior.

Dominarum Pauperum Mitior.
Tertij Ordinis de Pœnitentia Communior.

In triformem, completamque, ac perennem iuxta Domini mandatum, ter illi è Cruce sensibiliter expressum, Legis Christi, & Ecclesiæ Romanæ reparationem.

Opus.

Historicum. Scripturale. Panegiricum. Apologeticum. ...
Nouum prorsus, ac noua varietate elaboratum.

Cuius omnis penè idea

In Tractat. vi. & Libros xii. diuisa, in Areopagicæ, seu mysticę Theologiæ Speculo Episcopi FRANCISCI, atque Interpretis nostri

ANTONII DE PADVA

Vnà cum textu Seraphici Doctoris BONAVENTVRAE inter innumera arcana, ad themata, & conceptus, Verbi Dei Preconibus valdè præcipuos vt plurimum relucebit.

TOMVS PRIOR. [Tomus posterior] ...

Cuius Chronologia Tractatib iv. & Libris ix. complexa, Annos Reparatę Ecclesiæ tredecim, quot fuerunt illius Fundatores, percurrit.

Scilicet ab Anno MCCX. vsque ad MCCXXIII.

Agitque principaliter de trium Ordinum institutione, illorumque Professoribus, quos ipse Institutor immediatè recepit, ac de duarum Legum scripto latarum traditione.

AVTHORE FRATRE DIDACO DE LEQVILE ...
Ordinis Historico apud S. Francisci in Transtiberim
Consodales suos.

ROMAE,
Ex Typographia Iacobi Dragondelli M.DC.LXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

FRANCISCVS
TER LEGISLATOR EVANGELICVS.

Fratrum Minorum strictior.

Dominarum Pauperum Mitior.

Tertij Ordinis de Pœnitentia Communior.

In triformem, completamque, ac perennem iuxta Domini mandatum, ter illi è Cruce sensibiliter expressum, Legis Christi, & Ecclesiæ Romanæ reparationem.

Opus

Historicum. Scripturale. Panegyricum. Apologeticum.
Nouum prorsus, ac noua varietate elaboratum.

Cuius omnis penè idea

In Tractat. iv. & Libros xiii. diuisa, in Areopagicæ, seu mysticæ Theologiæ Speculo Episcopi FRANCISCI, atque Interpretis nostri

ANTONII DE PADVA

Vnà cum textu Seraphici Doctoris BONAVENTVRAE inter innumera arcana, ad themata, & conceptus, Verbi Dei Preconibus valdè præcipuos vt plurimum percurrit.

TOMVS PRIOR.

Cuius Chronologia Tractatib. iv. & Libros ix. complectens, Annos Repar Ecclesiæ tredecim, quot fuerunt illius Fundatores percurrit.

Scilicet ab Anno MCCX. vsque ad MCCXXIII.

Agitque principaliter de trium Ordinum institutione, il' Professoribus, quos ipse Institutor immediatè recepi duarum Legum scripto latarum tradition'

AVTHORE FRATRE DIDACO DE
Ordinis Historico apud S. Francisci in Trar
Consodales suos.

ROMAE.

TYPIS IACOBI DRAGONDELLI

SVPERIORVM PERA

Gratitudo Facie Triformis.

Diligenter considera quæ apponuntur. Vt nulla videlicet Dei dona debita actione gratiarum frustrentur. Non grandia. Non mediocra. Non pusilla.

S. Ant. de Padua ser. 3. Dom. 1. in Quadrages. ex D. Bernardo.

B. FRANCISCO PARENTI SVO,

A quo olim in sæculo è duplicis mortis faucibus benignè erutus, hoc primum volumen consecrat Author, vt ipsi patrocinetur.

a. Viro Seraphico.

In cuius sex ignitis *pennis sanitas*, quam generi humano ad mortem saucio b. *CHRISTVS SERAPH*, hunc eundem Virum in seipsum nouissimis diebus interius, exteriusque transformaturus, sex pariter ignitis alis, quibus *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, *Fortis*, *Pater futuri seculi*, *Princeps Pacis* apparuit, ad illius peruolans Redemptionem, perabundè, ac perfectissimè contulit.

a. Greg. 12. in lapide fe pulchrali. D. Bonau. de sacr. Stigm. b D. Ant. de Pad. Dō. 12 post Trinit.

c. Viro Catholico.

Collabentem Fidei Orthodoxæ ingentem molem inconcusso robore triformiter erigenti.

c. Idē Greg. ix. ibi. & Bonau. in offic. S. Franc.

d. Viro Apostolico.

Vitam Apostolicam instauranti. Totque, tantosque Apostolos gignienti, quot, quantosque protulit Apostolorum sectatores.

d. Idē Greg. ibi, & Bon. in offic.

e. Viro Hierarchicho.

Quem sub Romæ conditore sybillina oracula sic vaticinata sunt. Sic à Conceptione sub Præcursoris Christi insignibus in Præcursorum Antichristi tyrannidem alij deinde cælitus præmonstrarunt. Sic eum ab ortu suo, explicatis Bethleemitici Infantuli trophæis, ipsa super stabuli fœnum *in medio duorum animalium* prænunciauit effusio. Sic à Baptismate eum auspicarunt plura signa. Ac demum à Christiana vita vsque ad finem vitæ sic ipsum constituerunt merita.

e. D. Bon. in prologo Legendæ.

Qui

f. In Conflatorio Diuini Spiritus efformatus.

Ab ipso Hierarchichante Deo Verbo Homine, ad terrestrem, cælestemque Hierarchiam triformiter reparandam. Ter Hierarchichus effectus est.

Vita Seraphica. Virtute Catholica. Veritate Apostolica.

f. Baron. tom. 12. An. 1182.

g Viro Christianissimo.

Qui & viuus Christo viuenti. Et moriens morienti. Et mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari.

g. Bonau. cap. 8. & 14. Legendæ.

h. *Qui ferens sigillum Summi Pontificis Christi.*

In singulis legibus, eo authenticè consignatis dat Pauperibus spiritu, Minoribus,

h. idē ibid. cap. 14.

i. D Franc. in cõmend. Regulæ. bus, Monialibus, Pœnitentibus suis i. *Vitæ Librum*. Dat Mitibus *spem salutis*. Lugentibus *Arrham gloriæ*. Esurientibus, & sitientibus iustitiam dat *Viam Crucis*. Dat mundis corde *Medullam Euangelij*. Misericordibus *Perfectionis statum*. Pacificis *Paradisi clauem*. Persecutionem patientibus ptopter iustitiam dat *Pactum æterni fœderis*.

K. Francisco Romano.

K. Gregor. vbi supra. Non patria, sed parta, patrataque victoria triplici, qua Romam de tribus hostibus, vnde Romanæ Sedi excidium omne, ipsemet triumphantem constituens, seque, suosque Romanæ Sedi pedibus singulari pręcepto submittens, nunquam casurum apposuit

l. Idẽ Greg. ibidem.

l. Chistiano Orbi fulcimentum.

m. Ide ibid.

m. Celsaque humilitate conspicuus.

Se totum effecit excelsæ Romæ Primogenitum. Romamque, tanto suæ

n. Ide ibid.

n. Reparatori Ecclesiæ

Se totam consecrantem, reparationis iure fecit suam.

Viro huic hisce titulis, & alijs innumeris præcellenti

Ego vir videns paupertatem ingenij mei, & religiosæ sapientiæ nuditatem oblacrymans, ob quam passim inconsultè me gessi, præsens opus, ipso Duce, & in hac Domo sua vix opere Hierarchicho peracto, multis vigilijs elaboratum, in faciem meam prostratus consecro. Nec tamen totum, tametsi suum totum sit. Et toti quoque sint ij, quibus posterius operis volumen dicare teneor. In huiusce voluminis quadriformitate seipsum, multiformiter locupletem, nunc historialiter per Bonauenturam Cardinalem suum, nunc idealiter per Antonium de Padua Episcopum suum (hosce alterius voluminis designaui in Patronos) quadrifariè intuebitur

o. Missal. Franciscan.

o. Pauperum Patriarcha.

Et me, adeo vtroque homine sibi turpiter sub professionis conformitate imitatione difformem forsan paternè commiserescet Me, inquam, restituta cum amissa forma nuptiali veste, decore induet. Me sub pallio suo, vt olim mihi, cum bina morte extremè confictanti clementer ostendit, ad magnam cœnam introducet. Et hunc misellum suum inter suos felices Minoritas benignè recolliget, demonstrans hilariter coram Angelis Dei,

p. Petr. Crisol. de oue inuenta.

p. Iucundius esse acquisiuisse deperdita.
Quam nunquam perdidisse seruata.

Apicu-

Oblatio. Exhibitio. Explanatio.

APICVLARVM INSIDIATRIX, DEVORATRIXQVE ASSENTATIO.

Dirige me in veritate tua. Psal. 24.

Erroris fugientem in veritate, vt rectè viuam & piè, ſicut Veritas exigit. D. Ant. de Pad.

DOM. FRANC. BARBERINO
SANCTAE ROM. ECCL.
VICECANCELLARIO, CARDINALI DECANO &c.

Purpura Eminentiſsimo, ſed Pietate Eminentiori, Patrono ſuo Colendiſſimo Librum hunc præſentat Autor, vt congruum munus. In quo eo perambundè, ac ſine tedio nouiter fruatur, cuius cum nomine & geſta imitari, incomparabile ſibi nomen, & omen.

Eminentiſsime, & Reuerendiſsime Domine.

HABES in ingenua domus tuæ arbore, cuius inſigne gentilitiũ *Apiculæ, (quarum operationes Spiritui ſancto ſunt appropriatæ,)* Arborem Euangelicam, de qua ipſe Euangelij Autor, *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Quæ quidem arbor in Ortodoxæ Reipublicæ horto tunc proculdubio permanenter erigitur, dilataturque ſolida radicibus, frondibus ampla, floribus venuſta, fructibus ferax, cum erumpit ex ea arbore, quam Epiſcopus Franciſci, & Interpres meus, in cuius Areopagicæ Theologiæ ſpeculo omnis præſentis operis ſtructuræ elucet ſcripturalis idea, ſic declarat. *Arbor bona eſt bona voluntas, cui, vt conſiſtat bona, quinque ſunt neceſſaria.* 1. *Radix Humilitatis.* 2. *Truncus obedientiæ.* 3. *Rami charitatis.* 4. *folia Sanctæ prædicationis.* 5. *Fructus ſupernæ contemplationis.*

D. Ant. de Pad. in die S. Paſchæ. Matth. c. 7 Serm. Dom. 8. poſt Trin.

Hanc myſticam arborem inſerens ſibi aliquando politica arbor pro ſuo fulcimento, longè tutò eminet ea, in quam plerũq; *Vigil, & Sanctus de Cælo venit, & clamauit ſuccidite arborem.* Quemadmodum venit ad priſca, ad ſuccedanea, ad recenſiora Regna, & Imperia Occidentis, Orientiſque, quæ ex frequenti harum arborum eradicatione peraſſiduis viciſſitudinibus conuolui inſpecta ſunt vſque ad poſtremum interitum. Ipſa Italia noſtra (vt taceam exteras oras) principatum nullum vnquam potita eſt, quin, *vigil, & Sanctus in eam è Cælo veniens*, vel ob externas inuaſiones, vel ob factiones inteſtinas, inſignia, ac nomina permutauerit. Exempla id comprobant multa in familijs illuſtribus quamplurimis apud Scriptores, apud quos etiam ſi adhuc ſtirps aliqua remanet, parem faciunt Sacræ Lucani arbori, quæ ob vetuſta tantum trophea venerabilis, non autem ob vetuſtum robur vireſcens, *ſtat magni nominis vmbra.* Dan. c. 4.

Verum quotiens aliqua harum ac ſimilium procerearũ arborum plãta arbore bonæ voluntatis fulcitur, illius caſus cum huius ſtabilitati præiudicium vllum

inferre queat, remanente hac vna, alia hominum memoria necessario perennis euadit. Nec potest perire cum sonitu, nam virtus, maximè Pietatis, ac Religionis etiam in ipsiusmet Religionis,& pietatis excidio, si nonnunquam contingat, nunquam excidit, regio Propheta attestante. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio Rectorum benedicetur. Gloria, & diuitię in Domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Quod exemplo B. Viri Francisci Assisias, timentis Deum, & in eius mandatis cupientis nimis (stirpemque Moriconum perennantis sub ipso Libræ signo, sub quo & natum Vrbanum VIII. Patruum tuum legimus) demonstratum est ad finem Tract. 4. huius voluminis lib. 9. fol. 614. Quæ nuper per synopsim adnotaui de Barbarina Prosapia in 2. tomo Hierarch. ad fol. 116. hic repetere consentaneum non puto. Alloquor enim eius pium Principem, gnarum admodum D. Ambrosij doctrinæ, de Christi præcursore hæc ad rem adnotantis. *Non solum à Parentibus, sed etiam a maioribus Sancti Ioannis nobilitas propagatur, non sæculi potestate sublimis.* Hæc est politica arbor caduco fastu sublimis, in quam passim *vigil, & Sanctus, &c. sed Religionis successione venerabilis.* Hæc est arbor Euangelica, quæ bonos fructus facit, & est bona voluntas, vt dictum est.

Psalm. 111.

Lib. 1. super Lucam.

In Progenie ergo habet Em. Tua arborem hanc, sed in Purpura Pietatem profitetur, veluti illi purpuræ generosa hostilitate aduersam, *in qua* (teste præfato Interprete *de Diuite*) *sæcularis dignitas,* pauperum oppressiua *notatur.* Purpura, qua Cardines terræ vestiuntur, fit ex sanguinis Christi murice; foueturque, viuificaturque ea abs purpura, qua Rex Babilonicus indui iussit Danielem. *Purpura hac* (exponit Interpres) *quæ sanguinei est coloris, contritionem significat cordis, de qua procedit sanguis lacrymarum.* Hac Purpura Præsulum Ecclesiasticorum Pietas procul dubio vestienda. Quæ cum procedat ex bonæ voluntatis arbore (radici humilitati inconcussa vi firmata, trunco obedientiæ mira soliditate innixa, ramis charitatis excelsa amplitudine diffusa, folijs sanctæ prædicationis florida venustate repleta, fructibus supernæ contemplationis dulcedinis ad miraculum conferta) progigni gloriatur è parentum nobilitate, *non sæculi potestate sublimi, sed successione* Religionis *venerabili.*

Serm. de Diuite sub Lucam 16.

Super cap. 5. Danielis.

Quæ modo Eminentiæ tuæ in hoc munere exhibeo secreta historica, rerum pondere, argumentorumque discussione haud ni fallor contemnenda, ex vtraque Bonau. Legenda prælibata sunt. Scripturalia verò & ipsa non vulgaria ex miranda Antonij de Padua doctrina, qui Areopagicus theorica, praxitq; totus exitit Theologia in scholis, parenetica in sugestis, ascetica in claustris, gymnastica in palestris aduersus omnem Catholicæ veritatis peruicaciam, ac tyrannidē.

Quidquid Em. Tuæ in quolibet tractatu occurret, potissimum in postremo, (in quo validiora, ac potiora arcana ad illuminandum intellectum, affectumq; accendendum) ad prædictam Danielis purpuram, cordibus induendam, peridoneum erit ex sese, nimirum quantum ad rerum illius naturam, vel eas recipientis. Nam quantum ad explanatoris verba, secus fortè continget. Nemo enim dat quod non habet. Sepè numero in hoc libro te Franciscus tuus sub forma Euangelici Legislatoris salutabit, veluti legum suarum institutorumque suorum *Gubernatorem* in bonis agendis. *Protectorem* in oppressionibus alienis. *Correctorem* in delictis, vt exponit Bonau. sanctionesque Apostolicæ declarant. Vale, pijssime Princeps, & dum in consecratione huius prioris voluminis Franciscum Patronum tuum reperis in tutelam: teque postea, vt eo delecteris, in hac humili Epistola absque vllo laudatore inuenies, scias ex Episcopo Francisci, quod exemplo cuiusdam aninalis, apiculas comedere, ac deuorare cupientis, *superbus callidusq; vadit ad locum, per quem intrant Apes, &c.*

Super cap 12 Regulæ.

Serm. Dom. 17. post Trin

Em. Tuæ Reuerendissimæ

Infimus, & vilis Seruus.

Fr. Didacus de Lequile.

Oblatio. Exhibitio. Explanatio.

BLANDIENS BENIGNE CRVDELIOR.

Et tenuit manu dextera mentum eius. 2. Reg. 3.

Mentum tenere manu dextera, est quasi ex benignitate blandiri. Gloss. apud Ant. de Pad. Dom. 3. post Trin.

BEATI FRANCISCI

Regimini totius Ordinis Fratrum Minorum successori LXX. Sed ex Catholica Hispanorum gente XII. hunc laborem offert Author. Vt in eo semet vndique, & vbique inspiciat, trahatque Apostolicum pro se, & pro alijs in præessendo exemplum.

Reuerendissime Pater.

NOmen tuum, memoriali suo, & suo agnomini coniunctum dum hisce literis affertur *IDELFONSVS SALISANES*, eius literæ transpositæ istud, Præsulibus sacris valdè pernecessarium exprimunt præconium. *FONS SALIENS. DEI SALVS. Fons saliens* absque dubio esse debet primus in vniuersa Franciscana Republica Antistes. Qui ex earum erumpat heroicarum virtutum origine, quarum in magnis viris, Apostolicam vitam profitentibus, immortalis, diuinaque soboles, *aly potius nata, quam sibi, communitatem, & societatem nostram adiuuat, excelsitatem tenet, Vt suo indicio omnia subiecta habeat*. Sic enim illustrata posteritas ipsa sydera cum prole transcendit, suumque meritum Seraphica celeritate supra ipsa sydera eleuat. D. Ambr. lib. 1. cap 8. de Off.

DEI SALVS pariter esse debet idemet Antistes. Ea, inquam, salus, quam necessario comitatur requies, testante Episcopo Francisci, *Vbi salus, ibi requies*. Dom. 4. post Trinit. Quæ equidem salubris requies tametsi inter fluctus, & scopulos irrequieta, nihilominus insidens vitæ probitate, operumque exemplis in sacris Præsulibus, tranquilla profectò salubritate exuberat. Tranquillè quoque, ac salubriter influit in subiectos.

Hæc bifrons Dei salus, decora faciebus, vultibusque composita, formaq; supercelestis aperit modo catholicis Ordinibus magni Parentis Francisci, tot hodie prolibus fœcundis, *Salientem fontem*, ceù alterum Solis fontem. Non illum desertorum Lybiæ vltra Cirenem ad Ammonios propè Iouis Oraculum: sed illum eundem, qui in totũ terrarum Orbem per quotquot ei subijciuntur clymata, potestate, & authoritate diffunditur, iam ipsi Francisco, *quo Deus locutus est in nobis*, & ipse officio, & successione compar.

Quatuor naturæ miracula fontis Solis, ita nuncupati, quod à Sole regi videtur, refert Herodotus. Herod. lib. 4 Quomodo autem hæc eadem miracula in fonte nostro, ad Solis iustitiæ radios, quibus regitur, saliente, possint quoque symbolicè reperiri, consulenda pictura illa de Sole, quam Princeps, primusque in Areopagica Scola ad Vercellas Discipulus, at in Minorum Theologicæ cathedræ Magister, allegoricè, ac moraliter tradit. Serm. Dom. 9. post Trin.

Fontem nostrũ cum Dei salute, & in Dei salientem salutẽ statuas septem, non ad pompam, ac fastum, sed ad omnimodam eius consistentiam circumstare, fas est proculdubio. Sub Catholico Seraphicæ Monarchiæ Præsulatu magno Patriarchæ Francisco se conformari quilibet Antistes immediato iure tenetur.

Propte-

Propterea & fonti Christo, è cuius exemplari tam parem sibi formam humillimus Patriarcha retraxerat, in septem pariter assimilandus est. Hæc septem dum statuas nuncupo, per has illa septem intelligo, quæ necesse est inesse Ecclesiasticis magnatibus, vt Interpres super illud Christi *Ego sum Pastor bonus*, explicat.

Dom. 2. post Pascha. Si enim qui præest ceu Francisci immediatus successor non erit vita mundus, diuinarum scripturarum gnarus, Lingua eloquens, orationi assiduus, circa pauperes misericors, circa subditorum disciplinam peruigil, circa populi commissi sollicitam curam strenuus; quomodo irrigaret Ecclesiæ Minorum hortum viuis limpidisque pœnitentiæ aquis, quæ in viridibus iugem profectum augeant, in aridis verò noua germina prouocent? *Viua sunt aquæ Pœnitentiæ*, docet Interpres, *quia viuificant plantas virtutum emortuas, imo statim producunt flores, & fructus, emittunt radices, stipetem dilatant*. (In exposit. myst. super Cantic. 4.)

Simulacrum deindè, supra nostrum salientem fontem, septem præfatis statuis circumdatum erigendum, Seraphicum ipse dicerem. Daremq; ei sex easdem alas, quas Seraph Christo tribuit Interpres. Nomen enim sacri Præsulis, Christum in Francisco imitandi coacti, *vocabitur* etiam & ipsum *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis*. Si enim in ipso sex alæ teste Bonau. explicandæ sunt, supplè *Zelum iustitiæ, Pietas, Patientia, Exemplaris vita, circumspecta discretio, Deuotio ad Deum*: quis obdubitabit, quin ipse in stuporem trahat spectatores suos, ceu vir admirabilis? Cunctos vi maxima ad se alliciat ceu optimus Consiliarius? Terreat quotquot terrendi sunt, ceu Deus, quatenus eius vicem gerit? Dominetur vt fortis? Solatur vt Pater futuri sæculi? Regat vt Princeps pacis? (Super cap. 6 & 9. Isaiæ. — Opusc. de sex alis Seraph.)

Prou. 13. *Lex sapientis fons vitæ*. Hæc lex in sapientissimo humillimoque Francisco triplex, triplexque simul & vitæ fons. Qui ab Oceano diuinitatis erumpens, aquisque salientibus in vitam æternam affluens, hunc modo Pater. tuæ Reuer. salientem fontem simul cum Dei salute exprimenti, profert calamus meus. Fons triformis venit ad fontem suum; eique salientem aquam suam ad Dei salutem pro totius Seraphici Gregis, ab eo per prædictas statuas adaquandi salute, simulacrumque Seraphicum hæreditariò transfundit. Venit ceu illius tutelæ præses, licet illius auctoritati compar. Dum patrocinium præstat, vt propagetur, terna lex eius imitatione præstolatur. Coram fonte suo saliente Dei salutem tripliciter porrigit. Nam tres leges, quas ipse ter Legislator Euangelicus tribus ordinibus tradidit, & sine quibus is fons suus saliens non esset, peculiari effusione communicat.

Nisi aquas vitæ successores Francisci in ingenti suorum trium Ordinum Pomario circumferrent, tres vtique triformis Legislatoris fontes cum plurima horti Romanæ Ecclesiæ iactura miserrimè exsiccarentur. Quippè viuificare virtutum plantas penè emortuas, vt statim producerent flores, & fructus, & emitterent radices, & stipitem dilatarent, nequaquam valerent.

Valeat ergo Paternitas tua Reuer. in Dei salute, ac sub benigna cœlorum influentia seruetur incolumis. Et quas adeò promptè, ac paternè meo adeò paruo riuulo saliens fons tuus communicare complacuit aquas, dignetur modo in hisce scriptis, ceu ipsorum editionis prouocatiuas easdem inspicere. Mihi relinquendo quidquid in eis per turbidos riuos excurrit, pro se autem exhauriendo quidquid meum non est, & vt tuum sit (iam Francisco consecratum, ac Ordinis Protectori præsentatum, & tibi quoque offerendum), modo exhibet.

Pat. Tuæ Reuerendissimæ

Fr. Didacus, subditus,
& seruus indignus.

Tribus Ordinibus S. Francisci, ac Lectori beneuolo:

Cui præsens opus operis Hierarchici nuper impressi veluti causa exhibetur.

QVanta, & qualia sint numero, pondere, mensura, & quanto labore assumpta, breuique tempore peracta, quæ in hoc opere historicè, scripturaliter, panegiricè, apologeticè tractantur, vos, Seraphici Ordines, sincero librate iudicio, nec alio iudicate, nisi eo, quo omnem dum vestra magnalia perpenditis, gloriam vestram solum Franciscum iure facitis. Ipse namq; vos instituens, ac leges tradens, vt per se, & per vos ter Christi legem, & Ecclesiam repararet, ter quoque vestrum constituit ipsum Legislatorē Christus, suumque triformem reparatorem fecit. quod est argumentum meū, à Legenda Bonauenturæ desumptum, & ex Antonij de Padua doctrina (interpositis plerumq; alijs eruditionibus) in gratiam Concionatorum haud vulgaribus conceptibus locupletatum. Istud idem argumentū, à nullo vt sciam adhuc ita expensum, atq; elaboratum, cunctæ gloriæ vestræ scaturigo est ac reductio: imò veluti principium, medium, & finis eiusdem gloriæ est. Istud *testimonium conscientiæ* vestræ, quo eiusmodi gloria vestra exaltanda est, dilatanda, propagāda vsque ad extrema Antichristi tempora, profligatis iam per vos ab exordio institutionis vestræ, ac deinceps, profligandisque Antichristi præcursoribus. Cap. 1. vtriusque legēdę.

Aggredi placuit huiusmodi opus, vix impressa Hierarchia Franciscana, vt suo effectui adiungerē & causā, quæ ex sequentibus patebit. *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis?* Vbi Interpres noster ita ad rē, *O filiæ Hierusalem*, idest Virtutes Angelicæ, vel fideles animæ, *nigra sum* cinere, & cilicio, ieiunijs, & vigilijs exterius, *sed formosa* mentis puritate, fidei integritate interius. *Nigra sum sicut tabernacula Cedar*, quæ interpretatur meror. Habito enim in tabernaculis, quæ de loco ad loca transferuntur, à quibus mites impugnant, & impugnantur, *quia non habeo hic manentem ciuitatem, sed futuram inquiro*. Et dum pugno, impugnor, & in his omnibus non est, nisi męror, & dolor. *Sed formosa sum sicut pelles Salomonis*, quæ fuerunt hyacinthinæ, mentis puritas, & contemplatio gloriæ cælestis, in rubricatis fidei integritas, & martyrij, vel afflictionis asperitas designantur, &c. Cant. 1. D. Anton. in Expos. mystica. & Domin. 9. post Trin.

Et super illud. *Et ingressi Serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos, & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium*, ita exponit ex Glossa. *Sicut Ecclesia inter Cælum, & infernum est, ita indiscretè bonos, & malos recipit, scilicet Petrum, & Iudam; Oleum, & amurcam, quæ est fex olei, à mergendo dicta, granum, & paleam, quæ dicitur à pala, eo quod pala ventiletur, vt frumenta purgentur, &c.* Matth. 22. Dom. 20. post Trinit.

Nec quia Hierarchia Franciscana vniuersa, tribus Ordinibus constituta, vt Romanæ idonea innouatrix esset, sanctior esse debebat circa obseruantiam mādatorum Dei, inde fit vt nigrescens exterius inter cineres, & cilicia, ieiunia, & vigilia ob defectus plurimorum suorum, deficere itidem debeat ab eius, pluribus ex motiuis sibi debita existimatione, quin dicatur, ac teneatur *formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, quemadmodū explicatum est. *Nulla res est tam sacra, quæ suum non habeat sacrilegium*, ait Seneca. Ostendens, quod nigredo sacrilega in re sacra non tollit, quin ipsa res in sua consecratione formosa non sit. Maximè (audiant nostri oculati Pharisæi) vbi eius consecratio in ipsa mixtione boni, & mali proficua esse non destitit.

Qui nostram Hierarchiam fundauit, nulla humana prudentia interueniente (vt asserit Bonau. loquens de persona propria) vir Dei fuit Franciscus, nuncupatione, ac probitate vitæ Seraphicus. Ad eam fundandam, solidandamq; pro totali, completaque Ecclesiæ Romanæ, ac Legis Euangelicæ reparatione, ter ei mandatum fuit à Christo iuxta trium Ordinum instituēdorum numerum illis verbis, è Cruce intelligibili voce expressis, *Vade Francisce, & repara Domum meam,* Opusc. de tribus quæst. ad Magistrū innominatū.

quæ

Bonau. cap. 2. Legendæ.

quæ vt cernis tota destruitur. Vide Bonau. ad finem cap. 2. Legendæ, vnde desumptum est præsentis operis argumentum. Ex quo apparet, quod labor, nuper susceptus in Hierarchia, ad hunc aliũ ita planè se habeat, veluti genuinus effectus ad suam propriam causam. quippe vbi in Hierarchia amplitudinem, atq; splendorem rerum Franciscanarum succincta methodo, breuique serie, ac tempore adnotare studui aduersus malignãtes qui per malitiam, & per ignorãtiam eam diminuunt, vilipendunt, labefactant: modo in præsenti opere eiusmodi amplitudinis, ac splẽdoris causam (ob quam magis, ac magis acta ibi per noua arcana dilucidantur, & per recentiora quoque asserta amplius roborantur, mirandaque redduntur) fusè tractandam, atque enucleandam assumpsi.

Tria potissimum videntur, quæ possent turbare animũ legentium in hoc opere, scilicet prolixitas in multis, in nonnullis breuitas, simplicitas in elocutione, ignorantia in defectibus haud quidem paucis, imò & fortè in quouis genere.

In prol. speculi discipl. ad Nouit.

Proponam tamen ipsis legentibus Bonauenturam, qui circa primum in prologo speculi disciplinæ ad Nouitios ita scribit. *Prolixitatem forte territus si quis fuerit inspector, causabitur. Sed necessariam in expersis dictorum expressionem aduertat. Nec facilè rudes, pro quibus est opera, generalibus posse commatibus, idest breuibus, & incompletis sententijs erudiri, aut concisis passim proficere paradoxis. Vnoque nihilominus nouerit titulo multa quandoq; perstringi, quæ specialem requirerent explicanda tractatum.* In hoc ergo opere haud prolixitas displicebit rudibus pro quibus est; neque etiam eruditis, quos ab ipso non excludimus, licet eruditũ non sit opus. Illi namque quod suum est, hi & quod suum est, si tamen id extat, accipient, & ex ipsa forsan prolixitate ratione varietatis suum accipient, aiente Quintiliano. *Reficit animos, ac reparat varietas, gaudent res variatæ,* & tu adde, *sapientibus, & insipientibus, quibus debitores sumus.*

Lib. 1. cap. 12. & lib. 9. cap. 1.

Ad finem prol. Itiner. mentis in Deum.

Circa secundum de simplicitate in sermone, supplicem me ita constituit Seraphicus doctor. *Rogo igitur quod magis pensetur intentio scribentis, quam opus. Magis dictorum sensus, quam sermo incultus. Magis veritas, quam sermonum venustas. Magis exercitatio affectus, quam eruditio intellectus, &c.*

In prol. de profectu Religiosorum, & compend. Theol. veritatis.

Circa tertium de ignorantia in defectibus cuiusuis generis etiam præcatur pro me Bonau. his verbis. *Quidquid igitur tibi reprehensibile videtur, ignoscatur imperitiæ meæ, excusetur præsumptio.* Et his alijs etiam *Sicubi in hoc scripto deuiaui, parcatur mihi, quia ignorans feci. Vbi verò rectè processi, laudetur gratia Iesu Christi, ad cuius honorem, & Beatissimæ Matris eius præsens opus assumpsi, &c.* Acta enim, & gesta Francisci quid aliud prædicant nisi Christi, & Matris Christi gloriam, & honorem?

Defectus principaliores, siue ex imperitia mea, vel inaduertẽtia, siue ex illa Typographorũ scatentes, tum in Hierarchia qui postea innotuerunt, & plurimi in præsenti scripto correpti sunt, tum iu hoc eodem scripto, multimodi sunt, & varij. In 1. huius voluminis Indice castigati sunt quoad posse quotquot irrepserunt in titulis, & serie Tractatuum, librorum, capitum, sectionum, punctorũ, &c. In 2. Indice Chronologico, ac panegirico alij similes defectus emendati sunt. Deindè alij in 3. Indice circa loca præcipua sacræ scripturæ, ab Interprete nostro Antonio de Padua explanata. Ibi etiam in principio Indicis extat synopsis scriptorum eiusdem Interpretis, quæ citantur in hoc opere, cuius præsens volumen annos tantum XIII. Chronologicè excurrit, incipiens ab anno 1209. vel 1210. terminansque ad annum 1223. Tanta enim temporis intercapedine durauit prior Lex Minorum. Quo etiam interuallo instituit Franciscus duos alios Ordines, Clarissarum, & de Pœnitentia. Illum ad ann. 1212. aliqualemque legem oretenus potius quam scripto dedit. Hunc ad ann. 1221. tradiditque pariter ipsi legem scriptam, capitibusque XX. distinctam.

Chronologia huius 1. tomi.

Paucos defectus nonnullos reperies Lector ad finem 4. Indicis adnotatos, nam reliquos omnem excedentes paruitatem, & ad nunc terrificam, nunc ri-

diculam redactos monstrositatem, tibi relinquo, vtens rythmo illo Bonau.

Sis mihi correptor resecando superflua, Lector.
Veraque digneris quæ desunt iungere veris.
Omnem defectum partim studio breuitatis
Scribentis tribuas, partim vitio ruditatis.

In præfatiũcula ad op. Confessionale.

Nec putò necessarium, te admonendum, Auctores librorum sæpè numero labi in quouis genere scribendi, cum id sit vt scis ita ipsis intrinsecum, atque ineuitabile, vt est esse humanum peccabile. qui non errat scribendo, & maximè vbi magna edit volumina, admirandus redditur. qui verò errat, commiserandus. Ad hanc mouendam, monendamque commiserationem edidit librum suarum retractationum Augustinus. Auctor Martyrologij nostri plus quam sexaginta scriptores, in pluribus emendandos, castigandosque demostrat. Inter quos præter alios ex nostratibus quatuor viros pios, & doctos, quēlibetque in suo genere præcipui nominis, in multis corrigit. B. Bartholomeum Albisium siue de Albizis, Pisanum, vnicum, ac singularem libri conformitarum auctorem, quem etiam scripsisse, refert Rodulphus teste Vading de scsipt. triginta ingentia volumina. Et idem Vadingus ibidem (qui etiam de eo agit in Annal. pluribus in locis, vt citat præfatus Auctor Martyrol. die 4. Nouemb. aitque obijsse Pisanum 1401.) fatetur, quod huic tam pio, doctoque viro nostri Ordinis historici plurimum debeat. *Multas enim, easque præcipuas tabulas, & memorias collegit: ex quo potissimum illi suas desumpserunt historias.* Viuebat anno 1397. quo scripsit sermones quadragesimales de contemptu Mundi, siue de triplici Mundo. Vide alia eius scripta apud eundem Vadingum loco cit.

Ineuitabile penè est haud in scribendis Libris errare.

Opera Pisani.

Corrigit etiam in pluribus Auctor Martyrol. Marcum Vlysipponensem, qui iussu Ministri Generalis Andreæ Insulani cum potiores Vrbes, & præcipua Cœnobia Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ lustrasset, multa collegit monumenta ex quibus, & ex Chronicis M. SS. Mariani Florentini scripsit idiomate Lusitano Chronica Ord. Minorum tribus partibus distincta. *Diminuta satis* (ait Vadingus de scriptoribus) *sed veridica, & sincera*, nec tamen in ipsamet sua veritate, ac sinceritate sine vllo mendo. Viuebat Marcus 1400. factus Episcopus Portuensis, siue Portugallensis obijt circa ann. 1580. Sed Marianus, ex quo Marcus collegit opus suum percelebre, non minus adiuuit Vadingum opere illo cui titulus *Fasciculus Chronicarum Ordinis Minorum*. Fatetur enim ipse Vadingus, qui etiam multos notat in Mariano lapsus, hæc de eo. *Libris quinque opus distinxit, Auctographum penes me est, magnoque fuit adiumento Annalibus scribendis.*

Chronica Marci Vlisippon.

Deceptiones, mendaq; alia, quæ aduertit Auctor Martyrol. apud alios duos egregios scriptores, nonnulla tribuit Gonzagæ, nonnulla Vadingo; & tamen ille *De origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ, & progressus sub munere Generalatus*, editor, calami, & sanctitatis vitæ claritudine inclytus extitit. Hic Annalium Minorum, non secus ac Annalium Ecclesiasticorum Baronius, princeps. Adnotauit fortè harum piorum, ac doctorum virorum lapsus Auctor ille Martyrologij, vt in altero eius operis indice videre est, vt dignos venia (ne dum solum ad indagandum rerum veritatem) suos proprios è regione lectoribus obijceret. Sed hæc venia longè pronior, vberiorque erga me, in lapsibus abundantem admodum generosa legentium effusione experienda est. Abundantiora enim delicta superabundantem suauemque miserationis gratiam ad se trahere solent, iuxta illud Apostoli, *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*. Maximè vbi delinquens se errasse ex corde dolet, & pro suis erroribus veniam humillimè exposcit.

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS

Circa Beatos illos viros Franciſcanos, quos nondum Catholica Eccleſia declarauit.

HÆC cum extet in 1. Hierarchiæ tomo ad fol. 317. non putò neceſſarium, eam hic repetendam, reſcribendamque; maximè, quia opus illud hierarchichum intimè huic ceu effectus ſuæ cauſæ iunctum eſt. Quotquot ergo venerabiles, ac memorabiles Serui Dei (ſiue de ſecundo, ſiue de tertio genere ibi exſcriptis, ac declaratis) Beati, ac Sancti viri tum in volumine iſto antecedenti, tum quoque & in ſequenti taliqne Beatitate, ac Sanctitudine decorantur, ac ſi Beatæ & Sanctæ memoriæ viri, ſiue Confeſſores ſint, ſiue Martyres, dicerentur ob eorum egregia merita, atque inſignes virtutes, in quibus haud vulgari nomine deceſſerunt, nec abſque ſignorum claritudine. Vnde digni habiti ſunt, vt eorum vitæ à probatis Auctoribus ſcriberentur, ac Beati nuncuparentur abſque vllo Sedis Apoſtolicæ etiam poſt diploma Summi Pontificis Vrbani VIII. præiudicio. Quod nec ipſe me illi inferre potero, quaſi tales Beatos viros aliquo publico cultu ab Eccleſia afficiendos eſſe intenderim, quia nec præfati Auctores, qui de ipſis egerunt, quorũque exemplum ipſe ſecutus ſum, ita intellexerunt.

Titulus Operis. Trium Legum à Franciſco latarum diſcrimen. Argumentique quadriformitas. Rerum idea, Ordo, Methodus, ligamentum.

I. QVoniam autem ſeruus Altiſſimi Doctorem non habebat aliquem in huiuſmodi, niſi Chriſtum, addidit adhuc ipſius clementia eum in gratiæ viſitare dulcedine. Dum enim die quadam egreſſus ad meditandum in agro deambularet iuxtà Eccleſiam Sancti Damiani, quæ minabatur præ nimia vetuſtate ruinam, & in eam inſtigante ſe ſpiritu cauſa orationis intraſſet, *proſtratus ante imaginem Crucifixi* non modica fuit in orando ſpiritus conſolatione repletus. *Cumque lacrymoſus oculis intenderet in domicam Crucem, vocem de ipſa Cruce dilapſam ad eum corporeis audiuit auribus Ter dicentem. FRANCISCE VADE, ET REPARA DOMVM MEAM, QVAE, VT CERNIS, TOTA DESTRVITVR.*

Chriſtus è Cruce ter præcepit Fràc. Domus ſuæ reparationem.

Tremefactus Franciſcus cum eſſet in Eccleſia ſolus, ſtupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens diuini eloquij virtutem, mentis alienatur exceſſu. In ſe tandem reuerſus, ad obediendum ſe parat, & totum ſe colligit ad perficiendum mandatum, de materiali Eccleſia reparanda. Licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Chriſtus ſuo ſanguine acquiſiuit. Sicut eum Spiritus ſanctus edocuit, & ipſe poſtmodum fratribus reuelauit. Surrexit proindè ſigno Crucis ſe muniens, &c. *Ita Bonau. in Legenda S. Franc. cap. 2. in principio, quod eſt de perfecta conuerſione Franciſci ad Deum, & de reparatione trium Eccleſiarum* ad tom. 7. part. 4. opuſc. 1. P. Ioannes de la Haie, Minorita Periſinus regius Eccleſiaſtes illa verba, *quæ vt cernis tota deſtruitur*, apud Codicem ſuum de vita S. Franciſci ita legit *quæ labitur, vt cernis*. Et ſic; vt video, eam locutionem non ſolum diminuit quantitate, ſed & qualitate eneruat. Fortè in codice legendæ Minoris ita poſt legendam maiorem poſuit Seraphicus hiſtoricus. Vnde P. Geraldus Odonis Gallus Ruthenus XX. Generalis Miniſter in Officio ſacrorum Stigmatum, quod ipſe vt in peculiari M. S. dictum eſt, concinnauit, in rithmo 1. Antiph. ad Laudes ſic cecinit. *Crucis vox hunc alloquitur, ter dicens, tu te prepara. Vade, Franciſce, repara Domum meam, quæ labitur.* At neque Codices, ſeu exemplaria Vaticana vltimæ editionis Typographiæ Vaticanæ de anno 1596. ſub Clemente VIII. ita legunt, neque Petrus Rodulphus, Henricus Sedulius, &c.

Non ſtatim ſenſum verborum Chriſti concepit.

Concinnator Officij ſacrorum Stigmatum.

Diuinæ prouidentiæ nutu, qua Chriſti ſeruus dirigebatur in omnibus tres materiales erexit Eccleſias, antequam Ordinem inchoans, Euangelium prædicaret. Vt non ſolum à ſenſibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora ordinato progreſſu aſcenderet; verùm etiam vt quod eſſet facturus in poſterum ſenſibili foris opere myſterialiter præſignaret. Nam inſtar reparatæ triplicis fabricæ ipſius Sancti viri ducatu ſecundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Chriſti TRIFORMITER RENOVANDA ERAT ECCLESIA, *trinaque triumphatura militia ſaluandorum, ſicut & nunc* cerni-

Triformiter renouanda erat Chriſti Eccleſia.

cernimus esse completum. Idem Bonau. ibidem ad finem cap. eiusdem. Apud de la Haie prædictum ita concluditur idem caput 2. *Tres itaque reparauit Ecclesias vir Sanctus, tres pranunciãtes ab eo Ordines instituendos, quibus tripliter Dei Ecclesiam repararet*. Verum prior allocutio iuxta codicem dictæ editionis Romanæ rectior, ac conformior, & ad mentem auctoris. Aliud quidem est *tripliciter* aliquid reparare, aliud *triformiter*. Illud videtur referendum ad vices, illud verò ad formas rei reparatæ ex se refertur. Illud reparationẽ triplicat, sed non distinguit modos. Istud autẽ vtrumque facit, & melius, & verius est in re nostra. Ter extitit Legislator Euangelicus Frãciscus, tamen quia forma in lege Ordinis Minorum alia erat à formis legum Ordinum Sanctimonialium, ac de Pœnitentia, non solum tripliciter legibus his tribus reparauit Christi legem, & eius Ecclesiam innouauit vir Sanctus, idest tribus vicibus, verùm etiam triformiter, nimirum tribus formis, & alio, & alio modo arduum opus aggressus est, vt patet. Differũt tripliciter, & triformiter.

Hæc Historici nostri Seraphica enarratio pendet (vt video) ex illo Interpretis nostri principio, in quo Serm. 3. Dom. 1. Quadrag. ita loquitur de Francisco sub figura Principis Matathiæ. *Matathias interpretatur donatus à Domino, vel donum*, & signat virum iustum, & religiosum, specialiter tamen religionis fundatorem, *vt B. Franciscum*. Talis namque ex speciali dono Dei datus est Christianis ad liberandum de manibus inimicorum. *Vnde humilis Franciscus intellexit se ad hoc missum à Deo*, vt animas lucraretur quas diabolus conabatur auferre: propter quod ipse tanquam alter Matathias *destruxit aras mundanæ vanitatis in quibus peccatores dæmonibus immolabant; circuncidit per reuocationem ad vitã veritatem, & puritatem illos qui habebant præputium peccatorum. Legem insuper abolitam operibus instaurauit*. Hic igitur Matathias virum religiosum signat, qui habebat *filios quinque, idest sensus*, quos, mundum fugiens, ad montem perfectionis Euangelicæ secum duxit. *Reliquit in Ciuitate huius mundi, quæ iniquitate, & contradictione plena est, omnia quæ videbatur temporaliter possidere*. Concordat D. Bonau. cum Interp. nostro.

Hunc igitur tanquam iustum, & robustum *pastorem, & principem multi sequuntur*, descendentes per humilitatem vitæ, statuentes testamentum quod in mortuis, idest in abdicatione temporalium, & abnegatione propriæ voluntatis, ex quibus homo moritur, suum firmantes propositum, *in desertum*, idest, in religionem, *quærentes iudicium*, scilicet, mundi corporis, & mentis *facere, & iustitiam*, & vitæ consequi perfectionem. Hæc Interpres.

Pende illa quinque verba *Legem insuper abolitam operibus instaurauit*. Instaurauit Franciscus Legem Euangelicam, reparando Ecclesiam Romanam. Opera verò quibus huiusmodi reparatio, atque instauratio effecta est, necessariò referuntur ad tres quos instituit Ordines, Legesque, quas ipsis tradidit. Quarè id magis explicans Bonauentura subdit, *Tres itaque reparauit Ecclesias, &c.*

II. Discrimen deinde harum trium Legum inter se quo ad formas, harumque nuncupationes, quas ipsis ipsemet Legislator tribuit, intulit aliud discrimen, quod ipse desumpsi ex B. Bartholomæo Pisano lib. 1. conformit. fruct. 9. vbi loquens de tribus Ordinibus, quos diuino Spiritu plenus instituit Franciscus, ita scribit. Et quia disiuncti fuerunt tales, quibus B. Franciscus fuit fecundatus, hinc est, quod ipse discretione præcipua adornatus sicut diuersis, sic diuersas Regulas tribuit, & modos viuendi.

1. *Fratribus Minoribus altiorem, & strictiorem, vt potè Apostolorum*. Discrimen triũ legum à Franc. latarum.

2. *Sororibus verò, vt sexu infirmioribus, dedit Regulam mitiorem*.

3. *At verò his de Pœnitentia in Mundo consistentibus, & circa temporalia occupatis pro ipsorum salute Regulam statuit, modis ipsorum vtilem, & congruentem*. Hæc ille. Ex quo ob huiusmodi discrimen in Minorũ Fratrum Legislatione *strictiorem* intitulauimus Legislatorem Franciscum. In Lege verò Sororum Pauperum (apud Bonau. *Dominarum Pauperum*) *Mitiorem* diximus. In postrema denique Lege Tertij Ordinis de Pœnitentia *communiorem*, omnibus omnia cum Apostolo iam effectum, Legislatorem, Sanctum Patrem consultò appellandum ducti sumus.

III. *Prior forma* argumenti nostri dicitur *historica*, & hæc duplex, vel scilicet per respectum ad materias rerum conscriptarum, vel per respectum ad Chronologiam. Primò modo ceu inclytum Patronum constitui *D. Bonauenturam*. Secundò verò alios scriptores, inter quos Vadingum Principem Ordinis Chronologum facio. Bonauentura namque in Legenda sua mirabili de vita, & gestis Sancti Francisci huiusmodi Chronologiam reliquit, ea ductus ratione, quam ipse explicat in prologo his verbis. *Nec semper historiam secundum Ordinem temporis texui propter confusionem vitandam. Sed potius Ordinem seruare studui magis aptæ iuncturæ. Secundum quod eodem peracta tempore diuersis materiis, vel diuersis patrata temporibus, eidem materiæ congruere videbantur, &c.* Prior forma argumenti Auctoris historica.

Posterior *forma* dicitur *Scripturalis*, complectiturque duplicem sensum scripturæ, scilicet Posterior Scripturalis

scilicet literalẽ, & mysticum, & cum hoc tropologicum etiã, allegoricum, anagogicũ. Antesignanum in hac posteriori forma mihi placuit eligere *D. Antonium de Padua* verè *vnicam vtriusque Testamenti Arcam*, vt propterea veluti per anthomasiam penè semper Interpretem nuncuparim; sicut ita ipsum nuncupasse Summum Pontificem Gregorium IX, scilicet *Arcam Testamenti sacrarumque Scripturarum Interpretem* legitur apud Historicos. Profert enim conceptus valdè egregios, acutos, claros, verbique Dei præconibus idoneos admodum. Profert themata, motiua, argumenta ingeniosa pro conficiendis in quauis materia sermonibus, Sententias scripturales innumeras, postillas suas, multa arte enucleatas profert. In Cathalogo Oratorum Christianorum enumerat Bellarminus ad calcem de Scriptoribus Ecclesiasticis viros præclaros 43. quorum primus tempore est Origenes, vltimus Ambrosius Camaldulensis. Inter ipsos adeo illustres Oratores ponit Diuos 26. incipiendo à D. Athanasio, & terminando ad D. Laurentium Iustinianum. D. Antonium de Padua enumerat post D. Bernardum. Sed prærogatiuas singulares D. Antonij in arte orãdi, & ceu valdè vnici in Theologiç Mysticę Areopagicę Sacramentis indagatoris, supra cæteros declarauit testimonio suo prædictus Gregorius IX. *Arcam Testamenti* ipsum appellando, &c.

De D. Antonio de Pad.

Tertia Panegyrica.

Tertia *forma* dicitur *Panegyrica*, quia profert panegyricos 59. quorum 43. spectant ad Ordinis, & legis Minorum, septem ad Ordinis, & legis Clarissarum, nouem ad Ordinis, & legis Tertiariorum præcipuos professores.

Quarta Apologetica.

Quarta, & vltima *forma* dicitur *Apologetica*, quia defensiua est in eos, qui Franciscum ter Legislatorem in suis tribus Ordinibus, & legibus ab eo latis, & institutis offendere varijs modis, & artificijs ferè in omni tempestate ab exordio horum Ordinum, & Legum impugnare, ac persequi conati sunt.

Cur in Christi Genealogia primò ponitur Dauid postea Abraham.

IV. *Ordo praposterus, sed necessariò commutatus*, ait D. Hieron. super cap. 1. Matthæi de Christi Genealogia. In qua, eam textus sacer percurrens, non ab Abraham, vt Chronologiæ debitum exposcere videbatur, exorditus est, sed à Dauid, dicens, *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraha*. Ratio Hieronymi ita ab ipso statim affertur. *Si enim primum posuisset Abraham, & postea Dauid, rursus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis series texeretur*. Alias sequeretur ex ipsa litera commutata iuxta loquendi formam, quod Christus esset filius Abrahæ, filij Dauid, idest nepotis Dauid, scilicet ex eius posteritate. Vide Cornelium à Lapide super Matth.

Præsentis operis rerum omnium capitalium idea, ordo, methodus, ligamentum (cum suis hinc inde ornamentis, digressionibus, amplificationibus, catena quadam indissolubili nexui Chronologiæ alligatis, & fermè cuncta in gratiam Concionatorum, qui pluribus indigent, ac varijs) ex eius intitulatione clarissimè patent. Ex ea namque pendet omnium Tractatuum, librorumque, horumque omnium pariter capitulorum, lectionum, punctorum, paragraphorum successiua congeries, prout prior Index sequens demonstrat.

Itẽ cur Auctor vitam Franc. posuerit in 4. tractatu. Respõsio ex D. Hieron.

Cur autem totum Francisci annorum cursum ante, & post ortum per septem temporum periodos, & per vitas quatuor, scilicet *sacularem*, seu *naturalem* mensibus IX. *Christianam* ann. 25, *Ereminticam* annis 2. *Regularem* ann. 18. completis expletam, haud in priori tractatu huius primi tomi, vt temporum ratio expostulabat, ipse posuerim, sed in postremò, possum prædicta sententia D. Hieronymi, *Ordo praposterus, sed necessarius*, respondere. Quæ quidem necessitas & si apud me haud ex eadem causa oriatur, minor tamen non est, vt assumptum à me argumentum, à quo incipiendum fuerat, planè demonstrat. In generatione hominis (vt multa alia exempla tum naturalia, tum politica, quæ adducere possem, prætercam) nil aliud naturaliter producitur, teste Philosopho, nisi quædam *Arbor inuersa*. Cuius caput radix est, sursum vnà cum colli trunco in aerem eminens, *Stipes pectus, & venter*. Rami verò eius sunt crura, & pedes, deorsum terram calcantes, ac terentes. Huic videtur cæci Euangelici apud Marc. 8. allusisse responsum, datum Christo (haud statim ipsum illuminanti, sed paulatim, simulque interroganti si quid videret) & sic his verbis expressum: *Video homines veluti arbores ambulantes*.

In generat. hominis arbor inuersa producitur.

Ipsa hominis natura, quæ à Dei gratia, ad quam eius Auctor eam dirigit, perficitur, ex hoc ipso inuerso, ac præpostero ordine pulchrè, & rectè docet, qualis ad primum virtutis prospectum, & profectum in harmonica vtriusque hominis compositione à nobis sequendus, tenendusque sit ordo. Sic videtur exponere Glossa Ordinaria his verbis. Primò autem, inquit, videt homines quasi arbores ambulantes, idest formam corporum. Itaut non sit facilè, an homo sit, an arbor discerni. *Quia primus profectus virtutis est cæterarum vires, vitam, mores inspicere. Bonum imitari, malum cauere.*

Qui profectus virtutis

Fundamentale argumentum, à me in præsenti opere nouiter assumptum, non est de

vita, & gestis Francisci, sed *de Francisco ter Legislatore Euangelico, terque Legis Christi; & eius Ecclesiæ* per se, & per tres suos Ordines, quorum singulis legem præcipuam tradidit, *Reparatore*. Tale autem argumentum ita assumptum est, ac propositum, vt nonnisi historicè, scripturaliter, panegyricè, apologeticè explicandum foret. Quare primus prospectus, & profectus in Francisco Legislatore, ac Reparatore haud naturæ, Dei gratiæ associandæ, & associatæ (hic prospectus proditus est in 4. & vltimò huius primi tomi tractatu, conceptionem, infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilitatem, limen senectutis Francisci amplè ibi percurrente) debebat esse, sed profectus virtutis, quæ non alias vires, vitam, mores inspiceret ad bonum Euangelicè imitandũ, ad malum Apostolicè cauendum, nisi ipsius Christi, cui interius exteriusque assimilandus erat vir Seraphicus. *Quia primus profectus virtutis est, &c.*

Hic principio in Francisco præmonstradus.

Ordinem, quem tenent sacri Euangelistæ circa Christi vitam, & gesta, non est idem in singulis. *Matthæus* namque ab eius generatione temporali incipit. *Marcus* à prædicatione Ioannis Baptistæ. *Lucas* à Sacerdotio Zachariæ. *Ioannes* ab eius generatione æterna. Ex Marci exordio colligitur, quod eius mens, & intentio fuit, statim à prædicatione Ioannis Christum, vix baptizatum, & à quaresimali ieiunio, in deserto peracto, vix expeditum, ceu prædicatorem, & Legislatorem Euangelicum eodem tempore, & sub eadem ætate patefacere; ab eisdem verbis *Pœnitentiam agite* incipientem anno ætatis suæ 30. vel incepto, vel exacto, à quibus inceperat Ioannes, qui cum esset annorum 30. exiuit à deserto interiori ad desertum exterius, vt aduertit Bellar. libro de Eremitis tom.2.

Ordo Euangelistarum circa Christi vitam nõ est idem in singulis.

Patet ex verbis D. Lucæ cap.3. vbi ait de Christo, baptizato à Ioanne, *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum* 30. Augustinus, & Chrisostomus putant tunc Christum expleuisse annum 30. & incepisse ann.31. ac per consequens eius prædicationẽ annis duobus cum dimidio durasse. Vide Lyranum, qui afferens aliorum sententiam vt probabiliorem, ità inquit. *Secundum alios verò Doctores, quorum opinio communius tenetur, Iesus tunc habebat annos 29. completos, & inceperat 30. Et secundum hoc sic intelligenda est litera. Erat Iesus incipiens annum 30. de quo habebat 13. dies. Et secundum hoc Christus prædicauit annis tribus, & dimidio vsque ad passionem suam.* Deindè aduertendum cũ Iansenio, Baronio, & alijs apud Cornelium à Lapide ex textu Græco, qui legit, *Et Iesus erat quasi annorum triginta incipiens*, idcircò verbum incipiens non in principio, sed in fine ibi positum, vt haud ad vocem *Quasi* (ne hæc redundaret) sed ad prædicationem publicam Iesu, & ad illius Legislationem Euangelicam referas, ad quam missus erat à Patre, & iam declaratus per Columbam in baptismo, & vocem Patris Messias, Orbis Doctor, Legislator, & Saluator. Aduertendum etiam ex litera, quod eodem tempore, loco, & occasione ostendens prius S. Lucas Christum vt Legis Euangelicæ promulgatorem, & institutorem, postea quis ipse esset, qualis, quantus, cuiusque generis iuxta seriem sacerdotalem, obiter demonstrat, ita subdens. *Et ipse Iesus putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathan, qui fuit Leui, &c.*

Annus ætatis Christi vt Legislatoris Euangelici 30. inceptus.

Genus Christi ex posteritate Sacerdotali.

Pari modo & ipse terens principaliter D. Marci vestigia, & apponens D. Lucæ morem in præsenti opere, necessarium fuit prius incipere, ac prosequi narrationem, & explicationem præpositi argumenti ab anno ætatis Francisci 29. expleto, ac deindè in eius fine demonstrare genus illius, tum carnale, tum spirituale. Idque non statim, ne rerum scribendarum tramitem contra promissa, & proposita mendosè, quinimò & monstrosè interrumperem. Eo vel maximè, quia quadriformiter etiam tenebar, scilicet historicè, scripturaliter, panegyricè, atque apologeticè, agere ibi de Francisco, concepto, nato, educato, adulto vsque ad ann.42. in quo finis erat eius primæ Legis, & inceptio secundę anno Christi 1223. Ipsumque constituere veluti centrum, ad quem haud vulgari nexu omnia, tum in 1. tomo expleta, tum in secundo explenda inspicerent. Sed hæc exordienda à Legis Minorum abbreuiatione, & vsque ad hæc nostra tempora per centurias quatuor, & dimidiam completam, protrahenda.

DD. Marci, & Lucæ vestigia secutus est Auctor.

Quemlibet capillum in electis suis exactissimè enumerat Deus iuxta Christi testimonium ad suos discipulos Matt.10. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*. Et Lucę 21. *Capillus de capite vestro non peribit*. Quod locutus est ad literam de Resurrectione corporum, quæ in sua integritate, & ornamentis naturæ perfectissima erit ad maximum ipsius naturæ stuporem. Allegoricè etiam capilli Christi sunt omnes electi, & saluandi cum Hieronymo. Hi enim Christum ornant sicut capilli caput. Vide Interpretem nostrum super Cant.5. vbi de vno crine sponsæ, sponsi cor vulnerante. Tropologicè autem capilli sunt omnes cogitationes, locutiones, & actiones fidelium, & sanctorum, ità Cyrillus lib. 8. in Leuiticum. Rursum capilli sunt minutissimæ cogitationes, & intentiones Sanctorum, quas Deus exactè monit, custodit, animat, dirigit, perficit, præmiat, vide Dama-

Deus neque capillus vnus in electis suis perire patitur.

Damascen. in historia Barlaam, & Iosaphat cap. 9. apud à Lapide. Concordat Interpres noster Dom. 3. Aduentus, vbi ait, quod *Coma significat Spiritus sancti gratia*. Coma enim ex capillis non solum conflatur, sed in græca deriuatione ipsa capillus est, teste Festo. Nam capillus (inquit) est aliqua cum cura compositus, & adornatus. Et Deus non solum coma Spiritus sancti gratiæ minutissimas cogitationes, intentiones, locutiones seruorum, & sanctorum suorum componit, & adornat, vt perficiat, ac præmiet, verum etiam antea enumerat, scilicet exactè mouit, custodit, animat, dirigit, &c. Quod cum in Francisco mirabiliter fecisset, haud mirum si quamplurima eiusdem minutissima diffusè explicare conatus sim, licet nimis imperfectè, ac vulgariter; & aliquando adeò extra me, meiq; immemor, vt multoties plura dicta repeterem, quamuis repetitio aliqualem pandat circa rem, ac materiam, de qua agitur, varietatem. Ob quam sæpenumerò prolixitas in liberalem scibilium, vberrimè, ac diuersimodè promiscuorum effusionem prorumpens, nec tamen methodi filum in conclusione rumpens, tedium adeo molestum non parit, neque tam durè displicet, vt non possit toleranter sufferri, animumque excitare ad ipsorum lustrationem, quorum inde narratio tot capitibus, ac sectionibus ex industria intercisa est.

Coma pro gratia Spiritus sancti.

FR. BONAVENTVRA CABALLVS Ord. Min. Strict. Obseru. S. P. N. Francisci Sac. Rit. Congreg. Consultor, & in Cismontana Familia Obseru. & Reform. Commiss. Generalis, & seruus. Dilecto nobis plurimum in Christo P. Fr. Didaco de Lequile, Prouinciæ nostræ Reform. Romanæ Lectori; Concionatori generali, eiusdem Prouinciæ Patri, ac Ordinis nostri Historico salutem sempiternam.

CVM iuxtà Apostolicas, nostrique Ordinis Costitutiones reuisum, & approbatum fuerit quoddam Opus à te collectum, cuius titulus est: *Franciscus ter Legislator Euangelicus, &c.* Tenore præsentium ad salutaris Obedientiæ meritum facultatem Tibi impertimur, quatenus seruatis seruandis illud Typis mandare possis, & valeas. Datum Romæ ex Conuentu nostro Aracælitano, die septima Decembris 1665.

Fr. Bonauentura Caballus Commiss. Gen.

Censura PP. Theologorum Ordinis.

DE mandato Reuerendiss. P. Bonauenturæ à Caballo Commissarij generalis Ordinis Strictioris Obseruantiæ Ego Fr. Franciscus à Setia eiusdem Ord. Prou. verò Romanæ Lector Theologus, ac Prædicator generalis perlegi attente Opus, inscriptum *Franciscus ter Legislator Euangelicus*, compositum ab Adm. R. P. Didaco de Lequile eiusdem Ord. & Prou. Lectore, & Concionatore generali, atque Ordinis Historico, nihilque in eo reperi contra Catholicam fidem, aut contra bonos mores; quinimò singulis Religiosis, Ecclesiasticis, Secularibus personis valdè vtile forè censeo. Quapropter (vt Typis mandetur) dignum iudico, ac summè collaudo. In quorum fidem &c. Datũ Romæ in Conuentu S. Francisci Transtyberim. Die 24. Feb. 1667.

Fr. Franciscus à Setia manu propria.

OPVS, cui inscriptio *Franciscus Ter Legislator Euangelicus, &c.* ab Adm. Reu. P. Didaco de Lequile, &c. Variè, eruditè, amplèque elaboratum percurri, iuxta Reuerendiss. P. nostri Commissarijs Generalis mandatum. Nihil penè in eo reperi, quod imprimi haud dignum foret; imò Typis dari censui. Quid quid enim in ipso perlegi, continet innumera Arcana, Historica, Scripturalia, Panegyrica, Apologetica, nouo Ordine, nouaque Structura, non aliundè emendicata, sed ex proprio Marte digesta.

Fr. Egidius à Liuorno Lector generalis Sac. Theol. apud S. Franciscum Transtyberim, & huius Almæ Prouinciæ Reformatæ Romanæ Definitor.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Palat. Apostol.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus S. P. A. Magist.

SANCTE FRANCISCE PORRIGE NORMAM, ET MORES CORRIGE.

INDEX PRIMVS
ET CASTIGATIO

Tractatuum, Librorum, Capitulorum, Sectionum, Punctorum, &c. quæ in hoc priori Tomo continentur.

SANCTE FRANCISCE PROPERA,
TVA LEGE ROMAM PROSPERA. 42

TRACTATVS SECVNDVS.

Lex lata Minoribus à Francisco quoad eius approbationem, ob quā antea, & deinde haud pauca mi-steria, quorum nouem præcipua, sub nomine euentuum proposita, in hac Vrbe Roma innotuerunt. Sub præfatis Principibus, atque ad eundem annum 1209.

TRACTATVS TERTIVS.

Legis Sororum Pauperum oretenus, atque incompletè traditio. Sed Tertij Ordinis de Pœnitentia Scripto, ac completissimè Legislationi institutio. Et tam sub Lege Clarissarum Sorores, quam sub lege Tertiariorũ Confratres, quos ipse Legislator vocauit vsque ad Annum 1223. Annos xiij. Reparationis Legis Christi, & Romanæ Ecclesiæ cõplectentem vsq; ad prioris Legis finem. Quæ contigit in vigilia S. Andreæ Apostoli, in qua secunda Lex, quæ erat compendium primæ, per Bullam Papalem confirmata fuit. Acta sunt hæc sub Principibus Innocentio III. & Honurio III. Romanis Pontificibus. Ac Federico II. Romanorum Imperatore.

sicut

TRACTATVS QVARTVS.

SANCTE FRANCISCE REGVLA BREVIORI MVNDVM REGVLA.

INDEX

INDEX ALTER
CHRONOLOGICVS PANEGIRICVS.

Continens quotquot ex vtroque ſexu inter innumeros per ſe immediatè genuit Chriſto Franciſcus. Euangelicè educauit. Apoſtolicè docuit, ſuoſque peculiari dilectione effecit.

Plura enucleat auctor circa veram fr. Heliæ pœnitentiam

Discipuli quatuor vna cum suis panegiricis ad ann.1212. quando incapit Ordo D.Claræ. 176.

Discipuli duo sub suis panegiricis ad ann.1213.

Discipuli item duo cum suis panegiricis, ad ann.1214.

Discipuli xxxvi. *ad annum* 1215. *sub* vii. *panegiricis*.

Discipuli sex cum totidem panegiricis ad annum 1220.

Discipuli duo cum suis panegiricis, ad annum 1222.qui & penultimus annus prioris Legis Fr. Minorum.

Omnium horum Discipulorum, à Francisco immediatè receptorum, & in suos socios electorum summa (præter duodecim primos, iam per synopsim ad totidem societates redactos) sub panegiricis quadraginta quatuor cōplet numerum lxxviii. eaque collecta est ex primo Tomo Annalium Vadinghi. Alios Discipulos ante, & post abbreuiatam Minorum Legem reperire non potui, vel quia à Scriptoribus derelictos,sicut contigit in maiori parte numeri lxxii.Discipulorum Christi; vt aduertit Baron. tom.1. Annal. Vel quia iam commissa facultas recipiendi Fratres iuxta præscriptum legis c.2. Pro-

Prouincialibus Ministris ad ann. 1216. in quo creati fuerunt, & ad regimen Prouinciarum missi. Quam facultatē, teste Vading. ad eundem annū num. 1. antea nullus habebat. Vel tandem, quia etsi alios innumeros conuerterit Vir Sanctus etiam post collatam Ministris auctoritatem recipiendi, ac induendi fratres, idem Vir Sanctus ad ipsos Ministros vt plurimum mittebat; quorum nōnullos ipse deinde ad suam societatem præcipuam adscripsit. Quos autem in præsenti serie enumeraui, omnes fermè (licet de aliquibus non ita certum sit) ipsemet Legislator ad vitam Apostolicam traxit, habitum Ordinis induit, Legemque, quam professi sunt, tradidit.

Inter quamplures alios, quos legimus tantum fuisse socios B. Francisci, & nihil aliud, conspicui & ipsi extiterunt B. Electus Martyr in Africa, professione Laicus, qui cum aliis occubuit anno 1219. vt refert Vading. tom. 1. Annal. ad eundem annum num. 32. 34. & 35. & alij apud auctorem Martyrol. B. Lucidus, de quo idem auctor Martyrolog. die 10. Aprilis. Qui etiam 19. die Decembris Anonymum quendam, Ribadei in Gallia obientem, memorat. Cuius ossa in quodam Ecclesiæ loco eminenti recondita, hoc Epitaphio insigniuntur.

IESVS.

Hic iacent venerabilia ossa cuiusdā Fratris socij B. Francisci, qui obijt Anno Dom. 1222.

SECTIO SECVNDA.

Sub mitiori D. Claræ Lege nondum scripto, ac completè tradita, sed oretenus, & aliqualiter Francisci secundo Euangelici Legislatoris Discipulæ præcipuę, ac notiores per suos annos, atque sub aliquot panegiricis distributæ.

Discipulæ ad annum 1212. quo fundatus Clarissarum Ordo, duæ maximæ, inclytaque cum suis panegiricis.

1 *Vmbrica Decapolis*. Diua Clara Assisias, Scyphi illustris progenies, mira Virgo Francisci primogenita, ac Dominarum Pauperum Mater, Ordinisque Primiceria, ac propagatrix. 163.

2 *Ouis tonsa, totaque proficua*. B. Agnes Virgo Assisias, & D. Claræ Soror. 168.

Discipulæ ad annum 1213. & ad numerum Octnarium sub hoc vnico panegirico.

Octenatius Beatificans.

1 B. Pacifica Virgo Assisias, D. Claræ cōsanguinea. 169. Alluditocto beatitudinibus.

2 B. Amata Virgo Assisias, Diuæ Claræ Neptis. 170.

3 B. Christina Virgo Assis. ibid.

4 B. Agnes altera Virgo Assis. ibid.

5 B. Francisca Virgo Ass. ibid.

6 B. Angeluccia Virgo Ass. ibid.

7 B. Beneuenuta Virgo Ass. ibid.

8 B. Beneuenuta altera, Virgo, de Perusia. ibid.

Discipulæ duæ ad annum 1214. sub vno hoc panegirico.

Binus pes, animæ colossum sustinens.

1 B. Balbina Virgo alia, Sanctæ Claræ Neptis. 170.

2 B. Benedicta Virgo, Abbatissa immediata post D. Claram. ibid.

Discipulæ quatuor ad ann. 1214. sub hoc vno panegirico.

Talpa quadriformiter oculata.

1 B. Balbina altera Virgo Neptis D. Claræ. 171.

2 B. Philippa Assisias Virgo, & socia D. Claræ. ibid.

3 B. Cæcilia Virgo Hispellensis. ibid.

4 B. Lucia Romana Virgo in tenella ætate. ibid.

Aliæ duæ Discipulæ ad annos sequentes sub incerto tempore, quarum prioris panegiricus.

Lilia in transitu Aquæ.

1 *B. Hortulana* Vidua Assisias, sanctimonialis Clarissa, Sanctarumque trium Virginum, Claræ, Agnetis, & Beatricis emerita parens, inclitaque Virago. 171. Posterioris verò

Candelabrum aureum, &c.

2 *B. Beatrix* Assisias, Scyphi Virgo Clarissa, & tertiagenita B. Hortulanæ. 174.

Sunt omnes numero xviii. non autem xxi. vt mendosè scriptum est in textu fol. 174 citato. Lex autem, seu Regula D. Claræ non statim scripto, ac completè

Omniū harū Discipularū summa xviii

plete anno illo 1212. quo & illius Ordo fundatus, sed oretenus, & aliqualiter, vt aduertit Vadingus, tradita fuit à Legislatore Francisco. Cardinalis deinde Hugolinus, primus Ordinis Minorum Protector, anno 1217. à B. Francisco Sedi Apostolicæ expostulatus, & ab ea, annuente Romano Pontifice Honorio III. obtentus, scripsit Clarissis Regulam quandam; eo quod Sorores acquiescere non poterant. Tradiditque eisdem ab ipso Romano Pontifice Honorio confirmatam, sed *sub norma Regulæ S. Benedicti*, quam parum obseruabant, persistentes in illius obseruantiā, maximè circa votum Paupertatis, vitęque austeritatem, quod docuerat suæ Claræ Franciscus.

Card. Hugolin. Ord Protect. scripsit Reg. Clarissis, quam nō obseruarunt

Id proculdubio efficere tunc poterant, salua conscientia Clarissæ, tum quia Regula ipsis tradita à Card. Protectore, earum libertati relicta erat, tum quia præceptum eminens de petendo à S.R.E. vnum de Cardinalibus in Protectorem, cuius gubernationi, atque correptioni parere teneretur totus Ordo, additum fuit à B. Francisco anno Domini 1223 in prioris Regulæ abbreuiatione, tunc temporis ex præcipua Dei reuelatione, Romæ habita, super Mōtem Rainerij intra scissuram petræ, tempore mortis Christi scissæ, edita, ac restaurata, prout Dominus præceperat, &c.

Quo pacto etsi oretenus, & aliqualiter Lex Clarissarum, Legem Tertij Ordinis de Pœnitentia annis nouem præcesserit, nihilominus quantum ad illius cōplemētum per scripturam posterior est ea annis tribus, vel saltē duobus. Scripsit namque Franciscus vel anno eodē 1221. quo instituit Tertium Ordinem, vel sequenti, vt notat Vading. Regulā da Pœnitentiæ, vtrique sexui, omnique statui, ac conditioni personarum communem. Clarissarum autem Legem, Legi Minorum qualitate elocutionis, tum capitulorum quantitate persimilem edidit, tradiditque Claræ suæ primogenitę anno 1224. post compendiatam Legem Minorum, & ante Sacrorum Stigmatum receptionem.

Sed an 1224. eam edidit ipsis B. Frāciscus.

SECTIO TERTIA.

Sub Lege communiori Tertij Ordinis de Pœnitentia, anno 1221. vel 1222. scripta, Francisci, tertio Legislatori Euangelici, Discipuli, ac Discipulæ notiores, vnà cum suis ad singulos, & ad singulas Panegiricis.

CONCLVSIO.

In altero Tomo sequenti triplex Francisci Legislatio per extensum rescripta est. Prima Minorum Lex ab Altissimo reuelata, & in cap. 23. diuisa, abbreuiata est ab ipso Legislatore, ita cælitus admonito, in secunda post annos 13. ibique redacta in cap. xii. etsi aucta circa præceptum eminens de petendo à S.R.E. vnum ex Cardinalibus in Protectorem. Illam dum fratribus traderet (refert Vading. tom. 2. opuscul. in princip. ex Rodulph. lib. 1. fol. 7. pag. 2.) hæc dixisse Sanctum Legislatorem. *Magna sunt, fratres, quæ iamdiu mente agito, & ad quæ quotidie magis accendor, quia nostris omnibus votis cæleste Numen affuit. Ex sententia omnia cedere video; vt minimè nobis dubitandum sit, quin ad exitū diu cogitata, & optata perducantur. Hinc tēdunt mei labores, & repetita itinera.*

Verba Francisci dum traderet suis Minoribus primam Reg.

Secunda

Secunda Lex Clarissarum anno 1252. oretenus, & aliqualiter tradita est, vt diximus. Scripto deinde, atque complectissimè scripta, ac lata est anno Dom. 1224. quam postea approbauit Inn. iv. Quamque hucusque strictissimè, & ad vnguem pleræque S. Claræ sequaces in pluribus Cœnobijs per Europã dispersæ regulariter obseruant. Licet alia quamplura monasteria sub Clarissarum etiam nomine laxiores obseruent regulas, quædam Innoc. iv. aliæ verò, Vrbani etiam iv. Ex quo fit, quod plures appellationem sortitæ ab Vrbano, dictæ sint Vrbanistæ.

Structura Regulæ S. Claræ quam similis Regulæ Minorum.

Si autem huiusmodi Regulæ meditaberis structuram, idem propemodum inueniés argumentum, eandem materiam, totidem capita, non dissimilia præcepta, simillima omninò verba ac sunt in compendiata Minorum Lege. *Nec immeritò* (subinfert Vadingus loco cit. ad argum. primæ Regulæ sanctimonialium S. Claræ) *vt quos idem genuit Pater, diuersa non discriminarent instituta. Eandē etiam, paucis mutatis, dedit fœminis Regulã Augustinus Ep. 109. quam proferuis Dei conscripserat, & habetur t. 1. in fine.*

Autor Reg. de Pęnitentia non nisi solus Franc.

Lex Tertij Ordinis de Pœnitentia pro sæcularibus à Francisco lata, & à Nicolao iv. approbata, veluti fœcunda parens Legis Tertii Ordinis (Regularis apparet. Illa à Seraphico Legislatore edita anno 1221. vel 1222. & in cap. 20. disterminata, pro cuius merito B. Bernardinus de Busto par. 2. Rosarii serm. 26. par. 2. sermonis 8. *Quoad primum* hæc statuit in opinatores, qui volunt eam haud scripsisse Franciscum. Dico, inquit, quod huius Regulæ inuentores non fuerunt Fratres Minores, non aliquis Episcopus, non Doctor, non Congregatio aliqua. *Sed Seraphicus Franciscus, Spiritu Sancto pradocente, eam instituit.* Regula Tertiariorum regularium collecta est ex priori à Leone x. & in cap. 10. clausa. De vtraq; est illud apud compendiũ Hieronymi à Sorbo. *Quoad hanc materiam Tertiariorum*, inquit, *est primò notandum, quod eorum duæ reperiũtur Regulæ, vna facta a Seraphico P. Frãcisco, à Nicolao iv. approbata. Et altera Leonis x. pro ijs Tertiarijs, qui regularem profitentur vitam in Monasterijs.* Vide Vadingum cit.

Itaque tres Leges S. Francisci extant simul & quinque Leges, & in his quinque illæ tres sunt, & è conuerso, sicut disseruit Ambrosius lib. 8. super Lucam de quinque talentis, & duobus talentis Euangelicis (numero inferioribus, sed reapse vberioribus, hisque in illis, & viceuersa repertis) sic concludens. *Itaque numero inferius. Re vberius.* Tres Francisci Leges numero ternario inferiores, vberiores factę sunt in numero quinquenario. Etenim Lex prima Minorum longè capitum quantitate, verborumq; diffusione, & ferè vsque ad medietatẽ maior, vberior reperitur in secunda, etsi admodum vtroque modo minore veluti illius epitome. Nam in secunda extat eminens de petendo à S.R.E. vnũ ex Cardinalibus in Protectorem, quod in prima non erat. Rursus Lex Tertij Ordinis sæcularis peperit Legem Tertij Ordinis regularis, in qua & illa pariter est per synopsim, mutatis mutandis, additisque addendis. Tertiarij Itali posteriorem Legem, traditam à Leone X. non acceptant, ne subiiciantur Minoribus; sed eam obseruant, quam edidit Seraphicus Legislator, & eo modo, quo locis suis traditum est.

Quomodo leges latæ à Franc. tres, & quinque simul.

Arcana potiora, mirandisque secretis referta reperiet Lector in abbreuiata Minorum Lege. Hæc breui restrinxit alloquens suos Minres S. Pater octo illis prærogatiuis mislicis, quas per concordantiam ad octo Beatitudines Euãgelicas explicauimus fol. 366. Quasque dum mente reuoluo, iure merito contremisco, & ita vtrumque hominem in meipso, & cum meipso deploro.

Apostrophe authoris in seipsum.

Ehu me miserum, qui in Regula Minorũ, quam annis 40. & amplius professus sum inter Reformationis alumnos *Vitæ Librum* cum paupertate spiritus tam frequenter contempsi. *Spem salutis* immitis effectus multotiens perertrando amisi. *Arrham gloriæ*, digno luctu, fletuque priuatus, in pretium non habui. *Viam Crucis*, esurie, & siti iustitiæ carẽs, perdidi. *Medullam Euangelij* ob cordis immunditiam haud degustaui. *Statum perfectionis* ob misericordiæ carentiam, neq; quoad primum eius gradum tenui. *Clauem Paradisi*, à beatis pacificis exclusus, viliter abieci. *Pactum fœderis æterni*, in persecutionibus propter iustitiam parum proficiens, haud rarò impudenter laceraui.

INDEX

INDEX TERTIVS

Locorum, & sententiarum præcipuarum Sacræ Scripturæ iuxta Interpretis nostri Antonij de Padua dilucidationem per consonantiam haud vulgarem ad D. Bonauenturæ historiam relinquitur sufficit enim scire.

Opera omnia sermonalia, ex *Arca Testamenti benedicta* Interpretis, & Doctoris nostri *Linguæ* theologia mistica Areopagica ad miraculũ imbutę miro artificio, methodoque singulari prodeuntia, in quinque volumina distermінata hodie circumferuntur.

Scripta prædicabilia D. Antonii de Padua.

1 *Volumen* continet sermones Dominicales à prima Dominica Aduent. vsq; ad 24. post Trinitatem. Vbi etiam extãt Dominicæ Quadragesimæ triplicatæ, licet non omnes completæ.

2 *Volumen* continet Sermones Quaresimales à Dominica Quinquagesimæ, & fer. 4. Ciner. vsque ad fer. 3. Paschæ.

3 *Volumen* continet Sermones de Sanctis, selectis sententijs, & scripturis confertissimos, opus est verè admirabile, quod scripsit Paduæ.

4 *Volumen* continet Expositionem misticam super Sacram Scripturam, de quo dubitatur, an ipse Sanctus, vel aliquis alius ex suis sermonibus, in quibus eædem interpretationes reperiuntur, collegerit.

Eorum impressio Veneta.

5 *Volumen* continet Collectaneum Concordantiarum Moralium, libris quinque distinctum. Cuncta fermè hæc opera in præsenti opere allegantur. Sermones Dominicales, & Quaresimales (quos scripsit in maiori parte Antonius postremo tempore vitæ suæ ex mandato Papæ Gregorii ix. super Montem Aluernæ, propè quem & residuum adnotauit) imprimi fecit Venetijs in 4. ann. Dom. 1574. & 1575. Fr. Raphael Maffeus Venetus, Theologus Seruorũ.

M.S. propria manu Paduę seruata.

Exemplaria M.S. in membranis ab ipso Antonio, adhuc seruantur, & venerantur Paduæ in Reliquario, vbi extat eius rubicundæ Linguæ thesaurus, apud PP. Conuentuales. Ea ipse vidi, & tenerrimè osculatus sum, suntque diligenti, ac venusto charactere exarata.

Omnia nouissimè prælo tradidit Lugduni in folio anno 1653. P. Ioannes de la Haie Minorita, Parisinus, ac Regius Ecclesiastes. Codices hi cum illis Massegnis in nõnullis discordant. Ex vtrisq; tamen in præsenti opere prælibauimus interpretationes. Nunc ex vno, nunc ex altero, nunc ex ambobus, prout melius, aut saltim verisimilius Interpretis mentem indagare potuimus.

Omnium sententiarum summa 498. *& amplius.*

Ex toto penè codice Biblico tum veteris, tum noui Testamenti, quem memoria sua mirabili, iam diuinitus sibi elargita inclytus Interpres seruabat, collectæ sunt omnes hæ scripturæ. Earum interpretationes egregios continent conceptus, pulchraque catena alias sibi connectunt sententias. Nonnunquã iteratò adducuntur ceu varijs argumẽtis applicabiles. Ex quibus patere possunt tria circa tanti Doctoris, & Oratoris ingenium, scilicet felicitas, facilitas, fœcunditas. *Felicitas* ob acutiẽ intellectus. *Facilitas* ob explicationem rerum difficilium. *Fœcunditas* ob vbertatem scripturarum, & argumentorum circa ea, quæ proponit, exponit, multus in sententijs, parcus in verbis.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS

Lex prima, lata Ordini Minorum quoad quatuor eius circumſtantias, quę ſunt. Ætas Legislatoris. Locus. Tempus. Diſcipulatus. Et quoad eius Intitulationem, Qnantitatem, &c.

Quibus auſpicatiſsimum initium Annus ſalutis MCCIX. Qui etiam & primus, tum legis Chriſti, tum Eccleſiæ Romanæ Reparationi.

SVB PRINCIPIBVS

Innocentio Tertio Romano Pontifice Opt. Maximo, & Othone Quarto Romanorum Imperatore.

Lege Euangelica cum Eccleſiaſtica Monarchia, atque vniuerſa Chriſtiana Republica miſerrimo interitui iam propinquiſſima.

LIBER PRIMVS.

Franciſcus, Euangelicus, ac ſtrictior Minorum Fratrum Legislator, primuſque legislatæ à Chriſto, & Eccleſiæ Romanæ ex præcipuo Domini mandato, ter illi è Cruce intelligibili allocutione expreſſo, Apoſtolicus Reparator.

Textus Hiſtoriæ D. Bonauenturæ.

Cernens autem famulus Chriſti, paulatim accreſcere numerum Fratrum, ſcripſit ſibi, & Fratribus ſuis formulam vitæ, in qua Sancti Euangelij obſeruantia pro fundamento indiſſolubili collocata, alia inſeruit, quæ ad vniformem viuendi modum neceſſaria videbantur. In Cap. 3. Legendæ S. Franciſci.

Hac die Decembris 7. in Vigilia Immaculatæ Matris Dei Conceptionis, conceptæ ſpei totius Eccleſiæ, vel ſemel redimendæ per Chriſtum, vel ter reparandæ per Franciſcum, auſpicatiſſima, huius operis impreſſio feliciter incipit.

Diſputat Chriſtus cũ Phariſæis.

NONNE *Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Ioan. 7. His verbis, & alijs ſimilibus clamabat Ieſus in Templo, prædicabatque. Eô diſputans cum Iudæorũ Doctoribus, & Magiſtris, in plures eorum chza meritò obijciebat, agens principaliter, Teſte Interprete noſtro in Sermone feriæ 3. Dom. 4. Quadrag. *De vera legis obſeruantia, necnon & de quadruplici lege.* Vbi autem dixit illis Ieſus, obiurgans eos ſuper legis Moyſis inobſeruantia, *nonne Moyſes dedit vobis*, &c. ſtatim idem Interpres Legiſlatorem, & quadruplicis legis conditorem Chriſtum Dominum in hunc modum repræſentat. *Nota*, ait, *quarduplicem* legem hic Moyſes, ideſt percuſſor Aegipti (ſcilicet Chriſtus) tradidit nobis

Quadruplex Chriſti lex.

INDEX TERTIVS

Locorum, & sententiarum præcipuarum Sacræ Scripturæ iuxta Interpretis nostri Antonij de Padua dilucidationem per consonantiam haud vulgarem ad D. Bonauenturæ historiam relinquitur sufficit enim scire.

OPera omnia sermonalia, *ex Arca Testamenti benedicta* Interpretis, & Doctoris nostri *Linguæ* theologia mistica Areopagica ad miraculū imbutę miro artificio, methodoque singulari prodeuntia, in quinque volumina distinata hodie circumferuntur.

1 *Volumen* continet sermones Dominicales à prima Dominica Aduent. vsq; ad 24. post Trinitatem. Vbi etiam extāt Dominicæ Quadragesimæ triplicatæ, licet non omnes completæ.

Scripta prædicabilia D. Antonii de Padua.

2 *Volumen* continet Sermones Quaresimales à Dominica Quinquagesimæ, & fer. 4. Ciner. vsque ad fer. 3. Paschæ.

3 *Volumen* continet Sermones de Sanctis, selectis sententijs, & scripturis confertissimos, opus est verè admirabile, quod scripsit Paduæ.

4 *Volumen* continet Expositionem misticam super Sacram Scripturam, de quo dubitatur, an ipse Sanctus, vel aliquis alius ex suis sermonibus, in quibus eædem interpretationes reperiuntur, collegerit.

5 *Volumen* continet Collectaneum Concordantiarum Moralium, libris quinque distinctum. Cuncta fermè hæc opera in præsenti opere allegantur. Sermones Dominicales, & Quaresimales (quos scripsit in maiori parte Antonius postremo tempore vitæ suæ ex mandato Papæ Gregorii ix. super Montem Aluernæ, propè quem & residuum adnotauit) imprimi fecit Venetijs in 4. ann. Dom. 1574. & 1575. Fr. Raphael Maffeus Venetus, Theologus Seruorū.

Eorum impressio Veneta.

Exemplaria M.S. in membranis ab ipso Antonio, adhuc seruantur, & venerantur Paduæ in Reliquario, vbi extat eius rubicundæ Linguæ thesaurus, apud PP. Conuentuales. Ea ipse vidi, & tenerrimè osculatus sum, suntque diligenti, ac venusto charactere exarata.

M.S. propria manu Paduę seruata.

Omnia nouissimè prælo tradidit Lugduni in folio anno 1653. P. Ioannes de la Haie Minorita, Parisinus, ac Regius Ecclesiastes. Codices hi cum illis Massęnis in nōnullis discordant. Ex vtrisq; tamen in præsenti opere prælibauimus interpretationes. Nunc ex vno, nunc ex altero, nunc ex ambobus, prout melius, aut saltim verisimilius Interpretis mentem indagare potuimus.

Omnium sententiarum summa 498. *& amplius.*

Ex toto penè codice Biblico tum veteris, tum noui Testamenti, quem memoria sua mirabili, iam diuinitus sibi elargita inclytus Interpres seruabat, collectæ sunt omnes hæ scripturæ. Earum interpretationes egregios continent conceptus, pulchraque catena alias sibi connectunt sententias. Nonnunquā iteratò adducuntur ceu varijs argumētis applicabiles. Ex quibus patere possunt tria circa tanti Doctoris, & Oratoris ingenium, scilicet felicitas, facilitas, fœcunditas. *Felicitas* ob acutiē intellectus. *Facilitas* ob explicationem rerum difficilium. *Fœcunditas* ob vbertatem scripturarum, & argumentorum circa ea, quæ proponit, exponit, multus in sententijs, parcus in verbis.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS

Lex prima, lata Ordini Minorum quoad quatuor eius circumſtantias, quę ſunt. Ætas Legislatoris. Locus. Tempus. Diſcipulatus. Et quoad eius Intitulationem, Qnantitatem, &c.

Quibus auſpicatiſsimum initium Annus ſalutis MCCIX. Qui etiam & primus, tum legis Chriſti, tum Eccleſiæ Romanæ Reparationi.

SVB PRINCIPIBVS

Innocentio Tertio Romano Pontifice Opt. Maximo, & Othone Quarto Romanorum Imperatore.

Lege Euangelica cum Eccleſiaſtica Monarchia, atque vniuerſa Chriſtiana Republica miſerrimo interitui iam propinquiſſima.

LIBER PRIMVS.

Franciſcus, Euangelicus, ac ſtrictior Minorum Fratrum Legislator, primuſque legislatæ à Chriſto, & Eccleſiæ Romanæ ex præcipuo Domini mandato, ter illi è Cruce intelligibili allocutione expreſſo, Apoſtolicus Reparator.

Textus Hiſtoriæ D. Bonauenturæ.

Cernens autem famulus Chriſti, paulatim accreſcere numerum Fratrum, ſcripſit ſibi, & Fratribus ſuis formulam vitæ, in qua Sancti Euangelij obſeruantia pro fundamento indiſſolubili collocata, alia inſeruit, quæ ad vniformem viuendi modum neceſſaria videbantur. In Cap. 3. Legendæ S. Franciſci.

Hac die Decembris 7. in Vigilia Immaculatæ Matris Dei Conceptionis, conceptæ ſpei totius Eccleſiæ, vel ſemel redimendæ per Chriſtum, vel ter reparandæ per Franciſcum, auſpicatiſſima, huius operis impreſſio feliciter incipit.

Diſputat Chriſtus cũ Phariſæis.

NONNE *Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Ioan. 7. His verbis, & alijs ſimilibus clamabat Ieſus in Templo, prædicabatque. Eò diſputans cum Iudæorũ Doctoribus, & Magiſtris, in plures eorum hæc meritò obijciebat, agens principaliter, Teſte Interprete noſtro in Sermone feriæ 3. Dom. 4. Quadrag. *De vera legis obſeruantia, necnon & de quadruplici lege.* Vbi autem dixit illis Ieſus, obiurgans eos ſuper legis Moyſis inobſeruantia, *nonne Moyſes dedit vobis*, &c. ſtatim idem Interpres Legislatorem, & quadruplicis legis conditorem Chriſtum Dominum in hunc modum repræſentat. *Nota*, ait, *quadruplicem* legem hic Moyſes, ideſt percuſſor Aegipti (ſcilicet Chriſtus) tradidit nobis

Quadruplex Chriſti lex.

1 *Legem timoris, & subiectionis erga Deum;* Deut. 6.

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius, &c.

2 *Legem amoris, & dilectionis erga proximū.* Ioann. 15.

Hæc mando vobis, vt diligatis, &c.

3 *Legem rigoris, & reprehensionis erga carnem.* Gen. 1.

Replete terram, scilicet bonis seminibus, & subijcite eam.

4 *Legem horroris, & deiectionis erga hostē.* Deut. 7.

Non inibis cum eis fœdus, nec sociabis cū eis coniugia, neque misereberis eis.

In legis Christi transgres.

Sed in veritate, inquit, Lex timoris conuersa est in legem superbiæ. Lex amoris in legem diffidiæ, & discordiæ. Lex rigoris in legem lasciuiæ. Lex horroris in legem cōcordiæ, & strictæ amicitiæ. Nemo igitur ex vobis facit legem, vt meritò à ligando lex dicatur. Quæ enim nos debet ligare ex eius impletione, ligat nos cum hoste ex eius trāsgressione. Hucusque Interpres noster ANTONIVS DE PADVA, quem Legislator FRANCISCVS *Episcopum suū* ob eius sapientiam, & reuerentiam erga eius sacerdotalem sanctitatem digno titulo nuncupabat. Quemque ceu strenuū, magnanimumque *legislatæ à Francisco Reparatorem* in relaxatos (quibus antea lex tradita fuerat, ac multo spiritu professa, sed nemo ex illis postea sub Eliæ ducatu legem amplius faciebat, sed destruebat) præcipuo suæ prouidentiæ influxu designauerat Deus.

D. Ant. de Padua Legis Franc. reparator.

Tunc igitur incepit Christus Iesus sicut nouus Legislator in Ecclesiæ Christianæ fundatione apparere, cum Iudæorum Magistri, & Doctores (maximè ij, qui ex Pharisæorum secta principaliores, & acceptiores erant) in destructionem legis Mosaicæ, & in prædicationis, & legislationis Christi oppositionem, imò & ipsius vitæ interitum, indefesso studio occupabantur. Quare D. Epiphanius ostendens deprauationem legis Mosaicæ per hæreses Iudæorum, & Sammaritanorum, de quibus aliàs in cap. 1. Tomi 1. Hierarchiæ nostræ ad fol. 7. demonstransque earumdem hæresū dissipationem, à Christo nouo Moyse, ac Legislatore effectam, ità scribit lib. 1. sui Panarij. *Statim accessit Domini nostri Iesu Christi in carnem Aduentus, qui sanè relatas septem hæreses deprehendit Hierosolymis. Extinxit autem eas sua præsentia, atque dissipauit.* Id quod etiam demonstrat Doctor noster in Sermone Dom. 7. post Trinit. loquens de Christo vt paupere. Vide inferius sect. 4. cap. 4. in 5. euentu. Ter Franciscum (qui ab ortu vsque ad obitum teste omnium Scriptorum sententia in cunctis ferè rebus gestis Christo simillimus fuit, maximè in eius mirabili Paupertate) Legislatorem egisse iuxtà tres Ordines, quos ipse immediatè singulari Dei assistētia instituit, eisque regulas, atque constitutiones præcipuas tradidit, assertio est profectò cunctis fermè indubia, atque constans. Ordini Minorum, quem primum omnium fundauerat, binam legem, seu regulam, essentia eamdem, sed quantitate scripturæ nequaquam (nam prior longior extitit, posterior verò longè breuior, vt suis locis videbimus) sub diuerso quoque tempore reliquit. Longiorem ad an. 1209. sub Romano Pontifice Opt. Maximo Innocentio III. & Imperatore Othone IV. breuiorem ad ann. 1223. sub Honorio III. & Federico II. Scripsit etiam leges Sororum, siue cum Bonau. Dominarum Pauperum, ac Tertij Ordinis de pœnitentia. Illius origo oretenus, & incompletè ad ann. 1212. scripto verò, ac completissimè ad ann. 1224. post compendiatam legem Minorum. Huius verò ad ann. 1221. De omnibus sigillatim sub eisdem annis.

Christus hæresum Iudæorū dissipator

B. Franciscus Legislator.

Legislatoris Christo simillimus legislat. Fran.

Legislatoris Francisci personam in quocumque legum, & sanctionum ab ipso effectarum genere, sed præcipuè in tradēda lege Minoribus, personæ Legislatoris Christi in multis conformem extitisse, asserit Beatus Bartholomæus Pisanus lib. 1. Conform. fruct. 9. cui titulus iuxta vnius cum altero correspondentiam, *Iesus legem dat populis, Franciscus regulatur.* Varietatem legislationum Christi ad duo capita reducit idem Auctor. Capiti priori leges 40. præter alias generaliter attribuit; posteriori verò 44. iuxta diuersos hominum gradus, & status. Claudi tamen cunctas huiusmodi leges in quadruplici lege, quam Christum instituisse, ex sententia Doctoris nostri paulò antè attulimus, veluti, multos riuos ex vno fonte emanantes, siue multos ramos ex vna arbore, multosque radios ex vno lumine prodeūtes, certissimum est, atque verissimum.

Leges Christi in genere 40. in specie 44.

Fuerat iam inclytus Confessor Christi Franciscus cursu annorum 15. à prima sua conuersione (quæ contigit anno Christi 1206. in qua biennio integro veluti eremiticam vitam per nemora, & loca solitaria transegit; secunda autem eius conuersio accidit 1208. quando cælitus edoctus meliori, atque vitæ Apostolicæ conformiori, spiritu ductus, illum viuendi modum penitùs dereliquit) Fratribus Minoribus, Sororibus S. Claræ, necnon & Fratribus, & Sororibus de Pœnitentia mirum in modum fœcundatus. Hinc est (infert Pisanus loco citato) *quod ipse discretione præcipua adornatus, sicut diuersis, sic diuersas regulas tribuit, & modos viuendi.*

Francisc. tribus Ordinibus fœcundatus cursu annor. 15.

Tria legum genera ab ipso instituta.

A

FRA-

FRATRIBVS MINORIBVS ALTIOREM ET STRICTIOREM, vtpotè APOSTOLORVM. *Sororibus verò, vt sexui infirmiori dedit Regulam mitiorem. At verò his de Pœnitentia, in Mundo consistentibus & circa temporalia occupatis pro ipsorum salute Regulam statuit, modis ipsorum vtilem, & congruam.*

Paritas mirifica inter Christum & Franciscum, vtrumque vt Legislatorem (alterum in reparationem Decalogi Moysis, quod Iudæi criminibus, & corruptelis funditus penè euerterant: alterum in legis Euangelicæ, quæ ea vtique tempestate ruinæ iam accesserat, restaurationem) è quatuor argumētis iuxta quaternam Doctoris nostri legem innotescere nunc poterit. Sunt namque 1. loquendo de priori lege Fratrum Minorum, Aetas Francisci in tradenda suis lege. 2. locus vbi tradidit legē. 3. Tempus quando tradidit legē 4. Numerus illorum, quibus tradidit legē. Discutiamus singula; & vbi in huius prioris libri titulo altiorem, strictioremque Fratrum Minorum Legislatorem nuncupauimus Franciscum, Pisani doctrinam amplecti placuit, sicut ad finem argumenti præsentis voluminis adnotatum est, iuxta sententiam, quam paulò ante attulimus.

Quatuor argumenta hic tractanda circa priorē Franc. legē.

CAPVT PRIMVM
pro priori circumstantia.

Aetas Francisci, Minorum Fratrum Legislatoris, eiusque legislatio, & prædicatio, ætati Christi, Christianorum Legislatoris, atque eius legislationi, ac prædicationi admirandum in modum correspondent.

AEtate annorum triginta exiens Christus post Baptismum è deserto, vbi de Satana, quadraginta dierum, & quadraginta noctium ieiunio munitus, validissimè triumpharat, *Cum audisset, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta Ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon, & Neptali.* Matth. cap. 4. Vbi prima captiuitas (subdit Glossa ordinaria) Hebræorum ab Assirijs. Additque statim hanc consequentiam. Vbi ergo prima legis obliuio, ibi prima Euangelij prædicatio, vt de loco quasi medio afflueret ad gentes, & ad Iudæos. Glossa Moralis. Cessante prædicatione Ioannis, Christus iuit ad prædicandum. *Quia lege cessante sequutum est Euangelium.* Inceptio etiam prædicationis Christi ab inceptione prædicationis Ioannis sumpsit exordium, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Celorum*, dixerat Ioannes Matth. 3.

Vbi prima Iudæorum captiuitas, ibi prima Christi prædicatio.

Exordia prædicationis Ioannis, & Christi paria.

Eodem pariter modo, ijsdemque verbis incepit quoque prædicare Christus. Matth. 4. *Eadem quæ præco Predicat*, aduertit Glossa ordinaria. *vt ostendatur non alius, quam qui voce clamauerat. Christus enim verbum, quod clamabat in Ioanne organo, & in omnibus, qui ab initio aliquid diuinitus dixerunt.*

Io. Baptista organū Christi.

Quod autem & ipse Ioannes, & ipse Christus, & alij veluti Christi organa cum Ioanne diuinitus dixerunt, ita se habuit, sicuti interpretatur Doctor noster super eundem textum Matthæi 3. *Pœnitentiam agite, &c.* subdit enim statim *De hac Pœnitentia*, Sapientiæ 4. exiguo ligno credunt homines animas suas. *Nota*, exiguo, *quia parua est pœnitentia respectu peccatorum, quæ commisimus, tormentorum, quæ meruimus, laborum, quos pro mundo toleramus, præmiorum, quæ expectamus.*

Pœnitentia cur exigua dicenda.

Liranus noster ad litteram, *Hoc autem fecit Christus primo, vt prædicationem Ioannis approbaret. Secundo, vt nostram superbiam confunderet, quia aliquando dedignamur accipere dicta aliorum.*

Primi, quos in Galilæa vocauit ad se sua prædicatione Christus Dominus, fuerunt duo fratres, *Petrus, & Andreas.* Deinde alij duo, simul & fratres ipsi, *Iacobus Zebedei, & Ioannes*: omnes erant Piscatores, & omnes pariter *relictis retibus secuti sunt eum.* Itaque à pœnitentia in iuuenili triginta annorum ætate cœpit cum Christi prædicatione Euangelicæ legislationis semen. Discipulatus verò ipsius à paupertate, tam corporis, quàm spiritus incepit. Nam Christus in ea conceptus est, natus, educatus, & ea constipatus, in ea traditus ad mortem, passus, & crucifixus.

Primi 4. Discipuli Christi.

Christi Discipulatus à paupertate incœpit.

Aetati annorum triginta adeò vicinus erat Franciscus, quando incepit prædicare sub anno Christi 1209. vt annum fermè 29. compleuerit, trigesimumque attigerit. Natus est enim anno Domini 1181. vti ex probabiliori sententia contra Baronium in cap. 2. tom. 1. Hierarchiæ nostræ demōstrauimus. Quare sequenti anno 1210. in quo deindè, iuxta multorum sententiam, quam probabilorem censet Vading. contigit Fratrum Minorum Legislatio, eiusque à Sede Apostolica approbatio, limina annorum triginta ingressus est Legislator Franciscus. Et licèt nos sequamur cum alijs computum Breuiarii Romani, apud quod Legis Minorum confirmatio ad annum 1209. nobis minimè contradicet, vt infra liquebit. & in syntaxi Chronologica panegyrica ad finem huius 1. tomi clarius explicabimus.

Anno 1209. cœpit Franc. prædicatio sed legislatio an. 1210.

Porrò Francisci prædicationis exordiū inceptioni Ioannis Baptistæ, & Christi cōformis extitit verbis, moribus, spiritu prophetico, & Apostolica doctrina. Paupertati

tati Euangelicæ, sibi affectu, & effectu cōsociæ lectissimæ, consociari cœpit sociorum eius Discipulatus ab ipso vocationis exordio. Vis ne, Lector, simulacrum istud Christiferum, perbellè descriptum, imò Seraphico penicillo configuratum inspicere? accipe illud à D. Bonauenturæ calamo ex cap. 2. vitæ S. Francisci, quod est *de perfecta conuersione ipsius ad Deum, & de reparatione trium Ecclesiarum*. Loquitur ibi Doctor Seraphicus de eo, quod accidit Francisco, ducto à parente suo coram Episcopo Assisiate. Item de ductione Francisci per Spiritum Sanctum ad loca deserta, & inuia, & de nonnullis alijs, atque hæc scribit pia hac, atque apostolica elocutione. *Tentabat deinde carnis pater* FILIVM GRATIAE, *pecunia iam nudatum coram Episcopo ducere, vt in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat*. Ad quod faciendum se promptum exhibuit VERVS PAVPERTATIS AMATOR, Perueniensq; coram Episcopo, nec moras patitur, nec arctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit; sed continuò depositis omnibus vestimentis, ea patri restituit. Inuentus est autem vir Dei tūc cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Hoc cernens Episcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem, protinus exsurrexit, & inter brachia sua illum cum fletu recolligens, vti erat vir pius, & bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, præcipiens suis, vt aliquid sibi daretur, ad mēbra corporis cōtegenda. Oblatus est autem ei mantellus pauper, & vilis Agricolæ seruientis Episcopo. Quem ipse gratanter suscipiens, cum cæmento, quod sibi occurrit, ad modum Crucis manu propria consignauit; operimentum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis seminudi. Sic igitur Seruus Regis altissimi nudus relictus est, vt nudum sequeretur Christum Dominū, quem amabat. Sic vtique cruce munitus, vt animam suam ligno salutis committeret, per quod de Mundi naufragio saluus exiret.

Franciscus filius gratiæ ab ortu vsq; ad obitum.

Insolitum in Ecclesia spectaculū Frāciscus nudus coram Episcopo.

Mantello Agricolæ cooperitur.

Prior eius habitus, seu vestis.

Solutus exinde Mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relicta, securus, & liber secretum solitudinis petijt, vt solus, & silens supernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per siluas, & nemora pergeret altiori voce laudes Creatori omnium personabat. Ostendens mox statim Bonauentura extra solitudinem Franciscum nunc Eugubio, nunc Romæ in illius mendicitate instar pauperrimi, atque despecti hominis, obstupescit; admiraturque maximam eius humilitatem, qua officiosissimè leprosis inseruiens, Romæ osculans quemdam pauperem Spoletanum in putrefacto vulnere, statim sanum, & integrum reddidit, super quem euentum, adeò mirificum; *Nescio, ait, quodnam horum magis sit admirandum, an humilitatis profundis in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo*. Subdens postea immediatè trium Ecclesiarum, scilicet S. Damiani, S. Petri Apostoli, ac S. Mariæ de Portiuncula reparationem, à Francisco effectam, ita claudit caput illud, loquens de duobus postremis Ecclesijs. *Prædicta Sancti Damiani Ecclesia, iuuante se Domino, & deuotione Ciuium assistente, refecta, ne post laborem corpus torperet ignauia, transtulit se ad reparandam Ecclesiam quandam Beati Petri longius à Ciuitate distantem, ob deuotionem specialem, quam ad Apostolorum Principem sinceræ fidei puritate gestabat. Hac tandem consumata peruenit ad locū, qui* PORTIVNCVLA *dicitur; in quo Ecclesia Beatiss. Virginis antiquitus fabricata extiterat, sed deserta, tunc à nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictā conspiceret, ob deuotionem feruentem, quam habebat ad Dominam Mundi, cæpit illic assiduè pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem, iuxta nomen illius Ecclesiæ, quo ab antiquo S. Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi visitationum frequentiā, pedem fixit ibidem propter reuerentiam Angelorum, amoremque præcipuum Matris Christi. Hunc locum vir Sanctus amauit præ cæteris totius Mundi, hic etenim humiliter cæpit, hic virtuosè profecit, hic feliciter consummauit. Hunc in morte fratribus tamquam Virgini carissimum commendauit. Tres itaque reparauit Ecclesias, tres prænuncian tes ab eo* ORDINES *instituendos, quibus tripliciter Dei Ecclesiam repararet*. Hæc postrema Doctoris Seraphici verba, *quibus tripliciter, &c.* sicut ter Dei Ecclesiæ reparatorem ob tres ab eo institutos Ordines constituunt, declarantque Franciscum, ita pariter & ter Legislatorem faciunt, vt clarè patet.

Relicta patria, petit solitudinem.

Extra solitudinem tripliciter admirandus Beatus Franc.

Deuotio maxima B. Frācisci ad B. Petr. Apost.

Feruidus eius amor erga Deiparā.

Tripliciter Franciscus Ecclesiæ Dei reparator.

Insuper cap. 3. immediatè, loquens de exordijs, quæ tenuit Franciscus, nunc vitam, & vestem solitariam, eremiticamq; in vitam, & vestem apostolicam commutando, nunc mox suam prædicationem incipiendo, hæc habet idem Bonauent. [*Dum die quadam Missam* de Apostolis deuotus audiret, perlectum est Euangelium illud, in quo Christus Discipulis ad prædicandum mittendis, formam tribuit euāgelicam in viuendo, ne videlicet possideant aurum, aut argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod audiens, ac intelligens, ac memoriæ commendans *Apostolicæ Paupertatis amicus*, indicibili mox perfusus lætitia: Hoc est, inquit, quod cupio, hoc quod totis præcordijs concupisco.

Matth. c. 10.

Ex hac Francisci mutatione origo Ord. Minorũ apud Vadingum.

pisco. Soluit proinde calceamenta de pedibus. Deponit baculum. Peram relicit, & pecuniam execratur. Vnaque contentus tunicula, reiecta corrigia, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, & Apostolicæ rectitudinis Regulæ omnino se coaptaret.

Capit ex hoc Vir Dei Diuino instinctu Euangelicæ perfectionis æmulator existere, & ad pœnitentiam cæteros inuitare. Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena, medullas cordis penetrantia, vt in vehementem stuporem audientes conuerterent. In omni prædicatione sua PACEM annuncians, dicendo, *Dominus det vobis suam pacem*, populum in exordio sermonis salutabat. Hanc quippè salutationem, Domino reuelante didicerat, sicut ipse postmodum testabatur. Vnde factum est, vt iuxtà sermonem propheticum, & ipse Prophetarum spiritu afflatus annunciaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes à Christo prius extiterant *à salute longinqui*.] Hactenus Seraphicus Historicus.

Inceptio prædicationis Francisci.

Legis Diuinæ, & Christianæ, naturalis, & Ecclesiasticæ, iuriumque gentium obliuio plurima certè execrabilisque (vti fusè demonstrat Vadingus in App. §. 1. ex quo ipse in cap. 1. Hierarchię) vbi suam incepit prędicationem per Vallem Spoletanam in Ecclesiæ Ditione Franciscus. Ibi fuit prior Euangelij diuulgatio à Francisco, veluti à nouo Euangelii precone, Ioãni Baptistæ, Dominoque persimili effecta. Incepit Franciscus cum eisdem à pœnitentia, nec sine pace, quam annunciabat populis, quamque media pœnitentia acquirunt hominum conscientiæ, nè cum Deo per crimina pugnent, vt tangit idem Bonauentura illis verbis, *qui discordes à Christo*, &c. Vnde Doctor noster super illud Christi Lucæ 24. *Pax vobis*, ita interpretatur serm. fer. 3. post Pascha. *Quando homines neque cum Deo, neq; cum conscientijs proprijs, neque cum hominibus pacem haberent, sed diffidia, & inimicitias; venit Christus, & pacem cælestem, & æternam, quam optarunt Angeli tempore natiuitatis eius, discipulis offert. Non vt sibi tantum retineant, sed alijs etiam omnibus cõmunicent per Euangelij prædicationem, qua scilicet omnibus credentibus bona cælestia, per Christum iam comparata annuncient, atque per Sacramenta applicent, & pro pœnitentia, ac bonis operibus polliceantur vitam æternam.*

Franc. prædicationis inceptionis locus

Pax triplex ex Antonij doctrina

Prædicatio, & legislatio Franc. celerrimè diffusa.

Ab eo met loco deindè, cui nomen *Vmbria*, Francisco pluribus de causis auspicatissima (vt tetigimus in 2. Hierarchię tomo sub inspectione 3.) breuissimo annorum interuallo, cursuque celerrimo effluxit cum prædicatione, & legislatione eius ingens Fratrum Minorum cœtus in omnes gentes, ad Gentiles, & Barbaros, & Schismaticos, Europeos, Asianos, Africanos. Postea verò, Orbe nouo, Fratrum Minorum auxilio detecto, ad Americanos vsque ad remotissimas vtriusque Indiæ plagas peruenit, vt nemo esset, qui à prædicationis, & legislationis Francisci calore se abscondere posset.

De primis Francisci Discipulis mox sermonem faciens idem Bonauentura loco citato, subdit hæc: *Innotescere itaque apud multos viri Dei tam doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ, cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem, reiectis omnibus, habitu, vitaque coniungi, &c.*

Eius sociorũ inceptio anno 1209.

Vt autem egregiã paritatẽ inter Christum, & Franciscum, amborumque discipulos idem Doctor inferret ab exordio prædicationis, ac legislationis vtriusque sub eadem ætate, ac in eodem euangelizandi modo, quemadmodum etiam & in zelo pari saluandi totum mundum per omnimodam abnegationem sui, ac rerum temporalium: ita inferius post nonnulla alia sequitur. *Eodem quoque tempore* (anno scilicet 1209. teste Vadingo tomo 1. Annal.) *quodam religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta peruenit. Tunc pius Pater omnes ad se filios conuocauit, & plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporisque castigatione pronuncians, propositum suum de mittendo illos in quatuor Orbis partes aperuit. Iam enim sterilis, & paupercula simplicitas Sancti Patris pepererat septem filios, & desiderabat vniuersitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino parturire. Misit ergo eos prædicare pœnitentiam, qui humiliter coram seruo Dei se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiæ sanctæ mandatum. Ipse verò dicebat vnicuique singillatim.* Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Hoc verbum dicere solebat quotiescumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat.* Item statim

Franc. cũ 7. Discipulis vult Mundũ conuertere

Psal. 54.

Tunc & ipse sciens se alijs datum in exemplum, cum vno Sociorum versus vnam Orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum Crucis tribus alijs Mundi partibus deputatis. Modico autem post elapso tempore benignus Pater charæ prolis exoptans præsentiam, cum in vnũ eos per se conuocare non posset, per eum orabat hoc fieri, qui dispersiones congregat Israelis. Sicque factum est, vt absque humana vocatione, omnes ex insperato post modicum temporis iuxta eius desiderium, diuina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter

Omnes conueniunt simul miraculosè.

Adhærere Francisco alij 4.

ter conuenirent. Illis quoque diebus *quatuor sibi adhærentibus viris honestis ad duodenarium numerum excreuerunt*. Hucusque demonstrat Bonauentura virum Dei Frãciscum ceu Prædicatorem Euangelicum, Apostolicũmque. At in sequentibus ostẽdit ipsum vt Legislatorem Fratrum Minorum in legis latæ à Christo reparationem, quemadmodum ipse Dominus Iesus è Crucis suggestu in illius vocationis, ac conuersionis in habitu sæculari, principio iniunxerat ei, ter ipsum cõmonefaciendo, quia veluti simplex Dei instrumentum, & legislator trium Ordinum Ecclesiam omnem reparare debebat. *Cumque lachrymosis oculis* (dixerat superius in cap. 1. Bonauentura) *intenderet in Dominicam Crucem, voce de ipsa Cruce delapsa ad eum, corporeis audiuit auribus ter dicẽtem*, FRANCISCE VADE, ET REPARA DOMVM MEAM, QVAE LABITVR, *vt cernis*. Non poterat ter reparare per tres Ordines ab ipso institutos Dei Ecclesiam Frãciscus sine triplici lege tribus suis Ordinibus lata. Nam lex, & regula, siue diuina, siue humana, corporibus, tum Ecclesiastico, tum sæculari anima est. Sine lege Ecclesia non viueret, imò periret. Pari modo vt tres Ordines, quos instituit Frãciscus, qui dum singuli propria lege seorsim viuificati fuerunt, ne cum collabente Ecclesia lex diuina periret, & in interitum iret, vtique in triplicem eius reparationẽ instituti sunt. *Cernens autem famulus Christi* (ait Auctor cap. 3. citato immediate, & iam supra in textu huius primi libri historia dictum) *paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi, & fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua Sancti Euangelij obseruantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad vniformem viuendi modum necessaria videbantur, &c.*

Ter dixit Christus in Cruce Francisco vade, Francisce repara, &c.

Scribit primam legem Minoribus 1209.

Tradidit postea hanc formulam Beato Cæsario de Spira, virò sanctitate, ac doctrina probato, verbis euangelicis exornandam, vti ille piè, ac venustè est exequutus anno Domini 1219. Ita Gonzaga in 3. parte, vbi de Prouincia Saxoniæ. Extat integra apud Vadingum in lib. 1. Opusculorum, & tom. 1. Annal. ad an. 1210. Eius capitum numerus haud 22. vt mendosè adnotaui deceptus sanè à Cronologia Ordinis in priori tomo Hierarchiæ meæ ad fol. 38. sed 23. vt suo loco in cap. 1 lib. 2. videbimus. Vltimum caput à me derelictum, sic se habet: *Oratio ad Deum, siue gratiarum actio, atque ad fratres exhortatio*. Eius exordium, siue proemium.

Tradit Beato Cæsario, vt verbis Euang. exornaret.

Capita 1. Legis 23.

Proemium 1. Legis

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Hæc est vita, quam Fr. Franciscus petijt sibi concedi, & confirmari à Domino Papa Innocentio, & concessit, & confirmauit eam sibi, & suis fratribus, habitis, & futuris. Fr. Franciscus, & quicumque erit caput istius Religionis promisit obedientiam, & reuerentiam Domino Innocentio Papæ, & eius successoribus.

Inceptio capitis primi ponitur ibi in hunc modum. *Regula istorum Fratrum hæc est, &c.*

Itaque incipit à regula, & vita, quam Fratres Minores profitentur, & terminat ad orationem in Deum, ad gratiarum actionem, & ad Fratres exhortationem. Alpha vtique vitæ Regulatæ Fratrum Minorum sine orationis Omega esset vtique Deo (qui est Alpha, & Omega, scilicet principium, & finis omnium) res incompletissima, ac sine senario illo, quod veluti Apostolicæ, & Euangelicæ perfectionis symbolum constituit Doctor noster serm. Dom. 10. post Trinit. *Orationi, ait, sex sunt necessaria. Odor internæ deuotionis, delectatio tribulationis externæ. Lachrimæ compunctionis. Mortificatio carnis. Vita munditia. Elemosina, &c.* Non semper sunt capaces efficiendi elemosinas Fratres Minores, sicuti semper capaces sunt eas recipiendi. Istud tamen recipere, haud semper, & quomodolibet congruum eis temporaliter, sicut spiritualiter vtique omni tempore necessarium, & maximè orationis tempore. *Omnes enim*, teste D. Augustino serm. 5. in Matth. *quando oramus, mendici Dei sumus, ante ianuam magni Patris familias stamus, imò & prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid Deus est. Quid à te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis à Deo, nisi Christum*, qui dicit. Ego sum panis viuus, qui de Cælo descendi.

Orationi Minorum sex necessaria sunt.

In oratione omnes mendici Dei sumus.

Igitur anno Christi 1210. qui erat Innoc. III. ann. 12. Othonis verò IV. 2. scripsit suis primam formulam vitæ Franciscus, & anno eodem approbauit eam *viuæ vocis oraculo* Innocentius Tertius. Anno denique 1215. iterum confirmauit illam Concilium generale Lateranense quartum tunc temporis sub anno XVII. Innocentij præfati celebratum. Cum ergo B. Cæsarius Spirensis eius formulam exornasset, & anno 1219. iuxta Gonzagam, eam, sic ab eo exornatam, explesset, fateri sanè necessarium est, quod Sedes Apostolica illam solam approbauerit, quam rudi stilo, ac simplicibus verbis scripsit primò sibi, & suis Discipulis Franciscus propria manu, deinde tradidit alicui ex Discipulis, vt politiori charactere ab illo rescriberetur, durauitque annos quinque sine Cæsariano ornamento, quod postea vsque ad annum 1223. vnà cum ipsa formula tenuerunt Fratres.

Prima lex à B. Cæsario exornata, sed non hæc approbata ab Ecclesia.

Quo autem spiritu ductus fuerit Vir Apo-

Apostolicus in conscribendam hanc priorem regulam, ipsemet testatus est in extremo vitæ suæ eo iureiurando. *Et postquam Dominus dedit mihi de fratribus, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere, sed ipse Altissimus reuelauit mihi, quod ego deberem viuere secundum formam Sancti Euangelij, & ego paucis verbis, & simplicibus feci scribi.* Itaque debitum viuendi secundum Sancti Euangelij formam Deus ipse solus non solum interius immediatè famulo suo inspirauit, sed reuelauit etiam, quod est aliquid maius. Scripturam deindè, idemmet debitum per breuem synopsim explanantem, quam B. Cæsarius præfatus, eam fortè amplians, in tot capita disterminauit, ipse vir sanctus effecit, atq; tradidit exornandam, vt diximus.

Reuelata à Deo fuithæc prima lex.

Verùm aliter philosophandum (vt inferius demonstrabimus) de posteriori *Regula*, reformatiua, & abbreuiatiua prioris quantum ad illius prolixitatem scripturæ solummodò, non autem quantum ad eius rem, seu essentiam, vt aiunt. Quæ quidem essentia secundum totam eius substātiam, suis circumseptam accidentibus, præter tria vota, omnibus Ordinibus Regularibus communia (licet aliquibus gradibus, seu modis in Ordine Minorum valdè præcipua) amplectitur vlterius tria genera præceptorum, obligantium sub mortali vsque ad numerum 27. Octo expressa, & eminentia Præcepta nuncupant Expositores nostri. Duodecim æquipollentia præcepta. Septem vim præceptorum habētia. Sunt etiam veluti res accidentariæ in eadem formula respectu substantiæ prædictorum votorum, & præceptorum. 18. Admonitiones, quarum duodecim ad bonū efficiendum; sex verò ad malum fugiendū docent Fratres. Sex libertates Regulæ. Duodecim conditiones. Sex pro intrantibus Religionem. Totidem pro recipientibus in Religionem.

In regula Minor. tria vota, & 27. præcepta sub mortali

Admonitiones 18. Libertates 6 Conditiones 12.

Fuisse autem totam hanc primam legē & ex omni parte Euangelicam, & ex verbis Euangelij conscriptam, patet ex se expressissimè. Quod aduertens B. Pisanus tam de priori, quam de posteriori Regula, ita scribit loco citato. *Tertiò qualis sit Regula nostra, patet, quia ipsa est in Sancto Euangelio fundata. Quod patere potest tam de prima regula, quæ tota est, vt intuentibus apparet, ad litteram de Euangelio assumpta, quam de secunda, & si in secunda non omnia verba ad litteram sunt de Euangelio; sententia tamen ab Euangelio est extracta, sicut clarè patet inspicienti Regulam secundam, & Sanctum Euangelium in quatuor Euangelistis contentum, & expressum est, &c.*

Tota Minor. lex Euangelica est

Sed istud argumentum dum suo loco explicare promittimus, in ætate, ac vita Francisci Legislatoris Minorum ætatem, & vitam Christi Legislatoris Christianorum obloquentes, nunc Benedictā Doctoris nostri Linguā audire fas erit. *Finis leg s est vita. Vnde inquit Moyses,* audi præcepta Domini, vt sis longeuus super terram, & Christus etiam, Hoc fac, & viues. Et si quis sermonem meum seruabit, mortem non gustabit in æternum: *Et vt ait Sapiens, Christi doctrina* Lignum est vitæ his, qui apprehenderunt eam, & qui tenuerit eam beatus. *Sicut ergo lignum vitæ præseruabat à morte, sic doctrina Christi à morte scilicet secunda. Vnde in æternum non gustabit mortem nec culpæ, nec pœnæ, &c.* Eiusdem legis finis, qui in triginta Christi annorum ætate totus cælestis vita extitit, in priori Francisci lege, vndequaque in simili ætate vitalis, & euangelica expressius iam fuit, & obseruatus; atq; annis tredecim per totum terrarum Orbem prædicatus; quinimò plurimorum sanguine Martyrum, fideiq; confessione firmatus.

In Francisci ætate Christi ætas per legē Euangelicā loquitur.

CAPVT SECVNDVM
pro secunda Circumstantia

Locus, in quo Legislator Franciscus scripsit sibi, ac suis Minoribus viuendi debitum iuxta formam Sancti Euangelij, atque obseruantiam Apostolicam, sicut ei Altissimus reuelauerat.

Post enarratam à D. Bonauentura triū Ecclesiarum reparationem, quam Christi famulus, sedula charitate flagrans, effecerat, statim in exordio cap: 3. *Quod est de institutione Religionis, & approbatione Regulæ*, hęc pauca, & multa intelligentia concepta, & verbis Seraphicis admirandum in modum constricta subnectit.

In Ecclesia igitur Virginis Mariæ moram faciente, & apud eam, quæ concepit Verbum, plenum gratiæ, & veritatis, continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur Aduocata ipsius; meritis Matris Misericordiæ concepit, ac peperit spiritum Euangelicæ veritatis. Hæc ille, quæ dum hodie perpendo die Mart. 25. Annunciatam ab Archangelo Gabriele Virginem Mariam etiam in ista Bonauenturæ sententia humillima veneror reuerētia. Tangit profectò Historicus Minorita Ecclesiæ illius de Portiuncula, siue Dominæ Angelorum Tutelarem: nam ipsamet Virgo, quam Angelus annunciauit, ab initio tutelam eidem Ecclesiæ præstiterat, sicuti in 1. tomo Hierarchiæ explicatum est, vbi de eius *Immaculata Conceptione* sub metaphora Columnæ nubis, omnem Hierarchiam Franciscanam sustentantis.

Sub Virgine tutela conceptus, & editus spiritus veritatis Euangelicæ à Francisco.

Virgo Annūciata Ecclesiæ Portiūc.

In

In pauperrima, necnon pulcherrima hacce Ecclesia Legislatorem principio egisse Franciscum cũ suis Discipulis, quorum numerus, nomina, & gesta per synopsim paulò inferiùs) additis suis panegiricis) ibique primam legem, regulamq. scripsisse, ac socijs duodecim iam approbatã tradidisse, inconfesso est apud omnes communiter, vti etiam ex mox præfatis Bonauenturæ verbis haud obscurè percipitur. Quid enim est aliud Dei famulum, facta ex materna sua dignatione aduocata iam sibi Virgine Maria (quæ à primo suæ conceptionis instanti cùm esset purissima, idonea extitit, vt annunciaretur ab Angelo. & vt conciperet, & pareret Verbum, sicut ex Sacræ Scripturæ; & ex Sanctorum Patrum auctoritate solidè afferunt Scriptores innumeri) meritis ipsius concepisse, ac peperisse spiritum Euangelicæ Veritatis, nisi Legislatorem in Domo Virginis euasisse ratione eiusdem veritatis Euangelicæ, quam sibi Spiritus Sãctus per Deiparam mẽtaliter impresserat, & ipse deindè vocaliter, & in scripto in tradita suis lege Discipulis expressit?

Ab ea exijt Franc. ceu Ecclesię reparator, & Minorũ legislator

Exiens igitur Franciscus ex Matris Misericordiæ ædicula ob illius merita, veluti Ecclesiæ Dei, Virginis filij, prima vice REPARATOR, exiuit quoque vt Fratrũ Minorum LEGILATOR in legislatæ à Christo reparationem. Possumus comprobare istam consequentiam digna Interpretis, ac Magistri nostri allegoria super illud Leuitici cap. 23. *Sumetis vobis fructus Arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino.* Sensus huius scripturæ secundum mistìcum intellectum est huiusmodi, teste Interprete nostro Serm. in Ramis Palmarum.

B. Virgo Arbor pulcherrima

1 ARBOR PVLCHERRIMA EST VIRGO MARIA, cuius fructus fuerunt Humilitas, & Paupertas.

Palmæ Apostoli

2 PALMAE fuerunt Apostoli, qui de Mundo palmam victoriæ reportarunt.

3 SPATVLAE sunt fructus palmarum antequam aperiantur, per quas intelligimus Fidem, Spem, & Charitatem Apostolorum.

Lignum densarum frondium Crux Christi

4 LIGNVM densarum frondium est CRVX CHRISTI, quæ densas Dei frondes per totum Mundum expandit. Rami huius ligni fuerunt quatuor cornua Crucis in manibus Christi; quibus quatuor cornibus fuerunt quatuor lapides prætiosi, qui sunt Misericordia, Obedientia, Patientia, Perseuerantia. Misericordia in superiori cornu, in dextro Obedientia, in sinistro Patientia, in inferiori Perseuerantia.

Salices de torrente Sanctorum viriditas

5 SALICES de torrente, quæ in viriditate permanent, omnes Sanctos significant, qui in torrente istius fluxibilis mortalitatis virides in bono opere permanserunt. Quibus positis sequitur Interpres. Sumamus ergo nobis, claudit illud adeò lepidum, Apostolicumque commentariolum Antonius) fructus Arboris pulcherrimæ; idest paupertatem, ac humilitatem Virginis Mariæ. Et PALMAS Apostolorum per imitationem. Et SPATVLAS fidei, spei, & charitatis eorundem Apostolorum. Et LIGNVM densarum frondium, Christi Crucem baiulando. Et SALICES de torrente, idest virentia opera omnium Sanctorum, & lætemur coram Domino Deo nostro Iesu Christo. Hactenus Interpres.

Quomodo lætandum coram Domino

Iustitia originalis in Virg. omniũ bonorum Seminarium

Cuncta hæc, quæ satis luculenter, & eleganter (etsi stilo persimplici, ac familiari) explicat Doctor noster, coniunctiuè prorsus, ac per intimam, intrinsecamque relationem (de intrinseco aduenienti dicerent Scotizantes) in pulcherrima Mariæ Virginis Arbore intelligenda, atq; asserenda sunt, vt liquet clarè intuenti. Si enim abstuleris è medio istam pulcherrimam Arborem, nec palmas Apostolorum, nec sparulas harum palmarum, nec lignum densarum frondium, nec salices de torrente concederes Ecclesiæ: imo nec Christum concederes, illius Legislatorem, sine quo neque ipsa Ecclesia esset. Item diceretur ne Arbor pulchetima Virgo Maria, vt hoc titulo superlatiuo super Angelos, & Sanctos vniuersos sublimaretur vsque ad Deitatis solium, sicut loquitur D. Gregorius, si iustitiæ originalis pulchritudine à primo suæ conceptionis instanti careret? Minimè equidem talis diceretur. Audi responsum ex eodẽ Doctore super illud Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Quod ita explicat, explicans simul Liliorum hieroglificum sermon. Dom. 3. in Quadrages. *Venter gloriosæ Virginis fuit sicut Aceruus tritici.* Aceruus *quia in eo aceruatæ fuerunt omnes prærogatiuæ meritorum, & præmiorum.* Tritici, *quia in eo quasi in cellario industria veri Ioseph repositum fuit triticum; idest Iesum Christum, ne tota Aegyptius fame periret. Hic beatus venter vallatus lilijs, scilicet vtriusque Virginitatis, interioris, & exterioris, valle humilitatis munitus.* Sed vtraque Virginitas in Maria à Conceptione incepit, aliàs pulcherrima vel non extitisset, vel nec tota pulchra dici, & prædicari, & defendi, & vt talis per totum Orbem celebrari, vt communiter facit Romana Ecclesia, potuisset. Virginitas enim, largo sumpta vocabulo, carentia corruptionis culpæ originalis, quæ fuit fons, & origo omnium

Quare Marię venter aceruus tritici vallatus lilijs

Virginitas originalis quæ

nium corruptionum, haud incongruè nuncupari potest.

Ex ista Arbore pulcherrima prodiere duo Legislatores inter se simillimi, nimirum Christus, & Franciscus. Ille vt istius Legislatoris summus auctor. Iste veluti illius Legislatoris imum instrumentum. Christus extitit iam vt *Benedictus fructus*, & filius naturalis Virginis, sed Franciscus vt bonus fructus, & filius adoptiuus, ac spiritualis tantæ Matris, cui in illius misericordiæ meritis concepit, & peperit Euangelicæ veritatis spiritum. Quique duplicem Virginitatem, mentis scilicet, & carnis accepit è Virgine, ex quo ab ea spiritualiter conceptus, & æditus, vt filio eius naturali similis esset in pluribus, quamuis in vanitatibus indecenter nutritus: sed tamen inter ipsas vanitates tantæ genitricis, & aduocatæ patrocinio a Dei gratia clementissimè præuentus. Dixerat Augustinus apud Doctorem nostrũ ibidem loco nuper citato: *Vnigenitus dum conciperetur, Virginitatem Carnis accepit ex Virgine. Cum nasceretur, integritatem Virginitatis seruauit in Matre.*

Duplex in Franc. virginitas.

In ordine ad Christum iam fuit Franciscus per similitudinem secundo genitus Virginis; sed in ordine ad alios Sanctos aliquo pacto vnigenitus multis de causis tenendus est. Dum ipse conciperetur spiritualiter à Christi Matre, Virginitatem Carnis accepit per intercessionem Virginis. Cum verò nasceretur, integritatem Virginitatis sub tutela Virginis Matris seruauit.

Hinc deindè in sua Minorum legislatione Virgo Franciscus Christi, & Apostolorum renouauit vitam, & reparauit legem sub vmbra huius Pulcherrimæ Arboris. Nihil aliud ipse, & eius normę professores, ac veri obseruatores protulerunt, atque in dies proferunt virtutibus, & operibus, nisi paupertatem, & humilitatem Virginis, & Christi, quorum fructus honoris, & honestatis omnem Ecclesiam breui tempore impleuerunt. Nisi victorias Apostolicas contra Mundum, Carnem, & Diabolum, quibus innumeræ Apostolicorum virorum Palmæ ex vtroque sexu nobiliter germinantes, Triumphos suos in Militantis, ac Triumphantis Hierosolimæ Capitolio, ingenti apparatu, maximaque pompa celebrauerunt. Nisi sanguineam Christi Crucem in Virgineo, atque immaculato Legislatoris Francisci corpore per cruenta, profundaque vulnera, & visibiles clauos, ab ipso Christo illi (cuius vita à Cruce incepit, & in Crucem finem habuit, quod de Saluatore retulit Bernard.) sensibiliter, nec sine ineffabili dolore inflictam. Nisi fidem, spem, & charitatem

Sub vmbra Arboris Virginis Franc. Legislator.

Externa Minorum, & interna cruciformitas.

Apostolorum per spatulas, seu fructus prædictarum palmarum. Quamobrem in ipsamet asperrima, ac paupertima veste cruciformes apparentes exterius Fratres Minores, interiorem profectò cruciformitatem, quam profitentur in lata eius lege, indicant. Istud est Lignum densarum frondium, quod Legislator Franciscus Crucis Christi lignum à cunctorũ fidelium recordatione fermè explantatum renouauit, dilatauitque per vniuersum Mundum quatrilateraliter, nimirum quatuor illis virtutibus, quas per quatuor cornua Crucis ex Doctore nostro explicauimus.

Denique legis latæ à Francisco professores, & obseruatores sub prædicta pulcherrimæ Virginis Arboris vmbra *viriditatem bonorum operum* omnium Sanctorum, nouum ver in Horto Ecclesiæ complantãtes, adeò abundè, ac constãter dederunt, vt illorum gesta, & exempla in quolibet ordine Sanctorum admirandum in modum ad hæc recentia germina ediderint.

Obseruatores legis Francisc. sub vmbra Arboris Virg.

Congruum ergo erat, vt ille locus Frãciscanæ legislationis ordinaretur, in quo *Deipara ab Angelo Annunciata* velut Regina super omnes Sanctos, veluti Angelorum omnium *Pulcherrima Arbor extitit per institiam originalem*, ob quam *gratia plena* dicta fuit, & ad dignitatem Maternitatis infinito quodam excellentiæ apice exaltata.

Quare autem huiusce Sanctissimi loci Ecclesiuncula Sanctæ Mariæ de Portiuncula frequentissimè, Sancta Maria verò Angelorum aliquandò nuncupata sit, non conueniunt Historici. Quatuor super priori quæstione reperio sententias, duas verò super posteriori.

Aedicula de Portiuncula, & S. M. Angel. cur ita nuncupata.

Prima Sententia de priori quæstione est illorum Scriptorum, quibus placet, haud ab ipsa Ecclesia, cui nomen Sancta Maria, sed à loco eius, ambituque, Portiunculam cognominatam fuisse. Ab Vrbe enim Assisiate iam remota in rure suburbano, eo loco sita erat, qui Portiuncula dicebatur, sed adeò tunc derelicta, & vetustate penè collapsa, vt nonnisi Pastoribus tempore niuium, & pluuiarum excipiendis inseruierit. Vide Gonzagam in Prouincia S. Francisci Conuentu primo. Locus autem ille, situsque Portiuncula vocabatur propter paucos Agellos, & aliquot iugera terræ, quæ veluti terræ Portiunculam in ampla illa campi planitie possidebant Patres Benedictini. Notauit legenda Gregorij IX. iudicatque Bonau. cap. 2. Marcus in Cronicis, Grandislauus apud Vading. in 6. Appat. 5. sub num. 14. Illesias histor. Pont. lib. 7. cap. 33. & ex Pisano conform. 18. alij.

1. Sententia de Portiuncula cur sic vocetur

proprio sub ritu duplici; iussu Capituli Generalis Meclinienſis ad ann. 1499. ex concessione Alexandri VI. Papæ. De quo Auctor Martyr. præfato die 24. Martii. Ea de re Festum Annunciationis dum communissimum est Ecclesiæ, vt à Christo fundatæ, est aliundè quantum ad Nuncium Ordini Minorum peculiarissimum. Quia solus Legislator Minorum in nuncio illo annunciauit omni generi humano Ecclesiæ reparationem in annunciata Virgine, ab ipso Angelo haud obscurè præmonstrata. Quod sic probatur, *Filium gratiæ* nuncupat Bonauent. *Franciscum* in eius conuersione, sicut cap. antecedenti dictum est. Dei Mater plena gratia tunc concepit *vt Fundatorem, & Legislatorem trium Ordinum Franciscum, filiumque gratiæ effecit*, vt sic esset Ecclesiæ Dei filii sui tripliciter Reparator, filioque suo in conceptu, in partu, & in quamplurimis aliis persimilis, quando ipsum simul cum suo Dominico ostendit Regi, ac Iudici vnigenito, qui, resoluerat in vindictam scelerum, per quæ *Omnis caro corruperat viam suam*, totum penè hominum genus funditus explantare. Peperit deindè in Domo sua, declarauitque Frãciscum iuxtà idoneam ipsius capacitatem *plenum gratiæ, & veritatis* in eo, quod ibidem tantus filius conceptus, & editus spiritualiter ab eius gratia, *concepit, & peperit Euangelicæ veritatis spiritum*, vt idem Bonau. fatetur. Quod idem melius omnia expressit verbis antecedentibus ad finem cap. 2. quæ nos supra retulimus; & quæ modò hic denuò quibusdam interiectis commentariolis repetere, additis nonnullis aliis ex legenda, haud superfluum existimo.

In domo gratia plenæ filius gratiæ Franciscus.

Hunc locum vir sanctus amauit præ cæteris Mundi locis. Et meritò quidem, quia ibi amor Dei, & Matris Dei erga Franciscũ, & eius Ordinem peregrinus admodum, atque vnicus extitit. *Hic enim humiliter cepit*, Et hic pariter humillima Domini Ancilla famuli, ac Discipuli sui Francisci inceptionem perhumilem diuinitus sublimauit. *Hic virtuosè profecit*. At omnium Sanctorum, & Angelorum Præfecta mirãdum Francisci profectum vsque ad sanguineam filii sui imaginem, ac similitudinem nouo quodam Sacramẽto perduxit. *Hic feliciter consumauit*: Nec alio modo, nisi eo, quem idem Auctor in Francisci obitu cap. 15. explicat hisce tenerrimis verbis, digna admiratione confertis. *O verè Christianissimum virum, qui & viuens Christo viuenti, & mortuus perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari*. Ast vbi viuenti Christo vniformitas vitæ Francisci, nisi *in Annunciatæ Virginis ædicula*? Vbi, inquã, deindè eius mors morienti Christo persimilis, nisi ibidem? *Hunc in morte fratribus tanquam Virgini charissimum commendauit*, & digna sanè ratione, nam veluti alter Virginis Secretarius, eò effectus, illa arcana ab ore Mariæ ibi pluries hauserat, *quæ non licebat homini loqui*. Addamus modò alia ex legenda, quam supra iam tractauimus.

Sympatia loci Portiunculæ cum B. Franc.

Franc. alter Virginis Secretarius.

De hoc loco frater quidam Deo deuotus ante conuersionem suam visionem viderat, relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in Cælum directa, & genibus flexis in huius Ecclesiæ stare circuitu, qui omnes protensis manibus in altum lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulãtes, & lumen. Et ecce ingens de Cælo splendor aduenit, se per omnes diffundens, qui lumen vnicuique tribuit, & salutem desideratam concessit. *Hic est locus, in quo FRATRVM MINORVM ORDO à Sancto Francisco per diuinæ reuelationis instinctũ inchoatus est. Diuina namque prouidentiæ nutu, qua Christi seruus dirigebatur in omnibus tres materiales erexit Ecclesias, antequam Ordinem incheans, Euangelium prædicaret, vt non solum à sensibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora ordinato progressu ascẽderet, verum etiam, vt quid esset facturus in posterum sensibili foris opere misterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius Sancti Viri ducatu secundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam Christi triformiter reparanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum*.

Visio vera digna de Eccl. Portiunc.

Ecce simul & legislator Minorum, & Reparator Eccl. Franc.

Felix ædicula, *quæ meruit talem, ac tantum* per conceptum, & partum Virginis spiritualem *concipere, & parere* Legislatorem, & Reparatorem, qui spiritum veritatis Euangelicæ inibi etiam in fundatione suorum Ordinum, & in eorum legislatione concepit, & peperit. Sed qualis, quantaque ista Euangelica Veritas? Respondeat Interpres noster super illud Ioãnis 8. in serm. Dom. 5. de Passione. *Si veritatem dico vobis*. Quod ita ipse pulchrè declarat. *Mihi (inquit Christus) debetis credere multiplici ratione. 1. Quia in me est veritas vitæ*, Quis ex vobis arguet. 2. *Quia in me est veritas doctrinæ*, Ego veritatẽ dico vobis. 3. *Quia in me est veritas iustitiæ, quæ tribuit vnicuique. 4. Quia in me est veritas famæ*; Abraham exultauit, vt videret diem meum. 5. *Quia in me est veritas Essentiæ*, Antequam Abraham fieret ego sum.

Quinque in Christo veritates.

Hæ quoque veritates continentur in lege, Francisci Minoribus tradita, quam Christus ipse Summus Prototypus (qui cum sit Veritas per essentiam, in Francisci lege per doctrinam Euãgelicam extat)

Et in lege etiam Franc. à Christo reuelata.

typo suo humillimo renouandam, publicandamque inspirauit, reuelauitque. Legislatio vtique Fratrum Minorum tota veritas vitæ est. Tota veritas doctrinæ Euangelicæ. Tota veritas iustitiæ, cũ amplectatur Apostolorum exempla. Tota veritas famæ, quæ sub veritate per essentiam *Christo*, sub veritate per immediatam participationem *Maria* in toto Terrarum Orbe perenni nomine insonuit. *Moraliter* (addo cum eodem Doctore nostro paulò superius) *loquitur nobis Christus*, si veritatem dico vobis, dum nobis Regulam, & Legem, quam profitemur cum prædictis veritatibus (eã prius à veritate Christo accepta) exhibet Franciscus.

Cui Doctori credendum.

Regula est, inquit, *apud Doctores, & Magistros, quod vnicuique experto in scientia sua credendum est; sed proh dolor, omnibus, nondum expertis, & lenonibus creditur. Creditur Prisciano de Grammatica, Aristoteli de Logica & syllogismis, & sic de alijs auctoribus: soli Christo credulitas denegatur, & tamen ipse dicit conquerendo*, si veritatem dico vobis (*id est quia*) quare non creditis mihi? *Saraceni Mahumeto fidem adhibent, &c. soli Christiani Christo credere dedignantur. Credunt Mundo, credunt Dæmoni, credunt carni, credunt peccatis, quæ omnia nituntur animam demoliri. Soli veritati credulitas denegatur.*

In legis S. Franc. aduersarios.

Hactenus Magister noster, qui ab hac obiurgatione dum persecutores veritatis diuinæ in Legislatione Francisci nequaquã excludit, includit aliunde, & illius transgressores, qui eandem veritatem in Euangelica Fratrum Minorum lege dum suis criminibus labefactant, veram vtique credulitatem Christo, Legislatori principaliori, necnon & Francisco eiusdem legis conditori instrumentali denegant, malisq; operibus interimunt. Fides enim qualibet sine operibus moritur:

Alia nonnulla de loco Portiunculæ in capite sequenti, & in cap. vltimo libri 7. vbi de Prærogatiuis secundi generis Legis Ordinis Minorum. Et nonnulla alia etiam Tomo secundo

†

CAPVT TERTIVM
Pro tertia Circumstantia.

Tempus Franciscanæ Legislationis, in Annunciatæ Virginis Domo conditæ, moxque illius in Vrbe Roma approbationis, quæ tunc contigit, quando Christi Lex, atque Catholica Dogmata vndique scissa, turpiterque fœdata, veluti in cœno iacebant.

IN Annunciatæ Virginis ædicula, iure meritò à Francisco super omnia mundi loca dilecta, sibique, ac suis filiis auspicata, ac proposita, concepit, peperitque Vir Sanctus in sua legislatione Spiritum Euangelicæ Veritatis, vt iam ex doctrina Seraphica D. Bonauẽturæ demonstratum est. Sed iste veritatis spiritus haud alius profectò, nisi ille spiritus, de quo Christus Ioann. 16. ad suos Discipulos: *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Vnde Interpres noster in sermone fer. 3. Hebdom. 2. Quadrages. loquens de omni vero, & alludens ad illud Christi, *omnem veritatem*, ita scribit secundum Augustinum de Doctrina Christiana: *Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est. Et ideo veritas cum reuerentia auscultanda; illa scilicet, quæ spectat ad duo. Primum est auctoritas officij.* Quomodo, inquit Apostolus, prædicabunt, nisi mittantur? *Nemo enim debet sibi assumere honorem, nisi qui vocatur à Domino. Secundum est approbatio doctrinæ, quia debet esse, non de figmentis poeticis, non de phantasmatibus, & somnijs, sed de lege, & scriptura sacra, &c.* Quæ veritas cum reuerẽtia auscultãda.

Igitur spiritus ille Veritatis Euangelicæ, quem mundus corde concepit, peperitque Franciscus in Domo Virginis, & per Virginem, ad diuinum spiritum, qui & Spiritus Sanctus, veluti effectus singularis ad suam præcipuam causam necessariò referendus est. Quandoquidem omnem veritatem, auctoritate officij, iuxtà expressissimum Dei mandatum, atque approbatione doctrinæ iuxtà concessionem Ecclesiæ roboratam, quam per prædicationem, & legislationem promulgabat Franciscus, ab eodem spiritu ei inspirante, ac reuelante legem, originem habuisse omninò credere, ac tenere debemus. Legimus apud Patres, ac Doctores Ecclesiæ, Virginem Deiparam, quam in Annunciatione Spiritus Sanctus obumbrauerat, eiusdem Spiritus Sancti viuam, animatamque euasisse fornacem, tum ob Verbi incarnationem, quod ipsa de Spiritu Sancto concepit, tum etiam ob immensam

Virgo Anũciata Fornax Spiritus sancti.

mensam erga filium ad genus humanum propter filium dilectionem.

Hic Interpres noster loquens de calculo illo, quem vnus de Seraphim volans ad Isaiam, forpice tulerat de altari, ita exponit in serm. Dom. 13. post Trinit. *Calculus est humanitas Christi, qui propter sui humilitatem terra, idest peccatoribus admixtus, à Iudæis fuit calcatus, sed nobis fuit ignitus Carbo, vitia nostra purgans. Hunc habuit in manu, idest potentia diuinitatis suæ, quem forcipe duplicis dilectionis tulit de Altari gloriosæ Virginis.* Et paulò infra: *B. Maria dicitur Altare, quasi alta Ara, eo quod victimæ ibi ardeant. B. Maria fuit alta per sublimitatem contemplationis, & per profunditatem humilitatis fuit ara. Quia ardens igne diuini amoris, se obtulit Deo in odorem suauitatis.*

Calculus ignitus Christi humanitas.

Forceps duplex dilectio

B. Maria alta ara.

Ardens, ignescensque in hoc altari diuini spiritus, æternique flaminis conflatorium tunc temporis, quando omnis Christianus Orbis è regione frigescens cum Christi Ecclesia, Christi legem per hæreses, schismata, tyrannides, scelera, oppressiones, corruptelas maxima conscientiæ libertate ad excidium lacerabat, in ipso eodem conflatorio Deus edidit veluti nouum Legislatorem Franciscum, vt legem Christi, eiusque Ecclesiam, ruinæ iam proximam repararet. Vnde meritò digna sententia scripsit Baronius tom. 12 Annal. ad non. ortus Francisci 1182. *Planè Deus Ecclesiam suam in deterius declinantem, collabente deprauata morum disciplina, ad erigendam eam in* in Conflatorio Diuini Spiritus hunc Apostolicum formauit hominem. *Qui Mundi contemptum, ac paupertatem, non effectu tantum (quod ad Sanctorum Patrum imitatione sufficere potuisset) sed effectu etiam consequutus est.* Quid est illud *in conflatorio*, &c. nisi in fornace, atque in Altari Virginis Annunciatæ, de qua superius, & in cuius Ecclesiuncula *humiliter Franciscus virtuosè profecit, fæliciter consummauit* cursu annorum quindecim ab eius condita Fratrum Minorum lege? E tali conflatorio totus Seraphicus exiens hic vir Apostolicus, legem, totam quoq Seraphicam, conscripsit, ac Seraphico Ordini tradidit. Qui Ecclesiasticos, Religiosos, & sæculares (liberata è vitiorum, & errorum gelu iam Christi lege, quam veluti ignem diuinum cælitus ipse misit in terram, vt ea Euangelica prædicatione accenderetur) apostolica vita, ac doctrina nouiter inflammaret.

Francisc. in conflatorio Spir. S. per B. Virginem efformatus.

Per eū Deus misit denuo ignē in terrā

Hinc post acceptam à viro sancto cum ingenti sui flagrantis pectoris hilaritate Romani Pontificis suæ legis, ac regulæ iam reformatæ confirmationem, scribit Bonauent. cap. 4. vitæ illius sub hoc titulo: *De profectu Ordinis sub manu ipsius, & confirmatione regulæ prius tantum approbatæ.*

Ibi in corpore hæc leguntur ad propositum. *Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus* ad SANCTAM MARIAM DE PORTIVNCVLA *duodenarium illum fratrum numerum superna gratia praeunte deduxit, vt ibi meritis Matris Domini Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius susciperet illicò auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus praeco, Ciuitates circuibat, & castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute Spiritus Sancti annuncians Regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi, quippe qui mente, ac facie semper in Cælum intentus, omnes sursum trahere conaretur. Capit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex se floribus honoris, & honestatis vberes fructus afferre, &c.* Hæc ibi Bonau.

Franc. pastor pusilli gregis

corda peccatorum impetu quodam cęlesti sursū eleuabat.

Itaque in Virginis conflatorio interius, exteriusque inflammatus Dei famulus, atque Legislator Franciscus, veluti animatus ignis impetu quodam cælesti peccatorum corda, in ipsa ingenti culparum mole admodum ponderosa (*O quantum grauia crimina, quæ faciunt homines cadere in profundum!* Obstupescit Doctor noster serm. fer. 3. hebdom. 2. in Quadrag.) sursum ad Deum, ignem consummentem scelera, eleuābat. *Tempus* illud *acceptabile, dies illa salutis*, de quibus à principio legis Christianæ iam inceperat exclamare D. Paulus cap. 6. ad Corinth. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis:* taliter equidem se habebant ea tempestate, cum Franciscus veluti nouum apostolicæ vitæ prodigium, atque euangelicæ legislationis Auctor à cunctis admirabatur, qualiter Christi præco ANTONIVS DE PADVA euangelizabat. Ait enim serm. 4. Domin. 1. in Quadrag. in hunc modum. *Licet iuxta sententiam Gregorij lib. 9. Moral. cap. 84. totū huius vitæ labilis tempus sit indultum ad meritorum opera cumulanda, quibus malorum vltricia fugere valeamus tormenta, vt superna patriæ possimus acquirere stipendia repromissa: tamen à multis negligitur; Et ob hanc temporis amissionem, otiosumque defluxum, qui sic paruipenditur, deuotus quidam in Epistola ad scholares altius lamentabatur, dicens. Fuit olim nihil pretiosius tempore, sed heu nil hodie vilius reperitur. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat, nemo sibi perire diem, nunquam rediturum curat.*

Tempus ad quod nobis indultum.

Vilipēditur etsi pretiosū.

Hæc temporis pretiositas tunc maximè in deplorabilissimum transierat vilipendiū, & contemptum, cum ad annos præcipuè communis salutis 1209. & 1210. communem salutem cum Christi sanguine, & lege, & fide Romana, & auctoritate Sedis Apostolicæ, & Maiestate Summi Pontificis in omni hominum statu immundis pedibus

vide Hierarchiam auctoris tom. 1. fol.6. & 7.

bus conculcabant mortales. Et quæ tunc ista temporis pretiositas, si iam venisset tempus, vt in interitum abiret Mundus, tribus Christi dextera armata fulminibus, quam Romæ per mostratam sibi visionem intuitus est Dominicus euidentissimè patefaciebat? Scelera ipsa sæcularia, regularia, ecclesiastica, hæresum, tyrannidū, oppressionum, rapinarum, depopulationum, schismatum diluuium, dominandique libido in vtroque imperio, & in vtraque Ecclesia vniuersæ carnis venisse finem iam demonstrabant.

Ad finem illius ann.1210. teste Vadingo ibidem sub num.56. Innocentius Pontifex Othonem Imperatorem, Ecclesiæ iura sacrilegè imminuentem, & terras tyrannicè inuadentem diris solemniter deuouit, & iure imperii priuauit, iuxtà Sancti Francisci prophetiam, anno antecedenti cum Mediolano Romam iret Cæsar, sibi pronunciatam. Electores inde Idibus Decembris Federicum II. Siciliæ Regem, Henrici VI. filium, Philippi, Germanis olim grati nepotem, decimū septimum annum agentem, Imperatorem renūciarunt. Aptiorem Othone, ni fallor, iustissima irascentis Dei vindicta in excidium Ecclesiæ propter inundantia crimina haud inuenerat Ministrum. Neque poterat tam citò peiorem in hominum genus, & in sacras res ordinare tyrannum ipso Federico, vt scripsimus in Hierarchia nostra, illorum temporum miserrimum statum in Christiana Republica demonstrantes ex Annalista nostro in 1. S. Apparatus.

Anno 1210. excommunicatus ab Innoc. 3. Oth. Imp.

Istud idem tempus, in tam extremum redactum vilipendium, destinauit vindex Deus, suæ tamen miserationis minimè oblitus in Francisci legislatione, ac prædicatione pro suæ legis, & Ecclesiæ reparatione, extinctis primum tribus suæ dexteræ fulminibus, quibus, vt diximus, cuncta viuentia super faciem terræ perdere iam deliberauerat, à tribus tanti Legislatoris, ac præconis radiis. Vnde Iacobus de Voragine Ordinis Prædicat. serm. 2. de Sancto Franc. *Venit*, inquit, *Franciscus portans secum tres radios; scilicet Radium doctrinarum, per quem illuminauit obscuros. Radium exemplorum, per quem inflammauit tepidos. Radiū miraculorum, per quem conuertit obstinatos. Ipse enim excussit ignorantiam in erroneis radio doctrinarum. Negligentiam in tepidis radio exemplorum. Duritiam in obstinatis radio miraculorum.* Hæc ille, in re nostra iuxta illorum temporum malignitatem, & historiæ veritatem valdè sincerus, ac fidelis.

Tria dexteræ Dei fulmina tribus radiis extinxit Franc.

Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Ionæ 2. Vbi Interpres noster serm. fer. 4. in Hebdom. 1. Quadrag. ita explicat: *Niniue pulchram animam præfigurat, de qua Cant.4.* Tota pulchra es amica mea. *Hoc animæ canitur iustæ, sed peccatum fœdat; ideo ad eam mittitur Ionas per diuinam inspirationem ad cor, vt ipsi interitum nunciet, si non agat pœnitentiam. Vnde dixt*, adhuc quadraginta dies, &c. *Vbi dicitur vicenarius in vicenarium, malum culpæ in malum pœnæ, & ideo dicitur*, Niniue subuertetur. *Nuncium Deus mittit miserabilem, quia fuit transgressor diuini præcepti, & diuinæ inspirationis*, fugitque à facie Dei in Tarsis, &c. Et quidem nuncius, nobis à vindice Deo in nostrum excidium missus, non potest esse miserabilior ipso peccato. Est enim peccatum ipsa miseria per essentiam, quia cum omnia eradicet genimina bonorum, gratuita, moralia, cardinalia, politica; omnia deuastet in Regnorum, & Ecclesiæ interitum, in destructionem quoque Dei, qui essentialiter felix est, & vnde omnia creata felicitas, ex se procul dubio naturaliter tendit. At quomodo istud peccatum, in transgressione Ionæ præfiguratū, auertendo hominem à Deo, & conuertendo ad creaturam, fugit in Tarsis, cuius naues, teste Psalmographo, conteret Deus? *Tarsis* (respondet Doctor noster) *quæ dissipans speculum interpretatur. gaudium mundanum significat, quod dissipat speculum fidei.* Mare, subdit, est Mundus, per quem ad istud gaudium peruenitur; sed frequenter antequam perueniat homo ad gaudium, quod affectat, à Marina Bellua, idest à Dæmone, deuoratur. *Nauis ista est caro propria, quæ semper te ducit in Tharsim*, idest in mundanam lætitiam. Hanc ascendit Ionas, vt fugiat à facie Domini, non attendens, *quod Dominus in spiritu furoris sui conteret naues Tharsis.*

Misticus Ionas animæ peccatricē missus.

Nil miserabilius peccato.

Gaudiū mundi dissipat speculum fidei.

Peccatum in Tharsi ob gaudium huius Mundi, cuius princeps Diabolus, iam generaliter tempore Discipulatus sociorum Francisci, ac eius legislationis dissipabat *Speculum fidei*, non solum operibus fœdis, verum etiam hæresibus quamplurimis, criminibusque in Christianam Religionē, ac pietatem execrabilibus, vt ex Vadingo citato in cap.1. prædictæ Hierarchiæ historicè enarrauimus. Naues pene innumeræ Ecclesiasticorum, sæcularium, regulariumque, Magnatum, Procerū, Principum, Regum, Cæsarum, immensis vndique iactata fluctibus Latinæ, Græcanicæque Ecclesiæ Nauicula; dum inter varios naufragabant scopulos, extremos furoris Domini ictus eis adeò imminebat, vt nil aliud expectarent cum omni fermè Christianitate, nisi vt ab eo contererentur, atq; à faucibus Satanæ deuorarētur. Peccatum ipsum celebrans tunc vndequaque per Mundi illecebras ad plateas publicas suos

Peccatum in Tarsi quod

Miserrima peccatorum seruitus

varios

varios triumphos, tot in Marinæ Belluæ scilicet Dæmonis visceribus, vt in totalem abirent deuorationem, gregatim inferebat, quotquot ei duræ seruitutis catenis ligati, atque vt vilia iumenta onerati, miserè applaudebant. *Peccatores* (aiebat Doctor noster illo eodem tempore prædicans Dominica in Ramis Palmarum) *ligantur vinculis multiplicis culpæ in platea huius Mundi, nec ab alio pascua recipiunt, nisi ab illis, à quibus onera imponuntur. Quia peccator in nullo alio, quam in turpe delectatur, & nutritur, & in turpis delectatione pasci desiderat.*

Contra Mundi mare exiens Legislator Franciscus in legis Christianæ reparationem, quinque veluti recentia flumina per datam ab eo legem misticè opposuit. Quæ flumina enumerat Ecclesiasticus cap. 24. in quo multiplices sapientiæ laudes, & eius originem describit, & iure ad sui amplexum inuitat, omnia suæ doctrinæ splẽdore illustrans. Sunt hæc quinque flumina ibi descripta, & à Dei sapientia effusa, sicut ipse testatur, dicens: *Ego sapientia effudi flumina, & sicut aquaductus exiui de Paradiso*. Phison, Tigris, Eufrates, Iordanis, Gehon. Quatuor flumina è Terrestri Paradiso exeuntia *ad irrigandum vniuersam superficiem terræ*, habes cap. 2. Genesis. Nam Iordanis, in penultimo loco positus, fluuius in Iudæa est eximiæ suauitatis, Petræam à reliqua Iudæa dirimens, auctore Plin. lib. 5. cap. 5. Oriturque ad radices Libani duobus fontibus, & alteri est nomen *Ior*, alteri *Dan*, qui simul coniuncti, *Iordanis* nomen efficiunt. Explanatio mistica Interpretis nostri super hæc quinque flumina iuxta ipsorum radicales ex fonte hebraico significationes, adeo concinna, ac præcipua est legislationi Fratrum Minorum iuxta eorum vitam Apostolicã, quam strictissimè profitentur, & per quam Paupertatis portione in terra viuentium libero gressu festinant, vt nihil melius desiderari possit. Ponamus eius verba, quia digna sunt, ac pretiosa, quanto simplicia, & sincera, atque ab omni fuco, siue periculosa assentatione aliena. *Nota hic quinque flumina, per quæ omnis perfectio viæ, & patriæ significatur. Perfectio viæ triplici gradu consistit, scilicet incipientibus, proficientibus, & perfectis. Phison oris mutatio, Euphrates fertilis, Tigris sagitta interpretatur.* Hisce tribus fluminibus perfectionem viæ trifariè aperit statim in hunc modum.

1 *Christus est quasi Phison incipientibus, qui paulò ante loquebantur lingua Aegyptiaca, modò loquuntur lingua Chanaan, idest commutata. Quorum facies erat peccato combusta, modò verò splendida sicut Phison. Fluuius abundat, & mundat, eodem modo Christus facit sapientiam abundare in incipientibus, vt sapiant quæ Dei sunt, qui prius sapiebant quæ carnis erant.*

2 *Item est sicut Tigris proficientibus in diebus nouorum scilicet seminum, tunc enim Tigris inundat. Tigris autem interpretatur sagitta, in qua sunt tria, lignum, ferrum, & penna, qua rectè volat. Christus ligno suæ passionis, & ferro timoris, & penna sui amoris vulnerat corda pœnitentium, qui quotidie proficiunt, qui tamquam bona semina de virtute in virtutem quotidie crescunt.*

3 *Item est sicut Euphrates Perfectis, quorum sensus virtutum fertilitate sunt adimpleti, de quibus Heb. cap. 5.* Perfectorum solidus est cibus, *eorum, qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali.* Hæc circa omnimodam perfectionem viæ. Pergit deinde immediatè ad cunctam perfectionem patriæ, ad quam illa viæ perfectio ex se gratiæ Dei instinctu naturaliter tendit, atque intra duorum fluminum ambitum ipsam circumscribit. Nam perfectio patriæ, inquit, in duobus consistit, Animæ scilicet glorificatione, Trinitatis, & vnitatis visione. *Dicamus ergo* (claudit sapidum illum discursum, qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. *Iordanis ex duobus fontibus inundat, & significat gemina stolæ gloriam inundantem. Tempus messis æterna est felicitas. Iordanis benè dicitur aquas multiplicare, quia in tempore messis maioribus aquis inundat, & aquas multiplicat, quando alij fluuij deficiunt. Sic erit in æterna felicitate. Malorum enim delectatione deficiente, stola super stolam multiplicabitur in Beatis. Tunc erit nobis Deus, quasi Gyon, quia sua visione Ecclesiam triumphantem sibi assistentem illuminabit, fœcundabit, satiabit, & hoc in die vindemiæ, &c.*

Hanc omnimodam perfectionem viæ, & patriæ, à Magistro nostro adeò luculenter enucleatam, in Fratrum Minorum lege contineri (perfectionem viæ ratione triũ votorum, 27. præceptorum, obligantium sub mortali, ac suarum admonitionum, libertatum, correptionum, conditionum, quas supra tetigimus; perfectionem verò patriæ veluti effectum, ex illorum obseruantia conquirendum, obtinendumque) nulli dubium esse potest. Quodam peculiari, mirandoque exitu Sapientia Dei Patris Christus è Paradiso Seraphico erumpere fecit in omnem terram quatuor prædicta flumina principalia, scilicet Physon, Tigrim, Euphratem, Gehon. Ad quod indigitandum Clemens Quartus datam legem à Francisco commendauit in Concilio Viennensi per illam Decretalem, cui titulus: *Exiui de Paradiso*, addens pariter & Iordanem, non secundum proprium nomen,

Quatuòr flumina Paradisi terrestris.

Iordanis origo, cursus, & nomen.

Quinque flumina mistica

Phison Incipientibus Christus.

Proficientibus Tigris.

Perfectis Euphrates

Omnis perfectio patriæ per duo flumina.

Prędicta flumina in lege Franc.

Lex Franc. in Concil. Viennensi cõmendata à Clemente IV.

nomen, sed secundum præfatam Doctoris nostri intelligentiam aduersus mūdanum Mare. Hoc enim Mare tunc impetu quodam generali inundabat palàm omnem Rempublicam Christianam, cuncta bona Theologalia, Cardinalia, Moralia, Politica funditus euertens. Sed tunc etiam ista quinque flumina insperatò erumpentia ipsum diuinitùs retraxerunt, ne illa bona vsque ad totalem perditionem deuastarentur; quinimò veluti cælitus reparata, ac restaurata, iterum sicut tempore Apostolorum reuiuiscerent.

Hinc Doctor noster collocans eadem flumina cum ipso Legislatore in Deserto Religionis, hæc scripsit de Francisco, cōparans eum Matathiæ, legis Moysis, atq. Hebræorum reparatori. *Humilis Franciscus intellexit se ad boc missum à Deo, vt animas lucraretur, quas Diabolus conabatur auferre. Propter quod ipse tamquam alter Matathias destruxit aras mundanæ vanitatis, in quibus peccatores Dæmonibus immolabāt. Circumcidit per reuocationem ad vitæ veritatem, & puritatem illos, qui habebant præputium peccatorum*. Legem insuper abolitam operibus instaurauit. Hæc postrema verba, *Legem insuper*, &c. ex quadam peculiari visione, Papæ Innocentio Tertio cęlitùs effecta, & ex ipsius attestatione comprobantur iuxta veritatem historicam, ab omni Ecclesia receptam, quæ talis est.

Franc. Legislator nouus Legis Christi Matathias

Veluti nouus in Orbe orthodoxo Legislator se proijciens humillimus Franciscus anno illo 1209. à duodecim Apostolicis Discipulis associatus, ad sanctissimos Vicarii Christi pedes, petiit ab eo suæ legis, ac regulæ peroptatam approbationem. Quidquid verò tunc illi accidit, scribit in nostri argumenti robur Bonauent. ex quo deinde tam Breuiarium Franciscanum pro sua Ecclesia, quam Romanum pro tota Ecclesia historiam desumpserunt die Octobris 4. in qua festū S. Francisci solemniter celebratur. *Cum autem* (ait Breuiarium Romanum) *illud ex Euangelio Franciscus audiuisset*: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, &c. *sibi eā regulam seruandam proposuit. Itaque detractis calceis, & vna contentus tunica cum duodecim socios adhibuisset, Ordinem Minorum instituit. Quare Romam venit anno salutis 1209. vt sui Ordinis Regula ab Apostolica Sede confirmaretur. Quem cum accedentem ad se Summus Pontifex Innocentius Tertius reiecisset, quod in somnis postea sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicā suis humeris sustinere visus esset, conquisitum accersiri iussit, benignèque accipiens, omnem eius institutorum rationem confirmauit*. Hæc ex Breuiario Romano in altera secundi nocturni lectione. Breuiarium autem Franciscanum explicat insuper attestationem, quam ore proprio Romanus Pontifex, sedens consistorialiter cum suis Cardinalibus, expressit, vt ibi sic scribitur, iuxtà Bonauenturæ legendam in 3. lectione secundi nocturni diei infra octauam. *Properante itaque Francisco cum Socijs iuxta propositum comparere conspectu Summi Pontificis, Domini scilicet Innocentij III. præuenit eum dignatione clementiæ Dei virtus, & sapientia Christus, suum per visionem commonefaciendo Vicarium, vt supplicanti pauperculo, & placitum daret auditum, & benignum præberet assensum. Vidit namque in somnis Pontifex ipse Romanus Lateranensem Basilicam, ruinæ fore iam proximam, quam quidam homo pauperculus, modicus, & despectus proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Cum igitur famulo Dei suis comparente conspectibus sapiens contemplaretur Antistes simplicis animi puritatem, Mundi contemptum, Paupertatis amorem, propositi perfecti constantiam, animarum zelum, ignitumque voluntatis sanctæ feruorem*; Verè, inquit, hic est ille, qui opere, ac doctrina Christi sustentabit Ecclesiam. *Proinde ad ipsum præcipuam deuotionem ex tunc concipiens, ac petitioni eius per omnia se inclinans, approbauit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mādatum, postulata tunc cuncta concessit, ac plurà se cōcessurum in posterum liberaliter repromisit. Tanta differentia est* (docet Magister in serm. Dom. 4. post Pascha) *inter Dei dicere, & facere, quanta fuit inter creare, & recreare. Creatio leuis, & facilis, quia solo verbo, immo sola voluntate: Sed recreatio valdè difficilis, quia per passionem, & mortem, &c.* Quam nuncupat Interpres recreationem Ecclesiæ Christianæ fundationem per Christum, vocat Basilius reparationē per eundem circa opus Redemptionis. *Magna fecisse parum. Eadem reparasse magnum*, exclamat Magnus Basilius, vt aliàs diximus. Sustentat Ecclesiam Romanam Frāciscus, eam per se, & per suum Ordinem reparās. Arduissimum huius operis negocium ab ipso tempore suę inceptionis etiam mensurandum, etsi temporis circumstantia in illius essentiam nequaquam intrarit. Quæ reparauerat Christus fundans Ecclesiam, reparat & Franciscus in Christo suam Legem, & Regulam instituens.

Breuiarium Romanū de Franc. Legislatore.

Breuiarium Franciscanū de eodem

Franc. Legislator coram Pontifice,

†

CAPVT

CAPVT QVARTVM
pro quarta Circumstantia.

Discipulatus Legislatoris Francisci, Discipulatui Legislatoris Christi numero, ac perfectione respondet, prout Legis Euangelicæ, ac vitæ Apostolicæ reparationi decebat.

NImis honorati sunt amici tui, Deus, Psal.137. Vbi Interpres noster serm. 3. de Apostolis hæc ad rem. *Amici Dei dicuntur Apostoli propter tria, quæ ad veros amicos pertinent.*

Apostoli amici Christi propter tria

Primò, Propter voluntatis conformitatem, & cordium vtilitatem, quia amicitia vera est idem velle, & idem nolle, &c.

Secundò, Propter secretorum reuelationem, quia omnia secreta sua reuelabant Christo, & Christus eis, sicut Ioanni in Apocalypsi, & Paulo in raptu, vbi vidit *quæ non licet homini loqui.*

Tertiò, Propter bonorum communicationem, quia Apostoli omnia sua reliquerunt Christo, & propter Christum. Et Christus omnia bona sua communicauit Apostolis, ergo sunt amici Dei. Et hi verè nimis sunt honorificati à Deo, quia multum, plus, plurimum. Multum quamdiu fuerunt in Mundo. Plus modo animę eorum in Cælo; sed plurimum honorabuntur in iudicio, vbi sedebunt super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel, &c. Hæc Interpres ad literam.

Numerus sociorū Christi alio modo in Apostolis, alio modo in Discipulis

Numerus illorum (nimis à Christo, scilicet multum, plus plurimum honoratorū, qui etiam fuerunt tribus annis completis eius socii in hac vita) vel pertinet ad solos Apostolos, quibus summum Ecclesiasticæ Monarchiæ Legislatorem egit Christus; vel ad alios discipulos, quibus fuit & Præceptor, & Magister. Si pertinet ad solos Apostolos, hi profectò duodecim, nec plus, nec minus existere. Nam D. Paulus tertius decimus Apostolus post Christi mortem, & Ascensionem cælitus vocatus fuit, & electus ab ipso Christo. Si verè pertinet numerus iste ad alios Discipulos, hi profectò numerum septuaginta duo compleuerunt, licet cuncti principio, & deinde nomine Discipulorum veneriut, & tam eos, quam hos etiam ipse ex se vocauerit, elegeritque, vt irent per totum Mundum, & vberes fructus legis euangelicæ promulgatione afferrent, & fructus eorum maneret.

Vtraque hæc veritas catholica est, ac de fide iuxta literam Euangelicam Sancti Lucæ in cap.6. ac 10. Ibi ait: *Et cum dies festus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomeum, Mathæum, & Thomam, Iacobum Alfei, & Simonem, qui vocatur Zelotes; & Iudam Iacobi, & Iudam Ischariotem, qui fuit proditor.* In capite deinde 10. subdit, loquens idem Euangelista de aliis Discipulis: *Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.* Omnes tam duodecim, quam septuaginta duo fuerunt Christo socii, non tamen omnes Apostoli, atque ad dignitatem Apostolicam assumpti, alias haud diceret Sacer textus, & elegit duodecim ex ipsis. *Postquam* (ait Liranus noster super cap.6. Lucæ) *descripta est vocatio plurium ad Christi Discipulatum hic consequenter describitur promotio aliquorū ex illis ad Apostolatum.*

Apost. Christi XII. Discipuli 72. Omnes dicti Discip. etsi non omnes Apost.

Pluries suos Apostolos, & sub numero duodecim, & sub nomine Discipulorum appellauit Dominus, nec sine misterio vtrinque. Explicat moraliter arcanum istud noster Interpres, & quantum ad numerum, & quantum ad nomen. Quantum ad numerum, vt significet modò vniuersitatem saluandorum, adducit D. Augustinum 2. de Ciuit. Dei cap. 5. in serm. Dom. Quinquages. Sed quantum ad nomen vtitur dumtaxat proprietate Discipulorum, ita nuncupatorum: *Quia*, inquit, *student in scholis.* Redditque rationem statim, ita subdens: *Habet namque Christus Scholas duas, in quarum primis est studium* Charitatis, *qua diuina implentur præcepta, Ioann.13. In secundis Scholis docetur* Humilitas. Math. cap.11. *Et hic est ordo inter primos Discipulos, & secundos, quia postquam studuerint in primis scholis, introeunt ad secundas.* Vide ipsum serm. fer.4. Hebdomad.2. Quadrag. & tom.1. Hierarchiæ nostræ fol.21. vbi de noua, ac peculiari Schola à B. Francisco instituta, ac fundata.

Numerus 12 numerus vniuersit. saluandorum.

Christi scholæ duæ

Pari modo suos duodecim Apostolos, siue viros Apostolicos, quibus tradidit legem, numero, & vita duodecim Christi Apostolis persimiles habuit ceu Euangelicus Legislator Frācifcus. Habuit & alios quamplurimos discipulos, quos ipse immediatè vocauit, tradiditque Religionis habitum (loquimur de cognitis) num. 78. Et hos habuit vt Magister, & Præceptor post datam legem. Cuncti simul in paucis forsan numero maiores Discipulis Christi, atque illorum æmulatores ferè vniuersi extitere. Conformitas ista congruebat profectò; nam Legislator reparans cum suis Coapostolis, & Discipulis Christi legem, ipse Christo Legislatori,

Franc. cum Christo in legislatione, & discipulatu conformitas.

suique pariter Christi Apostolis, & Discipulis possibili similitudine conformari debebant. Quod aduertens B. Pisanus lib. 1. Conformit. fruct. 8. 2. part. cui titulus *Franciscus fœcundatur*, ita scribit: *Sciendum est, quod Dominus noster Iesus Christus sicut B. Franciscum similem voluit habere in pluribus; sic & in hoc, videlicet,*

Primò, Vt sicut ipse habuit duodecim Apostolos, sic Frenciscus duodecim haberet Socios.

Secundò, Et sicut vnus de Apostolis fuit prauus, & laqueo se suspendit; sic & Beatus Franciscus vnum de duodecim sociis habuit, qui laqueo se suspendit.

Omnes fermè Discip. Franc. sanctitate floruerunt.

Tertio, Et sicut Apostoli Domini sanctitate, & signis fuerunt mirabiles; sic & socii B. Francisci vita gloriosi fuerunt, & signis & in vita, & in morte.

Quartò, Et sicut S. Apostoli vitam, & doctrinam Christi toto nisu seruauerunt, sic & B. Francisci Socii vna cum ipso sanctum Euangelium seruauerunt.

Quintò, Et sicut vltra duodecim Apostolos Dominus Iesus habuit alios Discipulos, sic & B. Franciscus vltra duodecim socios prædictos, & Discipulos plures alios habuit, singulares vita, sanctitate, & perfectione.

Sextò, Et sicut per Christum, & Apostolos totus Mundus renouatus est; sic per B. Franciscum, & fratres ad Christi vitam prosequendam, & pœnitentiam exercendam est innouatus. Hæc ille. Dabo omnes hos Discipulos seorsim per synopsim sub eodem saphiri symbolo, sub quo paucis lineamentis Benedicta Doctoris nostri Lingua, omnes Apostolos, & Discipulos Domini quadam ceu sculptura ad viuum expressit illis verbis ex Dom. 1. Epiphan.

Saphiro omnes Apostoli, & Discipuli Christi comparati.

Saphirus Cælo sereno similis, Apostolos significat, quod terrenis contemptis meruerunt dicere. Nostra conuersatio in Cælis est. Ast diuidamus istud cap. 4. in aliquot Sectiones.

SECTIO PRIMA.

Lex vt lata à Francisco scripta est in Domo Virginis Annunciatæ apud Assisium anno Domini 1209. vndecim Apostolis; postea xij. approbata.

Apostolicos appello cunctos B. Francisci Discipulos, & eos præcipuè, quibus Vir Sanctus se inclytum Euangelicæ, atque Apostolicæ normæ Legislatorē ostendit, vt proindè inter ipsum, & Christum Legislatorem, inter suos, & Christi Discipulos, quibus lex data fuit, égregiam admodum, vnicamque conformitatem cum Pisano, paulò ante memorato, asseramus, & admiremur. Hac quoque de causa sanctissimus sub sacra purpura Cardinalitia Antistes B. Iacobus de Vitriaco, natione Gallus, dignitate Episcopus Tusculanus, pietate Apostolicus, vt testis oculatus, qui annis quatuordecim ante obitum S. Francisci, anno scilicet Christi 1240. sanctè decessit. Prædictis tribus, ait, Eremitarum, Monachorum, Canonicorum Religionibus, vt regulariter viuentium quadratura fundamenti in soliditate sua firma subsisteret: addit Dominus in diebus illis quartam Religionis institutionem, ordinis decorem, & Regulæ sanctitatem. Si tamen Ecclesiæ primitiuæ statum, & ordinem diligenter attendamus, non tam nouā addidit regulam, quam veterem renouauit, releuauit iacentem, & penè mortuam suscitauit Religionem in vespere Mundi, tendentis ad occasum, imminente tempore perditionis, *vt contra Antichristi periculosa tempora nouos Athletas prapararet, & Ecclesiam præmuniendo fulciret. Hæc est Religio veri pauperum Crucifixi, & Ordo Prædicatorum, quos Fratres Minores appellamus*. Verè Minores, & omnibus huius temporis Regularibus in habitu, & nuditate, & mundi contemptu humiliores. Habent autem vnum summum Priorem, cuius mandatis, & regularibus institutis reuerenter obediunt minores priores; cæterique eiusdem Ordinis Fratres, quos per diuersas Mundi Prouincias causa prædicationis, & salutis animarum ipse transmittit. Adeò autem primitiuæ Ecclesiæ religionem, paupertatem, & humilitatem in se reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas cum siti, & ardore spiritus haurientes, quòd non solum Euangelica præcepta, sed & consilia, vitam Apostolicam expressius imitantes, modis omnibus adimplere laborant. Omnibus quæ possident renunciantes, seipsos abnegantes, Crucem sibi tollendo, nudi nudum sequentes. Relinquentes pallium cum Ioseph; & hydriam cum Samaritana; expediti currunt, ambulant ante faciem suam, & non reuertuntur. Posteriorum obliti, in anteriora semper, & passibus continuis extenduntur. Volantes vt nubes, & sicut columbæ ad fenestras suas, ne mors per ipsos intrare valeat, cum omni diligentia, & cautela prouidentes. Et inferius post plurima alia. *Hic est Fratrum Minorum Sanctus Ordo, & Apostolicorum Virorum admiranda, & imitanda Religio, quos Dominus contra perditionis filium Antichristum, & eius prophanos discipulos credimus in diebus nouissimis suscit.*

Card. Vitricus de in. stit. Ord. Mi.

Regula Minorum penè mortuam suscitauit Religionem

Vita Fratrū Minorū tota apostolica.

Minorū Ordo cōtra Antichristum institutus.

suscitasse, &c. Hæc ille cap. 32. histor. Occiden. Vide eiusdem Epistolam ad Religiosos, & familiares suos Lotharingos.

Addamus modò Auctori Gallo Matthæũ Parisiũ Monachum Anglum, & ipsũ illorum temporum Scriptorẽ. Sub his diebus, inquit, Prædicatores, qui appellati sunt *Minores, fauente Papa Innocentio, subitò emergentes, terram repleuerunt*: habitantes in Vrbibus, & Ciuitatibus deni, & septeni, nihil omninò possidentes, de Euangelio viuentes, in victu, & vestitu paupertatem nimiam præferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt. Diebus autem Dominicis, & festiuis de suis habitaculis exeuntes, prædicauerunt in Ecclesijs Parochialibus Euangelium Verbi, edentes, & bibentes, quæ apud illos erant, quibus officium prædicationis impendebant. *Qui in rerum cælestium contemplatione tantò perspicaciores sunt inuenti, quantò à rebus præsentis sæculi, & carnalibus delicijs comprobantur alieni*. Nullum genus alimenti penès eos vsque in crastinum reseruatur, vt Paupertas spiritus, quæ viget in mente, actu sicut & habitu omnibus innotescat.

Quam perniciter in toto Orbe diffusus.

Eius exercitia.

Paupertas

Nicolaus Tertius Papa in sua Decretali: *Hi sunt*, ait, *sanctæ illius Regulæ Professores, quæ euãgelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus, actibusque firmatur*. Et inferius de eadem lege, ac regula subijcit. Meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit; *quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfectè viuere, per doctrinæ, & vitæ ipsorum alueos deriuarunt*.

Minorũ vita

Id ipsum quamplures Romani Pontifices testantur præter scriptores innumeros tam ex nostratibus, quam etiam, & ex alienis. Vnde nouissimè Cornelius à Lapide Societatis Iesu, citatus in nostra Hierarchia, scribit comment. in Acta Apostolorum, vbi de effigie S. Pauli cap. 2. virtute 5. §. 3. *Apostolos, imò Christum sequuntur, qui cum S. Francisco non in equis, & curribus, sed abeunt Pagos, & Vrbes pedibus euangeligando*.

Cornelij à Lapide soc. Iesu testimonium.

Duodenario Apostolicorum Discipulorum numero fundasse Ordinem Minorum, legemq. eidẽ dedisse B. Franciscũ (ita etiam Christus fundauit suam Ecclesiam cum duodecim Apostolis) præterquam quod cuncti penè Scriptores, tum antiqui, tum recentiores incompertum id habent, ipsa vniuersa, Catholicaque Ecclesia fatur hanc veritatem, quam veluti assertionem indubiam posuit in suo Breuiario, vt singulis annis ab omni clero legeretur, & crederetur in illis verbis supra memoratis propè finem præcedentis capitis, *cum duodecim socios adhibuisset* (Franciscus) *Ordinem Minorum instituit*. In Breuiario item nostro ad secundã lectionem secundę diei infra octauã hæc præcipua habentur: *Innotescente apud multos sublimi eius, sanctoque proposito tam ex doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ; cæperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem relictis omnibus, habitu, vitaque coniungi, quos & Fratres Minores vir humilis censuit appellari. Quorum numerus cum iam ad duodenarium excreuisset, disposuit Domini famulus cum illo simplicium cœtu Apostolicæ Sedis adire præsentiam, vt præostensam sibi à Domino normam viuendi, quam & breui sermone conscripserat, suppliciter, & instanter exposceret eiusdem Sanctissimæ Sedis auctoritate plenaria confirmari*. Vbi aduertenda accurata auctoris Breuiarij ab illis verbis, *quos & Fratres Minores*, &c. allocutio; nam antecedentia omnia sunt in legenda maiori D. Bonauent. qui postea composuit legendam minorem, eamque in officio S. Francisci per suas lectiones distribuit.

Partẽ huius sententiæ vide sup. cap. 1 in corpore

Vnde manifestè liquet, legem, regulamque suam Apostolicam, Euangelicamque iam antea scripsisse, quam Discipuli eius ad illum numerum duodenarium peruenerint. Nam in rei veritate cum post scriptam ipsam Regulã duodecimus Discipulus pergens vir sanctus cum vndecim Romam, in itinere illis adiunctus sit; approbatam deinde eamdem Regulam, quã vndecim scripserat, tradidit duodecim, vt ex dicendis patebit iuxtà ordinem historiæ, quem ex Vadingo dum rescribimus, additis breuibus analogiis, seu proportionibus inter duodecim Apostolos Christi & duodecim Discipulos Francisci, in paucis tantum discrepabimus. Cunctas tamen analogias, seu proportiones nomine societatum dabimus. Est namque societas fortunæ, & periculi participatio, quæ fit cum socium ad aliquod negotium gerendum nobis adiungimus. Vide Cicer. 1. Ver. Negotium redemptionis Ecclesiæ, à Christo cum duodecim Apostolis peractum, analogum est, ac valde persimile cum negocio reparationis eiusdem Ecclesiæ, vt ferè in toto opere isto liquebit. Igitur haud immeritò analogiã quamlibet vniuscuiusque Discipuli Sancti Francisci ex duodecim cum vnoquoque Christi Apostolo societatem nuncupare statuimus.

Quid nostra Societas.

†

SOCIETAS PRIMA.

B.Bernardi de Quintaualle cum D. *Petro Apostolo de Bariona.*

Primus ex duodecim

Quis hic prior Franc.Discipulus.

LEgislatoris Christi Apostolus *B. Simon Petrus,* Apostolorū Princeps. Sed Legislatoris Francisci, Christo Legislatori simillimi, prior Apostolicus Discipulus, primogenituræ titulo tempore, & merito condignus

B. Bernardus Quintaualle Assisias, vir nobilis, diues, & sapiens, cuius rectissimo consilio tota illa Vrbs regebatur. Hunc egregium, admirandumque conciuem Primogenitum suum, gaudens plurimum de eius præsentia, atque sanctissimis moribus, appellabat sæpenumero Franciscus. Hunc pariter Ordinem Fratrum Minorū fundasse, quam frequenter idem Legislator testatus est. Quare sicuti dixerat Simoni Petro Christus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersus eam, & quodcumque ligaueris, &c.* Ita quoque aliis verbis, sed in eodem tamen sensu fassus est Franciscus de suo Bernardo, Ordinis Minorum fundatorem ipsum appellitans, eique plenissimam tribuens auctoritatem recipiendi in Religione idoneos, repellēdique immeritos. Hic est ille electus, dilectusque Discipulus, qui cum Doctore nostro in serm.Sabbati ante Dom.2.quadrag.*Cognoscens se, & Deum, & discalceatus ab affectu temporalium*: iure quidem sicut Petrus interpretandus, haud iuxtà ethimologiam nominis, sed iuxtà plurimam in vitæ probitate imitationem. Nam Beatus iste Bernardus (*Nardus* sua dans vsque ad gloriosum obitum suauitatē odoris) omni perfectione, & sanctitate notissimus, multa extruxit Cœnobia Bononiæ, & alijs Ciuitatibus Lombardiæ, & innumeras animas Christo lucratus est. Tandem eius Apostolica, sanctissima, ac fragrantissima anima soluta vinculis carnis (iam hæc cū carne Apostoli Petri, non vt Petrus corporaliter, sed vt Paulus spiritualiter, imò cum carne Christi crucifixa annis 32.) euolauit in Cælum anno Domini 1241. miraculis illustris. Eius corpus candidum redditum vt nix, quasi ridere videbatur, pulchrius exangue effectum, quam cum esset viuum. Iacet in Ecclesia S.Francisci prope eius Altare, agiturque de eo in Martyrologio Fratrum Minorum die Iulii 10.

B.Petri Apost.& Bernardi analogia.

Simonis Petri nominis analogia.

B. Bernardi obitus,& sepulchrum

SECVNDA SOCIETAS.

B.Petri Catanei cum D. Andrea Apostolo.

Secundus ex duodecim

CHristi Apostolus, qui & Simoni Petro, germano fratri stirpe, patria, & vocatione coniunctissimus *B.Andreas.* Sed Francisci Discipulus alter, simul cum Bernardo Quintaualle compatriota in sua patria vocatus, quique soliditate Apostolica, nomenclatura, & virtute inclitus

Beatus Petrus Cataneus Assisias, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, licet nequaquā Sacerdos. Petro Christi Apostolo spiritnali fraternitate tempore reparandæ Ecclesiæ per imitationem copulatus, erat iste cum illo nomine, & constantia in studio virtutum, Francisci Discipulus iam effectus pariter & Petrus. Erat quoque & Andreas superlatiua fortitudine, ob quā breuissimè in Ordine Minorum Centurionis meritum B.Francisci oculis præsentauit, idoneus iam repertus, vt eius vicem sustineret. De Centurione aliàs ex Doctore nostro in serm.Dom.3. post Epiph. illis verbis: *Centurio, Militibus stipatus, significat Prælatum, vel quemlibet iustum, qui virtutibus tamquam Militibus debet esse vallatus, & munitus.*

Andreas, ex textu hebraico, fortissimus interpretatur, & B.Petrus noster (quem Apostolicum Andream si nuncuparem, minimè fallerem) ob eius validissimam, probatissimamque maturitatem, ac perfectionem, in Generalibus Comitiis Assisij anno Christi 1220. suffectus fuit à Beato Francisco, ablato Fratre Elia, vt vicem suam in toto Ordine gereret. Vita Apostolica fuit spectabilis in ea Cruce, quam (visam à longè in B.Francisci vita) lætanter complexus est, & in quam hilaris, & gaudens ascendens veluti misticus Andreas fortissimè, magnanimiterque pependit annis 12. In quorum cursu, ceu sol in moribus præclarus, omnique genere virtutum mirandum in modum locuplex, obiit sanctissimè Assisij an.1221. De quo illud memoria dignum, quod cū post eius transitum multa eaque præclara ederet miracula, nec possent Fratres ob populi ad eius Sepulchrum aduentantis frequentiam spiritui liberius vacare: Ea de causa apud B.Franciscum, tunc longius in quodam antro agentem conquesti sunt. Volens vir sanctus remedium præstare, accessit ad tumulum Defuncti, eique in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, vt à miraculis cessaret. Mira res! non secus ac si adhuc

B. Petri patria, vocatio conditio.

BB. Apostolus Petro,& Andreæ similis

Fuit Vicarius Generalis institutus à B.Franc.

Miracula in eius tumulo

Obedientia eius post mortem.

viueret, sibi obtemperauit obedientissimus Discipulus. Vide Auctores apud Martyrolog. citatum die Martii 10.

SOCIETAS TERTIA.

B. Aegydij Assisias cum D. Iacobo Apostolo.

Tertius ex duodecim

CHristi Apostolus *B. Iacobus*; sed Francisci Apostolicus Discipulus, peregrinumque Cõtemplatiuorum exemplar, qui & verè *Iacobus* in effera Mundi, carnis, & Satanæ supplantatione, iuxta Interpretis nostri doctrinam in ser. Dom. 2 Quadrages.

Eius professio, obitusq. miracula.

B. Aegidius Assisias, professione laicus, de quo alibi in Hierarchia nostra tom. 1. ad seriem Scriptorum. Obijt 1262. De eo Martyrol. nostrum die Aprilis 23. vbi aduertit nimis crassam allucinationem Iacobi Brussei cap. 30. in vita serui Dei Archangeli Scoti Cappuccini ex Faustino Distenensi; dum scribit ipsum B. Aegidiũ nullis claruisse miraculis. Contrarium quippe liquidò constat ex testimonijs Mariani, D. Antonini, Pisani, Marci Vlisipp. Surii, Sedulii, &c. quos refert Arturus die Aprilis 23. Eius miraculorum tesseram, non solum ante, sed post mortem, reperies apud Vadingum tom. 2. ad ann. 1262.

SOCIETAS QVARTA

B. Sabbatini Assisias cum D. Ioanne Euangelista.

Quartus ex duodecim

CHristi Apostolus *B. Ioannes Euangelista.* Francisci verò electus, & dilectus ille Discipulus, qui & requies nomine, & tranquillitas perfectione, & gratiarum cælestium vbertate Ioannes, & prædicatione, ac professione Euangelista,

Sabbatinus interpretatur requiei cessatio

B. Sabatinus Assisias. Quem dum Assiatem nũcupo, haud adeò certè assero, quin simul in Vadinghi Problema inciderim. Inquit enim sub nu. 17. tom. 1. ad an. 1209. Infra paucos dies quintum adiecit Dominus Francisco (quartum vult dicere, vt ex marginali apparet) Fratrem Sabatinum, ignotæ regionis, sed compertæ perfectionis, & sanctitatis virum. Adde & tu Vadingo, & verum Ioannis Euangelistæ simulachrum, assumptum à B. Francisco, ductumque ad Montem visionis. Ait namque Doctor noster in Dom. de Transfiguratione: *Assume & tu Ioannem, idest Domini gratiam, quæ stat ad ostium, & pulsat, vt te illuminet, ad cognoscendum mala, quæ fecisti; & te conseruet in bono, quod incepisti.*

Fuit Ioannes Euangelista imitatione.

In hunc modum assumpsit secum Ioannem, & imitatione Ioannes factus est Sabatinus noster, qui post adeptum magnarum virtutum cumulum (sequitur Vadingus ibidem) & amplum charitatis augumentum, feliciter cursum suum consummauit. Parua certa fide digna de ipso scripta inuenio. Eius corpus in Vrbe in æde Araceli iacere, affirmant Author Speculi vitæ S. Francisci, Marianus, & Rodulphus; licet Gonzaga agens de prædicta æde, solos Iuniperum, & Electum B. Francisci socios ibi iacere scribat: sed errasse circa nomen iudicauerim. Electus enim Martyrio coronatus est in Africa, vt suo loco ad ann. 1219. dicemus. Hæc ibi Vadingus. Inferius deinde ad num. cit. 1219. sub num. 14. loquens de itinere B. Francisci in Orientem; deque duodecim sociis, quos sibi delegit. Duodecim sibi (inquit) assumpsit Comites, è quibus hi signantur ex nomine. Frater Petrus Catanetii, Fr. Barbarus, Fr. Sabatinus, Conciues, & ex Discipulis primis: Fr. Leonardus de Assisio, & Illuminatus Reatinus. Si ergo illi tres primi conciues erant, igitur Frater Sabatinus, vel patria Assisias fuit, vel ignotæ patriæ quod si vtrumque affirmabimus, id problematicè diceremus. De B. Sabatino agit Arturus die Februarii 2.

Eius sepulchrum in Araceli.

De eius patria problematicè scribitur.

SOCITAS QVINTA.

B. Morici Vrbeuetani cum D. Philippo Apostolo.

Quintus ex duodecim

CHristi Apostolus *B. Philippus*, Francisci verò Discipulus in mistica *Bethsaida*, scilicet *Domo frugum* cælestium cum Philippo spiritualiter bis natus, nobilem pristinæ professionis Crucem ferens, & in nobiliorem Crucem commutans

Ordinẽ Cruciferorũ antea professus est

B. Moricus, alius Mauritius Vrbeuetanus. Hic primo *Ordinem Cruciferorum* amplexus, ac professus est eo tempore, quo Beatus Franciscus rediret ex Marchia, non modicam adeptus vbique sanctitatis opinionem. In Xenodochio hospitum, & peregrinorum S. Saluatoris Parietum, siue ex Gonzaga par. 1. de Viris Illustribus Parentesi propè Assisium, infirmus ad vltimum vitæ cum esset, se commendans efficaciter per Nunciũ B. Frãcisco accepit vir sanctus panis micas, & oleo lãpadis cõmixtas, quæ ante altare Virg. ardebat per duos socios afferre

Occasio profitendi legẽ Minorum.

afferre curauit, ita dicens (teste Bonau. cap.4. legendæ, vbi mentio de B.Morico post approbatam Regulam, relicta ab eo chronologiæ serie) *Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico, quia ipsum Christi virtus non solum plenè sanitati restituet, verum etiam robustum effectum aciei nostræ perseueranter adiunget.*

Statim, vt antidotum illud Sancti Spiritus adinuentione confectum æger homo gustauit, sanus exurgens, tantum mentis, & corporis à Deo vigorem obtinuit, vt paulò post viri sancti Religionem ingressus, vnica tantum, vilibus pannis repetiata, operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, & crudis dumtaxat cibarijs, herbis videlicet, leguminibus, fructibus contentus, per plura temporum lustra, nec panem gustaret, nec vinum; fortis tamen, & incolumis perseuerauit vsque ad mortem. In hunc modum vti verus Christi Miles *habuit* Mauritius noster, teste Interprete nostro serm. Dom. 22. post Trinit. *Equum bonæ voluntatis, sellam humilitatis, stapedas constantiæ, calcaria gemini timoris, frænum Temperantiæ, clypeum Fidei, loricam Iustitiæ, galeam salutis, lanceam Charitatis.* Sic more Apostolico loricatus, & penè nudus, ceu alter Philippus Scythicam vitiorum barbariem plenissimè destruxit, atque omnem ferè virtutum Rempublicam ad Seraphicam perfectionem flexit.

Sic effectus est robustus bellator.

Arma equestria militiæ Christi

Plura de hoc sancto viro distribuit Vadingus per sua tempora, vti indigitat sub num.18.ad an.1209.Fuisse Vrbeuetanum, insimul cum B.Ambrosio eius Discipulo, colligo ex eodem ad ann.1216. num.21. illis verbis: *In Vrbeuetano Conuentu floruerunt B.Ambrosius, & Moricus, ibidem prognati.* Expressius ad ann.1236. vt mox dicemus.

Fuit Vrbeuetanus.

Vrbs vetus erat antiquitùs Prouinciæ Romanæ Custodia, sed B.Pisanus ait de B.Ambrosio, cui B.Moricus Magister extiterat, vt ipsemet fatetur immediatè. *In Vrbe veteri iacet Sanctus Frater Ambrosius de Massa, oriundus de Ciuitate Massa. Huic Fratri Morico* (subdit cap.sequenti) *dum Natiuitas Christi esset die Veneris, & de carnibus comedendis esset quæstio, & Frater Moricus diceret, quod non essent comedendæ propter diem Veneris, & hoc fuit ante confirmationem secundæ Regulæ, B. Franciscus dixit, peccas Frater Morice, diem Veneris vocans diem, qua natus est Puer Iesus nobis. Volo,* inquit, *quod parietes tali die comèdant carnes, si fieri potest, vel deforis liniantur;* sed de hac re paulò infra cum Arturo.

Non concordat Pisanus.

Quæstio inter Franc. & B.Moricum

Obijsse B.Mauritium anno 1236. clarũ miraculis, Arturus prodit, citans Vadingum ad annum eundem sub num.8. Sed Vadingus non videtur ibi loqui de obitu Morici, sed de eius sepultura in Cœnobio Vrbeuetano ad Centum Cellas, *in quo,* ait, *requiescit cum B. B. Ambrosio eius Discipulo* & concine, & Seuerino, qui mirabilium etiam gloria coruscauit.

Tria dubia examinat in vita B.Morici, quem & Mauritium nuncupat Arturus. In priori concordans dissidium nonnullorũ, demonstrat, haud duos fuisse Moricos, seu Mauritios, sed vnum, qui & Paruulus cognominabatur propter humilitatem, ob quam etiam B. Franciscus in extremo vitæ postquam dixerat, *Ego Frater Franciscus paruulus vester,* sic deinde clausit totũ suum testamentum post datam fratribus, & filiis suis præsentibus, & absentibus, & futuris benedictionem. *Et ego Fr. Franciscus paruulus vester, & seruus confirmo intus, & foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.* In posteriori dubio, quod est de Morici sepultura, resoluit, tumulatum esse in Vrbe veteri. In tertio denique dubio circa quæstionem prædictam de comestione carnis in die Natalis Domini, si occurrerit in die Veneris, respondit, circa rem hanc euitandam esse relaxationem, &c. Recentiores nonnulli ex nostratibus, & ex strictiori obseruantia pauci ab hinc annis excitauerunt istam disputationem, sed vtrũ id prudenter fecerint, vel necne, alij iudicent. Immemorabilis consuetudo in contrarium iam viget inter nos, nec sine exemplari soliditate, & constantia.

Responsio Arturi ad tria dubia de B. Morico.

SOCIETAS SEXTA.

Fratris Ioannis Cappella cum D.Bartholomæo Apostolo per antiphrasim.

Sextus ex duodecim

CHristi Apostolus *B.Bartholomæus,* Frãcisci verò immeritus Discipulus, nũcupationi, ac professioni degener, ac veluti alter Antibartholomæus.

Ioannes Cappella, cuius synopsis modò conscribenda est, dum principio monet Interpres noster Lectorem in ser. Dom. 4. in Quadrag. *Quod Deus dat temporalia, & corporalia malis, ne efficiantur peiores, vt sunt praui latrones, vsurarij, &c.* Bartholomæus interpretatur *filius suspendentis aquas,* & Diabolus, perditionis filius, & perditorum hominum parens æterno supplicio suspẽdit eas aquas, in quibus creatus fuit: ait enim Doctor noster in Dom.14. post Trinit. *In aquis gratiæ infusio,* & D. Augustinus loquens de Spirituum cælestium creatione: *Erat Deus,* inquit, *condens naturam, & largiens gratiam.* Contra verò Bartholomæus, in Christi Apostolatu iam Dei filius

Nominis Bartholomæi interpretatio.

lius per gratiam, atque illius suspendentis aquas effectus est, qui aquas mundanæ sollicitudinis, necnon & perfluxibilis cōmodi, horum abnegationis, ac renunciationis damnauit ad furcas. Quod contra accidit *Ioanni Cappellæ*, qui cum sextus esset in catalogo duodecim Francisci Discipulorum, similis tamen duodecimo, aut vltimo Apostolorum Christi, nimirum *Iudæ Ischarioti* inuentus est.

Quis, & qualis Ioannes Cappella.

Fuit namque vir nequam, datus in reprobum sensum, qui scelestam vitam infami morte conclusit. Quæ rerum necessariarum dabantur fratribus eleemosynæ, huic in communem vsum erogādæ committebantur. Curam assumpsit, vt ait Marianus, & Rodulphus, quos citat Vadingus sub eodem anno 1209. ad num. 19. procurandi quæ communi victui deesse videbantur, sæpius tamen repræhensus à B. Francisco, quod nimium ponebat in hisce rebus acquirendis solicitudinem, & vltra veram necessitatem plura cumularet, nimium se terrenis, & immoderatæ sęculariū familiaritati immiscens, nequaquam acquieuit.

Laxus in regulari disciplina.

Nimis laxus in disciplina regulari, vitā non componebat ad salutaria sui Institutoris monita, Melior est puer, pauper, & sapiens, quam Rex, senex, & stultus. Qui nesciuit prouidere in posterum, Eccl. 4. Vbi Interpres noster Dom. 1. post Trinit. *Diabolus sapientiam sibi datam inter Angelos non seruauit, quia conditori suo subijci noluit: cuius membra efficiuntur qui iugo obedientiæ pro obedientis vsque ad crucem nomine subijci renuunt. Toties Apostatæ Angelo similis efficeris, quoties tuo superiori contumax obedire contemnis. Non hominem, sed Deum contemnis, qui homines super capita hominum posuit.*

Ex birettorū abusu dictus de Cappella.

Abusum introduxit in Religionem hic inobediens, infelixque Minorita *pileorum*, seu, vt antiquarum legendarum barbaris vtar vocabulis, *almutiorum*, *vel biretarum* Hinc cognominatus *de Cappella*, quia tunc per Vmbriam *Cappella* patrio nomine dicebatur pileus. Fœdam ei prædixit infirmitatem Franciscus, & miserum interitum. Vtrumque expertus est: nam horribili coopertus est lepra, quam dum patienter ferre nolebat, pauperibus consciis valedicens, in desperationem actus, se dedit in furcas, & miserè laqueo se suspendit, & vitam sibi ipse finiuit.

Hic inobedientiæ, relaxationis, & nimiæ circa terrena sollicitudinis finis.

SECTIO II.

Pia supra deplorabilem Ioannis Cappellæ interitum ex Episcopo Senogagliensi & aliorum consideratio.

ET ingressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium, Matth. 22. Vbi Glossa, quam affert Interpres noster serm. Dom. 20. post Trinitatē: *Sicut Ecclesia inter Cœlum, & Infernum est, ita indiscrete bonos, & malos recipit, scilicet Petrum, & Iudam, oleum, & amurcam, quæ est fex olei à mergendo dicta; granum, & paleam, quæ dicitur à pala, eo quod pala ventiletur, vt frumenta purgentur. Pala diabolicæ suggestionis paleæ, idest peccatores ventilantur, contra quos dicitur Eccles. 5.* Non ventiles te in omnem ventum, & ne eas in omni via. *Quæ est superbia, à qua omnes viæ Diaboli procedunt* Iob. 48. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Horum vnus extitit infelix ex nostris Ioannes Cappella.

Dei iudicia horribiles in Religiosorum lapsus

Meditatus est pijssimus Senogalli Prælatus, in Collegio duodecim Apostolorū *Iudam Ischariotem*, & in Societate Apostolorum virorum Francisci *Ioannem Cappellam*, illi persimilem, & in hæc puncta religiosum calamum protraxit.

Primò. Permitti aliquando à Deo in quibusdam etiā perfectis sodalitiis vnius, vel alterius lapsum, tum propter eorum demerita, tum propter nostram doctrinā, vt insigni perditorum exemplo discamus ob vnius hominis delictum, non contemnere vniuersorum sodalitium, & communem viuendi regulam.

2 In Cælo omnes illi Spiritus sunt boni; in Inferno omnes sunt mali. In terra verò tamquam in media aeris regione, in qua generantur grandines, vel fulgura, boni simul, & mali vitam agunt. Nulla sanctior in Mundo Cōgregatio, quam illa Apostolorum, in qua iniquissimus Iudas inuentus est. Nunc sagena Ecclesiæ bonos, & malos compræhendit; ita quoque Religiosorum Monasteria boni, & mali habitant.

In Monasteriis boni, & mali.

3 *Quid ergo mirum, si in Collegio Sociorum B. Francisci Ioannes Cappella formidabile sui reliquit exemplum? Qui salutari consilij tanti Patris oblitus, mandata eius neglexerit? Natura enim vitiorum est, illuc velle reuerti, vbi primò steterunt.*

4 *Sed admiratione dignum est, quod abijt in locum suum; & in aere crepuit medius, arearum collega potestatum, sicut Iudas, quem nempè veri Dei, & veri pariter hominis (qui de Cœlo venerat operaturus salutem in medio terræ) proditorem nec Cœlum recepit, nec eum terra*

terra sustinuit. Hactenus Senogallensis Antistes. Vera admodum quoque ad idem propositum illa obseruatio Volaterrani de Francisci ad Christum similitudine. *Conseruatoris nostri (*inquit lib. 3. Antropol. S. Fran.*) ferè per omnia typum gessit.* Etenim ex Beato Pisano apud Vadingum cit. num. 21. Christiformis Franciscus in natiuitate, vita, & exitu (quantum licuit creaturæ Creatori, & pauperculo seruo omnipotenti Domino) quam humiliter apparuit, *ita etiam in tam peruerso Discipulo*, ait Antonius apud eumdem, *Christo conformetur*.

Cōformitas Francisci ad Christum ex malo etiam discipulo.

Nihil magnum, nec præclarum in malo assimilari Discipulo. Præclarius non habuisse, nec sanctam fœdari societatem iniqui hominis impietate, cuius opprobriū in omnes sodales se diffundat. Dum scelera malorum referuntur, non tam hunc, vel illum proprio nomine iniquè egisse, quam Frāciscanum peccasse communiter dici videmus, per quod & instituto, & institutori quantum licet appellatione hac absoluta exprobari contingit.

At non laudatur hoc Francisci Collegiū à malo, sed quod in malo insignem habuerit similitudinem, ex qua intelligatur, *quam similis fuerit Minorum infantia Sacrosanctæ Ecclesiæ primordijs.* In vtroque autem collegio ideo permisit Christus, vt mali inter bonos caderent, vt boni mali fierent: dum de sancti sodalitii perfectione securitatem sibi promitterent, & inde ruerent, vnde perseuerandi habebant occasionem. *Melius esse (*teste Augustino de dono perseuerantiæ tom. 7. cap. 8.*) nescire quosdam non perseueraturos certo numero Sāctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus* 1. Corinth. cap. 6 Quapropter, qui videtur stare, videat, ne cadat. Pluries ea tempestate exclamauit è suggestis, & pergamis Doctor noster, atq. Apostolicus Præco Antonius de Padua in die Parasceue his verbis: *O quot hodie Iudæ Schariotes (qui interpretatur merces) qui mercede alicuius commodi temporalis vendunt Veritatem, osculo adulationis proximum tradunt, & sic vltimo laqueo se suspendunt æternæ damnationis.* Hi plurimi Iudæ in omni hominum statu per allegoriam tantummodo, sed Ioannes Cappella vnicus in Francisci in illius infantia collegij, quemadmodum vnus Iuda in Christi Apostolatu reapse. Commiscuit Apostolis suis sanctissimis *Iudam* Christus, vt notesceret nec in Apostolatu securè nimis torpendū. Commiscuit & primis Apostolicis Franciscanis iniquum hūc *Ioannem*, vt qui huic instituto quantumuis perfecto se deuouerint, ne propterea se in tuto positos putarent. *Qui videtur stare, videat ne cadat.*

Minorū infantia Ecclesiæ infantiæ persimilis.

Plurimi Iudæ Schariotħ similes

Loco Ioānis Cappellæ suffectus est ceu alter Matthias, atque in pluribus B. Bartholomæo Apostolo, & ipsi Matthiæ consimilis *Beatus Gulielmus Anglus*, vitæ sanctitate clarissimus. Quippe qui plura perpetrans adhuc inter viuos, prodigia, ac miracula, meruit locum duodecimum, supplens senarium numerum possidere; & diuino consilio anno Christi 1212. vndecim Francisci Discipulis connumerari. Obijt sub generalatu Fratris Eliæ ab Ossaria in Vrbe Assisij, sepultusque est in Ecclesia inferiori magni Conuentus. Vbi cū plurimis, egregijsque corruscaret miraculis, mira sanctæ obedientiæ virtute iussus ab eodem Elia, ne quicquam gloriæ S. P. Francisci suis prodigiis detraheret, vt à patrandis miraculis cessaret; nullum edidit deinceps. Vading. tom. 1. 1212. num. 33. Verè Anglicus, idest Angelicus, dum vni, qui inter suos Apostolicos Discipulos Diabolus erat, vt impleret locum illius, & ille abiret in locum suum, ipso prouidit Deus. Vide infra ad ann. 1212. in cap. 2. libri 6.

B. Gulielm. Anglus loco Ioann. Cappellæ.

Similis Beato Petro Cataneo miraculis, & obedientia

SOCIETAS SEPTIMA

B. Philippi Longi cum Diuo Matthæo Euangelista.

Septimus ex duodecim

CHristi Apostolus, qui & Euangelista *B. Matthæus*, Francisci verò Discipulus, *dierum* bonorum *longitudine* iuxtà sui agnominis omen auspicatus, qui & Matthæus, scilicet *donatus*, sed non aliunde, nisi è Cælo,

B. Philippus Longus Oppidanus ex valle Reatina. Hic post sextum locum Ioannis Cappellæ, septimo loco immediatè in eius Apostolico Sodalitio à B. Francisco annumeratus est. Vterque numerus, sextus scilicet, ac septimus tam numeraliter apud Arithmeticos, quam misticè apud Auctores sacros, diuinarumque scripturarum Interpretes (teste Doct. nostro pluribus in locis) maximæ perfectionis argumētū semper extitit. Completissima vtique imperfectione (iuxta illud axioma, *contrariorum eadem est disciplina*) illum numerum sextū, quem indignè occupauerat, Iudæ exhibens similitudinem, in infaustum pronosticum, sibi soli pernocuus, commutauit Ioannes Cappella. B. verò Philippus Longus noster, illi immediatus perfectioni septenarii numeri adeò apostolicè correspondit, vt eius subsequens faustitas eam

Ioannis

Ioannis Cappellæ infanstitatem penè obliterauerit, abstuleritque.

Magna eius sanctitas

Vir fuit (inquit Bernardus à Bessa Aquitanus, Sancti Bonauenturæ socius in Catalogo Generalium sub 1. Generali) tantæ perfectionis B. Philippus, quod veluti alter Isaias in Franciscana Ecclesia calculo ignito per Angeli ministerium labiorum acceperit munditiam. Erat illiteratus, & nihilominus per donum intellectus profunda scripturæ sensa rimabat, & altiora penetrabat misteria. Mira de rebus spiritualibus voluptate loquebatur.

Primus fuit in pauperū Dominarum cur.

Primus fuit (ait Vading. num. 28.) sui sodalitii, cui institutor commiserit curam pauperum Dominarum Sancti Damiani. Verum istam commissionem ex Sancti Patris mandata minimè deriuasse, sed procurante apud Cardinalem Protectorē Hugolinum, qui eum instituit auctoritate Pontificia, ipso Philippo, inconsulto Frācisco, licet ob bonum zelum, & religiosam pietatem, demonstrat Arturus die Martii 14. §. 12. vbi adducit hæc verba B. Francisci ad eumdem Philippum: *Malè fecisti, frater Philippe, male fecisti. Hucusque fistula fuit in carne, eratque curationis spes, sed nunc in ossibus radicata, euasit incurabilis.* Vide eum, & quotquot adducit ibi Auctores.

Missus à B. Francisco in Gallias, miro spiritus feruore vbique concionabatur, & suæ eximiæ virtutis signa relinquebat. Sic eius Apostolica professio mirum in modum sui nomini respōdit: inquit enim Interpres noster Dominica in Ramis palmarum. *Philippus os lampadis, in quo doctrina cum operibus exemplaribus.* Expleto beatæ vitæ cursu, sāctissimè obiit apud Montem Ferrandum in Aruernia Galliæ Prouinciæ circa annum 1259.

Vbi autem obierit controuertitur.

Perusiæ obiisse, & virtutibus clarum, ac prodigiis, scribit Vadingus tom. 2. 1259. sub num. 9. quod non ita esse probat Arturus citatus ibidem §. 8. Floruisse Grecii in Italia anno 1246. affirmat Tossinianus; id tamen minimè obstare, quin pro cōperto asseri possit; obiisse apud Montem Ferrandum prædictum, idem Arturus loco citato declarat.

Hi septem Apostolici Discipuli fuerūt, quos rediens Assisium Franciscus, miro studio, & præsaga charitate in cunctis spiritualibus erudiuit exercitiis. Statuit eos mittere prædicandum, vt præterea sermonem ad eos habuerit, ei valdè similem, quem fecit Christus suis Apostolis, mittens eos ad prædicandum *Euangelium omni creaturæ. Ite*, inquit *dulcis Pater ad filios, annunciantes hominibus pacem. Prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes. In orationibus vigiles. In laboribus strenui. In sermonibus modesti. In moribus graues; & in beneficijs grati. Quia pro his omnibus Regnum vobis præparatur æternum. At illi coram seruo Dei humiliter se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant Obedientiæ sanctæ mādatum. Ipse quoque dicebat vnicuique singillatim.* Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Psal. 54. Hoc verbum dicere solitus erat, quotiescumque fratrē aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc & ipse sciens se datum alijs in exemplum, vt prius faceret, quam doceret, cum vno sociorum versus vnam Orbis partem perrexit, reliqui sex ad modum Crucis tribus alijs Mundi partibus deputatis.* Vide Bonauent. cit. in cap. 3 & Legendam antiquam Thomæ Celani, illis sanctis viris coetanei, necnon legendam trium sociorum apud Vadingum loco cit. tom. 1. vbi per extensum de præfato sermone Viri Sancti ad hos septem Discipulos, ac primorum Minoritarum conuersatione, atque de ijs, quæ itinerando per circumuicina loca ipsis euenerunt, maximè dum molestè, ac durè à quibusdam tractabantur; & quomodo nonnulli ob eorum Christianam, atque Apostolicā Patientiam, ac mansuetudinem in aduersorū tolerantia allecti, ad eorum sodalitatem se adiungere peroptarint. Sequuntur modò alii quatuor, quos ipse Franciscus ad suum Discipulatum admisit vsque ad numerum 11. Scribens deinde cunctis primam Regulam, quam postea vt confirmatam à Sede Apostolica tradidit duodecim, sicut infra dicemus. Primus ergo è quatuor aliis præfatis septem, additus in ordine octauus, sic se habet.

Hos septem Discipulos misit Franciscus in omnem terram.

Quomodo mittebat suos in omn. terr. Franc.

SOCIETAS OCTAVA.

Beati Constantini cum D. Thoma Apostolo.

Octauus ex duodecim

CHristi Apostolus *B. Thomas*, Francisci verò Discipulus constans, haud nominis appellatione solum, sed Apostolica perfectione simul.

Beatus Constantinus, siue vt aliis placet, Ioannes de Sancto Constantio, Comitatus Assisij. Qui merito, ac multis titulis *cum Apostolo Thoma Abissus, & geminus* in Dei gratia interpretandus. Nam quamuis esset vir simplex, magnæ tamen sanctitatis, profundæ humilitatis, & ingenuæ sinceritatis, & charitatis extitit. Ipse Thomas in humilitatis abysso erat, & per consequens in propria æstimatione Publicanus ille Euangelicus, de quo Lucæ 18. *Descendit hic iustificatus in domum suam.* Vnde

Abyssus, & geminus est Apost. Thoma fuit.

Vnde Bernardus apud Doctorem nostrum serm. Dom. 11. post Trinit. *Publicanus, qui se exinaniuit, & vas vacuum exhibere curauit, ampliorem gratiam retinuit*, Id, quod abissali vacuitati profundæ humilitatis B. Constantini nostri, siue Ioannis singulis diebus contingerat, quemadmodum, & eius Apostolicæ, ac Seraphicæ charitati: per quam & *Thomas* quoque erat, idest *geminus*; nam *Charitas* (teste Doctore nostro pluribus in locis) *gemina virtus est*. Felix Discipulus, qui miris virtutibus insignitus, maximè ex consortio S. Patris Francisci, cui amantissimus socius fuit, plenus meritis, & sanctis operibus, obiit Assisij, sepultusque est apud Portiunculā. Vide Vadingum sub num. 37. & Martyrol. nostrum die Decemb. 1.

Charitas virtus gemina

SOCIETAS NONA.

B. Barbari Assisias cum D. Iacobo Alphei Apostolo.

Nonus ex duodecim

CHristi Apostolus *B. Iacobus Alphei*, Discipulus verò Francisci, ac frater Domini cum Iacobo, non carnali affinitate, sed spirituali, & in corporis, & carnis illecebras supplantatrice, atque bellatrice paupertete ferox,

B. Barbarus Assisias, præcipuus Paupertatis amator. Hanc beatissimam, altissimamque virtutem inter octo beatitudines euangelicas Principem, atque Antesignanam verbo simul, & opere, veluti thesaurum incomparabilem in Cælo reconditū extollebat hic pauperrimus, ac verus S. P. Francisci Discipulus. *Barbarus* simul, & *Iacob* in vitia, & in seipsum, præter mantellum, habitum, & cordam, nihil penès se retinuit. Ipsam illam pinguem, seu crassiorem lacernam adeo pannicularīam habebat, vt non integrum diceres habitū, sed assuta inuicem multa præsegmina. Sciebat iuxta illud Interpretis nostri doctrinam in serm. Dom. 2. post Trinitatem: *Pauper dictus, quia parum imperans, vel parum habens*; & maximè in paupertate spiritus Ordinis Minorum; vbi solus rerum pauperrimarum vsus, singulis fratribus seorsim concessarum, & nihil aliud permittitur.

Mirus amator paupertatis.

Pauper vnde dictus.

Hinc meruit humeris suis huius incliti Minoritæ paupertas gestare C[illegible]stum, eique veluti nouus in Discipula[illegible] [illegible]isci *Iacobus* Serafica affinitate coniun[illegible]. Et quia, vt scribit Vadingus sub num. 36. in conuersatione supra quam dici potest humilis, & mitis erat, portabat etiam Christum in corde. Item quia in charitate erga proximos feruentissimus Barbarus noster euaserat, in oratione assiduus, in corporis maceratione austerus, illud Spōsæ Cant. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur*, heroicis hisce virtutibus heroico carmine ipse continuò decantabat. Ait enim Doctor noster Dom. infra octauam Natiuitatis, Iesum infantulum inter eius parentes ad Templum contemplans: *Paupertas in humeris, Humilitas verò ad pectus, & in brachijs portat Christum*. Fasciculus myrrhæ, &c. *In hoc diminutiuo* fasciculus *Humilitas*, in myrrha, *Dominicæ passionis amaritudo designatur. Cor est inter vbera, quasi dicat humilis sponsa. Porto dilectum meum in corde, Iesum Christum fasciculum myrrhæ, idest humilem Crucifixum, vt sim humilis corde, & cruci cū ipso affixa corde*. Ex his statim concludit propositam thesim, sic dicens: *Paupertas ergo, & Humilitas deferunt Christum ad Tēplum, idest quoadusque veniat ad cælestis Hierusalem Templum*.

Eius virtutes.

Paupertas, & Humilitas portant Christum.

Quod perfectissimè in Barbaro nostro verificatum est per totam eius vitam. Nam decessit in sua *Paupertate* ditissimus, in sua *Humilitate* altissimus, in sua *Charitate* feruētissimus, in sua *Oratione* assiduissimus, & in sui corporis *Mortificatione* intentissimus, circa ann. Domini 1232. Eius sepultura in Vrbe Assisiate, vel in Conuentu S. Francisci, vel apud Portiunculam secundum alios cum Gonzaga, qui perperam duos Barbaros, omninò diuersos commemorat. Vide Martyrolog. nostrum die Maii 14.

Non duos, sed vnum Barbarum habemus

Abiturum in Orientem Franciscum, Barbarum hunc Beatissimum elegisse in socium cum reliquis vndecim, iam superius tetigimus in B. Sabatino. At illud sanè in eo itinere memorandum in exemplum mortificandæ linguæ de hoc sancto viro, quod refert Vading. ad ann. 1219. sub num. 56. Peruenit Parens Seraphicus Anconam cum sociis, & inde soluens Naui, in qua conscenderat, Cyprum; Barbarus iræ impatiens (id quod compositos quosque homines extra se sæpius rapit) dubius aliquod verbum in vnum ex sociis, præsenti, & audienti nobili quodam viro effutiret. Iam sciebat Apostolicus iste Discipulus quid monuerat suus Iacobus Apostolus in 1. Epistola Canonica illis verbis: *Sit omnis autem homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram*. Super quem textum ita Interpres noster serm. Dom. 6. post Pascha, reddens rationem: *Quia impedit ira animum, ne possit cernere verum. De qua Philosophus. Quo minus prasseris iram, eo magis prameris ab ira. Iracundus cum irasci desierit, tunc irascitur sibi, &c.*

Lapsus linguæ ex subita impatientia.

Iracundiæ damna.

Quod exemplo suo probauit deinde B. Bar-

B. Barbarus, qui fortè inculpabiliter, motu scilicet valde subitaneo, atque indeliberato in illum iracundiæ lapsum cecidit. Statim namque in se reuersus (subdit Vadingus ibidem) considerans malum à se ministratum exemplum, excremento vilis animalis ore appræhenso, & dētibus comminuto, in ipso commotionis loco coram fratribus, & sæculari, *Iustum est, inquit, vt stercore repleatur os, quod in fratrem peccauit.* Cur, quæso, voluit modo illo, adeo sordido, ac valde excedenti Barbarus noster linguam suam mortificare, si poterat satisfacere in omni, quotiens genuflexus coram fratre offenso, & alijs, se in eum peccasse culpam suam palam ex corde dixisset? Responderem ipse ex mellifluo D. Bernardi ore in benedicta Doctoris nostri lingua ita resonante super Epist. præfatam D. Iacobi: *Quis numeret quantas modicum lingua membrum attrahat sordes? Quā multiplex in labijs incircumcisis immunditia coaguletur? Quanta sit pernicies hominis incircucisis labys?* Vide eum serm. Dom. 4. post Pascha. Felix Barbarus noster, qui (etsi forsan haud maculata anima indignatus sit lapsu linguæ in fratrē, attamen sordido excremento os suum correxit, vt ostenderet eo, immunda fieri labia, quæ offendunt Deum in proximum, paremq; castigationem promereri) ex eius tam insueto emendandæ, reprimendæque linguę exemplo, magnam laudem consequutus est. *Quo facto,* sequitur statim Annalista, *& fratri vltra condignum satisfecit, & Herois animum ita deuicit, vt suum, & seipsum in fratrem obtulerit obsequium.*

Rarum mortificādi linguæ exēplū.

Sordes linguæ plurimæ.

Pœnitentia validior culpa.

SOCIETAS DECIMA.

B. Bernardus de Viridante cum D. Simone Zelotes Apostolo.

Decimus ex duodecim

CHristi Apostolus *B. Simon Zelotes*, Discipulus autem Francisci, obediētia Minorica Simon, perfectione Apostolica Zelotes, hoc est *æmulator*, atque in horto Fratrum Minorum pretiosus nardus, virensque *Palma, quia cortice Paupertatis in hoc mundo asperus, sed in Cælo pulcher, & gloriosus*, teste Doctore nostro ser. Dom. 3. Quadrag.

Beatus Bernardus de Viridante, siue vt vult Rudolphus apud Vading. cit sub numer. 37. *Bernardus Vigilantius*. Quem adeò vigilem factum, ait, in laboribus, & animæ curis, vt minimè somnis crediderit, sed sacris vigiliis magnum sibi sanctitatis nomen promeruit. Eum raræ perfectionis virum dicit Marianus, & in cunctis virtutibus excellentem, studiosum B. Francisci in omnibus, præcipuè in *Patientia*, sectatorem. Et meritò quidem in Patientia, nam in ædificio animæ nostræ, teste quoque Doctore nostro serm. fer. 6. hebdom. 2 in Quadrag. *ponuntur exempla Sanctorum, vt fortitudo quasi lapis solidus, vel quasi columna ad sustentandum*, Apocal. 3. Qui vicerit faciam columnam in Templo Dei. *Patientia quasi lapis quadratus multis tuntionibus*. 1. Petr. 3. Et ipsi tamquam lapides viui superædificamini domos spirituales. *Humilitas quasi ostium, &c. & quasi trabes ad ligandum parietes*. In hunc modum per Patientiam Religiosus solidat, firmatque perfectionis molem; quod enim quadrum est, constans & firmum est; idcircò Ciuitas in quadro posita Cælorum Regnum dicitur Apocal. 20. In ista Patientia, soliditate, ac firmitate patiens ridet in aduersis, deridetq; sedato pectore cuncta Satanæ molimina. *In Misach*, ait Doctor noster Dom. 22. post Trinit. *qui interpretatur quis vt risus, Patientia, quæ ridet in tribulatione*. Sic cum Tobia cap. 1. vir latens erit, *nam ille latet, qui vt verus patiens patienter iniuriam sustinet; Qui inter aduersa non murmurat. Qui in prosperis non exultat. Qui à tumultu sæcularium cogitationum in conclaui conscientiæ quietus residet.* Ita Doctor noster serm. Dom. 15. post Trinit.

Eius patientia maxima.

Patientia lapis quadratus.

Verus patiēs latet cum Tobia.

Multis claruit in vita miraculis Vigilantius noster, obiitque apud Sanctam Mariam de Angelis. Gonzaga 1. parte in beatis viris Ordinis Minorum duos omninò diuersos refert Beatos Bernardos his verbis. Frater Bernardus Viridantius in Ecclesia S. Mariæ de Angelis propè Assisium tumulatus, B Bernardus Vigilantius de Vida, socius S. Francisci. Ast Beatus Bernardus Viridantius, seu à Viridante, vel Vigilantius, propè Assisium conditus socius extitit S. P. Francisci, vt communiter fertur. Hunc tamen idem Gonzaga par. 3. in Conuentu S. Francisci Cæsaraugustæ, qui est secundus Prouinciæ Aragoniæ, asserit vna cum Marieta ibidem in Hispania obiisse, ac sepultum esse.

Vtrum fuerint plures Bernardi.

Istam confusionē tollit Arturus noster dicens, quod vel ille Hispanicus B. Bernardus alius est ab ipso socio præfato Sācti Francisci, iuxta Vading. tom. 2. ann. 1278. num. 37. alii etenim Discipuli Sancti Francisci, ab eo in Hispaniam missi leguntur, vti Frater Bernardinus de Numanalis, Bernardus de Mortaria, & Bernardus de Contemporaneis apud ipsum Vadingum tom. 1. ann. 1216. num. 1. & 1219. num. 32. vel quod vnicus est B. Bernardus à Viridante, de quo duobus in locis inueniuntur sacræ reliquiæ, propter quas creditus est

Tollitur cōfusio à Martyr.

est propè Assisium, & Cæsaraugustæ totus iacere sicut frequenter in aliis Sanctorum reliquiis euenire cernimus. Vide ipsum die Iunii 11. vbi inuenies in principio historiam dignam scitu de B. Achas puero Franciscano ex Toro alto Flandriæ Oppido, Brugensis Diœcesis.

SOCIETAS VNDECIMA,

B. Syluestri Assisias cum D. Iuda Iacobi Apostolo.

Vndecimus ex duodecim

CHristi Apostolus *B. Iudas* Iacobi, Discipulus verò Francisci Syluescentis cupiditatis omnia eradicans genimina, confessione fidei, laudatione vitæ, supplantatione criminum cum Iuda Iacobi

Fuit primus Sacerdos sæcularis

B. Syluester Assisias, Sanctæ Claræ consanguineus, ex illustri, ac perantiqua Sciphorum Prosapia, vt alibi scripsimus. Fuit primus Presbyter, & Sacerdos sæcularis, qui Ordinem ingressus, & professus est. Hic cum audisset B. Bernardum Quintauallensem cuncta ingentia sua bona, opera & consilio B. Francisci, cuius institutum amplecti summè cupiebat, pauperibus erogasse, auaritia ductus, statim accessit, & ita Franciscum allocutus est. *Numquid mihi vis soluere residuum pecuniæ de illis lapidibus, quos à me emisti pro Ecclesijs nonnullis reparandis?* Tunc bonus, ac mansuetus Pater cupiditatem illius maximam plurimum admiratus, noluit cum ipso contendere; sed confestim misit manum in sinum Bernardi sui primogeniti, quam mox inde extrahens, dedit plenam pecuniæ ipsi B. Syluestro, ita dicens: *Si non es satiatus ad sufficientiam, amplius tibi dabo*. Vix ille post hæc repetit domum, quod meliori spiritu supergressus, cæpit cogitare, quæ imprudenter egerat, factique pœnitens, grauiter seipsum redarguit. Tunc lumine vultus Dei clarè interius illustratus, clamare cæpit cum Dauide: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*. Psal. 68. & addere illud Interpretis nostri ser. Domin. 17. post Trinit. *Dum infelix substantiam congregat transitoriam, amittit perpetuam*. Tūc distinctè apprehendit, *quod non est tantum auaritia pecuniæ, sed etiam excellentiæ*, teste Doctore nostro serm. 2. Dom. 1. Quadrag. vbi ita subdit immediatè. *Auari quantò magis habent, tantò magis sitiunt: & in sublimitate positi quantò magis eleuantur, tantò magis ascendere conantur, vt lapsu grauiore ruant, quia perflant altissima venti, & in excelsis idolis immolamur. O Domine, aufer, aufer ista duo: Aufer à tua Ecclesia Prælatis qui de tuo patrimonio, quod eis acquisisti, lasciuiunt, & in monte dignitatis Ecclesiæ gloriantur*.

Pœnitet de auaritiæ crimine.

Duplex genus auaritiæ

Quæ duo vt funditus auferret Deus à B. Siluestro, miranda visione admonuit. Vidit namque, refert Bonau. cap. 3. Legendæ, tribus noctibus statim post infusum sibi illud in suæ auaritiæ exprobationem lumen, *Crucem quamdam Auream*, maximè fulgentem, quæ ex ore B. Frācisci progrediens, eius summitas Cælum tangebat, eiusque brachia dum videbantur protensa vsque ad terminos Orbis terrarum, suo quoque aspectu Draco teterrimus, Ciuitatis Assisij ad excidium circundans, penitus fugabatur. Ista reuelatio, etsi alia est in apparentia, non est tamen diuersa in substantia ab illa Apocal. cap. 12. de Muliere amicta Sole, &c. antequā Draco magnus stetit, dum erat paritura, vt cum peperisset, eius filium deuoraret. *Et persequutus est mulierem, quæ pepererat, & datæ sunt ei duæ alæ Aquilæ, vt volaret in desertum in locum suum*. Quod ita interpretatur Doctor noster. *Draco iste deuorare cupiens est ille, de quo, Petr. 2.* Aduersarius vester Diabolus. *Mulieri dantur duæ alæ, scilicet ieiunium, quo corpus supereleuatur, ne animā deprimat, & Oratio, qua mens ascendit in Deum. Hæ duæ alæ vocantur Aquilæ propter sublimitatem perfectionis*. Quam perfectionis sublimitatem ostendit Deus Syluestro suo sub *Aureæ Crucis* figura.

Miranda visio de B. Francisco.

Concordat cum illa Apocal. 12.

Hoc inductus spectaculo, & oraculo, magnanimiter resoluit, fugere cum muliere alata, scilicet cum Ecclesia reparanda in desertum Ordinis Minorum, ne ab illo dracone simul cum plurimis aliis suis Conciuibus deuoraretur. Quare magna cum deuotione, rebus suis Pauperibus distributis, post aliquot menses, & post B. Bernardum Viridantem præfatum, Ordinem Minorum intrauit vndecimus. Erat Vir simplex, & miræ perfectionis, & sanctitatis deinceps extitit. Ad tantam enim mentis eleuationem peruenit, quod cum Deo quasi facie ad faciem, sicut alter Moyses loquebatur. Vnde S. Franciscus ad eum solebat mittere, quotiens in rebus dubiis Dei voluntatem scire cupiebat. Huic mandauit Vir sanctus (cum essent simul in Vrbe Aretij apud Hospitium suburbii, & Ciuitas illa intestino bello quateretur ad exterminium, pluribus Dæmonibus super ea stantibus, & exultantibus, sicut idem Vir sanctus aspexerat) *Vade ad portam Ciuitatis, & Dæmonibus ex parte omnipotentis Dei præcipe, vt exeant*. Qui festinans accessit ad portam, & fortiter ita exclamauit. *Ex parte Dei, iussu P. N. Francisci Dæmones vniuersi discedite. Quo facto, statim ciues ad concordiam redierunt*.

Assimilatus Moysi

Tandem

Eius mors, & sepultura.

Tandem post mira multa à B. Syluestro ædita, plenus meritis, & virtutibus, vitæque sanctitate insignis, gloriosus migrauit in Cælum anno circiter 1240. Cuius sacrum corpus iacet in Ecclesia S. Fràcisci propè Assisium. Vide Scriptores, quos affert Auctor Martyrolog. die 4. Martii. Hi vndecim Apostolici Discipuli acceperunt legem; seu normam, Regulamque Euangelicã, quã eis detulit, licet nõ adhuc à Sede Apostolica approbatam, Legislator Euangelicus, Franciscus. Acceperunt eam profectò, & ab illis ambabus Viri Sancti manibus data ipsis fuit, vt eam rimarent, consultoque perpenderent, quarũ decem digitos ita mysticè declarat Interpres noster super illud, *Apprahendite disciplinam,* illorum numero totidem genera disciplinæ breui adaptans in hunc modũ. *Nota, quod sicut in manibus sunt decem digiti, sic decem genera disciplinæ. 1. Mortificatio scilicet propriæ voluntatis. 2. Abstinentia cibi, & potus, 3. Censura silentij. 4. Vigiliarum in oratione. 5. Lacrymarum effusio. 6. Lectionis discreta occupatio. 7. Corporalis exercitatio. 8. In alterius necessitate compassio. 9. Vilitas habitus. 10. sui despectus, &c.* Hæc omnia adeò intima sunt obseruantiæ Regulæ Fratrum Minorum, vt ex suis votis, ac præceptis necessariò eius professores astringant. Fràciscus vbi primam suam Regulam scripsit vndecim Discipulis, totus misticè digiti illi decem, hoc est genera disciplinæ erat, quia totus ipsemet erat suæ voluntatis mortificatio, totus ipsemet cibi, & potus abstinentia, & sic de singulis.

10. genera disciplinæ.

LIBER SECVNDVS.

Sex primos Discipulos suos, quos per Orbem miserat, videre cupiens Franciscus, illi ad Magistrum suum insperatò se conferunt cum ingenti cordis illius hilaritate, necnon & spirituali aliorum tyronum gratulatione. Legis Minorum, xi. Euangelicis Viris lata, Intitulatio, ac Quantitas.

Textus Historiæ D. Bonau.

Lætitia B. Franc. de septem Discipulorum regressus

INGENTEM concepit Vir Sanctus ad miraculosum illum filiorum suorum aduentum (hunc supra in cap. 1. rescripsimus ex D. Bonauentura) cordis lætitiam, & eò maiorem quo sincerius, & humilius, quæ in ijs, quas peragrarunt Regionibus, se fecisse in Dei, & proximorum obsequium retulerunt. Istud miraculum illi persimile fuisse, quod accidit tempore Apostolorum in obitu Beatæ Virginis, quodque refert Damascenus orat. 2. de dormitione Deiparæ, iam planè liquet. Irruebant igitur primi in posteriorũ Discipulorum amplexus, sibi inuicem de sancta societate gratulantes, & animo sibi addentes, vt in tanto Dei famulatu intrepidi perseuerarent. Referebant hilariter, qui regressi sunt, quæ in illa missione ludibria, & verbera experti sunt per quam gaudentes, quoniam *digni habiti sunt pro Christi obsequio contumeliam pati.* Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam, vnumquemque eorum se cum D. Paulo ad Philipp. 3. in illa missione ore suo dixisse, & opere (iam Christi scholã in Discipulatu Apostolico, reparandæ Ecclesiæ causa, ingressum) compleuisse, repertum est. Quàndoquidem, teste Augustino apud Doctorem nostrum serm. 9. de Apostolis. *Hac omnia contempsit Christus, vt contemnenda doceret, vilia sustinuit, vt sustinenda doceret.*

Christus omnia contéptibilia sustinuit.

Quæ inprimis Discip. Franc. spes, quæ cupido.

His sanctè inuidentes nouissimi tyrones, nihil huiusmodi extra tyrocinium perpessi, ibi sibi fingentes solatij, suum etiam tempus adfuturum, in quo ad sacrũ bellum progrediantur, & strenuos se ostẽdant aliorum commilitones. Hæc spes in illis, hæc ardens cupido. Humilitatis Apostolicæ visceribus insita, illa eadem in eis omninò erat, per quam inundationem maris quasi lac Deuter. 33. suggere inhiabant. *Nemo potest aliquid sugere,* explicat Doctor noster serm. Dom. infra oct. Natiu. Domini, *nisi labia comprimat. Qui habet os, hians in pecuniæ acquisitione, in vana gloria negociatione, & populari fauore, non potest sugere inundationes Maris. Difficile enim Lupi à cadauere, Formica à grano, à melle Musca, Meretrices à prostibulo, Mercatores à foro*

Humilitatis os.

foro se parantur. Soli verò humiles, qui labia sua comprimunt, idest stringunt ab amore corporalium inundationes Maris quasi lac sugunt. O humilitas cordis, quæ Mare amarum, & horridum conuertis in lac dulce, & iucundum. O quam dulcis amaritudo, quam leuis tribulatio, quam electi sustinent pro Christi nomine. Et paulò infra post adducta exempla de Sanctis Martyribus, Stephano, Laurentio, Vincentio, dum illi lapides dulces fuerunt, his craticula, & carbones, subdit, *Inundationes maris, quasi lac pro Christo suxerunt. In verbo, sugere, notatur auiditas cum delectatione. Sola enim humilitas cum spiritus auiditate, & delectatione nouit sugere tribulationem, & dolorem.*

Omnē amarum conuertit in lac.

Eo anno prædicto 1209. præscribens sedulus Pater, & Magister illis vndecim, quos in Christo genuerat, & docuerat, filiis, & Discipulis, orandi formulam ad Christi imitationem in illo tuguriolo S. Mariæ de Portiuncula, breuissimè eam effecit. Perscius iam breuem orandi modū quamplurimis confertum esse bonis, eiusque gratiam tantam vtique Religiosis viris inferre necessitatem, quantam hominis vitæ, ne statim morte obruatur, infert cibus. Quod lib. 3. Opusculorum Oraculo 3. ex eius verbis nouissimè adnotauit Vadingus, sic dicens, *Orationis gratia viro Religioso firmiter desideranda, sine quā nihil in Dei seruitio prosperabitur, nec aliquid ab ipso consequetur.* Infelix ergo illud claustrum, quod dum locuplex est Religiosorum virorum, qui in rebus scholasticis, in assidua dominandi sollicitudine, in arte, ac facundia orandi, & scribendi, in rerum temporalium amplitudine, & splendore valdè prosperantur, adeò tamen gratia orationis mendici sunt, vt in Dei seruitio quasi nihil profecerint.

Oratio quā necessaria Religiosis.

Quotuplex sit oratio, quales Religiosi, & maximè Fratres Minores, quibus potissimum gratia orationis necessaria est, docuit etiam Interpres noster, quem primū in sua Religione sacræ Theologiæ professorem S. Franciscus instituerat, in sermone Dom. 6. post Pascha, & in alio Dom. 2. in Quadrag. Ibi sic ait de oratione. *Notandum, quod triplex est oratio. Mentalis. Vocalis. Manualis. De prima* Ecclesi. 35. Oratio humiliantis se penetrat Cælum. *De secunda Psal. 87.* Intret oratio mea in conspectu tuo. *De tertia Apostolus 1. Thessaloeen.* Sine intermissione orantes. *Ille dicitur sine intermissione orare, qui non cessat benefacere.* Vbi autem Religiosorum explicat qualitatem, vtitur illa reuelatione Apoc. cap. 9. *Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol, & aer.* In qua reuelatione, quales deberent esse ex vi professionis Religiosi, quales postea euaserint, ipsi degeneres effecti, ita demonstrat. *Sol, & aer Religiosos significant. Sol, quia debent esse puri, calidi, & lucidi. Puri Castitate, calidi Charitate, lucidi Paupertate. Aer, quia aerei, idest contemplatiui debent esse. Sed peccatis nostris exigentibus exiuit fumus de puteo cupiditatis, & omnes iam infumauit; vnde plorat Hierem. Threni 4.* Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. *Sol, & aurum, aer, & color idem significant. splendor Solis, & auri est obscuratus. Aer, & color mutatus est. Et vide quam propriè dixit obscuratus, & mutatus. Fumus enim cupiditatis obscurat splendorem Religionis, & infumat optimum colorem cælestis contemplationis, in qua facies animæ mixtim perfunditur optimo colore, candido scilicet, et rubicundo. Cādido Dominicæ Incarnationis. Rubicundo Passionis. Candido eburneæ Castitatis candore, rubicundo ardentis desiderij cælestis Sponsi.* Prædicens anno eodē 1209. Vir sanctus Othoni Imperatori, illuc è Mediolano Romam trānseūti depositionem, vt supra memorauimus, anno deinde sequenti 1210. teste Vadingo, eisdem vndecim Discipulis scripsit Regulam, tribus & viginti capitibus diuisam. Quod apertè discordat cum Breuiario Romano, vbi legitur Franciscum anno 1209. obtinuisse à Pontifice Innocentio III. suæ Regulæ approbationem. Ex quo necesse est fateri vel Franc. anno antecedēti, scilicet 1208 vel anno sequenti scripsisse sibi, & suis Regulam, simulque ei approbationem obtinuisse.

Triplex Oratio, mentalis, vocalis, manualis.

Soli, & aeri Religiosi cō parati.

CAPVT PRIMVM.

Minorum Legislatio vndecim Discipulis in Domo Virginis scripta, & in capita XXIII. diuisa, Capitum tituli cum appositis postillaribus appendiculis nunc tantum afferuntur.

SECTIO I. TITVLVS I.

Quod Fratres debent viuere in Obedientia, sine Proprio, & in Castitate.

MAtth. 18. & 19. Lucæ 9. & 14. Sic lætabitur deserta in Paupertate. Florebit quasi lilium in Castitate. Germinans germinabit in Obodientia. Vide Doctorem nostrum serm. Dom. 2. Aduentus, & inferius in Euentu 4. cap. 2. huius libri 2.

Habes explicationē proemii in c. 1. lib. 2.

II. TITVLVS.

De receptione, & vestitu Fratrum.

Vestitus paupertatis spiritus.

Sed qualis, siue recipiendorum scilicet noui-

nouitiorũ, siue recipientiũ, hoc est professorum vestitus? consule per concordantiã textus Regulæ, Matth. cap. 11. de Ioanne Baptista, *Qui in veste pretiosa sunt, &c.* Et vide, si placet, Interpretem nostrum serm. Dom. 2. Aduent. inferius citandum in Euentu 4. præfato. Soliciti debemus esse de vestitu, Paupertati nostræ conformi; nam sic demonstrabimus vtrum anima nostra habuerit suam propriam vestem, qua Paupertas spiritus, quæ tota charitas est, interius vestiri solet. *Vestis animæ est fides, quæ tunc est aurea, si charitatis claritate fuerit illuminata.* Ita Doctor noster serm. Dom. 5. post Trinit.

Vestitus paupertatis spiritus.

III. TITVLVS.

De Diuino Officio, & Ieiunio.

Religiosis, Diuino Officio diu, noctuque addictis Chorus vnus, cor vnum, & anima vna esse debet, Luc. Act. 4. *Nam vbi scissura,* teste Doctore nostro ser. Dom. in Sexages. *ibi lis in capitulo, dissolutio in choro, murmuratio in claustro, gula in refectorio, carnis petulantia in dormitorio.*

Lis inter religiosos quã dissonans.

Ieiunia Fratrum Minorum conformantur Matth. 6. Marc. 9. & Lucæ 10. *Saliua hominis ieiunij occidit serpentem*, ait Doctor noster, commendans ieiunii virtutem. Sed saliua illa, quæ exit in choro Religiosorum, quò diu, noctuque recitant Diuinum officium, stomachoso tabacco immixta, extinguit sanè omnem deuotionem; demonstratque cum repletione stomachi eã intollerabilem corruptelam, ob quam ita tractatur Chorus, sicut loca communia, ad ventrem exonerandum ordinata. Dum cantant, vel recitant Officium Diuinum sputum tabacco plenum, vel deglutiunt aliqui, vel foras emittunt. Nasus in nonnullis à labiis ad pectus vbi fœdissimæ maculæ remanent, dum sordidè distillat, linteolis spurcissimis, siue lineis, siue laneis eum emungunt. Valde etiam solliciti videntur non tantum in expurgãdis abusibus, quantum in consummandis flegmis (etiam dum super Altari sacrificant) ex cibi superfluitate venientibus. *Heu quanti sunt Religiosi, qui Deos adorabant in Ægypto, & Mundo, & adorant in deserto, & Religione, vel Claustro: & quia carent igne Charitatis, ideo eorum sacrificium inutile est eis. De mane vsque ad meridiem clamant, dicentes, Baal exaudi nos, quid est ad Baal clamare, nisi superiorem esse, & apparere? sed non est vox, neque qui respondeat eorum voluntati, & iterum clamant voce maiori. Clamare est desiderare. Et incidunt se cultris, idest ieiunijs, & malleolis, idest disciplinis. Exterminant facies suas. Ieiunant primò vigiliã, vt postea possint celebrare ventris festiuitatem. Et in tempore Eliæ Prophetæ Baal clamabant, nec exaudiebantur. Temporibus verò nostris clamant, & exaudiuntur.* Ita Interpres noster Dom. 6. post Trinit.

Tabacci abusus quam eis intolerabilis

IV. TITVLVS.

De Ministris, & alijs Fratribus qualiter ordinentur.

Hanc harmoniam Prælatorum *benignitas*, & *humilitas*, subditorumque hilaris obedientia componunt. Matth. 17. & 20. Ordo iste cum tendat ad Deum, sine volatu spirituali esse nequit. Respicite volatilia Cæli. *Qui vult volare, debet hoc ordine procedere* (ait Doctor noster Dom. 3. post Triuit.) *prius enim à terrenis debet animum eleuare, deinde corpus affligere, & in oratione persistere, & lachrymas fundere. Oratio, vt dicit Glossa, Deum lenit, lachryma cogit, hæc vngit, illa pungit.* Felices Ministri Ordinis Minorum, & alii fratres si in hunc modum sua ordinabunt; nam sine his rebus omnis religiosus Ordo confunditur.

Vide hæc harmonica ordinatio

V. TITVLVS.

De correptione Fratrum in offensione.

Animæ propriæ, & Fratrũ custodiendæ, *quia horrendũ est incidere in manus Dei viuentis.* Heb. 10. Quia Religiosi debent esse *Lux in Domino.* Ephes. 5. Vult dicere iuxtà Interpretem nostrum serm. 2. Dom. 3. Quadrag. *Recti per intentionem, clari per cognitionem, puri per affectionem, feruidi per dilectionem, ergo vt filij lucis ambulent. Opera lucis sunt iustitia, fides, castitas, longanimitas, spes, charitas, benignitas, &c.* Qui deliquerint in aliquo illorum, corripiendi sanè, atque in pristinum restituendi.

Religiosi debent esse lux in Domino.

VI. TITVLVS.

De recursu Fratrum ad Ministrum, & quod aliquis Frater non vocetur Prior.

Sed generaliter omnes Fratres Minores vocentur, vt alter alterius lauet pedes. Matth. *Discite à me, &c.* Vbi Interpres noster Dom. 3. in Quadrag. *Superuenit humilitas, intrat in domum fortis, in atrium cordis, in quo habitat superbia, & ipsam deuincit, & foras expellit venenum elationis theriaca humilitas, qua expulsa, omnia arma eius, in quibus confidebat, humilitas aufert, vt de cætero nihil altum, nihil vitiosum appareat in sensibus corporeis, sed humilitatis insignia vbique se repræsentent.* Et serm. fer. 6. Hebdom. 2. Quadrag. ex D. Bernardo super missus est.

Humilitatis de superbia victoria.

Gloriosa res Humilitas

est. *Gloriosa res est humilitas, quæ ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat.*

VII. TITVLVS.

De modo seruiendi, & laborondi.

Docet respuenda officia scandalosa in domibus sæcularium, otiositatem fugiendam, non appropriandа loca, benignitatem erga quoscumque, &c. *Semper aliquid agendum est, ne manu cessante, ager nostri pectoris malorum cogitationum sensibus occupetur.* Et Isidorus, *Grauius libido vrit, quem inuenit otiosum.* Ita Doctor noster Dom. 3. post Pascha. Otientur Fratres, rogo, ab illis maximè laboribus, quibus de nimia sollioitudine, vt præsint, meritò arguuntur à Doctore nostro in fer. Dom. 3. post Trin. *Infelix Abimalech, ait, qui præesse desiderat non vt prodesse valeat. Iter accipit non cauens fallaciam hostium*, frigus Alpium, calorem Italum; *non discrimina Tusciæ, non latrones Romæ attendit, &c.* Et Dom. 2. Quadragef. ostendens labores dignos, & Religiosos, ait. *Negotiatio animæ pœnitentis est mundum contemnere, carnem affligere, peccata præterita delere, & iterum flenda non committere.*

Otiositas quam mala.

In quibus otiandum

Qualis Religiosi exercitatio.

VIII. TITVLVS.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

Lucæ 21. Conculcandæ pedibus à Minoritis pecuniæ; abominandi discursus quæstuosi. *Hodie non fiunt nundinæ*, ait Doctor noster Dom. 2. in Quadrag. *non celebrantur curiæ sæculares, vel Ecclesiasticæ, in quibus non inuenias Monachos, & Religiosos. Emunt, & reuendunt, ædificant, & destruunt, &c.* Vtinam præsentia tempora præteritis, in quibus hæc exprobrabat Antonius, haud adæquentur.

Religiosorũ abusus in quæstu,

IX. TITVLVS.

De petenda Eleemosyna.

Hanc vocat misticè Doctor noster, *Lignum pomiferum, faciens fructus iuxta genus suum.* Gen. 1. Additque statim ferm. Dom. in Septuag. *Genus hominum est alter homo de humo creatus, & in animam viuificatus. Debet ergo eleemosynam facere fructũ iuxta genus suum, quia & anima spirituali pane, & corpus corporali reficitur.* Ast genus fructuum corporalis eleemosynæ in recipiẽtibus eas, eo quia mendicitatem profitentur, quale? Illud equidem, quod professio ipsa, nullis vitiata corruptelis, expostulat. *In superiori gradu perficiuntur, vt lapsu grauiore ruant*, scribit Doctor noster serm. Dom. 6. post Trinit. in abusus Religiosorũ, subditque prius. *Prius erat vox humilis, habitus vilis, venter subtilis, facies pallida, oratio palàm assidua.* Hi pulcherrimi, benedictique eleemosynæ fructus in mendicantibus, sed nota sequentia. *Modò vero minis intonant, incappati, infulati incedunt, præambulo ventre vadunt, facie rubicundi, somno assidui, & oratio nulla.* Hi sunt alii eleemosynæ fructus; sed deplorandi, quia corruptio optimi pessima.

Eleemosyna lignum pomiferum

Corruptelæ aduersus eleemosynæ fructus.

X. TITVLVS.

De Infirmis Fratribus.

Non curandum nimium de corpore, quod meritò Doctor noster Dom. 2. post Pascha assimilat lunari corpori. *Luna, inquit, est corpus hominis, quod per ætatum successiones crescit, & decrescit, & ab eodem puncto, in quo incipit, in idem reuertitur, quia terra est, & in terram ibit. Et quia tria sunt in Luna, macula, obscuritas, & frigiditas. Habet corpus* (subdit) *maculam, quia in iniquitate conceptum. Est obscurum in infirmitate, frigidum in vltima incineratione. Vel habet maculam, quia luxuria polluitur, obscuritate superbiæ excæcatur. Odij rancoris gelicidio frigidum afficitur. Hanc Lunam debet habere Mulier sub pedibus suis, idest mentis affectibus, vt caro spiritui, sensualitas seruiat rationi.* Sed alia est cura totius corporis Ordinis Fratrum Minorum erga corpora particularia, infirmitate pressa, & alia ea, in qua vnusquisque corpus proprium veluti animæ hostem pertractare cohibetur. Vtraque cura maxima est, altera præceptiua sub mortali, altera verò necessaria ex vi professionis, ne in mortifera opera labatur spiritus, contra quem concupiscit caro.

Corpus humani corpori lunari cõparatum

XI. TITVLVS.

Quod Fratres non blasphement, nec detrahant, sed diligant inuicem.

Lucæ 17. & 16. Matth. 5. Ioan. 15. & 3. Eccles. 28. *Dilectio dicitur* (ait Doctor noster ferm. Dom. 12. post Trinit.) *eo quod in se legit. Nam dilectio à duobus incipit, quæ est amor Dei, & proximi, &c.*

Dilectio duo in se legit

Omnis blasphemia vel est ob Dei odiũ, vel proximi, sicuti solet esse & ipsa detractio. Dilectio Fratrum ad inuicem si vera erit, si solida, & in charitate fundata, erit quoque & ligamen Dei, quò facillimè moderatur lingua, nè blasphemet quem amat, nec cui diligit detrahat.

S E-

SECTIO II. XII. TITVLVS.

De malo visu, & frequentia Mulierum vitanda.

Oculi iacula luxuriæ

Matth. cap. 5. *Hora septima reliquit febris filium Reguli.* Ioann. 4. *Prima iacula luxuriæ* (explicat misticè Doctor noster Dom. 22 post Trinit.) *sunt aculi, secundò cor concutitur, & sic febre luxuriæ inflammatur. Sed ne in consensu mentis, vel operis moriatur, hora septima, idest septiformis Spiritus Sancti gratia illuminatur. Et tunc credere debet ipse, domus eius tota, idest corpus simul, & anima, quia Iesus Christus est Dei filius, qui animam à tam infelici febre, & corpus à tam miserabili pollutione luxuriæ dignatus est liberare.* De frequentia deindè mulierum vitanda, illud sufficit pro nunc scire à Doctore nostro, *quod mulier ita dicta sit à mollitie*, vt aduertit serm. Dom. 24. post Trinit.

Mulier a mollitie dicta.

XIII. TITVLVS.

De præsumptione Fornicationis.

Corde creditur ad iustitiam, inquit Apostolus Rom. 10. *sed fornicatio* (addit Interpres noster Dom. 4. post Pascha) *aufert cor, in quo est fides: ergo propter fornicationē amittitur fides.* Probat ex ethimologia fornicationis, ita subdens. *Vnde dicitur fornicatio, idest formæ necatio, idest animæ ad similitudinem Dei formatæ mortificatio. Vita enim animæ fides.* Ephes. 3. *Sed fornicatio aufert cor, in quo est vita, & sic moritur anima, quia cessante causa, cessat effectus.* Præsumptuosis in hoc crimine pœna inflicta, iuxta hanc doctrinam valde idonea in illa Patris Francisci priori lege. Vide eam apud Vading. cit.

Fornicatio aufert cor

XIV. TITVLVS.

Quomodo Fratres debent ire per Mundum.

Lucæ 10. & 6. Debent ire per Mundum, non vt intrent denuò ad Mūdi vanitatem, de qua exierunt, vt desertum Religionis incolerent, aiente Doctore nostro Dom. 2. Aduent. *O Religiosi tale esse debet vestræ Religionis desertum, ad quod de mundi vanitate existis incolendum, &c.* Audi aliud monitum ex dolenti pectore proruptum in Religiosos illos, qui vadunt per mundum egredientes à pluribus locis, sed non vt libet. *Sed heu* (suspirat Antonius Dominica in Septuag.) *quanti Religiosi egrediuntur à tumulo vitæ contemplatiuæ, à sabulo pœnitentiæ, ab oriente gratiæ. Egrediuntur, inquam, cum Esau, & Dina de domo paterna, cum Diabolo, & Cain à facie diuinā, cum Iuda proditore, loculos habente, à Christi schola, & descendunt ad plana deserti ad Campum Hierichuntinæ solitudinis, in qua in latitudine tēporalium excæcatur Sedechias, scilicet peccator rationis lumine priuatus, proprijs filijs, idest operibus, ab ipso Diabulo interemptis, &c.* Vide residuum infer. in lib. 6.

Religiosorū in eundo per mundum abusus.

XV. TITVLVS.

Quod Fratres non teneant bestiam, nec equitent.

Bestia magis accipienda ex feritate, quam ex animalis genere. Quæ proprio morsu, vel vnguibus seuiunt, vt Pardi, Leones, Tigres, à vastando. Vide Vlp. Non sic Iumentum, à iuuando ita nuncupatum, operà præbendo, cuius appellatione continentur Animalia, quæ vel sarcinas gerunt, vel currus trahunt, vel terrā excolunt, vt Equi, Muli, Asini, Cameli, Boues. Quod monuit Legislator Franciscus suis, de non tenenda Bestia temporaliter, & iuxta vulgarem loquendi morem, præcepit longè ante Legislator Deus spiritualiter, septem bestiarum genera vnius bestiæ nomine concludens. Loquens enim de perfida Iudæa, idest, explicat Doctor noster Dom. 1. in Quadrag. *de anima peccatrice* Isaiæ 34. sic ait. *Erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent Dæmonia, Onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum. Ibi cubabit lamia, & inuenit sibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos.* Quam sententiam ita interpretatur Doctor noster loco cit. *In hac auctoritate ponuntur septem genera bestiarum. Per has bestias septem generā peccatorum intelligimus. In Dracone notatur odij, & detractionis venenosa malitia. In Struthione hypocrisis, & fallacia. In Onocentauro luxuria, & superbia, Onos græcè, est latinè Asinus, qui est typus luxuriæ; nam Asinus est piger, & stolidus. Taurus superbiæ symbolum est.* Vide reliqua ibidem.

Bestia quæ, & vnde sit dicta.

Septem genera bestiarum, & peccatorum.

Iuxta sensum literalem iumentū cuiuscuius generis Franciscus intellexit, nomine bestiæ ab eo appellatum. Iuxta autem sensum moralem quid intellexerit, explicat Doctor noster Dom. in Ramis de Asina & Pullo Asinæ, in quibus Christus triūphaturus ascendit. Inquit enim, *Aduertendum, quod per Asinam anima significatur, quæ magis est domita, per pullū verò celsitrātem significatur corpus.* Dū Fratribus prohibētur bestiæ, monentur simul, vt teneant iumēta seruilia, & corporalia, ea scilicet austerè frœnando. *Per hæc namque animalia*, inquit D. Greg. lib. Moral. cap. 16. apud Doctorem

Iumēta moralia quæ.

ctorem nostrum ibidem paulò superius, *intelliguntur homines, dediti mundo, herbas interdum spinosas, & pungitiuas peccatorum hominibus exponentes, & adhuc ligantur vinculis animalis, nulli deferentes honorem, quia peccator nullus reueretur, &c.* Sepultura Asini sepelietur extra portas Hierusalem Ierem. 22. ad filium Iosiæ. *Nota*, ait Interpres Dom. 1. post Trinit. *sepultura Asini talis est. Dominus pellem retinet, & carnes Canes deuorant, ossa nuda in sterquilinio remanent; Per ossa, quæ diu durant, anima significatur, &c.* Taliter tenebat, tractabatque sui corporis iumentum Franciscus, teste Bonauentura cap. 5. Legendæ de austeritate vitæ eius, &c *Vbi fratrem Asinum ipsum nuncupabat.* Vide inferius lib. 3. par 2. euen. 7.

Sepultura asini moraliter.

Equitatio Fratribus Minoribus, qui student obseruare ad literam S. Francisci Regulam, vbi tamen necessitas non viget, prohibita sub mortali. At sine vlla exceptione, vel clausula, penitus eis interdicta ascensio super illum Equum rufum, de quo Ioannes Apostolus Apocal. 1. *Exiuit alius equus rufus.* Inquit enim Interpres noster Dom. 2. post Pascha. *Hic est fur, & latro, qui non intrat per ostium in ouile ouium. Ostium enim est Christus, per quem non intrat qui quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Ille fur est, & latro, qui sibi ambitione assumit honorem, non vocatus à Deo tamquam Aron. Qui per simoniam assequitur Prælaturam.*

Equitatio Fr. Minorum symbolicè

Ablato à Religiosis nostris stabulo illo, seu bestiarum cubile, eruta penitus ista equitatione, in eo nobilissimo remanent gradu, quem ipsis proprium facimus. *Tronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus, &c.* Dan. 7. Quem textum ita interpretatur Doctor noster Dom. 22. post Trinit. *Tronus Dei, vt ibi dicit Glosa Origenis, sunt Eremitæ, & Monachi, & alÿ, qui in vno loco degentes, Deo militare student, nec per loca discurrunt. Quorum quietis cordibus insidet Deus. Qui bene flamma ignis dicuntur, quia dilectione Dei, & proximi, desiderio cælestis Patriæ inflammantur.* In hunc modum nomine, & re erunt Seraphici Fratres Minores.

Eremitæ, & Monachi sūt thronus Dei

XVI. TITVLVS.

De euntibus inter Saracenos, & alios Infideles.

Martyres Smaragdo similes.

Matth. 10. Ioan. 3. & 15. Lucæ 12. *Smaragdus, qui tantæ viriditatis est, vt omnem superet herbarum nitorem, aerem circumfusũ, vel imagines aspicientium nitidas reddat, Martyres significat, qui sui sanguinis effusione animas, in horto Ecclesiæ Apostolorum labore plantatas, vt in Dei viriditate perdurarent, asperserunt.* Ita Doctor noster Dom. 1. post Epiph. loquens de quatuor ordinibus militantis Ecclesiæ, qui sunt Apostoli, Martyres, Confessores. Virgines. Lex, quam scripsit suis, tradiditque Frãciscus, ad reparationem Ecclesiæ data fuit. Cum ergo Ecclesia constet illis quatuor ordinibus in sua fundatione, veluti Ciuitas in quadro posita, hisce etiam Ecclesia Seraphica pro Ecclesiæ Romanæ reparatione constituenda erat, vt in hunc modum fundationi reparatio per suos Apostolicos viros, per suos Martyres, per sũos Confessores, per suas Virgines correspondere. Igitur Missio Fratrum Minorum, qui Apostolicam vitam profitentur, inter Saracenos, & alios infideles peculiaris admodum, ac valde præcipua in eius lege esse debebat.

Quatuor ordinibus constat Ecclesia

XVII. TITVLVS.

De Prædicatoribus.

Ioan. 4. Lucæ 10. & 18. Matth. 6. & 5. & 16. Bases Ecclesiæ Catholicæ fundandę Christus Legislator, & Prædicator. Apostoli legis Christi professores, promulgatores, & Euangelii Prædicatores. Igitur & eiusdem Ecclesiæ, vt reparandæ à Legislatore Francisco, Christo simillimo, ab eius, & suorum prædicatione eædem Bases adaptandæ. In Basibus Templi Salomonis erant sculpta Cherubin, Leones, Boues, & lora pendentia 3. Reg. 7. *Bases* (ait Interpres noster Dom. 6. post Trinit.) *sunt nostri temporis Prædicatores, in quibus debent esse sculpta ista quatuor. In Cherubim scientia, & doctrina, & vita Angelica; in Leonibus terror potentiæ, in Bobus mansuetudo misericordiæ, in loris vincula disciplinæ designantur. Sint ergo sculpta, obsecro, in Basibus scientia doctrinæ, vt doceant. Terror potentiæ, vt corripiant. Mansuetudo misericordiæ, vt sustineant. Vincula disciplinæ, vt restringant.*

Bases Ecclesiæ fundādæ reparandęq.

XVIII. TITVLVS.

Qualiter Ministri conueniant ad inuicem.

Conuentus Ministrorum Ordinis Minorum inter se ad Comitia pro bono regimine Religionis valde inferior est Cõuentui eorumdem, seorsim, & ab vtroque semper efficiendo. His conuocandus ad resoluendum, operæque complendum ea, quibus ratione officii, vnde Christo, summo Ecclesiæ Ministro (qui venit ministrare, vt seruus, & non sibi ministrari, vt

Domi-

Minifiri Fratrum Minorum debent tria Christo ministrare.

Domino) conformandi sunt. *Ministrare Christo debemus* (docet Interpres noster. serm.4. de Martyribus) *quoniam ipse prior ministrauit nobis*, Lucæ 22. Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Ministrat nobis Christus sua bona temporalia, spiritualia, & cælestia. Ministrat suos Angelos. Ministrat seipsum. Bernardus. *Benè is ministrat, qui carnem suam in cibum, sanguinem in potum, & animam in pretium ministrauit*. Ministra ergo, subinfert, illi tua per perfectam dilectionem. Ministra tuos, scilicet parentes, & notos, eos non carnaliter amando, imò pro ipso, cum opus est, relinquendo. Sic enim Christus pro te suos dimisit. Imò nec matris lachrymas reputauit. Ministra & te ipsum. Est enim Gigas, qui homines deuorat, appetens cor & corpus: hæc duo, ei para, & sufficiet. Effunde ergo de corde tuo, vt sit aptum ad comedendum sanguinem totum superbiæ, inuidiæ, & rancoris. Nam caro cum sanguine comedi prohibita est Genes. 9. Et tunc coque ipsum in aquis cõtritionis, & in igne charitatis cum Dauide. Corpus etiam para ei, vt sanguinem totum voluntatis Deo offeras, vt ipsum decoquas laboribus, sudoribus, ieiuniis, vigiliis, disciplinis. De his duobus Bernardus. *Duo minuta habeo, Domine, corpus sc licet, & animam. Hæc tibi dignè vtinam offerre merear cum vidua muliere, &c.*

XIX. TITVLVS.

Quod omnes Fratres viuant catholicè.

Nomen Catholicũ quã Frãc. & eius Discip. peregrinum

Nomen istud *Catholicum* adeo propriũ est Legislatori Francisco, vt inter alia encomia quamplurima, quæ Breuiarium nostrum in eius laudes cantat, prius ipsum sit, princepsque. Quamobrem ad primas vesperas intonat primum illum versiculũ, *Franciscus vir Catholicus, & totus Apostolicus*. In Epithaphium verò Sepulchrale, quod tumulo B. Francisci posuit Romanus Pontifex Gregorius IX. Secundum est illud nomen Catholicum; nam primum est *Seraphicum*. Quippè quatuor eiusdem Epitaphii literæ capitales punctatim sculptæ in hunc modum. V. S. C. A. communiter interpretantur à nostratibus. VIRO SERAPHICO, CATHOLICO, APOSTOLICO. Vitæ igitur Seraphicæ immediata reperitur inter Fratres Minores vita Catholica, cui succedit vita Apostolica. Quod ipsis catholicum esse debet, vt Catholico Parenti conformentur, ponitur in medio inter esse Seraphicum, & esse Apostolicum. Ablato illo medio, eius extrema protinus euanescunt. Sic virtus, quæ in medio consistit, sine medio stare nequibit. *Credidit ipse* (scilicet Regulus) *sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat*. Vbi Interpres noster. Nota, quod prius dicit, credidit, & postea, ibat, *quia prius est corde credere, & post ire corpore*. Credulitas est per fidem catholicam, quæ dum catholica nuncupatur, hæreticæ credulitati opponitur. Non ita, vbi fides Christiana dicitur, nam hæc ex diametro infidelitati aduersatur. Sine fide catholica ire non valent Fratres Minores, vt illinc Seraphico volatu flammis circundati eleuentur, isthinc vero Apostolico gressu Paupertate celeres proficiant. Probat haud obscurè Doctor noster ibidem immediatè hanc veritatem exemplo quadrigati Ezechielis Currus, de quo ità in textu. *Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens, & animalia ibant, & reuertebantur*. Ecce eius mistica interpretatio serm. Dom. 22. post Trinit. *In splendore ignis* fides, quæ illuminat, designatur. De hoc igne egreditur *fulgur* boni operis. Et sic animalia erunt in contemplatione, & reuertentur ad actionem. Quia ibi diu esse non valent propter aliorum fructificationem. *In similitudinem fulguris coruscantis*. Quia per eos, ad contemplationem ascendentes, & bonis operibus insistentes, cæleste lumen aliis spargitur. Hæc ibi. Fide igitur catholica peculiari dictu, progressuq. ita excellunt Fratres Minores, nunc operibus Apostolicis ad proximum, vt propterea ipsi soli potissimum, & non alii, Seraphici appellentur, & Apostolicam vitam profiteri asserantur,

Minor. gressus dum catholicè viuunt

XX. TITVLVS.

De Confessione Fratrum, & perceptione Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi.

Duo genera confitentiũ

Duo sunt genera confitentium, qui à lepra peccati mundati sunt, docet Interpres noster super historiam de decem leprosis à Christo mundatis in Dom. 3. post Epiph. *Vnum est in Religione, alterum in sæculo Religiosi primam oblationem debent facere. Alij scilicet filij coniugati*, viri catholici (*quos cura rei temporalis occupatos detinet, qui non tantis diuitijs abundant*) *debent facere secundam. Duo passares viui sunt corpus, & spiritus viri religiosi*, qui dicere potest cum Apostolo Gal. 2. Viuo ego iam non ego, &c. *Hos passares offert pro emundatione sua Domino cum alijs suæ professionis*, ascendentes super nitentes Asinos, Iudic. 5 *Nitentes Asini sunt corpora Religiosorum, qui portant* pondus diei, & æstus, *qui tamquam Asini grossis, & asperis debent pasci*. Et post nonnulla alia de Obedientia, de gressu ad Chri-

Duo Passares viui corpus, & anima.

Asini alibi qui.

Christum, qui est via, veritas, & vita, de Paupertate, de Charitate, de Humilitate, quæ hanc oblationem complere debent, descendens ad Sacramentum Pœnitentiæ per confessionem sacramentalem fratrum; quid sit ex Zaccharia 14. Mare orientale, & mare nouissimum, exeuntia de Hierusalem, *idest*, explicat ipse, *de corde pœnitentis*, ita declarat: *Mare Orientale est amaritudo pro splendore lucis æternæ. Mare nouissimum est amaritudo pro perpetratione proprij peccati, & incolatu exilij pro peccato proximi*. Redit deinde ad præfatos passares viuos, & iuxta alias scripturas à se prius allegatas, format suam conclusionem, cuius prima propositio est hæc. *Religiosus ergo in vase fictili passerem immolat super aquas viuente, cum corpus suum vitijs, & concupiscentijs crucifigit, & in amaritudine vitæ suæ, vitæ fragilitatem, exilij calamitatem recogitat, &c.*

Mare orientale, & mare nouissimum.

In eodem sermone prosequens Euangelii historiam, perueniensque ad personam Centurionis, qui respondit Christo: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, introducit quoque personam Zacchei, qui gaudenter Dominum recepit, & hæc docet ad propositum de perceptione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi. *In quibus*, ait, *diuersitas intentionum notatur. Quidam ob reuerentiam corporis Christi dicunt*, Domine non sum dignus, &c. *Alij honorando corpus Christi gratanter recipiunt. Vnde Augustinus.* Quotidie recipere Eucharistiam, nec laudo, nec vitupero; quoniam qui honorando audet sumere quotidie, honorando non audet prætermittere vllum diem, &c.

Diuersitas intentionum

XXI. TITVLVS.

De laude, & exhortatione, quam possunt facere omnes Fratres.

Cum Christo eunte in Ciuitatem, quæ vocatur Naym *Ibant Discipuli eius, & turba copiosa*, Lucæ 7. Vbi ait Beda apud Interpretem nostrum serm. Dom. 4. Quadrages. Diuino nutu multa turba Christum sequebatur, vt testes fierent miraculi. Hæc ille: quibus addit Interpres, literam spiritui coniungens. *Et licet dictum specialiter intelligatur, quia nunquam Christus venit ad animam, nisi cum eo veniant Discipuli eius, idest Virtutes, puta Humilitas, Mansuetudo, Castitas, &c. turba bonarum operationum; potest tamen exponi quo ad Clericos, & Religiosos*; quod quotiens ipsum Christum concomitantur, *cum sint eius speciales Discipuli, semper turba sequitur copiosa*. Nulla igitur maior laus Fratrum Minorum, vt per ipsos Deus a Populis exaltetur, & magnificetur eius gloria, & nomen; nulla efficacior exhortatio, ob quam sæculares sequuntur Christum, sicut illa boni exempli, operumque ædificationis. Hanc apprimè laudem, & exhortationem exoptabat suis Discipulis, & commilitonibus Euangelicus Legislator noster. *Et in veritate*, subdit statim Doctor noster ibidem, probans praxim è contrario, *ideo turba non sequitur Christum, quia Christiani omnes eo relicto fugiunt, sicut accidit tempore Passionis. Peccatores autem Christum tradunt, Discipuli, eo relicto, fugiunt, & per consequens simplices deficiunt imitari. Vt etiam non plus facerent Clerici, & Religiosi, quam fugere; sed timeo, quod multi suo malo exemplo ipsum illudendo, gentibus, idest vulgo tradunt.*

Magna vis in exemplis

Malū exemplum quam nociuū aliis.

XXII. TITVLVS.

De admonitione Fratrum.

Hic admonentur Fratres, vt inimici pro amicis deputentur, corpus verò pro inimico. Fugienda esse à religiosis sæcularia. Varium, & ratum fructum Verbi Dei in hominibus. Cauendam esse Satanæ subtilitatem, & quæ sectanda; & Euangelium à nobis concionibus, & aliis modis manifestandum. Cuncta hæc sub isto Doctoris nostri monito concludi possunt. *In corde sunt tria, scilicet sedes sapientiæ. Ibi fuit scripta lex naturæ, quæ est*; Quod tibi non vis, alteri, &c. *Membrum est indignans; sic in viris Religiosis est sapientia contemplationis, lex dilectionis, indignatio de peccatis. Tale cor positum inter caput, & pedes, idest Clericos, & laicos, dolet, & plangit de vtriusque infirmitate*. Ita serm. Dom. 3. Aduent. Igitur admonitio Francisci ad suos Fratres cunctos memoratos fructus totiens proculdubio reportabit, quotiens Fratres monitum Doctoris nostri adimplere satagent; vt patet.

Tria in corde

Ecclesiæ pedes viri Religiosi.

XXIII. TITVLVS.

Oratio ad Deum, siue gratiarum actio, atque ad Fratres exhortatio.

Pro isto vltimo postremi Capituli titulo tetigimus superius tantillum correspōdentiæ inter ipsum, veluti Alphā, seu finē, & caput primum, veluti Omegam, siue principium totius Legis, seu Regulæ, quā primò scripserat Franciscus, quia solummodò ibi de oratione cum Doctore nostro synopsim conteximus. Pro nunc potes multa contemplari, ac meditari super illa duo verba Apoc. 21. *Claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus*. Vbi Doctor noster Dom. 2. post Pascha. *In Agno notatur innocentia, & simplicitas, quæ duę*

In cap. 1. libri 1. pro 1. circumstantia legis.

duo sunt oranti necessaria. Hæc claritas, & lucerna mentem illuminat orantis In hoc ergo capitulo dum docet Vir Sanctus suos vocaliter ad Deum orare, & gratiarum actionem, & eos exhortatur, demonstrat, quibus titulis ipsi Deo sumus adstricti. Innumera esse ea, pro quibus Domino gratias agere debemus. In vera fide, & pœnitentia perseuerandum. Deum super omnia diligendum. Nihil à charitate Christi nos separare debere. Præcepta nobis imposita memoriæ inculcanda, &c. *Boni subditi claustrales*, inquit Doctor noster Dom. infra oct. Epiph. *ad modum piscium quibusdam pennis virtutum se eleuant, ne iaceant in cœno vitiorum.* Posita ista eleuatione, ponuntur etiam supradicta, quæ expostulat, cupitq; in suis Franciscus per orationem ad Deum, siue eius exhortationẽ. Hinc idem Doctor noster ad rem specialius ser. fer. 3. Hebdom. 1. Quadrages. hæc habet. *Secundum quod dicit Beatus Ambrosius super Lucam lib. 5, cap. 24. Studia virtutũ sine gratia torpescunt; Et ideo Beatus Bernardus super Cant. ser. 2. Diligenter, inquit, considera, quæ apponuntur, vt nulla videlicet Dei dona debita actione gratiarum frustrentur non grandia, non mediocra, non pusilla. Denique fragmenta colligere iubemur, idest nec minima beneficia obliuisci: Numquid non perit quod donatur ingrato?* Hæc ille.

Boni Claustrales pisci- bus similes.

CAPVT SECVNDVM

Tres perbreues controuersiæ, quarum prior vertitur circa Legislatoris Francisci, in conscribenda Minorum Lege, impulsum. Posterior circa huiusmodi Legis codice paruæ, cortice rudis, sed medulla Euangelicæ, cum alijs aliorum Ordinum Legibus discrimen. Postrema circa annum eiusdem Legis à Sede Apostolica approbationis. B. Francisco, ac duodecim Discipulis suis effectæ.

SCripsit Pius Pater, atque Apostolicus Legislator Franciscus (longa præmissa oratione, quam recitat Vadingus anno citato 1210.) sibi, & socijs vndecim prçfatis, cæterisque suis sectatoribus simplicibus verbis more Euangelico eam vitæ Apostolicæ normam. Condidisse verò illam à se solo, interiore dictante Spiritu, communis est, irrefragabilisque, ac recepta inter vetustos nostros Scriptores sententia. Quam si in controuersiã reuocaremus, controuerti quoque posset, vtrum in extremo vitæ suæ termino meritus sit, vel nec ne Franciscus, ita absolutè de se, vt Legislatore, & vt testatore, in articulo mortis posito, loquens. *Et posquam Dominus dedit mihi de fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere; sed ipse Altissimus reuelauit mihi, quod ego deberem viuere secundum formam Sancti Euangelij. Et ego paucis verbis, & simplicibus feci scribi, & Dominus Papa confirmauit mihi.* Vbi manifestè loquitur de prima regula, de qua nunc currit sermo. Si hanc, adeò apertam veritatem, ore Seraphico ipsius Legislatoris in suo vltimo testamento pronunciatã, & attestatam aduertisset Chronicum magnum Belgicum, minimè ausum esset asserere, id factum singulariter à Francisco cooperantibus Religiosis, & peritis ex socijs. Valde diuersa sunt hæc verba. *Id factum singulariter, &c.* ab illis Viri Sancti. *Et postquam Dominus dedit mihi, &c.*

Condidit legem Franc. dictante Spiritu Sancto

1. Controu. exploditur

Longè deinde proculdubio distat hæc Regula ab Augustiniana, quæ Regulæ D. Dominici prototypus extitit, & exẽplar. Quamque plano errore contra præfatam attestationem Legislatoris, & veritatem ipsam putauit Stephanus Garibarius de rebus Hispan. tom. 3. lib. 12. cap. 47. profiteri adhuc Minores. Nemo igitur de fratribus illis vndecim, quos dederat Francisco suo Dominus, ostendit Legislationẽ, Regulamque illam Euangelicam, Apostolicamque, qua à Benedictinorum, Augustinianorum, aliorumque Ordinum Regulis toto Cælo impar est, ac diuersa; sed ipse Altissimus reuelauit Francisco, quod deberet viuere secundum formam Sancti Euangelii. Et Franciscus paucis verbis, & simplicibus fecit scribi, & Dominus Papa deinde Francisco confirmauit.

Item & secunda.

Attamen circa annum huiusce inspiratæ ab Altissimo, reuelatæque scriptionis Regulæ, necnon & illius approbationis per Romanum Pontificem, historici inter se minimè conueniunt. Scripsisse eam Franciscum an. Domini 1206. die 6. Aprilis, testatur Rodulphus lib. 1. fol. 8. sed errat omninò. Neque enim adhuc socios tunc habuit, quibus leges ferret Franciscus. Eam autem confirmasse Innocentius anno Domini 1209. ait Miranda cap. 50. in Regulam Minor. adstipulans Breuiario Romano, cui ipse subscripsi. Alii verò anno 1206. & 1207. Reboll. cap. 8. in fine, 1212. Pontificatus eiusdem Innoc. III. Cæteri verius, & certius asserunt (si Vadingo fides) Gonzag. par. 1. de orig. Seraphicæ Relig. Roderic. tom. 1. qq. Regularium quæst. 4. art. 1. & Sedul. cõment. in cap. 4. vitæ Sancti Francisci §. 1. hoc factum anno Domini 1211. sub prædicto Pontif. Vide eius Argumenrum supra hanc primam Regulam in tomo 2. Opuscul.

3. Controu. historica.

B. P. Francisci in principio. Ipse autem in 1.Ann.tomo sub anno 1210. eam scriptam, & approbatam tradit. At Breuiarium Romanum prefatum aptius quidem, ac huiusce lucubrationis nostræ chronologiæ annos tredecim percurrētis verius. Quod enim amplectitur tota Ecclesia,magnam profectò facit fidem, licet haud ita consonum videatur Chronologistis. Sic legi apud Baronium die Decembris 25. in Martyrologio Romano, nullum Chronologum amplecti sententiam de tempore ortus Christi à creatione Mundi, quam tradit Eusebius Cæsariensis in Chronico, quod ex Græco transtulit in Latinum D. Hieronymus. Et nihilominus tam Ecclesia Orientalis, quam Occidentalis eam adhuc sequitur, & ex quo eam amplexa est, nunquam relinqui placuit.

Sententia Vadinghi

Habent ipsam Monum.primæ excussionis tract.3.& 2.tract.2.Firman. trium Ord. 1.p.fol.10.Speculum vitæ Francisci,& sociorum à pag. 189. Mar. Vlisipp. 1. par. suorum Chron.lib.1.cap.21. Hispano, & Italico idiomate ibidem; sed Latino Rebell. cap.7. & Pisan. lib.1. Conformit.12. sparsim per multa capita. Nouissimè extat apud Vading.locis citatis, & Chronologiam Ordinis, licet apud hanc deficiat cap.23.vt diximus. In ea non stylum, sed rem velim obserues. Quibusdam sciolis, & Grammaticastris, qui nihil aliud, præter latinum ornatum, phrasiumque elegantiam desiderant, nequaquam ratione huius Regulæ simplicitatis acquiescēdum. Egregia, singularique eruditione, literisque humanis celeberrima semper fuit DD. Hieronymi, atque Augustini Rethorica: Sed alterum in Ciceronis schola professū flagellatum dedit Cælum, alterum ipsemet proprii ingenii contēptus super rudē, simplicemq. sacrorum Bibliorum codicē declarauit talem, qualem deinde semet confessus est, ab eodem codice haud absque maximo humanarum literarum dedecore nobiliori, saniori, atque veriori sapientia ditatus.

In eius rudi stilo res, nō elocutio obseruanda.

Regulæ præceptum, seu quod præcipit non quibus verbis præcipiat pensandum est; ad quod capessendum notemus tria exempla ex epist.76. Senecæ.

Nauis quæ bona diceda

1 *Nauis bona dicitur* non quæ pretiosis coloribus picta est,nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, nec cuius cautela ebore cælata est, nec quæ fisis aut opibus regiis firmata est; sed stabilis, & firma,& iuncturis,aquam excludentibus spissa; ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens; velox, & consentiens vento.

Qui gladius

2 *Gladium bonum dices*, non cui deauratus est baltheus,nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui & ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus.

Quæ Regula

3 *Regula non quam formosa, sed quam recta sit quæritur*. Lex simplex, & rudis B.Francisci Regula dicitur, non quia formosa in verbis, sed quia in rebus recta, & sic tota aurea, quam qui non obseruat,furatur; nuncupaturque iuxta traditionem hebraicam cum fure *Achan*, subripiente Regulam auream, vt habetur Iosue 7. *Peruertens,aut fratris ruina*, teste Doctore nostro Dom.10.post Trinit. Fur equidem, & latro dicendus est, qui Regulam, quam ex voto professus est, minimè obseruat, imò subuerrit, destruitque. *Regulam auream* (inquit Antonius paulò infra) *Furantur falsi Religiosi. Regula quasi mensura regens dicitur, vel quod distortum, prauumque corrigat. Regula aurea est vita Religiosorum, quæ hominem distortum,& prauum ad mensuram rectè viuendi corrigit, & modum rebus ponit. Hanc Regulam ferè omnes Religiosi furati sunt, quia ad veritatem Euangelij non ambulant, secundum Patrum instituta non viuunt, sed distortè,& simulatoriè vitam suam ducunt, &c.* Hæc Antonius.

Regula rudis, & simplex S.Frāc. cur aurea

Eius fures, & latrones qui

Gladio acuto similis S. Franc. Regula.

Est pariter & gladius Francisci Legislatio,inornatus quidem in stilo,sed omni, omni stilo ferreo limatior, acutior, validior. Nam si tota Euangelica est, & ita rudi calamo condita, sicuti liber Euangeliorum; & Euangelium si nihil aliud est, nisi Dei sermo, qui viuus est omni gladio ancipiti,vt testatur Apostolus; & demum si iste Dei sermo nihil est aliud, quam fidei confessio, qua crimina, & scelera amputantur; sequitur manifestè, quod talis Regula ille ipse gladius est, de quo Ioan. in Apocal. cap.1. Vbi reuelatio de Christo: *Et de ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat.* Explicat enim Interpres noster Dom.2.post Pascha, *Gladius est confessio, quæ debet ex vtraque parte acuta esse, vt vitia spiritualia, & carnalia valeat resecare.* Ita profectò se habet Regula Fratrum Minorum, quæ tota confessio,& professio Euangelica, & Apostolica est.

Itē & Naui, de qua supe rius cū Seneca

Bonæ etiam Naui iuxta mentem Senecæ assimilatur hæc *Regula*. *Moraliter Mare est Mundus*, ait Doctor noster Sabb. in capite ieiunii in serm. de pœnitentia ad instar Nauis. *Sicut in Mari sunt infinita monstra, sic Mundus producit multa monstra,dum in eo homines turpiter formantur. Quidam tantum manus, idest opus in eo amittunt. Multi oculum, scilicet intentionem ad temporalia conuertentes. Quidam sunt sine capite Christo, nequiter viuentes. Item sicut in Mari continuè est motus, sic in Mundo vanagloria. Et sicut Mare corpus mortuum reycit, sic illos, qui sunt in Mundo mortui, Mundus non recipit,*

pit, sed abycit, & repellit. Vnda est persecutio, siue variabilis status Mundi, quo nunc deprimitur, nunc erigitur, nunc illiditur hic, nunc ibi. Ventus tentatio. Iob. 1. Ventus vehemens irruit, &c. Post descriptionem huius Maris, quod eo tempore potissimum vndique coucutiebat Ecclesiam, rumpeb atque quam miserrimè, duas naues, ambasq; Apostolicas, atque symbolicas in eo demonstrat idem Doctor noster, & ad illius euitanda pericula, ac naufragia admodum necessarias, ita statim subnectens.

Duplex Nauis mistice

Nauis duplex etiam inuenitur Lucæ 5. Vna Ioannis, & hæc signat innacentiæ vitam, quæ accipitur in Baptismate. Alia est Simonis Petri, & hæc est Pœnitentia. Petrus enim agnoscens, Simon obediens illum signat, qui se obnoxium Domino recognoscens, ad obedientiam dicit cum Paulo Act. 9. Domine quid me vis facere? *Istis duabus Nauibus, vel altera oportet omnem hominem transfretare ad Pœnitentiam, nisi velit submergi. Nam Nauis Simonis Petri facit ad portum appropinquare. Matth. 3. Sunt igitur*, concludit, *duæ Naues, scilicet Innocentiæ, & Pœnitentiæ. Et aduertendum, quod ex secunda peruenitur ad primã.*

Nauis Pœnitentiæ S. Franc. Regula.

Cum ergo Regula Fratrũ Minorum tota Euangelica sit, tota Apostolica, ita & ad reparationem Nauiculæ Petri, scilicet Ecclesiæ (quæ seminaufragans à magnis fluctibus vndique iactabatur) inspirata, reuelata, scripta, tradita, confirmata à Christi Vicario, atque à Lateranensi Concilio; ipsa quoque proculdubio illa tuta, ac firma Pœnitentiæ Nauis appellanda, per quam ad Nauem Innocentiæ ascenditur. Quemadmodum in praxi accidit ipsi Legislatori, ac multis eius sequacibus, qui ad tantam innocentiæ puritatem redacti sunt, vt primæuæ innocentiæ statum ante primi hominis lapsum ob mirabilem vitã in Ecclesia, ab ipsis reparata, aliquopacto restituerint.

Quarta controuersia.

Tertia imò quarta controuersia esse potest respectu numeri illorum, quibus scripsit Regulam, tradiditque cõfirmatam à Sede Apostolica Franciscus. Scimus iam inhæsitanter, qualiter, hac ostensa vndecim sociis, & Discipulis à Legislatore Regula, & ab eisdem acceptata, commendataque vnanimiter, omnes illicò Romam perrexerint pro illius à Sãcta Sede approbatione, constituto sui itineris Duce B. Bernardo à Quintaualle. Compertum quoque apud cunctos historicos, omnibus quotquot Romam tunc venerunt, confirmatam Regulam ab Innocentio III. Nihilominus vtrum tot fuerint Discipuli in scriptione Regulæ, quot fuerint in eius approbatione, orta est aliqualis dubitandi ratio ex D. Bonau. Vincentio Bellouacense, & alijs apud Vading.

Ratio dubitandi.

Hi namq. docent cum vndecim tantum Discipulis Franciscum iuisse Romam, quia non plures habuit, cum Assisio discessit. Verum quia Beatus Angelus Reatinus in illorum itinere Romam versus initiatus fuit, ipseque suæ conuersionis seriem adamussim humiliter expressit in illo, quod scripsit opusculo de Francisci gestis in partibus Reatinis, haud mirum si ab aliis historicis derelictus sit. Verum pace Vadinghi nostri, necnon & tantorum virorum, quos ipse adducit, ex ipso textu D. Bonauent. videtur profectò deducẽdus hic numerus duodenarius tam in traditione Regulæ, quam in aduentu Romæ, & in discessu ab Vrbe Roma post approbatam Regulam.

Soluitur quæstio.

Nam in cap. 3. Vitæ S. Francisci sic legimus. *Illis quoque diebus quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreuerunt. Cernens autem Famulus Christi, &c. Scripsit sibi, & suis, &c.* Illa verba ad duodenarium numerum non possunt referri omnibus simul, scilicet Francisco, & Discipulis, sed solis Discipulis. Et licèt paulò superius septem tantum expresserit Discipulos, postea verò scriptũ sit *quatuor sibi adhærentibus*, fortè librariorum incuria factum est, vt loco quinque ponerentur quatuor. Quod potest probari ex eodem textu Bonau. in cap. sequenti, vbi loquens Auctor de iisdem Discipulis post approbatam Regulam. *Post hæc*, ait, *pusilli gregis Pastor Franciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum, superna gratia præeunte, deduxit, &c.* Igitur sententia clarissima est D. Bonauenturæ, Franciscum totidem tradidisse Regulam, quot cum eo Romæ fuerunt in illius approbatione. Ast si fuerunt duodecim, quando discessit Roma, consequens est, vt fateamur cum ipso Bonauentura, duodecim quoque fuisse, vbi Pontifex Regulam Legislatori Francisco approbauerat. Et quod duodecimus socius ab eodem Bonauentura minimè fuerit derelictus. Itaque Seraphicus historicus in nullo discors erit, dum pro comperto asseritur, Regulam nostram scriptã, traditamque fuisse vndecim Discipulis à Francisco, sed postea duodecim, vt approbatam à Romano Pontifice, dedisse, eamque cum ipsis tunc simul professum esse, vt infra dicemus.

Mens D. Bonau. aperitur.

Nõ reliquisse 12. Discipulum demonstratur

SOCIETAS DVODECIMA.

Beati Angeli Tancredi cum Iuda Ischariotes per antitheton.

Duodecimus ex duodecim

Iudas laudatio, Iscariothes vir occisionis

CHristi Apostolus *Iudas Iscariothes*, vltimus verò Francisci Discipulus, haud amplius terrenus in Mundo, sed cælestis In Minorum Ordine, atque Angelicus Miles in Christi proditorem, seu in laudatum Apostatam, ac virum occisionis, *Iudas namque laudatio, Iscariotes autem vir occisionis interpretatur*;

B. Angelus Tancredus ex Vrbe Reate, Vir nobilis, & militari disciplinæ addictus. Huic Franciscus, eum obuium habens, licet antea ignotũ, Dei instinctu ex tempore dixit. *Domine Angele, baltheum, ensem, & calcaria militaria sat longo cinxisti tempore. Oportet te modò ferre pro cingulo rudem funẽ, pro ense Christi Crucem, pro calcaribus puluerem, & lutum platearum. Me ergo sequere, & faciam te Militem Christi*. Mirabile dictu! Statim Spiritus Sancti gratia adeò cor hominis ad suam flexit voluntatem, vt omnibus continuò relictis, virum Dei sequutus sit, & sequenti die paupercula, ac leucophæa veste se humiliter induerit, duodenariumque Frãcisçani Collegij numerum compleuerit. Sicque *vir occisionis* spiritualiter statim euasit aduersus vitia, vnde & promeritam laudem adeptus est. Et quod turpi impietate compleuit Iudas Iscariothes, proditorem agens, patricidã, imò & Deicidam, ingenua pietate è regione effecit noster B. Angelus in Diaboli dedecus, quo nomine Iudam ipsum nuncupauit Magister Christus illis verbis, *vnus ex vobis Diabolus est*. Iudas ergo postremus in duodenario Apostolorum Christi numero Diabolus operibus extitit, sed vltimus in numero duodenario Apostolici Discipulatus Francisci, nomine, & factis *Angelus* fuit Tancredus noster,

Franc. ad B. Angelum ei obuium, & nondum cognitum allocutio.

B. Angelus quomodo vir occisionis

Interior Angeli nostri homo repentino superni luminis lapsu ad primum Francisci verbum illustratus, repentina quoque motione nouit perfectè id, quod docuerat Interpres noster in principio serm. fer. 5. Quadrag. vbi ait. *Gratia Spiritus Sancti propter tria est sollicite procuranda, quia ipsa est suppletio sufficiens, copiosa, lata, seu ampla communitate. Est virtuosa, & magna actualitate. Est fructuosa, & grata commoditate*. Procurauit hanc gratiam B. Angelus à principio suæ vocationis, & conuersionis sollicitè, & sine vlla mora. Nam citò Spiritus Sanctus per os Francisci in eius corde infusus, quatuor in eo, cum esset vir nobilis, & diues, vnico, mirandoque actu operatus est. Inquit enim Doctor noster Dom. 2. post Epiph. *Spiritus Sanctus efficit animam humilem, & pauperem*. Isaiæ 66. *Item efficit obedientem, & patientem*. Sapient. 7.

Gratia Spiritus S. propter tria procuranda

Per vocem Francisci Dei verbum Christus Iesus intrauit Ciuitatem animæ Angeli nostri, & subitò commota est vniuersa, Matth. 21. *Reuera*, explicat misticè Doctor noster in serm. 1. fer. 3. Dom. 1. Quadr. *nunquam Deus Ciuitatem animæ nostræ ingreditur, quin magna commotio subsequatur*. Sed secundum diuersitatem aduentus hæc Ciuitas diuersimodè commouetur. Quam diuersitatem explicans quadrifariè, in quarto loco hæc subdit, & sunt valde ad propositum nostrum consona. *Quandoque*, inquit, *venit Deus ad Ciuitatem animæ per inspirationem, siue fiat per flagella, siue per beneficia, siue per prædicationem, & tunc fit in ea commotio, quia memoria turbatur de commissis, intellectiua illustratur, voluntas inflammatur ad peccata detestanda, &c.*

Commotio ciuitatis animæ in introitu Christi.

Commota, & commutata adeò celeriter, & mirabiliter Ciuitate animæ Angeli nostri, in ea postea intra nouam Francisci Religionem, Ecclesiamque vidit Ordo Minorum *Angelum descendentem de Cælo habentem clauem abyssi*. Apocal. 20. Neque audacter id ex meo capite assero, cum misticè, moraliterque proferat Doctor noster in Dom. 21. post Trinit. hac pulchra interpretatione. *Moraliter*, inquit, *Angelus est vir iustus, qui tunc de Cælo descendit, cum vita suæ statum in terra viuens, secundum Cæli puritatem informare satagit. Hic habet clauem abyssi, & catenam. Clauis est discretio, qua vir iustus claudit, & aperit abyssum cogitationum. Claudit cum restringit, aperit cum discernit. Catena in manu est pænitentia in opere. Dum enim contritio confessioni, confessio satisfactioni, satisfactio dilectioni proximi concatenatur, fit magna catena, qua vir iustus ligat Draconem, scilicet spiritum superbiæ. Serpentem, idest cogitationem venenosæ luxuriæ. Diabolum, qui hebraicè dicitur ruens, nempè auaritiam. Sathanam, scilicet malitiæ discordiam. Hæc omnia vir iustus ligat per mille annos, qui perfectus est numerus, idest finali perseuerantia*. Acta, & gesta B. Angeli nostri, in omni eius vita Angelici, omnia hæc mirabiliter comprobauere. Auctor Martyrolog. Frãcisçani agit de eo die Februarii 13. eiusque præconia breui ita restringit.

Angelus descendens de Cælo B. Angelus Reatinus.

Qua catena ligandus a viro iusto Diabolus.

Cum B. Angelo Tancredo, atque aliis duobus B.B. Petro Cataneo, & Bernardo S. Franciscus Romam profectus est ad sũmum Pontificem Honorium III. vt diem determinaret pro Indulgentia S. Mariæ de

Acta B. Angeli.

de Portiuncula lucranda, quam antea sibi Perusii concesserat. Hunc B. virum nuncupatione, & conuersatione Angelum idem Seraphicus Pater vna cum BB. Leone, & Masseo assumpsit in socium peculiarissimum, quando primum ad sacrum Aluerniæ Montem accessit, & ibi cum eo stetit. Præterea ille est hic Eques, & Frater Minor, qui eundem S. P. Franciscum in prædicatione sequutus est. Nam cum reuelatum cælitus fuisset B. Syluestro, ac S. Virgini Claræ, D. Franciscum haud constitutum à Deo, vt solitaria loca peteret, & orationi operam daret, & veluti eremiticam ducere vitam; sed potius vt concionando inter homines conuersari deberet; statim vir Dei, assumptis duobus sociis BB. Masseo, & Angelo nostro, ad prædicandum accessit.

7 Fuit in Aluerniæ Monte cũ Franc.

Huic mandauit Franciscus, timenti solus stare ob Diaboli formidinem, qui eum assiduè inquietabat, vt conscenderet solus quemdam excelsum montem, & ibi alta voce sic clamaret. *Superbi Dæmones, modò ad me venite omnes, & facite mihi quidquid potestis*. Quod cum ille promptè, atque humiliter adimplesset, & nullus illorum aduenisset, impauidus deinde remansit, & in hunc modum expertus est in seipso, nomine, & moribus Angelo, veram esse Doctoris nostri sententiam præpositam, *virũ scilicet iustum, esse moraliter Angelum descendentem de Cælo, &c.*

Curialitas & benignitas B. Angeli.

De B. Angelo nostro solebat dicere S. P. Franciscus, constituens iconem, siue ideã, quam vnusquisque Religiosus, maximè ex Ordine Minorum in seipso exprimere deberet. *Ille censendus esset*, aiebat, *verus Frater Minor, qui fidem haberet B. Bernardi de Quintaualle. Simplicitatem, ac puritatem B. Leonis. Curialitatem B. Angeli*. Hic vir potissimum in magnum dedecus inurbanæ, inciuilisque Iudæ proditoris naturæ fuit omni curialitate, ac benignitate donatus. Latini Interpretes, qui à *cura*, dictam *Curiam* faciunt, duplicem quoque Curiam distinguunt, alteram sacrorum, alteram Senatus. *In Curijs etiam* (aiunt apud Manutium) *vel Sacerdotes res diuinas, vel Magistratus humanas curabant*. Curialitas apud viros Religiosos ea esse debet, quæ cum affabilitate, atque mansuetudine, lenitate, atque placabilitate confunditur.

Religiosa curialitas cõmendatur

Prima, quæ apparuit dos, seu prærogatiua in Christo nascente, ista curialitas extitit, quam alio modo benignitatem, & humanitatem Apostolus nuncupat, scribens ad Tit. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, &c.* Quamque superlatiuo vocabulo in eo D. Bonauent. commendat, *Curialissimum Dominum ipsum* nuncupans. Adfuit in B. Francisco a[?] miraculum. Sacer huius heroicæ virtutis cultor ille omninò est, de quo Doctor noster Dom. 13. post Trinit. *Vir iustus dum pœnitentiæ operibus intendit, dum in dulcedine contemplationis se suspendit, dicens cum Iob* 7. Suspendium elegit anima mea, *tunc verè est Iob, idest vir simplex, rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, habens septem filios, & tres filias. Septem filij viri iusti sunt septem beatitudines, de quibus* Matth. 5. *Tres filiæ tres partes pœnitentiæ*. Vide omnium declarationem apud ipsum. Vir fuit Iob potentia, diuitiis, & sapientia magnus, imò iuxta alios, fuit Rex Idumęus, cuius regia Hus erat, ac per consequens fuit curialium Religiosorum Princeps.

Christus curialissimus fuit.

Iob Curialium Religiosorum Princeps.

Vtinam omnes cuiusuis Ordinis Religiosi tanti Principis, ac Regis cum nostro B. Angelo illam imitarentur curialitatẽ, quæ meritò adeo B. Francisco placebat, nam dum S. Pater pęnitentiæ operibus intẽdebat, dum in dulcedine contemplationis se suspendebat, Iobi mores in semet pulcherrimè componebat hic curialis Discipulus, exprimens virum simplicem, rectum, ac timentem Deum, & recedentem à malo. Vnde & septies digna prole fœcundus, sicuti septies beatus, scilicet paupertate spiritus, animi mansuetudine, luctu oculorum, esurie, ac siti iustitiæ, misericordiæ munere, cordis munditia, pacis tranquillitate. *Istæ septem beatitudines* (claudit Doctor noster) *sunt septem filij viri iusti, quorum gloria nobilis, potens, & clara efficitur*, vti effecta de facto est in B. Angelo nostro.

Fęcunditas Euangelica, è curiali virtute procedens.

Hic verè curialis, & benignus euasit iuxta intentionem S. Francisci, scilicet nequaquam alienus à sancta ea rusticitate, quam dum commendat B. Bonauent. condamnat simul omnem simulationem, omnem cordis duplicitatem, sub specie sanctitatis, ac virtutis binam iniquitatem cõtegentem, quam semper abhorruit Christus, quamque detestatus est in se, atque in suis Franciscus. Angelicus in hunc modum in sancta sua curialitate, affabilitate, ac tractabilitate effectus B. Angelus, haud mirum, si

1 *In Paupertate spiritus* opera sua veritus est, timens desidiam, & fraudem. Desidiam enim facit minor amor Dei, fraudem proprius amor sui, dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel fauoris aura, vel quælibet res exterior desideratur. Si

Proprius amor paupertati spiritus aduersus.

2 *In Mansuetudine animi* mentis asperitas, vel amaritudo eum non affecit, sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruxit patienter. Si

3 *In luctu oculorum mærore* suo pro-

prio sacrificium Domino contriti cordis sine vlla intermissione in tota vita obtulit. Si

4 *In esurie, ac iustia siti* ipsa iustitia sicut vestimento indutus, se mundum bono opere induit, vel protexit,& nullam partem actionis suæ immundam peccato reliquit. Si

5 *In misericordiæ munere* eo modo triformis mirabiliter apparuit, quo hanc beatitudinem describit Doctor noster in Dom.4. post Trinit,vbi ait(post ostensam sub triformi vultu Dei Misericordiam) *Misericordia etiam tua debet esse triplex circa proximum. Si in te peccauerit, ei dimitte. Si à via veritatis errauerit, instrue. si esurit, refice.* Si

Misericordia nostra debet esse triplex

6 *In cordis munditia* nec videre voluit cum Iob, quæ concupiuit, nec vidẽdo sequutus est in Religione, quę concupiuit in sæculo, nec adhæsit macula in suis operibus, siue actionibus, &c. Si

7 *In pace, & tranquillitate animæ suæ* iudicari cum sibi sanctitate, & gradu infimis non renuit,liquidè idcircò iudicans, quod contra nullum proximum tumidus fuit, sed *curialis, & benignus*. Paupet spiritu, Mitis animo, Lugens oculis, Esuriens, & sitiens iustitiam,Misericors tripliciter, Mundus corde, Pacificus,& quietus.Hanc pretiosam, misticamque doctrinam à B. Gregorio Magno, cui subiectũ S.*Iob*, Duce Interprete nostro loco citatò, in gratia B.Angeli nostri curialitatis, ac benignitatis dulciter prælibauimus.

Adiunctis sibi affabilis; Angelicusque vir iste paris sodalitii cõmilitonibus BB. viris Leone, & Ruffino, D.Claræ Virginis consanguineo, miracula S. P. Francisci scripto digessit, iubente B.Crescẽtio Aesino totius Ordinis Generali Ministro.Quod etsi non aliunde, ex trium tamen sociorũ literis, missis ad eumdem Generalem 3. Idus Augusti ann. 1247. qui erat Generalatus illius annus 2.liquet quã clarissimè.

Scripsit gesta S.P.Frãcũ BB.Leone,& Ruffino

Præsens adhuc B. Angelus anno 1253. moribundæ S. Virgini Claræ apud S. Damianum 12. Augusti, tandem ipse postea obiit Assisii hoc nomine ter felix, quod in æde Sanctiss. P.Frãcisci nec ab eiusdem sepulchro procul sit conditus: signa quoque, & mirucula viuens, & mortuus ediderit. Hactenus Auctor Martyrolog.apud quem etiam plurimi historici, qui de B. hoc Angelo scripserunt.

Vide Martyrol. die Februar.

Hic dũ omni huius prioris partis Apostolicæ structuræ finem imponimus, libet istam veluti inscriptionem ei apponere scripturam,qua verbis S.Antonini ex 3.p. histor.tit.24.cap.7.poterit quilibet scire eius fundamenta numero, & virtute Apostolica verè extitisse. *Isti sunt,* ait,*duodecim Fratres, quasi duodecim Ordinis fundamenta, & duodecim Apostoli, vitam Euangelicã totis viribus seruare eligentes. Qui omnes fuerunt sanctissimi viri, excepto Fratre Ioãne de Cappella, qui vt alter Iudas factus in Ordine leprosus,furore succensus Ordinem egrediens à Deo sic in manibus Dæmonũ relinquitur, quod abiens, laqueo se suspendit, vt etiam in tam peruerso discipulo Franciscus conformaretur Christo. Nonne,inquit,ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est?* In locum Ioannis Cappellæ ingressus est,vt diximus B.Gulielmus Anglus.Omnes simul hi duodecim cõstituerunt illos duodecim Leunculos Throni Salomonis Christi in eius Ecclesia, de quibus Interpres noster in ser.Dom.5.post Trinit. *Per duodecim Leunculos*, ait, *Prædicatorum Ordo, Apostolicam doctrinam sequens, significatur. Hi supra sex gradus hinc, atque illinc stant, quia bonorum operum gressus hinc,& inde doctrinis,& exemplis murum Ecclesiæ circumdant.*

Finis Primi Tractatus.

SANCTE FRANCISCE PROPERA,
TVA LEGE ROMAM PROSPERA.

TRA-

TRACTATVS II.

Lex lata Minoribus á Francifco, quoad eius approbationem, ob quam antea, & deinde haud pauca mifteria, quorum nouem præcipua fub nomine euentuum propofita, in hac Vrbe Roma innotuerunt.

Sub præfatis Principibus, atque ad eundem Annum 1209.

LIBER TERTIVS.

Francifcus ftatuit cum xi. Difcipulis fuis petere Minorum Legis à Sede Apoftolica approbationem. Addito iam fibi in itinere alio ante Vrbis ingreffum difcipulo, Vrbem cum illis xij. mox ingreditur.

Textus Hiftoriæ D.Bonau.

Defiderans Chrifti famulus per Summum Pōtificem approbari, quæ fcripferat, difpofuit cum illo fimplici cætu Apoftolicæ Sedis adire præfentiam, de fola confifus directione Diuina. Cuius defiderium Deus ex alto refpiciens, fociorum animos, fimplicitatis fuæ confideratione perterritos oftenfa viro Dei vifione huiufmodi confortauit. Bonau. cap. 3. vitæ, & legendę S. Francifci, cuius vifio inferius fuo loco.

CERNO nunc iuxta hanc hiftoriā in perfona Francifci, Præfidis, ac Prælati agentis officium, a fe ad eum honorém adeó pōderofum minimè affumpti, fed electi à Deo, mifticum illud, ac triforme, fcilicet Centurionis, Dauidis, & Iudæ Machabei fimulacrū, quod in vno, eodēq corpore efformatū ita defcribit Interpres nofter in Dom. 3. poft Epiph. & de quo nos alias. *Moraliter Cēturio, militibus ftipatus fignificat Prælatum, vel quemlibet iuftū, qui virtutibus tāquā militibus debet effe vallatus, & munitus.* Sic legimus 2. Reg. 15. quod omnis populus, & vniuerfi bellatores à dextro, & finiftro latere Regis Dauid incedebant, & legiones Cerethi, *ideft exterminatores*, & Pheleti, *ideft viuificatores. In quibus virtutes defignantur, quæ vitia exterminant, & animam viuificant.* Sic dicitur 2. Machab. 15. quod cū Iudas Machabeus, & Timotheus conueniffent in prælium, & vehemens pugna effet, apparuerunt de

Mifticus Cēturio Franc. Legislator.

Item & Dauid Rex

Cælo viri quinque in Equis, frenis aureis decori, Iudæis ducatum præftantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes circumfeptum, incolumem conferuabant. In aduerfarios autem tela, & fulmina iaciebant. Ex quo & cæcitate confufi, & repleti perturbatione cadebant. *Timotheus interpretatur beatificus, & fignificat Diabolum, qui mundi amatoribus modo videtur beatificus, fed poftea ipfis erit venefieus; vt quem habuerunt incentorem malorum in culpa, habeant tortorem in pœna. Hic congregato exercitū vitiorum conuenit ad oppugnandum Machabæum, ideft virum iuftum, inter quos vehemens pugna fit.* Sed ecce de Cælo, *ideft cælefti pietate*, quinque viri, *fcilicet quinque virtutes, quæ funt. Humilitas mentis, Caftitas corporis, Amor paupertatis, Excellentia geminæ caftitatis; Propofitum perfeuerantiæ finalis. In equis* bonæ voluntatis. In frenis *abftinentiæ, & difciplinæ*. Aureis *difcretione*. Iudæis fcilicet *pœnitentibus*, ducatum præftantes, & aduerfarijs *Dæmonibus, & vitijs exitum parant. Ingreffus enim virtutis, egreffus vitij*

Itē & Iudas Machabæus

Certamē malorū aduerfus iuftos.

Ingreffus virtutis eft vitii egreffus

operatur. Humilitas à cordis elatione, Castitas à corporis corruptione, Machabeum, *idest virum iustum incolumen protegunt, & defendunt*.

Ex his perficiens inclitus Interpres totā mistici Centurionis prædicti imaginem, ex qua Francisci Legislatoris, ad Sedem Apostolicam accessum cum suis parantis, proditur idea, subdit statim. *Quicumque talibus fuerit militibus munitus* (sicut tunc erat Franciscus, de sola cōfidens directione diuina, iuxta textum historiæ) *bene dicere potest* huic, *idest Humilitati, & Patientiæ mentis*. Vade *ab omnimoda subiectionis obedientia, ad omnis iniuriæ tolerantiam*, & vadit. Et alij, *idest Castitati, & Abstinentiæ*, veni *ad refrenandum gulæ appetitum, carnis lubricum*, & venit. *Hoc idem de alijs virtutibus est dicendum*. *Et sensui meo* fac hoc, & facit. *Seruus viri iusti est caro. O quam felix est, qui hunc seruum subiugabit; vt his, quæ sibi iustè præcipiuntur, obediat, vt dicatur ei. Ieiuna, & ieiunat, vigila, & vigilat, &c.*

Quinq. virtutibus munitus Franc.

Hisce quinque inuictis, & fortissimisque virtutibus munitus Franciscus cum illo simplici cætu, cui humillimè præerat, trinam formam, iconemque, nimirum Centurionis, Dauidis, & Machabæi in se spiritualiter repræsentabat. Hinc post duram repulsam, post aduersantem sibi in maiori parte Curiam Romanam, sanguinem, & carnem (non suam, quam mirabiliter subiugauerat, sed extraneorum, quibus caro, & sanguis, quorum discrimen cum insueto spiritu illo Euangelico ignorabant, adhuc reuelabatur) expugnauit, vicitque. Vti ex dicendis planum fiet.

Pergit Romam cū suis Discip.

CAPVT PRIMVM

Pro primo Euentu.

Aduentus Legislatoris Francisci ad Vrbem Romam cum xij. Discipulis suis pro Minorum Legis approbatione, eiusque tum prima accessio ad pedes Pontificis in loco, qui dicebatur Speculum; tum acris, ab ipso Pontifice sibi affecta repulsio.

EXcelsa, *sublimisque Roma* est in suo nomine, quod ita eam latinè ex hebræo explicant Interpretes; inter quos Doctor noster, & Magister noster, *Romanos excelsa tonantrua*, in serm. 6. Dom. Passionis appellat, Aduentus Francisci Legislatoris in Vrbe Roma ob Romanæ Ecclesiæ reparationem cum duodecim Apostolicis viris eò profectò excellior, sublimiorque, ac per consequens & Romanus nomine, & re, & loco, & gradu, quò humilior, ac despectior. Pari modo philosophatur Doctor noster de Christi aduētu in Mundo, ob quem Deus absconditus, atque eius pariter vultus absconditus ab Isa. cap. 44. & 53. dictus legitur. *Et benè dicitur absconditus*, ait Interpres, *humus enim diuinitatis abscōditus fuit in esca humanitatis, vt sicut dicitur Isaiæ 27.* occideret Cœtum, *idest Diabolum*, qui est in Mari, *idest in Mundo salso, & amaro. Vnde Iob 40.* In oculis eius quasi hamo capiet eum, *scilicet Behemoth. Humilis capit superbum*, noster infan ulus, serpentem antiquum.

Roma ex hæbræo excelsa, & sublimis.

Deus cur dicatur abscōditus.

Contingit autem hæc admiranda prædatio humillimo Deo, caro facto (teste eodem Doctore nostro) quia cum esset Sol iustitiæ, ipsa claritudine clarior, ipsa altitudine eminentior, factus est niger, vt saccus cilicinus Apoc. 6. *Sacco enim* (subdit ipse) *nostræ humanitatis cooperuit lucem suæ diuinitatis*. Posui, inquit Psal. vestimentum meum cilicium. *Et quid tibi, Dei fili, & cilicio? Hac veste non Deus, sed reus, non Creator, sed peccator meritò debet indui. Pænitentis non peccata dimittentis est vestimentū. Quid ergo tibi, & cilicio? Multum quidem & per omnem modum peccatori homini necessarium, quia* pœnitet me fecisse hominem, Gen. *Idest pæna tenet pro homine*. Hucusq. Doctor noster. Sub hoc pœnitentis cilicio, & peccatoris habitu veniens Deus in Mūdum despectus, & subiectus, *Romanus*, vt ita dicam, effectus est *eius aduentus*. Nam capiens Diabolum, huius Mundi principem, fundansque nouam Ecclesiam, eique legem Euangelicam cum xii. Discipulis tradens, *excelsus, sublimisque euasit*, & tam ipse, quam socii eius ea tonitrua, fulminaque probitate vitæ, atque Euangelicæ doctrinę promulgatione aduersus hostes innumeros terribiliter immiserunt, quæ deinde totus terrarum Orbis, in quem sonus eorum exiuit, expertus est. *Factus est ergo* (concludit Doctor noster ser. Dom. 1. Aduentus) *Sol niger quasi saccus cilicinus. O primus, ò nouissimus, ò sublimis, & humilis, & vilis*. Hæc ille.

Christi aduentus sub cilicio humanitatis.

Quomodo Romanus dici potest.

Prima, & nouissima erat apud homines *Roma* in Christi aduentu, quia totius terrarum Orbis primæuū erat Romanū Imperium. Erat tamen apud Deum & nouissima ob idolatriam, qua carens, Dei populus in hebraica gente primus vtique in illa Ecclesia eo tempore ob veræ Religionis cultum dicebatur. Licet postea res mutatæ, quia Gentilitas sponsata Christo, & Synagoga ab eo repudiata, in Christiana deinde Ecclesia *primi facti sunt nouissimi, & nouissimi primi*. Erat quoque *Roma*, adueniente in Orbe Dei filio, *sublimis*, & tonans

Roma in Christi aduentu prima, & nouissima.

tonans tam nomenclatura, quam reapse. Nam eminenti suo regimine, quo eleuabatur super cuncta Mundi sceptra, cuncta pariter & Mundi sceptra curuabat, eaque sibi potestate, & formidine subiiciebat. Ex exigua excelsa euaserat Roma. Subiecta principio pastoribus, sublimis deinde Principibus effecta est. Ita Romæ Imperium incepit, vt à mari vsque ad mare vniuersis populis dominaretur; atque eius humilitas superbè sapiens, totius Mundi caput euaderet, & totius Mundi Religionis, regiminis, ac disciplinarum fieret exemplar.

Ex exiguis initiis excelsa effecta.

Tam nobilis est humilitas, vt eius veste ipsa superbia induatur, inquit Bernardus apud Doctorem nostrum, cuius sententiā superius expressimus. Verum *oriens*, tonans ex alto *excelsus Dominus*, terruit, cōcutiitq. extrema terræ, *excelsior Cælis factus*: non tamen contectus humilitatis, & pœnitentiæ veste, ceu *ouina pelle lupus*, sed veluti *Agnus mansuetus*. Sic venit in Mūdo Deus. Sic eius Aduentus Romanus, quia in eo primus, & nouissimus, sublimis, & vilis visus, & conuersatus est. Sic denique eminens, & tonans apparuit, terrensque extrema terræ per Vrbem Romam, quo eius Vicarii à Regibus, & Principibus terræ adorandi erant. *Quis poterit tonitruū eius intueri?* Iob 26. & iterum cap. 28. *Numquid tenuisti concutiens extrema terræ?* Vbi Interpres noster Dom. 12. post Trinit. *Dominus extrema terræ tenuit, cum infirma, & abiecta elegit, vt fortia per ipsa confunderet*. In tali aduentu, in quo Christus veluti nouæ Ecclesiæ fundator, & legislator venit, Francisci aduentus in Vrbe Roma, vt esset ibi nouæ legis-dator, & veteris Ecclesiæ, scilicet Apostolicæ per omnem terrarum Orbem Restaurator, præsignatus fuit, vt ex dictis manifestè patet.

Sapiendum, sed humiliter.

Aduentus Frāc. Romæ Aduentui Christi in mundo similis.

Venit ergo Romam Legislator Franciscus illo humanæ Redemptionis an. 1209. in quo humana redemptio cum sanguine testamenti conculcabatur. Et venit vilis, humilis, despectus; & cruciformi, & Christiformi cilicio cum 12. Discipulis indutus; vt obtenta à Sede Apostolica suæ Legis approbatione, paulò post in Domino suo extrema terræ teneret. Qui Christi exordia, & exempla secuturus, infirma iam, & abiecta elegerat, vt fortia per ipsa confunderet. Præmonstrauit iam ipsi Francisco modum hunc visio quædam, dum Romam ire pro suæ Regulæ approbatione deliberauerat, *de sola confisus directione diuina*, ait Bonau. cap. 3. Legendæ, vbi hæc alia statim annectit. *Cuius desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos simplicitatis suæ consideratione perterritos, ostensa viro Dei, visione huiusmodi confortauit. Videbatur siquidem ei, quod per quamdam viam incederet, iuxta quam stabat arbor celsitudinis magnæ, ad quam cum appropinquasset, & sub ea stans, ipsius altitudinem miraretur. subitò tantum diuina virtute leuabatur in altum, vt cacumen contingeret arboris, eiusque summa facillimè curuaret ad ima. Huius visionis præsagium vir Deo plenus intelligens referri ad condescensionem Apostolicæ dignitatis, exhilaratus est Spiritu, fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis aggressus est*. Hæc Bonauent.

Visio monstrata Franc. in itinere.

Flexo altissimæ, cælestisque Arboris Ecclesiæ Romanæ cacumine, cuius initia granum sinapis, ad ima Francisci præsagium fuit, quod ipsius in Vrbē aduentus aduentui Christi in Mundū assimilandus erat. Erat tunc voluntas Francisci illa arbor Euangelica Matth. 4. de qua misticè Doctor noster Dom. 8. post Trinit. *Arbor bona est bona voluntas, cui vt constituat bona, quinque sunt necessaria, scilicet Radix humilitatis, Truncus obedientiæ, Rami charitatis, Folia sanctæ prædicationis, & Fructus, idest dulcedo supernæ contemplationis. Radix humilitatis quanta est in profundo cordis, tanta est in altitudine operis, & hoc significat aqua, quæ in canalibus fontium tantum ascendit, quātum descendit. Vera humilitas quanto profundius infigitur, tanto magis inclinatur, & sic magis exaltatur*.

Volūtas Frā cisci Romā venientis, Arbor Euangelica.

Huic radici humilitatis Francisci flectendus erat apex Ecclesiæ in Christi Vicario, illique, ne funditus rueret, innitendus. Aliquid eorum, quæ contigerunt in eius aduentu circa approbationem suæ Regulæ post duram repulsam, enarratū est in 1. tomi 2. Hierarchiæ nostræ facie ad fol. 3 2. & vlterius, vbi de inclito Præsule Ioanne de Columna S.R.E. Cardinali, ac primo Ordinis Protectore, qui Francisci causam, iam prius acriter reiectam vti nouam, & insuetam, apostolico spiritu conciliatoriter aduocauit. Ipse postea Romanus Pontifex Innoc. III. post approbatam Regulam, contulit etiam ad instantiā præfati Cardinalis omnibus tredecim illis Apostolicis viris Minores ordines, & Frācisco vsque ad Diaconatum, vti etiam diximus ex Mariano cum Vadingo in altera eiusdem 2. tom. Hierarchiæ facie. Professus est Franciscus cum 12. sociis & Discipulis Regulam, quam pro se, & suis Fratribus scripserat, in eiusdem Pontificis manibus, vt scribunt Historici nostri. Insuper (ait Bonau. cap. 3. citato legendæ in fine) approbauit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis Fratribus omnibus, qui seruū Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbū Dei liberè prædicarent. Sed de his inferius singillatim, vbi de septem Euentibus, &c.

Vide infra in 2. Euentu, & vlter.

Coronæ paruulæ Fratr. laicis B. Frācisci sociis concessæ.

Locus

Locus Speculi Palat. Later.

Locus tamen, in quo principio introductus est Franciscus ad Vicarii Christi pedes, haud puto silentio prætereundus, de quo ita Seraphicus Historicus cap. eodem post medium. *Cum autem ad Romanam Curiam peruenisset, & adduceretur ante conspectum Summi Pontificis, essetque Christi Vicarius in Palatio Laterenensi, in loco, qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus,* Christi famulum tamquam ignotum *repulit indignanter, &c.* Hic locus, Speculum dictus, erat in Lateranensi Palatio Xistus Papę, seu ambulacrum, speculis vndique confertum, quo poterat Pontifex inde transituros commodè intueri, nec tamen ab aliquo inspici. At post Seraphicæ linguæ historicam locutionem, audienda *Lingua* Doctoris nostri *benedicta*, ita ab ea nuncupata, & ante illã etiam & ipsa locutione, & eloquentia ex longo tempore Seraphica.

Franc. christallum symbolicum.

Christallum, ait in cap. 1. Gen. *radijs Solis tactum, vel percussum, scintillas ardẽtes emittit. Sic fidelis vir, ac iustus Solis radijs illuminatus, scintillas rectæ prædicationis, & bonæ operationis, proximum accendentes debet emittere.* Hasce Seraphicas scintillas christallinum B. Frãcisci Speculum iam inceperat apostolicè emittere. Ast non quale tunc de facto erat oculis Dei, & Angelorum, illud Christalli Speculum sub Pontificio Speculo fuit statim cognitum, & admiratum. Ego sum lux Mundi, &c. Ioann. 8.

Christus lux mundi propter quatuor.

Lucem Mundi se nuncupat Christus propter quatuor, explicat Interpres noster serm. Sabat. Hebdom. 4. in Quadrag. *Est enim,* ait, *vt lux primò inflammatiuus caloris. Nam videmus ex luce ignem accendi, & corpora inflammari; sed hoc non accidit, nisi vbi eius radij maximè aggregantur. Vnde quia terra est sicut centrum, in ea sunt magnæ inflammationes: in tantum, quod tota combureretur, nisi contemperaretur à frigiditate, & humore Lunæ. Sic verè lux Christi inflammatiua cordiũ, ignem Dei venit mittere in terram, néc vult aliud, nisi vt ardeat. Sed hic ignis non accenditur, nisi vbi eius lucis radij aggregantur.*

Ignis lucis Christi in humilibus accenditur

Hoc autem solum fit in Humilibus, qui tenent locum Centri, quia æqualiter à tumore circumferentiæ tenentur. Quia ad circumferentiam qui sunt, habent cor tumidum, & inflammatum. Insuper semper ambulant in magnis in corde suo, & circumferuntur *hinc inde varijs tentationibus cogitationes. Solus autem Humilis stabilis, & ad instar centri. Ibi fit aggregatio radiorum diuinorum. Ibi fiunt inflammationes. Exemplum huius de Speculo concauo. Sunt enim Speculum, quia ipsorum vita est speculum, & terra ab omni macula polita per mansuetudinem, quia nullam continet austeritatem. Concauum per humilitatem, & ideo ex eo ignis accenditur, sicut experientia docet.* Hactenus Interpres noster qui ibidem ponit aliud exemplum de amphora vitrea, plena aqua, &c. Sed hoc inferius, vbi de Francisco, secundò Legislatore, instituente Ordinem S. Claræ.

Est secundò Christus lux, quia excitatiuus vigoris, & istud sequitur ex primo. Tertio generatiuus coloris ob diuersas imagines, quas terræ imprimit, quia formam Leoninam, dum scilicet dat colorem fortitudinis; humanam dum scilicet actum prudentiæ. Quartò fecundatiuus valoris, *facit enim terram cordis nostri germinare. Terra germinat aurum, & cor nostrum thesaurum virtutum.* In humillimi cordis Francisci Speculi concauitate diuinus ignis hos quatuor effectus siue inflammando calorem, siue vigorem excitando, siue generando colorem, siue tandem valorem fęcundãdo peculiari quadam, sicut tempore Apostolorum, operatione produxerat. Verum istud speculum, quadriformiter in eius humilitatis centro Seraphicum, ac mirificum adhuc ignorabatur sub Speculo Palatii Pontificii.

Speculũ symbolicè pro vitio.

Si quis, ait Iacobus Apostolus, *auditor est verbi, non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.* Duplicem interpretationem afferet hic Doctor noster, nunc per Speculum vitium intelligens, nunc verò sacræ scripturæ librum. In priori interpretatione eius comparatio ita se habet. *In speculo tria sunt consideranda, scilicet vilitas, fragilitas, claritas. Speculum nihil aliud est, quam stultissimum vitium, in quo sicut in speculo tria sunt. Vitrum est vile in materia; fragile in substantia, clarum in splendore, quia oppositum Soli, lucet ad instar Solis.*

Vitiũ, & vitrum quomodo inter se conueniant.

Iuxtà hanc priorem interpretationem, textui Iacobi admodum concinnam, sicuti multa est propinquitas nominis inter *vitrum, & vitium,* ita haud modica rei inter vtrumque vicinitas. Vitium dicimus propriè id, quod virtuti opponitur ita nuncupatum, quia vitandum, fugiendũq. *Virtus est vitium frangere,* ait Seneca lib. 1. Epist. Vilius est vitro vitium in materia, nam tendit in destructionem virtutis, qua nihil est pretiosius. Est pariter vitium & vitro fragilius, clariusque, tum quia vilitas moralis in rem nobiliorem, quæ est mens, animusque, insurgens, eam penè ad nihilum redigit. Tum quia apparenti bono contectum (alioquin à voluntate, quæ in præcognitum obiectũ liberè fertur sub aliqua specie boni minimè amplecteretur) amore sui ipsa virtus spernitur, veluti res obscura, & ipsis tenebris contemptibilior. Igitur vitrum est stultissimum vitium, cui merito ille vir insipiens comparandus, qui verbi auditor est, sed non factor; dũ enim audit

audit verbum, nunc vitium, vt vitet, fugiatque, nunc virtutem, vt amet, sequaturq. sibi proponens, statim obliuiscitur. Quia totum, quod sibi proponitur, contemnit, & tunc magis virtute perit, cum magis virtutem perimens, vitii vilitatem, fragilitatem, vanumque splendorem diligit, dicente Plauto, *hoc vitium maximum est, cum amamus, tunc perimus*

Franciscus perfectus auditor, & factor verbi Dei euasit, quando auscultans mira deuotione sacrum, audiuit illud euangelicum: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. Vbi Bonau. cap. 1. legendæ de Francisco in principio suæ primæ conuersionis. *Induit ex tunc*, ait, *spiritum Paupertatis, & Humilitatis sensum, & affectum intima pietatis*. In secunda verò, atque totali eius conuersione, eremiticum viuendi modum non absque aliqua cōmoditate antea electum, abnegans, nouumq. morem, habitumque verè Apostolicum deligens illud aliud euangelicum ad id cum impulit, quod in Missa de Apostolis aure, & corde intellexit, illis verbis cap. 10. in quibus mittens Christus suos ad prædicandum Discipulos, tribuensque eis Euangelicam viuendi formam, monuit, ne possideant aurum, aut argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod monitum citò, hilariterque exequens, Apostolicam amplexus est spiritus, & corporis Paupertatem; vna iam postea contentus tunicula, pro cingulo funem sumens, calceamenta deponens, *parum de sandalus solicitus*, plus verò nunc de omnimoda pedum nuditate, nunc aliquando de imis calepodiis ad maioris paupertatis argumentum respectu eorumdem sandalium, vt in Hierarchia ad 1. & 2. tomos probauimus. Pecuniam execrans, baculũ deponens, quod attulimus supra in 1. cap. ex D. Bonauent. interiori, necnon & exteriori forma vtrique homini Christi Legislatoris seipsum in sua legislatione mirum in modum accommodauit.

Franc. spiritus paupertatis, humilitatis, & pietatis.

Vitæ Christi, & Apostolorũ totaliter adaptatus.

Sic fracto omnimodè in eo cuiuslibet vitii vitro, seu speculo prioris vanitatis, in qua licet nutritus, attamen semper à Dei gratia clementer præuentus, ne in læthale vitium laberetur, euaserat ipse omnis probitatis speculum, cuius cordis cādor in decus, lumenque oris transierat, iã Christo multimodè conformatus, qui est speculum sine macula, & Paternæ bonitatis imago. *Omnium virtutum custos, & decor* (ait Bonauent. cap. 6. legendæ in princip.) *Humilitas copiosa virum Dei vbertate repleuerat. In propria quidẽ reputatione nihil erat, nisi peccator. Cum in veritate* Speculum *esset, & splendor omnimoda Sanctitatis*. Et quia simile conseruatur in simili, & effectus assimilatur suæ causæ, hinc aliud speculum tam pro se, quam pro suis Fratribus in lege sua, ac Regula, inspirante, & reuelãte Deo à se scripta, fabrefecit. Istud deinde speculũ aliud suæ humillimæ vitæ speculo conformissimum in loco speculi, vbi aderat Christi Vicarius, altis occupatus meditationibus in specula vitiorum illius temporis, per quæ tota vtique Christianitas vt dementata erga virtutes viuebat, cum seipso speculo præsentauit.

Speculũ sanctitatis Franciscus.

Quod ita demonstrari potest ex altera Doctoris nostri interpretatione, quæ talis est. *Vel vitrum, & speculum est sacra scriptura, in cuius splendore natiuitatis nostræ vultum debemus considerare. Vultus natiuitatis nostræ est, vnde nati sumus, quales, & ad quid. Vnde nati, quantum ad vilitatem materiæ. Quales, quantum ad fragilitatem substantiæ. Ad quod, quantum ad dignitatem gloriæ, in qua si factores verbi fuerimus, ex vicinitate veri Solis lucebimus*. In Speculo sacræ doctrinæ ista tria reperiuntur. *De vilitate materiæ, Gen. 3*. Cinis es, & in cinerem reuerteris. *De fragilitate substantiæ, Psalm*. Anni mei sicut aranea meditabuntur. *Quid araneæ tela fragilius? Quid vita hominis corruptibilius?* qui minima læsura, modica febricula corrumpitur? *De dignitate gloriæ*. Fulgebunt iusti sicut Sol. *In hoc speculo miser homo cum natiuitatis suæ vultum considerat, scilicet qualiter natus, quam fragilis, quam vilis, vel quid futurus, aliquando compunctionem, & pœnitendi voluntatem contrahit, &c.*

Speculum scripturale.

Vultus natiuitatis nostræ in eo triformis.

Sacræ doctrinæ speculum lucidius proculdubio vultus natiuitatis nostræ, clariusque in scriptura euangelica est, veluti purissima lux, non solum ipsa vmbra nitidior, sed ipsius vmbræ dissipatrix, euacuatrixque. Testamentum enim nouum omnia, quæ in testamento veteri adumbrabantur, tenebris subtraxit, consummauitque. Cum ergo lex data à Francisco tota lux Euangelica esset, & vt testatus est postea in eius reformatione veluti *Euangelij medulla, liberque vitæ*, nihil aliud in loco speculi poterat ea Franciscus, cum ipse esset in veritate *Speculum, & splendor omnimodæ sanctitatis*, præsentare Innoc. III. Pontifici, *nisi speculum* Scripturale *euangelicum*. Imago in eo cinerea vilitatem humanæ naturæ, viliter tractandæ habitu exteriori, operibus pœnalibus, mortificatione arbitrii, & corporis per vota, præcepta, admonitiones, correptionesque oculis Christi Vicarii primo aspectu obiicit. At verò sub alia mente, & imagine cernit Pontifex in tali speculo fragilitatẽ sub-

Regula S. Franc. speculum Euangelicum.

Ipse Legislator speculũ & splendor omnis sanctitatis.

substantiæ humanæ naturæ, veluti imbecillissimæ, ad eam vitam, quam ibi verbo, & exemplo patefaciebat Legislator, sustinendam, obseruandamque.

Fractum speculi vitrum semper minor fit, nam partes eius per fractionem semper diminuuntur. Humana substantia in fraternitate speculi Regulæ B. Francisci vsque ad minoritatem peruenit sub cineris habitu. Voluit namque humillimus Legislator, vt omnes ex sua societate Fratres Minores nuncuparentur. Superiores verò, siue Prouinciales, siue Generales Ministri, & serui appellari mandauit. Quod perpendens Bonauentura cap. 6. Legendæ: *Hac de causa*, inquit, *humilitatis forma Franciscus Fratres suos voluit vocari Minores, & Prælatos sui Ordinis dici Ministros, vt & verbis vteretur Euangelij, quod obseruare promiserat, & ex ipso nomine discerent Discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad Scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Iesus Christus, vt informaret Discipulos ad humilitatem perfectam, dixit Matth.* 10. Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester Minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. *Cum autem requireret ab eo Dominus Hostiensis, Ordinis Minorum Protector, & promotor præcipuus, qui postmodum iuxta quod idem Sanctus prædixerat ad Summum Pontificatus sublimatus honorem; Gregorius IX. est dictus; vtrum sibi placeret, quod Fratres sui promouerentur ad Ecclesiasticas dignitates: Respondit: Domine, Minores ideò vocati sunt Fratres mei, vt maiores fieri non præsumant. Si vultis, vt faciant fructus in Ecclesia Dei, tenete illos, & conseruate in statu vocationis eorum, & ad Prælationes Ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis.*

Quare suos vocari voluit Minores Frã cisc. & Prælatos Ministros.

Tandem dignitas gloriæ in Regula Fratrum Minorum ita aliquo pacto est, veluti in Ostia salutari, adeò in materia vilis, & fragilis in substantia. In ea namq. *futuræ gloriæ nobis pignus datur*; & in Regula quoque S. Francisci *spes salutis, & arrha gloriæ*, ipso Francisco teste, continetur.

Speculum animatum, quod erat per omnimodam sanctitatem Franciscus in loco, qui dicebatur Speculum ad beatissimos Christi Vicarii pedes iam totus humilitas, & obiectio prouolutum, illud propriè extitit, quod Doctoris nostri calamus generali quadam forma postea declarauit super illud Psal. 44. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Quem locum in ser. Dom. 33. Trinit. sic postillat. *Idest lumen gratiæ, qua reformatur imago tua in nobis, qua tibi similes simus*. Signatum, *idest impressum rationi, quæ est superior vis animæ, qua similes sumus Deo, cui impressum est lumen illud, vt sigillum ceræ. Vultus ergo Dei ratio nostra accipitur, quia sicut per vultũ quis agnoscitur, ita per speculum rationis agnoscitur Deus*. Hæc ille.

Dei vultus lumen quomodo signatũ super nos

Dei agnitio in speculo rationali Francisci per reformationem, reparationem, & restaurationem imaginis Deificæ Christi, & vitæ Apostolorum Euangelicæ ab ipso Ecclesiæ Christianæ exordio visa fuit à B. Ioanne Euangelista in cap. 7. Ap. ad sexti sigilli reserationem, quando obstupescens, ita dixit. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui*. Vbi Bonau. in Prologo legendæ S. Francisci sic explicat ad literam. *Alterius amici sponsi Apostoli, & Euangelistæ Ioannis vaticinatione veridica sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu Solis, signumquè Dei viui habentis, astruitur non immeritò designatus sub aperitione sexti sigilli. Hunc Dei nunciũ, amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem Mundo, seruum Dei fuisse Franciscum indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiæ sanctitatis aduertimus, qua inter homines viuens, imitator fuit puritatis Angelicæ*. Qua & positus est, subdit, perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum, & piè non solũ induit officium, quod habuit, vocandi ad fletum, & planctum, caluitium, & cingulum facci, signandique Thau super frontes virorum gementium, & dolentium signo pœnitentialis Crucis, & habitus Cruciformis, verum etiam irrefragabili veritatis Christi, videlicet Crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam Spiritus Dei viui, &c. Hic vultus Dei in Francisci speculo in loco Speculi Pontificii nondum quantum ad exteriora stigmata, & alia completus erat; etsi quantum ad interiorem hominem cum Diuo Paulo perfectè Christo confixus Cruci, & quantum ad exteriorem ipsi quoque conformis per officium vocandi ad fletum, & planctum, per caluitium, & cingulum facci, signandique Thau super frontes virorum gementium, & dolentium signo pœnitentialis Crucis, & habitus Cruciformis, quẽ ipsi, & alii 12. eius Discipuli gerebant. Exprimebaturque etiam, & quidem clariori charactere, idem hic Dei vultus, & non minus in suæ Regulæ speculo per mirandam synopsim, sibi inspiratam, ac reuelatam ab Altissimo, quam in speculo Euangelicæ scripturæ, ex quo illud paruum speculum ipse sincera, ac simplici arte efformauerat. Nihilominus intra illud speculum materiale, & magnificum, vbi Pontifex habitabat, eratque grandium huius Mundi figura, in qua potentiæ, atq; aucto-

Angelus Apocal 7. habens signum Dei viui, Franc.

Francisc. ad quid à Deo destinatus.

Dei vultus in Fran. speculo.

auctoritatis imago est, ita fuit tractatum duplex, simplexque, mirandumque Viri Sancti speculum, scilicet sui ipsius, & Regulæ suæ; sicut subdit Doctor noster loco citato, loquens de prædicto rationis speculo. Addens enim ibi concordantiam ex Zacch. 4. sermonẽq. faciens de viro iusto, cuius anima intra speculum sui ipsius aurea tota est in quantum ad imaginem, & similitudinem Dei facta (habens super caput lampadem, quæ est infusio gratiæ, qua ipsa illuminatur) hæc pauca alia annectit. *Vnde de Viro iusto hac lampade illuminato, dicit Iob. 12.* Deridetur iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum. *Gregorius. Iusti simplicitas, & lampas dicitur contempta, quia apud mentes carnaliũ abiecta existimatur, & à duplicibus quasi fatuitas reputatur. Quasi mortuos reputant, quos non secum carnaliter viuere pensant. Statutum contemptæ lampadis tempus est æterni iudicij dies prædestinatus, quo iustus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur.*

Cur iusti simplicitas dicatur lampas contẽpta

SECTIO PRIMA:

Hæreticorum Tigurinorum, seu Heluetiorum astuta calliditas in Matthæi Paris Chronica, quã in multis deteriorem suis appendicibus reddiderunt, præsertim vbi de B. Francisco ab Innoc. III. expulso, eiusque Phisiognomia.

POntificia illa expulsio, in qua, vt fertur, Christi Vicarius Innocẽtius III. peracribus verbis repulit Franciscum indignanter, haud comitem secum habuisse eam contumeliam, quam refert Matthæus Paris in sua Chronica sub annum 1227. patere potest ex Cardinalis Bellarmini adnotatione super eundem Auctorem ad annum 1245. vbi de eo ita in libro de Scriptorib. Ecclesiast. Matthæus Paris, inquit, siue potius Parisiensis (sic enim vocatur in ipso eius libro, & in indice libri) fuit Monachus Albanensis, scilicet S. Albani in Anglia, tempore Henrici III. Regis Anglorum. Scripsit historiam Anglicam à Gullielmo I. vsque ad annum 35. Henrici III. idest ab anno Domini 1067. vsque ad ann. 1250. Et hoc ipso anno habentur hæc verba. *Hic terminatur Fratris Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani Cronica.* Et ibidem insinuatur eius mors. Continuauit autem aliquis alius vsq. ad obitum Henrici III. ideſt ad annum 1273.

Quis Matth. Paris, & quo tẽpore scripserit.

Hæc Historia (subdit statim Bellarm.) multa habet scitu digna, præsertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam, & Imperium. *Sed quoniam edita est ab Hæreticis Tigurinis, cautè legenda est. Non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab Hæreticis ad inuidiam conflandam Ecclesiæ Romanæ.* Hucusque Bellarminus.

Eius Hist. edita ab Hæret. Heluet.

Et quidem inter hæc non pauca, addita in libro Matthæi Paris à Caluinistis Heluetiæ (quorum colluuies omnem Angliæ Regnum à principio regiminis Elisabethæ ad ann. 1539. adimpleuit) illud, quod refertur de modo expulsionis Francisci per Innocentium III. & de mandato, illi ab eodem Pontifice imposito, ob cuius executionem Christi Vicarius, iam facti pœnitens, mox ei Regulam, & institutum approbauit, valde solemne, ac præcipuum reputo.

Quod fert de Franc. expulso à Pontif. additum est ab Hæret.

Probatur primò ex more Caluinistarũ, passim cum eorum parente sordescẽtium. Opus, seu Chronica Matthæi Paris fuit impressa Londini anno Domini 1571. qui Regni Elisabethæ, Hæresis Caluinianæ regię vexilliferæ, & in Ecclesiam Romanam crudelissimæ fœminæ, cuius obitus 1590. erat annus 12. Fuisse Catholicum Matthæum Parisiensem, S. Albani Monachum, licet in sua Chrõnica multa, quæ ea tempestate videbantur sibi repræhensibilia de curia Romana enarrauerit, testatur Cardinalis Alanus, nec id Bellarminus negat, aliis etiam subscribens, qui asserunt, iniurium fuisse Matthæum in Romanam curiam in scriptis suis, ab Hæreticis conspurcatis. Neque nouissima editio Parisina in paucissimis expurgata ad annum 1644 nos retrahere quibit, quin asseramus cũ eodem Bellarmino, cautissimè legendã fore. Siquidem verbatim recusam esse iuxta exemplaria Londinana de anno 1571. Frontispicium eiusmodi editionis Parisinæ apertè fatetur. Cum ergo ingenium, geniumque omnium Hæreticorum, maximè Caluinistarum genuinum sit circa res sordidas, immodestè, ac contumeliosè conscriptas, nec semper ita apertè, ne semper fidem perdant, tum contra alios eiusdem farinæ, licet alienæ sectæ homines, vt sunt potissimum Lutherani, tum in Romanam Ecclesiam, quæ tempore Reginæ Elisabethæ in summum excidium in Anglia peruenerat; sequitur haud obscurè, additum fuisse ab Hæreticis Tigurinis, totam Angliam tunc infestantibus, id, quod vt supra refertur de Francisco in Chronica Matthæi Paris, quæ in peiores manus incidere nequaquã poterat, nec sub peiori regimine, vt mendosissimè, atque immodestissimè in quamplurimis imprimeretur.

Probatio 1. ex more Caluinistarum

Sub Regina Isabetha hæretica chronica Matthæi impressa.

Alia editio parisina 1644. valde parcè expurgata.

Christum, qui est via, veritas, & vita, de Paupertate, de Charitate, de Humilitate, quæ hanc oblationem complere debent, descendens ad Sacramentum Pœnitentiæ per confessionem sacramentalem fratrum; quid sit ex Zaccharia 14. Mare orientale, & mare nouissimum, exeuntia de Hierusalem, *idest*, explicat ipse, *de corde pœnitentis*, ita declarat: *Mare Orientale est amaritudo pro splendore lucis æterne. Mare nouissimum est amaritudo pro perpetratione proprij peccati, & incolatu exilij pro peccato proximi*. Redit deindè ad præfatos passares viuos, & iuxta alias scripturas à se prius allegatas, format suam conclusionem, cuius prima propositio est hæc. *Religiosus ergo in vase fictili passerem immolat super aquas viuente, cum corpus suum vitijs, & concupiscentijs crucifigit, & in amaritudine vitæ suæ, vitæ fragilitatem, exilij calamitatem recogitat, &c.*

Mare orientale, & mare nouissimum.

In eodem sermone prosequens Euangelii historiam, perueniensque ad personam Centurionis, qui respondit Christo: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, introducit quoque personam Zacchei, qui gaudenter Dominum recepit, & hæc docet ad propositum de perceptione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi. *In quibus*, ait, *diuersitas intentionum notatur. Quidam ob reuerentiam corporis Christi dicunt*, Domine non sum dignus, &c. *Alij honorando corpus Christi gratanter recipiunt. Vnde Augustinus.* Quotidie recipere Eucharistiam, nec laudo, nec vitupero; quoniam qui honorando audet sumere quotidie, honorando non audet prætermittere vllum diem, &c.

Diuersitas intentionum

XXI. TITVLVS.

De laude, & exhortatione, quam possunt facere omnes Fratres.

Cum Christo, eunte in Ciuitatem, quæ vocatur Naym *Ibant Discipuli eius, & turba copiosa*, Lucæ 7. Vbi ait Beda apud Interpretem nostrum serm. Dom. 4. Quadrages. Diuino nutu multa turba Christum sequebatur, vt testes fierent miraculi. Hæc ille; quibus addit Interpres, literam spiritui coniungens. *Et licet dictum specialiter intelligatur, quia nunquam Christus venit ad animam, nisi cum eo veniant Discipuli eius, idest Virtutes, puta Humilitas, Mansuetudo, Castitas, &c. turba bonarum operationum; potest tamen exponi quo ad Clericos, & Religiosos*; quod quotiens ipsum Christum concomitantur, *cum sint eius speciales Discipuli, semper turba sequitur copiosa*. Nulla igitur maior laus Fratrum Minorum, vt per ipsos Deus a Populis exaltetur, & magnificetur eius gloria, & nomen; nulla efficacior exhortatio, ob quam sæculares sequuntur Christum, sicut illa boni exempli, operumque ædificationis. Hanc apprimè laudem, & exhortationem exoptabat suis Discipulis, & commilitonibus Euangelicus Legislator noster. *Et in veritate*, subdit statim Doctor noster ibidem, probans praxim è contrario, *ideo turba non sequitur Christum, quia Christiani omnes eo relicto fugiunt, sicut accidit tempore Passionis. Peccatores autem Christum tradunt, Discipuli, eo relicto, fugiunt, & per consequens simplices deficiunt imitari. Vt etiam non plus facerent Clerici, & Religiosi, quam fugere; sed timeo, quod multi suo malo exemplo ipsum illudendo, gentibus, idest vulgo tradunt.*

Magna vis in exemplis

Malũ exemplum quam nociuũ aliis.

XXII. TITVLVS.

De admonitione Fratrum.

Hic admonentur Fratres, vt inimici pro amicis deputentur, corpus verò pro inimico. Fugienda esse à religiosis sæcularia. Varium, & ratum fructum Verbi Dei in hominibus. Cauendam esse Satanæ subtilitatem, & quæ sectanda; & Euangelium à nobis concionibus, & aliis modis manifestandum. Cuncta hæ sub isto Doctoris nostri monito concludi possunt. *In corde sunt tria, scilicet sedes sapientiæ. Ibi fuit scripta lex naturæ, quæ est*; Quod tibi non vis, alteri, &c. *Membrum est indignans; sic in viris Religiosis est sapientia contemplationis, lex dilectionis, indignatio de peccatis. Tale cor positum inter caput, & pedes, idest Clericos, & laicos, dolet, & plangit de vtriusque infirmitate*. Ita serm. Dom. 3. Aduent. Igitur admonitio Francisci ad suos Fratres cunctos memoratos fructus totiens proculdubio reportabit, quotiens Fratres monitum Doctoris nostri adimplere satagent; vt patet.

Tria in corde

Ecclesiæ pedes viri Religiosi.

XXIII. TITVLVS.

Oratio ad Deum, siue gratiarum actio, atque ad Fratres exhortatio.

Pro isto vltimo postremi Capituli titulo tetigimus superius tantillum correspõdentiæ inter ipsum, veluti Alphã, seu finẽ, & caput primum, veluti Omegam, siue principium totius Legis, seu Regulæ, quã primò scripserat Franciscus, quia solummodò ibi de oratione cum Doctore nostro synopsim contexumus. Pro nunc potes multa contemplari, ac meditari super illa duo verba Apoc. 21. *Claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus*. Vbi Doctor noster Dom. 2. post Pascha. *In Agno notatur innocentia, & simplicitas, quæ duo*

In cap. 1. libri 1. pro. 1. circumstantia legis.

duo sunt oranti necessaria. Hæc claritas, & lucerna mentem illuminat orantis In hoc ergo capitulo dum docet Vir Sanctus suos vocaliter ad Deum orare, & gratiarum actionem, & eos exhortatur, demonstrat, quibus titulis ipsi Deo sumus adstricti. Innumera esse ea, pro quibus Domino gratias agere debemus. In vera fide, & pœnitentia perseuerandum. Deum super omnia diligendum. Nihil à charitate Christi nos separare debere. Præcepta nobis imposita memoriæ inculcanda, &c. *Boni subditi claustrales*, inquit Doctor noster Dom. infra oct. Epiph. *ad modum piscium quibusdam pennis virtutum se eleuant, ne iaceant in cœno vitiorum.* Posita ista eleuatione, ponuntur etiam supradicta, quæ expostulat, cupitq; in suis Franciscus per orationem ad Deum, siue eius exhortationē. Hinc idem Doctor noster ad rem specialius ser. fer. 3. Hebdom. 1. Quadragesi. hæc habet. *Secundum quod dicit Beatus Ambrosius super Lucam lib. 5, cap. 24. Studia virtutū sine gratia torpescunt; Et ideo Beatus Bernardus super Cant. ser. 2. Diligenter, inquit, considera, quæ apponuntur, vt nulla videlicet Dei dona debita actionegratiarum frustrentur non grandia, non mediocra, non pusilla. Denique fragmenta colligere iubemur, idest nec minima beneficia obliuisci: Numquid non perit quod donatur ingrato?* Hæc ille.

Boni Claustrales piscibus similes.

CAPVT SECVNDVM

Tres perbreues controuersiæ, quarum prior vertitur circa Legislatoris Francisci, in conscribenda Minorum Lege, impulsum. Posterior circa huiusmodi Legis codice paruæ, cortice rudis, sed medulla Euangelicæ, cum alijs aliorum Ordinum Legibus discrimen. Postrema circa annum eiusdem Legis a Sede Apostolica approbationis. B. Francisco, ac duodecim Discipulis suis effectæ.

SCripsit Pius Pater, atque Apostolicus Legislator Franciscus (longa præmissa oratione, quam recitat Vadingus anno citato 1210.) sibi, & socijs vndecim præfatis, cæterisque suis sectatoribus simplicibus verbis more Euangelico eam vitæ Apostolicæ normam. Condidisse verò illam à se solo, interiore dictante Spiritu, communis est, irrefragabilisque, ac recepta inter vetustos nostros Scriptores sententia. Quam si in controuersiā reuocaremus, controuerti quoque posset, vtrum in extremo vitæ suæ termino mentitus sit, vel nec ne Franciscus, ita absolutè de se, vt Legislatore, & vt testatore, in articulo mortis posito, loquens. *Et postquam Dominus dedit mihi de fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere; sed ipse Altissimus reuelauit mihi, quod ego deberem viuere secundum formam Sancti Euangelij. Et ego paucis verbis, & simplicibus feci scribi, & Dominus Papa confirmauit mihi.* Vbi manifestè loquitur de prima regula, de qua nunc currit sermo. Si hanc, adeò apertam veritatem, ore Seraphico ipsius Legislatoris in suo vltimo testamento pronunciatā, & attestatam aduertisset Chronicum magnum Belgicum, minimè ausum esset asserere, id factum singulariter à Francisco cooperantibus Religiosis, & peritis ex socijs. Valde diuersa sunt hæc verba. *Id factum singulariter, &c.* ab illis Viri Sancti. *Et postquam Dominus dedit mihi, &c.*

Condidit legem Franc. dictante Spiritu Sancto

1. Controu. exploditur

Longè deinde proculdubio distat hæc Regula ab Augustiniana, quæ Regulæ D. Dominici prototypus extitit, & exēplar. Quamque plano errore contra præfatam attestationem Legislatoris, & veritatem ipsam putauit Stephanus Garibarius de rebus Hispan. tom. 3. lib. 12. cap. 47. profiteri adhuc Minores. Nemo igitur de fratribus illis vndecim, quos dederat Francisco suo Dominus, ostendit Legislationē, Regulamque illam Euangelicam, Apostolicamque, qua à Benedictinorum, Augustinianorum, aliorumque Ordinum Regulis toto Cælo impar est, ac diuersa; sed ipse Altissimus reuelauit Francisco, quod deberet viuere secundum formam Sancti Euangelii. Et Franciscus paucis verbis, & simplicibus fecit scribi, & Dominus Papa deinde Francisco confirmauit.

Item & secunda.

Attamen circa annum huiusce inspiratæ ab Altissimo, reuelatæque scriptionis Regulæ, necnon & illius approbationis per Romanum Pontificem, historici inter se minimè conueniunt. Scripsisse eam Franciscum an. Domini 1206. die 6. Aprilis, testatur Rodulphus lib. 1. fol. 8. sed errat omninò. Neque enim adhuc socios tunc habuit, quibus leges ferret Franciscus. Eam autem confirmasse Innocentius anno Domini 1209. ait Miranda cap. 50. in Regulam Minor. adstipulans Breuiario Romano, cui ipse subscripsi. Alii verò anno 1206. & 1207. Reboll. cap. 8. in fine, 1212. Pontificatus eiusdem Innoc. III. Cæteri verius, & certius asserunt (si Vadingo fides) Gonzag. par. 1. de orig. Seraphicæ Relig. Roderic. tom. 1. qq. Regularium quæst. 4. art. 1. & Sedul. cōment. in cap. 4. vitæ Sancti Francisci §. 1. hoc factum anno Domini 1211. sub prædicto Pontif. Vide eius Argamentum supra hanc primam Regulam in tomo 2. Opuscul.

3. Controu. historica.

B P.

B. P. Francisci in principio. Ipse autem in 1.Ann.tomo sub anno 1210. eam scriptam, & approbatam tradit. At Breuiarium Romanum præfatum aptius quidem, ac huiusce lucubrationis nostræ chronologiæ annos tredecim percurrētis verius. Quod enim amplectitur tota Ecclesia, magnam profectò facit fidem, licet haud ita consonum videatur Chronologistis. Sic legi apud Baronium die Decembris 25. in Martyrologio Romano, nullum Chronologum amplecti sententiam de tempore ortus Christi à creatione Mundi, quam tradit Eusebius Cæsariensis in Chronico, quod ex Græco transtulit in Latinum D. Hieronymus. Et nihilominus tam Ecclesia Orientalis, quam Occidentalis eam adhuc sequitur, & ex quo eam amplexa est, nunquam relinqui placuit.

Sententia Vadinghi

Habent ipsam Monum.primæ excussionis tract.3.& 2.tract.2.Firman. trium Ord. 1.p.fol.10.Speculum vitæ Francisci,& sociorum à pag. 189. Mar. Vlisipp. 1. par. suorum Chron.lib.1.cap.21. Hispano, & Italico idiomate ibidem; sed Latino Rebell. cap.7. & Pisan. lib.1. Conformit.12. sparsim per multa capita. Nouissimè extat apud Vading.locis citatis, & Chronologiam Ordinis, licet apud hanc deficiat cap.23.vt diximus. In ea non stylum, sed rem velim obserues. Quibusdam sciolis, & Grammaticastris, qui nihil aliud, præter latinum ornatum, phrasiumque elegantiam desiderant, neqnaquam ratione huius Regulæ simplicitatis acquiescēdum. Egregia, singularique eruditione, literisque humanis celeberrima semper fuit DD. Hieronymi, atque Augustini Rethorica. Sed alterum in Ciceronis schola professū flagellatum dedit Cælum, alterum ipsemet proprii ingenii contēptus super rudē, simplicemq. sacrorum Bibliorum codicē declarauit talem, qualem deinde semet confessus est, ab eodem codice haud absque maximo humanarum literarum dedecore nobiliori, saniori, atque veriori sapientia ditatus.

In eius rudi stilo res, nō elocutio obseruanda.

Regulæ præceptum, seu quod præcipit non quibus verbis præcipiat pensandum est; ad quod capessendum notemus tria exempla ex epist.76. Senecæ.

Nauis quæ bona diceda

1 *Nauis bona dicitur* non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, nec cuius cautela ebore cælata est, nec quæ fisis aut opibus regiis firmata est; sed stabilis, & firma,& iuncturis, aquam excludentibus spissa; ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens; velox, & consentiens vento.

Qui gladius

2 *Gladium bonum dices*, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina stemmis distinguitur; sed cui & ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus.

Quæ Regula

3 *Regula non quam formosa, sed quam recta sit quæritur*. Lex simplex, & rudis B.Francisci Regula dicitur, non quia formosa in verbis, sed quia in rebus recta, & sic tota aurea, quam qui non obseruat, furatur; nuncupaturque iuxta traditionem hebraicam cum fure *Achan*, subripiente Regulam auream, vt habetur, Iosue 7. *Peruertens, aut fratris ruina*, teste Doctore nostro Dom.10.post Trinit. Fur equidem, & latro dicendus est, qui Regulam, quam ex voto professus est, minimè obseruat, imò subuertit, destruitque. *Regulam auream (* inquit Antonius paulò infra*) Furantur falsi Religiosi. Regula quasi mensura regens dicitur, vel quod distortum, prauumque corrigat. Regula aurea est vita Religiosorum, quæ hominem distortum,& prauum ad mensuram rectè viuendi corrigit, & modum rebus ponit. Hanc Regulam ferè omnes Religiosi furati sunt, quia ad veritatem Euangelij non ambulant, secundum Patrum instituta non viuunt, sed distortè,& simulatoriè vitam suam ducunt, &c.* Hæc Antonius.

Regula rudis, & simplex S.Frāc. cur aurea

Eius fures; & latrones qui

Est pariter & gladius Francisci Legislatio, inornatus quidem in stilo, sed omni, omni stilo ferreo limatior, acutior, validior. Nam si tota Euangelica est, & ita rudi calamo condita, sicuti liber Euangeliorum; & Euangelium si nihil aliud est, nisi Dei sermo, qui viuus est omni gladio ancipiti, vt testatur Apostolus; & demum si iste Dei sermo nihil est aliud, quam fidei confessio, qua crimina, & scelera amputantur; sequitur manifestè, quod talis Regula ille ipse gladius est, de quo Ioan. in Apocal. cap.1. Vbi reuelatio de Christo: *Et de ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat.* Explicat enim Interpres noster Dom.2.post Pascha. *Gladius est confessio, quæ debet ex vtraque parte acuta esse, vt vitia spiritualia, & carnalia valeat resecare.* Ita profectò se habet Regula Fratrum Minorum, quæ tota confessio,& professio Euangelica, & Apostolica est.

Gladio acuto similis S. Franc. Regula.

Bonæ etiam Naui iuxta mentem Senecæ assimilatur hæc *Regula. Moraliter Mare est Mundus*, ait Doctor noster Sabb. in capite ieiunii in serm. de pœnitentia ad instar Nauis. *Sicut in Mari sunt infinita monstra, sic Mundus producit multa monstra, dum in eo homines turpiter formantur. Quidam tantum manus, idest opus in eo amittunt. Multi oculum, scilicet intentionem ad temporalia conuertentes. Quidam sunt sine capite Christo, nequiter viuentes. Item sicut in Mari continuè est motus, sic in Mundo vanagloria. Et sicut Mare corpus mortuum reycit, sic illos, qui sunt in Mundo mortui, Mundus non recipit,*

Itē & Naui, de qua superius cū Seneca

pit, sed abijcit, & repellit. Vnda est persecutio, siue variabilis status Mundi, quo nunc deprimitur, nunc erigitur, nunc illiditur hic, nunc ibi. Ventus tentatio. Iob. 1. Ventus vehemens irruit, &c. Post descriptionem huius Maris, quod eo tempore potissimum vndique concutiebat Ecclesiam, rumpeb atque quam miserrimè, duas naues, ambasq; Apostolicas, atque symbolicas in eo demonstrat idem Doctor noster, & ad illius euitanda pericula, ac naufragia admodum necessarias, ita statim subnectens.

Duplex Nauis misticè

Nauis duplex etiam inuenitur Lucæ 5. Vna Ioannis, & hæc signat innocentiæ vitam, quæ accipitur in Baptismate. Alia est Simonis Petri, & hæc est Pœnitentia. Petrus enim agnoscens, Simon obediens illum signat, qui se obnoxium Domino recognoscens, ad obedientiam dicit cum Paulo Act.9. Domine quid me vis facere? *Istis duabus Nauibus, vel altera oportet omnem hominem transfretare ad Pœnitentiam, nisi velit submergi. Nam Nauis Simonis Petri facit ad portum appropinquare. Matth.3. Sunt igitur,* concludit, *duæ Naues, scilicet Innocentiæ, & Pœnitentiæ. Et aduertendum, quod ex secunda peruenitur ad primã.* Cum ergo Regula Fratrũ Minorum tota Euangelica sit, tota Apostolica, ita & ad reparationem Nauiculæ Petri, scilicet Ecclesiæ (quæ seminaufragans à magnis fluctibus vndique iactabatur) inspirata, reuelata, scripta, tradita, confirmata à Christi Vicario, atque à Lateranensi Concilio; ipsa quoque proculdubio illa tuta, ac firma Pœnitentiæ Nauis appellanda, per quam ad Nauem Innocentiæ ascenditur. Quemadmodum in praxi accidit ipsi Legislatori, ac multis eius sequacibus, qui ad tantam innocentiæ puritatem redacti sunt, vt primæuæ innocentiæ statum ante primi hominis lapsum ob mirabilem vitã in Ecclesia, ab ipsis reparata, aliquopacto restituerint.

Nauis Pœnitentiæ S. Franc. Regula.

Quarta controuersia.

Tertia imò quarta controuersia esse potest respectu numeri illorum, quibus scripsit Regulam, tradiditque cõfirmatam à Sede Apostolica Franciscus. Scimus iam inhæsitanter, qualiter, hac ostensa vndecim sociis, & Discipulis à Legislatore Regula, & ab eisdem acceptata, commendataque vnanimiter, omnes illicò Romam perrexerint pro illius à Sãcta Sede approbatione, constituto sui itineris Duce B.Bernardo à Quintaualle. Compertum quoque apud cunctos historicos, omnibus quotquot Romam tunc venerunt, confirmatam Regulam ab Innocentio III. Nihilominus vtrum tot fuerint Discipuli in scriptione Regulæ, quot fuerint in eius approbatione, orta est aliqualis dubitandi ratio ex D.Bonau. Vincentio Bellouacense, & alijs apud Vading.

Ratio dubitandi.

Hi namq. docent cum vndecim tantum Discipulis Franciscum iuisse Romam, quia non plures habuit, cum Assisio discessit. Verum quia Beatus Angelus Reatinus in illorum itinere Romam versus initiatus fuit, ipseque suæ conuersionis seriem adamussim humiliter expressit in illo, quod scripsit opusculo de Francisci gestis in partibus Reatinis, haud mirum si ab aliis historicis derelictus sit. Verum pace Vadinghi nostri, necnon & tantorum virorum, quos ipse adducit, ex ipso textu D.Bonauent. videtur profectò deducẽdus hic numerus duodenarius tam in traditione Regulæ, quam in aduentu Romæ, & in discessu ab Vrbe Roma post approbatam Regulam.

Soluitur quæstio.

Nam in cap.3. Vitæ S.Francisci sic legimus. *Illis quoque diebus quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreuerunt. Cernens autem Famulus Christi, &c. Scripsit sibi, & suis, &c.* Illa verba ad duodenarium numerum non possunt referri omnibus simul, scilicet Francisco, & Discipulis, sed solis Discipulis. Et licèt paulò superius septem tantum expresserit Discipulos, postea verò scriptũ sit *quatuor sibi adhærentibus,* fortè librariorum incuria factum est, vt loco quinque ponerentur quatuor. Quod potest probari ex eodem textu Bonau. in cap. sequenti, vbi loquens Auctor de iisdem Discipulis post approbatam Regulam. *Post hæc,* ait, *pusilli gregis Pastor Franciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum, superna gratia praeunte, deduxit, &c.* Igitur sententia clarissima est D.Bonauenturæ, Franciscum totidem tradidisse Regulam, quot cum eo Romæ fuerunt in illius approbatione. Ast si fuerunt duodecim, quando discessit Roma, consequens est, vt fateamur cum ipso Bonauentura, duodecim quoque fuisse, vbi Pontifex Regulam Legislatori Francisco approbauerat. Et quod duodecimus socius ab eodem Bonauentura minimè fuerit derelictus. Itaque Seraphicus historicus in nullo discors erit, dum pro comperto asseritur, Regulam nostram scriptã, traditamque fuisse vndecim Discipulis à Francisco, sed postea duodecim, vt approbatam à Romano Pontifice, dedisse, eamque cum ipsis tunc simul professum esse, vt infra dicemus.

Mens D.Bonau. aperitur.

Nõ reliquisse 12. Discipulum demonstratur

SO-

SOCIETAS DVODECIMA.

Beati Angeli Tancredi cum Iuda Ischariotes per antitheton.

Duodecimus ex duodecim

Iudas laudatio, Iscariothes vir occisionis

CHristi Apostolus *Iudas Iscariothes*, vltimus verò Francisci Discipulus, haud amplius terrenus in Mundo, sed cælestis in Minorum Ordine, atque Angelicus Miles in Christi proditorem, seu in laudatum Apostatam, ac virum occisionis, *Iudas namque laudatio, Iscariotes autem vir occisionis interpretatur;*

Franc. ad B. Angelum ei obuium, & nondum cognitum allocutio.

B. Angelus Tancredus ex Vrbe Reate, Vir nobilis, & militari disciplinæ addictus. Huic Franciscus, cum obuium habens, licet antea ignotū, Dei instinctu ex tempore dixit. *Domine Angele, baltheum, ensem, & calcaria militaria sat longo cinxisti tempore. Oportet te modò ferre pro cingulo rudem funē, pro ense Christi Crucem, pro calcaribus pulverem, & lutum platearum. Me ergo sequere. & faciam te Militem Christi.* Mirabile dictu! Statim Spiritus Sancti gratia adeò cor hominis ad suam flexit voluntatem, vt omnibus continuò relictis, vitum Dei sequutus sit, & sequenti die paupercula ac leucophæa veste se humiliter induerit, duodenariumque Frācifcani Collegij numerum compleuerit. Sicque *vir occisionis* spiritualiter statim euasit aduersus vitia, vnde & promeritam laudem adeptus est.

B. Angelus quomodo vir occisionis

Et quod turpi impietate compleuit Iudas Iscariothes, proditorem agens, patricidā, imò & Deicidam, ingenua pietate è regione effecit noster B. Angelus in Diaboli dedecus, quo nomine Iudam ipsum nuncupauit Magister Christus illis verbis, *vnus ex vobis Diabolus est.* Iudas ergo postremus in duodenario Apostolorum Christi numero Diabolus operibus extitit, sed vltimus in numero duodenario Apostolici Discipulatus Francisci, nomine, & factis *Angelus* fuit Tancredus noster,

Interior Angeli nostri homo repentino superni luminis lapsu ad primum Francisci verbum illustratus, repentina quoque motione nouit perfectè id, quod docuerat Interpres noster in principio serm. fer. 5. Quadrag. vbi ait. *Gratia Spiritus Sancti propter tria est sollicite procuranda, quia ipsa est suppletio sufficiens, copiosa, lata, seu ampla communitate. Est virtuosa, & magna actualitate. Est fructuosa, & grata commoditate.* Procurauit hanc gratiam B. Angelus à principio suæ vocationis, & conuersionis sollicitè, & sine vlla mora. Nam citò Spiritus Sanctus per os Francisci in eius corde infusus, quatuor in eo, cum esset vir nobilis, & diues, vnico, mirandoque actu operatus est. Inquit enim Doctor noster Dom. 2. post Epiph. *Spiritus Sanctus efficit animam humilem, & pauperem.* Isaiæ 66. *Item efficit obedientem, & patientem.* Sapient. 7.

Gratia Spiritus S. propter tria pro curanda

Per vocem Francisci Dei verbum Christus Iesus intrauit Ciuitatem animæ Angeli nostri, & subitò commota est vniuersa, Matth. 21. *Re vera*, explicat misticè Doctor noster in serm. 1. fer. 3. Dom. 1. Quadr. *nunquam Deus Ciuitatem animæ nostræ ingreditur, quin magna commotio subsequatur.* Sed secundum diuersitatem aduentus hæc Ciuitas diuersimodè commouetur. Quam diuersitatem explicans quadrifariè, in quarto loco hæc subdit, & sunt valde ad propositum nostrum consona. *Quandoque,* inquit, *venit Deus ad Ciuitatem animæ per inspirationem, siue fiat per flagella, siue per beneficia, siue per prædicationem, & tunc fit in ea commotio, quia memoria turbatur de commissis, intellectiua illustratur, voluntas inflammatur ad peccata detestanda, &c.*

Commotio ciuitatis animæ in introitu Christi.

Commota, & commutata adeò celeriter, & mirabiliter Ciuitate animæ Angeli nostri, in ea postea intra nouam Francisci Religionem, Ecclesiamque vidit Ordo Minorum *Angelum descendentem de Cælo habentem clauem abyssi.* Apocal. 20. Neque audacter id ex meo capite assero, cum misticè, moraliterque proferat Doctor noster in Dom. 21. post Trinit. hac pulchra interpretatione. *Moraliter,* inquit, *Angelus est vir iustus, qui tunc de Cælo descendit, cum vita suæ statum in terra viuens, secundum Cæli puritatem informare satagit. Hic habet clauem abyssi, & catenam. Clauis est discretio, qua vir iustus claudit, & aperit abyssum cogitationum. Claudit cum restringit, aperit cum discernit. Catena in manu est pænitentia in opere. Dum enim contritio confessioni, confessio satisfactioni, satisfactio dilectioni proximi concatenatur, fit magna catena, qua vir iustus ligat Draconem, scilicet spiritum superbiæ. Serpentem, idest cogitationem venenosæ luxuriæ. Diabolum, qui hebraicè dicitur ruens, nempè auaritiam. Sathanam, scilicet malitiæ discordiam. Hæc omnia vir iustus ligat per mille annos, qui perfectus est numerus, idest finali perseuerantia.* Acta, & gesta B. Angeli nostri, in omni eius vita Angelici, omnia hæc mirabiliter comprobauere. Auctor Martyrolog. Frācifcani agit de eo die Februarii 13. eiusque præconia breui ita restringit.

Angelus descendens de Cælo B. Angelus Reatinus.

Qua catena ligandus a viro iusto Diabolus.

Cum B. Angelo Tancredo, atque aliis duobus B.B. Petro Cataneo, & Bernardo S. Franciscus Romam profectus est ad sūmum Pontificem Honorium III. vt diem determinaret pro Indulgentia S. Mariæ de

Acta B. Angeli.

de Portiuncula lucranda, quam antea sibi Perusii concesserat. Hunc B. virum nuncupatione, & conuersatione Angelum, idem Seraphicus Pater vna cum BB. Leone, & Masseo assumpsit in socium peculiarissimum, quando primum ad sacrum Aluerniæ Montem accessit, & ibi cum eo stetit. Præterea ille est hic Eques, & Frater Minor, qui eundem S.P. Franciscum in prædicatione sequutus est. Nam cum reuelatum cælitus fuisset B. Syluestro, ac S. Virgini Claræ, D. Franciscum haud constitutum à Deo, vt solitaria loca peteret, & orationi operam daret, & veluti eremiticam ducere vitam; sed potius vt concionando inter homines conuersari deberet; statim vir Dei, assumptis duobus sociis BB. Masseo, & Angelo nostro, ad prædicandum accessit.

7 Fuit in Aluerniæ Monte cū Franc.

Huic mandauit Franciscus, timenti solus stare ob Diaboli formidinem, qui eum assiduè inquietabat, vt conscenderet solus quemdam excelsum montem, & ibi alta voce sic clamaret. *Superbi Dæmones, modò ad me venite omnes, & facite mihi quidquid potestis*. Quod cum ille promptè, atque humiliter adimplesset, & nullus illorum aduenisset, impauidus deinde remansit, & in hunc modum expertus est in seipso, nomine, & moribus Angelo, veram esse Doctoris nostri sententiam præpositam, *virū scilicet iustum, esse moraliter Angelum descendentem de Cælo, &c.*

Curialitas & benignitas B. Angeli.

De B. Angelo nostro solebat dicere S.P. Franciscus, constituens iconem, siue ideā, quam vnusquisque Religiosus, maximè ex Ordine Minorum in seipso exprimere deberet. *Ille censendus esset*, aiebat, *verus Frater Minor, qui fidem haberet B. Bernardi de Quintaualle, Simplicitatem, ac puritatem B. Leonis. Curialitatem B. Angeli*. Hic vir potissimum in magnum dedecus inurbanæ, inciuilisque Iudæ proditoris naturæ fuit omni curialitate, ac benignitate donatus. Latini Interpretes, qui à *cura*, dictam *Curiam* faciunt, duplicem quoque Curiam distinguunt, alteram sacrorum, alteram Senatus. *In Curijs etiam* (alunt apud Manutium) *vel Sacerdotes res diuinas, vel Magistratus humanas curabant*. Curialitas apud viros Religiosos ea esse debet, quæ cum affabilitate, atque mansuetudine, lenitate, atque placabilitate confunditur.

Religiosa curialitas cōmendatur

Prima, quæ apparuit dos, seu prærogatiua in Christo nascente, ista curialitas extitit, quam alio modo benignitatem, & humanitatem Apostolus nuncupat, scribens ad Tit. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, &c.* Quamque superlatiuo vocabulo in eo D. Bonauent. commendat, *Curialissimum Dominum ipsum*

Christus curialissimus fuit.

nuncupans. Adfuit in B. Francisco ad miraculum. Sacer huius heroicæ virtutis cultor ille omninò est, de quo Doctor noster Dom. 13. post Trinit. *Vir iustus dum pænitentiæ operibus intendit, dum in dulcedine contemplationis se suspendit, dicens cum Iob 7. Suspendium elegit anima mea, tunc verè est Iob, idest vir simplex, rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, habens septem filios, & tres filias. Septem filij viri iusti sunt septem beatitudines, de quibus* Matth. 5. *Tres filiæ tres partes pœnitentiæ.* Vide omnium declarationem apud ipsum. Vir fuit Iob potentia, diuitiis, & sapientia magnus, imò iuxta alios, fuit Rex Idumęus, cuius regia Hus erat, ac per consequens fuit curialium Religiosorum Princeps.

Iob Curialium Religiosorum Princeps.

Vtinam omnes cuiusuis Ordinis Religiosi tanti Principis, ac Regis cum nostro B. Angelo illam imitarentur curialitatē, quæ meritò adeo B. Francisco placebat, nam dum S. Pater pęnitentiæ operibus intēdebat, dum in dulcedine contemplationis se suspendebat, Iobi mores in semet pulcherrimè componębat hic curialis Discipulus, exprimens virum simplicem, rectum, ac timentem Deum, & recedentem à malo. Vnde & septies digna prole fœcundus, sicuti septies beatus, scilicet paupertate spiritus, animi mansuetudine, luctu oculorum, esurie, ac siti iustitiæ, misericordiæ munere, cordis munditia, pacis tranquillitate. *Istæ septem beatitudines* (claudit Doctor noster) *sunt septem filij viri iusti, quorum gloria nobilis, potens, & clara efficitur*, vti effecta de facto est in B. Angelo nostro.

Fęcunditas Euangelica, è curiali virtute procedens.

Hic verè curialis, & benignus euasit iuxta intentionem S. Francisci, scilicet nequaquam alienus à sancta ea rusticitate, quam dum commendat B. Bonauent. condamnat simul omnem simulationem, omnem codis duplicitatem, sub specie sanctitatis, ac virtutis binam iniquitatem cōtegentem, quam semper abhorruit Christus, quamque detestatus est in se, atque in suis Franciscus. Angelicus in hunc modum in sancta sua curialitate, affabilitate, ac tractabilitate effectus B. Angelus, haud mirum, si

1 *In Paupertate spiritus* opera sua veritus est, timens desidiam, & fraudem. Desidiam enim facit minor amor Dei, fraudem proprius amor sui, dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel fauoris aura, vel quælibet res exterior desideratur. Si

Proprius amor paupertati spiritus aduersus.

2 *In Mansuetudine animi* mentis asperitas, vel amaritudo eum non affecit, sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruxit patienter. Si

3 *In luctu oculorum mærore* suo pro-

prio sacrificium Domino contriti cordis sine vlla intermissione in tota vita obtulit. Si

4 *In esurie, ac iustia siti* ipsa iustitia sicut vestimento indutus, se mundum bono opere induit, vel protexit, & nullam partem actionis suæ immundam peccato reliquit. Si

5 *In misericordiæ munere* eo modo triformis mirabiliter apparuit, quo hanc beatitudinem describit Doctor noster in Dom. 4. post Trinit, vbi ait (post ostensam sub triformi vultu Dei Misericordiam) *Misericordia etiam tua debet esse triplex circa proximum. Si in te peccauerit, ei dimitte. Si à via veritatis errauerit, instrue. si esurit, refice.* Si

Misericordia nostra debet esse triplex

6 *In cordis munditia* nec videre voluit cum Iob, quæ concupiuit, nec vidẽdo sequutus est in Religione, quę concupiuit in sæculo, nec adhæsit macula in suis operibus, siue actionibus, &c. Si

7 *In pace, & tranquillitate animæ suæ* iudicari cum sibi sanctitate, & gradu infimis non renuit, liquidè idcircò iudicans, quod contra nullum proximum tumidus fuit, sed *curialis, & benignus*. Pauper spiritu, Mitis animo, Lugens oculis, Esuriens, & sitiens iustitiam, Misericors tripliciter, Mundus corde, Pacificus, & quietus. Hanc pretiosam, misticamque doctrinam à B. Gregorio Magno, cui subiectũ S. *Iob*, Duce Interprete nostro loco citatò, in gratia B. Angeli nostri curialitatis, ac benignitatis dulciter prælibauimus.

Adiunctis sibi affabilis; Angelicusque vir iste paris sodalitii cõmilitonibus BB. viris Leone, & Ruffino, D. Claræ Virginis consanguineo, miracula S. P. Francisci scripto digessit, iubente B. Crescẽtio Aesino totius Ordinis Generali Ministro. Quod etsi non aliunde, ex trium tamen sociorũ literis, missis ad eumdem Generalem 3. Idus Augusti ann. 1247. qui erat Generalatus illius annus 2. liquet quã clarissimè.

Scripsit gesta S. P. Frãcisci cũ BB. Leone, & Ruffino

Præsens adhuc B. Angelus anno 1253. moribundæ S. Virgini Claræ apud S. Damianum 12. Augusti, tandem ipse postea obiit Assisii hoc nomine ter felix, quod in æde Sanctiss. P. Frãcisci nec ab eiusdem sepulchro procul sit conditus: signa quoque, & miracula viuens, & mortuus ediderit. Hactenus Auctor Martyrolog. apud quem etiam plurimi historici, qui de B. hoc Angelo scripserunt.

Vide Martyrol. die 13. Febr. ...

Hic dũ omni huius prioris partis Apostolicæ structuræ finem imponimus, libet istam veluti inscriptionem ei apponere scripturam, qua verbis S. Antonini ex 3. p. histor. tit. 24. cap. 7. poterit quilibet scire eius fundamenta numero, & virtute Apostolica verè extitisse. *Isti sunt*, ait, *duodecim Fratres, quasi duodecim Ordinis fundamenta, & duodecim Apostoli, vitam Euangelicã totis viribus seruare eligentes. Qui omnes fuerunt sanctissimi viri, excepto Fratre Ioãne de Cappella, qui vt alter Iudas factus in Ordine leprosus, furore succensus Ordinem egrediens à Deo sic in manibus Dæmonũ relinquitur, quod abiens, laqueo se suspendit, vt etiam in tam peruerso discipulo Franciscus conformaretur Christo. Nonne, inquit, ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est?* In locum Ioannis Cappellæ ingressus est, vt diximus B. Gulielmus Anglus. Omnes simul hi duodecim cõstituerunt illos duodecim Leunculos Throni Salomonis Christi in eius Ecclesia, de quibus Interpres noster in ser. Dom. 5. post Trinit. *Per duodecim Leunculos*, ait, *Prædicatorum Ordo, Apostolicam doctrinam sequens, significatur. Hi supra sex gradus hinc, atque illinc stant, quia bonorum operum gressus hinc, & inde doctrinis, & exemplis murum Ecclesiæ circumdant.*

Finis Primi Tractatus.

SANCTE FRANCISCE PROPERA, TVA LEGE ROMAM PROSPERA.

TRA-

TRACTATVS II.

Lex lata Minoribus á Francisco, quoad eius approbationem, ob quam antea, & deinde haud pauca misteria, quorum nouem præcipua sub nomine euentuum proposita, in hac Vrbe Roma innotuerunt.

Sub præfatis Principibus, atque ad eundem Annum 1209.

LIBER TERTIVS.

Franciscus statuit cum xi. Discipulis suis petere Minorum Legis à Sede Apostolica approbationem. Addito iam sibi in itinere alio ante Vrbis ingressum discipulo, Vrbem cum illis xij. mox ingreditur.

Textus Historiæ D.Bonau.

Desiderans Christi famulus per Summum Pōtificem approbari, quæ scripserat, disposuit cum illo simplici cætu Apostolicæ Sedis adire præsentiam, de sola confisus directione Diuina. Cuius desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos, simplicitatis suæ consideratione perterritos ostensa viro Dei visione huiusmodi confortauit. Bonau. cap. 3. vitæ, & legendę S. Francisci, cuius visio inferius suo loco.

CERNO nunc iuxta hanc historiā in persona Francisci, Præsidis, ac Prælati agentis officium, à se ad eum honorem adeò pōderosum minimè assumpti, sed electi à Deo, misticum illud, ac triforme, scilicet Centurionis, Dauidis, & Iudæ Machabei simulacrū, quod in vno, eodēq corpore efformatū ita describit Interpres noster in Dom. 3. post Epiph. & de quo nos alias. *Moraliter Cēturio, militibus stipatus significat Prælatum, vel quemlibet iustū, qui virtutibus tāquā militibus debet esse vallatus, & munitus.* Sic legimus 2. Reg. 15. quod omnis populus, & vniuersi bellatores à dextro, & sinistro latere Regis Dauid incedebant, & legiones Cerethi, *idest exterminatores,* & Pheleti, *idest viuificatores. In quibus virtutes designantur, quæ vitia exterminant, & animam viuificant.* Sic dicitur 2. Machab. 15. quod cū Iudas Machabeus, & Timotheus conuenissent in prælium, & vehemens pugna esset, apparuerunt de Cælo viri quinque in Equis, frenis aureis decoti, Iudæis ducatum præstantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes circumseptum, incolumem conseruabant In aduersarios autem tela, & fulmina iaciebant. Ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. *Timotheus interpretatur beatificus, & significat Diabolum, qui mundi amatoribus modo videtur beatificus, sed postea ipsis erit veneficus; vt quem habuerunt incentorem malorum in culpa, habeant tortorem in pœna. Hic congregato exercitū vitiorum conuenit ad oppugnandum Machabæum, idest virum iustum, inter quos vehemens pugna fit.* Sed ecce de Cælo, *idest cælesti pietate,* quinque viri, *scilicet quinque virtutes, quæ sunt. Humilitas mentis, Castitas corporis, Amor paupertatis, Excellentia geminæ castitatis, Propositum perseuerantiæ finalis. In equis* bonæ voluntatis. In frenis *abstinentiæ, & disciplinæ.* Aureis *discretione.* Iudæis scilicet *pœnitentibus,* ducatum præstantes, & aduersariis *Dæmonibus, & vitiis exitum parant. Ingressus enim virtutis, egressus vitij* ope-

Misticus Cēturio Franc. Legislator.

Item & Dauid Rex

Itē & Iudas Machabæus

Certamē malorū aduersus iustos.

Ingressus virtutis est vitii egressus

operatur. Humilitas à cordis elatione, Castitas à corporis corruptione, Machabeum, *idest virum iustum incolumen protegunt, & defendunt.*

Ex his perficiens inclitus Interpres totā militici Centurionis prædicti imaginem, ex qua Francisci Legislatoris, ad Sedem Apostolicam accessum cum suis parantis, proditur idea, subdit statim. *Quicumque talibus fuerit militibus munitus* (sicut tunc erat Franciscus, de sola cōfidens directione diuina, iuxta textum historiæ) *bene dicere potest huic, idest Humilitati, & Patientiæ mentis*. Vade *ab omnimoda subiectionis obedientia, ad omnis eniuria tolerantiam*, & vadit. Et alij, *idest Castitati, & Abstinentiæ*, veni *ad refrenandum gulæ appetitum, carnis lubricum*, & venit. *Hoc idem de alijs virtutibus est dicendum. Et sensui meo* fac hoc, & facit. *Seruus viri iusti est caro. O quam felix est, qui hunc seruum subiugabit, vt his, quæ sibi iustè præcipiuntur, obediat, vt dicatur ei. Ieiuna, & ieiunat, vigila, & vigilat; &c.*

Quinq. virtutibus munitus Franc.

Hisce quinque inuictis, & fortissimisque virtutibus munitus Franciscus cum illo simplici cætu, cui humillimè præerat, trinam formam, iconemque, nimirum Centurionis, Dauidis, & Machabæi in se spiritualiter repræsentabat. Hinc post duram repulsam, post aduersantem sibi in maiori parte Curiam Romanam, sanguinem, & carnem (non suam, quam mirabiliter subiugauerat, sed extraneorum, quibus caro, & sanguis, quorum discrimen cum insueto spiritu illo Euangelico ignorabant, adhuc reuelabatur) expugnauit, vicitque. Vti ex dicendis planum fiet.

Pergit Romam cū suis Discip.

CAPVT PRIMVM

Pro primo Euentu.

Aduentus Legislatoris Francisci ad Vrbem Romam cum xij. Discipulis suis pro Minorum Legis approbatione, eiusque tum prima accessio ad pedes Pontificis in loco, qui dicebatur Speculum; tum acris, ab ipso Pontifice sibi affecta repulsio.

E*Xcelsa, sublimisque Roma* est in suo nomine, quod ita eam latinè ex hebræo explicant Interpretes; inter quos Doctor noster, & Magister noster, *Romanos excelsa intuitura*, in serm.6. Dom. Passionis appellat, Aduentus Francisci Legislatoris in Vrbe Roma ob Romanæ Ecclesiæ reparationem cum duodecim Apostolicis viris eò profectò excellior, sublimiorque, ac per consequens & Romanus nomine, & re, & loco, & gradu, quò humilior, ac despectior. Pari modo philosophatur Doctor noster de Christi aduētu in Mundo, ob quem Deus absconditus, atque eius pariter vultus absconditus ab Isa.cap.44. & 53. dictus legitur. *Et benè dicitur absconditus*, ait Interpres, *hamus enim diuinitatis abscōditus fuit in esca humanitatis, vt sicut dicitur Isaia* 27. occideret Cœtum, *idest Diabolum*, qui est in Mari, *idest in Mundo salso, & amaro. Vnde Iob* 40. In oculis eius quasi hamo capiet eum, *scilicet Behemoth. Humilis capit superbum*, noster infan ulus serpentem antiquum.

Roma ex hæbræo excelsa, & sublimis.

Deus cur dicatur abscōditus.

Contingit autem hæc admiranda prædatio humillimo Deo, caro facto (teste eodem Doctore nostro) quia cum esset Sol iustitiæ, ipsa claritudine clarior, ipsa altitudine eminentior, factus est niger, vt saccus cilicinus Apoc.6. *Sacco enim* (subdit ipse) *nostræ humanitatis cooperuit lucem suæ diuinitatis*. Posui, inquit Psal. vestimentum meum cilicium. *Et quid tibi, Dei fili, & cilicio? Hac veste non Deus, sed reus, non Creator, sed peccator meritò debet indui. Pœnitentis non peccata dimittentis est vestimentū. Quid ergo tibi, & cilicio? Multum quidem & per omnem modum peccatori homini necessarium, quia* pœnitet me fecisse hominem, Gen. *Idest pœna tenet pro homine*. Hucusq. Doctor noster. Sub hoc pœnitentis cilicio, & peccatoris habitu veniēns Deus in Mūdum despectus, & subiectus, *Romanus*, vt ita dicam, effectus est *eius aduentus*. Nam capiens Diabolum, huius Mundi principem, fundansque nouam Ecclesiam, eique legem Euangelicam cum xii. Discipulis tradens, *excelsus, sublimisque euasit*, & tam ipse, quam socii eius ea tonitrua, fulminaque probitate vitæ, atque Euangelicæ doctrinę promulgatione aduersus hostes innumeros terribiliter immiserunt, quæ deinde totus terrarum Orbis, in quem sonus eorum exiuit, expertus est. *Factus est ergo* (concludit Doctor noster ser.Dom.1. Aduentus) *Sol niger quasi saccus cilicinus. O primus, ò nouissimus, ò sublimis, & humilis, & vilis*. Hæc ille.

Christi aduentus sub cilicio humanitatis.

Quomodo Romanus dici potest.

Prima, & nouissima erat apud homines *Roma* in Christi aduentu, quia totius terrarum Orbis primæuū erat Romanū Imperium. Erat tamen apud Deum & nouissima ob idolatriam, qua carens, Dei populus in hebraica gente primus vtique in illa Ecclesia eo tempore ob veræ Religionis cultum dicebatur. Licet postea res mutatæ, quia Gentilitas sponsata Christo, & Synagoga ab eo repudiata, in Christiana deinde Ecclesia *primi facti sunt nouissimi, & nouissimi primi*. Erat quoque *Roma*, adueniente in Orbe Dei filio, *sublimis*, &

Roma in Christi Aduentu prima, & nouissima.

tonans

tonans tam nomenclatura, quam reapse. Nam eminenti suo regimine, quo eleuabatur super cuncta Mundi sceptra, cuncta pariter & Mundi sceptra curuabat, eaque sibi potestate, & formidine subiiciebat. Ex exigua excelsa euaserat Roma. Subiecta principio pastoribus, sublimis deinde Principibus effecta est. Ita Romæ Imperium incepit, vt à mari vsque ad mare vniuersis populis dominaretur; atque eius humilitas superbè sapiens, totius Mundi caput euaderet, & totius Mundi Religionis, regiminis, ac disciplinarum fieret exemplar.

Ex exiguis initiis excelsa effecta.

Tam nobilis est humilitas, vt eius veste ipsa superbia induatur, inquit Bernardus apud Doctorem nostrum, cujus sententiã superius expressimus. Verum *oriens*, tonans ex alto *excelsus Dominus*, terruit, cõcutiitq. extrema terræ, *excelsior Cælis factus*: non tamen contectus humilitatis, & pœnitentiæ veste, ceu *ouina pelle lupus*, sed veluti *Agnus mansuetus*. Sic venit in Mũdo Deus. Sic eius Aduentus Romanus, quia in eo primus, & nouissimus, sublimis, & vilis visus, & conuersatus est. Sic denique eminens, & tonans apparuit, terrensque extrema terræ per Vrbem Romam, quo eius Vicarii à Regibus, & Principibus terræ adorandi erant. *Quis poterit tonitruũ eius intueri?* Iob 26. & iterum cap. 28. *Numquid tenuisti concutiens extrema terræ?* Vbi Interpres noster Dom. 12. post Trinit. *Dominus extrema terræ tenuit, cum infirma, & abiecta elegit, vt fortia per ipsa confunderet*. In tali aduentu, in quo Christus veluti nouæ Ecclesiæ fundator, & legislator venit, Francisci aduentus in Vrbe Roma, vt esset ibi nouæ legis-dator, & veteris Ecclesiæ, scilicet Apostolicæ per omnem terrarum Orbem Restaurator, præsignatus fuit, vt ex dictis manifestè patet.

Sapiendum, sed humiliter.

Venit ergo Romam Legislator Franciscus illo humanæ Redemptionis an. 1209. in quo humana redemptio cum sanguine testamenti conculcabatur. Et venit vilis, humilis, despectus; & cruciformi, & Christiformi cilicio cum 12. Discipulis indutus; vt obtenta à Sede Apostolica suæ Legis approbatione, paulò post in Domino suo extrema terræ teneret. Qui Christi exordia, & exempla secuturus, infirma iam, & abiecta elegerat, vt fortia per ipsa confunderet. Præmonstrauit iam ipsi Francisco modum hunc visio quædam, dum Romam ire pro suæ Regulæ approbatione deliberauerat, *de sola confisus directione diuina*, ait Bonau. cap. 3. Legendæ, vbi hæc alia statim annectit. *Cuius desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos simplicitatis suæ consideratione perterritos, ostensa viro Dei, visione huiusmodi confortauit. Videbatur siquidem ei, quod per quamdam viam incederet, iuxta quam stabat arbor celsitudinis magnæ, ad quam cum appropinquasset, & sub ea stans, ipsius altitudinem miraretur, subitò tantum diuina virtute leuabatur in altum, vt cacumen contingeret arboris, eiusque summa facillimè curuaret ad ima. Huius visionis præsagium vir Deo plenus intelligens referri ad condescensionem Apostolicæ dignitatis, exhilaratus est Spiritu, fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis aggressus est*. Hæc Bonauent.

Aduentus Frãc. Romæ Aduentui Christi in mundo similis.

Visio monstrata Franc. in itinere.

Flexo altissimæ, cælestisque Arboris Ecclesiæ Romanæ cacumine, cuius initia granum sinapis, ad ima Francisci præsagium fuit, quod ipsius in Vrbẽ aduentus aduentui Christi in Mundũ assimilandus erat. Erat tunc voluntas Francisci illa arbor Euangelica Matth. 4. de qua misticè Doctor noster Dom. 8. post Trinit. *Arbor bona est bona voluntas, cui vt constituat bona, quinque sunt necessaria, scilicet Radix humilitatis, Truncus obedientiæ, Rami charitatis, Folia sanctæ prædicationis, & Fructus, idest dulcedo supernæ contemplationis. Radix humilitatis quanta est in profundo cordis, tanta est in altitudine operis, & hoc significat aqua, quæ in canalibus fontium tantum ascendit, quãtum descendit. Vera humilitas quanto profundius infigitur, tanto magis inclinatur, & sic magis exaltatur*.

Volũtas Frãcisci Romã venientis, Arbor Euangelica.

Huic radici humilitatis Francisci flectendus erat apex Ecclesiæ in Christi Vicario, illique, ne funditus rueret, innitendus. Aliquid eorum, quæ contigerunt in eius aduentu circa approbationem suæ Regulæ post duras repulsas, enarratũ est in 1. tomi 2. Hierarchiæ nostræ facie ad fol. 33. & vlterius, vbi de inclito Præsule Ioanne de Columna S.R.E. Cardinali, ac primo Ordinis Protectore, qui Francisci causam, iam prius acriter reiectam vti nouam, & insuetam, apostolico spiritu consistorialiter aduocauit. Ipse postea Romanus Pontifex Innoc. III. post approbatam Regulam, contulit etiam ad instantiã præfati Cardinalis omnibus tredecim illis Apostolicis viris Minores ordines, & Frãcisco vsque ad Diaconatum, vti etiam diximus ex Mariano cum Vadingo in altera eiusdem 2. tom. Hierarchiæ facie. Professus est Franciscus cum 12. sociis & Discipulis Regulam, quam pro se, & suis Fratribus scripserat, in eiusdem Pontificis manibus, vt scribunt Historici nostri. Insuper (ait Bonau. cap. 3. citato legendæ in fine) approbauit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis Fratribus omnibus, qui seruũ Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbũ Dei liberè prædicarent. Sed de his inferius singillatim, vbi de septem Euentibus, &c.

Vide infra in 1. Euentu, & vlter.

Coronæ paruulæ Fratr. laicis B. Frãcisci sociis concessæ.

Locus

Locus Speculi Palat. Later.

Locus tamen, in quo principio introductus est Franciscus ad Vicarii Christi pedes, haud puto silentio prætereundus, de quo ita Seraphicus Historicus cap. eodem post medium. *Cum autem ad Romanam Curiam peruenisset, & adduceretur ante conspectum Summi Pontificis, essetque Christi Vicarius in Palatio Lateranensi, in loco, qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus*, Christi famulum tamquam ignotum *repulit indignanter, &c.* Hic locus, Speculum dictus, erat in Lateranensi Palatio Xistus Papę, seu ambulacrum, speculis vndique confertum, quo poterat Pontifex inde transituros commodè intueri, nec tamen ab aliquo inspici. At post Seraphicæ linguæ historicam locutionem, audienda *Lingua* Doctoris nostri *benedicta*, ita ab ea nuncupata, & ante illã etiam & ipsa locutione, & eloquentia ex longo tempore Seraphica.

Franc. christallum symbolicum.

Christallum, ait in cap. 1. Gen. *radijs Solis tactum, vel percussum, scintillas ardẽtes emittit. Sic fidelis vir, ac iustus Solis radijs illuminatus, scintillas rectæ prædicationis, & bonæ operationis, proximum accendentes debet emittere* Hasce Seraphicas scintillas christallinum B. Frãcisci Speculum iam inceperat apostolicè emittere. Ast non quale tunc de facto erat oculis Dei, & Angelorum, illud Christalli Speculum sub Pontificio Speculo fuit statim cognitum, & admiratum. Ego sum lux Mundi, &c. Ioann. 8.

Christus lux mundi propter quatuor.

Lucem Mundi se nuncupat Christus propter quatuor, explicat Interpres noster serm. Sabat. Hebdom. 4. in Quadrag. *Est enim*, ait, *vt lux primò inflammatiuus caloris. Nam videmus ex luce ignem accendi, & corpora inflammari; sed hoc non accidit, nisi vbi eius radij maximè aggregantur. Vnde quia terra est sicut centrum, in ea sunt magnæ inflammationes: in tantum, quod tota combureretur, nisi contemperaretur è frigiditate, & humore Lunæ. Sic verè lux Christi inflammatiua cordiũ, ignem Dei venit mittere in terram, nec vult aliud, nisi vt ardeat. Sed hic ignis non accenditur, nisi vbi eius lucis radij aggregantur.*

Ignis lucis Christi in humilibus accenditur

Hoc autem solum fit in Humilibus, qui tenent locum Centri, quia æqualiter à tumore circumferentiæ tenentur. Quia ad circumferentiam qui sunt, habent cor tumidum, & inflammatum. Insuper semper ambulant in magnis in corde suo, & circumferuntur *hinc inde varijs tentationibus cogitationes. Solus autem Humilis stabilis, & ad instar centri: Ibi fit aggregatio radiorum diuinorum. Ibi fiunt inflammationes. Exemplum huius de Speculo concauo. Sunt enim Speculum, quia ipsorum vita est speculum, & terra ab omni macula polita per mansuetudinem, quia nullam continet austeritatem. Concauum per humilitatem, & ideo ex eo ignis accenditur, sicut experientia docet.* Hactenus Interpres noster qui ibidem ponit aliud exemplum de amphora vitrea, plena aqua, &c. Sed hoc inferius, vbi de Francisco, secundò Legislatore, instituente Ordinem S. Claræ.

Est secundò Christus lux, quia excitatiuus vigoris, & istud sequitur ex primo. Tertio generatiuus coloris ob diuersas imagines, quas terræ imprimit, quia formam Leoninam, *dum scilicet dat colorem fortitudinis; humanam dum scilicet actum prudentiæ.* Quartò fecundatiuus valoris, *facit enim terram cordis nostri germinare: Terra germinat aurum, & cor nostrum thesaurum virtutum.* In humillimi cordis Francisci Speculi concauitate diuinus ignis hos quatuor effectus siue inflammando calorem, siue vigorem excitando, siue generando colorem, siue tandem valorem fęcundãdo peculiari quadam, sicut tempore Apostolorum, operatione produxerat. Verum istud speculum, quadriformiter in eius humilitatis centro Seraphicum, ac mirificum adhuc ignorabatur sub Speculo Palatii Pontificii.

Speculũ symbolicè pro vitio.

Si quis, ait Iacobus Apostolus, *auditor est verbi, non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abyt, & statim oblitus est qualis fuerit.* Duplicem interpretationem afferet hic Doctor noster, nunc per Speculum vitium intelligens, nunc verò sacræ scripturæ librum. In priori interpretatione eius comparatio ita se habet. *In speculo tria sunt consideranda, scilicet vilitas, fragilitas, claritas. Speculum nihil aliud est, quam stultissimum vitium, in quo sicut in speculo tria sunt. Vitrum est vile in materia, fragile in substantia, clarum in splendore, quia oppositum Soli, lucet ad instar Solis.*

Vitiũ, & vitrum quomodo inter se conueniant.

Iuxtà hanc priorem interpretationem, textui Iacobi admodum concinnam, sicuti multa est propinquitas nominis inter *vitrum, & vitium*, ita haud modica rei inter vtrumque vicinitas. Vitium dicimus propriè id, quod virtuti opponitur: ita nuncupatum, quia vitandum, fugiendũq. *Virtus est vitium frangere*, ait Seneca lib. 1. Epist. Vilius est vitro vitium in materia, nam tendit in destructionem virtutis, quæ nihil est pretiosius. Est pariter vitium & vitro fragilius; clariusque, tum quia vilitas moralis in rem nobiliorem, quæ est mens, animusque, insurgens, eam penè ad nihilum redigit. Tum quia apparenti bono contectum (alioquin à voluntate, quæ in præcognitum obiectũ liberè fertur sub aliqua specie boni minimè amplecteretur) amore sui ipsa virtus spernitur, veluti res obscura, & ipsis tenebris contemptibilior. Igitur vitrum est stultissimum vitium, cui meritò ille vir insipiens comparandus, qui verbi auditor est, sed non factor; dũ enim

audit

audit verbum, nunc vitium, vt vitet, fugiatque, nunc virtutem, vt amet, sequaturq. sibi proponens, statim obliuiscitur. Quia totum, quod sibi proponitur, contemnit, & tunc magis virtute perit, cum magis virtutem perimens, vitii vilitatem, fragilitatem, vanumque splendorem diligit, dicente Plauro, *hoc vitium maximum est, cum amamus, tunc perimus*

Franciscus perfectus auditor, & factor verbi Dei euasit, quando auscultans mira deuotione sacrum, audiuit illud euangelicum: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. Vbi Bonau. cap. 1. legendæ de Francisco in principio suæ primæ conuersionis. *Induit ex tunc*, ait, *spiritum Paupertatis, & Humilitatis sensum, & affectum intima pietatis*. In secunda verò, atque totali eius conuersione, eremiticum viuendi modum non absque aliqua cōmoditate antea electum, abnegans, nouumq. morem, habitumque verè Apostolicum deligens, illud aliud euangelicum ad id eum impulit, quod in Missa de Apostolis aure, & corde intellexit, illis verbis cap. 10. in quibus mittens Christus suos ad prædicandum Discipulos, tribuensque eis Euangelicam viuendi formam, monuit, ne possideant aurum, aut argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod monitum citò, hilariterque exequens, Apostolicam amplexus est spiritus, & corporis Paupertatem; vna iam postea contentus tunicula, pro cingulo funem sumens, calceamenta deponens, *parum de sandalijs solicitus*, plus verò nunc de omnimoda pedum nuditate, nunc aliquando de imis calepodiis ad maioris paupertatis argumentum respectu eorumdem sandalium, vt in Hierarchia ad 1. & 4. tomos probauimus. Pecuniam execrans, baculũ deponens, quod attulimus supra in 1. cap. ex D. Bonauent. interiori, necnon & exteriori forma vtrique homini Christi Legislatoris seipsum, in sua legislatione mirum in modum accommodauit.

Franc. spiritus paupertatis, humilitatis, & pietatis.

Vitæ Christi, & Apostolorũ totaliter adaptatus.

Sic fracto omnimodè in eo cuiuslibet vitii vitro, seu speculo prioris vanitatis, in qua licet nutritus, attamen semper à Dei gratia clementer præuentus, ne in lætale vitium laberetur, euaserat ipse omnis probitatis speculum, cuius cordis cãdor in decus, lumenque oris transierat, iã Christo multimodè conformatus, qui est speculum sine macula, & Paternæ bonitatis imago. *Omnium virtutum custos, & decor* (ait Bonauent. cap. 6. legendæ in princip.) *Humilitas copiosa virum Dei vbertate repleuerat. In propria quidẽ reputatione nihil erat, nisi peccator. Cum in veritate* Speculum *esset, & splendor omnimoda Sanctitatis*. Et quia simile conseruatur in simili, & effectus assimilatur suæ causæ, hinc aliud speculum tam pro se, quam pro suis Fratribus in lege sua, ac Regula, inspirante, & reuelãte Deo à se scripta, fabrefecit. Illud deinde speculũ aliud suæ humillimæ vitæ speculo conformissimum in loco speculi, vbi aderat Christi Vicarius, altis occupatus meditationibus in specula vitiorum illius temporis, per quæ tota vtique Christianitas vt dementata erga virtutes viuebat, cum seipso speculo præsentauit.

Speculũ sanctitatis Franciscus.

Quod ita demonstrari potest ex altera Doctoris nostri interpretatione, quæ talis est. *Vel vitrum, & speculum est sacra scriptura, in cuius splendore natiuitatis nostra vultum debemus considerare. Vultus natiuitatis nostra est, vnde nati sumus, quales, & ad quid. Vnde nati, quantum ad vilitatem materia. Quales, quantum ad fragilitatem substantia. Ad quod, quantum ad dignitatem gloria, in qua si factores verbi fuerimus, ex vicinitate veri Solis lucebimus*. In Speculo sacræ doctrinæ ista tria reperiuntur. *De vilitate materiæ, Gen* 3. Cinis es, & in cinerem reuerteris. *De fragilitate substantiæ, Psalm.* Anni mei sicut aranea meditabuntur. *Quid araneæ tela fragilius? Quid vita hominis corruptibilius?* qui minima læsura, modica febricula corrumpitur? *De dignitate gloriæ*. Fulgebunt iusti sicut Sol. *In hoc speculo miser homo cum natiuitatis suæ vultum considerat, scilicet qualiter natus, quam fragilis, quam vilis, vel quid futurus, aliquando compunctionem, & pœnitendi voluntatem contrahit, &c.*

Speculum scripturale.

Vultus natiuitatis nostræ in eo triformis.

Sacræ doctrinæ speculum lucidius proculdubio vultus natiuitatis nostræ, clariusque in scriptura euangelica est, veluti purissima lux, non solum ipsa vmbra nitidior, sed ipsius vmbræ dissipatrix, euacuatrixque. Testamentum enim nouum omnia, quæ in testamento veteri adumbrabantur, tenebris subtraxit, consummauitque. Cum ergo lex data à Francisco tota lux Euangelica esset, & vt testatus est postea in eius reformatione veluti *Euangelij medulla, liberque vita*, nihil aliud in loco speculi poterat ea Franciscus, cum ipse esset in veritate *Speculum, & splendor omnimodæ sanctitatis*, præsentare Innoc. III. Pontifici, *nisi speculum* Scripturale *euangelicum*. Imago in eo cinerea vilitatem humanæ naturæ, viliter tractandæ habitu exteriori, operibus pœnalibus, mortificatione arbitrii, & corporis per vota, præcepta, admonitiones, correptionesque oculis Christi Vicarii primo aspectu obiecit. At verò sub alia mente, & imagine cernit Pontifex in tali speculo fragilitatẽ sub-

Regula S. Franc. speculum Euangelicum.

Ipse Legislator speculũ & splendor omnis sanctitatis.

auctoritatis imago est, ita fuit tractatum duplex, simplexque, mirandumque Viri Sancti speculum, scilicet sui ipsius, & Regulæ suæ; sicut subdit Doctor noster loco citato, loquens de prædicto rationis speculo. Addens enim ibi concordantiam ex Zacch. 4. sermoneq. faciens de viro iusto, cuius anima intra speculum sui ipsius aurea tota est in quantum ad imaginem, & similitudinem Dei facta (habens super caput lampadem, quæ est infusio gratiæ, qua ipsa illuminatur) hæc pauca alia annectit. *Vnde de Viro iusto hac lampade illuminato, dicit Iob. 12.* Deridetur iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum. *Gregorius. Iusti simplicitas, & lampas dicitur contempta, quia apud mentes carnaliũ abiecta existimatur, & à duplicibus quasi fatuitas reputatur. Quasi mortuos reputant, quos non secum carnaliter viuere pensant. Statutum contemptæ lampadis tempus est æterni iudicij dies prædestinatus, quo iustus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur.*

Cur iusti simplicitas dicatur lampas contẽpta

SECTIO PRIMA:

Hæreticorum Tigurinorum, seu Helueticorum astuta calliditas in Matthæi Paris Chronica, quã in multis deteriorem suis appendicibus reddiderunt, præsertim vbi de B. Francisco ab Innoc. III. expulso, eiusque Phisiognomia.

Pontificia illa expulsio, in qua, vt fertur, Christi Vicarius Innocẽtius III. peracribus verbis repulit Franciscum indignanter, haud comitem secum habuisse eam contumeliam, quam refert Matthæus Paris in sua Chronica sub annum 1227. patere potest ex Cardinalis Bellarmini adnotatione super eundem Auctorem ad annum 1245. vbi de eo ita in libro de Scriptorib. Ecclesiast. Matthæus Paris, inquit, siue potius Parisiensis (sic enim vocatur in ipso eius libro, & in indice libri) fuit Monachus Albanensis, scilicet S. Albani in Anglia, tempore Henrici III. Regis Anglorum. Scripsit historiam Anglicam à Gullielmo I. vsque ad annum 35. Henrici III. idest ab anno Domini 1067. vsque ad ann. 1250. Et hoc ipso anno habentur hæc verba. *Hic terminatur Fratris Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani Cronica.* Et ibidem insinuatur eius mors. Continuauit autem aliquis alius vsq. ad obitum Henrici III. idest ad annum 1273.

Quis Matth. Paris, & quo tẽpore scripserit.

Hæc Historia (subdit statim Bellarm.) multa habet scitu digna, præsertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam, & Imperium. *Sed quoniam edita est ab Hæreticis Tigurinis, cautè legenda est. Non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab Hæreticis ad inuidiam conflandam Ecclesiæ Romanæ.* Hucusque Bellarminus.

Eius Hist. edita ab Hæret. Heluet.

Et quidem inter hæc non pauca, addita in libro Matthæi Paris à Caluinistis Heluetiæ (quorum colluuies omnem Angliæ Regnum à principio regiminis Elisabethæ ad ann. 1539. adimpleuit) illud, quod refertur de modo expulsionis Francisci per Innocentium III. & de mandato, illi ab eodem Pontifice imposito, ob cuius executionem Christi Vicarius, iam facti pœnitens, mox ei Regulam, & institutum approbauit, valde solemne, ac præcipuum reputo.

Quod fert de Franc. expulso à Pontif. additum est ab Hæret.

Probatur primò ex more Caluinistarũ, passim cum eorum parente sordescẽtium. Opus, seu Chronica Matthæi Paris fuit impressa Londini anno Domini 1571. qui Regni Elisabethæ, Hæresis Caluinianæ regię vexilliferæ, & in Ecclesiam Romanam crudelissimæ fœminæ, cuius obitus 1590. erat annus 12. Fuisse Catholicum Matthæum Parisiensem, S. Albani Monachum, licet in sua Chronica multa, quæ ea tempestate videbantur sibi repræhensibilia de curia Romana enarrauerit, testatur Cardinalis Alanus, nec id Bellarminus negat, aliis etiam subscribens, qui asserunt, iniurium fuisse Matthæum in Romanam curiam in scriptis suis, ab Hæreticis conspurcatis. Neque nouissima editio Parisina in paucissimis expurgata ad annum 1644 nos retrahere quibit, quin asseramus cũ eodem Bellarmino, cautissimè legendã fore. Siquidem verbatim recusam esse iuxta exemplaria Londinana de anno 1571. Frontispicium eiusmodi editionis Parisinæ apertè fatetur. Cum ergo ingenium, geniumque omnium Hæreticorum, maximè Caluinistarum genuinum sit circa res sordidas, immodestè, ac contumeliosè conscriptas, nec semper ita apertè, ne semper fidem perdant, tum contra alios eiusdem farinæ, licet alienæ sectæ homines, vt sunt potissimum Lutherani, tum in Romanam Ecclesiam, quæ tempore Reginæ Elisabethæ in summum excidium in Anglia peruenerat; sequitur haud obscurè, additum fuisse ab Hæreticis Tigurinis, totam Angliam tunc infestantibus, id, quod vt supra refertur de Francisco in Chronica Matthæi Paris, quæ in peiores manus incidere nequaquã poterat, nec sub peiori regimine, vt mendosissimè, atque immodestissimè in quamplurimis imprimeretur.

Probatio 1. ex more Caluinistarum

Sub Regina Isabetha hæretica chronica Matthæi impressa.

Alia editio parisina 1644. valde parcè expurgata.

Probatio 2. ex pluribus erroribus circa res S. Frãcisci.

Probatur secundò ex pluribus mendis circa res Franciscanas, in Chronica illa repertis, itemque in editione Parisina præfata traditis. Vita, mores, & Regula S. Francisci narrantur post obitum eius, qui contigit anno 1226. scilicet ad annũ 1227. In quo etsi sola Regula Minorum sincerè sit adnotata ablatis tamen capitũ titulis, qui in corpore Bullæ Honorii III. extant, multa è regione, & fermè cuncta perperam enarrantur. Inter quæ, quod Franciscus fuerit nobilitate generis præclarus, literisque theologicis à pueritia imbutus, & quod quintadecima die ante mortem apparuerint vulnera in manibus, & pedibus eius, sanguinem iugiter emittentia, vti illa, quæ accepit Christus in Cruce, sollemnissima mendacia sunt, vt patet, atque ad comprobandum illud, de quo loquimur, quodque cum illis admixtum est, apertissima profectò; nimirum quod additum sit à Caluinistis, Chronicam illam Londinianam tempore Reginæ Elisabethę conspurcantibus.

Probatio 3. ex Hæreticorum invidia desumpta.

Probatur tertiò aliundè. Illa in ea Chronica relatio conflat odium, inuidiamque Romanæ Ecclesiæ, tum in summum, maximumque Sacerdotem, eius rectorem, qui tunc erat Innocentius Tertius, moribus, honestate, modestia, doctrina, regimine, ac sanctitate toti Orbi notissimus. Tum in Seraphicum eiusdem Romanæ Ecclesiæ Reparatorem, sybillinis vaticiniis, ceu Christo simillimum præmonstratum. Biblicis figuris designatum. Propheticis patefactum oraculis. Ergo illa relatio ab Hæreticis Figurinis addita est in Matthæi Paris Chronica. Si negabis antecedens, eo quod S. Elisabetha Hungarica ex tertia Regula B. Frãcisci, expulsa à propria sede cum liberis, & ancillis suis, coactaque, vt ad inferius Oppidum proficisceretur, ibique in Caunoponulam, vbi erat hara porcorum, diuerteret, prout refertur in 1. nostræ Hierarchiæ tom. ex Vadingo ad folium 296. Dica statim, exemplum esse valde circa rem nostram diuersum. Quod contigit S. Elisabethæ ex altissima Numinis prouidentia ad eius magnanimum, in apostolica patientia exercenda, ac plusquam masculinum, regiũq; pectus patefaciendum, maximum iudiciorum Dei continet misterium. Quod autem fertur de Francisco, vt diximus, immodestiam magnam habet, & scandalum, & vtrumque stomachoso, sordidoque Hæreticorum animo in Romanos Pontifices, & Ecclesiæ Sanctos apertè fauet: vt mox liquebit.

Obiectioni occurritur.

Probatio 4. ex auctorib. ante Matth. Parisien.

Probatur quartò. Reiicisse Romanum Pontificem Innocentium III. B. Franciscũ, non quia ita horridum aspectu, prout in ea Chronica refertur, sed quia ejus habitus forma tam rudis, & aspera, & nondum penè in Ecclesia inspecta, horrore principiò affecerat Pontificem (Regulaque, quam approbari à Sede Apostolica Dei famulus humillimè expostulabat, ob nimiam eius austeritatem vires humanas excedere, atque obseruatu impossibilis credebatur) alii Scriptores maioris auctoritatis, atque integerrimæ probitatis testati sunt, qui Matthæum Paris antecesserunt, & gesta S. Francisci cum tota eius vita, ipso nondum è viuis sublato, adnotarunt, ipsum cognouerunt, viderunt, & cum ipso conuersati sunt, & fuerunt viri sanctissimi. Ergo &c.

Aliæ probationes.

Ad hæc Ioannis Caluini odium in contemptum totius Reipublicæ orthodoxæ, nedum vtriusque Ecclesiæ, scilicet Romanæ, ac Franciscanæ, B. Franciscum sacris Christi plagis, & clauis decoratum *Idolum Stigmaticum* nuncupare ex contemptu solebat, vt refert Auctor Martyrolog. nostri. Hæreditarium hoc odium in Caluinistis aduersus Clericos, & Fratres Minores, quos ad illorum iuuamen, & reparationẽ destinauit Deus, valdè efferum est super illud, quod commune est in aliis Hæreticis. In Apostolica Ecclesiæ Romanæ Sede eminet Christi Vicarius. In Seraphico Frãciscanę Ecclesiæ solio Franciscus, Christi vicem gerens in illius reparatione principem locum tenet. In hæc capita potissimum eam labem solent obiicere Hæretici recentiores, à priscis aliquot exempla percipientes, quam ex cœnosissimo pectore eructant, tales facientes Pontifices, tales Ecclesiæ Sanctos, inter quos Frãciscus intolerabiliter excruciat ipsos, quales ipsi sunt, & omnes sibi assimilari percupiunt. Moraliter (inquit Interpres noster Sab. Hebdom. 3. in Quadrag.) filius prodigus, licet generaliter possit omnem peccatorem significare; *Specialiter tamen arrogantem, siue præsuntuosum significat, qui proprys viribus vult inniti, ac relinqui propriæ voluntati, vel libertati, &c.* Hæc ibi Interpres, qui vti erat omnium sui temporis Hæreticorum malleus, ita eorum mores nouerat, quibus propriis viribus innitebant circa dogmata, quæ è sacris Bibliis, Concilia, & Patres arroganter, ac petulanter contemnentes, ad suum placitum deducebant, voluntati propriæ, ac libertati conscientiæ contra Ecclesiæ Sacramenta, ac fidei Apostolicæ Sanctiones obsequentes, ac famulantes. Hi, & eorum successores, atque hæredes, illis peiores, scilicet Lutherani, Caluinistæ, Anabaptistæ verè dissiparunt substãtiam suam cum meretricibus, sicque adhæserunt *vni Ciuiũ, qui Diabolus est*, subdit Interpres, *quique*

In filio prodigo vti in figura dicta hæresis.

misit

misit eos in villam suam; scilicet, ait, in cor eorum prauum, quod est Dæmonis villa, *vt pascerent porcos*. Huiusmodi substantiæ cum meretricibus dissipationem declarat Interpres, ita ipsos, quos linguæ malleo percutiebat, & quorum multos Christo parturiebat, commiserans. *O quot cum istis mulieribus impudicis bona sua dissipant, & consummant. Istæ namque mulieres sunt Sirenæ, quæ cæcant oculos sapientum, mundanæ scilicet, & corporales voluptates, & gaudia terrena*. Sic legimus de Luthero, & de Caluino, inter sapientes illius tempestatis haud vulgaris notæ magistris, ac Doctoribus, & in impudicitiæ spurcitiis non leuiter se volutantibus, & cæcorum ducibus, iam ab eiusmodi Sirenis cæcis effectis. Sed quid est illud, *vt pascerent porcos?* Respondet Interpres. Porcus comedit stercus, idest peccatum *Luxuriæ*, vbi natat per cogitationem, inuoluit rostrum per impudicam locutionem, &c. Item comedit radices, idest peccatum *Auaritiæ*, quæ radix est, profundata in terra. Item comedit siliquas, quod est genus leguminum ventosum, & vanum. Hoc est *Superbia*, quæ siliqua magis ventrem inflat, quam det saturitatem sicut superbia, & vana gloria. Hæc Interpres. Id genus hominum aduersus primam sedem, & eius caput ex volutabro impudicitiæ, ex pascua radicũ *Auaritiæ*, atque siliquarum superbiæ adeò terribiliter insurrexerat tempore Francisci, vt per tria illa vitia communissima, quibus etiam totus Orbis inficiebatur, ruinis proximam totã Romanæ fidei molem, in quam idcirco tria fulmina Christi dextera armauerat, constituerit. Vt repararetur Pietate, iam per vindictã destruenda, ordinauit Deus summam Francisci *Puritatem*, maximamque omnium rerum *expoliationem*, incredibili erga pauperes liberalitate (iam ipse primus altissimæ Paupertatis professor efficiendus) illustratam, eiusque insuetam ordinauit *Humilitatem*, qua Redemptoris imaginem ipse omniũ Reparator lineamentis valde peregrinis meruit in se ipso deinde exprimere. Hinc haud mirum si pertinacia tam assidua, tũ in Sedem Petri, & in Petrum, tum in soliũ Francisci, & in Franciscum, hęresis, tum antiqua, tum minus antiqua, tum moderna (hæc illa peior, frontosior, atque immodestior) scriptis turpissimis, ac maledictis, eò peioribus, quò aliquando non adeò apertis, in dies irrumpunt; multa conuicia, ac probra, ex proprio volutabro desumpta, iam omni humano pudore exutæ, immiscentes.

Hæresis dissipat substantiam suamcũ meretricib.

Quæ vitia fuês hæreticos constituant.

Franc. virtutes contra hæc vitia potissimum.

Hæreticorũ in Romanã Sedé, & eius caput maledicta.

Quoad maledicta aperta, cœnosa, & sordida legimus iam, Donatistas Sedem Romanam Cathedram pestilentiæ olim nominasse, huiusque Sedis Pontificem appellasse Berengarium Pulpificem. Valdenses purpuratam meretricem, Vviglephum Satanæ Sinagogam. Verum omnis hæresis modernæ ad peiora prorumpit, & etiam ad maiora argumẽta, vt se qualis est ostẽdat, (iam de more Romanæ Ecclesiæ dogmatum professorum (in similibus, siue ad defensionem, siue ad expugnationem cum ipsis dissidentium longè dissimiliũ) valde degener. Ipsa est, quæ communi ore Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum hanc Sanctam Christi Vicarii Sedẽ Antichristi solium esse contendit, & tamen sectatores sui verè Antichristi regnum, in extremis temporibus affuturum, præcurrunt. Vbi à nobis nostri temporis Heretici, præsertim Caluinistæ in pluribus aliis rebus dissident, tamen hinc nobis solum nomen imponere voluerunt, per quod Papistas nos communiter appellant, quasi vel solum, vel præcipuè in Summo Pontifice tuendo errare nos arbitrentur. Neque putant se maiori contumelia aliquem efficere posse, si eum nominant Papam. Et nihilominus, vbi certò sciunt, in hoc nos summè gloriari, ac Papistas dici, & teneri maximè peroptari; ipsi tamen indignãter conqueruntur, obmurmurant, insultant, ad verba prouocatoria, & ad verbera, imò ad arma immaniter veniunt, vbi Lutheranos, vel Caluinistas eos nos dicimus, quasi erubescant à Patribus suis, quos viros Apostolicos appellant, & vt sanctissimos venerantur, cognominari. Sed de hoc alibi Italicè in litteris liminaribus de principatu sacerdotali Cathedræ Romanæ.

Papistas nos vocari ab hæreticis gloriamur.

Dum ipsi in dedecus nostrum loca omnia cœnosa, ac sordida, & quidquid turpe, ac fœdum in rerum natura reperitur, Papæ vocabulo appellare soliti sunt (id, quod nos erubescimus in patres eorum refundere, ne de turpi immodestia arguemur) commiseramur ex corde tantam in eis impudentiam, ex illo erumpentem volutabro, de quo supra cum Interprete nostro, & è quo totus Orbis per Franciscũ eius Reparatorem exemptus, & plures ex suis prędecessoribus per nostrũ Interpretẽ, strenuumque Francisci coadiutorem, in quem tum apertè, tum proditoriè antea dimicarant, liberati. Is denique recentiorum Hæreticorum in Pontificem animus est (claudit Bellarminus tom. 1. controu. 3 General. in præfatione) vt cum de aliis rebus omnibus mordaciter, ac petulanter scribant, in Pontifice Summo vexando, & probriis, calumniis, conuiciis onerando, furiis agitari, & malo Dæmone pleni esse, vel potius hominem exuisse, & Dæmonem induisse videantur.

Qualis hæreticorum recentiorum in Pontificem animus.

De maledictis Hæreticorum in Romanam Sedem, eiusque caput, artificiosè velatis, ne ab ipsis faciliter caueri possit; infinita exempla extant, tum apud codicem Biblicum, ab eis mendosè editum, tũ in suis libris, de quauis materia ab eis conscriptis (præsertim in historia centuriata Brandeburgica, omnes historias Ecclesiasticas peruertente, cuius Auctor præcipuus Matthæus Flaccus Illyricus rigidorum Lutheranorum pater) tum denique & in alienis libris, quos ipsi imprimunt. Inter hos alienos libros, ab Auctoribus Catholicis compositos, Matthæi Paris Chronica reperitur, ab illorum additionibus veluti decipula, incautis tradita, per eorum editionem reddita, vt fatetur Bellarm. citatus. In ipsa præcipuum facio, quod fertur circa prætactam Francisci expulsionem, quoad eius modum, & ad id, quod demandatum Viro Sancto fuit, & quod ore Pontificis, & talis Pontificis indignum existimandum est. Istud malè dictum, haud ita coloratum, quin apertè omnem modestiam, & pias aures offendat, od id profectò addiderunt Hæretici Tigurini, vt incautos, quos vocant Papistas, fallentes, daretur postea ipsis ansa, nos, illam enarrationem haud vt falsã, sed vt veram amplectentes, iustè deridendi his verbis.

Artificiosa hæreticorũ malè dicta.

Ergo Franciscus vester (quem quanto Papæ Romano vnà cum suo Ordine ob peculiarem reuerentiam, & obedientiam, & subiectionem potissimum, & ob alia multa ad Romanam Sedem, quam hunc Franciscum vestrum per se, & per suum Ordinem reparasse inaniter iactatis, proximiorem facitis, tanto nos simul cum suo Ordine meritò hodio habemus) ad loca cœnosa, ac sordida simul cum Papa Romano mittendus. Ad ea namque nisi ipse Papa Franciscum vestrum, quem vt Idolũ stultè adoratis, paremque Christo efficitis, misisset, & ita cœnosum, & iam similem sibi effectum postea gratanter ob eius sordidam obedientiam collegisset, nequaquã gratum habuisset, nec illius postulationi annuisset. Sicut scribit Matthæus Paris, inter vestros Papistas Monachos optimi nominis author. Igitur cum hæc, & similia possent in nos Romanæ fidei aduersarii euidenter obiicere ex loco illo Matthæi Parisiensis, haud obscurè colligitur, eam historiam additam ibi fuisse ab Hæreticis Tigurinis in Sedis Romanæ, & eius caput contumeliam.

Ad quẽ finẽ historia de Franc. in lib. Matth. Paris addita.

Exprobationem deindè Hæreticorum in ipsos Christi Apostolos, quorum Antesignanus B. Franciscus, ipsas Caluini aures videtur aliquãdo offendisse. Scribens enim ac detegens nouam Libertinorum sectam ita in illos inuehitur, & in Quintinum illorum parentem, natione Picardum Caluinus. Si quis locus ipsis obiicietur: respondebant, nos literæ minimè obnoxios esse; sed spiritum, qui viuificat, sequi oportere. Quin etiam Porcus ille Quintinus (hoc vocabulo appellauit aliquando Lutherum, Caluinus, è cuius exemplo suorum sectatorum os idem passim eructat in viros Catholicos) *vnumquemque Apostolorum aliquo scommate notauerat*; veluti Picardico suo sermone *Paulum* vocans vas fractum. *Ioannem* iuuenem stolidum. *Petrum* abnegatorem Dei. *Matthæum* fœneratorem. Hæc Caluinus in instructione aduersus Libertinos cap. 9. apud Bellarmin. tom. 1. cit. lib. 1. de Verbo Dei cap. 1.

In Quintinũ Apostolorũ exprobatorẽ Caluinus

Porrò Caluinus ipse, Tigurinorum Hæreticorum pater, qui tam seuerè, ac turpiter alios arguit impietatis, tam fuit ipse pius, & religiosus, vt non contentus iis conuiciis, quibus Sanctos omnes vexat, qui post Christi aduẽtum floruerunt, etiã ad eos linguæ suæ flagellum extenderit, qui multis sæculis eiusdem Saluatoris aduentum præcesserunt, atque Franciscum Reparatorem Ecclesiæ, à Saluatore Mundi immediatè destinatum, præfigurarunt. Itaque in libris Christianæ suæ institutionis lib. 3. cap. 14. §. 11. *Abrahamum* Idolorum cultorem facit. *Saram* lib. 3. Instit. cap. 2. §. 31. multis modis peccasse dicit, cum Ancillam viro suo supposuit. *Rebeccam* verò variis fraudibus, & imposturis Dei veritatem corrupisse, dum malo articio filii benedictionem procurat, maritum decipit, Iacobum mentiri cogit. *Iudam Machabæum* lib. 3. cap. 5. §. 8. superstitionis, & præposteri zeli repræhendit, quod pro mortuis sacrificium offerri imperauerit. *Sephoram* lib. 4. cap. 15. §. 20. stultam mulierem fuisse, grauiterque peccasse docet, quod filium circumciderit. *Mosem* ipsum in cap. 32. Exodi (quo nihil habuit antiqua ætas mitius, sapientius, sanctius, quique primum in Ecclesia Christianorũ fundanda Christum summum Euangelii datorem, postea in eadem vt reparanda, Franciscum Euangelicum Legislatorem, Christo, eam mandanti, ac legem reuelanti innixum præsignarat) arrogantiæ, atque sapientiæ Caluinus insimulat, quod nimirum imperiosè Legem Dei præscripserit, suaque cum iustitia exuerit.

Et tamẽ ipse SS. veteris & noui Testam. peior exprobrator

Iã verò de sanctis hominibus noui Testamẽti primum scurriliter nugatur, eos si preces mortaliũ exaudire debeant, oportere eos tam longas aures habere, vt à Cælo vsque ad terram porrigantur. Deinde eosdem per contemptum, nunc homines mortuos, nunc vmbras, nunc etiam *colluuiem* nominat in Institut. lib. 3. cap. 20. §. 27.

Caluinus in Sanctos noui Testam.

§.27. Est autem propriè *colluuies*, quæ & colluuio etiam declinatur, fordes, immunditia ex concursu alicuius rei, Plin. lib. 24. Ac per consequens illud volutabrum colluuies erit, de quo supra cum Interprete nostro, quodque per translationem cunctorum vitiorum concursum denotat, vnde hæresis moderna ortum habet, aiente Cicerone pro Sex. *Ex omnium scelerum colluuione natus*. Hanc, in qua Hæretici Tigurini volutabantur, addiderunt in præfato Matthæi Paris conuicio in Papam, & in Franciscum, deturpantes ibi tanti Scriptoris Chronicam, atque seipsos probatissimos Caluini hæredes demonstrantes, scilicet omnimoda modestia exutos; & ex omnium scelerum colluuione exortos cũ suo parente. Qui idcircò etiam in libro, quem inscripsit de vera Ecclesiæ reformãdæ ratione, etiam monstra, carnifices, bestias appellauit Sanctos. Qua contumelia, & blasphemia vix vlla maior excitari potest, vt probat Bellarmin. tom. 2. controu. 4. in præfatione, vbi ita concludit.

Christus non feret Sancto rum suorum exprobratores.

Christus haud æquo animo accipiet; amicos, domesticos, fratres, filiosque suos amantissimos, quos ipse in Cælis tanto honore dignatur, vt in Apoc. dicat. *Si quis vicerit, dabo ei sedere in Throno meo, sicut ego vici, & sedi in Throno Patris mei*, Hos inquam tam sublimes Principes, consortes Regni, & solii diuini, vmbras, laruas, colluuiem, ab vno quodam arrogantissimo terræ vermiculo nominari. Non feret certè æquo animo Deus, sed omnes eiusmodi blasphemos, atque sacrilegos æternis suppliciis tandem afficiet. Sed & nos, si ciues Sanctorum sumus; si vllum habemus fidei zelum, excitemur, atque accendamur oportet. & religiosa, piaque indignatione vehementer commoti, nefariis hominibus acerrimè resistamus. Imitentur Lutherani, Caluinistæ, aliiq. eiusdẽ farinæ nebulones maiores suos, Porphyrium, Iulianum, Vigilantium, Vviclefum, & quotquot vnquam cum cælestibus Diuis impia bella gesserunt, & vt fabulæ Poetarum de Gigantibus ferunt, de suis sedibus cælites deturbare, ac detrahere voluerunt. Nos verò maiorum nostrorum Athanasii, Ambrosii, Hieronymi, Paulini, Augustini, Gregorii vestigiis inhæremus. Qui quidem Apostolorum, Martyrum, Confessorumque gloriam religiosè æmulari, & res gestas contra detractores pro viribus disserendo tueri, & memoriam denique sermonibus alere, Basilicis honorare, carminibus celebrare, literis propagare, & consecrare æternitati semper studuerunt. Ita enim fiet, vt & illi, quorum imitantur scelera, earundem cum illis pœnarum societate iungantur. Et nos, quos in hoc studio ad virtutem habuimus Duces, eosdem ad præmia, & coronas socios habeamus. Nunc ad formam, & aspectus Francisci.

Nec nos eos sufferre debemus.

Quam denique varia extiterit, quamdiuersa Francisci forma, seu physiognomia ab ea, quæ in libro Matthæi Parisiẽsis descripta reperitur ab Hereticis Tigurinis, testis erit Pontifex Gregorius Nonus, qui fuerat antea primus Ordinis Protector, ab ipso Francisco anno 1217. Honorio III. expostulatus, & obtentus, ab ipsoque in Romanum Pontifiem profetatus, quique ipsum Franciscum canonizauit ann. 1228. ipse Gregorius IX. affert Francisci vtriusq. hominis formam, vultumque in Legenda, quam scripsit de B. Francisco, sibi notissimo, ac coniunctissimo.

Vltra sanctitatis opinionem, & veritatem, scribit Vadingus tom. 1. ad an. 1212. num. 9. conciliabat etiam cultum, & venerationem vitæ innocentia in Francisco, simplicitas verborum, puritas cordis, ardens in omnes charitas. *Suauitas morum, & aspectus Angelicus. Verè ipsa exterior compositio, naturalisque complexio omnium mouebat affectus*. Hanc planè descripsit, ait Legenda Gregorii IX. his ipsis, quæ subiicio verbis. Erat Sanctus Pater gratus omnibus, quia dulcis in moribus, natura placidus, in sermone affabilis, in exhortatione benignus, in commisso fidelis, prouidus in consilio, in negotiis gratiosus, & efficax. Mente serenus, animo sedatus, spiritu sobrius. In contemplatione suspensus, in oratione assiduus, in proposito constans, in virtute stabilis, in bonis proficiens, omni facilis, ad iram tardus, liber ingenio, memoria tenax, subtilis in disserendo, circumspectus in eligendo, & factis simplex. Rigidus in se, pius in alios, discretus in domesticis Fratrũ, & exterius in sæcularium conuersationibus.

Qualis Frãc. in vtroque homine iuxta eius physiognomiam Imago.

Erat facundissimus eloquio, *facie hilaris, vultu benignus*, insolentiæ expers, *statura mediocris paruitati vicinus. Caput mediocre, & rotundum, facies vtrumque longa, & protensa. Frons plana, & parua; mediocres oculi, & nigri, & simplices. Fusci capilli, supercilia recta, nasus æqualis, subtilis, & rectus. Aures erectæ, sed paruæ, tempora plana. Lingua placabilis, ignea, & acuta. Vox vehemens, dulcis, & clara, atque sonora. Dentes contusi, æquales, & albi, modica labia, ac subtilia. Barba nigra, pilis non plenè respersa. Collum subtile, humeri recti, breuia brachia, tenaces manus, digiti longi, vngues producti. Crura subtilia, paruuli pedes, tenuis cutis, caro paucissima*. Aspera vestis, breuissimus somnus, manus largissimæ. Omniũ humillimus, erga cunctos mansuetus, omnium moribus vtiliter se conformans: Inter

Figura externa Francisc

Inter Sanctos Sanctissimus: Inter peccatores quasi vnus ex illis. Hanc eandem, subdit Vadingus, paucis mutatis sancti viri physiognomiæ descriptionem tradiderunt Pisanus conform. 10. & Rodulphus lib. 1. fol. 4. Hancque nos verbatim prius retulimus tom. 1. Hierarch. fol. 1. liminari, vbi de idearum inter DD. Dominicum, & Franciscum Hierarchas conformitate.

Imago Frãc. in sacro specu Sublaci depicta, dum ibi esset.

Ipsa Francisci adhuc viuentis imago, quam & ipse olim hisce oculis vidi, nostro capitio decoratam, in pariete in sacro D. Benedicti specu, & in Diui Gregorii sacello ad Sublacum depictam, dum ibi per aliquot dies pietatis, ac deuotionis gratia moram faciebat Vir Sanctus, ad Regnum Neapolis profecturus; quæ modò rescripsimus mirandum in modum spirat, suggeritque inspicientibus. Nec in aliquo dispar videtur ab ea, quam conscripserant tres socii Francisci in sua legenda. *Ostende mihi faciem tuam*, inquit Sponsus Sponsæ suæ Cant. 2. *Facies dicta* (interpretatur Doctor noster in serm. Dom. 14. post Trinit.) *eo quod notitiam faciat hominis. Et ideo bene designatur in ipsa Confessio*, quæ hominem facit notum Deo, qui nouit viam iustorum. Ostende ergo, ait, faciem tuam, si vis, vt ostendam faciem meam. *Facies tua decora, quæ est confessio.*

Facies vnde dicta, & quid moraliter.

Faciés ipsa materialis Francisci Confessoris in se, & in picturis confitebatur, qualis in ipso externi, interniq. hominis fuerit compositio. Quemadmodum confessi, ac contestati sunt sui temporis scriptores, qui eum viderunt, & cum eo longam moram traxerunt; & fuerunt viri probatissimi, atque sanctissimi. Solis Tigurinis in libro Matthæi Paris, ab ipsis, ad conflandam Ecclesiæ Romanæ inuidiam aucto, sed in sua auctoritate valdè diminuto, adeo horrendus, turpisque visus est Francisci vultus (non quia re vera talis in se, sed quia talis in excruciandis eorum cordibus, in omnium scelerum colluuionis Caluinianæ exortis, contritis, educatis) vt in eo describendo coram Pontifice Innocentio III. illa effinxerint, quæ nullus alius Auctor, Matthæo Paris anterior vnquam somniauit,

Cur Franc. vultus adeo horrẽdus Tigurinis.

CAPVT SECVNDVM.

Pro secundo Euentu.

Francisci Legislatoris Paupertas ad instar altissimæ Palmæ, ad Pontificis pedes in prædicto Speculi loco veluti quoddam de suis hostibus victoriæ signum cælitus præmonstrata.

Tanquam ignota Francisci, & suæ Regulæ duo Specula (illud rationis, quod lampas cælestis gratiæ aureo fulgore illustrarat, illud euangelicum, quod Christi lux ad eum efformandum inspirarat, reuelaratque) in loco, qui vocabatur Speculum, Speculum mentis Pontificiæ, altis occupatum meditationibus, *repulit indignanter*. Statutum huius contempti bini Speculi cognitionis tempus, vix illa, haud culpabili, contemptione transacta, superuenit. Nam succedentis noctis tenebræ, cælica reuelatione, mentale Vicarii Christi speculum sub eodem illius Palatii speculo clarificante, speculum Francisci in Francisco, & speculum Euangelicum in eius Regula cognoscens, atque admirans, spretionem præteritam in paternam mutauit beneuolentiam, licet Regulæ approbationem aliquanto distulerit.

Francisco humiliter foras egresso (ait Legenda Seraphica Bonau. ibidem immediatè) sequenti nocte huiusmodi reuelatio facta est à Deo ipsi Summo Pontifici. *Videbat inter pedes suos PALMAM paulatim succrescere, & in Arborem pulcherrimam eleuari*. Et eo mirante, quid hæc visio vellet ostendere, diuina lux impressit menti ipsius Christi Vicarii, *quod hac Palma illum pauperem, quæ in præcedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandauit per suos famulos, per Vrbem dictum Pauperem quæri. Quem inuentum iuxta Lateranum in Hospitali S. Antonij, ante conspectum suum celeriter iussit adduci. Cumque introductus esset, exposuit suum propositum, petens humiliter, & instanter supradictam viuendi regulam sibi approbari. Videns autem Christi Vicarius, Dominus Innocentius III. vir vtique sapientia clarus, admirandam in viro Dei simplicis animi puritatem, propositi constantiam, ignitumque voluntatis sanctæ feruorem, Christi pauperem mentis amore complectens, inclinatus est animo, vt pium supplicanti præberet assensum. Distulit tamen perficere, quod Christi postulabat pauperculus, pro eo, quod aliquibus de Cardinalibus nouum aliquid, & super vires humanas videretur*.

Visio Põtif. ob quã Frãc antea expulsus, vocatus est.

Põtifex Inn. cæpit Fran. benignè inclinari.

At, quæso, quæ hæc Palmæ visio cũ bini illius speculi agnitione? Quid Palmæ arbor

bor cum Francisci pauperculi, & cum sui, & suæ Regulæ speculis? Dicam breui cum Doctore nostro, qui loquens de Beata Maria super illud elogium, *Statura tua assimilata est Palmæ* Cant. 7. hæc ita interpretatur serm. in Dom. 3. Quadrag. *Nota, quod Palma inferius corticibus est aspera, Interius visu, & fructu pulchra; & vt dicit Isidorus, facit fructum centesimum. Sic Beata Maria fuit in hoc Mundo cortice PAVPERTATIS aspera, sed in Cælo pulchra, & gloriosa, quia Angelorum Regina, & fructum centesimum, qui datur Virginibus, ipsa Virgo Virginum meruit adipisci.*

Palma altissimæ paupertatis Franc. symbolum.

Sub vmbra huius arboris, in paupercula, paruulaque ædicula de Portiuncula pauperrimæ, & humillimæ Virgini Annunciatæ, & Ancillæ Domini dicata, valdè proficiens Franciscus, vt diximus cum D. Bonau. ibi Lex, seu Regula, quam confirmari peroptabat, scripta ab ipso fuit, Deo Virginis filio cuncta sibi aspirāte, ac reuelante. Ob altissimam eius Paupertatem in altissimam Virginis Palmam & ipse quoq. Virgo purissimus transformatus. Eleuatum fuit eius meritum ob eximiam, altissimamque, quam sequebatur, voueratque super cunctos Paupertatem, ipsa pauperrima Virgine cum extollente, vt pulcherrimum esset, & centesimi fructus dignum. Vnde dicere poterat ex hac parte ipse Franciscus. *Quasi Palma exaltata sum in cades*. Eccles. 24. Quandoquidem idem Interpres noster applicās textum ad profectum nostrum, quod innititur gratiæ Spiritus Sancti, ita exponit in Dom. 4. post Pascha. *Cades interpretatur translata, vel mutata, quia homo non potest proficere sine Spiritus Sancti gratia; sicut Palma non fructificat sine vapore Maris, & ideo homo sine gratia non est aptus diuino seruitio.* Ob vaporem tutelæ, & protectionis Maris Mariæ, quæ *Stella Maris* dicitur, & ob eius Palmam (nam Palma sine alia Palma non fructificat, vt dixerat Doctor noster ibidem paulò superius) Francisci Palma, axaltata ad Altissimam, Euangelicamque Paupertatem, quam ipse sub eadem vmbra Palmæ pauperrimæ Virginis iam elegerat, in omnibus rebus arduis profecit, gratiæ Spiritus Sancti Sponsi Virginis firmiter, constanterque vsque ad mortem inhærens.

Franc. paupertas palma exaltata in Cades.

Huiusce Marianæ Palmæ, & Francisci Palmæ asperrimi cortices, hoc est Paupertatis opera, constituerunt veras in Virgine, & in Francisco diuitias. Hinc meritò Doctor noster (dum loco citato corticibus palmæ ipsa opera assimilauerat ob iustissimam tractationem aduersus humanam conditionem, omni vilipendio in eius vili materia, & fragili substantia digna, ne dum vanè tractatur, audacter in Deum insolescat, & in omne virtutis bonum) alibi postea in serm. Dom. 5. post Trinit. *auream ipsam Paupertatem* nuncupauit. Et hoc idcirco, quia Virginis thronum ea sub auri mūdissimi symbolo apud Salomonem vestierat Spiritus Sanctus 3. Reg. 10. qui Frācisci animam aureis cooperuit deindè virtutibus; ad gloriæ dignitatem propensis. *O aurea Paupertas*, ait, *gloriosæ Virginis, quæ Dei filium pannis inuoluisti, in Præsepio collocasti.* Hæc pro pauperrima Deipara. *Et benè dicit vestiuit. Paupertas enim animam vestit virtutibus, diuitiæ vero temporales expoliant.* Hæc pro Francisci anima, aurum Pauperrimæ Deiparæ insatiabiliter inhiante.

Quid huius palmæ cortices.

Paupertas corticibus palmæ assimilata, tota aurea est.

Palma ergo, quam vidit Pontifex inter suos pedes succrescere, si pauperem Franciscum significauit, vt cælitus ei reuelatum fuit, certum est, quod eius asperrima Paupertas, in arborem altissimam eleuanda, in eo symbolo auspicabatur. Paupertas Francisci in tota eius Regula, & in seipso veluti Speculum Euangelicum clarissimè lucens, ac nouis, peregrinisque fulgoribus in tantam rationis, & imaginationis Pontificis Speculum admirationem induxit, tantoque affecit stupore, vt omnem eius captum terrore quodam occupauerit, illudque binum Paupertatis speculum vix conspectum abs se repulerit, quemadmodum efficiunt oculi nostri carnales à vehemēti Solis meridie supergressi, ac reuerberati. Spreta Paupertatis Frācisci, & suæ Regulæ specula, paulò post cælitus claruerunt, veluti per palmam triumphatura, in ipso Paupertatis symbolo, & sub eodem loco Speculi, vbi primum Euāgelicus Legislator sustinuit patienter, humiliterque repulsam. Sed Palma illa mirifica, speculo mentali Pontificis præsentata, ac declarata, sub pedes Pontificis germinauit, creuitque.

Ingentis stuporis effectus.

Stans Magdalena ad Christi pedes, qui caput nunc est inuisibile Ecclesiæ, ostendit misticè in eiusdem Ecclesiæ visibili capite, quod est Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiæ, quia teste Apostolo, *Multi vnum corpus sumus in Christo*. Quæ verò sint huius corporis manus, qui pedes, quidque sit secus pedes stare, ita explicat Doctor noster serm. fer. 5. in Passione. *Quidam (huius corporis) sunt manus, scilicet laborantes, quidam pedes, scilicet, qui sunt in bona parte corporis, tum in veritate ipsum corpus sustentant, & quamdiu huiusmodi pedes fuerint in ea, ipsa sit maxima meriti. Sed hodie isti pedes minus sunt communiti, vel sunt infirmati, vt patet de Religiosis. Stare ergo iuxta pedes est operibus, vel pauperibus adhærere, vel se eis piè exhibere.*

Corporis Ecclesiæ manus pedes, & stare ad eius pedes.

Stetit

Paupertas Franc. ad pedes Ecclesiæ veluti eius substentaculum.

Stetit igitur pauperis, & Paupertatis Francisci Palma ad pedes Romani Pontificis, subiecitque se (Cælo ipso ita ordinante) corporis Ecclesiæ pedibus, tum veluti appositum substētaculum in arduo reparandæ, atque sustentandæ Ecclesiæ negotio. Tum veluti victoriæ insigne, sub quo Apostolica Sedes Pauperibus Minoribus operibus heroicis adhærens, seq. eis piè exhibens, in pulcherrimæ Palmæ arbor (hanc cunctarum plantarum Reginam nuncupant) è pedibus capitis Ecclesiæ altissimè eleuata, suos triumphos super alios Ordines iusto titulo ob Romanorum Pontificum diplomata, ac tutelam celebraret, iam de cunctis hostibus vsque ad finem Mundi triumphatura. Meritò Legislator Franciscus hanc suam Reginam Palmam, Regnum Regni Cælorū coronatricem, vt ipse postea testatus est, hostiumque suorum triumphatricem, suæ legis, & religionis dixit, prout effecit fundamentū. Nam eo substrato, sic primariè omnis illius structura innititur, vt ipsius firmitate firmetur, & euersione funditus euertatur cum maximo totius Ecclesiæ molis præiudicio. Vide Bonauent. super cap. 7. Regulæ, qui rursus in regulis Nouitiorum cap. 14 Quiq in Meditationibus vitæ Christi capit. 21. serius expendit, quod Dominus egregium illum sermonē, quem habuit in Monte, Lucæ 7. & in quo de Beatitudinibus, & præcipuis egit virtutibus, *à Paupertate incepit, dans intelligere, quod Paupertas est totius spiritualis exercitij primum fundamentum*. Et D. Ambros. lib. 5. in Lucam, videns eam, ceu Antesignanam Virtutum. *Ordine*, inquit, *prima est, & potens quædam, generatioque virtutum*.

Paupertas primariū totius spiritalis exercitij fundamentū.

In Lege, ac Regula Minorum alludens eius textus palmæ altitudini, è Cælo Pontifici inter illius pedes commonstratæ, non simpliciter Paupertas, sed *celsitudo altissimæ Paupertatis* dicta est hæc Virtus. Et meritò quidem, nam dum asperis corticibus vilitatem naturæ hominis, & eius substantiæ fragilitatem malè tractat, vt par est, atque aliundè sub pondere humilitatis dignitatem gloriæ cælestis ipsi patefacit, ceu etiā Speculum scripturæ euangelicæ præfatam legem pandit. In hoc speculo arboris Reginæ triumphatricis Palmæ imaginem ad primum aspectum admiratur Ecclesia, veluti vnicam, ac solam in Mundo. Paupertas enim S. Francisci maxima equidem dicenda, cum sit reapse sine proprio, neq. in communi, neque in particulari. Testati sunt palàm istam veritatem Romanus Pōtifex Gregorius IX. anno Christi 1230. aliique successores Pōtifices. Quapropter S. Antoninus 3. histori. tit. 24. ca. 1. §. 1. & 2. hæc intulit, *Difficile est mundana ista possidere sine aliquo amore inordinato, & ideo, vt ait Augustinus. Omnia terrena contempsit homo Christus, vt contemnenda esse monstraret, &c. Et quamuis in paupertate non consistat perfectio secundum Thomam: tamen est magnum instrumentum perducendi ad perfectionem. Respice Religiones, nullam reperies pauperiorem Ordine S. Francisci. Nullam tamen mendicam paupertatem mandasse suis. Sicut ipso nullum pauperiorem Francisco*. Quanto deinde allectus fuerit S. Dominicus amore erga Fratrum Minorum paupertatem, cælitus ditatam in celeberrimo illo Storearum Capitulo de anno 1219. quidue ab eo tempore pro se, ac suo Ordine in causa Euangelicæ Paupertatis resoluerit, constitueritque, scribunt idem Antoninus titul. 23. cap. 4. §. 13. Flaminius lib. 2. Castillo lib. 1. cap. 51. in Chron. Ord. Præd. Platus de bono stat. Relig. lib. 1. cap. 33. Busæus de statib. verb. Paupertas voluntaria cap. 4. Vading. tom. 1. ad ann. 1219. numer. 16. & multi alii. Nec mirum. *Certè apud pauperem Christum pretiosus est titulus paupertatis. Christus pauper, & pauperis Virginis filius pauperes elegit in Apostolos*, inquit Petrus Blesensis Epist. 3. Addo etiam (ait Epist. 131.) *quod multorum dominatio est eorum damnatio. Quot enim paupertas ad Cælū promouit, tot cum dignitatibus suis Infernus absorbet*.

Paupertas S. Franc. maxima dicenda.

S. Dominici ingens amor erga Euangelicam paupertatem

Paupertas pretiosus titulus est apud christū.

SECTIO PRIMA.

Altissimæ Paupertatis Francisci Palma hostiliter inuasa, sed frustra, quia semper inuicta quauis tempestate reperta.

IRruit iam ventus vehemens hostilitate parum pia, ac Catholica plurimorū Dicaciorum, sufflante è regione deserti, vix exortam, in nostram Paupertatis Palmam, vt eam radicitus conuelleret. Quem ventum exsuscitans penè modernus quidā insufflator, nostrique instituti æmulus, dū totus est, vt faueat labori manuali, totus quoque est, vt mendicitatem religiosam, adeo paupertati nostræ intrinsecam eneruet, vtque in eius excidium, ac ruinam perfectionem operis cum voto facti labe factet excellentiam status Fratrum Laicorum, & Tertiariorum in Ordine ad nihilū redigere conatur. Antonomasiam Paupertatis in Francisco, *Patriarcha Pauperum* nuncupato, digradare studet. Denique fauores, & gratias S. Francisco in perennē sui Ordinis, sed Paupertatis maximè, triūphum, etiam aduersus ipsum Antichristū cælitus elargitas, veluti res vanè inuentas, suadere

Occurritur Moderno cuidam, mendicitatē Fratrum Min. impugnanti.

suadere non cessat. Concedit namque in Ordine Minorum laborare manibus esse præceptum, non consilium part. 2. de opere manuali Monachorum sect. 3. artic. 1. & sect. 21. art. 2. Tantam, & adeò turpem, etsi aliunde vanissimam, frustraneamque, aeremque verberantem, vt aiunt, in tali Scriptore audaciam valent ne compescere innumeri Auctores, ei palam aduersi, inter quos ex Franciscanis Alensis, & Bonauentura; ex Dominicanis D. Thomas, & Caetanus, & ex aliis Thomas Valdensis, Suarez, & Bellarminus, & ex Romanis Pontificibus Nicolaus III. in sua Declaratione *Exijt* de verborum significatione, in 6. Decretali? Nequaquam. Etenim plus his scire præsumens, melius quoque se penetrasse demonstrat Legislatoris Francisci intentionem in suæ Regulæ institutione ipso Nicolao III. qui ita declarauit loco citato. *Non videtur ea fuisse institutoris intentio, quod vacantes studio, vel diuinis officijs, & ministerij exequendi, manuali labori, seu operationi subijcere; vel ad hoc illos arctare, cum exemplo Christi, & multorum Sanctorum Patrum, labor iste spiritualis tanto illis præponderet, quanto quæ sunt animæ corporalibus præferuntur. Ad alios verò, qui se in prædictis spiritualibus operibus non exercent (nisi tales aliorum fratrum licitis officijs occupentur) ne otiosè viuerent, verba prædicta declaramus extendi,* &c. Culpabile igitur otium ex vi Regulæ nostræ in conscientia vitandum à Fratri Laico, vti omnes fatentur. Sed in pauperrimo, humillimoque Fratrum nostrorum Laicorum Cœtu rara quidem ex hac parte, & fermè nulla auis in terra.

Labor manualis in Minorum lege quando sub præcepto.

Quos habet fautores Antagonista hic neotericus, illi sunt, qui erroris ansam præbuerunt, Polydorus, Virgilius lib. 7. de Inuentione rerum cap. 3. qui quidem liber censura facultatis Theolog. Paris. condemnatus est ann. 1545. & inter libros prohibitos in indice Concil. Trident. connumeratus: Loco autem istius legas velim Petrarcham de vita solit. otio Religios. & Neuersam Epist. moral. 23. 26. & 27. Addit tamen hic Polydorista, nostræ paupertatis hostis, Mendicationem profiteri, & de eleemosynis viuere Pauperibus voluntariis haud conuenire; nisi cum ex labore manuali vitæ necessaria sibi omninò comparare nequiuerint. Dum putatur se fulciri auctoritate D. Augustini lib. de opere Monachor. amplectitur planè sententias Guillelmi à Sancto Amore, Desiderii Longobardi, Girardi de Abbatisuilla, Ricchardi Armachani, & similium eiusdem farinæ hominum, iam ab Ecclesia reprobatorum. Ast hisce opponimus, quos supra citauimus, & alios propè innumeros, qui ex professo istam examinantes disputationem, aduersariorumque argumenta, Augustinum minimè ignorarunt, sed perspicacioribus oculis, intellectuque puriori intuiti sunt, illumque conceperunt. *Iucundum dicebat Franciscus* (testatur Bonau. inter alia egregia circa mendicitatem nostram cap. 7. legendæ) *sub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributionem iustorum Euangelicæ veritatis Magister ore suo tam signanter expressit. In festis quoque præcipuis, vbi opportunitas aderat, mendicare solitus erat, dicens, in sanctis pauperibus propheticum illud impleri.* Panem Angelorum manducauit homo. Psal. 77. *Illum sanè panem Angelicum esse diceaat, quem pro Dei petitum amore, & beatis suggerentibus Angelis pro ipsius charitate largitum SANCTA PAVPERTAS colligit ostiatim.*

Vnde in Neoterico ista errandi causa.

Minorum mendicitas Francisco iucunda res.

Aemuli nostri molimina iam longè ante cum æmulorum S. Francisci Pauperrimi, ac mendici machinamentis funditus euersa.

Haud hiperbolem proferrem, si assererem, mendicam Paupertatem, à Francisco elemosinaliter commiseratam, ac subuentam, constituisse Franciscum tripliciter Legislatorem, triplicemq; legis Christi, & eius Ecclesiæ Reparatorem. Id enim apertè demonstrant illa duo exempla, quę refert Seraphicus Historicus in cap. 1. Vitæ, & Legendæ S. Francisci. Alterum de quodam generoso milite, sed paupere, ac malè vestito, quem obium habens Franciscus, & *eius pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus, se exuto, vestiuit. Vt simul in vno geminum impleret pietatis officium, quo & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam releuaret.* Alterũ exemplum est de Christo, qui Francisco sub deformi leprosi specie apparens, ipse seipsum, post incussum ab inopinato illius occursu horrorem maximum, deuincens, *ad deosculandum eum equo lapsus occurrit. Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportauit.*

Mendicitas à Franc. subuenta reparãdæ Ecclesiæ occasio fuit.

Prima Francisci eleemosina, necessitatẽ, atque mendicitatem generosi militis misericorditer subleuans, omnis suæ felicitatis causa extitit in ordinem ad omnimodam Ecclesiæ Dei, quæ ab omni infelicitate per Franciscum subtrahenda erat, felicitatem. Probat statim idem Bonauentura, ita subdens. *Nocte verò sequenti cum se sopori dedisset,* &c. vide infra ad finem libri 8. cap. vlt. de prærogatiuis primæ Regulæ, vsque ad illa verba, *vt misericordia, pro summi Regis amore pauperi exhibitam militi, praostenderet incomparabili compensandam esse mercede.* Secunda deinde eleemosina, facta eidem Christo, qui in forma leprosi

Prima Frãc. eleemosina omnis eius felicitatis initium.

leprosi extendens manum pecuniam, quã Francisco petiit ab ipso recepit, ac disparuit; occasio fuit, vt ad arduum de instituendis tribus Ordinibus, dandisque eis tribus legibus, sicque de reparanda tripliciter Ecclesia negocium, se magis, ac magis disponeret. Subdit namque Bonauent. *Statim autem Equum ascendens, & se circumquaque conuertens, cum campus pateret vndique liber, leprosum illum minimè vidit. Admiratione itaque repletus, & gaudio, laudes cœpit Domino decantare deuotè, proponens ex hoc semper ad maiora conscendere, &c.* Quare Interpres noster mirandam huius mendicæ eleemosinæ vim perpendens, omnem clausit in eius ethimologia illis verbis ex Dom. 10. post Trinit. *Eleemosina dicitur ab Heli, quod est Deus, & Moysis, quod est aqua, quasi Dei aqua, vel quod Eleos gracè, misericordia latinè.* Igitur bina illa Francisci eleemosina, qua nunc vestimento, nunc verò pecunia alienam mendicitatem bis subleuauit, bina quoque Dei virtute, quæ super illam aquam semper est, super quam Spiritus Domini misericorditer fertur, triplicem Legislatorem, triplicemq. Ecclesiæ Reparatorem, ipsum constituit, quæ duo ita diuina in Francisco extiterunt, sicut ab omni humana facultate aliena.

Secunda ad negotium reparandæ Ecclef. eũ magis impulit.

A principio igitur Franciscus, cũ adhuc esset in sæculo, didicit, quod sicut aliena mendicitas, ab ipso subleuata Ordini suo fundamenta iecerat, ita necessarium foret, vt mendicitas propria, altissimæ suæ Paupertati genuina suum Ordinem, ac Legẽ, huiusque professores apostolicè aleret, ac firmiter sustentaret. Hinc in cap. 9. primæ Regulæ, quod est *de petenda eleemosyna*, quodque postea abbreuiauit in cap. 6. secundæ Regulæ, cui titulus, *Fratres nihil sibi approprient, & de eleemosyna petenda, & de fratribus infirmis*, ita scripsit. Omnes Fratres studeant sequi humilitatem, & paupertatem Domini nostri Iesu Christi. Et recordentur, quod nihil aliud oportet nos habere de toto Mundo, sicut dicit Apostolus. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, 1. Timoth. 6. Et debent gaudere quando conuersantur inter viles, & despectas personas, inter pauperes & debiles, infirmos & leprosos, & iuxta viam mendicantes. Et cum necesse fuerit vadant pro eleemosinis, & non verecundentur, & magis recordentur, quia Dominus Noster Iesus Christus filius Dei viui omnipotentis posuit faciem suam, vt petram durissimam, nec verecundatus est, & fuit pauper, & hospes, & vixit de eleemosinis ipse, & B. Virgo, & Discipuli eius. Quando facerent eis homines verecundiam, & nollent eis dare eleemosinam, referant inde gratias Deo. Quia de verecundiis recipient magnum honorem ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi. Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur. Hęc Legislator ibi. Quibus respondet illud Interpretis nostri, tanti Legislatoris defensoris acerrimi, dum paupertatem Lazari mendicam virtute patientiæ communiendam esse demonstrat, nè à maxima mercede, mendicitati seruata excluderetur. *Ille pauper, inquit, à Domino est adiutus, quia verbis impatientiæ os claudit, & manum deuota mentis extendit.*

Sed contra hoc videtur, diceret æmulus noster cum ęmulis, & aduersariis Sancti Francisci, & etiam veritatis, vt subinfert Bonauent. in exposit. super cap. 6. Regulę, cum id repugnet quadrupliciter. Argumenta æmuli nostri ex D. Bonau. contra mendicitatem.

1 Quia de sanctis pauperibus in Hierusalem congregatis dicitur. *Nec quisquam egens erat inter illos*, Act. 4.

2 Licet Dominus pauper fuit, non tamen dicitur à quibusdam fuisse mendicus, vt videtur.

3 Fratres mendicando, videntur grauare alios pauperes mendicos, penitus humano auxilio destitutos.

4 Beatius est magis dare, quam accipere, Act. 20. Ergo &c. Hæ quatuor obiectiones apud Bonau. ibidem ita ab ipso soluuntur.

Ad primum, inquit, patet responsio ex prædictis in 2. rubrica. Quia illi pauperes non omninò districtiones Apostolicæ paupertatis profitebantur, vt visum est. Inter quos erant neophiti viri, & mulieres, quibus subita egestas perniciosa forsitan extitisset. Contra Paulus 1. Corinth. 4. pro se, & sibi conformibus ait. *Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus.* Et 2. Corinth. 11 *Cum enim apud vos essem, & egerem, nulli onerosus fui.* Responsio ad 1.

Ad secundum. Cum summè honorificũ sit dare, summa priuatio honoris est constituere se in dãdi impossibilitate, & necessitate mendicandi. Quia dicit Seneca, *Nihil carius emitur, quam quod precibus constat.* Inter etiam omnium petitionum genera verecundissima est mendicitas. Est enim mendicare ad misericordiam hominum viuere, vt dicit Augustinus super illud Psalm. 108. *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent.* Quid potest autem tam verecundum esse, quam in omniam Christianorum misericordia se ponere? Hoc sciens S. Franciscus subdit in 2. Regula. *Nec oportet eos verecundari.* Ipse enim Dominus mendicus fuit. Vnde Augustinus super illud Psalmi eiusdem, *Persecutus est hominem inopem*, idest Christum, scilicet Iudas. Et quod addidit, *& mendicum* illum cun-

Ad secundũ

Verecundissima res est mendicitas.

Cgristi mendicitas,

eundem intelligere possumus, nisi forte, quia dicit mulieri Samaritanæ, *Da mihi bibere*, & in Cruce ait, *Sitio*. Amplius: quamuis eius omnia essent, & ei ab omnibus deberentur, ipse tamen non est vsus sua potestate, talia exigendo. Non enim exegit per imperium auctoritatis, sed per modum paupertatis mendici, sicut dicit Zachæo, *Festinans descende* Lucæ 19. Ibi Glossa, *Non inuitatus se inuitat*.

Item Apostolorũ Christi imitatorũ.

Item tali etiam forma Apostoli processerunt, quibus licet omnia deberentur, tamen vt pauperes receperunt ex misericordia sibi datum ad necessitatem. Item Bernardus, *Cum factus esset Iesus annorum duodecim*, Lucæ 2. dicit. Vt te, inquam Domine, per omnia nostræ paupertati conformares, & omnes vitæ humanæ calamitates susciperes, *quas vnus in turba pauperum stipendium per ostia mendicabas*. Concordat S. Augustinus super illud *producens fœnum iumentis*, Psalm. 103. Loculi erant Iudæ proditori commissi, & illi, qui conferebant in loculos, Domino conferebant, nisi forte putatis, *quod Dominus ibat, & petebat*, aut indigebat, cui Angeli seruiebant. Quare egere voluit, nisi vt daret exemplum montibus, vt pararent fœnum? Hæc Augustinus.

Responsio ad tertium

Ad tertium. *Probauerunt Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum*, Roman. 15 Si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in corporalibus ministrare eis. Ibi dicit Glossa, quod erant debitores, quia illi pauperes miserant eis prædicatores. Cum igitur isti pauperes Fratres toti Mundo mittãt prædicatores, à toto Mundo possunt accipere necessaria vitæ suæ. Nulli ergo iniuriantur in hoc, quia legis testimonio docetur, quod nulli facit iniuriã, qui vtitur iure suo. Nisi forte ideo faciunt iniuriam, quia quod possunt accipere cum honore, accipiunt cum extrema confusione.

Superfluitas diuitiarum pauperũ rẽpublicã constituunt.

Item omnia bona Ecclesiæ Christi, & omnes superfluitates diuitũm sunt vna Respublica pauperum. In participatione autem huius Reipublicæ tanto vnusquisq. minus alios lędit, quanto paucioribus est contentus. Hoc faciunt Fratres isti, qui cum possent viuere sicut alii Clerici in statibus honoris, & affluentiæ, viuunt in statu ignominiæ, & ærumnæ, mendicantes pro seipsis, sicut Paulus mendicauit pro aliis, vt patebit in Epistolis suis, scilicet in collectis pro pauperibus faciendis.

Respõsio ad quartum.

Ad vltimum sciendum, quod si beatius est magis dare, quam accipere, beatissimi sunt qui omnia dederunt. Vnde Hieronymus. Nemo perfectius erogat, quam qui sibi nihil reseruat. Item, si recipere diminuet de beatitudine, ergo qui magis recipiunt, magis deficiunt, & qui minus recipiunt, minus deficiunt. In hac parte tales sunt isti pauperes in toto Clero ex sua professione. Item, licet dare simpliciter beatius sit, quam recipere, tamen *cum circumstantia tanta humilitatis recipere est beatius, quam dare*. Vnde Dominus suos Discipulos ad receptionem informauit, quos nudos per sæcula destinauit. *Vadant fratres* (inquit pauperũ, & mendicantiũ Patriarcha in textu) *pro eleemosina confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus noster se fecit pauperem in hoc Mund*. Sed glorientur, quia datum est eis pro nomine Iesu contumeliam pati, nihil habentibus in hoc Mundo.

Cur mendica Francisci paupertas altissima dicẽda

Sed pro tertio addit. *Hæc est illa celsitudo altissima Paupertatis*, &c. Quare *altissima*? nisi quia mundo remotissimæ? & per cõsequens Cælorum Regno summè vicinæ? Illi etiam vitæ æternæ, vt est possibile, simillimæ, vbi nihil terrenum est propriũ, vel commune. Vnde subdit. *Quæ vos charissimos fratres meos hæredes, & Reges Cælorum constituit*. Ideo *hæredes*, quia omnia dimittentibus pro Regno Cælorum, promittitur gloria æterna. Ideo *Reges*, quia solutione facta plenaria pro re emenda. Idcirco in Matthæo 5. dicitur, Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est Regnum Cælorum. Sunt ergo tamquam Domini Cælorum, quia cuncta dederunt propter Deum, quamuis nondum sunt in eius possessione. Huic autem modum acquirendi Regnum addit dicens. *Pauperes rebus fecit, & virtutibus sublimauit*. Ad hoc enim ordinatur Paupertas ista, vt soluto per eam prohibente virtutis sanctitas augeatur.

Monitũ ad Fratres

Studeant ergo isti pauperes sicut sunt cæteris arctiores in paupertate, sic sint præ cæteris in omnibus celsiores. *Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium*: eo ipso quo in terra viuentium nihil quærunt. *Cui dilectissimi totaliter inhærentes*, vt omnia, quæ in vsu Fratrum sunt, hæc prædicent Paupertatem. *Nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum habere velitis*. Ipse enim ita pauper extitit, quod nihil habuit, quo posset eum Diabolus spoliare, vt supra patet. Hactenus Bonauentura illis primis æmulis Sancti Francisci, ac Fratrum Minorum (quorum omnium personam in hac nostra ætate noster studuit præsẽtare in scęna æmulus) seraphica modestia satisfaciens. Ad finem autem cap. 3. respons. 4. Apolog. pauperũ ita de mendicitate. *Hæc idcirco diximus, non quia commendemus effrenatam mendicantium multitudinem, aut omnem mendicandi modum, vt perfectum approbare velimus; sed*

eum dumtaxat, qui annexum habet studium sapientiæ septiforme, vel laborem manualem cum professione, & obseruantia Euangelicæ Paupertatis, & exercitatione perfectæ virtutis. De Paupertate quantum ad mendicitatem vide eundem Bonauent. art. 2. opusculi de paupertate Christi contra Magistrum Gullielmũ, à quo veluti ab Equo Troiano prodiere tot recentiores in eandem paupertatem noua molimina excogitantes.

Respondit æmulus tacitæ obiurgationi.

Dicendus ergo æmulus iste repræhensibiliter audax, & quod nequaquam erubescit, tot, ac tantos viros, & in eis ipsummet Franciscum spernere, illis fidem non adhibens, & à communi sententia proborum Auctorum erroneè recedens. At prævidit ipse astuta solertia hanc iustissimam obiurgationem, nec propterea abstinuit; imò veluti quodam pacato, traquilloque animo, atque omni scrupulo alieno, vnico verbo respondit. *Liceret hæc opinari, sibique placere, illa sequi, quippe quæ sibi videantur Cœnobitis aptiora, nec malum meditetur, sed optimum finem semper sit intuitus.* Sed quali hic tuus optimus finis, amice? Deus ne, à quo omne datum optimum, & ad quem optima quæque; an potius amor tui in odium mendicæ Franciscanorum Paupertatis, ac tot sæculis à tuis, quos sequeris, ãtesignanis inexpugnabiliter impugnatæ? *Si ambulabam in vanitate, & festinabat in dolo pes meus, appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.* Iob. 31. Vbi Theologiæ in Ordine Minorũ Princeps, ac Professor, à Legislatore Francisco institutus, eiusque Euangelicæ paupertatis inclitus sectator, ac defensor, malleusq. hæreticorum, ac Magister meus hæc inquit in Dom. 14. post Trinit. tuam mentem, tuique finis aperiens meditationem. *Scire Dei dicitur scire nos facere. Statera nomine mediator Dei, & hominis designatur, in quo æqua lance merita nostra pensantur, & in cuius præceptis agnoscimus, quia in nostra vita minus habemus.* Et est sensus. *Si qua vnquam leuiter, si qua perniciosè perpetraui, appareat Mediator, vt in eius vita cognoscam, an ego veraciter simplex fuerim.*

Sed redarguitur ex doctrina Diui Antonii

In Christi vita, ac suorum Apostolorũ, loculos habentium, non reperis paupertatem ita mendicam veluti Franciscanam, hostem pecuniarum exitialissimam iuxta monita Euangelica, quorum perfecta restauratio, atque completio soli Francisco seruata erat. Quotiens id solummodò profiteris, cognosceris profectò veraciter simplex. Verum cum in aliis niteris eam mendicitatem nunc euellere, quæ in primitiua Ecclesia, adhuc viuente Christo, minimè aliquandò conueniebat, confundis planè disputationes, ostendisq. quod veraciter simplex tua intentio non est; neque tuum scire illud Dei scire, quod docet nos benè proximis facere, non autem malè. Vnde Alensis par. 3. memb. 4. *Miranda est hæc sapientia, quæ omnium ostendit insipientiam, & mira iustitia, quæ cæteros condemnat fere omnes. Quod si hæc nõ est sapiẽtia, sed potius temeritas,* &c. Sapienter illusit Interpres noster per figuram, vbi de Lazaro mendico hæc protulit. Dom. 1. post Trinit. *Arca Domini est mendicus Lazarus, in quo sicut in Arca fuerunt tria: Manna, Tabula, & Virga. Manna sapientiæ, Tabulæ dilectionis geminæ. Virga disciplinæ. Hæc Arca requieuit in sinu Abrahæ, coram qua Dagon prostratus iacuit, &c.* Pro Dagon intellexit Auctor diuitem Epulonem, bisso, & purpura induto, &c. Et ipse Interpres *Arca fuit Testamenti in* ipsa mendicitate S. Francisci, coram quo iacuit per annos decem truncus Dagon, idest Hæresis, tyrannis, omnisque Ecclesię, ac virtutum Religiosorum hostis.

Sapienda insipiens quæ.

Turpis deceptio ex bonæ intentionis fictione.

Demus tamen gratis huic Auctori, suã direxisse intentionem, conscientiamque formasse, dummodo hæc eius intentionis directio, conscientiæque forma, haud discordet directioni, & conscientiæ Apostolicæ D. Pauli, præcipientis Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona*, etiam si hæc æmulatoria bona sine valde dianoea, idest sensum magis quam verba spectantia, & valde speculatiua. Verum satis ipsi ex hac parte indulsi, vbi ipse vlterius satis apertè veritati omnium Theologorum contrarius est, & ad verba irrisoria circa vota Religiosorum erumpit. Explicemus misterium, vt magis, ac magis eius intentio, conscientiaque prodeatur. Vouere est actus latrię, voluntati consultus, vt non sit nisi de meliori bono. Id docet omnis Theologorum Cœtus vna cum D. Thoma 2. 2. quæst. 88. art. 6. Vnde laudabilius, & magis meritorium proculdubio est, cæteris paribus, quidpiam ex voto facere, quam sine voto. Aduersatur tamen huic veritati Ille neotericus, qui quemlibet, Domi in paupertate christianè viuentem, & vxore in castitate degentem, seruumque in obsequio Domini sui famulantem absque voto Religionis cuiuscumque Monachis coæquari, idem mereri, seu factis illos æquiparari, toto nisu conatur ostendere. Idque tanta libertate facit, vt non vereatur verbis irrisoriis obloqui de votis solemnibus Religiosorũ nostri Ordinis, maximè Fratrum Laicorum par. 3. Directoris cap. 11. Quasi verò horũm status minus esset religiosus, & professio, ac vota minus solemnia, aut aliis inferiora.

Aduersatur cõmuni omnium Theologorum doctrinæ.

Status laicorum nostrorum, ab aliis derisus, qualis

Cum prosimilia nobiscum aliquando hic æmulus minimè habuerit, haud mirũ si nunquam didicerit, Fratres Laicos Frã-

cisca-

ciſcanos verè, ac propriè religioſos eſſe, communem cum Clericis eiuſdẽ Ordinis Regulam, ac votum profiteri, nullamque hac ratione intereſſe differentiam. Beati Aegidius, Iuniperus, & plurimi alii, profeſſione Laici, inter priores illos S. Franciſci Apoſtolicos viros numerantur, qui vna cum ipſo Didaſcalo, ſeu Magiſtro, ac Legislatore Romam profecti ſuut ad Inn. III. pro approbatione Regulæ Minorum ann. 1209. Qua Regula approbata, præſtitoque à Chriſti Vicario de pœnitentia prædicanda mandato. *Laicis Fratribus omnibus*, addit Bonau. ex quo paulò ſuperius, *qui ſeruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent*. Cui ſubſcribunt Iacobus Oddo in Chron. M.S. Marianus lib. 1. cap. 8. §. 19. & alii. Affirmat inſuper Marianus ex Legenda trium ſociorum (& nos loco cit. tetigimus) eundem Summum Pontificem ipſorum omnium ſolemnem tunc in ſuis manibus recepiſſe profeſſionem, & vota probaſſe de huiuſmodi obſeruando inſtituto: de qua re latius Vadingus tom. 1. ad ann. præfatum 1210. numer. 15. & 16.

Innoc. 3. recepit ad profeſſionem S. Franc. & 11. eius ſocios.

Status poſtea Fratrum Laicorũ noſtrorum tanto perinde excreuit boni odoris fama, ob Paupertatis Palmam principaliter, ac triumphaliter exaltatus, vt Imperatores, Reges, Principes, ac Magnates, illum ſummè excoluerint, nomen illi dederint, habitum piè geſtauerint, imbre in eo (iam paupertate ſpiritus, affectu ſaltem, de vanis diuitiis, &, quod peregrinius victoriæ genus eſt, de ſeipſis mirabiliter triumphantes) feliciter obdormierint.

Status laicalis in noſtro Ord. ſub paupertatis palma quã eximius

Alii verò tanta vitæ ſanctitate, & miraculorum gloria illuſtres habiti ſunt ſub mendicæ, ac ſeraphicæ Paupertatis Palmæ gentilitio, vt ab Eccleſia Catholica in Apotheoſim referri meruerint. Annis tribus glorioſum præceſſit S. Bernardini obitum, qui contingit 1444. die Maii 20. felix mors B. Thomæ à Florentia Laici, qui glorioſè deceſſit 1447. die Octobris vlt. Vbi cæpit iſte multis miraculis coruſcare, paulò poſt peracta eſt illius canonizatio ſub Nicolao V. ad ann. 1450. Sed antequã ea peragеretur, occaſione miraculorum præfati B. Thomæ hæreticorum nonnulli, Ordinis Minorum, necnon eiuſdem D. Bernardini canonizationis aduerſarii, & mox petulanter, tum ad Romanum Pontificem, tum ad Cardinales (vt ſub huiuſmodi prætextu ipſius D. Bernardini factorum famam ſubobſcuram redderent) detulerant, dicentes. *Si omnes Fratres Laici Ordinis Minorum, miracula perpetrantes catalogo Sanctorum eſſent inſerendi, in nulla re alia deinceps Curia Romana foret occupata.* Teſtatur Marcus Vliſipp. 3. par. Chronic. lib. 2. cap. 3.

Aemulorum D. Bernardini confeſſio de mirando laicorum noſtrorũ cætu.

Hinc plures Cardinales ſtatum iſtum pauperrimum, humilemque Religionis Franciſcanæ tantopere exiſtimabant, vt propterea ſæpè optarent obnixè ſub viridi illorum paupertatis, & humilitatis palma, non amplius amicti externa dignitatis, ſed interna charitatis purpura in cinerea veſte Fratrum Coquum libentius agere, quã in propria eminentia, Regiæ Maieſtati æquiparata, fulgere. Quinimò & idipſum Chriſti Vicarii concupierint aliquando; referunt P. Iouius in vita Pauli III. & Cornelius à Lapide in cap. 3. Apocal. verſ. 1. fatentur enim eundem Pontificem dixiſſe. *Mallem me ſubieciſſe Coquo familiæ Capuccinorum, quam hanc Deo proximam ſex & decẽ annorum curriculo dignitatem ſuſtinuiſſe.*

Paulus 3. ſtatũ laicorum noſtrorum peroptauit.

Relicta deinde Laicorum noſtrorum Palma cum toto eorũ ſtatu, à tanto æmulo fruſtra impugnata, irruit mox ipſe in eandem pauperrimam B. Franciſci funem, qua Tertiarii noſtri cinguntur, eã paruipẽdens, & ſub qua eos ſimiliter arguit, irridet, ac reprobat par. 1. Director. ſpiritual. cap. 6. & par. 4. cap. 11. Iure ne, an iniuria potius id faciat, quæſtionem ad problema reducerem, niſi hæc puncta compertiſſima reperirem.

1 Tertiariorum Inſtitutum à S. Franciſco immediatum habuit initium, Deo id multis miraculis approbante. Bonau. cap. 4. Vitæ S. Franciſci.

E ſtatu laicorum tràſit æmulus noſter ad Tertiariorum ſtatum.

2 Hoc inſtitutum confirmatum fuit anno 1221. ab Honorio III. indeque à Gregorio IX. Innocentio IV. Nicolao IV. Leone X.

3 B. Dominicus, Ordinis Prædicatorum Inſtitutor nodoſa, rudi, ac pauperrima S. Franciſci fune præcingi voluit. Eã ſub exterioribus veſtibus, laneo candore conſperſis (ſed candidior, eius anima, Paupertate ſpiritus locupletiſſima) perpetuò geſtaſſe. Vide Vadingum tom. 1. Annal. ad ann. 1219. & quotquot ibi adducit huius veritatis Authores, pro quibus etiam conſule Martyrolog. noſtrum in prologo ad finem art. 17.

Haud iure mouetur, ſed iniuria.

4 Hoc eodem Tertiariorum cinctorio inſtar nobiliſſimi inter cuncta alia paupertatis noſtræ trophæi circumligatũ quoque reperimus S. Ludouicum Galliæ Regem, S. Eliſabetham Landgrauiam, filiã Andreæ Regis Vngariæ, alioſq. permultos Sanctos viros vtriuſque ſexus tum laicos, tum etiam eccleſiaſticos, qui nunc vſque hunc Tertiariorum ordinem ſuſceperunt, profeſſi ſunt, atque illuſtrarunt. Vide cathalogum noſtrum in 1. & 2. tomo Hierarchiæ, vbi etiam reperies ad rem Gabrielis de Treio S.R.E. Presbyteri Cardinalis, ac Ter-

Paupertas nodoſæ S. Franc funis principibus acceptiſſima

Terciarii respōsum ad Lucam Vadingum, illi opuscula S.Francisci dicantem.

Quæ igitur improbat, subsannat, perperamque reiicit noster æmulus de hoc Tertio Ordine, ac fune S.Francisci, ne credas velim vera nunquam fuisse, sed finxisse præsentia; & malo animo, ac priuata interpretatione in alium sensum impunè pertraxisse, quæ leguntur, tum apud Bonau tom.7.quæst.16.Libelli Apologetici in eos, qui Ordini Fratrum Minorum aduersantur, tum in Bulla Sixti V. pro erectione Archiconfraternitatis funis Frāciscani, & confirmatione eiusdem anno 1585. & 1587. quibus *largissimas largitur indulgentias.Chordam ipsam à Superiore Ordinis Minorum benedictam piè gestantibus*. Vt sic cunctis fidelibus exosum reddat æmulus, quod tam sanctè fuit instiitutum. Vide B.Ioannem Capistranū in defensorio Tertii Ordinis Franciscani.

Erectio Archiconf. cordæ S.Franc. ad ann.1585 à Sixto V. effecta.

Tandem æmulus iste in tractatu de expropriatione claustrali cap.26.carpit, accusatque sexennium regiminis Generalis Ministri totius Ordinis, quasi eo in munere triennium contra fas excederet, cum sic directè ait contra Regulam. Sed turpiter, & crassè allucinatur.Generales etenim totius Ordinis possunt Comitia Generalia quolibet triennio, vel alio quouis tempore celebrare. At Generalatus officio fungebantur iuxta præscriptum Regulæ toto vitę suæ tempore. *Quo decedente* (ait Regula cap.8.) *electio successoris fiat à Ministris Prouincialibus, & Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo Prouinciales Ministri teneantur semper insimul conuenire vbicumque à Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum*. Nunc tamen (sic Summis Pontificibus rationabilibus de causis aliter disponentibus) temporaneus est Generalatus, & nonnisi ad sexennium se extendit.

Carpit æmulus sexenniū regiminis Ministri Gener.

Excitat deinde æmulus hic, cap.33. & 34 facetiam, recitans irrisoriè illud miraculum, quod cælitus actum est in vltionē malignantium Fratrum Minorum institutum,& per quod recepta D.Francisci imago cum ense D.Pauli ad dexteram sanguine madefacto, & imago D.Pauli cū Cruce D.Frācisci etiam ad eius dexteram. Quam picturā in Sacrario Vrbis Licii, vbi Reformatorum nostrorum Conuentus cum pręsentauerint Religiosi illi, mirabili distico ad eius pedes totam penè historiam ita declarauit Fr.Bonauentura Moronus Vir eminenter doctus, Tarentinus Vates, de quo aliàs in Hierarchia nostra tom.2. vbi de Sacræ Pœnitentiariæ Præsidentibus. Disticus est huiusmodi dū S. Paulus Apostolus alloquitur Sanctum Franciscum.

Excitat irrisoriè quandā [illegible] D. [illegible], & [illegible].

Opprimet iste tuos, patiarne? vlciscere: Pacis
Hoc signum est. Ensem corripe, tolle Crucem.

Vide historiam per extensum apud Vadingum tom.4.Annal.1376. num.12.& quam inaniter ipsam reiiciat noster æmulus, audi. Primò, ait, scriptam eam esse à *Fodereto* ante duos, vel tres annos à tempore, quo ipse scribebat; sed id est apertissimè falsum. Nam eius liber excusus est anno 1634. Fodereti autem 1616. Secundò addit,Foderetum illud transcripsisse ex Plato, qui id adinuenerat ab hinc circiter annis viginti. Ast super hoc etiam maximè allucinatur æmulus, cum Plati liber longè editus sit in lucem ante ann.1600.Etenim Sedulius scribens ann. 1596. citat ipsum, aitque Platum Romæ obiisse circa ann.1593.Præterea vult æmulus,præfatam historiam euenisse annis trecentis post Ioannem XXII. Papam, illosque auctores ita retulisse circa Pontificatum eiusdem Papæ. Quod omninò mendosum est, imò est mendacium, omni exprobratione in re historica promeritum.Platus quippè eam reponit ad ann. 1376. Vlisipponensis verò sub Vrbano VI.qui sedere cœpit an.1378. Ioannes verò XXII. obiit ann. 1334. Ad hæc curiosè inquit æmulus, vtrum illa Ecclesia, in qua id factum accidit, esset Cathedralis, Parochialis, aut Conuentualis. Respondet Vlisipponēsis Collegiata. Multa deinde irrisoriè percurrit, vniuersæ historiæ huiusmodi accessoria, quæ nunc ipse cum Auctore Martyrologii nostri taceo; pudet enim eloqui. Vide pauca alia apud ipsum in fine art.20.in Prologo. Et vbi in insigne Diui Francisci auspiciis *Crucem*, veluti palmam suæ omnimodæ paupertatis; & in imagine D.Pauli *Ensem* reperis, instar verbi Dei omni gladio ancipiti validioris symbolum, ne dubites, Pauperum Patriarcham, paupertimumq; Apostolum, atque Doctorem gentium (hunc ceu Fundatorem,illum veluti Reparatorem Ecclesiæ in Christi paupertate fundatæ, ac reparatæ) insimul inter se sociabiliter,quotiens conuenire oporteret, Dei vindictæ agere exequutorem.

Vanè laborat huius pięturę historiam labefactare.

Accidit ille euentus in quadam Ecclesia Collegiata.

Summè displicet æmulo nostro, vbi loco cit.de Expropiat.Claustr.cap.31. Franciscum *Pauperum Patriarcham* nūcupatum audit; quasi ita appellatus sit à Fodereto in descript. Prouinciæ Burgundiæ, hodie S.Bonauenturæ. Omnis hæc eius displicentia aduersus inclytæ Paupertatis Francisci excellentiam, seu antonomasiam refunditur.

Sed ad quid fodere terram in Fodereto? vt veritatis aurum, & cum eo sub titulo

tulo Patriarchali in Francisco locupletissimus Euangelicæ Fratrum Minorũ paupertatis thesaurus inde extrahatur? Minimè gentium. Continet quidem eiuscemodi S. Patris Elogium, cuius maxima dignitas super mendicos Fratres Minores paupertatis eminentia est. At ipse Foderetus nequaquam edidit, aut illius vnquã Auctor primarius extitit. Ab initio nascentis Ordinis Minorum hoc iusto, promeritoque encomio exornatus reperitur Christi Seruus Franciscus. Ab eximio Doctore S. Bonau. cap. 7. vitæ suæ verus pauperum Patriarcha nuncupatur, ait Arturus die 4. Octob. §. 7. ex quo ipse in tom. 1. Hierarchiæ cap. 3. fol. 28. sed ista præcisa verba in textu nondum reperi, solum ibi *verus Paupertatis amator* dicitur Franciscus. Istud tamen parum refert, dũ longe ante Foderetum passim legatur in Chronicis, & in Monumentis Ordinum, in Breuiario, & in Missali Romano in adiunctis Officio, & Missa Ordinis, id encomii, & quidem pluribus ex causis Francisco digni. Affert enim Bonau. in principio illius cap. 7. cui titulus de amore Paupertatis, & mira suppletione defectuum duo notabilia.

Patriarcha pauperum à quo primum ita dictus S. Franc.

1 *Inter cætera charismatum dona, quæ à largo datore Franciscus obtinuit prærogatiua quadam speciali promeruit in diuitias simplicitatis excrescere per altissima paupertatis amorem. Hanc filio Dei vir sanctus familiarem attendens, & iam quasi toto Orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea Patrem, Matremque reliquit, verum etiam quæ habere potuit, vniuersa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis; nec thesauri custodiendi sollicitior vllus, quam iste huius Euangelicæ Margaritæ. In hoc præcipuè suus offendebatur obtutus, si quidquam videbat in Fratribus, quod Paupertati non per omnia consonaret. Reuera ipse à principio Religionis vsque ad mortem, tunica, cordula, & femoralibus diues, iis contentus fuit. Christi Iesu Paupertatem, & Matris frequenter cum lachrymis reuocabat ad mentem. Inde hisce virtutum asserens esse Reginã, quia in Rege Regum, & in Matre ipsius tam præstanter effulsit.* Et post pauca alia de eadem Paupertate, veluti altissimum Ordinis fundamentum, vt dictum est. *Docebat proinde,* sequitur, *sicut reuelatione didicerat, sacra Religionis ingressum ab illo fore inchoãdum Euangelico verbo Matth. 19.* Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.

Virtutis simplicitatis in Franc. diuitiæ ex altissimæ paupertatis amore.

In paupertatis trophæis solum diues Franc.

2 Refert Bonauentura, statim trium virtutum sub corporea, ac simillima forma prope Vrbem Senam occursum, quæ tria vota Regularia præsentantes Franciscum ita salutarunt. *Benè veniat Domina Paupertas.* Quo audito verus Paupertatis amator *indicibili repletus est gaudio; vtpotè qui nihil in se salutandum hominibus tam libenter haberet, quam quod illæ decreuerant. Subito disparentibus illis, considerantes socij tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis occursus, disparentiæ nouitatem, misticũ aliquid designari circa Virum Sanctum non irrationabiliter perpenderunt; sanè per illas tres, vt videbatur, mulieres pauperculas, sic vniformi facie occurrentes, sic salutantes insolitè, sic subitò disparentes. Euangelicæ perfectionis formositas, quantum ad Castitatem scilicet, Obedientiam, & Paupertatem, satis conuenienter ostenditur in Viro Dei pari forma perfectè fulsisse, licet gloriari prælegerit in* PRIVILEGIO PAVPERTATIS, *quam modo Matrẽ, modo Sponsam, modo Dominam nominare solebat.* Itaque omnis in Francisco super cæteras virtutes triumphus ex Paupertatis Palma. Hinc idem Bonau. istam comprobans in eo veritatem in cap. 15. quod est de Francisci canonizatione, affert in principio hoc, concinna anthitesi editum, elogium, principe Paupertate illud exordiente. *Hunc virum, ait, mirabilem vtpotè Paupertate prædiuitem, Humilitate sublimem, Mortificatione viuidum, Simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum; quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem.* Verum præcipuã in illius morte incomparabilitas ex paupertatis palma, profectò, quod probatur ex cap. 14. vbi agit auctor de transitu B. Patris, eo petraeo exemplo, quo in vltima *sua infirmitate tam graui, quæ omnem languorem concluserat, super nudam humum se totum in spiritus feruore nudatum prostrauit; quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo.* Decumbans sic in terra, saccina veste deposita, faciem solito more leuauit in Cælum, & intendens illi gloriæ totus, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, & ait ad Fratres. Ego quod meum est, feci, quod vestrum est, Christus edoceat.

Occurrunt Fratres sub corporea forma Virtutes.

Earũ misticus intellectus, de quo auctor alibi poeticè

Paupertatis palma in morte Frãc. quam triumphalis.

Franc. nudus in terrã admirandũ paupertatis speculum.

Illachrymantibus autem socijs Sancti, qui miro fuerant compassionis telo perculsi: vnus ex eis, quem Vir Dei Guardianum suum esse dicebat, votum ipsius diuina inspiratione cognoscens, festinus surrexit, & accemptam cum chorda, & femoralibus tunicam, pauperculo Christi obtulit dicens. *Hæc tibi tamquam pauperi commodo, & tu illa suscipias Obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc Vir Sanctus, & iubilat præsentia cordis, quoniam fidem tenuisse Dominæ Paupertati vsque in finem se vidit, palmasque leuans ad Cælum, Christum suum magnificat pro eo, quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum.* Fecerat enim omnia

Paupertatis insignia in eleemosynã Franc. moriẽti effecta.

In auditatis Capitolio palma paupertatis Frã. erecta.

omnia hæc Paupertatis zelo, vt nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. *Voluit certò per omnia Christo Crucifixo esse conformis, qui pauper, & dolens, & nudus in Cruce pependit. Propter quod & in principio conuersionis suæ nudus remansit coram Antistite, & in consummatione vitæ nudus voluit de Mundo exire.*

Hæc, hæc sunt, ô amice, quæ de paupertate Francisci refert historicè Bonauent. & per quæ *Pauperum Patriarchatum*, tibi admodū displicentem iure merito soli Francisco tam longe ante Foderetum tribuit Ecclesia vniuersa. *Paupertas* Fratrum Minorum iuxta eorum professionem *Paupertatis* S. P. Francisci imitatrix est; & nihilominus tu niteris omnibus viribus tract. de Paupertate Euangelica cap. 24. & 25. Paupertatem Religiosam, maximè Franciscanam diminuere, offuscare, seu potius inuisam reddere; prætensa illa distinctione inter expropriationem, & paupertatem. Sed incassum laboras, conatusque tuus futilis est, cum vtrumque profiteamur in Regula nostra, vt toties responsum est à D. Bonauentura, Aluaro Palagio, aliisque nostri Ordinis Auctoribus aduersus scripta nonnullorum Monastico-Mastigum, & Anti-Minoritarum. Nec proinde sequitur, nos solos paupertatem in Ecclesia Dei vouere Euangelicam, seu alias omnes Religiones mendicantes à Dominicanis vsque ad Clericos alios regulares, qui sunt vltimi, sub Franciscana militare. Diuersi quippe sunt gradus Euangelicæ paupertatis, sicut in qualibet alia virtute iuxta D. Thomam 2. 2. quæst. 88. art. 7. Quilibet eorum bonus est, & meritorius, cum Christus dixerit simpliciter, & generaliter absque vlla restrictione, Beatos esse pauperes spiritu, idest propria voluntate per instinctum Spiritus Sancti, vt DD. Ambrosius, Hieronymus, & Thomas Aquinas quæst. 10. art. 12. exponunt; sed potior, atque altior, imò altissima iuxta verba D. Francisci illa est, quam Franciscani profitentur, vt communiter asseritur à nostratibus, & ferè ab externis Scriptoribus.

Futilis æmuli nostri distinctio in Minorū paupertatem.

Diuersi sunt paupertatis gradus.

Patres S. I. quomodo paupertatē, & mendicitatem amplectantur

Nonnulli ex Clericis Regularibus paupertatem, & mendicitatem suo modo amplectuntur, non quidem ex Regula, sed ex propriis constitutionibus, quod & Nigronus loquens de sua Societate, hisce verbis ingenuè fatetur. *Vnde deducitur Ordinem nostrum non esse mendicantem ex Regula S. Francisci, tum quia sub eo non militat, tum quia mendicitatem profitemur, propriis Constitutionibus per Pontificem probatis definitam.* Hæc ille sup. tit. par. 3. §. 7. Quamuis igitur rectè, ac verè Societas numeretur inter alias Religiones mendicantes, nō exinde sequitur, omnes esse æquales, vel eandem profiteri paupertatem, quam profitentur Minores, vt intuenti ex se patet. Si ex eius domiciliis tollas Collegia, Seminaria, Missionaria, Nouitiatus, &c. vbi omnes ex perpetuis aluntur prouentibus, teste ipso Nigrono, vix ex quindecim inuenies tres, aut quatuor domos professas iis redditibus omninò carentes. Dices, hæc Collegia, & tyrocinia apud eos accessoria, & veluti membra habentur Societatis, ac proinde sequi naturam principalis, & capitis. Transeat hoc dictum, nam apud Franciscanos diuerti non pateretur perfectio Regulæ Minorum. Vbi enim altissimæ paupertatis celsitudo inter eos radices fixit, omnia bona temporalia, redditus, seu prouentus annuales à se penitus eliminauit, siue in communi, siue in particulari. Quod Concil. Trident. iterum renouando approbauit sess. 25. cap. 3. de Regularibus, quò (iis exceptis) concedit omnibus aliis Monasteriis, & Domibus Religiosis vtriusque sexus, etiam mendicantibus, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Patres autem Societatis ab hac communi licentia haudquaquam Concil. exemit, dum illorum non meminit, quemadmodum ibi paulò post egit cap. 16. de voto eorum simplici differens.

Conc. Trid. de pauperta te Minorum

Impugnare etiam videtur æmulus noster visionem Innocentii III. de S. Frācisco Ecclesiam Lateranensem, ne corrueret, propriis humeris sustentante, cap. 32. de Expropriat. Claustrali, & cap. 35. de Paupert. Euangel. Paupertatis tergora validissima posuisse in ea visione Franciscum Laterani Basilicæ, ne præcipitem se daret, apparet tum ex textu historico, quem ex Breuiario Romano, & nostro supra retulimus, tum etiam ex testimonio Romani Pontificis Innocentii III. Verba formalia Bonau. ex cap. 3. Legendæ, quæ in paragrapho sequenti etiam repetenda sunt, vel saltem citanda, sic se habent. *Sed & visionem, quam tunc temporis Cælo perceperat, in hoc Viro fore complendam, spiritu diuino suggerente, firmauit. Videbat namque in somnis, vt retulit,* Lateranensem Basilicam *fore proximam iam ruinæ, quam quidam Homo pauperculus, modicus, & despectus proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Verè, inquit, hic est ille, qui opere, & doctrina Christi sustentabit Ecclesiam, &c.* Modicitas, & despectio in viro pauperculo se habent veluti effectus, quorum gemina causa paupertas. Ergo si vt pauper humeris suis sustentabat Ecclesiam Franciscus, paupertatis opere, & doctrina sustentare per se, ac per suos eam proculdubio debebat. Alias quomodo reparatio, si in paupertate Euangelica per altissimū gradum fundata

Humeris paupertatis Euangelicæ sustinuit Frācisc. Eccles.

non

non esset, pauperrimæ quoque fundationi Romanæ Ecclesiæ, sicut par erat, responderet.

Demum æmulus noster in perennitatem paupertatis Minorum aduersatur, dum ponè aggreditur, perperam impugnare ea priuilegia, quæ cælitus à Christo Domino fuere ipsi D. Francisco collata. Arbitratur enim ea posse subdola cauillatione denegare. Quatuor fuerunt hæc priuilegia, quæ continentur octo carminibus hexametris, satis humilibus, & impolitis; Anthoris tamen antiquissimi. Carmina sunt hæc.

Quatuor priuilegia præcipua Franc. cælitus elargita.

Francisco fundente preces (sunt tempore multo
Mors molenit ei) cælestis filius ipsum
Exultare iubet. Annuncio quatuor, inquit,
Dona superna tibi. Stabit tuus Ordo per æuum.
Nullus ibi Frater, cui sit peruersa voluntas,
Stare diu poterit. Vix hostibus Ordinis annos
Viuere dimidios præstabitur. Eius amici
Viuent, & vitam concludent fine beato.

Cōcessa fuere Seraphico Patriarchæ pauperum illa quatuor priuilegia, trinaq. reuelatione patefacta. Primò in Eremo S. Vrbani. Deinde apud S. Mariam de Angelis. Postea in Monte Aluerniæ. Primum repræhēditur ab æmulis, vti improbabile. At eum non solum probabilissimum esse, verum etiam compertissimum ex eo, quod vanè contendant de non assignata Prouincia, nec Ciuitate, vel loco Cœnobij S. Vrbani, prodit Arturus, qui omnia hæc assignat ex D. Bonau. & aliis Scriptoribus innumeris loco cit. 4. Octob. §. 10.

Negātur ab æmulis, sed vanissimè.

Negant demum cum nostro æmulo Aduersarii ista priuilegia, eo quia non contineantur in vita S. Francisci, à Bonauent. edita. Nec possunt inueniri testes coæui, præsentes, oculati, & ipso Bonauentura antiquiores. Sanè D. Bonauentura scribit cap. 13. vitæ ipsius post visionem Seraphicam, & suscepta sacra Stigmata B. Fratri Illuminato eius socio, *Cum multo timore seriem retulisse visionis præfatæ. Addens, quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam, dum viueret, alicui hominum aperiret. Credendum sanè tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph. in Cruce mirabiliter apparentis eloquia, quod fortè non liceret hominibus ea loqui.*

Verum sunt apud Bonau.

Nulla hic mentio quatuor dictorum priuilegiorum sub expressa notitia, quamuis sub communiori haud deneganda. Eo vel maximè, quia, vt fertur, ipse S. Pater B. B. Ruffino, & Leoni sociis suis ea notificauit; subdens deinde B. Leoni. *Adiecit mibi Dominus, & alia, quæ in horam mortis tibi reseruo.* Gregorius IX. Papa in Memoriali antiquo Ordinis Minorum ab eodem Viro Sancto se illa audiuisse refert.

Tacuit hæc priuilegia D. Bonau. sed non omninò

Scriptores deindè innumeri sunt post D. Bonau. quæ referunt hæc priuilegia, veluti omni fide digna. Amplectuntur æmuli Bonauenturam, vbi vel omninò tacet hæc priuilegia, quasi tacendo negaret, vel eius adductam allocutionem ab hisce priuilegiis fore excludendam, asserunt.

Sed si nec Bonauenturam acceptant in rebus haud paucis, quæ clarissimè refert de S. Francisco, vt demonstrat Arturus, assimilantur proculdubio ex hac parte illis Acatholicis modernis, quibus accetissimus est D. Bernardus in libris *De consideratione* ad Eugenium, maximè vbi non adeò clarè, ac distinctè loquitur de duplici gladio, Romano Pontifici de iure attribuendo, sicut loquitur de vno solo, ac principaliori, in quo consistit eius potestas spiritualis, cui accedit minus principaliter, & vt aiunt, indirectè & potestas temporalis, ac politica, de qua etiam D. Bernardus, ibidem; sed de hoc alibi in nostro opusculo M. S. cui titulus, Princeps Ecclesiasticus in recētiores hæreticos. Durabit ergo Ordo Minorum, velint, nolint nostri æmuli vsque ad Mundi finem sub viridissima *Paupertatis Palma*, quæ sibi fundamentum erit, & insigne in præcursores Antichristi, & in ipsum Antichristū, qui in diuitiarum rete innumeras animas Christo dicatas miserrimè capiet. Hactenus de triumphali Paupertatis Fratrum Minorum Palma, inter Vicarii Christi pedes auspicatissimo præsagio exurgente. Loquens de ipsa, iam Paupertati Virginis ab Interprete nostro, vt dictum est, assimilata, hæc addit in fine cap. 2. respons. 4. Apolog. Pauper Bonau. cum Beda ad Virginem ipsā alloquente. Et Beda, inquit, quod in oblatione, & præsentatione Regis Regum in Templo nec vnum valuisti agniculum offerre, Deo more pauperum obtulisti par turturum, aut duos pullos columbarum. Qui igitur desiderio, professione, signaculo habitus, & obseruantiæ veritatem in hac tibi paupertate configurari studiositus satagunt, verè sunt de tuorum numero spiritualium Iudæorum, quorum circumcisio non est in carne, sed in spiritu per hilarem supportationem multiformium penuriarum, & vniuersale abdicationem omnium temporalium facultatum. Nos igitur verè, ac peculiariter tuos, pio digneris misericordiæ Reginæ fauore ab hostili incursu potenter eripere, & aduersus hunc hostem ipsorum pessimū triumphaliter dimicare, nō vt cum Aman suspensus intereat, sed vt eius humilietur superbia, damnetur proteruia, illustretur intelligentia, reficietur voluntas, vt spiritus

Idcirco ea negant æmuli, sed quam inconsultò.

Quid in hostes paupertatis Minorū iure concupiendum.

Apologiæ Paup. Bona. conclusio.

ritus saluus fiat. Hæc ibi Bonau. qui ita concludit omnem illam Apologiam Pauperum. Desinet igitur persecutor hic Pauperum à malignis calumniis, ac verbis maledictis, nec Balaam transcendendo malitiam, illis maledicat, quibus Dominus benedixit, ne benedictionem perdens cælitus repromissam, maledictionem incurrat æternam. Quod si cessare noluerit, verus pauper clamare non cesset. *Adiuua me Domine Deus, saluum me fac propter misericordiā tuā*, Ps. 108. Et dehinc media prosequens, in fine concludit. *Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorū laudabo eum. Quia astitit à dextris pauperis, vt saluum faceret à persequentibus animam meā.*

Clamet pauper ad Deū.

LIBER QVARTVS.

Alij septem post admirandam Palmæ visionem Euentus, scitu digni. Quatuor ante, tres verè post approbatam à Romano Pontifice Innocentio III. Francisco, & duodecim eius Discipulis Fratrum Minorum Legem.

Omnes penè hos septem Euentus, vno excepto, reperio (cum duobus alijs memoratis, cum quibus cuncti essent nouem) apud D. Bonauenturam in cap. 3. Legendæ, & Vitæ S. Francisci. Illos distinguere curaui in aliqua capita iuxta ordinem tam historiæ, quam temporis, sicuti reipsa contingerunt. Sex autem, quæ Regulæ approbationem præcesserunt, principio enarrandi.

CAPVT PRIMVM

Pro tertio Euentu:

Magna plurimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumq; fermè Aulicorum oppositio, ne Francisci lex approbaretur.

Textus Historiæ D. Bonau.

Cur Pōtifex distulerit Regulæ approb.

DISTVLIT Christi Vicarius Dominus Innocētius III. perficere, quod Christi postulabat pauperculus, pro eo, quod aliquibus de Cardinalibus nouum aliquid, & supra vires humanas arduum videretur, &c.

Quid est illud, *nouum aliquid videretur*, ratione cuius ex purpuratorum cœtu nōnulli Pontificis animum ab Regulæ approbatione aliquantò retraxerant? Respondeo ex doctrina eiusdem Doctoris, qui in cap. 1. expositionis secundæ Regulæ super illa verba, quibus illud caput incipit, *Regula, & vita Minorum Fratrum hæc est, Domini nostri Iesu Christi Sanctum Euangelium obseruare*, hæc habet commentariè. *Hoc idcircò dicitur, quia tota Regulæ substantia de fonte trahitur Euangelicæ puritatis*. Ex his statim hanc euidentissimam deducit conclusionem. *Non est ergo Regula, aut vita hæc noua res, sed proculdubio renouata, magnaque est huiusmodi Regulæ professoribus materia solatij, qui soli in hoc Mundo vitam illam ad literam profitentur, quam Apostolis ad prædicandum missis Dominus commēdauit*. Inceptio capitis primi prioris Regulæ verbis tantum differebat à prædicta. *Regula, & vita*, dicebat, *istorum Fratrum hæc est, scilicet viuere in obedientia, & in castitate, & sine proprio, & Domini nostri Iesu Christi doctrinam sequi*. Christi doctrina nihil aliud est, nisi Sanctum Euangelium. Vestigia Christi soli Apostoli respectu subsequentium sectatorum perfectè, excellenterque sequuti sunt. Igitur meritò dixit Bonau. *Nouum aliquid* aliquibus Cardinalibus visum esse in vita illa, quam Euāgelicus Legislator Romano Pontifici proposuerat approbandam. Quia non in toto noua erat, neque ab omnibus veluti absolutè noua adiudicata.

Soli Fratres Minores profitentur vitā Apostolicā.

Post visionem Palmæ memoratæ idcircò illud de nouitate propositæ Regulæ

dubium

Cur lex D. Frãc. aliquibus card. noua visa sit.

dubium emersit, quia in rei veritate non aliunde adeò euidens nouitatis argumentum nonnulli S.R.E. Cardinales conceperant, nisi ex voto paupertatis, ad quam plurima inter xxvij. Regulæ præcepta respectum habent; imò & ipsa alia duo vota, Obedientiæ scilicet, & Castitatis. Illius, quia cum fundata sit in totali abnegatione sui, tota Paupertas spiritus est. Istius, quia Paupertas in victu, ac vestitu, in incedendo pedibus, & sine calceamentis, sine pecunia: Paupertas in habitaculis, ac straminibus, & in cæteris, ad carnis mortificationẽ ordinatis, Castitati famulatur, aptissimumque fulcimentum est, ne ita facilius labatur, ac maculetur.

Poma noua, & vetera in Christo quæ

Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi, Cant. 7. Vbi Doctor, & Magister noster. quem dedimus iam in limine primi tomi Hierarchiæ ad Patres Ordinũ, Prædicatorum, & Minorum, ita explicat serm. Dom. 21. post Trinit. *Poma noua ex Virgine Filij Dei Natiuitas, & Paupertas, noua stella missio, miraculorum operatio. Poma vetera fuerunt sputa, alapæ, acetum, claui, & lãcea, quæ nos ab antiqua vetustate spoliauerunt.* Christi Natiuitas in summa paupertate, atque egestate fuit. Eius inclita primogenita Paupertas Euangelica legislatrix extitit. Nouæ stellæ apparitio ad Christum, infantem pauperrimum intra Paupertatis cubiculum, iumentorumq. præmonstrandum, designata. Noua quoque fuerunt in paupere Christo sputa, alapæ, acetum, quia, etsi res noua haud est in Mundo malis omnibus pauperes pertractari, attamen pati Deum, pauperrimo carnis cilicio conuestitum, quẽ Mundus non cognouit, res vtique vndique noua, ac super cunctas cuiuscumque generis nouitates prorsus nouissima. Dicuntur tamen vetera hæc sputa, alapæ, acetum ob rationem à Doctore nostro ibi adductam. Nouitas illa Paupertatis spiritus Francisci in solo affectu non erat, sicut fuerat in pluribus Apostolicis viris, sibi prædecessoribus, sed in effectu quoque, & vtroque modo eminens, & excellens. Sic erat noua in Ecclesia, vt diximus in principio cum Baronio, vt nouum iam Franciscum effecerit Legislatorem, Legislatori Christo persimilẽ; nouam suam Regulam, & noua quoque præcepta in ea contenta, reddiderit.

Paupertatis Christi encomia.

Paupertas Frãcisci cur noua in Mũdo

Nulla Religio præter tria vota cõmunia habet præcepta sub mortali, sicut habet Ordo Minorum. Hinc accuratè aduertendum in Missali nostro, vbi celebratur festum Sacrorum Stigmatum, quod non aliud Euangelium proponitur, nisi illud Matth. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* In conuersione primogeniti

In sacrorum Stigm. festo cur legatur Euang. Mat. c. 16.

sui B. Bernardi de Quintaualle, antequam eum in suam admitteret sodalitatem Franciscus, voluit Dei beneplacitum explorare. *Intrauerunt proinde* (ait Bonau. cap. 3. Legendæ) *Ecclesiam S. Nicolai, mane iam facto, & oratione præmissa cultor Trinitatis Franciscus ter Euangeliorum librum aperuit, trino exposcens à Deo testimonio, Sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri aperitione illud occurrit Matth.* 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. *In secunda Lucæ* 9. Nihil tuleritis in via. *In Tertia vero Matth.* 16. Qui vult post me venire, &c. *Hac est, ait vir Sanctus, vita, & regula nostra, omniumque, qui nostræ voluerint societati coniungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice quæ audisti.*

Ter apertũ Missale a Franc. in B. Bernardi de Quintaualle conuersione.

In priori loco Matth. & in posteriori Lucæ monstrata fuerunt noua Paupertatis poma, in postremo autem loco poma vetera aperuit Euangelium. Hæc poma vetera iam à memoria mortalium oblitterata, adeo in Francisco, Cruci Christi cum Christo confixo, comite sibi Domina sua Paupertate, rẽnouata fuere, maximè in eius stigmatizatione, qua Christianam Rempublicam vniuersam à vetustate spoliauit, renouans illi Christi patientis memoriam, vt propterea meritò ordinauerint nostrates, eisq. concesserit Ecclesia Romana in Missa eiusdem festi illud Euãgelium, quod tertiò occurrit Francisco. Inquit enim D. Gregor. hom. 22. in Euang. super eundem textum, à Franciscanis singulis annis, & mensibus in choro, & in altari lectum. *Quia Dominus, ac Redemptor noster nouus homo venit in Mundum, noua præcepta dedit Mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitijs enutritæ contrarietatem opposuit nouitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupisceret si non posset? Sed cælestis Medicus singulis quibusque vitijs obuiantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur; ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiã, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinẽ, elatis præciperet humilitatem, &c.* Totum id; quod nouus homo Christus in sua legislatione pro fundanda Ecclesia sua nouiter effecit, fecit quoque & Legislator Franciscus, à Deo iam missus pro eiusdem Ecclesiæ reparatione. Nam veluti nouus homo, nouo homini Christo simillimus, nouam, seu renouatam, rationabilem, obseruabilemque proposuit Sedi Apostolicæ legem, in Euangelio radicatam, vt in vitæ nouitatem totum Mundum veteribus in vitiis, & corruptelis enutritum, validissimè pertraheret. Igitur haud mirum, si aliquibus Cardi-

Franciscanæ legis nouitas

Nouus homo in nouo homine Christo Franc.

Cardinalibus nouum aliquid, & supra vires humanas arduum videbatur id, quod in sua Regula comprobari expostulabat Franciscus.

Euentus Quartus.

Fauorabilis admodum Domini Ioannis Cardinalis S. Pauli aduocatio pro Beati Francisci causa, circa eius Legis approbationem, concistorialiter coram Pontifice discussa.

Textus Historiæ.

Adcrat autem inter Cardinales Vir venerandus Dominus Ioannes de Sancto Paulo, Episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, & adiutor pauperum Christi. Qui diuino spiritu inflammatus, Summo Pontifici dixit, & fratribus suis, Si petitionẽ pauperis huius tamquam nimis arduam, nouamque refellimus, cum petat confirmari sibi formam Euangelicæ vitæ, cauendum est nobis, ne in Christi Euangelium offendamus. Nam si quis intra Euangelicæ perfectionis obseruantiã, & votum ipsius dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile, vel impossibile ad obseruandum, contra Christi Euangelii auctorem blasphemare conuincitur. Quibus propositis, &c. Sed ista inferius in sequenti Euentu.

Qualeshuius incliti Antistitis mores.

Eius in Consistorio pro Regula Frã. defensio.

PVNCTVM I.

Quatuor præcipua, egregiaque in Cardinali Ioanne de Columna dotes, ac prærogatiuæ,

Fuisse istum Cardinalem, qui causam Francisci adeò promptè, ac solicitè aduocauit, ex inclyta domo de Columna, *Romana* gente alta, vetustateque propagine deducta, pluribus demonstrauimus ex Vadingo, & aliis in Hierarchia nostra, præcipuè in tomo posteriori, vbi de Cardinalibus Ordinis Minorum Protectoribus. Quatuor Præsulem hunc, bina purpura decorum emicuisse prærogatiuis, ait Bonau. in præfatis verbis. In priori prærogatiua nuncupatur à Seraphico Doctore *Omnis Sanctitatis amator*. In secunda, *Adiutor Pauperum Christi*. In tertia, *Diuino spiritu inflammatus*. In quarta ipsum veluti Apostolicum Argum ostendit, Euangelica doctrina præditum; dum ipse solus penetrauerit totum argumentum Regulæ Francisci, diuinitus reuelatæ, non aliunde emanauisse, nisi de fonte Euangelicæ puritatis, vt ipse Bonau. nuper datus affirmat. Percurramus singula sub Interpretis nostri ducatu.

Fuit hic Antistes ex stirpe Column. Romana.

Omnis Sanctitatis Amator fuit Ioannes hic, & hæc in tam heroico Principe princeps prærogatiua. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* 1 Petri 3 Vbi ita egregiè Doctor noster commentatur in serm. Dom. 5. post Trinit. ad finem. *Dominus dicitur à dominatu. Christus à Chrismate. Sanctus latinè, idest sine terra, in qua sunt quatuor, immunditia, insatiabilitas, obscuritas, & fragilitas. Qui est sine terra, idest terrenorum amore, in quo est immunditia luxuriæ, insatiabilitas auaritiæ, obscuritas inuidiæ, & fragilitas inconstantiæ, iste proculdubio tamquam humilis seruus dominum, tamquam verus Christianus sanctificat Christum in corde suo.*

1. Prærogatiua.

Qui sine terra est sanctificat Christũ.

Nisi talis extitisset hic Antistes, sobole, & purpura Ecclesiastica Princeps, nec vtriq. haud degener, *Omnis sanctitatis amator* nequaquam à sanctissimo Scriptore nuncuparetur. Amare omnem sanctitatem, vt decet, est in se imaginem omnis sanctitatis habere, atque in eam transformari. Homo namque *amando lapidem*, teste Philosopho, *fit lapis*, & omnis amans in rem amatam seipsum transformat. Erat igitur Ioannes Cardinalis Princeps in Terra, claritate prosapiæ illustris, dignitate purpuræ eminens, splendore diuitiarum decorus, auctoritate in aula Pontificia valde potens; sed quia erat simul omnis sãctitatis amator, *sine terra esse* se demonstrauit, hoc est sine terrenorum amore. Vir vtiq. mundus corde, liberalis manu, clarus sinceritate animi, & constans laudabiliter. In hunc modum factus omnis sanctitatis amator, ac vir sine terra, sine *terrenorum amore tamquam humilis seruus Dominum, tãquam verus Christianus sanctificabat Christum in corde suo*; tanto dignior Ioannis nomine, quanto nominis Ioannis interpretatione excelsior. Sed ad secundam Ioannis nostri prærogatiua.

Ioan. de Columna encomia.

Adiutor Pauperum Christi dici, & esse tam dignus Antistes, maxima quoque in eo prærogatiua extitit. *Manus Domini facta est super Heliam, accinctisque lumbis currebat* 3. Reg. 8. quem textum ita breui Interpres noster loco cit. paulò superius. *Manus, idest munus, est gratia Dei, quæ cum sit super hominem, talem, ac tantum ei confert munus, vt scilicet accinctis lumbis per castitatem, currat paupertate, nudus nudum, pauper pauperem sequatur Christum.* Gratia Dei nuncupatus fuit à Matre in baptismate Franciscus, scilicet Ioannes. Vnde Bonau. in exordio prologi vitæ, & legendæ Sãcti Francisci. *Apparuit*, inquit, *gratia Dei Saluatoris nostri Iesu Christi diebus istis nouissimis*

2. Prærogatiua.

Nomẽ Francisci in baptismate Ioãnes.

uissimis in seruo suo Francisco omnibus verè humilibus, & sanctæ paupertatis amicis. Qui super affluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem, & sæcularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter viuere, & ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque & verè pauperculũ, contritum tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conuersionis puluere suscitauit egenum, verum etiam Euangelicæ perfectionis professorem, ducem, atq; præconem effectum, in lucem dedit credentium, vt testimonium perhibendo de lumine, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim quasi stella matutina in medio nebulæ claris vitæ micans, & doctrinæ fulgoribus, sedentes in tenebris, & vmbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem, & tamquam Arcus refulgens inter nebulas gloriæ, signum in se Dominici fœderis repræsentans, pacem, & salutem euangelizauit hominibus, *existens & ipse Angelus veræ pacis, secundum imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris destinatus à Deo, vt viam parans in deserto altissimæ paupertatis, tam exemplo, quam verbo pœnitentiam prædicaret, &c.*

Similis in Dei gratia Christi Præcursori

Nomen Ioannis relinquens Franciscus, & nomen Franciscus retinens, vt placitum patris adimpleret, & nominis Ioannis significatum relinquere minimè poterat, moraliter loquendo. Nam ex quo vocatus est *Gratia Dei*, iuxta idemmet significatũ in gratia Dei profectò semper perseuerauit; & vt legitur in Chronicis in quadam schedula, super caput eius cælitus immissa hos aureos characteres vidit B. Leo eius Confessarius, qui illam visionem habuit, istam scripturam efformantes, HIC EST GRATIA DEI.

Franc' Gratia Dei cælitus intitulatus.

Non est meum hoc argumentum, sed D. Bonau. in principio cap. *1*. eius legendæ tam maioris, quam minoris, vbi ita. Vir erat in Ciuitate Assisij, Franciscus nomine, cuius memoria in benedictione est, pro eo, quod Deus ipsum in beneuictionibus dulcedinis benignè præueniens, & de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, & cælestis gratiæ donis affluenter impleuit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus in vanis, & post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotiis; *superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abijt, nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, sperauit in pecunia, & thesauris. Inerat namque iuuenis Francisci præcordijs diuinitus indita quadam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleuerat, vt iam Euangelij non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maximè si diuinum allegaret amorem.*

Nutritus in vanitatibus, sed minimè contaminatus.

Et post pauca alia (vbi antea dixerat de illius solida sponsione, vt scilicet petentibus pro amore Dei nunquam negaret, quod vsque ad mortem indefessa pietate obseruans, copiosa in Deum dilectionis, & gratiæ incrementa promeruit) veluti si in eo vtriusque hominis moralem, ciuilemq. describeret phisiognomiam, ipsumque omnis suo felicitatis horoscopum constitueret, subdit statim. *Aiebat enim post, cum iam perfectè Christum induerat, quod etiam existens in habitu sæculari, vocem diuini expressiuam amoris audire vix vnquam sine cordis immutatione valebat. Porrò mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia, & tractabilitas, supra humanum modum, munificentia largitas vltra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indicijs; quædam videbantur esse prælndia, quod copiosior super eum foret in posterum diuinæ benedictionis abundantia diffundenda.* Quod erat in Dei gratia Franciscus, retinens nomen paternum, illud scilicet, quod ei Pater redux ex Gallia imposuerat; sed materni nominis, nempe *Ioannis* haud derelinquens significatum erga pauperes Christi per inditam diuinitus præcordiis suis quamdam ad pauperes ab infantia miseratione liberalem, vt ait Bonau. id quoque experiebatur in Ioanne Cardinali de Columna, *Pauperum Christi auditore* ab eodem Bonauẽt. nuncupato. Ipse namque erga Pauperum Patriaarcham, pauperumque solamen, & propugnatorem, adiutoriũ in Dei gratia, quam in nomine, & in animo deferebat, solidissimum, & in sapientia euangelica eloquens, efficaxque patrocinium concistorialiter extitit. Accinctus lumbis castitate virginea Franciscus, iam currebat paupertate sub gratiæ Dei ductu, & ipse gratia Dei totus; iamque nudus nudum, pauper pauperem sequebatur Christum. Ipsamet gratia Dei in Ioanne Cardinali, ne à tali cursu tantus Legislator impediretur, tunc maiorem addidit vim, cum aliunde nonnulli illum, vix in stadio positum, ne singulare brauium ipse solus in Ecclesia nancisceretur, vt retrocederet, summum Pontificis votum aliquantisper retinuerunt.

Moralis, ciuilisq. Frãc. phisonomia.

Ipse omnis suæ felicitatis horoscopus.

Dei gratia Ioann. Cardi in patrocinium Franc.

Qui diuino spiritu inflammatus. Concinnum profectò, peregrinumque ligamen habet hæc in tanto Præsule dos, atque prærogatiua cum antecedenti, ei immediata. Adiutoris pauperum Christi munus

3. Prærogatiua,

nus in Ioanne ex eius nobili, atque Christiana humilitate, necnon & ex paupertate spiritus oriebatur. Sic enim in pauperes inflammatus, in pauperes quoque ardenti miseratione transformabatur. Pauperum in quãtum poterat æmulabatur felicitatem, currebatque & ipse affectu nudus sub purpura, & pauper in diuitiis ad nudum, & pauperem Christum. Omni, Inquit Dominus, petenti te tribue. *Tribue scilicet* (subdit Doctor noster Dom. 14. post Trinit.) *bonam voluntatem, si non habes facultatem; sed tribuere vtrumque perfectius*. Vtrumque pariter pauperibus Christi, quorum adiutor erat perfectissimus, vir Princepsque Ioannes Cardinalis, tribuebat. Vtrumque etiam Francisco suo, erga pauperes liberalissimo tribuit, nunc eius causam in Concisterio aduocando; nunc ipsum, & eius duodecim Discipulos in sua domo cum Domino Guidone Episcopo Assisiate hospitando; nunc demum plurima alia sibi, & suis vsque ad mortem beneficia præstando; ideo haud mirum, si, teste Seraphico Doctore, *Diuino spiritu inflammabatur*.

Paupertas spiritu in Ioann. Card.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Matth. 6. Vbi Interpres noster exhibens communi doctrina Ioannis nostri imaginem, ex 2. & 3. prærogatiua mirabiliter efformatam, explicat in hunc modum loco cit. Dom. 15. immediatè. *Deo Iusti crescunt de virtute in virtutem, quia non laborant, neque nent, quod est torquere, idest filare. Non laborant, vt Aegyptij in lateribus, idest carnis voluptatibus, neque nent, diuersa fila cogitationum torquentes. Vis crescere? noli in te laborare, nec in Mundo viuere, & sic eris pauper. Vnde Iacob Gen. 41.* Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, *idest humilitate cordis. Iustus crescit, cum in se decrescit*. Illum oportet crescere, me autem minui, Ioan. 3. & Isaiæ 60. Erit minimus in mille, & paruulus in gentem fortissimam. *Quod fit, cum humilis in oculis suis, in perfectione mentis, & operis sublimatur*. Psal. 64. Accede homo ad cor altum. *Altum dicitur superius, & inferius, vt altum Cælum, altum mare*. Cum ergo accedis ad cor altum, *idest mentis profunditatem, scilicet humilitatem, tunc Deus in te exaltatur, quia facit te exaltari super omnia, in quibus est* vanitas, & afflictio spirtus. *Considerate* ergo, temporales, temporis fugitiui amatores, qui laboratis, & onerati estis, *qui fila infinita torquetis*, quomodo lilia agri crescunt, &c.

Causa accrementi iustorũ de virtute in virtutē.

Quid est exaltari Deus in nobis.

In aduocatione pauperũ Christi, quorũ erat adiutor, verè dicere poterat Ioannes Cardinalis cum Ioanne Baptista, *illum oportet crescere, me autem minui*. Dum enim nequaquã dedignabat illud munus exercere, quod superbi huius Mundi, diuitesq; in contemptum, & in vilipendium habent, factus in oculis suis humillissimus corde, & pauperrimus spiritu, quamuis & diues opibus, & altus genere, & auctoritate potens; in mentis tamen, ac operis perfectione sublimabatur. *Et accedens ad cor altũ*, crescensque de virtute in virtutem, exaltabatur in ipso Deus, qui faciebat ipsum exaltari super omnia, in quibus est vanitas, & afflictio spiritus. In hunc modum eius misticum *Lilium* eminentissima exaltatione purpurascens, erubescebat, non laborans, neque nens, vt Princeps mundanus, sed operibus strenuis erga Christi pauperes nitens, vt *adiutor pauperum Christi*, cuius spiritu, & igne flagrabat. In hac Ioannis nostri exaltatione, dum audis, ipsum *diuino spiritu inflammatum*, velim perpendas ex vna parte pauperculum Franciscum, Ioãnis Cardinalis adiutorio apud aulam Pontificiam indigentem; & ex altera Ioannem Cardinalem, Francisci adiutorem fidelissimum. Sic enim vtrumque inuenies tripliciter hierarchicum, adeout gradatim in vtroq; posses vtrique procedere, percurrendo cælestes Hierarchias vsque ad illum ordinem, qui diuino spiritu inflammari, atque ardere dicitur ex quadam affinitate, seu vicinitate, quã habet ad Spiritum Sanctũ, vt docet D. Thomas, alibi à nobis datus.

Spiritualis Ioann. Card. exaltatio.

Ausculta, si placet *Benedictam* Doctoris nostri *Linguam*, nec sine magnum cordis tui solatium, dum ab eo edoctus, potes, si vis, triplicem cælestium spirituum Hierarchiam tu solus in te solo, credens, vt oportet, operum imitatione complere. In illo mirabili sermone de filio Reguli, in quo Dom. 21. post Trinit. agit super Euangeliũ Ioann. 4. de fidei initio, progressu, & fine, hanc misticam doctrinam peculiari gratia, ac facilitate explicat Doctor noster. *A Rege Regum*, ait, *totius creaturæ Domino Iesu Christo, qui Angelis in Cælo, & hominibus in Mundo præest, quilibet fidelis nominatur Regulus, pro eo quod quasi quandam repræsentationem cælestium Ordinum in se habet, & ex quatuor elementis, è quibus est omnis creatura, consistat. Nouem sunt Angelorum Ordines, quos tamen in tribus Ordinibus ternario numero volumus ordinare.* Erat Doctor noster adeò versatus in Cœlestis Hierarchiæ intelligentia, adeò profundus, clarus, facilis, & felix in schola Areopagica, vbi studuerat apud Abbatem Vercellensem, vt ante cursum vnius anni cũ dimidio Magistrum suum docere potuerit, sicut ille postea testatus est in commentario, quod super libros de Cœlesti Hierarchia, è Græco in Latinum ab ipso translata edidit. Id maximè patere potest ex breui, ac luculenta

Regulus misticus quilibet iustus.

culenta apoſtrophe, qua ipſe virum fidelem, & iuſtum alloquens, ita declarat.

1. Hierarchia in viro iuſto

In primo Ordine (inquit ſtatim) Angeli, Archangeli, & virtutes.

Obedientia mandatorum Dei

1 *In Angelis præceptorum obedientia. Es ergo de ordine Angelico, cum obedis præcepto Dominico.* Labia Sacerdotis cuſtodiunt, &c. Mal. 2.

Conſiliorum cuſtodia.

2 *In Archangelis conſiliorum cuſtodia. Ad Archangelorum pertines ordinem, cum non tantum præcepta, ſed etiam conſilia Chriſti ſatagis adimplere.* Ini conſilium, coge conſilium, Iſaiæ 16.

S. Vitæ miracula per operæ fidei

3 *In Virtutibus vita ſancta miracula deſignantur. Ad Virtutum ordines ſpectas, cum ſanctæ vitæ miraculis reſplendes.* Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Ioan. 14. Gloſſa. *Quod Dominus facit in nobis non ſine nobis, maius eſt omnibus Cœlo, & terra, & cæteris, quia illa tranſibunt, hoc remanebit, & in illis eſt tantum opus Dei, in iſto etiam imago Dei. Sed etſi Angelos facit, maius videtur impios iuſtificare, quam iuſtos creare; quia etſi vtrumque æqualis potentiæ, hoc tamen eſt maioris miſericordiæ.*

2. Hierarchia viri iuſti

In ſecundo Ordine (ſubdit Doctor) ſunt Principatus, Poteſtates, & Dominationes. *Tria ſunt in nobis, quibus etſi non tamquam Reges, ſaltem ſicut Reguli dominari debemus, ſcilicet Cogitationes, Oculi, & Lingua.*

Spirituũ malignantiũ cogitationum coercitio.

1 *Principatus coercent malignos ſpiritus, & nos debemus coercere malignas, ideſt malignitas cogitationes.* Vidi Angelum deſcendentem de Cęlo habentem clauem Abyſſi, Apocal. 20. *Moraliter Angelus eſt vir Iuſtus, qui tunc de Cœlo deſcendit, cum vitæ ſuæ ſtatum, in terra viuens ſecundum Cœli puritatem, informare ſatagit.* Hic habet clauem Abyſſi, & catenam. *Clauis eſt diſcretio, qua vir Iuſtus claudit, & aperit Abyſſum cogitationum. Claudit cum reſtringit, aperit cum diſcernit. Catena in manu eſt pœnitentia in opere, &c. qua Vir Iuſtus ligat Draconem ſpiritus ſuperbiæ cordis contritione, Serpentem venenoſæ luxuriæ confeſſione, Diabolum ruentis auaritiæ ſatisfactione, & eleemoſynarum largitione, Satanam malitioſæ diſcordiæ, proximi dilectione.*

Poteſtas ſuper oculos.

2 Poteſtates, ſic explicat miſticè idem Doctor. *Item ſuper oculos (qui ſunt quaſi quidam latrunculi, qui furantur puellam de terra Iſrael, vt dicitur 4. Reg. 5. ideſt pudicitiam de mente viri Iuſti) debemus habere poteſtatem, dicentes cum Iob 31.* Pepigi fœdus cum oculis meis, &c. Gen. 4. Si benè egeris, recipies; ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit. *Peccatum in foribus eſt concupiſcentia carnis in oculis, ſuper quos ſi poteſtatem exercemus, carnis appetitus ſub nobis erit, quia iugo rationis reprimitur.*

Dominatio ſuper linguã

3 Dominationes ſic ſe habent apud ipſum. *Lingua, quæ quaſi meretrix garrula eſt, & vaga. Prou. 2. debemus dominari, ne vt dicit Iacobus cap. 3.* Maculet totum corpus, & inflammet rotam natiuitatis noſtræ, &c. *Si ſic in hoc triplici ordine fuerimus, verè Reguli erimus.*

3. Hierarchia.

In tertio Ordine ſunt Throni, Cherubin, Seraphin.

Iudiciũ noſtrum de nobis.

1 *Throni ſumus, cum nos in nobis humiliamus, & noſmetipſos iudicamus.* Horrendum eſt enim incidere in manus Dei viuentis.

Bona cum charitate affectio.

2 *Cherubin interpretatur plenitudo ſcientiæ. Hæc eſt charitas, quam qui habet, plenus eſt, & ſcit quomodo oporteat ſe ambulare. Cherubin ergo ſumus, quando bona cum charitate facimus. Ezech. 10.*

Ignis compunctionis ſuccenſio.

3 *Seraphim interpretatur ardens. Seraphim ſumus, cum igne compunctionis ſuccenſi pro irriguo ſuperiori, & inferiori in lachrymis affluimus.* Lucæ 15. Cant. 5. *Quicumq; iſtos nouem Ordines in ſe repræſentat, & ex ipſis vitam ordinare diſponit, verè Regulus dici poteſt.* Hactenus Doctor noſter.

Totus tripliciter, & ſingulariter Hierarchicus Franc.

Hoſce nouem Ordines, iam in ſeipſo tripliciter Hierarchicus, ordinans vitam ſuam, Franciſcus ſecum habebat; quinimò ipſi iidem Ordines ſolus ipſe erat, vnicus ob perfectionem vitæ, ac ſimul tripliciter perfectus ob diſpoſitionem Hierarchicam. Talem prorſus ſeipſum præſentauit coram Pontifice, vt Legiſlator, & ad eius ſacratiſſimos pedes in faciem ſuam proſtratus humillimè proiecit. In ipſo namque prior Ordo Angelorum per obedientiam mandatorum Dei, Archangelorum per conſiliorum Euangelicorum cuſtodiam, Virtutũ per ſanctæ vitæ miracula in operibus fidei, primam iam conſtituerat Hierarchiã. Secũdam verò Hierarchiam, ſcilicet, Principatuum ſuper malignas cogitationes, Poteſtatum ſuper oculos, Dominationum ſuper linguam, poſterior Ordo in ipſo mirabiliter efformauerat. Tertius denique Ordo tertio quoque Hierarchicum ipſum commonſtrabat. Erat ſiquidem Thronorũ ſedes ob profundiſſimam ſuam humilitatem. Erat Cherubinorum ſeſſio ob ſcientiæ plenitudinem, in immodica eius charitate pleniſſimam. Erat tandem Seraphinorum per accenſum conflatorium ob eius optima bona, Apoſtolica charitate conflata. Hinc Doctor Seraphicus in citato Prologo vitæ, & legendæ S. Franciſci (poſtquam ipſum, ceu deſtinatum à Deo, vt Præcurſoris Chriſti ſimilitudinẽ præſeferret, demõſtrauit) ſtatim addit hæc pauca, verè egregia, ac Seraphica. *Primum ſuperna gratiæ præuentus donis* (ſic Franciſcus erat Ioannes, vt ſupra) *dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus*

Proditur à Bonau.

pletus spiritu, necnon & Angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & vt Vir Hierarchicus, curru igneo *sursum vectus, sicut ex ipsius vita decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur, venisse in spiritu, & virtute Ecclesiæ.* Hæc Bonauentura.

Quare Vir Hierarchicus.

In spiritu, & virtute Eliæ totus libertas Apostolica, & Euangelica iam euaserat Franciscus, ac per consequens verè Regulus, prædictos nouos Ordines in se repræsentans; & sic vir quoque tripliciter Hierarchicus. Non poterat aliquis alius ex aulicis in Curia Romana tunc melius ceu talem intueri Franciscum Legislatorem coram Christi Vicario, nisi ille, qui cælesti quadam, vt ita dicam, simpathia & ipse tripliciter Hierarchicus erat, dum nomine deferebat Ioannem, sed Ioannis interpretatione, scilicet *Dei gratiam* deferebat in anima. Haudquaquam Ioannes Cardinalis iste *spiritu Dei inflammatus* diceretur à Bonauentura, nisi prius verus Regulus Christi effectus, omnes nouem Ordines cœlestium Spirituum in se misticè contineret. Non possumus vllo modo flamma Seraphinorum ardere, nisi antea Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Throni, & Cherubini erimus.

Cælestis simpatia Ioā. de Columna erga Franc. legislatorē.

Quælibet prærogatiua ex tribus prædictis exprimebat in Ioanne Cardinali vnū Ordinem, seu Hierarchiam. Si enim amabat omnem sanctitatem, erat pariter de ordine Angelico, obediens præcepto Dominico. Pertinebat ad Archangelorum ordinem, satagens planè nō tantùm Christi præcepta adimplere; sed etiam consilia. Spectabat ad Virtutum ordinem, in operibus fidei mirabilis repertus. Hæc est prima, & infima Hierarchia. Si deindè in officio adiutoris Pauperum Christi gloriabatur Ioannes, plusquam in generis claritudine, in dignitate, & potentia, factus iam princeps, & potens in dominio sui ipsius, & Christi seruus, dum pauperibus Christi inseruiebat, erat consequenter altera vice Hierarchicus, scilicet in ordine Principatus ob malignantium cogitationum repressionem. In Ordine Potestatum ob imperium super oculos, coercens eos piis obtutibus, vt proximi nuditatem, & egestatem inspicerent. In Ordine Dominationum ob dominium soper linguam vt loqueretur iusta, & recta maximè circa Viduarum, & pupillorum negotia, quæ sua indigebant opera. Hæc est secunda Hierarchia.

Hierarchicus Ioannes Card. primo modo.

Hierarchicus secundo modo.

Si tandem Ioannes vir erat totus *diuino spiritu inflammatus*, igitur totus quoque erat tertia vice Hierarchicus, prout præsentabat in seipso ordines tertiæ Hierarchiæ. Nam in ordine Virtutum ardens humilitatis igne, iudicabat benè seipsum, ne in horrendum Dei iudicium incideret. In ordine Cherubinorum flagrans charitate in proximum propter Deum, plenus sapientia experiebatur. In ordine Seraphinorum *Diuino spiritu inflammatus* igne compunctionis proculdubio ardebat. Erat igitur Regulus in Dei gratia Ioannes, hos nouem ordines in se repræsentans, quibus vitam suam tripliciter Hierarchicè ordinare satagebat.

Hierarchicus tertio modo.

Quarta prærogatiua ex eodem Bonau. qua eminebat Ioannes Cardinalis de Columna, Apostolica sapientia erat, atque Euangelica eloquentia, & doctrina. Ob hanc vtique purgatis mentis luminibus introspiciens Francisci legem, nihil aliud, nisi Euangelium ipsum, ad normam vitæ Christi, & Apostolorum simplici compendio, cælitus illi inspiratō, redactum. Hinc Christiano, atque Apostolico zelo, quo eius anima in reparationem Ecclesiæ flagrabat, ab omni censura exemit eandem Francisci Legislationem, ac vt vndique Euangelicam, & proinde vt Apostolicæ approbationis dignam irrefragabili demonstrationi consistorialiter defendit.

4. Prærogatiua.

Mirabilem connexionem huius quartæ Ioannis Cardinalis prærogatiuæ cum aliis tribus præcedentibus praxis ipsa demonstrat. Expoliata, nuda, atque pauperrima erat Ioannis mens à terrenis, & transitoriis rebus. Non aliunde tanta beatitudine in paupertate spiritus fulgebat, nisi quia *omnis sanctitatis amator,* causas pauperum Christi, quorum adiutor dici, & esse gloriabatur, magis, quam suas proprias sollicitè tractabat. *Diuino spiritu inflammatus* charitate erga Deum, & proximum æstuabat, & ista omnia ex officio profiteri debere, & exequutioni demandare ab assidua Euangelii lectione (vbi princeps felicitas maximè in Principe purpurato nonnisi ex paupertate spiritus) perfectè didicerat. *Dico vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis, &c.* Matth. 6.

Cōnexio mirauda huiusce prærogatiuæ cū præcedentibus.

A similitudine Liliorum agri, quæ non laborant, neque nent, & inter quæ meritò paulò superius annouerauimus Ioannem Cardinalem nostrum, pauperculi, egeniq. Parentis nostri fautorem, & protectorem, transijt Christus immediatè (monens Discipulos, & Apostolos suos) ad personam Salomonis, eum in omni gloria sua præfatorum liliorum gloriæ inferiorem efficiens. *Salomon* (exponit Interpres noster in Dom. 5. citata) *Sapientes huius sæculi significat, qui in omni gloria sua, friuola, & transitoria, in omni scientia sua inflatiua; qui in omni eloquentia sua deceptoria non sunt cooperti,*

Qui sapientes huius sæculi, quique pauperes spiritu.

perti, ſicut vnus ex iſtis Chriſti pauperibus. Reddit rationem ſtatim, nonnullis adductis paralellis iuxta textum Euangelicum, ibi à Chriſto pronunciatum *Iſti enim* (ait, ideſt pauperes) *ſunt cooperti candore munditiæ, illi rubigine carnalis concupiſcentiæ. Iſtos paupertas, & nuditas cooperit, illos abundantia diſcooperit. Cooperti ſunt iniquitate, diſcooperti virtute*. Si fœnum quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, &c. *Fœnum dictum eo quod flammam mittit, quæ dicitur græcè Phos, & ſignificat carnales*, quod hodie, *ideſt in hac præſenti vita Deus ſic temporalibus veſtit, ideſt veſtiri permittit; & cras, ideſt in futuro in clibanum ignis ardentis mittet. Qui ex ſeipſis nutriens flammam, ſeſe comburentem*, Iſaiæ 50. 1. Machabæorum 2. & ipſemet Iſaia 9 Veſtimentum miſtum ſanguine erit in cōbuſtione, & cibus ignis. *Anima, quæ veſtimentum diuitiarum cum ſanguine carnalium voluptatum ſibi induit, æterni ignis cibus erit*.

Felix paupertas, & nuditas Apoſtolorum.

Sub coccinea, ac venerabili chlamide, murici ſanguine pupuraſcente, ac rubēte, eloquens eruditaque Ioannis noſtrique Cardinalis anima veſtiebatur candida paupertatis ſpiritus interula cum ſuo pauperculo Franciſco. Hinc non mirum, ſi eius ſapientia pro illo, & pro cunctis pauperibus Chriſti, quorum *adiutor erat*, candore mūditiæ in ſua ſinceritate eniteſcens, cum ſæculari ſapientia, inflatiua, & deceptoria, ob quam nonnulli ex confratribus in Conciſtorio legi, ac regulæ Franciſci aduerſabantur, nequaquam conuenire potuerit. Nutriebat in ſeipſo Ioannes flammam, nō carnalis concupiſcentiæ, ſed charitatis ſupremæ, ob quam *diuino ſpiritu* inflammabatur. Pauper ſpiritu, & cum pauperculo ſpiritu coopertus eminentiſſima Virtutis purpura, diſcoopertus omni iniquitate (hæc purpura, & biſſus Epulones veſtiunt, non ægenorum fautores, & adiutores) veræ ſapientiæ gloria cunctam Salomonis gloriam longè ſuperabat.

Laudatur Ioan. Card. ſapientia, eloquentia, ac doctrina.

Sic ergo Ioānes noſter *gentilitiæ* Domus ſuæ *Columnæ*, antiquiſſima coronatæ claritudine (cui & ipſe columen, & baſis) quadruplex tropheum, iuxta quadruplicē, qua fulgebat, prærogatiuam. Docet enim Magiſter meus ſuper cap. 7. 3. Regum. *Quod ad fabricam Domus ſubſtinendam conueniunt capitella, columnæ, & baſes. Capitella fuerunt Prophetæ. Columnæ Apoſtoli. Baſes ſunt Eccleſiæ Prælati, in quibus, vt dicitur 3. Regum, debent eſſe ſculpta iſta quatuor. Cherubim, Leones, Boues, & Lora*. Quid verò hæc quatuor trophæa ſignificent, ita ibidem declarat, veluti ſi Ioannis noſtri ideā ad viuum præſentaret. *In Cherubin*, ait, *ſcientia, & doctrina, & vita Angelica*. Hæc iam fulgebat in Ioanne, ſapiente, docto, omnis ſanctitatis amatore, ac tripliciter Hierarchico. *In Leonibus terror potentiæ*. Hæc Ioannes noſter, opere, & ſermone in aula potens, cunctos in Conciſtorio *diuino ſpiritu inflammatus* terruit in Regulæ noſtræ fauorem illo formidabili argumēto, quod ipſe ſolus, vt magis, ac magis firmaret Pontificis animum, atqui Euangelicam doctrinam ab ipſis calumniis ſubtraheret, aduerſariis obiecit. *In Bobus māſuetudo miſericordiæ*, qua Io. miſericors, & miſerator Pauperum Chriſti, quorum publicus erat adiutor comperta fama clarebat. *In Loris vincula diſciplinæ*, ob quam reſtrictus moraliter, ac laudabiliter circa ſua Ioannes, ſubditorū relaxationes verbo & exemplo reſtringebat. Sint ergo ſculpta, obſecro, in Baſibus (concludit Interpres, loquens de cunctis Eccleſiæ Prælatis, quibus veluti decus, & ornamentum Ioannem noſtrum præfigebat) *Scientia doctrinæ, vt doceant. Terror potentiæ, vt corripiant. Manſuetudo miſericordiæ, vt ſuſtineant. Vincula diſciplinæ, vt reſtringant*. Hactenus de Ioanne Cardinali de Columna, etſi nunquam ſatis, vt eius merita incomparabilia expoſtularent.

In Columnę Io. Cardin. quadruplex, tropnæum.

1. Trophæū.

2. Trohæum

3. Trophæū

4. Trophæū

CAPVT SECVNDVM.

Pro Quinto Euentu.

Secunda acceſſio Franciſci ad pedes Pontificis, iam ab eo diligenter, ac feſtinanter quæſiti. Qui dum à Chriſti Vicario paternè recipitur, monetur etiam, vt pro illo tam arduo negotio, ac prorſus in Eccleſia nouo, de ſua approbanda Minorum lege, orationi feruenter incumberet.

Textus Hiſtoriæ D. Bonau.

QVibus præpoſitis (*ſequitur Bonau. immediatè poſt propoſitum à Ioanne Columnenſi in Conciſtorio argumentum*) Succeſſor Apoſtoli Petri conuerſus ad Pauperem Chriſti dixit. Ora, fili, ad Chriſtum, vt ſuam nobis per te voluntatem oſtendat, qua certius cognita, tuis pijs deſiderijs ſecurius annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus totum ſe conferens ad orandum, precibus deuotis obtinuit, & quod exterius ipſe proferret, & quod interius Papa ſentiret.

Monitũ Pontif.& promptitudo Frãcisci.

Duo complectitur hic tertius euentus, alterum est de monito Christi Vicarii ad pauperem Christi Franciscum, vt orationi pro expostulatis, optatisque recurreret. Alterum est de efficacissima Francisci oratione, ac de eius orationis effectus cõsequutione. In monito illo Summus Pontifex Innocentius III. veluti tenerrimus Pater se gessit, alloquens Franciscum, ceu domesticum filium. Franciscus è regione in seipso omnes fratres, & filios suos, vel tunc Romæ sub numero duodenario simul cum ipso commorantes, vel deinceps in vniuerso Orbe futuros repræsentans, summum Pontificem, Patrem, & Pastorem Ecclesiæ venerabatur, vt filius in omnibus obedientissimus. *Honora patrem tuũ*, aiebat Christus Pharisæis, Matth. 15. Vbi Interpres noster ser.4.Dom.3.Quadrages. distinguit, veluti generale, & amphibologicum illud vocabulum, Pater. *Nota*, inquit, *triplex pater, scilicet spiritualis, pastoralis, & temporalis. Spiritualis Deus. Pastoralis Papa, vel Dominus. Corporalis ille, qui te genuit*. Et vnicuique debes exhibere honorem in gradu suo, & his, quæ ad eorum officium pertinent, & hoc, loco, & tempore; quod si subtraxeris, facis contra diuinum præceptum. Patrem Pastoralem hic Doctor noster nõ appellauit summum Pontificem, Christi Vicarium, quo nomine Latini frequentius nuncupabant, sed Papam. Fortè, vt ostenderet deriuationẽ, qua Pater quoque (quod est nomen tetertimæ, ac reciprocæ dilectionis inter genitores, & suos genitos) vniuersæ Ecclesiæ Pontifex dicitur. *Pappas* enim græcè accipitur latinè pro patre, siue pro eo, qui puerum alit.

Triplex pater.

Quid Pappas Græce.

Timidus prægustet pocula Pappas

canit Iuuenalis Satyra 6. Est enim Pappas, addit Manutius, nomen venerationis, à Syracusis tractum. Hinc *Pappas*, scilicet Auus apud Ausonios ad Nepotem suum. Hinc pariter & *pappare* in ore puerorum, qui vel minutis, vel blandiusculis verbis Patrem appellant. Iuuen.Satir.3.

Quid Pappus.

Quid pappare.

Et similis Regum pueris pappare minutum
Poscis & iratus mammæ, lallare recusas.

Vel aliquando cibum sumere, exponunt Plaut. Epi. *Nouo liberto opus est, quod pappet*. Ex pappas deniq. veluti ex venerationis, & amoris nomine deductus Papa; & ex Papa *papè*, quæ vox admirãtis interiectio est. Vnde Donatus *Pape interiectio est mira subito accipientis, habet enim in se affectum verbi*, miror, *vt Papè, quid video*. Terent. in Eun. *Papè hac superat, ipsum Thaidem*.

Ex papas papa,& ex papa, papè.

Papæ, vt Patri, summa humilitate eum adorans, ceu Christi Vicarium, ac totius Ecclesiasticæ Monarchiæ supremum Principem, diuino honore promeritum, petiebat paruulus, ac pauperculus Franciscus in sua Regula, haud substantiam panis Euangelici, sed cõfirmationem huius panis, vt solidior cibus effectus, eius vtriusque hominis cor, & omnium suorum in promittendis, & profitendis confirmaret. Multiplicem panem exhiberi nobis in sacra scriptura, sapientia huius mundi exprobante, & quæ mundo sunt stulta Apostolicis viris præcipiente, cuius secundus panis est panis conuersorum, & hic est panis doctrinæ, vltimus est panis gloriæ, & hic est electorum) docet Interpres noster serm.in Cœna Domini. Habet & gloria vana suum quoque panem. De quo est illud 3 Reg. 13. vbi *Propheta senex fefellit virum Dei, & reduxit eum secum in domum suam, & comedit panem, & bibit aquam*, & vlterius. *Occidit eum Leo in via, nec Leo læsit Asinum, stantem iuxta cadauer*. Digna certè est Interpretis nostri super hanc historiam explanatio. *Propheta senex* (inquit in Dom.6.post Pascha) *est Mundi vanitas, & carnis voluptas, quæ semper falsa prophetant. Si viderint nos tales Prophetæ mundum contemnere, & carnem affligere, statim prophetant nobis agestatem, & infirmitatem. Benè dicitur, quod Propheta senix fefellit virũ Dei; & benè vanitas Mundi dicitur propheta senex. A mundi enim principio vsque ad has sæculi fæces decipiendo durauit, & durabit. In cuius domo vir Dei deceptus comedit panem, & bibit aquam. Panis gloriæ mundanæ excellentiam significat, de qua Prou.*20 Suauis est homini panis mendacii, sed postea implebit os eius calculo. *Panis mendacij est gloria mundana, quæ se mentitur aliquid esse, cum nihil sit. Augustinus. Omne, quod fine laudendum est, pro transacto habendum*.

Multiplex panis in sacra scripť.

Cur mundi vanitas propheta senex.

Cur etiam panis suauis & mendacii.

Hæc gloria quia suauis est homini, ideo os eius implebitur calculo, idest lapide ignito pænæ æternae, quae non poterit transglutiri, nec euomi. Et bibet aquam, quae est auaritia, vel luxuria, quam qui biberit sitiet iterum. Qui hunc panem comedit, & bibit aquam, à Leone Diabulo occidetur. Et nota, quia leo non læsit asinum, nec comedit de cadauere, quia Diabolus non curat de pecunia, vel de corpore, tamen animas possit interficere. Vnde Gen. 14. Rex Sodomorum. Dã mihi animas, cætera tolle tibi. *Christus emit animam, ponendo in mortem animam suam, & ideo Diabolus totum emptorem tanto labore vult fraudare, cum animam nostram vult decipere, vel occidere*.

Accessus, ingressus, & introductio Francisci in hanc aulam Romanam ad pedes Pontificis omnimodè alienus extitit à mẽdicando, atque procurando à Papa aliquod fructulum panis gloriæ mundanæ, turpissima quasi ambitione coactus. Sed fuit solummodò pro confirmatione, approba-

Quid est lapides deserti in panes conuerti, probatione, & consolidatione illius panis, quem aliqui ex aulicis conciftorialibus omninò refutabant, proponentibus è regione eos panes, in quos tentator optauerat à Christo lapides in deserto cõuerti; suadens ipse Matt.4. Dic vt lapides isti panes fiant. *Et est sensus* (inquit Interptes noster serm.3. Dom.1. Quadrag. *fac, vt durities pœnitentiæ conuertatur in mollitiem, & suauitatem consolationis, quæ per panes in proposito designatur.* Prou. 20. & Daniel. 4. Panem desiderabilem non comedi. *Hic est panis carnalis, & mundanæ conuersationis, de qua Prou. 23.* Nec desideres de cibis eius, in quibus est panis mendacii. *Hos igitur lapides Dæmon in panes iam dictos suadet conuerti, dicendo. Homo iam satis fecisti non est bonum, vt tantum facias, quod non possis sustinere. Exemplum de Beato Francisco, cui Diabolus ita dixit. Sed proh dolor!* (subdit vbi supra in serm. Dom. 1.) *multi hodie istam vocem audiunt tentatoris, qui pœnitentiam deserentes, ad carnalem mollitiem conuertuntur.* Hæc B. Francisci primus Theologus, & Episcopus, & quidem satis aptè, dum quotquot in Aula Romana, ne duritiem Regulæ Francisci admitteret, tacitè suadebant Pontifici, vt reuerti eum relinqueret in pristinos panes, quos in mũdo gustauerat, in illius vanitatibus nutritus; semper tamen à gratia Dei præuentus, ne ab eorum dulcedine vsq. ad mortalem culpam alliceretur.

Vide hoc exemplum apud. Bonauent.

At efficacior extitit persuasio Ioannis Cardinalis, ob quam Franciscus animosus factus, videns propterea magis, ac magis erga se inclinatum Romanum Pontificem minimè destitit ab incepto negotio, quãuis alii impossibile, vt obseruaretur, existimauerint. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum.* Eccl. 15. Vbi Doctor noster Francisci imaginem valde concinnè delineans, loquensque de pane sapientiæ, & doctrinæ, serm. in Cœna Domini sic ait. *Cibauit illum, scilicet virum fidelem, virum humilem, mundi virum contemptorem, virum Dei amatorem. Talem enim cibat Deus pane vitæ, pane sapientiæ, pane gratiæ.* Et aqua sapientiæ salutaris, &c. *Designanter dicit sapientiæ salutaris, quia est quædam sapientia salutaris, quædam damnabilis, quædam mundanorum, quædam iustorum. Hanc duplicem sapientiam distinguit Greg. super illo verbo Iob.* Deridetur iusti simplicitas *lib. Moral. 10 cap. 27. Sapientia mundanorum est sapientia, plena tumiditate, plena vanitate, plena calamitate. Vnde Augustinus, Sapientes in naturis rerum, stulti facti sunt in Deo. Sapientia Iustorum est sapientia laudabilis, imitabilis, & desiderabilis, ait enim Greg. Iustorum sapientia* (mundanorum scilicet sapientiæ, & maximè Aulicorum ex diametro opposita) *nihil est per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullius iniuriam quærere, & pro veritate contumeliam pati, &c.* quam contumeliam à principio passus est Franciscus, indignanter à Pontifice expulsus. *Hæc est sapientia* (claudit Doctor noster) *plena charitate, plena societate, digna æterna fælicitate.*

Triplex panis spiritualis.

Qui panis sapientiæ mundanorum, & panis iustorum.

Istum sapientiæ Euangelicæ panem, in magnum panis mundi interitũ à Deo ipso immediatè inspiratum, ac reuelatum, à Pappos, seu à Papa paruulus Franciscus confirmari optabat; quia nec adeò nouum erat (licet renouatum, & ea tempestate prorsus nouum, quia omninò ignotum) nec adeò refugendum, & respuendum, vt nonnulli putabant. Dixi, confirmari, sed non ex eo præcipuè, quod docetur apud Bellarminum tom 2. lib. 2. de Monachis cap. 4 cui titulus, *De confirmatione Religionum.* Ibi respondens Auctor ad vnum dubium, duo pro illius solutione breui resoluit. Primum est circa id, quod in quæstione perquiritur, secundum circa occasionem condendi recentem legem Pontificiam ad confirmandas Religiones, dum antea talis lex minimè reperiebatur. Nam magni Patriarchæ (inquit idem auctor) nimirum Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus auctores Religionum fuerunt, nec vllam leguntur à Pontifice approbationem quæsiuisse; propterea quod nondũ extaret ius aliquid Ecclesiasticum, id præcipiens.

Duæ resolutiones de cõfirmatione Religionũ.

Prima resolutio Bellarmini sic se habet. In omni Religione inueniuntur duo, scilicet essentia Religionis, quæ tribus votis sita est, & determinatio illius essentiæ ad certum modum viuendi. Et quidem essentia Religionum in Euangelio fundamentũ habet. Religio enim status est hominum ad perfectionem Christianam per Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ vota, quæ in Euangelio fundantur. Modus autẽ ille varius, quo tria vota suscipi possunt, non ita perspicuè in Euangelio elucet, & non parum ex prudentia, & directione humana pendet. Quare Pontificis confirmatione indigere potest, & nunc reipsa propter ius positiuum, nouas Religiones prohibens, omninò indiget.

Duo sunt in omni Religione.

Secunda resolutio. Condendi autem noui iuris, hæc fuit occasio. Ad an. Dom. circiter 1170. pauperes de Lugduno Ordinem quemdam religiosum instituerunt; sed multis admixtis superstitionibus, & hæresibus. Quocirca à Lucio III. Alexandri III. successore, hæreseos damnati fuerunt, & secta eorum reprobata, vt scribit

Occasio noui iuris pro approb. Relig. ad an. 1170.

Abbas Vrspergēsis in Chronico anni 1212 Illi verò postmodum, idest tempore Innocentii III. Sedem Apostolicam adeuntes, diu institerunt, vt idem Auctor ait, vt reconciliarentur, & religio ipsorum confirmaretur, nec tamen impetrauerunt.

Inde igitur factum est, vt B. Franciscus, & B. Dominicus volentes similiter nouos Ordines instituere, & metuentes ne sibi accideret, quod videbant accidisse Valdensibus, noluerunt confidere suo iudicio, sed à Pontifice confirmationem petierūt, & impetrauerunt. Paulò autem post in Concilio Lateranensi generali, considerans Innocentius III. quod imminebat Ecclesiæ, si vnicuique liceret nouam Religionem excogitare, prohibuit, ne deinceps vllus nouus ordo institueretur, nimirum sine approbatione Apostolicæ Sedis, vt habemus cap. fin. de Relig. Domib. quod decretum renouauit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, vt habemus cap. vnico de Relig. Dom. in sexto. Atque hinc cæpit esse necessarium, quod antea erat liberum. Hæc Bellar. *Humana constitutio* (ait Doctor noster in serm. fer. 4. Hebdom. 3. Quadrag.) *Conciliorum, & Pontificum est seruāda, attestante Christo.* Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. *Vnde Hieronymus ad Lucinum. Traditiones Ecclesiasticæ obseruandæ sunt, vt à maioribus traditæ. Vnaquæque Prouincia suo sensu abundat, vt præcepta maiorum leges Apostolicas arbitrentur. Et certè constitutiones Ecclesiæ augent cultum diuinum, concupiscentiam carnis coercent, & ad seruanda diuina præcepta expeditiorem hominem faciunt, ac fraternam charitatem augent. Improbantur autem ea, quæ Pharisæi contra præceptum Dei inducebant, vt sunt ea, de quibus B. Bernardus ad Eugenium Traditiones humanæ hodie regnant in Ecclesia, quæ non tantum sunt leges, quantum lites, & cauillationes ad animas hominum subuertendas. Tu igitur Pastor Pastorum animarum, qua mente sustines coram te illas, &c.*

Renouatum nouum ius anno 1274.

Humanæ Cōciliorum, & Pontif. constitutiones.

Quæ humanæ traditiones nouæ.

Itaque valde salutare extitit in Ecclesia vt lex prædicta tempore Innocentii III. sanciretur circa institutionem Religionū. Quod autem docet Bellar. loquens de vario medio, qui in vniuscuiusque Religionis essentiā necessario reperitur (aliàs nulla Religio differret ab alia, si tam in votis, omnibus communissimis, quam in modo obseruandi ea conueniret) non potest habere locum in Regula S. Francisci, cuius modus, quia totus inspiratus, & reuelatus fuerat Viro Dei, perspicuè in Euangelio relucebat, vt ex supradictis liquet. *Et licet pauca quædam alia Franciscus inseruerit* (teste Bonauent. cit. capit. 3.) *quæ ad vniformem viuendi modum necessaria videbantur*, nihilominus illa pauca, vt ipsemet deinde Legislator in suo testamēto confessus est, sibi ab Altissimo inspirata, ac reuelata fuere, ac per consequens talis modus nullo modo prudentiæ, ac directioni humanæ referri poterat, vt proinde Pontificis cōfirmatione indigere potuerit ante conditum ius, licet talis confirmatio liberè peteretur.

Modus in essentia legis Seraphicæ Franc. à Deo reuelatus fuit cum ipsa essentia.

Vel dicamus, quod etsi talis modus haberet locum in priori S. Francisci Regula in quantum ampliatam, & exornatam à B. Cæsario de Spira post approbationem, quæ contingit anno 1209. quando B. Cæsarius nondum erat Frater Minor, qui modus fuit postea reformatus, addito etiam præcepto de eligendo vno de Cardinalibus in Protectorē: tamen in secunda Regula nullo modo admittendus est, quatenus indigere posset illa approbatione ante iuris conditionem.

Causa autem, ob quam incliti Patriarchæ Dominicus, & Franciscus petierint suis Ordinibus à Sede Apostolica approbationem, aut puto illam extitisse, de qua Bellarm. citatus, sed potius, & verius diuina quædam impulsio, vt illi Ordines in reparationem Ecclesiæ tempore, & excellentia essent primi, quorum Institutores, ac Legislatores ante omnes ob excelsam humilitatem contra mundi superbiam, quę maximè præcipitabat Ecclesiam, liberè à Sede Apostolica, scilicet à nullo iure coacti, in signum omnimodæ subiectionis illorum approbationem expostularent. Neque exemplum Valdēsium poterat eos ad id negotii impellere; nam in potestatē quoque Pontificis remanebat destructio suorum Ordinum etiam post Pontificiam confirmationem, quatenus similis ratio, aliaue æquiualens contingeret. Nec Valdensium Ordo remansisset, quamuis antea cum approbatione Sedis Apostolicæ fundatus esset. Igitur tenerrimè veluti Pastor, & Pater monuit Pontifex Innocentius Frāciscum Legislatorem, *vt oraret ad Christū*, &c. Sāctissimi Papæ monitum promptissima inde obedientia exequutus est humillimus, ac pauperrimus seruus & filius, nec absque ingenti cordis sui hilaritate. Totū ad orandum consertum, dum audi ex D. Bonau. humilem, pauperemque Legislatorem Franciscū, duo breuiter ex Doctore nostro aduertere, haud equidem pigebit. Primum spectat ad ipsum Franciscum in actu orandi intra Lateranensem Basilicam tunc Romani Pōtificis sedē, & cathedram. Secundum ad id spectat, quod menti orātis famuli, in Deum eleuati tunc potissimum obiiciebatur. De illo ita apud Sapientis cap. 8. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem. Quem locum sic interpretatur

Cur Dom. & Franc. petierunt eorū regulas à Sede Apost. approban.

Franc. in orandi ad Dominum.

tatur à Doctore nostro. *Homo spiritualis rediens à temporalium sollicitudine, à cogitationum inquietitudine*) quemadmodum iam ab iisdem redierat Franciscus ex sua conuersione) *intrans in domum propriæ conscientiæ, & clauso ostio quinque sensuum* (quod tunc maximè in illa peculiari oratione ita se gessit vir Dei) *conquiescit cum sapientia, diuinæ scilicet contemplationi vacans, in qua supremæ dulcedinis quietem gustat. Conuersatio Sapientum non habet amaritudinem, idest peccati delectationem. Palatum enim, quod ei affecit, nullum venenum interficit. Spirituales enim deliciæ augent desiderium, & cum magis sumuntur, auidius amantur, in quibus est lætitia, & gaudium. Beata illa domus, felix illa conscientia, quam sapor sapientiæ afficit, in qua ipsa sapientia requiescit, quæ dixit Lucæ* 19. Domus mea, domus orationis vocabitur.

Conuersatio sapientũ non habet amaritudinem

Ad hæc immediatè, complens ligamen præfatæ scripturæ Sap. 8. cum prædicta Lucæ 19. subnectit hanc valde egregiam metaphoram. *Nota, quod domus ex tribus* consistit (vti constabat Domus materialis Laterana, in qua tunc Franciscus vacabat contemplationi ex Pontificis monito) *scilicet fundamento, parietibus, & tecto.* In fundamento humilitas. Hoc in Francisco fundamentum illo vtique Lateranis Basilicæ longè profundius. *In parietibus Virtutum congeries.* Hæc in viro Dei latitudine, altitudine, ac nobilitate excellebat ad stuporem. *In tecto Charitas notatur.* Hæc in orante famulo tanto altitudine eminẽtior, quanto eius humilitas in sua profunditate eleuatior. *Vbi ista conueniunt* (sicut in Francisco conueniebant) *ibi Dominus quiescit, qui dicit,* Domus mea Domus orationis vocabitur. *Oratio dicta quasi oris ratio, & orationi sex sunt necessaria.* Hæc Doctor noster, cuius sex illa, quæ de oratione scribit, iam in paraprasi super titulis capitum regulæ, titulo 23. qui est vltimus transtulimus.

Tria in templo spirituali.

Oratio est oris ratio

Ratio oris cordis Francisci illud Deo suo exprimebat, sonans dulciter eius in illius auribus vox, quod mente suspensus contemplabatur. *Cum appropinquaret Iesus Hierusalem, videns Ciuitatem fleuit amare.* Lucæ 19. Interpres noster innumera (quorum plurima illi tempestati, quando per legislationem Francisci reparãda erat lex Christi, valde respondent) exponit super commentarium huius Historiæ in Dom. 10. post Trinit. Quæ modo breui hic adducenda sunt, ita se habent. *Dominus non flet Ciuitatem terrenam solum, sed principaliter animam. Non ruinam lapidum, sed virtutum. Nota ista duo, videns, fleuit. O anima; si videres, fleres; sed quia non vides, ideo non fles.* Dicitur Eccl. 1. Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. *Sub Sole est vanitas, super Solem veritas. Anima ergo, quæ est sub Sole per amorem temporalium, & non est supra Solem* per contemplationem supernorum, quid aliud debet facere, nisi flere, & gemere? Et benè coniunguntur vanitas, & afflictio. Vbi est vanitas felicitatis terrenæ, ibi est afflictio mortis æternæ. Sub Sole vbi falsitas, & vanitas calumniæ *Potentum contra egenos, & violenta iudicia contra pauperes. Si hæc anima misera videret, vtique fleret. Vnde Hierem. cap. 6. docet animam, qualiter seipsam defleat dicens.* Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. *Nota hic quatuor, quia in cilicio* asperitas pœnitentiæ, & abhominatio culpæ. *In cinere humilitas, & vilitas conditionis nostræ. In luctu dolor compunctionis intimæ, In planctu lachrymarum effusio. Dicit ergo Christus.* O anima, quam nimio dolore passionis parturiui, quæ ex fide filia es populi mei, idest Ecclesiæ militantis.

Non ruinam lapidũ flet Dominus, sed virtutũ.

Vanitas felicitatis temporalis cum afflictione mortis.

1 Accingere cilicio, *idest asperitate pœnitentiæ, vt caro, quæ læta duxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, & quæ prius sensit peccati delectationes, ipsius habeat abhominationem.*

Ciliciũ pœnitentiæ

2 Conspergere cinere, scilicet illius maledictionis memor. *Cinis es, & in cinerem reuerteris.* Cinis ex incendio dicitur, ex quo factus est Adam cum sua posteritate. Igne cupiditatis accensus, flatu falsæ promissionis fuit incensus, & ideo in cinerem mortis reuersus.

Cinis humilitatis, & vilitatis

3 *Luctum vnigeniti fac tibi.* Luctus dictus eo quod sit congruo cordi quasi vulnus pungens, cui sanando consolationes adhibentur. Et significat contritionem, quæ est vulnus cordis, cui debet adhiberi consolatio, vt speres de misericordia Redemptoris. Nota, quod dicit *luctum vnigeniti,* quia sicut non est dolor super dolorem mulieris, quæ solum vnigenitum, quem super omnia diligit, cum ipse moritur, perdit; sic non debet esse dolor super dolorem animæ pœnitentis, quæ cum vnicam haberet filiam, scilicet fidem, per dilectionem operantem, per mortalem peccatum ipsam perdidit. Amissa charitate fides moritur, quæ animam viuificat. *Et ideo, quia anima fidei amisisti, luctum vnigeniti fac tibi.*

Luctus doloris

4 *Planctum amarum.* Contritioni cordis debet adiungi *lachrymarum effusio cũ amaritudine, vt anima seipsam defleat,* & vnicum mortuum resuscitet, quia Dominus *fleuit super Lazarum, & super Ciuitatem Hierusalem.* Hæc Interpres.

Planctus amarus contriti cordis.

Hunc Christi fletum mente reuoluens Fran-

Franciſcus, intra Laterani Baſilicam orationi vacans, *omnem mundum poſitum eſſe in maligno* viſceroſa quadam pietate commiſerabatur. In anima Orthodoxæ Eccleſiæ, ſcilicet in illius fide, ſine qua mortua eſt Chriſtianitas, viuere cernebat vanitatẽ ſub Sole, & etiam falſitatẽ, & in his Potẽtum calumnias contra ægenos, violenta iudicia contra pauperes, ab ipſa anima in operibus impiis amplexatas. Veritatem verò, quæ & ſupra Solem, ſpretam, & diuerſimodè perſequutam intuebatur. In illa dulcedine mentis ſuæ, ad Deum per extaticam orationem ſuſpenſæ, ò quot, quantaſq. amaricationes deguſtabat piiſſima Franciſci anima, habens ante ſuos oculos illummet totum terrarum Orbem, quem deinde Orbi toto Apoſtolica prædicatione depinxit eius Epiſcopus, & Magiſter noſter Antonius de Padua in ſerm, fer. 2. Dom, 2. in Quadrag. Mundus, aìt, Multipliciter poteſt accipi, vno modo pro tota fabrica mundiali, ſecundũ quod continet quatuor elementa; *& ſecundum eſſentiam, quæ diuiditur in decem orbes*. De hoc. Ioann. 1. *Mundus per ipſum factus eſt*. Alio modo dicitur mundus vita mundana, in qua eſt terra auaritiæ, aqua luxuriæ, ignis ſuperbiæ, qui ſemper ardet ex ambitione dominandi inſuper vult aſcendere. Aer inconſtantiæ, *quia honor mundanus eſt ſicut rota, vel ſicut aer, qui omni vento agitatur, & omni tentatione.* Ibi inſuper *eſt Empireum, quaſi imperium propria voluntatis, quæ vult regnare. Ibi eſt firmamentum oſtinationis, ibi eſt firmamentum, quod vincit aquas ſuperiores, ne fluant, ideſt diuinam gratiam. Quamquam per chriſtallum poſſumus intelligere mundanam prudentiam, quæ ſtultitia eſt apud Deum, &c.* De hoc mundo Io. 1. *Et mundus eum non cognòuit.* Hunc mundũ, qui in omni hominum ſtatu Dei ſui oblitus erat, ac propterea lachrymis Dei flẽdus, cernens in illa oratione Franciſcus, flebat & ipſe amarè, ac ſimul pertimeſcebat, ne fortè Dei vindicta cum tota Eccleſia eum funditus æradicaret. Et eo vel maximè, quia oblitus omninò Creatoris ſui, cilicium pœnitentiæ, conſperſionem cineris per humilitatem, & abiectionem, luctum vnigeniti per cordis compunctionem, & contritionem ſuper omnia, planctum amarum per maximam lachrymarũ effuſionem, tanto culpabilibus ipſe contemnebat, quanto plus his indigebat, & tamen horum omnium cœca obliuione immemor in proximum excidium ſe liberè impellebat.

Mundus pro vita mundana,

Honor mundanus vt rota, & aer.

Mundus humanus in Franc. orantis mente.

At quod amplius pro his omnibus inexplicabilis luctus, amaraque lachrymarum effuſio tenerrimum Franciſci pectus impetu quodam præcipuo impellebat, id potiſſimum erat, quia ne in vanum laboraſſet vſque ad illud tempus inconſolabiliter angebatur. Ipſe iam ſimilitudine Chriſti ſui in redemptionem Mundi pro Mundi reparatione accinxerat ſe, ſuæ aſperrimæ pœnitentiæ accinctus cilicio in abominationem culpæ, quam generaliter diligebat mundus. Iam conſperſerat ſe exteriori, & interiori cinere humilitatis, & vilitatis conditionis humanæ contra communem maledictionem, quæ generi humano iterum imminebat. Iam aſſumpſerat luctum vnigeniti, & planctum amarum, ne in luctum, & planctum æternum abiret Mundus; & nihilominus Mundus eum non cognoſcebat, dum in aula Pontificis adhuc ſuæ approbatio Regulæ anceps, & indubia fluctuabat. Quia tamen ſub aſperrimo illo cilicio, conſperſus cinere, repletus luctu, amariſque effuſus lachrymis cum magna humilitate magnum quoque ſeruabat animum, iam ad ardua, à Deo ordinata inuictus, in illa oratione perſeuerans, vicit tandem Deum ſuum, à quo quidquid poſtulauerat, pleniſſimè conſequutus eſt.

Qualis Franciſcus in illa oratione flens ſuper Echeſ. ruina.

Precibus deuotis obtinuit (ait Seraphi-textus) *& quod exterius ipſe proferret, & quod interius Papa ſentiret.* Vnde Doctor noſter in laudem Domus orationis ſpiritualis Franciſci, intra Domum materialem Laterani clauſæ meritò exclamat loco citato Domin. 10. *Felix illa domus, & beata illa apotheca, in qua reponuntur iſta ſex* (ſunt iſta ſex, quæ nos diximus in titulo vigeſimotertio cap. Regulæ citatę) *ex quibus procedit pura, & vera oratio, vſque ad aures Dei aſcendens, & omne quod quærit impetrat.* Hanc domum ſpiritualem Franciſci, coopertam cilicio, conſperſam cinere vidiſſe in actu orandi Innocentium veluti fortiter appoſitam reparationi Baſilicæ Lateranenſis, ex ſubſcripto Euentu patebit.

Felix Domus orationis Franciſci.

†

C A-

CAPVT TERTIVM

Pro sexto Euentu.

Visio obstupenda Innocentij Papæ, Franciscum cernentis intra Lateranensem Basilicam orantem, eamque ruina proximam, humili dorso, ne rueret, magnanimiter sustinentem.

Textus Historiæ D. Bonau.

SEd & visionem, quam tunc temporis Cælo perceperat (Pontifex Innocentius) in hoc viro fore complendam spiritu diuino suggerente firmauit. Videbat namque in somnis, vt retulit, Lateranensem Basilicam fore proximam iam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus, & despectus proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Verè, inquit, hic est ille, qui opere, & doctrina Christi sustentabit Ecclesiam.

Refert Bonau. hanc visionem in cap. 3. Legendæ, ex qua sumpserunt eam Breuiaria, Romanum, & Franciscanum, & ipse ex vtroque superius ad finem cap. 3.

Tépore huius visionis Franc. in Lateran. Basil. pernoctabat

Tempus illud, quod tangit Bonauent. spectatque ad istam visionem, videtur referri ad ipsum Franciscum, contemplationi in Basilica Lateranensi vacantem ex mādato Pontificis, antequam ipsi Pōtifici responsum daret, & lepidam illam parabolam diceret, quam in sequenti Euentu idcircò ponemus. Nam etsi post enarratam parabolam prædictam visionem scripserit Bonau. ex modo tamen loquēdi per anticipationem illam parabolam præcessisse haud obscurè colligitur. Itaque pernoctans in oratione Dei Franciscus, vti ipsi imposuerat Christi Vicarius, aperti sunt Cæli illa eadem nocte super ipsum Christi Vicarium. Amaro fletu, cilicio indutus, conspersus cinere, luctum vnigeniti faciens, rogabat Franciscus, ne in maiorem ruinā Romana abiret Ecclesia. Dum quod rogando obtinere sperabat, vidit statim Pontifex eandem Romanam Ecclesiam, in Lateranensi Basilica, vbi orabat Dei famulus, qui propè Lateranū ad Hospitale D. Antonii, vt ait Bonauent. solebat diuersari, præfiguratam, ab eius paupertate, & nuditate, in qua eius Regula approbanda, & firmanda erat, ne omninò laberetur, sustentandam.

Felix illa domus, & beata illa apotheca (iam paulò ante meritò exclamauit Interpres noster) *in qua reperiuntur illa sex, scilicet odor internæ deuotionis, delectatio tribulationis externæ, lachryma compunctionis, mortificatio carnis, vita munditia, eleemosina, &c.* In illa felici domo Francisci intra Laterani Basilicam, cuius interitus Christiani Orbis interitum præmonstrabat, erat Mundus ille spiritualis, quem veluti basim mundi humani posuit Interpres noster immediatè post eum loco cit. propè finem Euentus præteriti. *Alio modo*, ait, *dicitur mundus vita spiritualis, in qua debet esse Empireum quasi imperium libertatis, quæ subditur peccato, ne trahatur ad seruitutem firmamentorum diuinorum beneficiorum. Christallinum intelligentiæ, & prudentia, non mundanæ, sed diuinæ. Septem planetæ, idest vniuersitas studiosæ occupationis. Terra constantiæ. Ignis charitatis. Aqua gratiæ, vel lachrymarum, vel deuotionis. Aer deuotæ orationis, qua nutritur Charitas. Calor scilicet, qui est in corde dilectio Dei, & proximi. Illum mundum innuit Saluatór, cum dicit. Ego autem non sum de hoc mundo. Igitur de alio, scilicet de spirituali vita. De hac dicebat se esse, & de mundo negabat.* Hæc Interpres. Mundus spiritualis Francisci de hoc Christi mundo erat, & vt talis ad similitudinem Christi, qui in Templo huius mundi positus, mundum Ecclesiæ Catholicæ fundauit, inerat in Templo Lateranensi pro reparando eodem Ecclesiæ mundo, ruinæ iam proximo.

Mundus spiritualis in Franc.

Eleemosyna deinde, in illa Francisci oratione reperta, multo itidem assimilabatur eleemosynæ Christi, qui in totius Ecclesiæ, spiritali ægestate multum compressæ subuentionem, ne humanum genus extrema fame periret, seipsum obtulit *Panem vitæ*, in fornace charitatis porrectum. Nec panem solum obtulit, sed etiam vinū, scilicet proprium sanguinem. Ita pariter & Franciscus in ea oratione pro Christianæ Reipublicæ reparatione totum suum esse, duobus minutis constitutum, totam vitam propriam; & suorum, in summa, ac voluntaria ægestate temporaliter cum ipso positorum Apostolica incensus charitate lætus obtulit. *Visitans speciem tuam non peccabis*, Iob. 5. Vbi Interpres noster Dom. in Septuag. *Species tua est alter homo, quem eleemosina tam spirituali, quam corporali debes visitare, & sic non peccabis.* Hæc suggerebat, inculcabatque menti Fracisci, ad Deum orantis Spiritus Sanctus. Ab eleemosina corporali incepit Dei clementia ipsum disponere ad totius Ecclesiæ Christianæ reparationem; omnemq. eleemosinam spiritualem, cuius vi mundum sustinere debebat, à se elargiendam, ostendere.

Eleemosinarius totius Eccles. Franciscus.

Duplex eleemosina.

dere. Vide Bonauent. in cap. 1. vitæ Francisci vt infra in cap. vltimo lib. 7. vbi de prærogatiuis primæ legis Minorum.

Hæc eleemosina per suam Regulam toti mundo elargienda erat, veluti quidam ager Euangelicus, in pauco loco cōclusus, & ingenti thesauro, omnimodam superans ægestatem, locuples. *Quasi effodientes thesaurum gaudent vehementer,* Iob 4. & Doctor noster ibidem. *In hoc agro fodiunt, & inueniunt simplices doctrinam, tribulati patientiam, desperati misericordiam, contemplatiui sapientiam.* Sed aduertenda accurata Doctoris nostri allocutio, qua *Apothecam* orantem Francisci animam, (ex illis rebus ditissimam appellauit. Quid est Apotheca? Apotheca dicitur statio, in qua res venales exponuntur, ac veluti in penu omne exculentum, poculentumque reperitur. Est etiam Apotheca *cella vinaria,* vbi vinum conseruatur, & venditur. Vnde Plautus. *Tantum pecuniarum detinent vini apotheca.*

Domus orationis apotheca.

In mistica Apotheca orationis Francisci *Panis vitalis* sui ipsius, expositus iam pro totius Ecclesiæ beneficio, reperiebatur. Illudque abundans vinum ibi erat, quod in Dei Apotheca copiosè biberat, iam cælitus introductus, cum proposito nunquam illic exeundi, in eius *cella vinaria*, ex qua ordinauit Christus ipsi illāmet charitatem, quam *maiorem nemo habet, nisi qui animam suam ponit pro amicis suis*. Frigescente tunc temporis non solū multorum, sed penè cunctorum charitate, in totius Christiani Orbis Apotheca illud vinum prodiga manu in vitreis, aureisque crateribus ministrabant Satanæ, ac sensualitati, caro, & sanguis, de quo Prouerb. 23. *Non intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè, & in nouissimo mordebit, vt coluber.* Vinum in vitro solet esse publicum signum in Apothecis, seu Tabernis, vbi copiosè bibitur, & homines eo ibi inebriantur.

Vinū flauēs, & in vitro resplendens quid.

Interpres noster in hoc textu acutè perpendit naturam vitri, & simul naturam vini, ibi humanam vitam, hic humanum gaudium constituens. Vnde vtrumque sic declarat serm. Dom. 2. post Epiphaniā. *Nota, quod vitrum vile est in materia, fragile in substantia, gloriosum in splendore. Vitrum est caro hominis, quæ vilis est in materia, quia de fætido humore procreata. Fragilis substantia, quia* quasi flos egreditur, & conteritur, Prou. 89. *Gloriosa in splendore mundanæ pulchritudinis, de qua Prou.* 31. Fallax gratia, & vana est pulchritudo. *In hoc ergo vitro si splenduerit vinum mundi, scilicet gaudium, non intuearis. Idest cum arriserit tibi mundi prosperitas, carnis voluptas, non in ea delecteris.* Ingreditur enim blande, sed in nouissimo mordet vt coluber. *Hoc dicit Dominus Lucæ 6.* Veh vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis, &c. *Mundi gaudium æterni luctus est seminarium. Et sicut Regulus venena diffundit. Hic vinum, ibi venenum, quod Diabolus diffundet in animas damnatorum. Heu quam amara erit hac potio bibentibus illam, qui prius hic* inebriati fuerunt de poculo aureo magnæ meretricis, cum qua fornicati sunt Reges terræ.

Vitrū caro hominis, &c

Mundi gaudium æterni luctus seminarium

Aduersus hoc vinum, quo variè ea tempestate inebriabantur Christinni ex omni statu, eo quod ingens meretricis magnæ Apotheca, omnibus patefacta, valdè illo abundabat, aliud vinum necessarium erat, illud scilicet, quod ad id remedii sine oleo esse non poterat. Samaritanus ille, qui apud Lucam 18. officium sumpserat curādorum vulnerum hominis cuiusdam, à latronibus sauciati, atque spoliati, & semiuiui relicti inter Hierusalem, & Hiericum, postquam Sacerdos, & Leuita nihil de illius miseria curātes, inde transierint. *Colligauit vulnera illius, fundens vinum, & oleum.* In ista cura vinum sine oleo non fuit, nec oleum sine vino, nec vulnerati hominis sanitas sine vtroque. In re spirituali vterque hic liquor in Apotheca Spiritus Sancti vtique perquirendus. Ponamus ad ipsius intellectum Doctoris nostri interpretationem ex Dom. 13. post Trinit. *Samaritanus, qui interpretatur custos, Sancti Spiritus gratiam significat, de qua Iob 29. &c.* Homo ab Hierusalem in Hierico descendens, & in latrones incidens, animā, quæ exiens à secreto gratiæ per culpam, incidensque in latrones, scilicet in sensus corporis, qui antea veluti pueri, ac serui fideles purè, ac fideliter omninò administrabant, ita conquæritur. *Heu infelix! cum ab Hierusalem descendi, à secreto exij, pueri mei facti sunt latrones mihi, qui me spoliant, & vulnerant. Sed Sanctus Spiritus, qui orat, idest orare facit gemitibus innumerabilibus, qui est Pater pauperum, dator munerum, lumen cordium, quod animæ vulneratæ faciat, audiamus.* Alligauit vulnera eius, infundens vinum, & oleum. *In oleo, quod illuminat, peccati significatur cognitio. In vino, quod inebriat, vt temporalium obliuiscatur. Ebrietas enim lachrymas prouocat.*

Vinū, & oleum mistice.

Latrones animarū corporis sensus.

S. Spiritus officium in curandis animabus.

Huius olei, & vini tanto extremior erat penuria in Ecclesia, quando Deus alto suæ prouidentiæ, & pietatis consilio misit Franciscum in mundum, vt repararet mūdum per ipsum, quanto effusior, superfluensque erat peccatoris olei, impinguētis capita omnium, vinique meretricis magnæ abundantia, inter Hierusalem, & Hierico tota fermè christianitate semiuiua relicta. In *Apotheca* orantis Francisci cum oleo

In apotheca orantis Frā abundabat oleū, & vin

oleo Spiritus Sancti cognitio sui ipsius, ob quam inter cunctos peccatores maximum peccatorem se cognoscebat, & cognitio criminum, quibus veluti in quodam diluuio subiacebat mundus, clarissima, ac perfectissima erat. Cum hoc oleo vinum potentissimum charitatis adeò excessiuæ per viscera eius diffundebatur, vt totus in flentem ebrietatem se transformarit. Sic ebrius ex diuini amoris vino, *precibus deuotis obtinuit, & quod exterius ipse proferret, & quod interius Papa sentiret.*

Fran. Athleta vnctus oleo sustinet Lateranum.

Hinc vnctus quoque ex tunc eo Spiritus Sancti oleo, & in ipsa vnctione amplius firmatus velut nouus Athleta, cum hoste tartareo, ac mundi Principe luctaturus, & in illa spiritalis vini ebrietate animosior, ac potentior effectus, talem vidit eum in somnis Pontifex, qualis & luctans cum Satana, & inebriatus charitate in Ecclesiæ reparationem ob latam ab ipso legem, & Regulam esse debebat, dum Lateranensi Basilicæ tergora opponentem, ne rueret, eum conspexit.

Neque sub alia forma intuitus est Fräciscum Romanus Pontifex nocte illa, nisi sub ea, qua antecedenti die ad suos pedes ipsum inspexerat. *Videbat namque*, ait supra Bonauent. *in somnis, vt retuli, Lateranensem Basilicam fore proximam iam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus, & despectus proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat.* Paupertas, modicitas, & despectio veluti nouum quendam Atlätem, vt ingentem Ecclesiæ Romanæ Mundum posset sustinere, ac portare, ne in præcipitium abiret, reddidere Franciscū. Hunc ipsummet *Atlantem* sub aliis terminis in persona Ioseph, Viri Mariæ Matris Dei depingit Doctor noster serm. Dom. infra oct. Natiu. *Ioseph accrescens*, inquit, *interpretatur. Cum miser homo affluit delicijs, se dilatat in diuitijs, tunc decrescit, quia libertatem amisit. Solicitudo enim diuitiarum eum afficit, quibus deficit à se, & in se decrescit. Infelix omnis, qui minor est eo, quod habet. Tunc enim minor est, cum se rei, & non rem sibi supponit. Hæc seruilis suppositio tunc apertius cognoscitur, quando quod cum amore possidetur, cum dolore amittitur; ipse enim dolor magna seruitus est. Quid plura? nusquam verò libertas, nisi in voluntaria Paupertate. Hæc est Ioseph, qui accrescens. Vnde dicit ille Gen. 41.* Crescere me fecit Dominus in terra paupertatis meæ. *In terra*, inquit, *Paupertatis, non abundantiæ. In illa datur crescere, in ista decrescere, 2. Reg. 3.* dicitur, quod Dauid erat proficiens, & semper in seipso robustior, Domus autem Saul decrescens quotidie. *Dauid, inquam, qui dicit Psal. 62.* Ego autem mendicus sum, & pauper. *Quasi lux resplendens proficit & seipso robustior fit.* Quia Paupertas læta, & voluntaria robur tribuit. Vnde Isaia 25. Spiritus robustorum, *idest Pauperum*, quasi turbo impellens, *parietem scilicet diuitiarum. Diuitiæ verò dissoluunt. Delitiæ vacuant.*

Fran. nouus Atlas Eccl. ob sui paupertatē, &c.

Infelix omnis, qui minor efficitur in accretione temporalium.

Franc. eo robustior, quo pauper

Atlantem Ecclesiæ Christianæ in suis initiis *Ioseph virum Mariæ* dicimus. Ecclesiæ Hebrææ Iacobum, & Dauidem. Ita pariter ac Ecclesiæ Romanæ Franciscum, *qui robustior factus in sua voluntaria, ac læta Paupertate*, robustissimo spiritu ipse inter omnes fortissimos Dei famulos Ecclesiam, in proximo ab ira Dei dissoluendam, sustinuit, ne vlterius eius ruina progrederetur. *Qui portant Orbem* cum eorum Legislatore Fratres Minores *curuantur*, quia cum eodem debent esse *Pauperes, modici, ac despecti*. Hisce tribus, nempe Paupertate, Modicitate, & Despectione, haud sanguis, & carnis sapientia, sed prudentia Christi constitutis, iterum in Francisco percutiendus erat à Christo antiquus hostis in Ecclesiæ reparatione, quem prostrauit ipsemet Christus in Ecclesiæ fundatione.

Prudentia Franc. prudentiæ Christi simillima

Prudentia ipsius percussit superbum, Iob 26. Vbi Interpres noster. *Prudentia, non virtute percussus est antiquus hostis, quia dum audacter inuasit Christum, in quo nihil competebat sibi iure hominum, quem quasi iustè tenebat, amisit.* Amisit hominem, quem fermè iustè tenebat Diabolus, quia non vi mundanæ sapientiæ, sed virtute christianæ, & Apostolicæ prudētiæ ab ipso Christo paupere, modico, & despecto percussus. Pari modo reliquit Ecclesiam idem Diabolus, ne scilicet in maiorem ruinam ipsam impelleret (licet aliquo iure ob immensa crimina eam detineret) vbi ipsi Eccles. Deus Franciscum singulari paupertate, modicitate, & despectione affectum, apposuit. Sustinens ergo Legislator noster Lateranensem Ecclesiam, erat ipse nomine Fräciscus, volūtaria electione Pauper. Erat Apostolus maxima humilitate, & *Modicus* erat. Erat Euangelizator, vilipendio sui ipsius & Mundi, Mundo & sibi ipsi *Despectus*. Quidquid nomine ipse erat, his tripliciter demonstrabatur in re, quod erat vir magnus, Paupertate hilaris. Modicitate expeditus. Despectione magnanimus.

Arcana nominis Franc. in 2. cap. Hierarchiæ tō. I

At cuncta hæc, & similia in eo pro vniuersali Ecclesiæ Dei iuuamine, & leuamine, ex sua profectò lectissima Paupertate, ob quam modicus, & despectus reddebatur; & in ipsa modicitate *Virgo mundissimus*, & in ipsa despectione egregia, heroicaque *Obedientia* inclitus. His humeris sustinebat Ecclesiam post ipsius reparationem, quia eius tria vota, quæ in Regula scripserat, speciali quadam eminentia respectu aliorum Ordinum excellere debe-

Vota Fratrū Minorū sustinent Eccl.

debebant. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo; & florebit quasi Lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans.* Isaiæ 35. Digna admodum est Doctoris nostri interpretatio super hunc textum, & valde ad nostrum propositum correspondens. *In qualibet Religione.* (ait ser. Dom. 2. Aduent.) *tria sunt omninò obseruanda, scilicet*

Quæ, & quomodo obseruanda in qualibet Religione

1 *Paupertas*		*Lætabitur deserta*
2 *Castitas*	ibi	*Florebit quasi Lilium*
3 *Obedientia*		*Germināns germinabit*

De primo habet, quod quilibet Religiosus, qui veram Paupertatem vult habere, oportet eum tria facere.

1 *Omni exteriori substantia renunciare.*

2 *Oportet voluntatem aliquid habendi de cætero non habere.*

3 *Ipsius paupertatis necessitatem patienter tolerare.*

In paupertate religiosa tria debent esse

Hæc tria in his verbis, *deserta, inuia, & solitudo,* notantur. Vita cuiuslibet Religiosi debet esse *Deserta*, idest omnis exterioris substantiæ abrenunciatione. *Inuia*, idest sine via, vt nullum vestigium aliquid habendi in ipsius remaneat voluntate. De his duobus Isaiæ 32. *Erit desertum in Chermel, & Chermel in saltum, &c.* Chermel interpretatur cognitio circūcisionis. Desertum ergo, idest Religio, erit in *Chermel* circumcisionis quoad substantiæ renunciationem, & substantiæ circumcisionem. *In saltum* quoad non habendi voluntatem. Quicumque ab his duobus vinculis est ereptus, benè potest lætari, & cantare: *Anima mea erepta est de laqueo venantium. Lætabitur deserta, & inuia.* Sed oportet adiungere tertium, vt scilicet sciat Religiosus esurire, & sitire, & penuriam pati, & sic erit *solitudo*, quæ tunc *exultabit*, cum hæc, & his similia patienter sustinebit. Hæc ille.

Paupertatis circumcisio.

Vt autem melius intelligatur hæc generalis Magistri nostri doctrina in ordine ad Fratrum Minorum paupertatem, audiendus D. Bonau. in cap. 1. Regulæ super illa verba, *Sine proprio*, vbi hæc subnectit per modum commentarii. [*Et hoc etiam habet* gradus. Nam secundum aliqua iura Clericis habere proprium nō licebat. Sunt adhuc bona ecclesiastica non propria, sed communia, idest communi vtilitati vinctium deputata; sed quia etiam præter hæc licebat Clericis regularibus habere propria peculiaria, patet, quod altior est status Monachorum quoad hoc, quibus non licet habere proprium vllo modo personale, sed tantum in communi. Sed quia in bonis communibus est periculum, sicut in propriis, vt patet ex auaritiis, & aliis malis, effluentiæ terrenæ frequenter annexis, tam Religiosorum, quàm sæculariū Clericorum, ille status est sincerior, & periculis diuitiarum remotior, qui non habet affluentiam propriam, vel communem, mobilem, vel immobilem; vt non sit ei ex diuitiis materia superbiendi, vel occasio lasciuiendi, *vel auaritiæ incentiuū.*] Crescit enim amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. [*Nihil igitur habet proprium* Ordo Minorum Fratrum, nec aliqua ipsius Ordinis persona; sed vti serui Christi, & seruiles pro Christo effecti, qui pro nobis formam serui accepit, in domibus viuunt alienis; illum imitantes, qui nullum habuit titulum domicilii, vbi caput suum sanctissimum reclinaret. Et propter ipsum vtuntur librorum, & aliarum vtilitatum vtensilibus, quæ iuris sunt alieni. Nam Christus alieno vescebatur cibo, vt dicit *Hieronymus ad Nepotianum.*] Vnde Gregorius IX. &c. Vide cætera ibi, & adde hæc alia ex fine illius commentarii. [*Cum ergo in aliis Religionibus* bona sic sint cōmunia personis, quod tamen sunt propria communitati, & sicut distinguuntur Ecclesiæ, ita & possessiones Ecclesiarum; ita Ecclesia, quæ est Fratrum Minorum communitas nihil potest sibi vendicare per modum possessionis, vel dominii, communitatis suæ proprium, mobile, vel immobile in hoc Mundo. Posset quidem æstimari, quod in Breuiariis Ordo haberet ius dominii, quia nominatim in sequenti rubrica conceduntur, nisi sexta rubrica omnis rei, nulla excepta, dominium ab *Ordine excluderet manifestè.*] Hæc Bonauentura.

Gradus in virtute paupertatis.

1. Gradus in Clericis.

2. in Monachis, & hic altior illo.

3. in Ordine Minorū eminentior.

Vsus tantum rerum Minoribus concessus.

Pergens insuper Doctor noster ad *Votum Castitatis*, amore cuius adeo altam, ac peculiarem *Paupertatem* professus est cum omni suo Ordine Franciscus, cunctamq; modicitatis, & despectionis amplecti studuit mortificationem, ponit aliam particulam textus Isaiæ præfati, quæ fuit. *Et florebit quasi Lilium.* Lilium peculiarissimū Doctoris nostri *stemma*, seu insigne est ratione suæ immaculatæ castitatis, & virginitatis. Ob hanc euasit & ipse validior in hostes Ecclesię cum propriæ vitæ discrimine, effectus iam firmissima Ecclesiæ Romanæ Columna, addita Francisci mūdissimi, vallatis Liliis, humeris, quibus vt pauper, & modicus, & despectus reparationem, & sustentationem Laterani, scilicet Romanæ Ecclesiæ incredibili animo, ac fortitudine cum illo, & aliis sociis in toto Orbe prosequeretur: Illo Christi anno auspicacissimo 1220. Religionis verò 11. eandem Francisci Paupertatem, Modicitatem, Despectionemque magnanimiter eligens. Quæ autem de suo Lilio in gratiam Castitatis religisè breui adiecit, hæc sunt. *Lilium dictum, quasi lacteum.*

Lilia castitatis Antonii de Pad. stemma.

Candorem castitatis significat. Vnde Thren. 4 Nazarei eius candidiorés niue, nitidiores lacte.

Discrimen castitatis aliorum cum castitate Minorum.

Discrimen attamen ponendum inter Castitatem, cunctis ordinibus communissimam, & Castitatē, Minoribus Fratribus peculiarissimam. Fatetur Bonau. loco cit. in paragrapho sequenti immediatè, vbi hæc in principio iuxta aliud votū textus Regulæ, quod est de Castitate. [*Sequitur*, ait, in Castitate, *cuius obseruantia* etsi in omnibus Religiosis, & Clericis, intra sacros existentibus est posita, tamen altior disciplina isti Ordini est imposita, quam alicui aliorum. Cum hic præceptoriè interdicatur Fratribus omne suspectum cōsortium, & ne ingrediantur interiores officinas Monialium, nec etiam loca earum publica, nisi ex speciali causa maturitate debita præexistente, missarum ad talia personarum consequentia *amplius declarabunt, &c.*]

Denique loquens Doctor noster de *Obedientia* super tertiam particulam. *Germinans germinabit, exultabit lætabunda, & laudans*: Subdit hæc alia valde egregia, & mirabili arte posita, & quò breuia, eò plurimis arcanis conferta. *Nota*, inquit, *quod vera obedientia in se habet quinque, quæ in his quinque verbis designantur. Vera obedientia est humilis, deuota, festina, iucunda, & perseuerans. Humilis in corde, hæc est* germinans. *Germen est initium floris, sic humilitas initium omnis bonæ actionis. Deuota in voce, hæc* germinabit. *Ex humilitate enim cordis procedit deuotio vocis. Festina in iussione, ideo* exultabit. Exultauit, *inquit Psal.* 181. vt Gigas ad currendam viam. *Iucunda in tribulatione, hæc est* lætabunda. *Perseuerans in præcepti adimpletione, & tunc erit* laudans, *quia in fine omnis laus canitur.* His dictis, statim repetens argumentum principale de Deserto Religionis, quod super illud argumentum Matth. 11. *Quid existis in desertum videre?* &c. constituerat; hac apostrophe vniuersos Religiosos alloquitur. *O Religiosi tale debet esse vestræ Religionis desertum, ad quod de Mundi vanitate existis incolendum. Vnde vobis dicit Dominus.* Quid existis in desertum videre, arundinē vento agitatam? *Arundo dicta quasi aura ducta, vel quasi arida. Nota, quod arundo radicem habet in luto, in quo gula, & luxuria. Vacua interius, pulchra exterius, in quo hypocrisis, & vanagloria. A vento Mundi agitata; In quo mentis instabilitas designatur. Infelix, & maledictum illud claustrum, in quo talis arbor plantatur, & concrescit.* Ad radicem cuius securis iam posita est, vt excidatur, & in ignem mittatur, Quid existis videre hominem mollibus vestitum.

Quinque veræ obedientiæ prærogatiuæ

Mouitum D. Ant. ad omnes religiosos sui temporis.

Dicitur, quod Ioannes habebat vestimentū de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca eius locustæ, & mel siluestre. *Videte, obsecro, si nostri temporis Religiosi his vestimentis induuntur, his cibis pascuntur.* Ecce qui mollibus vestiuntur, in domo Regum sunt. *Non dico Religio, sed Dæmonum legio fecit de deserto palatium, de claustro Castellum, de solitudine Curiam regalem: Religiosus, & Miles de eodem panno partiuntur sibi vestimentum. Sed si B. Ioannes, subdit,* prænunciatus ab Angelo, sanctificatus in vtero, laudatus in Domino, *inter natos mulierum, &c.* tanta fuit vsus asperitate, quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, reprobandi à Domino (nisi misericordia affuerit) quid debemus facere? Quanta afflictione, quanta asperitate nos affligere? *In deserto ergo pœnitentiæ sit vilitas habitus, asperitas victus, vt verè possimus vocari Religiosi, idest relegati ab omni voluptate carnali, &c.* Hactenus Doctor noster, qui in postremis illis duobus verbis, *Relegati ab omni voluptate carnali*, relegationem Francisci ab hac eadem voluptate per Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam pandit, quatenus vt pauper, & modicus, & despectus Lateranensem Basilicam valuit per se, & per suum Ordinem reparare, ac sustinere.

In victu, & vestitu proponit eis exemplū Io. Baptistæ.

Habitus in deserto religionis qualis

Excellentiam deinde obedientiæ Fratrū Minorum demonstrat Bonau. Ibidem in paragrapho 2. vbi doctè enucleat gradus obedientiæ inter Clericos, Monachos, & Fratres Minores, concluditque. *Vnde patet, quod errant, qui dicunt, quod in omnibus Religionibus Obedientia sit æqualis.* In paragrapho vltimo illius comment. super cap. 1. Regulæ pandit singulas circumstātias voti Obedientiæ, à Francisco Romano Pontifici effecti. *Sequitur*, ait, *de obedientiali eiusdem status ordinatione, per quam reducitur tota Religio ad Hierarchiam Ecclesiæ principalem. Pro quo dicit.*

Qam præcipuum obedientiæ votum Fratrū Min.

1 *Frater Franciscus.* Hoc Sancti nomen fuit aduentitium, cum Ioannes nomine proprio, in regeneratione imposito diceretur primò à Matre.

2 *Promittit obedientiam.* Etsi totus Clerus, & Religiosorum vniuersitas teneatur firmiter Apostolico Domino obedire, tamen Sanctus huic debito votum adiecit speciale, sciens, voto superuenire, & fortificari sacri ordinis vinculum, & meritū geminari.

Debito obedīētiæ Pont. adiunxit speciale votum Franc.

3 *Et Reuerentiam.* Est autem reuerentia exhibitio honoris, procedens à timore filiali. Vnde Sapiens Eccl. 32. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Quia reuerentia humilitatis est actus Fratris Minoris. *Vnde Fratres Minores* sicut humilitatis profundissimę Professores debent inter omnes summè reuereri Summū Ponti-

Adiunxit & reuerentiam

Pontificem & alios, pro gradu suo in Ecclesiasticis officiis constitutos.

4 *Domino Papæ Honorio, ac successoribus canonicè intrantibus*. Hoc est, qui succedunt non facto tantum, sed iure secundũ formam canonum sublimati.

Dispositio inferiorum ad superiores est catena aurea.

5 *Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius successoribus obedire*. Vt catenę aureæ vncinis mediis disponuntur, sic inferiores à supremo vertice per gradus medios deducantur. *Hic est enim motus rectus mentium diuinarum, vt Sanctus docet Dionysius. Et sic Schala Iacob ascendentibus, & descendentibus adornatur. Genes. 28. Sic ascensu purpureo filiæ Hierusalem pergunt in reclinatorium Salomonis.*

Qua veste indutus Frã. Lateranum sustinens.

Vestis illa, sub qua visus est Franciscus à Summo Pontifice, Lateranæ Ecclesiæ, ne caderet, innixus, non poterat esse, nisi ea, ob quam eius Paupertas, Modicitas, & Despectio à seipso primo exemplariter susceperunt, & per seipsum, & per suos Fratres necessariæ erant, prout adhuc necessariæ sunt ad idem munus reparandæ, sustinendæque Ecclesiæ. Non desunt tamen ex Recentioribus, qui asperrimam Frãcisci, & suorum Minorum vestem, veluti hodie aduersus hæreticos ineptam adiudicent. Sed de hac re in Francisco, suæ Regulæ reformatore.

Tripliciter ergo fortis, & robustus Franciscus Laterenæ Basilicæ innixus, sicuti tripliciter humilis, Paupertate, Modicitate, & Despectione. Primo modò in eadem Paupertate, vnde omnis in eo despectio, & modicitas tripliciter Atlas. Fatetur Interpres noster serm. cit. in Domin. infra oct. Natiu. Vbi tria pondera, quorũ quodlibet totius vniuersi pondus, molemque longè superat, humeros suos ad portandum supponere *Paupertatem*, scribit. Dicit namque, quod *Paupertas Dei filium ipsum Iesum portat in humeris, cum pro amore ipsius omne, quod ei accidit, patienter supportat*. Item docet. *Paupertas portat pondus diei, & æstus, grossis, & asperis pascitur*. Item super Gen. 49. *Isachar*, ait, *qui interpretatur merces, significat Paupertatem, quæ omnia temporalia abijcit, vt mercedem æternitatis recipere possit*. Hæc merces æterna æternum gloriæ pondus vocatur à D. Paulo. Primum paupertatis pondus ferebat Frãciscus corde, & exemplo. Secundum vitæ asperitate. Tertium Fide, Spe, & Charitate. Sic triplex, & verus Atlas effectus, congruit quidem, vt ipsum cadenti Ecclesiæ supponeret Deus, paupertate, modicitate, & despectione robustum. *Mulierem fortem quis inueniet? Gustauit, & vidit quoniam bona est negotiatio eius*. Prou. 31. Hic cum singulari fortitudine, quæ difficulter inuenitur, & negotiatio cum gustu, & inspectione simul coniuncta. Quare? Respondit Interpres serm. 2. Dom. 2. Quadr. *Gustauit, & vidit Mulier fortis, idest Anima. Tunc enim gustat, cum dulcedine cælestis gloriæ sentit sano palato, pro cuius amore regnum Mundi, & ornatum sæculi contempsit. Et sic processu temporis oculo illuminata rationis videt, & intelligit, quod bona est negotiatio eius, vendere scilicet omnia quæ habet, & dare pauperibus; vt nudus nudum sequatur Iesum. Et hoc est, quod dicit Iob 2.* Pellem pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua. *Pellem scilicet pompæ sæcularis pro pelle gloriæ cælestis, id est corpus istud pelliceũ, & mortale dabit carnifici, & tortori, & exponet gladio tyrannidis, & mortalitatis pro pelle gloriosa corporis immortalis*. Nota, subdit, quod pellis quanto abluitur, tanto magis extenuatur, & deturpatur. *Sic corpus nostrum quanto magis delicatè nutritur, tanto magis perdit vires, senescit, & rugatur, &c.*

Franc. tripliciter Atlas Ecclesiæ.

Mulier fortis pro anima, quę sano palato gustat, & illuminata mente videt.

Pellis misticè corpus mortale.

Negotiationem sæcularem mutans in negotiationem spiritualem per paupertatem, modicitatem, & despectionem Franciscus, adeò fortis eius anima effecta est, & gustans, & videns, quod bona est negotiatio eius, vt ad sustinendam, reparandamque tripliciter Ecclesiam, ipse solus aptissimus inuentus sit.

CAPVT QVARTVM

Pro septimo Euentu.

Tertia accessio Francisci ad pedes Pontificis post peractam ad Deum orationẽ, quam ille sibi mandauerat. Cuius parabolicum responsum cum sua explicatione veluti Dei oraculum accipit Christi Vicarius, ac curia eius tota.

Textus Historiæ D. Bonau.

NAm cum parabolam de diuite Rege, cum muliere formosa & paupere contrahente gratanter, & de prole suscepta, præferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de Mensa ipsius, sicut à Deo acceperat, retulisset, & illius interpretationem subiunxit. Non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij, & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus Sancti virtutem de Paupere Matre nati,

Paupertas Mater Minorum, & Regis Christi

natis, & ipsi per spiritum Paupertatis sunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex Cœlorum imitatoribus suis Regnum promittit æternum, quanto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis, & malis? Hanc ergo parabolam, & intellectum ipsius Christi Vicarius cũ diligenter audisset, miratus est valdè, & indubitanter Christum locutum in homine recognouit. *Hæc Bonau.*

Christus sine parabolis non loquebatur.

Sapientibus, & insipientibus loquebatur Christus in parabolis, & sine parabolis non loquebatur. Semper tamen in quolibet allocutionis genere, *vt ait Sapiens*, (inquit Doctor noster serm. Dom. in Passione, & nos supra ad finem cap. 1. lib. 1 tetigimus) *Christi doctrina lignum est vitæ his, qui apprehendunt eam, & qui tenuerit eã beatus.* Probat istud argumentum illa Christi responsione, qua ad quemdam Legisperitum, tentantem ipsum, vt diceret sibi, quid faciendo, vt vitam æternam possideret, ita dixit. *Hoc fac, & viues*, Lucæ 10. scilicet. *Dilige Dominum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum, vt scriptum est in lege. Volens autem scire* idem Legisperitus, atque *iustificare seipsum, dixit ad Iesum, & quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus dixit. Homo quidam, &c.* Itaq. statim post illa verba, hoc fac, & viues, vbi denuo ad aliud responsum accessit Christus, parabolicè loquutus ev. *Sicut ergo lignum vitæ*, concludit interpres, *præseruabat à morte; sic doctrina Christi à morte scilicet secunda, &c.*

Christi doctrinæ lignũ vitæ.

Christus locutus per eã parabolã in Franc.

Doctrina Christi proculdubio fuit illa, quam os Francisci digna, ac lepida parabola (Christo in ipso loquente) Vicarii Christi intelligentiam vitaliter penetrauit, illuminauitque; & omnis perplexitatis, dubiique excussit vmbram, quæ adhuc opponebatur, ne vitale Regulæ suę lignũ, ac lumen ad reparandum excidium, ad quod adeò miserabiliter impellebatur Ecclesia, approbaretur. Dicat igitur Seraphicus historicus. *Hanc ergo parabolam, & intellectum ipsius Christi Vicarius cum diligẽter audisset, miratus est valde, & indubitanter Christum locutum in homine recognouit.* In Doctrina illa parabolica, simplici, ac bono verbo ab ore Francisci eructata, nõ erat nisi doctrina Christi, vnde poterat tunc sibi illud vsurpare, quod Christus ipse apud Ioannem cap. 7. testatus est, dicens. *Doctrina mea non est mea, &c.* Explicat hunc locum Interpres noster in serm. fer. 3. Hebdom. 4. & ita acutè more scholastico distinguit. *Dupliciter*, ait, *quis loquitur secundum quod dupliciter ducitur in consuetudinem. Vno modo ab alio, & hoc tripliciter. Vel per inspirationem, & sic est à Deo eius doctrina. Quia Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. Vel per doctrinam, sicut addiscit Discipulus à Magistro. Vel per inuestigationem, quæ fit quando intellectus non quidem à se, sed ex rerum ducitur natura in ipsarum cognitionem. Quicumque sic loquitur, vera dicit, si eius doctrina vera est, quia veritas est conformitas rei ad intellectum. Alio modo à se, & tunc vniuersaliter falsum dicit, & talis gloriam propriam quærit, & rapitur in errorem. Ier. 24.* Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Ezechiel. 13. Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.

Quid est loqui aliquem dupliciter,

Qui a se loquitur, errat

Item in serm. fer. 5. Hebdom. 1. hæc habet idem Doctor noster. *Scriptura diuina, quæ, teste Augustino de doctrina Christiana, vtitur magis in sua significatione proprietatibus rerum, quam in verbis. Dummodo consonam proprietatem accipiat, à voce significationis non curat dissonare. Exemplum patet in multis. Nam quia per cor, siue per affectum ad animã ingreditur spirituale nutrimentum, idcirco Vocat frequenter ipsum os, vt Psal.* Os iusti meditabitur sapientiam. *& alibi.* Aperi os tuum, & adimplebo illud. *Eo quod hæc dilatatio fit ad formam vasis, quod profundatione, & distentione fit capacius. Hæc distentio est bonæ vitæ continuatio. Hæc profunditas est humilitas.*

Scripturę diuinæ proprietas plus in rebus, quam in verbis.

Extensio vasis mistícè est bonæ vitę cõtinuatio. Profunditas verò humilitas

Bonæ, optimęq; Frãcisci vitæ extẽsio, ac dilatatio tãto profundiori humilitate in illa oratione exinaniuit semetipsam, quanto Viri Sancti petitio ad effectum approbationis illius arduissimæ legis extendebatur, ob quam eius Paupertas altissimum fundamentum Ordini Minorum proiicere debebat. Igitur vbi os eius meditabatur sapientiam, apertum est mirabiliter. Nam à Sancto Spiritu Christi doctrina adimpletum, quidquid parabolicè enunciauit Christi Vicario de Paupertate, amplius in sua significatione proprietatibus rerum exprimendarum, quam in verbis consonum apparuit cum non modica Romani Pontificis admiratione.

Hinc Euangelicæ meritum Paupertatis, à se, & à suis eminentiori quodam modo profitendæ, rudi, ac simplici, puraque, & humillima locutione exprimens Summo Pontifici, commendauit ex tribus. Primò ex sua admiranda formositate, ob quam digna erat cum Rege Regum Christo desponsari. Secundò ex susceptæ prolis per Spiritus Sancti virtutem excellentia, Regis imaginem præferentis. Tertiò ex magnifica mensa, numquam defectura, sibi, & Regi suo Sponso communi, &c. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera*

Ex tribus cõmendauit Franc. paupertatẽ Pontifici.

vbera matris meæ, Cant. 8. Quæ hic profert Interpres noster, eide Francisci parabolæ haud parũ correspondent, sunt enim hæc. *Tres hic personæ ponuntur, Mater, Soror, & Frater. Mater est Pœnitentia, quæ duo habet vbera, scilicet: dolorem, & contritionem. Soror est Paupertas. Frater est spiritus humilitatis. Dicit ergo Soror, idest ipsa Paupertas.* Quis mihi det te fratrem meum, *spiritum humilitatis, vt cum auiditate sugas vbera matris meæ. Qui habet sponsam, sponsus est. Beatus ille pauper, qui ducit in sponsam sibi humilitatem.* Christus Rex Sponsus effectus Paupertatis, duxit etiam in sponsam suam lectissimam Humilitatem. Tum cum priori sponsa, tum etiam cum posteriori factus vna caro, & vna res, in illa pauper, in hac humilis fuit; & quos edidit ex vtraque filios, & hæredes, & pauperes simul, & humiles extiterunt.

Mater Pœnitentia duo habet vbera

Hi filii, & hæredes à Christo spiritualiter ex Matre Paupertate, & Humilitate geniti, præferunt Regis Christi, ac genitoris imaginem. Quarta Domini apparitio post Resurrectionem contingit, cum duo ex eius Discipulis irent in Emmaus. Quod ita interpretatur Doctor noster serm. in die sancto Paschæ. *Quartò apparuit Discipulis, euntibus in Emmaus. Emmaus interpretatur desiderium* consilii, *illius scilicet, quod consulit Dominus dicens.* Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, &c. *Duo Discipuli significant duo præcepta charitatis Dei scilicet amorem, & proximi. Habenti ergo charitatem, & desideranti Christi paupertatem apparet Dominus.*

Pauperes Euangelii cũ imagine Christi, a quo regenerati.

Sub eadem peregrini forma apparuit Christus duobus præfatis Discipulis, sub qua erãt illi, qui in Emmaus iter arripuerant. Sicut enim in habente charitatem (scilicet Dei amore, in quo vis transformandi amatum in amantem, & è conuersò insita est) forma, & imago Dei est, veluti in filio, genito ab ipso Deo, qui adeò coniunctus est charitati, vt sit ipsa charitas: ita pariter in optante paupertatem, quæ Christi sponsa est, eadem imago, & forma proculdubio inuenitur. Vide ergo quanta sit Virtutis Paupertatis excellentia, ac fœcunditas, quæ nondum possessa, sed tantum optata, vim habeat gignendi nos, ab ipso Christo fœcunda effecta, & in Christi similitudinem nostram eleuare vilitatem.

Vide quanta sit virtutis paupertatis excellentia.

Nutritio, & educatio paupertatis, Reginæ iam per coniũctionem ad Christum factæ, erit de ipsius Regis sui, & sponsi mensa, in qua & eius filii, & hæredes nutriuntur etiam, & educantur. Imò & ipsa Paupertas erit Christi sponsa ad generationem prolium, & Christi mensa ad taliũ prolium nutritionem. Describens Interpres noster in persona Diuitis Epulonis opulentiæ, & prosperitatis mensam, & è regione aliam mensam paupertatis, quam vocat mensam Domini, hæc habet serm. 1. Dom. 1. post Trinit. *Mensa huius Diuitis prosperitatem significat, cuius quatuor sunt pedes. Diuitiæ, honores, voluptates, & sanitas corporis. De hac 1. Corinth* 10. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. *Mensa Domini fuit Paupertas, cui ipse cum Apostolis suis participauit. Mensa Dæmoniorum est prosperitas sæcularium, de qua Psal. 68.* Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, in retributionem, & in scandalum. *Prosperitas fit sæcularibus, & carnalibus in laqueum peccati, in retributionem Dei, qui retribuit eis mala in Inferno pro bonis sæculi, & in scandalum proximi. Micæ de hac mensa cadentes, sunt immundæ cogitationes, variæ solicitudines, diuisæ, & diuersæ occupationes. His infelix anima cupit saturari, sed non potest. Vnde Thren. 1.* Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandã animam. *Pretiosa quæque sunt virtutes, quas carnales vendunt pro cibo, idest carnis delectatione, quæ non satiat, sed aliquantulum videtur animam refocillare.*

Quatuor pedes mensæ prosperitatis mundanæ

Paupertas Christi, & Apostolorũ mensa.

Micæ de mensa diuitum mistice

Non est formidandum, quod fame pereat in mensa paupertatis eius filii, sed benè illi, qui in mensa prosperitatis abundè aluntur. Famis ingens, & communis erat, spiritualis, non corporalis in tota Ecclesia, quando ad eam reparandam missus est à Deo Franciscus, vt supra tetigimus. Id quoque possumus modò confirmare ex eodem Interprete nostro super illud 4 Reg. 6. & 7. Banadab Rex Syriæ obsidebat Samariam, factaque est fames magna, &c. *Ecclesia, vel anima,* inquit, *à Diabolo obsidetur; paulatim refectio gratiæ subtrahitur, qua subtracta, fames magna, idest ardens desiderium temporalium fit in Ecclesia; de qua fame Gen. 40.* In vniuerso Orbe fames præualuit, & tunc filii Iacob descenderunt in Aegyptum, vt emerent sibi frumentum.

Ecclesia à Diabulo obsessa, & à reflectione gratiæ subtracta.

Quia peccatis nostris exigentibus refectio gratiæ subtracta est Mundo. Omnes famescunt temporalia, *non animæ, sed corporis refectiones, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua in Aegypto quærentes.* In tantum fames iam præualuit, quod caput Asini venundaretur 80. argenteis. *Octoginta argenteis significant duplicem stolam, quæ octo beatitudinibus constat, quam in octaua resurrectionis sumus recepturi. Corpus claritatem, agilitatem, subtilitatem, & immortalitatem. Anima sapientiam, latitiam, concordiam, inter carnem scilicet, & spiritum, & amicitiam ad Deum, & proximũ habebit. Istos argenteos dant infelices peccatores, vt emant caput Asini, idest stoliditatem asininam, idest huius mundi sapientiam, quæ est*

80. argentei quid significent,

Colũbæ sũt viri sancti.

est stultitia apud Deum. Et quarta pars cadi stercoris columbarum pro quinque argenteis. *Cadus græcè, mensura latinè*. *Columba sunt viri sancti, qui ad fenestras suas volant, stercora sunt temporalia, quinque argentei sunt quinque virtutes, quæ per quinque libros Moysi designantur*. In Genesi, *in quo omnium generatio describitur, Innocentia baptismalis, quia secundum nouum hominem regeneramur*. In Exodo, *in quo filiorum Israel exitus de Aegypto, pietas Religionis, qua de Mundo egredimur*. In Leuitico, *in quo sacrificia offeruntur, mentis deuotio, & carnis afflictio*. In Numeris, in quo populus numeratur, *criminum confessio, in qua omnia peccata enumerantur*. In Deuteronomio *Dei, & proximi dilectio, quæ est lex Euangelica, in qua pendent lex, & Propheta*. *Istos quinque argenteos dant miseri peccatores, & emunt stercus columbinum. Ecce quam grauis est famis inedia*. Hæc Interpres noster in serm. Dom. 7. post Trinit.

Quinque librorũ Moysi significatio.

Paupertatis Euangelii mensa aduersus mensam prosperitatis à Franc. parata.

Aduersus hanc famem, inædiamque, adeo in mensa prosperitatis mundanæ, quæ dum nutritur in croceis, amplexatur stercora, & hæc comedit; in toto Christiano Orbe tunc temporis abundantem paupertatis Christi sponsæ mensa, & Christo, & suis Apostolis communis omninò necessaria erat; sed à pauperrimo Francisco pauperi Christo persimili renouanda, ac paranda. *Est Ciuitas parua, & parui in ea viri. Venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit Vrbem per sapientiam suam*, Eccles. 9. Iuxta duplicem sensum, allegoricum scilicet, & moralem explicat loco cit. hunc textum Interpres noster.

De priori ita scribit. *Ciuitas* est Ecclesia, quæ dicitur parua respectu malorum, qui multiplicati sunt super numerum bonorum, *quia peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus*. *Pauci viri in ea*, idest virtuosi. In Ecclesia multæ sunt fœminæ, idest molles, & effœminati. *O viri ad vos clamito* Prou. 8. Sapientia ad viros, non ad fœminas clamat, quia sapor internæ dulcedinis illum afficit, quem virtute strenuum, prouidentia circumspectum viderit. *Sed pauci in ea viri*, omnes enim sunt quasi fœminæ. In pretiositate vestium, in lauticiis ciborum, in lasciuia feruientium in Edificiis domorum, in phaleris equorum aperrè ostenditur, vtrũ sint fœminæ, aut viri. *Mulieres dominatæ sunt populi mei* Isaia 3. Ecce quales Apostoli, quibus Dominus Ecclesiam suam regendam commisit.

Viri fœminæ qui in Ecclesia.

Diabolus Rex super omnes filios superbiæ.

Rex magnus est Diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiæ Iob 4. Qui hæreticorum munitione, & falsorum Christianorum obsidet Ecclesiam, *in qua sunt pauci viri. Sed nolite timere pusillus grex* istam obsidionem, *quia faciet Dominus cum tentatione prouentum*, vt possitis sustinere. *Inuentus est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit eam*. Vir pauper est Christus. Vir secundum diuinitatem. Pauper secundum humanitatem. Et vide quam benè concordant singula singulis. *Iste dicitur vir*, & illi viri, iste pauper, & illi pauci. Sapiens contra astutiam Diaboli liberauit Vrbem à vallo hæreticorum, & munitione carnalium. Et sic per sapientiam suam destruit omnem munitionem. Sed valdè dolendum quod sequitur, *& nullus recordatus est hominis illius pauperis*. Imò quod peius est, dicunt ei illud Iob 2. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Et (quod his deterius) ipsum negantes clamant. *Tu videris. Nolumus hunc, sed Barrabbam*. Hic est Diabolus, qui propter seditionem, quam fecit in Cælo, missus est in Infernum. Istum latronem sibi dari expetent, & Dei filium, qui eos liberauit, crucifigunt. Hactenus Doctor noster de sensu allegotico.

Christus vir pauper, & sapiens.

Ex quo clarè deducitur proportio inter Christum pauperem, modicum, & despectum, liberantem Ciuitatem Ecclesiæ, &c. & Franciscum similiter pauperculum, modicum, & despectum, reparantem eandem Ecclesiam, & à Diabolica obsidione per hanc reparationem iterum eam subtrahentem. Vir factus in fortitudine diuinitatis, sibi per gratiam præcipuam existentis. *Pauper* in renunciatione omnium rerum temporalium, quæ innumeros viros fœminas efficiunt. *Et solus pauper*, & cum eo in eadem paupertate *pauci viri Apostolici*, sicut cũ Christo paupere pauci Apostoli. Et cum Christo paupere ab aulicis spretus veluti pauperculus, modicus, & despectus. Quamobrem, vt talis visus à Christi Vicario in Lateranensi Basilicæ sustentatione, & vt talis ab eo auditus *in parabola de paupertate* (dum hanc ostendit esse sponsam, & Reginam de mensa Regis, & numquam posse fame perire cum suis filiis) annuit quoque, quod contra obsidionem famis spiritualis, de qua paulò ante, nonnisi paupertas Christi, ab eo, & à suis professa, debebat Ciuitatem Ecclesiæ liberare.

Eius cum Franc. proportio.

Res temporales viros efficiunt fœminas.

Paupertas Christi in Franc. ad Eccles. reparationem.

Explicat deinde eodem modo, & ordine idem Interpres noster præfatum textũ Eccles. iuxta sensum moralem. Pro illa Vrbe, à Rege Magno, qui est carnalis appetitus obsessa, intelligit animam, paruã effectam, ac derelictam ab omnibus sensibus, & affectibus, qui corporis voluptatem ad habitandum descenderunt. Quod postea

postea statim concludit, id est. *Veniat vir pauper, idest Sancti Spiritus gratia, quæ dicitur pauper, quia cum pauperibus spiritualiter habitat, & cum simplicibus sermocinatio eius, liberet attritam obsidione animam. Sed valde dolendum est, quod sequitur*, & nullus deinceps recordatus est illius pauperis. *Vnde Gen. dicitur, quod prosperis successibus* oblitus est pincerna Regis interpretis sui. *Continuus successus temporalium æternæ damnationis manifestum est indicium.* Hæc Doctor noster.

Aduentus gratiæ Spiritus S. in anima Franc. & suorum qualis finis.

Aduentus gratiæ Spiritus Sancti in Francisco paupere, ac duodecim eius Apostolicis viris non fuit tantum pro liberanda ab obsidione, & à fame per Euangelicam paupertatem animam suam, & suorũ, sed innumeras quoque in vniuerso Orbe animas, idolatras, barbaras, hebraicas, hæreticas, schismaticas, & ex Christianis quamplurimas, quæ cum collabẽte Ecclesia in dies ad perditionem festinabant. Nullus in Aula Romana recordatus est pauperculi Francisci, & suorum, nisi solus *Ioannes Cardinalis*, vt diximus; qui tamen non potuit omninò aliorum vincere oppositionem, & animos quietare. Tandem recordatus est Deus in oratione Francisci, quem eodem tempore ceu verũ Athletam Ecclesiæ demonstrauit suo Vicario; posuitque in ore Francisci os suum pro explicatione parabolæ, vt omni obstaculo superato, approbationem Regulæ obtineret, & ad opus liberandæ Ecclesiæ ab obsidione illius tam magnæ famis, in qua quotidie illa peribat, se accingeret; proponens ei lectissimam Christi, & Apostolorum paupertatis mensam.

Os Franc. os Dei.

Mensam, inquam, illam, ob quam monuerat suos Christus Matth. 6. *Dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plusquam vestimentum? Respicite volatilia Cæli, &c. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, &c.* vsque ad finem illius capituli, vbi ditissimæ paupertatis Euangelicæ apparatus, & pompa, in cuius mensa, quæ est de mensa Regis Christi sui sponsi, numquam eius proles fame peribunt. Pulchra valde sunt, digna, & egregia, quę Doctor noster explicat super hoc Euangelio, quod legit Ecclesia in Dominica 15 post Trinit. distinguens ea in tria puncta, aiensque. Hic ponuntur tria notabilia. Volatilia, Lilia, Fœnum. Dicit ergo, *ne solliciti sitis*, quia hoc est diuitiis seruire, *animæ*, idest animalitati *vestræ*, cui hæc sunt necessaria; scilicet victus, & vestitus. Vbi Glossa. In sudore vultus tui operatur panis, sed labor exercendus est, sollicitudo tollenda, quæ mentem perturbat, dum

Paupertatis mensæ pompa, & apparatus.

Sollicitudo tollenda à paupertatis euangelicæ professorib. non autem labor.

timet, ne aut possessa dispereant, aut elaborata non contingant. *Nonne anima plus est, quam esca?* Anima hic ponitur pro vita, quæ cibo sustentatur, ac si diceret. Qui dedit maiora, idest vitam, & corpus, dabit & minora, idest victum, & vestes. In his promissis veritatis, nemò dubitet, sit homo, quod debet esse, mox ei addentur omnia, propter quem sunt facta. Sollicitudo mentem perturbat, perturbatam distrahit, distractam diuidit, diuisam Diabolus rapit, & sic animam interficit.

Sollicitudinis mala apud Christi pauperes.

Respicite volatilia Cæli, quoniã non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater noster cælestis pascit ea. Volatilia sunt Sancti, pennã contemplationis in aere suspensi, qui ita à Mundo sunt remoti, vt iam in terris nihil agant, nihil laborent, sed sola contemplatione iam in Cælis degant. Et post nonnulla alia subdit contra eos, qui in destructionem paupertatis spiritus, serunt, metunt, congregant. Nota, inquit, ista tria. Primò, *serere*, secundò, *metere*, tertiò *congregare*. Dicit Iob 4. *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos.* Qui sunt hi, nisi diuites spiritu, scilicet affectu malorũ, etsi exterius professione, apparentia, habitu, parsimonia victus pauperrimi videntur. Dolorem seminat (subdit Interpres) qui peruersè agit. Metit, qui eis prosperatur. De hoc Oseæ 10. *Arastis impietatem, in iniquitate messuistis, comedistis frugem mendacij. Impietatem arat*, qui in corde machinatur. *In iniquitate metit*, qui exequitur opere, quod machinatus fuit in corde. *Frugem mendacij comedit*, qui corde perpetrari malitię executionem prætendit, & de impietate impunitatem sibi promittit. *Arat* Diabolus in sua suggestione. *Metit* Caro in delectatione. Spiritus *comedit*, cum ratio sensualitati consensit: *Et eos flante Deo periisse, &c.* Vide ibi. Et sequentia in Paupertatis mensa perpende.

Diuites spiritu qui.

Moralis malorum agricultura

O stulti, & cœci, quos excœcauit stercus hirundinum, mammona Dæmonum. *Respicite volatilia Cæli.* Cælestia contemplantia. *Quoniam non serunt* impietatem. *Ideo Pater cælestis pascit ea*, compunctione lachrymarum, amaritudine gemituum, desiderio æternorum, idest *pascit ea*, dum eis imprimit *Paupertatem, & Humilitatem* Incarnationis suæ, dolores suæ passionis, gaudium Resurrectionis. *Pascit ea* dulcedine contemplationis, & cælestis visionis suauitate.

Felix mensa paupertatis hisce: Ferculis locuplex

Quis autem vestrum cogitans potest adijcere, &c. Superius de esca, hic de vestimẽto. Illi ergo veram tegendi corporis reliquiste, qui illud ad hanc mensuram fecit peruenire. Exhortationem de indumento

satis

satis congruè confirmat exemplo.

Considerate, inquit, *Lilia agri*, *&c.* Ibi Gloss. Quæ purpura Reguni, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Item color dicitur operimentum florum, sicut dicimus operuit istum rubor. *Salomon*, qui præ aliis floruit in omni gloria, *non fuit coopertus sicut vnus ex istis* floribus. Non enim potuit se cooperire niueo colore, quemadmodum cooperitur Lilium, vel roseo sicut Rosa, & sic de aliis. Moraliter.

Tria sunt in liliis, & quid moraliter

In Liliis tria sunt, scilicet medicina, candor, odor. Primò. Medicina est in radice. Candor, & odor in flore; & significant pœnitentes, *spiritu Pauperes*, membra sua cum vitiis, & concupiscentiis crucifigētes. Qui habent humilitatem in corde reprimentem tumorem superbiæ, Candorem castitatis, & sanctimoniæ, odorem, bonæ famæ: Isti dicuntur Lilia agri, non deserti, non horti.

Quare lilia agri, non deserti, nō horti.

In agro duo notantur, soliditas sanctitatis, & perfectio charitatis. Ager est Mundus, in quo florem permanere, quam difficile, tam gloriosum. Florent in deserto Eremitæ, qui ab humana cauent frequentia. Florent in horto clauso claustrales, quibus humana cauet custodia. Sed gloriosius est pœnitenti florere in agro, idest in Mundo, vbi facilè perit gemina gratia floris, scilicet spes bonæ conuersationis, & odor bonæ opinionis. Vnde se esse florem campi Christus gloriatur Cant. 2. dicens. *Ego flos campi, & Lilium conuallium.* Sic & B. Maria eius Mater, quæ in Mundo florem non perdidit, potest gloriari, cum tamen nec reclusa, nec Monialis fuerit, gloriosius reputans florere in Mundo, quā in horto, vel deserto, licet, vt dicit Augustinus, hoc tentare periculosius sit; posse tamen, felicius. In agro enim, vel campo certamina solent fieri, & in Mundo est pugna continua, quam ingerunt, Carò, Mundus, Dæmonia, in qua soliditas est necessaria, quæ omnibus periculis debet permanere inconcussa. Quicumque ad certamen in campum vult exire, prius experiatur posse, an in tam crudeli agone valeat consistere. Melius est in horto, vel deserto florere, quam in agro marcescere. Longe melius illic stare, quam hic succumbere. In eo etiam, quod *Lilia agri* dicuntur, perfectio charitatis ostenditur, nam se exponunt quasi cuilibet carpere volenti.

Gloriosius est florere in Mundo, sed est & periculosius.

Melius florere in claustro.

Quæ deinde sequuntur in textu illo Euāgelico de Liliis, de Salomonis gloria, & de fœno iuxta Doctoris nostri interpretationem, posita sunt in Euentu superiori, vbi speciatim de Ioanne Cardinali de Columna. Conclusio, & finis illius concionis, rediens ad caput. *Nolite ergo solliciti esse*, post explicatum in laudem Paupertatis Euangelicæ, de qua parabolicè locutus est Franciscus, misticum sensum volatilium, ac liliorum, ita se habet. Notetur hic Glossa si vis. *Sollicitudo similem facit gentili, idest infideli. Scit enim pater, qui bonis filijs viscera non claudit. Dum patrem audis, ne dubites. Dat enim, nisi infelicitas nostra hoc auertat.* Idem fermè concludit sub aliis verbis Franciscus. *Non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij*, &c. Et Doctor noster Dom. 2. post Trinit. ex Philosopho. *Non puto pauperem, cui quātumcumque superest, satis est.* Et Domin. 16. post Trinit. *Sis contentus eo quod iustè habes. Magnæ enim diuitiæ sunt lauta Paupertas, & sibi sufficere potest, quod habet.*

Conclus. Antonii cōclusioni parabolæ Francisci respondens

Euentus Octauus.

Admiratio, deuotio, ac dilectio singularissima Romani Pontificis erga Franciscum, & consodales suos. Legis Minorum approbatio, Francisco & xij. Discipulis suis viua vocis oraculo effecta.

Textus Historiæ D. Bonau.

Verè, inquit, hic est ille, qui opere, & doctrina Christi sustentabit Ecclesiam. Inde præcipua deuotione repletus, petitioni eius se per omnia inclinauit, ac Christi famulum speciali semper amore dilexit. Proindè postulata concessit, & adhuc concedere plura promisit. Approbauit Regulam. Dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & Laicis Fratribus, &c.

Ruenti Lateranæ Basilicæ humerorum Francisci appositionem, quā viderat nocte illa antecedenti in somnis Christi Vicarius, apta idem mox interpretatione (cælitus tandem eius mente à verbis Francisci in totum illustrata) retulit in totius Ecclesiæ sustentationem, ab illo pauperculo, modico, ac despecto viro, eiusq. sequacibus, opere, & doctrina iamiā complendā. Ea visio statui Ecclesiæ illius temporis respondit. Interpretatio deinde Pontificis vtrique conformis extitit. Hinc Doctor noster, qui fermè eodem tempore floruit, nam annis quinque antequam Franciscus obiret, Ordinem Minorum professus est, & multa cum eo *os ad os* contulit (à quo & primus in sacra Theologia Professor, & lector patentibus literis, propria manu datis

Idem Pont. interpretatus est eam visionem

Eo penè tēpore floruit D. Antonius.

datis in ordine institutus) hæc inter quã plurima alia prædicauit, & scripsit de statu Ecclesiæ super illa verba Christi ad Petrũ. *Dixit ad Simonem. Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam*, Lucæ 5. Quæ verba ita pulchrè ipse interpretatur in ser. Dom. 5. post Trinit. Dicitur Simoni, idest cuilibet Episcopo. *Duc in altum*. Et statim post dicitur suffraganeis, *laxate retia vestra in capturam*. Nisi Ecclesiæ nauis ducatur in altitudinem sanctæ conuersationis à Præsule, Sacerdotes retia in capturam non laxant, sed victimas in profundum declinant. Vnde Oseæ 5. *Audite hæc Sacerdotes, quia vobiscum est iudicium, quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum subter Tabor, & victimas declinasti in profundum*.

Quid est du ci in altum nauē Ecclesiæ in capturam piscium

Nota ista tria, Laqueus, Rete, Declinastis. In quibus mihi negligentia, auaritia, gula, & luxuria Sacerdotum notantur. Negligentia ibi, *laqueus facti estis speculationi*. Sacerdotes sunt dati ad speculãdum, sed eorum negligentia subditi incidunt in laqueum Diaboli. Auaritia ibi, *sicut rete expansum subter Tabor*. In Monte Tabor transfiguratus est Christus, & interpretatur lumen veniens, & significat altare, in quo fit transfiguratio, idest *Transactio de specie panis, & vini in corpus Christi, & sanguinem*. Per quod Sacramentum venit lumen in animas fidelium. In hoc Monte Tabor Sacerdotes nostri temporis, & (vt verius dicam) Mercatores *expandunt rete sua auaritiæ* ad congregationem pecuniæ. Celebrant enim Missas propter denarios, quos si recepturos non crederent, minimè Missam celebrarent. *Et sic Sacramentum salutis vertunt in limum cupiditatis*.

Negligentia Sacerdotum

Auaritia.

Sacram. Eucharistiæ.

Lucrum pro missis illicitum quod.

Gula, & luxuria ibi, *Declinastis victimas in profundum*. Victimæ sunt oblationes fidelium, quas in profundum (quod dicitur procul à fundo, idest gula, & luxuria) declinant. Victima dicta eo quod ictu percussa cadat. Oblationes enim fidelium, quos excoriant, eorum iumenta, pulli, & focariæ filii impinguantur. Præceptum fuit in lege. Deuter. 23. vt *manser*, idest de scorto natus, *non ingrederetur in Templum Domini*. Et ecce filii meretricum uon solũ ingrediuntur, sed & bona domus Domini comedunt. Hæc Interpres. Ista Ecclesiasticorum scelera causa erant, atque excitamenta, potentissima vtiq. ad aliorũ scelerum sæcularium, per quæ debaccantes hæreses, diræ tyrannides Principum, Regum, Cæsarum, bella, oppressiones, depopulationes in excidium Ecclesiæ sub validissimo Satanæ ductu irreparabiliter irruerent.

Gula, & luxuria.

Hæc scelera excidium Ecclesiæ moliuntur

At veluti iureiurando coram aulicis omnibus testatus est Christi Vicarius de Francisco, & suis sequacibus (vix eo Lateranam Ecclesiam humeris sustinente in somnis prospecto, & coram se genuflexo, ac parabolicè sermocinante.) *Hic verè est ille, qui opere, ac doctrina, &c.* Dixit prius opere, postea doctrina, vt similem Ecclesiæ reparatione efficeret Christo, qui fundans Ecclesiam, prius cæpit facere, & postea docere. Quique post fundatam Ecclesiam, & post Resurrectionem suam potens opere, & sermone vocatus fuit à duobus Discipulis, Luca, & Cleofa, euntibus in Emmaus, & cũ ipsomet Christo, licet ab eis haud tunc cognito loquentibus. Iob 31. librum Sacræ Scripturæ in humero portare fatetur, eoque circumdari veluti coruna, ibidem testatur. Sic enim explicat Interpres noster Dom. 14. post Trinitatē. *Librum in humero portare, est Sacram Scripturam operando perficere. Prius autem describitur in humero portari, & post sicut corona circumdari, quia sacri eloquij mandata si benè portantur in opere, postmodum nobis victoriæ coronam exhibent in retributione*. Portans in opere Legem, & Regulam suam Euangelicam Franciscus, valuit humeris suis Lateranensem Ecclesiam sustinere, atque coronam victoriæ adipisci de Pontifice, atque aliis aulicis, sibi aduersis. Istã deinde portationem confirmans Pontifex respectu Ecclesiæ vniuersæ, eam opere, & doctina per eandem Euangelicam Regulam, ab ipso Francisco, & à suis sequacibus perenniter profitendam, atque obseruandam, exequutioni fore demandãdam, publicè confessus est; *Verè hic est ille, &c.* Et in rei veritate aperuisse Fratres Minores omnem viam exemplis, & verbis, ad cunctas disciplinas in commune Ecclesiæ leuamen, pro comperto asserendum, sicut demonstratum est in tom. 2. Hierarchiæ nostræ propè finem, vbi de ordine Cherubico, atque Seraphico, ordinem Minorum respicientibus.

Franc. opere & doctrina reparat Ecc. quam Christus faciendo, & docendo fundauit

Portans librum in humero, reparat, sustinetque Eccles. Franc.

Respondens Simon dixit, Præceptor per noctem nihil cæpimus, Lucæ 5. vbi supra. Quod ita interpretatur Doctor noster ibidem. *Qui in nocte, idest, obscuritate huius vitæ laborat, vt aliquid transitorium inueniat, nihil capit. Ipsa enim temporalia nihil sunt per naturam, & sic gentes, scilicet gentiliter viuentes, sed non per gratiam, quia male esse, non est esse, & qui à vero esse cecidit, nihil, & inane potest reputari. Esse verè, propriéque dicuntur, quæ nec intentione crescunt, nec detractione minuuntur, nec variatione permutantur. Qui verò intentione temporalium rerum crescit, detractione, idest charitatis defectu, minuitur, variatione mentis scilicet instabilitate permutatur, à vero cecidit esse, & quasi nihil, & inane reputatur*.

Quid est laborare in obscuritate huius vitæ.

Ab isto vero esse ob defectum gratiæ Dei,

Dei, & charitatis proximi ceciderat Ecclesia penè in omni Republica Christiana. Cunctorum, tam ecclesiasticorum, quàm sæcularium labor noctu fiebat, ac propterea dum nihil boni, & plurimum mali in excidium animarum suarum, & Ecclesiæ cupiebant, ipsi miserrimè à latronibus vitiorum, Dæmonumque capiebantur. *Nox dicitur* (dixerat paulò ante idem Doctor noster) *à nocendo oculis, tenet enim oculos, ne videant. Qui enim nocte laborat, nihil capit, imò ante capitur. Psal.* 103. Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. *Cum nox, idest obscuritas peccatorum fit in anima, tunc bestiæ, idest Dæmones per ipsam pertranseunt, ipsam dilaniantes.*

In nocte peccati non capimus, sed capimur.

Ad huiusce noctis, ferè cunctas animas, & Ecclesiam omnem comprehendentis, interitum, in illa nocte, in qua dum illuminabatur Francisci orantis mens, Cæli itidem lumen Pontificis animam illustrabat; potentissimè quidem Christi famuli preces ad Deum, perfusæ lachrymis effundebantur. Adeo præualuere, quod surgens ab oratione (virtute cuius apposuerat iam dorsum, ne Basilica, intra quam orauerat, vlterius laberetur) & accedens ad pedes Pontificis, potuit Christo suo, qui in illo erat, dicere cum Petro, qui noctu nihil ceperat, etsi multum laborauerit; *In verbo autem tuo laxabo rete.* Vbi Glossa apud Doctorem nostrum loco citato. *Nisi in verbo gratiæ superna, idest interioris inspirationis laxata fuerint instrumēta prædicationis, frustra Prædicator vocis suæ iaculum mittit, quia fides populorum suorum non in sapientia verbi compositi, sed diuinæ vocationis munere prouenit.* O vana præsumptio! O Humilitas fructuosa! qui nihil ante ceperant, magnā in verbo Christi concludunt multitudinem piscium, quia modo cū electis tot reprobi intrant. Rumpitur rete, sed non labitur piscis, quia Dominus suos seruat, etiam inter persequentiū scandala. *In verbo autem tuo*, non meo, *laxabo rete*: quasi diceret. Quotiescumque in verbo meo laxaui, nihil cepi; & si cepi, non piscem, sed ranam loquacem cepi, quæ me laudaret, & nihil hoc fuit. *In verbo autem Christi* laxat rete, qui nihil sibi, sed totum illi attribuit. Qui secundum quod prædicat, viuit. Quod si fecerit, comprehendet piscium multitudinem copiosam. Hæc Doctor ibi.

In verbi Christi rete pisces opere & sermone capiēdi sunt

In opere Christi, orando ad Christum feruida mēte Franciscus, & in verbo Christi, laxans parabolicè sermonis rete ante eius Vicarium, ad capturam vnius tantum, scilicet Pontificis omnem penè Ecclesiam intra suæ doctrinæ euangelicæ, ex qua desumpta erat eius Regula, fortissimo rete statim cæpit; sicut testatus est idem Pontifex, ita, ab illius verbis iam captus, exclamans. *Verè hic ille est, qui opere, & doctrina Christi sustentabit Ecclesiam*; absque eo quod eius rete, vsque ad Mundi finem duraturum, destruatur, quamuis sæpè numero inter scopulos, ac saxa (vel hostium, eum ad totalem interitum persequētium, vel aliorum, illud relaxantium) iactum, & expositum. Captus mirabiliter à rete Francisci Pontifex, eius attestatio de illius opere, & doctrina, per se, & per suum Ordinem haud verbo tenus tantum fuit, sed ex eius paterna, ac pastorali charitate prorumpens; nam sequitur Seraphicus historicus. *Inde præcipua deuotione repletus, petitioni eius se per omnia inclinauit, ac Christi famulum speciali semper amore dilexit. Proindè postulata concessit, & adhuc concedere plura promisit.*

In rete parabolæ Franc. captus Pōt. Inn. 3. & cū eo tota Romana Eccl.

Franc. lex rete euangelicum.

Dum hæc audio ex ore Seraphico, video aliunde in Christi Vicario Innocētio III. Pontem illummet, quem *benedicta* Interpretis nostri *Lingua* in Pontifice Christo declarat. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, scribit Apostolus ad Hebr. 9 Huic scripturæ addit Antonius serm. Dominicæ 5. in Passione illud Psal. 106. *Adiuuit pauperem de inopia*, & ita exponit. Humanum genus pauper erat, quia spoliatū gratiis, vulneratum in naturalibus, quod erat sine ope alicuius adiuuantis. Venit Christus, ei astitit, & illud adiuuit, cū peccata ipsius relaxauit. Fuit etiam assistens, idest *obediens Deo Patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis*. Hic dicitur *Pontifex futurorum bonorum*. Pontifex dictus, pontem faciens quasi via sequentium. Duæ ripæ erant hinc, & inde, mortalitatis scilicet, & immortalitatis, inter quas fluebat fluuius immeabilis iniquitatis, & miseriarum nostrarum, de quibus Isaia 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter nos, & Deum vestrum*. Venit ergo Christus *assistens Pontifex*, seipsum fecit Pontem à ripa nostræ mortalitatis, vsque ad ripam suæ immortalitatis, vt per ipsum, tamquam per lignū transuersum transiremus ad futura bona possidenda. Ita Dom. 5. in Passione. Quid simile ordinauit Deus in reparationem humani generis, constituens ad operis approbationem Romanum Pontificem Innocentium III. virum doctrina, & sanctitate probatum, quod iam à principio in illius redemptione resoluit per Pontificem Christum, cuius erat Vicarius idem Innocentius. Veluti duo media fuerunt Franciscus, & Innocentius huiusce reparationis, ac per consequens veluti duo pontes, ille minor paupertate, & humilitate, iste maior authoritate, & potentia. Vterque astitit, & adiuuit, obediens Deo; sed

Christus Pōtifex, pontē faciens

Fluuius immeabilis hominum iniquitates.

Ex Franc. & Innoc. pons humanæ reparationis.

sed alter immediatè, quia ab ore ipsius Dei ter audiuit, *Vade, Francisce, repara Domum meam, quæ labitur*; alter verò mediatè Francisco, è cuius verbis oraculum Dei percepit in præfatæ parabolæ explicatione. Ex duobus deinde vnus magnus, & solidus pons effectus, reparationis Ecclesiæ opus originem sumpsit. Pastor ouium vnius ouilis in Ordine Minorum, sed ad totius ouilis Christi beneficium esse debebat Franciscus. Pastor autem ouium vniuersi ouilis Christi erat Innocentius. Noctis tempore sæpènumero (siue nox peccata significet, iuxta Doctorem nostrum Dom. 5. post Trinitatem, siue aduersitates innumeras, ac diuersas, iuxta eundem in Dom. 4. Aduentus, & alibi) erant transituræ vtrinsque ouilis oues super hunc geminum pontem. Quambrem è principio ab ipsis Pastoribus, qui ex seipsis pontem fecerant in humani generis reparationem, per vitam, & exempla eorum ostēsum est successoribus, quo lumine, vt tutò, ac cōmodè transire possent à terrenis ad cælestia, oues suæ indigerent. Itaq. & ipsimet Pontes, & Pastores, & lumen, & hoc lumen illud idem, quod Ecclesiæ, & Religionum Pastoribus, vt boni sint, omnimodè interest.

Pastorès ouium Franc. & Innoc.

Ponamus Doctoris nostri dignam sententiam, desumptam ex Dom. 2. post Pascha, & ita egregia concordantia explicatam. Beatus ille Ecclesiæ Prælatus, qui verè potest dicere, *Ego sum Pastor bonus*, qui vt bonus sit, necessarium est, vt filio hominis similis sit; de qualibus dicit Ioan. Apocal. 1. *Vidi septem candelabra aurea*, in quibus notantur septem Prælati Ecclesiæ necessaria. *Vitæ scilicet munditia. Diuinæ scripturæ scientia. Linguæ eloquentia. Orationis instantia. Circa pauperes misericordia. Circa subditos disciplina. Populi commissi cura sollicita*. Hæc septem candelabra aurea concordant cum septem Ecclesiarum interpretatione.

Eccl. pastor, & prælatus, vt bonus sit, septem ei necessaria sunt.

1 *Ephesus*, interpretatur volūtas mea, vel consilium meum, *hac est munditia vitæ*, 1. Thessal. 4. & Isai. 16.

Ephesus mūditia vitæ

2 *Smyrna* canticum eorum, *hac sanctæ scripturæ scientia*, Psal. 95.

Smyrna sanctæ scripturæ scientia.

3 *Pergamus* diuidens cornua, vel dissecans vallem. *Hac est erudita eloquentia*, quæ cornua superborum diuidit, & vallem carnalium dissecat, Psal. 74.

Pergamus erudita eloquentia

4 *Thiatyra* illuminata. *Hac est orationis instantia*, quæ mentem illuminat, Apocal. 21.

Tiatyra orationis instantia.

5 *Sardis* principium pulchritudinis. *Hac est circa pauperes misericordia*, quę leprā auaritiæ expellit, & animam pulchram reddit, Ecclesiast.

Sardis circa pauperes misericordia:

6 *Philadelphia* conseruans, vel saluans habentem Domino. *Hac est circa subditos disciplina*, quæ conseruat habentē Domino in ipsius seruitio, & saluat à mortis periculo, ad Hebræos 12.

Philadelph. circa subditos disciplina

7 *Laodicia* tribus amabilis Domino. *Hac est populi Christiani Ecclesia Catholica*, circa quam Prælatus debet inuigilare cura sollicita, Ioannis 13.

Laodicia populi commissi cura sollicita

Pastor, & Prælatus duodecim Apostolicorum Discipulorū Franciscus his septē candelabris aureis in seipso (iam nouo ponte à Deo generis humani, per ipsum reparandi, in Ecclesia constituto) lucens, & splendens, accessit ad pontem totius Christianitatis, & ad Pastorem vniuersi gregis Christi, & ad Prælatum, ac Principem Sedis Apostolicæ post orationem illam, de qua diximus. Sic tandem agnoscens in eo, memoratam parabolam enucleante, Christi Vicarius ipsum Christum loquentem.

Septē candelabris aureis Franc. septē candelabr. Pontificis illustriora reddādit.

1 *Munditiæ vitæ* suæ lumine mundissimam tanti Legislatoris admiratus est vitam.

2 *Diuinæ scripturæ scientiæ* claritate, clarissimam illius in sacris Euangelii litteris confessus est sapientiam.

3 *Linguæ suæ eloquentiæ* splendore; splendorem illius eloquentissimæ linguæ, per quem Sol iustitiæ Christus coruscabat discernit.

4 *Orationis suæ instantiæ* radio, ob quē fortè meruit videre Franciscum, Lateranū sustinentem, ingens lumen orationis ipsius Francisci intuitus est in illa breui, mirabilique explicationis parabolæ oratione.

5 *Misericordiæ circa pauperes* facula, faculam Francisci, Pauperum Patriarchę, Seraphicam erga totius generis humani miseriam, attentè adnotauit.

6 *Circa subditos* Francisci ita disciplinam irreprǣhensam singulari quodam Cæli influxu, ac radio pro comperto habuit, sicut pro certo statuit, ipsum primum Rectorem Ordinis Minorum constituere, atque Christianæ Reipublicæ Reparatorem declarare.

7 *Curæ sollicitæ* circa populum sibi commissum lucerna, lucernam Agni ad salutem totius Ecclesiæ sollicitissimi in Francisco amplexus est.

Quarè vbi primò exclamauit, annectēs septem sua candelabra aurea septem Francisci candelabris aureis: *Verè hic est ille, &c.* statim eius summa Pastoris beneuolentia pontem faciens, & incuruans se supra merita viri sancti, & cum eo vnum ingētem pontē, quo reparationis Ecclesię indigebat, constituens, *præcipua deuotione repletus, petitioni eius se per omnia inclinauit*. Ecce tanti Præsulis pietatis pondus erga pau-

Inclinatio Pontif. erga Franc. deuotio, amor, fauor.

pauperculum Legislatorem. *Ac Christi famulum speciali semper amore dilexit.* Ecce dilectionis ligamen, quo illa magni pontis coniunctio, molesque perenni stabilitate firmata est. *Proinde postulata concessit, & adhuc concedere plura promisit.* Ecce candelabra aurea Apostolicæ Sedis, Diuino lumine erga candelabra aurea Apostolici Legislatoris fœcunda; vt magis, ac magis supra erectum pontem pateret iter saluandorum. Quid plura? *Approbauit Regulam. Dedit de pœnitentia prædicanda mandatum.* Approbatio Regulæ, etsi non scripto, sed verbo, auctoritatem Christi Vicarii patefacit. Mandatum verò de pœnitentia prædicanda præcipuum quodam præceptum indicat per Regulam, quam approbat.

Arma gentilitia Innoc. Tertii.

Interpres noster circa regimen naturale Aquilæ, inter cuncta volatilia principis, & Reginæ, plurima continet documenta, inter quæ illud modo hic valdè idoneum, *quod vera Aquila*, inquit serm. 2. de Euangelistis, *non volat ad muschas*. Aquila tessetata Comitum Signiæ, de quorum Stirpe erat Pontifex Innocentius III. (vt diximus in Hierarchia, & alibi, quorumque soboles Vrbis Romæ regimini nûc præest) haud inuenit in Francisci Stemmate, neq. respectu sui ipsius, neque respectu stirpis suæ *muschas*, eo modo, quo de muscis declarat Interpres noster pluribus in locis, & serm. 1. in Dom. de Passione ait. *Attende Sanctos, vt non per viam carnalitatis incesserint;* sed inuenit *tres Anseres viuos, & adnatantes reperit*. Aquilam cum expansis hinc inde alis, quam explicabat in armis Gentilitiis Christi Vicarius Innocentius III. etiam in moribus patefaciebat. Sententia Doctoris nostri est, quod per Aquilam vir iustus (& maximè Innoc. III. cuius innocens, & iusta anima, ab eius meritis, & virtutibus optimè maximè clarebat) denotatur. *Aquila*, ait serm. 2. Dom. 1. in Quadrag. *ab acumine visus sic dicta, virum iustum significat. Aquila enim acutissimi visus est. Sic vir iustus cõtemplationis acumine veri Solis splendorem intuetur.* Volauit Aquila Innocentii ad Anseres haud gentilitias Stirpis Moriconum, sed misticas Francisci Moriconi, qui eas in se auspicatissimas habuit, vt in cap. 2. 1. tomi Hierarchiæ explicatum est. Iuncta Aquila mistica Innocentii cum Ansere Francisci ob approbatam ab illo Regulam, Anser hic in Aquilam statim transformatus est, Aquilæ volatum assumens. Quandoquidem aiens text. historiæ dedisse Pontificem Francisco, & Discipulis suis mandatum de pœnitentia prædicanda, audio hinc in Papa Innocentio, illud mandatum Francisco imponente, Dominum, qui in persona Iob ita eum alloquitur cap. 39. *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila?* cui profectò poterat ille interroganti Domino statim respondere, *eleuabitur*, & addere quoq. hanc rationem. Nam præceptum, à me Francisco, & Ordini eius datum, *de prædicanda in omni Ecclesia pœnitentia*, in nomine tuo, Domine, illi datum est. Ille verò cunctam suam felicitatem in hoc Mundo in tuis exequendis mandatis insatiabiliter quærit. *Vtinam attendisses mandata mea. facta fuisset sicut flumen pax tua,* Isaiæ 48. Vbi pulchrè Interpres noster Do. 3. post Pasch. *O homo si mandata Dei attendis, in parte perpetuitatis securus gaudebis.*

Stirps Frãc. stemma

Aqila symbolica vir iustus.

Anser Franc. in Aquilam Innocent. 3. transformatus

Magna felicitas De imandata exequẽtibus.

Quomodo autem ad Domini præceptũ, ore Vicarii Christi prolatum volauerit, *velut Aquila* in Aquila Comitum Signiæ *Anser* familiæ Moriconum Franciscus, qui in Sanctorum intelligentia subtilissimus, eorũq. cõtemplatione sublimissimus fuit, declarat Doctor noster Dom. 13. post Trinit. ex D. Gregorio. Sed prius aliquot proprietates Aquilæ, ab acumine oculorum ita nuncupatæ proponens, hanc, vt præcipuam, sic explicat: Dicitur etiam, quod Apuila, in qua subtilis Sanctorum intelligentia, & sublimis eorum contemplatio figuratur; *collocat Amethistem lapidem pretiosum in nido* cum pullis, vt ab ipsius virtute Serpentes arceantur. Istam proprietatem proprietati Amethisti coniunctam paulò infra ita explicat, sequens eamdem Methaphoram. Nota, quod Amethistus est præcipuus lapis pretiosus, colore violaceus, flammas euibrat, aureas notulas, & purpureas prætendit: significat vitam Christi, quæ fuit violacea Paupertate, & Humilitate. Flammas euibrans aureas in prædicatione, & miraculorum operatione. Notulasque purpureas prætendens in sua passione. Hunc Amethistum vir iustus debet collocare in nido suæ conscientiæ, vt à pullis suorum operum arceantur Serpentes, idest suggestiones Dæmonum. Hæc Interpres. Hunc Amethistum (repetam ipse) iam in conscientia sua collocarat Franciscus, Euangelica paupertate, & Apostolica humilitate violaceus. In prædicatione flammeus, in miraculorum operatione ex ea parte tunc maximè nouus, ex qua veluti nouum prodigium paupertatis, & humilitatis Christi iam exoriebatur. Purpureus totus erga Christi passionem, ex quo in Christum passum per animæ liquefactionem se totum ex tũc transformauerat, ex quo audiuit ab ipso è Cruce. *Vade Francisce, repara, &c.* Regula deindè, quam exhibuit Pontifici, vt eam approbaret, quamque ab eodem mox appro-

Aquila in nido suo Amethistẽ lapidẽ ponit,

Franc. veluti Amethistus, quo etiam significatur Christus.

approbatam recepit, nihil aliud erat, nisi ipse Christi, & Discipulorum eius Amethistus.

Eleuari Aquilã ad Dei præceptum quid denotet.

Dicamus ergo (cõcludit Doct. noster) *Numquid ad præceptũ tuũ eleuabitur Aquila?* Gregorius. Ad præceptum Dei eleuatur Aquila, cum iussionibus diuinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita. In supernis nidum ponit, quia abiectionẽ mentis suæ in abiecta, & infima conuersatione non constituit, &c. *Dedit de pœnitentia prædicanda mandatum*, sic Pontifex se conformauit verbis Christi, de Cruce Franciscum alloquentis. *Vade Francisce, repara domum meam, quæ labitur.* Domus Dei est Ecclesia, cuius fundamina, parietes, atque tectum cum materialia nõ sint, sed spiritualia, nos ipsi ea omnia profectò sumus. Lapsus ille adeò præceps totius domus Dei ea tẽpestate ex lapsibus mortalibus Christianorum deriuabat. Quare ad illius reparationem nonnisi horum reparationes, quibus destruẽda erant opera peccatorum, necessariæ erant; sed hæ reparationes sine pœnitentia contingere nequaquam poterant. Testatur Anselmus homil.4.in Minori (verba sunt Doctoris nostri ex feria 4 Ciner.) *Pœnitentia*, ait, *est constructio Templi conscientiæ, quod per peccatum destruitur ad susceptionem Christi, præparans humana præcordia.* Adde illud Iob cap.22.Heliphat Themanites alloquẽtis. *Si reuersus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, &c.* Quasi dicat (postillat noster Interpres in serm. Dom. 14. post Trinit.) *O peccator, si à te, in quo est subuersio, ad Deum, à quo est ædificatio, reuersus fueris, verè ædificaberis. Destrue prius ædificium tuũ in te. & ipse ædificabit super te suum.*

Templum conscientiæ per pœnitentiã construitur.

Quomodò autem ista spiritualis, ac peculiaris constructio in ordine ad ruinarum Ecclesiæ restaurationem in specie efficienda erat, vt fieret durabilis; scilicet quibus virtutibus veluti propugnaculis præcipuis (concurrente principaliter prędicta pœnitentia) erigenda, declarat Interpres immediate ex duobus capit. Isaiæ 44.& 54.in quorum primo Deus consolatur populum suum, effusurus super eum Spiritum suum; in secundo verò Ecclesiã inuitat ad lætitiam, quod ex gentibus futura sit numerosior, quam erat Synagoga; & per Orbem propaganda, perpetua Dei protectione, sit in securitate victura, veteris oblita calamitatis. Quod ex pretiosis ædificabitur lapidibus, in iustitia fundata; omnesque in ea docti erunt à Deo multitudine pacis fruituri. Inquit ergo in priori capite Isaia. *Qui dico profundo, desolare, & flumina tua arefaciam. Qui dico Hierusalem ædificaberis, & Templo fundaberis.* Vbi

Virtutes peculiares in huius templi constructione

subdit mox Doctor noster loco cit. hanc glossam. *Profundum*, dictum quasi procul à fundo, est abissus cogitationum malarũ, quæ si fuerint desolatæ, & flumina concupiscentiarum, quæ fluunt per carnalem sensum, fuerint arefacta, tunc populus, idest mens, fundabitur in saphyris, idest vitæ æternæ desideriis. *Et Hierusalem*, scilicet cælestis conuersatio, *ædificabitur cum propugnaculis, scilicet Paupertatis, Obedientiæ, & Humilitatis.* Hæc ille. Ex quo apparet, quod vtraque reparatio, nimirum singuris, & generalis, per pœnitentiam efficienda in Paupertatis, Obedientiæ, & Humilitatis propugnaculis (quibus iam se opposuit Franciscus, nè Lateranum ab impetu diuitiarum, rebellionum in Deũ, & superbiæ funditus præcipitaretur) necessario fundari debebat, prout de facto in iisdem per institutionem trium ordinũ, scilicet Minorum, Pauperum Dominarũ, & Tertiariorum, triumque Legum traditionem fundari incepit.

Profundum vnde dictũ, & quod mistice.

Propugnacula ædificii in reparatione Ecclesiæ paupertas, obedientia, humilitas.

Fundabo te in saphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos. Hic est alius tex. ex cap.54.Isaiæ, & hic etiã est alter Doct. nostri cõmentarius, & quidẽ prædictę glossæ valdè concinnus. *Iaspis, ait, viridis est coloris, & dicitur fugare phantasias*, & significat Paupertatem, quæ in viridi fide hominem conseruat, & phãtasias, idest diuitias, quæ homines deludunt, fugat. *Fides enim spernit tẽporalia, quæ qui diligit, fidem abiicit.* Si ædificiũ nostræ conuersationis ædificatur *cum propugnaculis paupertatis*, non sunt timendæ sagittæ antiqui hostis. *Portæ sunt quinque corporis sensus*, quos Dominus tunc in lapides sculptos ponit, cum oculi lachrymarum effusione, manus eleemosynarum largitione, pedes infirmorum visitatione sculpuntur. Hæc ibi Interpres. His ædificari incæperũt Ecclesiæ Christianæ portæ in animis credentium. Hisce pariter eius reparationis & portæ construendæ in primis nostris Minoritis, quorũ ædificii spiritualis exordium ad Legislatoris exemplũ super eleesinam fundamentum iecit, iuxta illud.

Iaspidis proprietates, & significatio.

Paupertas propugnaculum tutissimum.

Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus.

SE-

SECTIO VNICA.

Quos destinauit Christus Francisco suo ad Ecclesiæ Seraphicæ fundationem pro Romanæ Ecclesiæ reparatione, non fuerunt viri pernobiles, literati, eruditi, ac diuersæ nationis; sed honesti, idiotæ, simplices, eiusdem Regionis, & plures ex eadem Patria, ad suorum Apostolorum similitudinem.

Hæc sectio in gratiã Iulii Nigronii addita est

CORrespondentia admodum peculiaris Ecclesiæ, ac Legis Christianæ cũ Ecclesia ac Lege Franciscana, vtraque per eiusdem nationis, regionis, ac penè ruditatis, ac simplicitatis viros fundata. Illa ad generis humani Redemptionem, hæc ad illius reparationem. Dedisse Pontificem Francisco Italo, & discipulis eius, qui erant & ipsi Itali, & eiusdem nationis, & regionis, & plurimi eiusdem Patriæ cum ipso Legislatore, de pœnitentia in omnem terram prædicanda mandatum, patet ex dictis. Quare euidentissimè apparet, quod ita se habuit in Francisco, & sociis eius Ecclesiæ in suis initiis reparatio, quomodo etiam se habuerat in Christo, & eius Discipulis eiusdem Ecclesie fundatio.

Assertio aliorum pro sua Religione.

Recentiores nonnulli, de quibus aliàs in Hierarchia, nostro Ordini minimè aduersantur, imò verò amplius ipsi fauent, vbi ad demonstrandas primarias, promeritasque suæ Religionis prærogatiuas, sic referunt super Regulam Comm. 30. paragraph. 12. in asceticis commẽtariis. Quod primi (inquiunt) Duce nostro Institutore, fundamenta Ordinis nostri iecerunt, non fuerunt ex vna aliqua natione tantum, & lingua (*quales fuerunt Socij S. Francisci, qui omnes Itali*) sed è diuersis, atque adeò aliqui contrariis nationibus, inter quas tum bellum gerebatur, &c. Maximum, & veluti incomparabile elogium, quod ex hoc deducunt pro sua Religione hi assertores, quodque retulimus in prædicta Hierarchia tom. 2. fol. 162. quidquid videtur inferre ad ingentem suæ Religionis profectum, aperientes discrimen inter Minorum Ordinis, & Ordinis sui fundamina, manifestè demonstrant, eodem modo fundasse suam Religionem Franciscum Legislatorem in Ecclesiæ reparationem, vt reparatio fundationi respõderet, quo Christus fundauerat Ecclesiam suam. De fide est Christum fuisse conceptione, natiuitate, quantum ad parentum genus, & educatione Galileum, ex Vrbe Nazareth; licet eius ortus, quantum ad locum, Bethelemiticus, & in tribu, & terra Iudæ, ad differentiam alterius Bethleem, quæ est in Galilæa in tribu Zabulon. Item propositio Catholica est, omnes fermè eius Discipulos, & Apostolos ex Galilæa oriũdos, & plures ex eis patria Bethsaidanos, inter quos Petrum, Andream, Philippum, Ioannem Euangelistam, Iacobum, &c. Consule Lyranum, Cornelium à Lapide, Salmeronẽ, & alios in cap. 1. Actorũ vers. 11. & cap. 2. vers. 7. & Baron. tom. 1. Annal. ad ann. 32. paragr. 7.

Ordini Minorum multum fauet.

Christi Discip. omnes cũ ipso Christo ex eadẽ natione, ac prouincia

Stupebant omnes, & mirabantur dicentes. Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus. Act. 2. Vbi Glossa apud Cornelium à Lapide. Mirantur Galilæos esse polyglossos, quia Galiæi habetiori, sed martio ingenio magis ad arma, quam ad literas, & lingua erant idonei, &c. Franciscus patriam obtinuit in Vmbria, antiquissima, & bellicosissima olim Italiæ regione, ait Annalista noster tom. 1. ann. in app. §. 3. num. 6. Igitur fundamenta Christianæ Ecclesiæ longè diuersa ex hac via extitere à fundamentis prædicti Ordinis, nec tamen minus auspicata pensitanda circa id, quod ex suis fundaminibus infert Nigronus. Cur autem Christus ita benè affectus fuerit erga Galilæam, suosque Galilæos præcipua charitate, & coniunctione dilexerit; pulchram rationẽ affert Interpres noster super illud Ioann. 7. *Iesus ambulabat in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Principes, & Pharisæi (subdit Interpres) mortem Christi procurabant; *Galilæi verò erant homines simplices*, & ideò opera Christi non sic calumniabantur, vt dicit Chrisostom. & ideò Christus eos multipliciter honorauit. Scilicet beneficio suæ conceptionis, & suæ natiuitatis, & singularitate vocationis, *quia Galilæi fuerunt primi vocati ad Christi discipulatum*. Primitate miraculosæ operationis scilicet in Cana Galilææ. Manifestatione suæ operationis. Ita in serm. fer. 3. in Passione, vbi propè finem sermonis hæc alia. Sed nunc restat videre vbi moratur Christus. Respondeo; *Ambulabat per Galilæam, idest per corda humilium, cum simplicibus enim sermocinatio eius.*

Galilæi cur ita à Christo dilecti, ac honorati

Ab illa vnitate nationis, & personarum duodecim Apostolorum Christi multiplicitate exoriri debebat tum vna fides, vnumque Baptisma, tum etiam & conuersio hominum, qui congregati in vnum sub vno capite Christo, & eius Vicario, omnes in eodem loco, & cœnaculo receperant Spiritum Sanctum, & simul cum eo amoris, vnitatis, & charitatis legem, accepta iam ab eis, atque eis aprobata lege Euangelica per Christum, eiusdem nationis

Ab vnitate nationis, & multiplicitate 12. Apostolorũ omnis Ecclesiæ auspicio.

nationis accolam. *Lex in Monte Syna* (ait Doctor noster super cap. 3. Actorum in die Sancto Pent.) *Spiritus Sanctus in Mõte Sion. Lex in sublimi Montis loco. Spiritus datur in Cœnaculo. Nullus absens erat, vnum cor, & animam vnam habentes in eodem Cœnaculo, quod ascenderant. Qui enim Spiritum Sanctũ desiderat, carnis domicilium mentis contemplatione transcendendo calcat.*

Vnde Eccl. vna, cathol. Apostolica, Romana.

Ex tanta vnitate, scilicet nationis, subiectionis, loci, legis, & similium, Christi Discipuli Ecclesiam vnam, & solam constituerunt, iuxta doctrinam Aug. lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 49. & serm. 75. et 186. de tempore, et etiam serm. 27. de verbis Domini. Quæ proinde Ecclesia iure, meritoque vocatur Catholica, Apostolica, ac Romana. Dictum quippe fuit à Domino ipsis Apostolis Matth. 28. et Marc. 16. *Euntes in Mundum vniuersum, docete omnes gentes, prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* Quę omnia S. Franciscus Italus ex Vmbria, et ex Vrbe Assisiate, vnà cum 12. Apostolicis viris, et ipsi etiã Vmbrii, quorum septem Assisienses quoque erant, Christi inspiratione, reuelatione, & exemplo edoctus adamussim compleuit, maximè post mandatum Romani Pontificis: & eius veri sectatores, absque pera, pecunia, vllaque exagoga, sed vna tunica contenti, nudis pedibus, & pedestrim, haud in curribus, vel in Eqnis; in paupertate, humilitate, & cæteris virtutibus Apostolicis pœnitentiã prædicarunt, fidem propagarunt, vniuersũ Mundum Euangelica doctrina docuerunt, & ad corpus Religionis Catholicæ, & Ordinis Minorum exteras nationes in multo numero traxerunt.

B. Francisc. Christus imitatus est in sua fundãda Religione.

Illi Apostolicæ, ex natione regionis, & ex professione instituti exortæ, vnitati, adeò Euangelica prædicatio, quam deindè Christi Vicarius præceptoriè omnibus tredecim iniunxit, propria, ac genuina euasit, vt meritò asseruerit D. Bonau. in cap. 9. Regulæ nostræ. *Vnde certissimè constat, quod nullis Religiosis plus competit prædicare ex ratione status sui, quam his, qui hanc Regulam profitentur.* Vide Suarez tom. 4. de veritate Religios. cap. 7. ac Rainaldum tom. 13. annal. eccles. referentem litteras Nicol. IV. pro Fratribus Minoribus ad vniuersas gẽtes anno 1288. §. 32. His concurrentibus circumstantiis, haud mirum, si deindè in tam breui temporis interuallo per totum Orbem terrarum Minorum prædicatio se diffunderit. Animalia, ignitum Dẽi currũ trahentia, *Ibant in similitudinem fulguris coruscantis*, Ezechiel. 1. Vbi Interpres noster satis ad propositum hæc scribit serm. 3. de Apostolis. Nota de profectu horum animalium. *In fulgure notatur velocitas, caliditas, & claritas.* Hæc tota debent maximè Prædicatoribus conuenire. *Velocitas*, quando mittuntur ad officium prædicationis peragendum. *Item calidi debent esse per feruorem charitatis.* Vnde in Apostolos missus est Spiritus Sanctus in forma ignis, vt eos calefaceret, ad alios incendendos, qua qui non ardet, non incendit. *Item lucidi* debent esse per doctrinam, exemplũ, & famam, Matth. 7. *Vos estis lux Mundi, &c.*

Prædicatio Apostolica quã propria Ord. Min.

Prædicatio Apostolica fulguri cur comparetur

Tanta extitit hæc velocitas, caliditas, lux in illis duodecim Prædicatoribus eiusdem nationis, & regionis Minoritis (quorum alii pro maiori parte Sacerdotes fuere, optimique Cõcionatores, quibus Deus dedit os, linguam, & sapientiam, alii verò professione Laici, & hi Spiritu cælesti pleni, illaque doctrina diuinitus imbuti, ob quam stulta, & infirma eligens Deus, iam confundit per ipsos sapientes, & fortes huius sæculi) vt penè incredibilis visus sit eorum profectus adeò perniciter in omnẽ terram diffusus. Illorum omnium vocatione tertius, sed annorum diuturnitate vltimus B. Aegidius Assisias, professione Laicus, cui destinauerat Franciscus Africã, sanctissimè obiit anno 1216. Pontfex autẽ Gregorius Nonus anno Domini 1233. & Pontifex etiam Alexander Quartus anno 1258. adhuc eodem B. Aegidio superstite literas dederunt ad Fratr. Minores eiusdẽ argumenti, ac tenoris. *Alexãder Episcopus* (ait secundus) *Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Fratribus de Ordine Minorum in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Syrorum, Hybernorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mossellinorum, Tartarorum, Hungarorum maioris Hungariæ, Christianorum captiuorum apud Turcas, aliarumque infidelium nationum Orientis, seu quarumcumque partium proficiscentibus; &c. Cum hora iam vndecima, &c. sub datum Viterbij 13. Kalend. Maij, Pontif. anno iv.* Habetur apud plures auctores, quos citat Martyrol. Franciscan. in prologo fol. 46. sub §. 156. & inter quos Vadingum tom. 2. annal. ad ann. 1258. num. 1. Itaque vnus ex duodecim Discipulis Francisci adhuc superstes erat, & annis decem antequam in Domino requiesceret Ordo Minorum cursum annorum tam celeri totum Orbem, etiam viuẽte Gregorio Nono, occupauerat. Deinde ipse Nigronus præfato principio in paragrapho 13. sequenti maximam, quam arbitratur sui Instituti propagationem multis attollens præconiis, dum vnum veluti apprimè, ac summè necessarium in sua percipit Societate, ob varietatem nationum, valdè laudabilis, & pius videtur.

Primorũ Minoritarũ prædicatio, & eorum institutum qui cito per tot mundum dilatatum sit.

Testantur diplomata Pontificia.

At

At dùm alterum ceu rationem, & causam illius rei, ab ipso concupitæ adducit, Mendosus admodum apparet. Ponamus eius verba, vt possimus in facti vtriusq. & suæ mentis cognitionem clarius deuenire.

Duo præcipuè maximè cupit in sua societate Nigronus.

Cæterum, inquit, *in Ordine nostro beneuolentia hæc mutua nationum magis necessaria est, quam in alijs multis Religionibus: proinde à moderatoribus, ac subditis certatim suadenda, prædicanda, nutrienda.* Istud est illud primum quod, vti diximus, valde quidem laudabiliter, ac piè à Nigrono peroptatur in sui instituti propagationem, mediante beneuolentia, & charitate, quæ, teste Apostolo ad Coloss. 3. *Est vinculum perfectionis.* Sed audiamus secundũ, quod pro rei causa, seu ratione parum solidè assignat. *Sunt enim quidam Ordines, qui nullam, aut exiguam varietatem nationum habent; vt Discalceatorum S. Francisci in Hispania, ex qua non est egressus.*

Doctrina Interpretis nostri est solidissima, atque Apostolica, vt aliàs diximus in quinto euentu, *quod scilicet dupliciter aliquis loquitur, secundum quod dupliciter ducitur in consuetudinem. Vno modo ab alio, & hoc tripliciter, &c. Quicumque sic loquitur, vera dicit, si eius doctrina vera est, quia veritas est conformitas rei ad intellectum. Alio modo à se, & tunc vniuersaliter falsum dicit, & talis gloriam propriam quærit, & rapitur in errorẽ.*

Quæ locutio vera existimanda.

Duo loquitur Nigronus circa Reformatos nostros, quos in Hispania Discalceatos nuncupant, quæ nisi ex se dixisset, non adeò super ea hallucinatus fuisset, gloriã propriam, non absque aliena diminutione ita anxiè perquirendo. Primò supponit nostros Discalceatos, non aliquam peculiarem Congregationem componere, sed Ordinem: *Sunt enim quidam Ordines* &c. Secundò suadet, eos extra Hispaniam haud commigrasse, sed suis valde angustiis limitibus, ceu exiguus, & paruus admodum eorũ Ordo contineri, *ex qua non est egressus*; sed vtrumque turpiter à vero claudicare, imò adeo valde longe distare, ita breui ex Auctore Martyrologii nostri aperiendum. Primum vtique minimè assereret, si res Fratrum Minorum attentè conspexisset Nigronus. Nostri enim Discalceati, non Ordinem proculdubio component, sed vnam particularem, & valde egregiam Congregationem. Illud Apostoli de Ecclesia vniuersa ad Roman. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, aptissimè conuenit etiam Ecclesiæ Franciscanæ, cuius plurimã membra, plurimis quoque Ecclesiæ Christianæ membris, ab ea reparandis, ac sustinendis, dignè respondent.

Duo asserit Nigronus in Discalceatos nostros, sed valde mendosè.

Anno Dom. 1517. in Comitiis Generalibus Romanis auctoritate Leonis Decimi Papæ pro vnione Religionis Seraphicæ Superior Fratrum Minorum de Regulari obseruantia, & Reformatorum declaratus est Minister Generalis totius Ordinis, cui omnes, & singuli Fratres, secundum Regulam D. Francisci subijci, & obedire tenerentur. Ad quem denique tamquam Religionis caput, omnis præeminentia delata est, & sigillum totius Ordinis consignatum. Superior verò totius Religionis Patrum Minorum Conuentualium, qui multa priuilegia, eorum instituta conformia à Sede Apostolica obtinuerunt, dictus Magister, ipso Põtifice ita præcipiente, eiq; iniunctum, vt electionis de se factæ, confirmationem à dicto Ministro Generali totius Ordinis petere deberet. Ista obligatione deinde cessante, sola præeminentia tituli, sigillorum possessio, ac præcedentia super alios Generales Franciscanos, Generali Ministro de iure debita, illi remãsit, quamuis frustrà per plures annos, ab anno scilicet 1625. vsque ad 1631. tentatum sit, & litigatum apud Sedem Apostolicam, vt id honoris cognomentum omninò extingueretur, aut saltem minueretur. Vide integrum Decretum Sacr. Rituum Congr. DD. Cardinalium apud eundem Auctorem Martyrol. cit. fol. 47. in Prologo Martyrol. Decreti conclusio tantum legitur in tom. 1. Hierarchiæ nostræ fol. 45.

Ministri Gener. S. Franc. præeminentia.

PP. Conuentualium superior Generalis

Hinc, cum Patres Capuccini Reformationem suam cepissent in Ordine sub Clemente VII. à quo eis præscripta caputium quadratum, barbæ gestamen, vitæque Eremiticæ, ac solitariæ Magdalenæ ocium, & paulò post Superiorẽ Generalẽ obtinuissent à Sede Apostolica, vocatus est hic Superior, qui modo ex indulto Apostolico Minister appellatur, Vicarius Generalis Congregationis Fratrum Minorum Cappuccinorum. Qui se præsentare tenebatur præfato Magistro Minorum Conuentualium; vnde emerserat sua Congregatio, vt ab eo suæ electionis confirmationem acciperet. Diplomata referuntur à Collect. Bullarum sub dicto Clem. VII. & eius Successoribus Paulo III. Pio IV. &c. Rapineus in historia orig. Recoll. Decad. 61. part. 2. Nostri autem Discalceati (audiat quæso Nigronus) immediatè subiiciuntur Ministro Generali totius Ordinis Minorum. Inde nec Superiorem Generalẽ habent, nec Ordinem particularem efficiunt, sed tantum Congregationem, seu Reformationem, quod scitè annotarunt Morilius lib. 1. orig. Religion. in cap. 60. Hieronymus à Sorbo in præfation. Addition. ad compendium Priuileg. Ord. Min. Yeppes tom. 1. Chron. Benedict. in monitis ad Lectorem. Nec propterea Congregationum, seu Reformationum multiplicitas in

PP. Capuccinorũ Sup. Gener. vocatus olim Vicarius.

Discalceati nostri non Ordinẽ faciant, sed Congreg.

in tam vasto Ordinis S. Francisci corpore, corporis Ecclesiæ fundationi, ac progressui adeò harmonicè confecto, manifestam arguit imperfectionem, vt in nonnullos Aduersarios demonstrauimus tom. 1. Hierarchiæ cap. 9. ad fol. 128.

Diuisiones, quas parit superbia, deplorandæ inter Religiosos.

Illæ diuisiones in quouis Ordine, qui perfectus in suo genere, & fundatio supponitur, proculdubio oblachrymandæ, quas, ventro grauidata, grauataque, parit superbia. *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ,* Abdiæ cap. 2. Vbi Interpres noster Dom. in Sexag. ita repetit, postillatque. Superbia, ô Religiose, cordis tui extulit te, idest extra te tulit, vt inaniter ires super te, habitantem in scissuris petræ. *Petra est qualibet Ecclesia Religio*, de qua Hierem. 18. *Numquid deficiet nix de petra agri.* Ager Ecclesia, *Petra agri Religio, supra petram fidei fundata. Nix est munditia mentis, & corporis, quæ numquam debet deficere de Religione.* Sed heu quantæ scissuræ in Religione, quanta schismata, quantæ diuisiones, & dissensiones sunt in petra, idest Religione, super quam si ceciderit Diuini verbi semen, non fructificat, quia non habet humorem gratiæ Spiritus Sancti, quæ non in scissuris discordiæ, sed in Veritatis habitat mansione, *Multitudinis autem credentium* (inquit Lucas Actorum 4.) *erat anima vna, & cor vnum.* Hæc ex Interprete nostro. Hanc veritatis mansionem à principio Ordinis nostri humiliores, & exactiores Regulæ Seraphicę obseruatores quęsiuerunt aduersus alios minus, parumque de ea curantes. Nam Regula Fratrum Minorum tota Euangelica veritas est, cum ex Euangelicæ puritatis fonte, vt dicit Bonauentura, emanarit. Ob hanc passim successores, Patrũ zelum, dignè, & iustè ęmulantes, ac Paupertatem, & Humilitatem Legislatoris amplectẽtes, diuidi iure merito curauerunt, non quia fundatio Ordinis, eiusque lex imperfecta extiterit, sed quia imperfectio omnis eliminanda est ab eis, qui vitam Euangelicã, & Apostolicam, quam professi sunt, omni conatu seruare student. Sed circa hoc satis loco cit.

Discalceatorum Refor. Hispaniæ dilatatio.

Illud tamen, quod dicunt de nostris Reformatis Hispanis, Discalceatis nuncupatis, quod scilicet extra Hispaniã haud commigrarunt, cum veritati historiæ repugnet, nihil vtique prodest, vt ex hoc latiorem, diffusioremq; suam demonstrent Congregationem, quemadmodum è regione nihil officit Congregationi Discalceatorum, vbi conatur minus dilatatam, diffusamque eam patefacere. Cum re vera antequam eorum Ordo infantiam reciperet, Discalceatorum Societas adoleuerit. Ipsa sola (cuius origo ad ann. 1500. vt notatum est tom. 1. Hierarch. ad fol. 56. longè, latèque propagata per Indos, tum Orientales, tum Occidentales, ac totius noui Orbis Prouincias, suis alumnis replens, plures Conuentus, & Fratres continet, quam harum assertorum Religio anno Domini 1540. à Paulo III. cõfirmata. Vide Gonzag. de orig. Seraph. Relig. & quotquot adducit auctores Auct. Martyrol. die 31. Augusti §. 6.

CAPVT QVINTVM

Pro Euentu nono, ac postremo.

Legislatoris Francisci in manibus Pontificis professio, institutio ad summum Generalatum, atque ad gradum Diaconatus promotio. Minores Ordines Socijs eius, clericali munere idoneis ab eodem quoq; Pontifice collati. A quo etiam paruula corona Laicis Fratribus concessa.

Textus Historiæ D. Bonau.

ET Laicis Fratribus omnibus, qui Seruum Dei fuerant comitati, fecit Coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent. *Bonau. cit.*

Corona Laicis Fratrib. B. Franc. à Pontif. concessa.

His paucis verbis, concludit Seraphicus Historicus cap. 3. Legendę, pluries citatæ, veluti si multa rerum illarum perstringeret, quas deinde Marianus tradidit apud Vadingum tom. 1. Annal. ad annum 1209. quasque ipse ex vtroque in 2. tomo Hierarch. fol. 371. rescribens, hic modo iterum repetere haud piget. Affirmat Marianus (ait Vadingus) ex legenda trium sociorum, à quo non dissensit Bonauentura cap. 3. in fine, concessas has coronas Laicis, tam ob ministerium, Sacerdotum, quam vt cum eisdem Dei verbum prædicando incumberent. Idq. post hæc obtentũ à Pontifice per Cardinalem Sabinensem Episcopum, Ioannem Columnam, vt ipse Sanctissimus Dominus, Laicos omnes Minoribus ordinibus, & Franciscum vsque ad Diaconatum donaret, solemnemque ipse in suis manibus omnium reciperet professionem, & vota probaret de huiusmodi obseruando Instituto. Quibus omissis cæteris Francisco promiserunt, se obseruaturos; Franciscus verò Pontifici, quẽ omnium, qui tunc aderant, & superuenturi erant supremum Rectorem Papa constituit, de multis etiam paternè, & deuotè ad recentis instituti firmitatem, & decorẽ humilem

Mino[ri]bus ordinibus ab eo decora[ti].

Franc. à Pontif. generalis Minister constitutus.

humilem Institutorem admonuit, suæ beneuolentiæ reddidit certiorem, & benignè singulos amplexus, & benedicens, per quā hilares dimisit. Hæc noster, de more solidus, doctusque Annalista. Ex concessis Laicis Fratribus à Pontifice coronis, Clericis, & Sacerdotibus Regularibus propriis haud obscurè Bonauentura demonstrat eos ab eodem Pontifice minoribus ordinibus decoratos fuisse, Dum in illo Apostolico cœtu Franciscum Legislatorem indignis hisce cordis meis oculis intueor, ipsum primò veneror genuflexū ad Christi Vicarii pedes, à quo Minoribus ordinibus, ac Diaconali munere decoratur. Deinde ipsum contemplor profitentem in manibus Pontificis legem, quam Altissimus ei inspirauerat, reuelaueratque, vt sibi, ac suis scriberet, simulque illi promittentē, se illam ad vnguem in tota vita sua obseruaturum. Tertiò, ipsum aspicio, quatenus Generalem Ministrum, ab eodē Papa creatum, & illis duodecim, & successoribus Fratribus vsque ad mortem imperaturum. Quartò, ipsum cerno inter paternales Innocentii amplexus; & ab eodem paternè admonitum, ac benedictum, hilaremque dimissum. Horum quatuor argumentorum arcana omnia si scribere vellem; necesse foret (quamplurimis ex Arca Testamenti Doctoris nostri desumptis sententiis) hunc vltimum Euentum plusquam reipsa exposceret, prolixa narratione percurrere.

Quatuor argumenta perpendit nunc Auctor, sed non omnia expendit per appositam allegoriam

SECTIO PRIMA.

Legislator Franciscus prout in sacro Leuitarum Ordine inter cunctos Religionum Institutores Primas, ac Princeps sub purissima Margarita symbolo.

SVpra ordinem Diaconatus, qui ordo inter ordines sacros ex septē medius est, & Subdiaconatu maior, sed Sacerdotio minor, vlterius progredi Franciscus noluit. Huius rei historica ratio ita à multis ex nostratibus cōmuniter fertur apud Auctorem Martyrologii Fratrum Minorū. Cum Virum Sanctum plus æquo sollicitarent nonnulli, vt ad Sacerdotium promoueretur, orationi prolixius idcircò vacare studuit. Dum igitur super hoc adeò arduū negotium, quod ferè hodie ab omnibus vt pauci momenti existimatur, operam, & consilium à Deo peteret; interim apparuit Angelus, ampullam liquore perlucido plenam deferens in manibus, quem ita affatus est. *Aspice, Francisce: qui enim Sanctissimum vult pertractare Eucharistiæ Sacramentum, ea debet puritate nitere, qua simpuli huiusmodi latex.* *Quare humilis Franciscus illam nancisci diffidens, ab inceptis protinus destitit.* Super hanc humilitatem, teste Bonauent. cap. 6. legendæ paulò post init. *Studuit Franciscus ædificare seipsum, vt sapiens Architectus, fundamentum praiacens, quod à Christo didicerat.* Et post plurima alia admirabilis exemplaritatis, quā forte adhuc nondum aliquis imitatus est, subdit in specie hæc alia, alludens officio mercaturæ temporalis, quod antea in sæculo exercuerat Dei famulus, sed postea transtulerat in spiritalem mercaturam. *Vt autē,* inquit, *pluribus modis negotiator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus compleret in meritum, non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere.* Quare haud mirum, si supra gradum Diaconatus lucrari minimè studuerit alium gradum Sacerdotalem, illi superiorem. Sed paulò ante idem Bonau. ibid. *Multa quidem in hunc modum sæpius faciebat, vt exterius tamquam vas perditum fieret, & sanctificationis spiritum interius possideret.*

Quare Frāc. ad Sacerdotalem gradum ascendere refugerit

Negotiator Euangelicus Franc. ob di[...]tissimam eius humilitatē

Igitur dum veluti vas vile, ac perditum se declarauit ob peregrinam suam humilitatem Franciscus ante illud vas vitreum, ac perlucidum, quod cælesti liquore plenum ostendit ei Angelus, illi se valde æquiparari sanctificationis puritate (quam ex ipso matris ventre traxerat, veluti nouus Christi Præcursor, vt plures Doctores rationabili pietate asserunt) haud euidentiori argumento demonstrare poterat, quam eo, quo tanti muneris officio se indignum generosa abiectione existimabat. Ad id probandum, multum conferre potest Interpretis nostri doctrina, quæ vbi egregio parallello historiæ de Vnionibus, seu conchis marinis, vnde generātur Margaritæ, adiungit moralem sēsum, inquit in serm. Dom. 17. post Trinit.

1 *Conchæ dictæ à concauitate, sunt pœnitētes, pauperes, & humiles spiritu, qui in concauitate, idest cordis humilitate consistunt.* In animata Leuitæ nostri Franc. concha hæc moralis cordis concauitas, scilicet humilitas, quanto in se profundior, tanto pariter & altior, vt eius eminentia eminentiæ humilitatis Christi apicem singulari conformitate attingeret, prout licebat optimo discipulo æquiparari Magistro. *Dicebat* (ait Bonau. loco cit. paulò post princi. cap. 6. *propter hoc filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse, vt tam exemplo, quam verbo Dominus, & Magister humilitatem doceret, propter quam studebat tamquam Christi Discipulus in oculis suis, & aliorum vilescerē; à summo dictum esse Magistro commemorans,* quod altum est apud

Conchæ, seu vniones quid moraliter in Franc.

homines, abominatio est apud Deum. *Sed & verbum hoc dicere solebat.* Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, & non amplius.

2 *Hi vt Conchæ sitiunt rorem*, veluti maritum. Vnde & dicunt. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*. Ros cælestis gratiæ tamquam maritus impregnat animam proposito boni operis. Huius roris desideria inhiant, idest se aperiunt. *Radix mea aperta est secus aquas*, Iob 29.

Ros cælestis gratiæ impregnat animam

3 *Cum maximè descendit lunaris imber*, oscitatione quadam hauriunt Conchę humorem cupitum, in quo tria designantur, scilicet, Prosperitas, Aduersitas, Gratiæ infusio. In splendore Lunæ prosperitas, in nocte aduersitas, & in imbre gratiæ infusio significatur; quam Iusti ardenter cupiunt, & aperto cordis ore hauriunt in splendore prosperitatis, & in nocte aduersitatis, ne scilicet prosperitas eleuet, & aduersitas illidat. Vnde Isaia 36. *Anima mea desiderauit te in nocte*. Hanc hucusque doctrinam dum aliis prædicabat Antonius Magister noster, exemplaris humilitatis Francisci imaginem expresse repræsentabat mortalibus. Ait enim de illo Bonauentura loco cit. cap. 6. *Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpè cum beatificaretur à pluribus* (hic prosperitatis in re spirituali, quę periculosior est, splendor est) *Verbum huiusmodi proferebat.* Filios, & filias adhuc habere possem, nolite laudare non securum. Nemo laudãdus, cuius incertus est exitus. *Ista quidem laudantibus*, ad se autem sic. Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce. Hæc nox aduersitatis, vbi intra abyssũ suæ nihileitatis magis, ac magis spe inconcussa miserationis Dei abyssum Franciscus intrabat. *Dicebatque Fratribus sæpè*. De omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator ieiunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare. Hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis, in hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter seruientes ipsi, quicquid donat, adscribimus. Hæc Apostolicus Legislator, ex aureo ore Seraphici Historici desumpta. At sequamur cætera Doctoris nostri de Conchis marinis paralella.

In Lunæ splendore, in nocte, ac imbre, tria symbola elucent

In quo gloriãdum circa Dei seruitium.

4 *Sic concipiunt, & grauidæ fiunt Cõchæ: si purum fuerit, quod accipiunt, candidi sunt orbiculi; si turbidum, aut pallore languente, aut rufo innubilantur colore, ita magis de Cælo, quam de mari partus habent*. Nota (pergit Interpres) quod gratiæ infusio duo facit, aut clarificat, aut conturbat. Clarificat mentem ad contemplandum, & tunc candidæ fiunt Margaritæ, idest mentis affectiones, vel cogitationes. *Ero quasi ros, & Israel quasi Liliũ germinabit Oseæ* 14. Cum ros contemplationis mentem indulcat, *Israel*, idest anima humilis, *quasi Lilium germinabit* candidas cogitationes. Item conturbat ad dolendum de peccatis, & tunc color pallidus, vel rufus efficitur in margaritis, pallidus in cordis afflictione, rufus in cordis contritione. Cant. 5. *Nunciate dilecto, quia amore langueo.* Vnde Poeta. *Palleat omnis amans*. Psalm. 67. *Posteriora dorsi eius in pallore auri*. Ita magis de Cælo, quam de mari partus habent. Qui de mari, idest mundo amaro imprægnantur, viperas parturiunt; qui verò de Cælo, margaritas emittunt. De illis Lucæ 3. *Genimina viperarum, quis vobis demonstrat fugere à ventura ira?* De istis Cant. 6. *Emissiones tuæ Paradisus*.

Gratia Dei, aut clarificat, aut cõturbat

Amor pallens est

5 *Quotiens excipiunt Conchæ matutini aeris semen, vel imbrem, vel rorem fit clarior margarita: quotiens vespere, fit obscurior*. Hoc est, quod dicit Psal. 29. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Nota (sequitur Interpres) quod triplex est vespera, & triplex matutinum, in quorum quolibet est fletus, & lætitia. *Prima vespera* fuit Adæ culpa, in qua fuit fletus, cum de Paradiso eiectus, audire meruit, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Primum matutinum* fuit Natiuitas Iesu Christi, Luc. 2. *Euangelizo vobis gaudiũ magnum, &c. Secunda vespera* fuit mors Christi, in qua fuit fletus, Lucæ 23. *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, &c. Secundum matutinum* fuit ipsius Resurrectio, in qua fuit lætitia, Ioann. 20. *Gauisi sunt Discipuli viso Domino. Tertia vespera* est in morte cuiuslibet hominis, in qua est fletus, Genes. 23. *Mortua est Sara in Ciuitate Arbee, venit Abraham, vt plangeret, & fleret. Tertium matutinum* erit Sanctis in generali resurrectione, in qua erit lætitia sempiterna, vt dicitur Isaiæ 35. Hæc Interpres in quinto paralello, ita sine alia conclusione relicto, quia dum ex se patet, monstrat luculenter Fracisci Margaritam, tam in claritate, quam in obscuritate harum vesperarum, horumque matutinorum in Conca, seu concauitate suæ inclitæ humilitatis, rore Cæli, hoc est peregrina munditia carnali, ac spirituali imprægnatam. De carnali ita Bonau. cap. 9. Legendæ, vbi agit de feruore charitatis Francisci, & desiderio martyrii. Vnde, inquit, quotiens austeritas nimia repræhẽderetur in ipso, respondebat, se datum aliis in exemplum. Licet enim *Innocens eius caro*, quæ iam se spõtè subdebat spiritui, nullo indigeret flagello propter offensas, tamen exempli causa renouabat illi pœnas, & onera, custodiens

Triplex vespera, & triplex matutinum.

Caro Frãc. ad puritatẽ innocentiæ redacta

stodiens propter alios vias duras. De spirituali verò munditia, ita cap. 11. quod est de intelligentia scripturarum, & spiritu prophetiæ Francisci. Penetrabat, ait, *Ab omni labe purum* eius ingenium misteriorum abscondita. Et vbi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat quãdoque in libris sacris, & quod animo semel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ. Quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ deuotionis ruminabat affectu. Hęc ibi Seraphicus Historicus.

Coruscatio mistice est Diaboli tentatio

6 *Si repentè micauerit coruscatio,* intempestiuo motu vniones comprimuntur. Coruscatio (subdit Interpres) est Diaboli tentatio, quam iusti valdę metuentes cum ipsam senserint, statim se comprimũt, & portas sensuum claudunt. Ioann. 20. *Cum esset serò die illa vna sabbathorum, & fores essent clausæ.* Pluribus exemplis Diaconus, & Legislator noster id docuit, inter quæ illud potissimum, ac ferè inimitabile, & valde ad rem nostram concinnũ, quod refert Bonau. cap. 5. de eius vitæ austeritate. Cum autem, inquit, apud eremũ de Sartiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocauit eum hostis antiquus, ter dicens. *Frncisce, Francisce, Francisce.* Cui cum quid quæreret, respondisset, fallaciter ille subiunxit. *Nullus est in mundo peccator, cui si conuersus fuerit, non indulgeat Deus; sed quicumque semetipsum pœnitentia dura necauerit, misericordiam non inueniet in æternum.* Statim vir Dei per reuelationem cognouit hostis fallaciam, quomodo nixus fuerit, eum ad tepida reuocare. Nam hoc sequens indicauit euẽtus; continuò enim post hoc ad insufflationem illius, *cuius alitus prunas ardere facit,* Iob. 41. grauis ipsum carnis tentatio appræhendit, quam vt præsentit *Castitatis amator,* deposita veste, corda cœpit se verberare fortissimè. *Eia, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica Religioni deseruit, sanctitatis signaculum prefert. Furari eam libidinoso non licet si quo scis pergere, perge.* Insuper & mirando feruore spiritus animatus, aperta cella, foras exiuit in hortum, & in magnam demergens niuem corpusculum iam nudatum, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur. *Ecce hæc maior vxor tua est, quatuor istæ duo filij, & duæ filiæ, reliquæ duæ seruus, & ancilla, quos ad seruiendum habere oportet. Festina igitur, omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si verò eorum multiplex sollicitudo molestat, vni Domino sollicitè serui.* Illicò tentator victus, abscessit, & Vir Sanctus cum victoria in cellam rediit. Quia dum benè pœnaliter alxit foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, vt deinceps tale aliquod minimè sentiret. Hæc Bonau. Doctrinam Interpretis nostri in 6. paralello sanctissimi, ac mundissimi Diaconi Francisci, virginea puritate incliti, mirandum in modum comprobans.

Diaboli fallacia à Frãc. cognita, & elusa.

Corpus Frã. virgineũ ad niues proiectũ verè purissima margarita.

Vicit Diabo li insufflationem

7 *Conchis ipsis inest sensus; partus suos timent maculari. Cumque flagrantioribus radijs excanduerit dies, ne fuscbentur lapides Solis calore, subsidunt in profundum, & gurgitibus absconduntur ab æstu. Margarita in aqua est mollis, durescit humo, nunquam duæ simul reperiuntur. Vnde Vnio dicitur.* Sensus est ad animam (applicat Interpres) per corpus commeans mentis stimulatio. Iustorum partus, idest opera sua, timent maculari, & ideo cum dies mundanæ vanitatis excanduerit, idest ei arriserit, statim descendunt in profundum, idest considerant suæ fragilitatis, & iniquitatis miseriam, & gurgitibus lachrymarum se abscõdunt, nè si aliter fecerint eorum Margaritæ fuschentur, & obnubilentur Solis calore, idest dignitatis, vel humani fauoris ardore. Iuxta quam Interpretis nostri doctrinam, ita Bonau. ibidem de Leuitæ Francisci humilitate, postquam ordinatus est à Pontifice Diaconus, vberrimus ditatus fauoribus, atque ad Generalis Ministri officium exaltatus, stultum proinde iudicans, mundanis extolli fauoribus, gaudebat de opprobrijs, & de laudibus tristabatur. Malebat quidem de se vituperium audire, quam laudem, sciens, quod hoc ad emendationem induceret, illa impelleret ad cadendum.

Ingens Frã. zelus, & custodia, ne eius spiritua les Margaritæ macularetur.

Opprobria ipsi cara, laudes abominabiles.

Et ideò sæpè cum populi merita in eo Sanctitatis extollerent, præcipiebat alicui fratri, vt in contrarium verba, ipsum vilificantia, suis auribus inculcando proferret. Cumque frater ille, licet inuitus, eum rusticum, & mercenarium, & inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quàm facie respondebat. *Benedicat tibi Dominus, fili carissime, quia tu verissima loqueris, & talia filium Petri Bernardoni licet audire.*

Iniuriarum sonus gratus sibi, ac suis.

Vt autem se cæteris despicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus. Accidit semel, vt infirmitate grauatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum, relaxaret. Viribus autem corporis vtcumque resumptis, verus sui contemptor ad propriæ carnis animatus opprobrium, non est, inquit, conueniens, vt populus abstinentem me credat, & ego è contrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea, *Sanctæ Humilitatis spiritu inflammatus,* & in platea Ciuitatis Assisii populo conuocato, solemniter cum Fratribus multis

Ex lapide malefactorũ prædicat cõtra seipsum.

multis, quos secũ adduxerat, maiorem introiuit Ecclesiam, *funeque ad collum ligato, nudum cum fœmoralibus solis in oculis omniũ se trahi præcepit vsque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueuerant collocari*, super quem conscendens, licet quartanarius esset, & debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicauit, audientibusque cunctis asseruit, *se non tamquam spiritualem honorandum fore, quinimmò tamquam carnalem, & glutonem ab omnibus condemnandum*.

Ingens spectaculum in platea. Assistentium effectus.

Igitur qui conuenerant tam ingenti viso spectaculo admirati sunt, & quia ipsius austeritatem iam nouerant, deuotione compuncti Humilitatem huiusmodi magis admirabilem, quam imitabilem proclamabant, licet autem magis id videatur fuisse, tamen vere documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Christi sectator instruitur, transitoriæ laudis præmium debere contemnere, tumentis quoque iactantiæ comprimere fastum, & fraudulentæ simulationis mendacium confutare. Et paulò infra iuxta vltima verba Interpretis nostri, *ne coram margaritæ subijciantur, &c.* subdit Bonau. *Idcirco Generalis cedens officio, Guardianum petijt, cuius voluntati per omnia subiaceret. Tam enim vberem asserebat Sanctæ Obedientiæ fructum, vt eis, qui iugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transiret*. Vnde & fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueuerat, & seruare. Dixit aliquando socijs. Inter alia, quæ dignanter pietas mihi Diuina concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter Nouitio vno vnius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo, & discretissimo fratri, Subditus, inquit, Prælatum suum non hominem considerare debet, sed illũ, pro cuius est amore subiectus. *Quanto enim contemplabilior præsidet, tantò magis humilitas obedientis placet*. Et paulò inferius afferens dictum, & monitum Viri Sancti, & addebat, inquit, *in Prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animi lucrum est. Cur ergo periculis, quam lucris attendimus, cum attepemus tempus ad lucrum*.

Perfecta eius humilitas simul extitit & documentum.

Vberem fructũ colligit obedientia

In subditi humilitate animi lucrũ. in prælatione casus.

Vbi deinde cap. 5. de imbribus lachrymarum Francisci loquitur, hæc habet. Et quoniam Agnum sine macula crucifixum non est possibile homini, carnis infirmitate circumdato sic perfectè sectari, quin aliquando aliquas contrahat sordes, ideò documenta certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ vigilanter intendunt, *quotidianis debere se lachrymarum emundare fluentis*. Licet enim tam esset adeptus cordis, & corporis puritatem mirabilem, *non cessabat tamen lachrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminũ non ponderando iacturam*. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset grauissimam, suadente sibi Medico, quod abstineret à lachrymis, si corporei visus cœcitatem vellet effugere, Vir Sanctus respondit. *Non est, frater Medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum. Quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malebat corporalis visus lumen amittere, quam lachrymas, quibus oculus mundatur interior, vt Deum videre valeat, repressa deuotione spiritus impedire, &c.*

Deuotæ lachrymæ plus quam ipsa oculorũ valetudo existimandæ

Sed reliquum de Margaritis tramitem Interpretis nostri persequentes, audiamus ipsum. *Margarita in aqua, ait, est mens iusti, quæ in aqua voluptatis mollis efficitur, sed exempta humo, idest austeritate, durescit*. Ad hæc Seraphica Bonauenturæ concordantia ita se habet in cap. 5. hanc ipsam de Margarita proprietatem in Legislatore, ac Venita Francisco illius vitæ austeritatem exemplariter describens. Cum certeret Vir Dei Franciscus suo exemplo ad Crucem Christi baiulandam feruenti spiritu plurimos animari, animabatur etiã ipse tamquam bonus Dux exercitus Christi ad palmam victoriæ per culmen inuictæ peruenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum ad Galatas 3. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*, vt Crucis armaturam suo ferret in corpore, *tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, vt vix necessaria sumeret sustentationi naturæ*. Et paulò infra ostendens peregrinam eius discretionem in austeritate cibi, & potus per conformitatem ad Euangelium, suadens illud, *Edite quæ apponuntur vobis*, vbi extranei eum in domos suas charitatiuè recipiebant, subdit hæc alia. *Sicque seipsũ austerum sibi, humanum proximo subiectum Euangelio Christi per omnia reddens, non solũ abstinendo, verum etiam manducando præbebat ædificationis exemplum*. Deindè statim pergens ad alia eius austeritatis opera, sic sequitur. Nuda humus vt frequentius lectus erat lassato corpusculo, & sæpè sedens, ligno, vel lapide ad caput posito, dormiebat; vnica paupere contentus tunicula, in nuditate Domino seruiebat, & frigore. Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, asserens propter hoc Ioannem Baptistam ore diuino fuisse laudatum. *Experientia certa didicerat, Dæmones asperitate terreri, delitiosis autem, & mollibus ad tentandum fortius animari*.

Mistica Francisci Margarita quã dura euaserit per vitæ austeritatem

Mira Franc. exẽplaritas, siue abstinẽdo, siue comedendo.

Vnde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis, & oculorum præter solitum morem ceruical de pluma positum

haberet

Dæmonis armatura validissima hęc vestimentorũ mollities

haberet ad caput. Dæmon in illud ingressus, ipsum vsque ad horam matutinalem inquietatum multimodè, à sanctæ orationis studio perturbauit, donec vocato socio, puluinari cum Dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. *Egressus autem cum puluinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit, & vsum, quousque ad vocem Sancti Patris, hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis, & corporis sibi fuit plenariè restitutus.*

Alia proprietas de Margarita in eodem paralello erat ista. *Numquam duæ simul reperiuntur, &c.* Interpretatio autem Doctoris nostri ad mores sub hac ratione explicatur. *Quia in mente Viri iusti non est sic, hoc est, & non. Si non sint duæ partes, non est disiunctio, sed vnio dicitur, quia sollicitus seruat vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Hæc vnio, siue spiritus vnitas in pacis vinculo cum Creatore suo, & cum proximo suo in ordine ad Creatorem, tanta fuit in humilitatis Francisci concha, vt penè affatu inexplicabilis reperta sit. Hoc solo exemplo possumus aliquãto eam magneti assimilari potẽtissimę, ob quã vnitas vnitati, vinculum vinculo, ligamen ligamini miranda quadam consonantia inter Franciscum, & Deum suum respondebant. Refert enim Bonau cap.5.citato propè finem hanc rependens sympathiam, *quod non solum creatura seruo Dei seruiebat ad nutum, sed & Creatoris vbique prouidentia condescendebat ad placitum.* Cum enim tempore quodam ex multarum infirmitatum concursu; aggrauato corpore ad iucunditatẽ spiritus excitandam alicuius audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministeriũ fieri pateretur humanum, *Affuit Angelorum obsequium, ad Viri Sancti placitum adimplendũ. Nocte etenim quadam, vigilante ipso, & meditante de Domino, repentè insonuit Cithara quædam harmoniæ mirabilis, & suauissima melodiæ. Non videbatur aliquis, sed transitũ, & reditum Citharedi ipsa hinc inde; auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono carmine suauitate perfruitus, vt aliud se putaret saeculum commutasse, &c.* Nisi consonans vnio, in seruanda vnitate spiritus in vinculo pacis internæ cum conscientia propria, & cum Deo, & externæ cum proximo, etiam in ipsis infirmitatum diuersarum grauaminibus sollicitissimo, in Francisco affuisset, illa Paradisi harmonica vnitas à Deo, summè vno per Angelum, creata vnitate simplicem, haud quidem adeò fauorabiliter ei insonuisset.

Vnio in mente viri iusti quæ.

Vnio Spiritus Franc. ad Deum per sympathiam quãdam.

Ex eadem vnitate spiritus cum seipso, cum Deo, & cum creaturis (non secus ac si in statu Innocentiæ, vbi nulla dissona diuisio inter sẽsum, & rationẽ, & inter hãc & Deum, sed dulcisona vnio, ac coniunctio) oriebatur in Francisco illa tam peregrina, singularisque pietas, de qua idem Bonau.cap.8.Pietas vera, quæ secundum Apost.1. Timoth.4. *ad omnia valet*, adeò cor Francisci repleuerat, ac penetrauerat, vt totum videretur seruum Dei in suum dominium vendicasse. *Hæc est, quæ ipsum per deuotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum. Per condescensionem inclinabat ad proximum; & per vniuersalem conciliationem ad singula refigurabat ad innocentiæ statum, &c.* Vide ibi plura admiranda paradigmata, & quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici. Sed ad postremum paralellum, quod veluti triforme est.

Pietas vera in eo, & vnitate spiritus deriuabat

8 *Piscantium insidias timent Conchæ; vnde inter scopulos delitescunt, gregatim natant. Earum agmini Dux est certus.* De priori huiusce historiæ proprietate ita Interpres noster. *Scopulus* est saxum eminens, Gallicè, *escuel*, à speculando dictus, *mentis humilitatem significat, in qua qui se abscondit, Dæmonis insidias non metuit.* Textus Bonau. huic doctrinæ ita historicè consonat, vbi de Francisci austeritate, ex profundissima mentis humilitate proueniens. *Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curam permaximam gerens de vtriusque hominis puritate seruanda.* Quapropter circa conuersionis suæ primordia tempore hyemali in foueam plenam glacie seipsum plerumq. mergebat, *vt & domesticum sibi hostem perfectè subyceret, & candidum vestimentum pudoris à voluptatis incendio præseruaret.* Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat, *Magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente.*

Piscantium insidias timent Margaritæ.

Pariter & Franc. diligentissimus suæ puritatis custos

De secunda, ac tertia proprietate ita Interpres. *Gregatim natant*, in quo spiritus vnitas significatur. *Earum agmini dux est certus*, in quo *Obedientia* significatur. *Prælatus est Dux*, quem sequimur, cui obedire ex animo omnes tenemur, vt vnitatem spiritus in vinculo pacis conseruare mereamur. Hæc fuit Interpretis nostri conclusio super octo præfatis paralellis de Margaritarum Conchis. Hæc pariter erit & conclusio nostra, vbi in Duce nostro, ac Legislatore Francisco (religiosa dignitat[e] summo Rectore, Clericali Ordine Leuita, morali verò similitudine ob eius maximã humilitatem, ac puritatem Margarita) legimus constantem reluctantiam ad Sacerdotalem apicem, quem dum refugit assumere, eo se dignum fuisse ipsmet vtique humilitatis suæ argumento testatus est. Exindeq. Sacerdotalibus manibus (inquit S.Antoninus) quibus conficiendi Domi-

nici

nici Corporis Sacramentum collata est potestas, magnam volebat reuerentiam exhiberi; vnde sæpè dicebat. *Si Sancto venienti de Cælo, & pauperculo alicui Sacerdoti me contingeret obuiare, ad Sacerdotis manus deosculandas citius me conferrem, & Sancto dicerem, expecta me, Sancte, quia manus huiusmodi verbum vitæ contrectant, & vltra humanum aliquid possident.* Ita 3. par. Chron. titul. 14. cap. 2. 5. quem sequuntur alii quamplures. Illud supra humanum in manibus Sacerdotalibus ex Sacramentis tum Pœnitentiæ, tum etiam & Eucharistiæ, declarat Interpres noster in hunc modum super illud Iobi ænigm. cap. 26. *Obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.* Obstetrices (ait serm. Dom. 3. post Pascha) dicuntur Sacerdotes, qui peccatoribus confitentibus debent seruire, & ministrare. Vult dicere, *seruire*, dum pariunt in confessionibus. Vult dicere *administrare*, dum comedunt in communionibus. Declarat autem illud seruitutis spiritualis officium ita statim. Dicuntur Obstetrices Sacerdotes ab ostando, idest seruiendo. Textus ait, *Obstetricante manu eius.* Manus Domini est Sacerdos, per quem educi debet coluber, idest vetus homo à peccatore, vt postea pari... nouum hominem. *Sicut enim pariunt mulieres (vt fertur) in quadam regione, ita quod prius bufonem emittunt, quam puerum, sic & pænitens prius per confessionem emittat veterem hominem, & tandem pariat in se nouum hominem.*

Dum non vult Franc. esse Sacerdos, magnã exhiberi sacerdotibus reuerentiam docet

Sacerdos est Dei manus.

Aliquot Institutores Ordinum, haud fuisse Sacerdotes; vt Diuum Benedictum Abbatem, vel Diuum Maurum Abbatem eius Discipulum, & Grandismontis fundatorem S. Stephanũ, teste Petro Blesensi epist. 88. Belarm. lib. 1. de authoritate Summi Pontificis cap. 26. de Sucram. Euchar. & D. Franciscum de Paula, scribit Auctor Martyrologii nostri die Octobris 4. festo S. Francisci sacro. Sed inter cunctos in Ecclesia Institutores Religionum, solum Franciscum fuisse Diaconum, vsque huc (ni fallor) in compertο est. Cuius rei congruentia principalior fortè erit ista, iuxta parabolam de homine illo, qui apud Lucam in cap. 10. *Descendens ab Hierusalem in Hierico, incidensque in latrones, &c.* haud Sacerdos, haud Leuita curam illius, adeò malè vulneribus affecti, ac *semiuiui relictis* egit, sed *Samaritanus*. Homo iste (explicat Doctor noster Dom. 13. post Trinitatem) *Adam intelligitur in humano genere*, qui à beatitudine cælestis Hierusalem præuaricationis prolapsione, ad miserias, & ad defectum huius vitæ mutabilis, & erroneæ descendit, *cum intumescere cæpit*. Per hoc etenim *incidit in latrones*, idest in potestatẽ Diaboli, & Angelorum noctis, qui se transfigurant in Angelos lucis, sed perseuerare non possunt. *In quos non incideret, nisi eius cælestis mandati immemor se fecisset obnoxium.* Iuxta sensum literæ quid significent in hac parabola Sacerdos, & Leuita, quidque Sammaritanus, idem Doctor noster sic declarat serm. 1. Dom. in passione. Est igitur, vt dixi, *Samaritanus Christus*, qui curam egit saucii, quem lex, & Prophetæ, Sacerdos, & Leuita incuratum reliquerunt; qui ipsum posuit in iumento suo, & apposuit vinum, à mortificatione doctrinæ, & à putredine culpæ præseruans, & oleum linitiuum clementiæ, & misericordiæ dulcorantis. Iuxta sensum deindè moralem, *in Sacerdote*, ait loco cit. Dom. 13. post Trinit. *Amor dominandi, in Leuita hypocrisis designatur.* Et inferius. *Samaritanus, qui interpretatur custos, Sancti Spiritus, gratiam significat.* Neque possibile erat de lege ordinaria, neque congruum, vt simplex Sacerdos legis Mosaicæ (& maximè quando plenitudine temporũ iam extante, amor dominandi in Hebræorum Synagoga immodica cupidine æstuabat) humani generis redemptionem exequeretur. Ad hunc supplendum defectum, venit Christus Sammaritanus, quia de Spiritu Sancto conceptus. Homo, & Deus. Pontifex, & Sacerdos, humillimus, & in forma serui, & vt talis in lege gratiæ, fundans Ecclesiam Christianam vniuersam, operatus est redemptionem. Ad supplendum verò Leuitæ defectum in eiusdem Ecclesiæ reparationem, in qua sufficiebat quidem simplex homo in substantia (licet minimè in circumstantiis, & quantum ad mores suffecisset, vt idoneus tanti muneris esset) alium ordinauit Dei prouidentia Leuitã, qui per renouationem legis Euangelicæ, ac vitæ Apostolicæ, ac per destructionem superbiæ, atque hypocrisis, factus Christo simillimus, ac tripliciter Legislator, tripliciter quoque, vt ait Bonau. collapsam Ecclesiam per se, & per suos tres Ordines repararet, sustineretque. Sicut ergo decens fuit, vt Summus Sacerdos humanam Redemptionem efficeret, quam simplex Sacerdos exequi nequaquam poterat, & ad cuius defectum supplendum Christus venerat; ita pariter congruum fuit, vt defectum Leuitæ (qui minus aptus euasisset ad idem redemptionis opus supplendum) Leuita Franciscus in ordine ad reparationem generis humani, atque in toto Leuitici ordinis gradu, Christo vt plurimum assimilaretur. Eo vel maximè, quia Franciscus etsi Leuita in officio, mistica tamen Sacerdotali dignitate adeò in tota eius vita claruit, vt veluti vnicus in ea delectus fuerit ad tam arduum reparationis ministerium.

Solus Franc. inter Institutores Ordinum Diaconus.

Quomodo genus humanum inciderit in latrones.

Christus Samaritanus, lex, & Prophetæ, Sacerdos, & Leuita.

Christus in opus redemptionis suppleuit sacerdotum defectum.

Franc. verò in opus reparationis ad defectũ Leuitarum.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Leuita Christi Franciscus statim post approbatam Minorum legem totus ignitus super currum igneum ad instar globi Solaris duodecim Discipulis suis apparet.

IN primo Tractatus sequentis libro, vbi conscribendus Francisci discessus ab Vrbe Roma cum duodecim eius sociis anno præfato 1210. rerum præcipuarum, ac principalium per Vallem Spoletanam successus memorabimus. Nunc verò historiam valde singularem ex Bonau. cap. 4. breui enarrare fas erit, ex qua Leuitæ Francisci Euangelicæ legislationis excellentiam quilibet deuotus, ac pius animus concipiens, proculdubio super eam obstupebit, & in eius amorem inflammabitur. Et licet eius locus aptior esset in dicto Tractatu iuxta seriem temporum, nihilominus hic sectionem hanc, & aliam sibi immediatam ob argumentum de Diaconatu Francisci anticipatè posuimus. Contrahentibus autem Fratribus moram (ait Bonau. loco præfato, de quo loco inferius ibidem) Vir Sanctus die quadam Sabbati Ciuitatem Assisij intrauit prædicaturus manè die Dominicæ, vt moris erat. Cumque in quodam Tugurio, sito in horto Canonicorum Vir Dei deuotus in oratione Dei more solito pernoctaret, corporaliter absentatus à filiis; Ecce ferè media noctis hora (quibusdam ex Fratribus quiescentibus, quibusdam perseuerantibus in orando *Currus igneus* mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc, atque illuc per domicilium tertiò se conuertit. Super quem *Globus lucidus residebat, qui Solis habens aspectum, noctem clarere fecit*.

Apparitio Francisci ad suos super currū igneū media noctis hora,

In singulis v. erūq. hominem illustrauit.

Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul, & exterriti dormientes, & non minus senserunt cordis claritatem, quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namq. concorditer omnes, videntibus inuicem vniuersis in cordibus singulorum Sanctum Patrem, absētem corpore, præsentē spiritu, tali transfiguratum effigie supernis irradiatum fulgoribus, & splendore simul & igneo sibi demonstrari à Domino, *vt tamquam veri Israelitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium, vt alter Helias factus fuerat à Deo currus, & auriga*. Credendum sanè, quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, vt viderent magnalia, qui oculos quondam aperuerat pueri ad videndum montem plenum Equorum, & igneorum curruum in circuitu Helisei. Regressus autem Vir Sanctus ad Fratres, cæpit conscientiarum ipsorum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili, & de profectu Ordinis multa futura prædicere. *Cumque patefaceret plurima, quæ sensum transcendebant humanum, verè cognouerunt Fratres super seruum suum Franciscum spiritum Domini in tanta plenitudine quieuisse, quod post ipsius doctrinam, & vitam erat eis proficisci tutissimum, &c.*

Sub Diaconatus ord. vt alter Helias currus, & auriga suorum Franc.

Singulorum conscientias rimauit

Tota vita, & doctrina Leuitæ Francisci Apostolica, & Euangelica in eius lege, seu Regula (quam eodem tempore à Romano Pontifice vbi approbauit, simul contulit & Diaconatus characterem) continebatur. Ipse tamen ordinis Leuitici Sacramento, ac duplici Spiritus aucta vnctione consecratus, per eamdem Regulam Regula morum, & virtutum effectus. Nam in seipso primum deferens, exprimensque Sanctam, ac Diuinam amoris legem, vtrumque hominem illustrantem, & à Christi Vicario iā approbatam, super igneum Currum, cuius Equi, illum circumferentes, & ipsi ignei, insolito statim patefecit miraculo, quo pariter & in globum Solis perlucidum transfiguratus apparuit. Legi amoris certè ignis ille proprius est, qui ob affinitatem immediatam, seu approximationem ad Spiritū Sanctum in summa cælestium Hierarchia Seraphinos constituit, sicut testatur ex Areopagita D. Thomas. Et docet Interpr. noster tangens huius rei figuram, licet quoad modum variam, super illud, *Cum complerentur dies Pentec. &c.* Actor. 2. Data est ait lex quinquagesima die in igne, in nouo etiam testamēto quinquagesimo die à Pascha Christi descendit Spiritus Sanctus in Apostolos, in igne apparens. *Lex in Monte Syna. Spiritus Sanctus in Monte Sion. Lex in sublimi Montis loco, Spiritus datur in Cœnaculo*. Erant omnes pariter Discipuli in eodem loco. Nullus absens erat, vnum cor, & animam vnam habentes in eodem loco, scilicet, Cœnaculo, quod ascenderant. *Qui enim Spiritum Sanctum desiderat, carnis domicilium mentis contemplatione transcendendo calcat*. Hæc ille superius datus ex die S. Pentec. Animalia ignita, Currum igneum cum Francisco per aerem trahentia, atque eodem Curru lucidissimi Solis globum in ipso Francisco deferentia, erāt illa mmet, de quibus Ezechiel. 1. *Et similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*. Numero quaternario ista animalia continebantur. Quatuor etiam naturæ, quæ

In curru igneo ignea lex Minorū testata est

Vide tom. 1 Hier. anctoris cap. 2.

Lex in mōte Syna, Spiritus S. in mōte Sion

igni naturæ insunt, & ignis Spiritus Sācti symbola explicant hoc modo apud Doctorem nostrum loco cit. in die S. Pentec. *Ignis*, inquit, *quatuor habet naturas. Vrit. Purgat. Calefacit. Illuminat. Similiter Spiritus Sanctus exurit peccata. Purgat corda. Torporem excutit. Ignorantias illuminat. Ignis etiam incorporeus, & inuisibilis est in sua natura, sed assumpto aliquo corpore videtur diuersi coloris apparens per materias, in quibus ardet. Sic Spiritus Sanctus videri non potest, nisi per creaturas, in quibus operatur.* Isto eodem modo visus est Spiritus Sanctus, totus præsens in Leuita Francisco statim post acceptam Regulæ approbationem cum Diaconatus ordine. Et quia Apostolicus, atque Euangelicus iam totus euaserat: propterea in Curru igneo, Currui ignis Ezechielis persimili, apparuit suis, ignem euehens Spiritus Sancti in approbata amoris lege, seu Regula, cuius Ductores igniti Homo, Leo, Bos, Aquila, quatuor Euangelicæ legis Scriptores, ac Promulgatores præfigurantes. Sic citò ignis Spiritus Sācti cæpit duodecim illos Apostolicos Viros ad ordinem Seraphinorum spiritualiter eleuare, vt deindè cū ipso Legislatore ipsi soli in Ecclesia Dei Seraphici appellitarentur. Dum enim ex virtute mirandi luminis, in eo igneo Curru, & solari globo coruscantis alterius alteri consciētia nuda fuit; Exussit perinde in eis quicquid residui præteritæ culpæ reliquerant. Purgauit eorum corda. Excussit torporem. Ignorantias ad euentus de rebus futuris illuminauit. At de his in specie, quatenus Seraphico ordini in Cælesti Hierarchia conueniunt per respectum ad Hierarchiam nostram ex vi Regulæ in aptiori loco agendum. Reliqua secundum textum Ezech. respondēt visioni præfatæ de Curru igneo Leuitæ Francisci, iuxta paragraphos, seu glossam postillatam Interpretis nostri, qui ita sequitur.

Ignis naturæ quatuor sunt.

Ita in igne Spiritus S.

Origo Seraphinorum in Ord. nostro.

Et erat visio discurrens in medio Animalium, splendor ignis, &c. Splendor ignis (subdit Interpres) est compassio charitatis, quæ ascendit, & illuminat, de qua *egreditur fulgur* operationis. Hæc visio, quæ verè videre facit, debet *discurrere in medio animalium*, idest Christianorum; & benè dicit discurrens, idest per diuersa currens. *Vera compassioni non sufficit prouidere necessitati corporis*, nisi prouideat animæ, & è conuerso.

Quid splendor ignis, & fulgur in curru Franc.

Compassio vera Christi, & Francisci in Regula Minorum (quæ tota ignea lex est, & tota austeritas Apostolica, & Euangelica, tota charitas, & ardor Seraphicus) currens, & discurrens per omnem Mundū nemo adhuc, siue persecutor, ab illius radiis offensus, siue pietate probatus, ab ipsius splendore captus, *se abscondere potuit à calore eius.*

Animalia ibant vbi erat impetus, nec reuertebantur cum ambularent. Quamdiu, ait Interpres, Prædicator potest extra fructū facere, vix numquam propter quietem temporalem, vel spiritualem reuerti debet.

Quid in animalibus sine reuersione ambulatio.

Id semper obseruauit Franciscus, & in id exemplo, & verbo suo Discipulos docuit, ac Prædicatores in capite primæ Regulæ 17. vbi in specie scriptum. *Omnes tamen Fratres operibus prædicent.* Quod sanè operibus non prædicarent, si dum *Aduenæ, & peregrini in hoc sæculo esse profitentur*, attamen ob præfatam quietem, vbi possent extra fructum efficere, *reuerterent, cum ambularent.* Vnde Bonau. cap. 12. vitæ S. Francisci refert, quod vbi fuit ipsi reuelatum à Deo per BB. Siluestrum, & Claram, quibus ipse id mandauerat; beneplacitum scilicet esse Domini, quod Christi præco ad prædicandum exiret, *exurgens continuò succinxit se, & nulla prorsus contracta mora, iter aggressus est. Ibat autem cum tanto feruore, vt diuinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si facta manu Dei super eum, nouam induisset è Cælo virtutem. Ibant in similitudinem fulguris coruscantis.* In fulgore (inquit Interpres, vt alibi adnotauimus) *notatur velocitas, caliditas, & claritas.* Hæc tria debent maximè Prædicatori conuenire.

1 *Velocitas*, quandò mittuntur, ad officium prædicationis peragendum, Prouerb. 6. *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, discurre, festina, suscita amicum tuum.* Vnde ad velocitatem intimandam præcipit ei Dominus Lucæ 10. *Nolite portare sacculū, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.*

Et in Prædicatore.

Velocitas

2 Item *calidi debent esse* per feruorem charitatis. Vnde in Apostolos missus est Spiritus Sanctus in forma ignis, vt eos calefaceret ad alios incendendos. *Quia qui non ardet, non incendit.*

3 Itē *Lucidi debent esse* per doctrinam, exemplum, & famam, Matth. cap. 5. *Vos estis lux Mundi, sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.*

Lux in doctrina, exemplo, ac fama

Eleuabantur pariter Rotæ, Spiritus enim vitæ, &c. Humilitas (ait Interpres) tenet hominem firmum, licet sit rota inter prospera, & aduersa. *Inter prospera*, quia nec humana laude extollitur; etenim sicut aurum probatum in fornace, sic virtus humilitatis ore laudantium nō euaporat fumum vanæ gloriæ. Nam omnia liquabilia sunt euaporabilia. *Inter aduersa similiter*, quia verus humilis non habet

Quid est eleuari pariter Rotæ.

ventum

ventum superbiæ, & ideo non crepat in fornace increpationis. Hæc Interpres in expositione mistica super Ezech. cap. 1. Super igneam Francisci quadrigam Solis globus ferebatur, vt assimilaretur Christi quadrigæ, de qua Interpres noster serm. Dom. 11. post Trinit. in principio super illud Ecclesiast 43. *Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radijs suis, obcæcat oculos*. Eius explicatio partim iuxta poesim, quam Pictores imitantur, partim verò iuxta philosophiam naturalem, est huiusmodi. *Sol dictus quasi solus appareat*, obscurans suis splendoribus cætera Sydera. Depingitur autem cum quatuor *Equis*, & secundum illos *habet quatuor naturas*. Nam quando oritur, splendens est. Cum ascendit, calens, quando est in meridie, ardens. Cum declinat ad occasum, tepescens. Sol est Christus, qui habitat lucem inhabitabilem, & inaccessibilem, cuius luci omnis lux tenebræ, cuius iustitiæ omnis Sanctorum iustitia comparata est sicut pannus menstruatæ. *Huius Solis quatuor Equi sunt quatuor Euangelistæ*.

Sol vnde sic dictus.

Curquatuor equis depingatur.

Sol est Christus.

1 Matthæus fuit quasi *Equus splendens*, cui attribuitur *facies Hominis*, quia de Homine exortus est scribere, *Liber generationis Iesu Christi*.

2 Marcus *Equus calens*, cui attribuitur *facies Leonis*, qui calidæ est naturæ, sic enim ait. *Vox clamantis in deserto, &c.*

Quatuor Euangelistæ.

3 Ioannes ardens, *cui facies Aquila*, eo quod irreuerberatis oculis, tamquam Aquila super seipsum eleuatus, perspexit Solem, cum ait, *In principio erat Verbum.*

4 Lucas tepescens, *cui facies Vituli* attribuitur, qui in sacrificio occiditur, quod Lucas præcipuè exequitur.

Christus fuit Sol splendens in sua natiuitate, calens in sua prædicatione, in qua rugit sicut Leo, *Agite*, inquit, *pœnitentiam*. Ardens in miraculorum operatione, in quibus apparuit, quod verus esset Deus. Tepescens in sua passione, velut Vitulus Patri immolatus cecidit in morte.

In ipso sole Christo quadriga, & quadrifacies Euangelistarũ

Iste Sol cum peccatori oritur, fit ei splendens in peccati cognitione. Calens in ipsius dolore. Ardens in satisfactionis feruore. Tepescens in vitiorum mortificatione.

Fit etiã sol quadrigatus in nobis.

De hoc Sole dicitur, *Tripliciter Sol exurens montes*. Mons dictus quasi nõ habens motum. Montes sunt huius sæculi superbi, Psalm. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini*. Quos exurit tripliciter, scilicet, *contritione, confessione, & operis satisfactione*. Radios igneos exufflans. *Radij huius Solis sunt Paupertas, Humilitas, Patientia, Obedientia Christi*. Quot exempla, quot salutis verba nobis dedit, tot radios igneos, quibus accenderemur ipsius amore, nobis ex se sufflauit, de quibus & subditur. *Refulgens radijs suis, excæcat oculos*. Quia radiis paupertatis, & humilitatis obcœcantur superbi, *vt non videntes videant*. Est enim tamquam Collyriũ, oculum infirmum perturbans; & quasi excæcans, sed postea clarificans, & illuminans. Hæc Interpres.

Radii solis Christi qui.

Spiritualis Christi Solis Iustitiæ ortus in Leuita Francisco, maximè post acceptam à Christo Regulam, & à Christi Vicario approbatam, totus Euangelicus extitit, ac propterea in Curru igneo, & in perlucido Solis globo per eumdem Franciscum se ostendit, atque ex tunc potissimum per ipsum quoque ei omnia renouare, & restaurare incępit. in Ecclesia dum è Christianorum memoriæ funditus planè exciderant, quæ ex Interprete nostro explicuimus, vt patet manifestè, collatis ad inuicem vtrimque paralellis. In suo Aduentu carnali, ac visibili testatur Christus Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat*. Quem ignem, penè extinctum, veniens ipse spiritualiter in Leuita Francisco, cui inspirauerat, reuelaueratque Fratrum Minorũ igneam, hoc est Seraphicam legem, quę tota humilitas est, puritas, paupertas, iterum accendit, nec alio modo, nisi eo, de quo Interpres noster serm. Dom. 17. Trinit. vbi egregia anthitesi hæc scribit valde rei nostræ peculiaria. *Attende, quod in terram, non alio loco se dicit ignem mittere, & benè. Venerat enim contrarys contraria curare. Nota, quod in igne sunt tria*, scilicet

Ortus Christi spiritualis in Leuita Franc.

Venit Christus in Frãc. mittens iterum ignem in terram.

Calor.	In terra quoque sunt tria	*Frigiditas.*
Splendor.		*Obscuritas.*
Leuitas.		*Põderositas.*

Et ista tria sunt opposita primis tribus, ignis est amor Dei, in quo sunt tria, scilicet *Calor Humilitatis, Splendor Castitatis, Leuitas Paupertatis*. In terra, idest terrenis sunt tria, scilicet, *Frigiditas Superbiæ, Obscuritas Luxuriæ, Ponderositas Auaritiæ*. Venit ergo ignem mittere in terram, quia *opponit* calorem humilitatis frigiditati, vel gelidicio superbiæ. Psalm. 147. *Emittet verbum tuum, & liquefaciet ea*. Verbum scilicet, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Liquefaciet ea, scilicet corda superborum. *Opponit* splendorem Castitatis obscuritati luxuriæ. Actor. 12. *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri, &c.* In Angelo, qui natura virgo est, *gratia castitatis significatur*, cuius lumen illustrat habitaculum carceris, idest cor peccatoris, tenebris luxuriæ excœcati. *Carcer dictus mundus, quo & arceris*. Luxuriosus enim à se arcet quidquid luxuriam extin-

In igne amoris Dei tria sunt tribus rebus in terrenis opposita.

Angelus simbolicus castitatis candor est.

guere potest; sed cum Angelus percutit eius latus lancea timoris, vt ab ipso educat humorem libidinis, tunc excitat à somno mortis, & admouet, vt surgat per contritionem, velocius per confessionem, & tunc catenæ malæ consuetudinis cadunt de manibus, idest de operibus.

Leuitas paupertatis ponderositati Auaritiæ opponitur.

Item *opponit*, leuitatem paupertatis ponderositati Auaritiæ, vnde Matth. 8. *Si vis perfectus esse, vade, & vende.* Hierem. 2. *Cursor leuis explicans vias suas.* Cursor, idest pauper spiritu currens cum Gigante geminæ substantiæ; *quanto pondere se alleuiat, qui nihil habere amat*, & ideò vias suas explicat. *Ignem ergo venit mittere, &c. & ideo mirabile est in oculis nostris.* Hæc fuit conclusio Interpretis nostri, dũ in igne, à Christo, Iustitiæ Sole misso iam in terra, ignei currus, & solaris globi, in quibus apparuit suis Leuita, ac Legislator Franciscus (in quo Christus ipse peculiari, ac mirabili quodam modo inuisibiliter erat) ad viuum lineauit imaginem. Et D. Bonau. in cap. 12. vitæ eius. *Aderat equidem seruo suo Francisco ad quæquacumque pergeret is, qui eum vnxerat, ac miserat, Spiritus Domini, & ipsa Dei virtus, & sapientia Christus. vt sanè doctrinæ verbis affueret, & magnæ potentiæ miraculis coruscaret.*

Dei virtus, & potentia in Franc.

Verum quæ docuit sup. cap. 4. Apocal. vbi (prophetata iam ab Ezechiele flammea Dei quadriga) reuelauit deinde Christus *per Angelum seruo suo Ioanni*) peculiaria sunt admodum circa Seraphicam Fratrum Minorum legem. Nam in tali lege tot genera hominum comprehenduntur, quot animalia Dei currum, qui principaliter Ecclesiam Romanam, minus principaliter Ecclesiam Frãciscanam, pro illius reparatione constitutam, denotabat, pertrahebat. *Moraliter, ait, per hæc quatuor animalia signantur quatuor genera hominum in Ordine nostro, scilicet Priores, & Correptores. Item Prædicatores, & Confessores. Item Conuersi, & corporalium prouisores. Item Contemplatiui, & Studentes.*

iv. genera hominum in Ord. Min.

Leo symbolicè.

1 Per Leonem signatur *Prælatus*, propter quinque proprietates, quas Doctor ibi explicat.

Homo.

2 Per Hominem significãtur *Prædicatores*, & confessionum auditores, & hoc propter duo, quæ ibidem ab eodem declarantur.

Vitulus.

3 Per Vitulum, qui terram exercet, significantur *Procuratores* temporalium. Vnde Bouis facies à sinistris fuisse dicitur, per sinistram enim temporalia intelliguntur. Bos iugo collum subicit, & corpus exhibet immolanti; sic illi in secularibus occupati, debent in obedientia, & voluntaria pœnitentia, & satigatione perfecti inueniri.

Aquila.

4 Per Aquilam volantem, quæ supremum istorum animalium est, intelliguntur *Contemplatiui*, quorum status cæteris sublimior est, & quietior. Hi sunt Aquilę, quæ recto obtutu Solem intuentur. *Vera autem Aquila non volat ad muscas*; sic nec contemplatiui debent diiudicare de iis, quæ ad ipsos non pertinent, sed Solem suum assiduè contemplari. His ita ab Interprete constitutis, pergit ad concordãtiam literæ Ioannis cum litera Danielis. Vbi ita constituit in Regula, & lege Fratrum Minorum totam Hierarchiam Seraphicam, ac si in Curru posita, ab hisce quatuor animalibus misticè traheretur, *habens carrus spiritum vitæ in rotis*, sicut tradit Ezech. Hinc subdit, loquens speciatim de ipsa Regula. *Ab his trahitur Regula Religionis. Si ergo irent hæc animalia in omnibus proficiendo, starent in iustitia firmiter persistendo, eleuarentur ad cælestia contemplanda. Sequerentur & Rotæ, idest sæculares, & sic spiritus esset in rotis. Nota benè, dic Conuentibus, quomodo ibant ad bona opera, & non reuertebantur ad Mundum, & ad vitia derelicta.* Vide in tom. 2. Hierarchiæ nostræ Inspectione 5 fol. 524.

Lex Fratrũ Minorum in igneo Ezechielis curru

SECTIO TERTIA.

Leuita Christi Franciscus in nocte Natiuitatis Christi, dum cantat ad Eremum Grecy solemniter Euangelium, offertque ceu misticus Sacerdos quadruplex super quadriforme altare sacrificium, accipit in vlnas suas Infantem Iesum. Moxque, nondum exutus Dalmatica, euangelizat pauperibus.

Textus Historiæ D. Bonau.

Celebrat solemniter Natiuitatis Dominifestum.

Contigit anno tertio ante obitũ suum (inquit Bonau. cap. 10. Legendæ) vt memoriam Natiuitatis pueri Iesu ad deuotionem excitandam apud Castrum Grecij disponeret agere cũ quanta maiori solemnitate valeret. Ne verò hoc leuitati possit adscribi, à Summo Pontifice petita, & obtenta licentia, fecit præparari Præsepium, apportari fœnum, Bouem, & Asinum ad locum adduci. Aduocantur Fratres, adueniunt populi, personant sylua voces, & venerabilis illa nox luminibus copiosis,

sis, & claris, laudibusque sonoris, & consonis splendens efficitur, & solemnis. *Ita ibi, & rursus.*

Stabat Vir Dei coram Præsepio, pietate repletus, repletus lachrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super Præsepe, Leuita Christi Francisco sacrum Euangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de Natiuitate Regis pauperis, quem cum nominare vellet, Puerū de Bethleem, præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autē quidam virtuosus, & verax, qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, Viro Dei magna fuit familiaritate coniunctus, *Dominus Ioannes de Grecio se vidisse asserit puerulum quemdam valde formosum in illo Præsepio dormientem, quem B. Pater Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur à somno.* Hanc siquidem deuoti Militis visionem, non solū videntis sanctitas credibilem facit, sed & designata veritas comprobat, & miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum à Mundo, excitatiuum est cordium in fide Christi torpentium, & fœnum Præsepii reseruatum à populo, mirabiliter sanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulsiuum pestium diuersarum *Hactenus Seraphicus Histor.*

Cantat euāgel. solemniter, prædicatq. populo

De hoc B. Ioanne de Grecio infra ad finē operis.

Erat annus ille, huiusce Leuitæ Christi celebritatis memorabilis, ille idem, in quo Legislator quoque extitit Fratrum Minorum Franciscus, haud ceu conditor, sed ceu reformator, & compendiator conditæ legis. Contigit enim præfata solemnitas, vt fatetur Bonau. anno ante obitum suum tertium, scilicet anno Christi 1223. cum esset ætatis annorum 42. Vt Diaconus legem, seu Regulam, quam antea scripserat vt Religiosus, & vt nouæ Religionis initiator, duodecim suis Discipulis, à Sede Apostolica confirmatam, tradidit, promulgauitq. Franciscus. Etenim ipso eodem tempore eiusdem Regulæ accepit confirmationem, ordinesq. minores cum sociis suis, & vlterius ipse solus ordinem Diaconatus à Romano Pontifice. Lex scripta Moysis, & in quinque libros diuisa, quos Pentateucū Græcè nuncupant Latini, in Frācisci libro vitæ, quæ à Diaconali dignitate in traditione, & promulgatione legis inceperat, mistico quodam compendio continebatur. Docet namque Interpres noster ser. Dom. 6. post Trinit. *Quinque virtutes per quinque libros Moysi designantur*, quod paucis verbis miro modo sic explicat. In Genesi, in quo omnium generatio describitur, *Innocentia baptismalis*, quia secundum nouum hominem regeneramur. In Exodo, in quo filiorum Israel de Aegypto describitur, *Pietas Religionis*, qua de Mundo egredimur. In Leuitico, in quo sacrificia offeruntur, *mentis deuotio*, & carnis afflictio. In Numeris, in quibus populus numeratur, *criminum confessio*, in qua omnia peccata enumerantur. In Deuteronomio *Dei, & proximi dilectio*, quæ est lex Euangelica, in qua pendent lex, & Prophetæ. *Hæc Interpres.*

Cōtigit hæc solemnitas anno 1223. de quo inferius.

Pentateucū Moysi.

Hi quinque legis Moysi libri veluti in quodam Pentateuco animato, rationali, atque intellectuali, operum characteribus exarato legebantur, & admirabantur in Francisco, *Lex, & regula morum nuncupato* ab Ecclesia. Sed in ea felici nocte maximè tunc aperti, ac lecti fuerunt, quando Leuita Christi librum Euangeliorum aperuit, ac sanctum inter Missarum solemnia cantauit Euangelium. Erat ipse *Leuiticorum liber*, quia in ordine Leuita, & Diaconus. Erat pariter *Misticus Sacerdos*, offerens mentis deuotionem, & carnis afflictionem in sacrificium. Loquens Doctor noster de Christi Pontificatu, ac eius Sacerdotio æterno serm. 2. Dom. in Passione, duo habet valdè præcipua ad nostrum propositum. Alterum est circa discrimen Templi veteris Testamenti, vbi quotannis ingrediebatur Pontif. x, cum Templo noui testamenti. *Nunc Homo*, inquit, *est templum spirituale, tres partes habens. Corpus, quo operatur externè. Animam, qua comprahendit rationi consentanea. Spiritum, quo comprahendit inuisibilia, &c.* Alterum autē quod affert Doctor, sic se habet. Verum sicut Christus est assistens Pontifex, ita nos debemus Dei assistere.

Franc. veluti quidam intellectualis Pentateucus

1 *Affectuosa verba promouendo*, quibus interior spiritus ad deuotionē excitemur, vt dicit Augustinus ad Proban.

2 *Lachrymas copiosas fundendo*, quibus nescio, vt dicit Chrisostomus, quid Deo gratius esse possit, quando scilicet ex dolore peccati procedunt.

3 *Vulnera peccatorum nostrorum ei præsentando, vt sanentur*, dicens Psalm. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Sic cum spiritualis Pontifex, & Sacerdos Homo efficitur, semel ipsum Deo offerendo, &c. Sacerdotium spirituale in Francisco, reapse Leuita, quatuor sibi propria altaria, quatuorque munera effecerat sua. *Nota* (inquit Interpres noster Domin. 6. post Trinit. super illud, *Si offeres munus tuum, &c.* Matth. 5.) *quod quadruplex est altare, superius, & inferius, interius, & exterius.* Et paulò post in paragrapho sequenti subinfert. *Sicut est quadruplex altare, sit quadruplex munus, est munus orationis, fidei, pœnitentiæ, & eleemosinæ.*

Franc. ordine Leuita, sed etiā misticus sacerdos.

1 Su-

1 Superius est Trinitas, de qua Exodi 20. *Non ascendas ad altare meum per gradus ne reueletur turpitudo tua*. In Trinitate enim non sunt faciendi gradus, vt Pater maior Filio, vel Filius maior Patre, vel Spiritus Sanctus minor credatur vtroque, sed æqualiter, & simpliciter est credendū. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. *Ne reueletur turpitudo tua*, sicut fuit de Achaz, *qui effusis visceribus finiuit turpiter vitam suam, eo quod ad altare per gradus ascendere voluit, &c.* Idem & contigit Ario, vt fertur communiter. Franciscus nondum Leuita, & tamen adhuc Sacerdos, non prius incæpit esse Legislator, quam in Altari Trinitatis munus orationis offerret, suum inchoans Ordinem eodem penè tempore, quo ipsi legem, iam ore pronunciatam, mox inscripsit.

Non faciendi gradus in Trinitate

Refert Bonau. de B. Bernardo Quintaualle, quem ante cæteros habere meruit in suo Apostolico Discipulatu Frãciscus. *Innotescente itaque* (inquit cap. 3.) *apud multos Viri Dei tam doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ, cæperunt ipsius exempla viri quidam ad pœnitentiam animari*, & eidem, reiectis omnibus, habitu, vitaque coniungi. Quorum primus extitit *Vir Venerabilis Bernardus*, qui vocationis diuinæ particeps factus, *Patris Beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quam priuilegio sanctitatis*. Hic enim serui Christi sanctitate comperta, ipsius exemplo disponens perfectè contemnere mundum, ab eodem qualiter id conficere, cõsilium requisiuit. Quo audito Dei famulus, *pro primæ prolis conceptu Sancti Spiritus consolatione repletus, à Deo est, inquit, hoc consilium requirendum*. Intrauerunt proindè Ecclesiam S. Nicolai, mane iam facto, & oratione præmissa *Cultor Trinitatis Franciscus*, ter Euangeliorum librum aperuit, trino exposcens à Deo testimonio sanctū Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud Matth. 19. occurrit. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. In secunda Lucæ 9. *Nihil tuleritis in via*. In tertia verò Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Hæc est, ait Vir Sanctus, *vita, & regula nostra, omniumque, qui nostræ voluerint societati coniungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice quæ audisti*.

Franc. in altari Trinitatis offerens orationis munus, fit legislator.

Franc. cultor Trinitatis.

Quod pronunciauit veluti Christi oraculum, atque nouæ Legislationis incæptor, Franciscus illis verbis, *Hæc est vita, & regula nostra*, offerens in altari Trinitatis orationis sacrificium eo Christi anno 1209. id statim eodem anno, aut sequenti in principio suæ legis scripto tradidit, ita primo capite exordiens, *Regula, & vita istorum Fratrum hæc est*. Vbi deinde hanc priorem legem edidit compendiosiorem ad ann. 1223. eodem modo incæpit, ablato tantum verbo illo obliquo *istorum*, & posito loco eius, *Minorum*. Approbatio prioris legis bina, sed verbo tenus tantum. Confirmatio autem compendii illius duplici diplomate ad maiorem vim, à nullo cuiusuis generis aduersario confringendam, effecta est. Prius diploma Christi Vicarius Honorius III. in mortua edidit membrana. Posterius verò ipse Christus digito suo in viua Francisci carne inscripsit anno immediato 1224. immò paucis elapsis diebus, vt tradit D. Bonau. cap. 4. ad argumentum libri noni adducendus, atque explicandus. Qui etiam cap. 13. in calce alloquens Franciscum, quinque confossum vulneribus, hæc inter alia ad rem nostram. *Fer nihilominus*, ait, *sigillum Summi Pontificis Christi, quo verba, & facta tua tamquam irreprehensibilia, & authentica meritò ab omnibus accipiantur*.

Vita, & Regula Minorū ante pronunciata, quam edita.

Duplici diplomate cōfirmatur cōpendiū Reg. Franc.

Verum sicut se habuit inceptio primæ legis, in Altari Trinitatis (sacrificante ibi Francisco, nondum aliquo ordine, neque minori, neque sacro decorato, orationem) fundata, ita quoque & illius compendii confirmatio, respectu cruentæ Bullæ, quinque sanguineis sigillis consignatæ, cuius præludia, atque exordia in eodem Trinitatis Altari Franciscus, ordine Diaconus, sed mistica quadam dignitate Sacerdos, offerens orationis munus, ostendit. Testatur os Seraphicum, vbi stilo valdè peculiari, atque inflammatiuis characteribus conferto cap. 13. De *Stigmatibus* scribit. Sic enim inquit, loquens de eo, vix Aluerniæ Montis verticem ascendente, & paulò antequam illius memorabilis ad honorem Archangeli Michaelis quadragesimæ, iuxta solitum, ieiunaret, aggrederetur opus. *Ferebatur quidem*, ait, *in altum, non vt curiosus maiestatis perscrutator, opprimendus à gloria, sed tamquam seruus fidelis, & prudens inuestigans beneplacitum Dei, cui se confirmare omnimodè summo peroptabat ardore*.

Alterius diploma sacr. Stigmatum in Trinitatis altari exorditur.

Immissum est igitur menti eius per diuinum oraculum, quod in apertione libri Euangelici reuelaretur ei à Christo Deo in ipso, & de ipso maximè foret acceptum. Oratione itaque cum multa deuotione præmissa, *sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum in Sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium*, virum vtique Deo deuotum, & sanctum. Sanè cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit Vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus

S. Trinitatis nomen quā auspicatissimū Franc.

tatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus passionis, antequam ex hoc Mundo transiret. *Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, Crucisq; Dominicæ baiulationem continuam imbecillis iam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrij sustinentiam vigorosius animatus, &c.* Explicat deinde Interpres noster.

Altare inferius est Christi humanitas, in quo Fran. Diaconus obtulit fidei munus

2 *Altare inferius, quod est Christi humanitas,* de quo ipse dicit Exod. 20. *Altare de terra facietis mihi.* Altare de terra Christi facit, *qui eum veram carnem de Virgine Maria, quæ fuit in terra benedicta, credit accepisse.* Munus fidei, quod hoc in altare offertur, obtulit *Franciscus Diaconus,* tunc maxime, quando ea Natiuitatis Christi nocte Euangelium solemniter cantauit. Præter orationis munus in omni Francisci vita creberrimum (de quo Bonauent. cap. 10. de studio, & virtute orationis eius, *Erat quidem,* ait, *oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionũ Angelorum conciuis iam factus, feruenti desiderio quærebat dilectum, à quo solus eum carnis paries disiungebat)* in ipsomet Trinitatis altare, ad altare humanitatis Christi, in qua vna Persona, & tres substantiæ sic vicinum, fidei sacrificium ad ipsammet Humanitatem ter obtulerat Leuiticus Sacerdos. *Feruenti quoque charitatis incendio,* ait Bonau. cap. 9. *gloriosum Sanctorum martyrium æmulabatur triumphum,* in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea & ipse, illa perfecta charitate succensus, *quæ foras mittit timorem* per martyrii flammam *Hostiam Domino se offerre viuentem, vt & vicem Christi, pro nobis morientis repẽderet, & ad diuinum amorem cæteros prouocaret.*

Quam ardẽter Franc. martyrii triumphum sitiebat.

Ad id exequendum iter aggressus est, primum in partes Syriæ anno suæ conuersionis sexto. Dehinc, à primo voto frustratus, tentauit secundo idipsum, pergens Marochium versus. Quod cũ denuò frustraretur, iterum anno suæ conuersionis tertiodecimo se ad Syriæ partes trãsferre resoluit. *Sicque ostendit fidei munus in Trinitatis Altare,* quod tantæ in eius pectore charitatis erga Christi humanitatem fundamentum erat, & fulcimentũ. Vnde Bonauentura ibidem prope finem. *Verum charitatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione tentauit.* Ast in præfata nascentis Iesu nocte tam immediato incendio *erga Christi humanitatem* exarserat, liquefeceratque Francisci præcordia *fides,* vt cum eum nominare vellet, *Puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncuparet.* Pergens postea Doctor noster, ita subdit.

Altare inferius est mẽtis deuotio.

3 *Altare interius, quod est deuotio mentis,* de quo Dominus ad Moysen Exòd. 30 *Facies altare, &c. vestiesque illud auro mundissimo.* Vbi Interpres, sensum figuratum figuræ coaptans, hæc præter alia. Altare ergo, idest mentis deuotio debet habere rectam operationem. *In longitudinem perseuerantiæ quoad se. In latitudinem charitatis quoad proximum. In altitudinem contemplationis quoad Deum. Duos cubitos,* idest duplicem perfectionem quoad Deũ, vt perseuerantiæ longitudinem, charitatis fraternæ latitudinẽ ad ipsum referamus, à quo est omne bonum, quod habemus. *Hoc altare debet vestiri auro purissimo.* Vestis deuotæ mentis est mundicia aureæ castitatis. *Vestis dicta, eo quod statum hominis proprium vehit. Sic munditia castitatis vehit statum mentis, per inflexibile enim castitatis donũ cognoscitur rectitudo mentis.*

Quomodo autem Franciscus, aurea munditia cordis, & carnis decorus in isto deuotionis altari incessabiliter pœnitentiæ munus offerens, per suos gradus ascẽdebat, scribit Bonau. in specie ad principium cap. 9. citati, his verbis. Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per iucunditatis specula in viuificam consurgebat rationem, & causam. Contuebatur pulchris pulcherrimum, & per impressa rebus vestigia prosequebatur vbique dilectum, de omnibus sibi schalam faciens, per quam condescenderet ad appræhendendum eũ, qui est desiderabilis totus. Inauditę nãq. deuotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tamquam in riuulis degustebat, & quasi cælestem concentum perciperet in consonantia virtutum, & actuum eis datorum à Deo, ipsam ad laudẽ Domini more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur. Hæc Bonauent. Sed quantum, qualeque sacrificium Leuitici Sacerdotis Francisci, quantum, inquam, qualeque pœnitentiæ munus, super isto deuotionis altare ab ipso oblatum, audiamus eumdem Seraphicum historiographum ibidem immediatè. Christus Iesus crucifixus intra suæ mentis vbera, vt myrrhæ fasciculus iugiter morabatur, in quem optabat per excessiui amoris incendium totaliter transformari. Prærogatiua quoque Peculiaris deuotionis ad ipsum ab Epiphaniæ festo, vsque ad continuos quadradinta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinans, cellaque reclusus, quanta poterat arctitudine cibi, &

Quod, qualeque deuotionis in Franc. altare

Quantũ, qualeque pœnitentiæ sacrificium.

potus,

potus, ieiuniis, & orationibus, & laudibus Dei sine intermissione vacabat. Et paulò inferius peculiarius ad rem iuxtà doctrinam Interpretis nostri. *Non habebat aliud Christi pauper, nisi duo minuta, corpus scilicet, & animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continuè, vt quasi omni tempore per rigorem ieiunij corpus; & per ardorem desiderij spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, & in templo interius concremans thymiama.*

Omni tempore Franc. Christi Leuita, & sui ipsius per vtrũque hominẽ immolator.

Ex hac Bonauenturæ sententia motiuũ cæpit Pisanus, vt diceret lib. 2. fruct. 15. *Fuit Franciscus Sacerdos, non ordine, quia nunquam voluit esse ex humilitate, etsi fuerit Diaconus. Fuit tamen Sacerdos sui Domino oblatione*. Nam, sequitur, dicente sibi Domino in Monte Aluerniæ, vt aliquid sibi offerret, respondit: Domine tu scis, quia nihil habeo, quod dem tibi, omnia enim dereliqui. Sed & corpus, & animam dedi tibi, vt enim dicit nona pars legendæ maioris, non habebat aliud pauper Christi, &c Denique vt ad Doctorem nostrum redeamus, Diaconi, & Sacerdotis Francisci expressiorem delineantem imaginem.

Sacerdos à Christo in Alueruiæ monte misticè constitutus.

4 *Altare*, ait, *exterius est carnis afflictio*, de quo Dominus ad Moysen 27. *Facies altare holocausti de lignis Sethim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, & tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, & operies illud ære.* Holocaustum dicitur, pergit Interpres, ab *holon*, quod est totum; & *cauma*, quod est incensio. *Inde holocaustum quasi totum incensum, quia integra Hostia, igni tradita consumebatur. Altare holocausti est corpus nostrum*, quod totum igne pœnitentiæ debemus incendere, & ipsum offerre in *holocaustum* Domini, quod debet fieri *de lignis Sethim*, idest membris, luxuriæ incorruptis.

Altare exterius, & holocaustum quid.

Debet etiam habere quinque cubitos tam in longitudine, quam in latitudine, & tres in altitudine. *In quinque cubitis, quinque plagæ corporis Christi, in tribus tres vices, quibus fleuit, scilicet super Ciuitatem Hierusalem, super Lazarum, & in sua Passione, designantur.*

Quinque cubiti pro 5. plagis Christi

Nota, quod Crux veræ pœnitentiæ habet longitudinem perseuerantiæ, latitudinem patientiæ, altitudinem spei paternæ. In hanc Crucem transfiguramus corpus nostrum, quinque plagis corporis Christi quinque sensuum miserabilem delectationem mortificantes pro perpetrata iniquitate, proximi scelera pro dilectione gloriæ plangentes, & dolentes.

Crux veræ pœnitentiæ qua.

Quatuor cornua in altari sunt quatuor virtutes principales, animam, & corpus decorantes, de quibus Sap. 8. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & Iustitiam, & Virtutem* (idest fortitudinem docet) *quibus vtilius nihil est in vita hominibus.*

Quatuor cornua in altari

Aere hoc 4 altare cur operiendum

Hoc Altare præcipit Dominus *cooperiri ære*. In ære, quod sonorum est, *intelligitur afflictio gemitus, & doloris, quibus debet cooperiri corpus pœnitentia*. Poteratne melius à Doctore nostro hoc quartum, ac postremum delineari altare, in expressũ corporis Francisci (omni munditia exteriori, & interiori decorati, omni igne pœnitentiæ incensi, atque in sanguinea & sensibilia, patentiaque Christi vulnera peculiariter transformati) symbolum, ac simulacrum? *Munus*, super illud altare offerendum, *eleemsyna* est, inquit paulò infra idem Doctor noster. Sed quæ hæc eleemosina, in Francisci altari velutì holocaustum, ignitum totum, & vndique incensum, consumandumque absque intermissione, atque crebrissima prodigalitate oblata? Bonau. cap. 9. verbis Seraphic. explicat, loquens de Francisci charitate.

Quæ Franc. eleemosina in 4. altari oblata.

Charitatem feruentem, inquit, qua Sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat. Totus namque quasi quidam carbo ignitus diuini amoris flãma videbatur absortus. *Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatu, inflammabatur*, quasi plectro vocis extrinsecæ corda cordis interior tangeretur. *Talem pro eleemosyais censum offerre nobilem prodigalitatem dicebat, & eos, qui minus ipsum, quam denarios reputarent esse stultissimos; pro eo quod solius diuini amoris impretiabile pretium ad Regnum Celorum sufficiat comparandum, & eius, qui nos multũ amauit, multum sit amor amandus.* Ex tanto, talique amoris Dei incendio ea exuberans procedebat in Francisco eleemosina spiritualis, vnde liberalissima dilectionis erga ipsos inimico, amoris Dei, & proximi pauperrimos, effusio hilarissima vbertate in ipso erumpebat. *Hæc est eleesina spiritualis* (ait Doctor noster Dom. 2. post Epiph.) *sine qua omne bonum vitæ æternæ mercede caret*. Dum adeo abunde munus istud, & ita frequenter offerebat in hoc quarto altari Franciscus, quasi semper Christus ipse præsentialiter ei extabat, sacrificium suum acceptum, ac gratum habens. Fatetur enim Bonauent. ibidem paulò inferius. *Tam feruido quidem in Christum ferebatur affectu; sed & dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, vt videretur ipsi famulo Dei quasi iugem præ oculis ipsius Saluatoris sentire præsentiam, sicut aliquando socijs familiariter reue-*

Dilectio inimicorũ spiritualis eleemosina

reuelauit, &c. Sensiit etiam Saluatoris præsentiam in illa functione, imò super quadruplicem eius quatuor altarium mensā meruit accipere Christum in puerili forma. Sicque diuina Hostia in Patriarcha nostro, ordine Leuita, spiritu Sacerdote non defuit.

Vix cantato Euangelio, nec Dalmatica deposita, inclytus Diaconus noster, *iam in sede gloriosissimi Patriarchæ Diaconatus fungens officio, ac puritatem innocentis vitæ Apostolico consortio copulans* (verba sunt D. Maximi homil. 1. de S. Laurentio) ordine Leuita, ac simul spiritualis Sacerdos euangelizauit pauperibus nati Regis Christi pauperis paupertatem. *Prædicat deinde* (ait textus Seraphicus) *circumstanti populo de Natiuitate Regis pauperis*. Coniectandum profectò, illud thema assumpsisse Leuitam Christi Franciscum, quod legitur ex ipsius Christi ore processisse, vbi respondens duobus Ioannis Baptistæ discipulis Matth. 11. illis verbis, *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, muti loquuntur, mortui resurgunt,* subdit statim, *Pauperes euangelizantur*. Et ratio mea, seu coniectatio esse potest, quia in sermone Francisci pauperrimi, atque humillimi gesta, & opera, gestis, & operibus Christi, in summa paupertate, & humilitate nascentis valdè similia ad viuum resonabant. Dicit enim Interpres noster serm. Dom. 2. Aduent. ad vltimam præfati thematis propositionem, *pauperes euangelizantur*, addens scripturæ Euangelicæ textum illum Isaiæ ex cap. 10. *Pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescunt*; & illum alium eiusdem Prophetæ ex cap. 29. *Addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt*. Deinde statim ita interpretatur. *Soli pauperes, idest humiles euangelizantur*. Quia concauitas est receptiua infusorum; sed tumor repellit infusa. *Qui sitit* (inquit Dominus Ioann. 7.) *veniat, & bibat*; quia, vt dicit Isaia 44. *Effundam aquam super sitientem*. Aquam salutaris sapientiæ sitiunt hodie pauperes, simplices, idiotæ, rustici, & vetulæ.

Thema à Franc. assumptum in serm. de Natiuit. Christi pauperis.

Cur soli pauperes euangelizantur.

Ciues verò Babilonis, qui inebriantur aureo calice meretricis magnæ, sapientes, & consiliarii Pharaonis, *pleni sunt*, vt dicit Iob 32. *sermonibus, & venter eorum quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit*. Credite mihi, quia non tales, sed soli pauperes euangelizantur. *Beati qui non fuerint scandalizati in me*, testatur Christus loco citato statim. *Christus est veritas, In Christo fuerunt Paupertas, Obedientia, & Humilitas, qui in his valde scandalizantur, in Christo scandalizantur*.

Qui in Christo scandalizantur, & nō scandalizantur.

Sed non veri pauperes, quia ipsi soli euangelizantur, idest verbo Euangelij pascuntur. Quia ipsi populi Domini, & oues pascuæ eius. Huic concordat illud Apostoli. *Suscipite inuicem, sicut, & Christus suscepit vos in honore*. Christus suscepit cæcos, vt eos illuminaret. Claudos, vt eis gressum præberet. Leprosos, vt eos mundaret. Surdos, vt eis auditum restitueret. Mortuos, vt eos suscitaret. *Pauperes, vt eos euangelizaret*. Si proximus tuus est superbia cæcus, quantum in te est, illumina eum exemplo humilitatis. Si claudus hypocrisi, rectifica eum opere veritatis. Si leprosus luxuria, munda eum verbo, & exemplo honestatis. Si surdus auaritia, propone ei exemplum Dominicæ paupertatis. Si mortuus gulositate, & ebrietate, resuscita eum exemplo, & virtute abstinentiæ. *Pauperes verò euangelizantur vitam Christi*. Hæc Interpres noster, quæ nunc sufficere possunt iuxta coniecturam meam super sermonem Leuitæ Christi, ac pauperum Patriarchæ Francisci, prædicantis in nocte Natiuitatis Domini post cantatum Euangelium *de Natiuitate Regis pauperis*.

Suscipere proximorū defectus quo modo debemus.

Circa efficaciam istius sermonis, qui contigit anno 42. ætatis Francisci, non est vt immoremus, cum Bonau. de efficacia prædicandi ipsius agat in cap. 12. vitæ eius, vbi in specie, ac breui cunctas prædicationis prærogatiuas, ac mirabilia perstringens, ita scribit. Erat verbum eius veluti ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanæ inuentionis ornatum prætenderet, sed diuinæ reuelationis afflatum redoleret. Nam cum semel prædicaturus coram Papa, & Cardinalibus, ad suggestionem Domini Ostiensis sermonem quemdam studiosè compositum commendasset memoriæ, stetissetque in medio, vt ædificationis verba proponeret, *sic obliuioni tradidit omnia, vt affari aliquid omninò nesciret*.

Quā efficax, ac mira Frā. prædicatio.

Prædicans coram Pont. & Cardinalib. quid ei acciderit.

Verùm cum hæc veridica humilitate narrasset, *conferens se ad Spiritus Sācti gratiam inuocandam, tam efficacibus subitò cæpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, vt aperiè clareret, quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur*.

Et quoniam primò sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens, veritatem fidelissimè prædicabat: nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere, nec vitam fouere peccantium, sed aspera increpatione, ferire.

Eadem mentis constantia magnis lo-

Incredibili mentis constantia, ac spiritus iucunditas in Franc. prædicatione

quebatur, & paruis, eademque spiritus iucunditate paucis loquebatur, & multis, *omnis ætas, omnisque sexus properabat, virum nouum, mundo cælitus datum, & cernere, & audire*. Ipse verò per diuersas regiones progrediens, euangelizabat ardenter. *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. In virtute namque nominis eius veritatis præco Franciscus eiiciebat Dæmonia, sanabat infirmos, & quod maius est, *sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat, & cordibus, nullumque erat, quod non perpetraret miraculum*. Hæc Bonau.

Igitur iuxta præfatam Interpretis nostri doctrinam Leuita noster Franciscus Christo quoque suo in prædicatione persimilis, siue euangelizans suis pauperibus, aut Christianam, aut Seraphicam legem, suscipiebat pariter & cœcos, vt eos illuminaret, claudos, &c. & quod maius erat, si proximus suus superbia cœcus extabat; quantum in se erat, illuminabat eum humilitatis exemplo. Si claudus hipocrisi, & sic de singulis, vt supra.

SECTIO QVARTA.

Paruularum Coronarum, Laicis Fratribus, Francisci Christi Leuitæ consocijs à Pontifice concessarum, vt verbum Dei liberè prædicarent, symbola, & arcana.

LIgamen, siue concordantiam inter Apostolicam prædicationem Fratrũ Minorum, etiam Laicorum (quorum humillimus, simplex, ac rudis cœtus magni nominis Theologos, & oratores prædicatione, ac sapientia passim vicit, confunditque, omnemque Ecclesiam docuit) & inter coronas paruulas, eis à Romano Pontifice in primæuis Ordinis incunabulis concessas, breui nunc ex Seraphica Interpr. nostri doctrina iuxta symbolicum intellectum enucleabimus. Itaque vno, eodemque tempore, vno eodemque loco, & ab vno eodemque Christi Vicario prædicatio Euangelica, paruularumque Coronarum gestatio à Laicis Fratribus ex nostratibus ortum habuere. Quamobrem vtrumque in re præsenti synoptica enarratione exponendum est. *Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctibus*, inquit Iob 9. loquens de Deo, ac eius summa prouidentia. Priorem propositionem ita misticè, ac symbolicè commentatur Interpres noster serm. Dom. 5. post Pasch. *Cæli sunt Prædicatores Sancti*, qui pluunt

Cœtus Laicorum commendatus.

Sancti Prædicatores cæli mistici sũt

Eos extẽdit Dominus.

verbis, coruscant sanctæ vitæ exemplis, intonant pœnas æternæ mortis. Hos Cęlos extendit Dominus, vt vndique lumen effundant, peccatores cooperiant, & sic caueant, ne se temporalibus implicent. Posteriorem textus præfati propositionẽ ita mox idem Interpres explicat, connectitque. *Item graditur super fluctus maris, scilicet superbos huius mundi*; super hos enim graditur Dominus, cum eorum cordibus suæ humilitatis vestigia imprimit. Vnde Ecclesiast. 24. *Girum Cæli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcaui. Girum Cæli*, idest cor iusti circumeo, & defendo, & protego. *Et profundum abyssi*, idest corda malorum, conuertendo per pœnitentiam. *Et in fluctibus maris*, idest tentatione depræhensis. *Et in omni terra steti*, quia Deus stat super humilem, & fructiferos, post bona stabiles; sed Diabolus in arena. *Et in omni populo, & in omni gente*, quibus congregatur Ecclesia.

Dei gressus symbolicus super fluctus maris.

Cor iusti cæli girum à Deo circumdatum.

Gemellas nũcupo ipse hasce duas iuxta Interpretis nostri commentarium propositiones, ob maximam inter se affinitatem, ac coniunctionem. Ab exordio Ordinis nostri Cæli mistici, ac symbolici quamplurimi vsque ad hæc nostra tempora, nimirum prædicatores sancti ex ingẽti Laicorum nostrorum fraternitate (in qua *eos nuncupandos esse matres* mandat Seraphicus Parens, ac Legislator) per quatuor Orbis partes pluuerunt verbis, Apostolica eloquentia cælitus data callentes. Coruscarunt sanctæ vitæ exemplis vsque ad martyrium. Intonuerunt peccatoribus æternæ mortis pœnas. *Extendit* perindè *hos Cælos Dominus*, vt vndique ad Europæos populos, Asianos, Afros, Americanos euangelicæ doctrinæ, & Apostolicæ vitæ lumen effunderent, peccatores cooperirent per conuersionem, & sic cauerent, ne temporalibus implicarent sub vana specie, atque ficto colore, an dilatandi dumtaxat Dei cultum; vel potius societatem ditandi, amplius terrenis rebus, quam Dei prouidentiæ confisi; contra Euangelicum illud, Fratribus Minoribus, & maximè professione Laicis, Apostolicis, & Discipulis Christi successoribus adeò proprium, atque genuinum: *Nolite portare sacculum, neque peram, &c.*

Laicalis Fratrum minorum prædicatio, ac sapientia

Ob hanc extensionem Cælorum, imò & cum hac pariter gressus, & progressus est Dominus *super fluctus maris*, scilicet superbos huius Mundi, eorum cordibus humilitatis suæ, quam illi sermone, professione, ac opere maiori vi prædicabant, mira-

Cum extẽsione talis prædicationis, & sapientiæ qualia Deus operatur.

mirabiliter imprimens; atque eos ex Leonibus in Agnos transformans. Quandoquidem talium Cælorum gyros, scilicet *corda circumiens, & defendens, & protegens* profundum abyssi, *hoc est malorum pectora penetrabat*, conuertebatque ad pœnitentiam, *& in fluctibus maris*, scilicet, tentatione deprehensis *ambulabat*, ipsasque tentationes depellebat. *Et in omni terra stabat*; stabat namque super hosce Cælos, nimirum Prædicatores, eò amplius per infusam sapientiam, & concreditam prędicationem stabiles vsque ad sanguinis effusionem, quò humilitate magis fructiferi, ac bonis operibus perseuerantes. *Et in omni populo, & in omni gente* per totũ terrarum Orbem diffusa, siue idolatria deprehensa, siue schismate, aut Iudaica pertinacia, aut hæretica prauitate retenta (ex hisce pariter variæ malignantium Ecclesiæ in Ecclesiæ Catholicæ interitum congregantur) *primatum tenebat*, innumerorumque *excellentium, & humilium*, quos illi ex Magnatorum, infimorumque hominum cœtu Christo parturiebant, *corda potenti virtute calcabat*.

Quid est recte loqui in verbis Dei præconibus.

Ex recta profectò allocutione insuperabile robur in his rudibus, ac simplicibus prædicatoribus experiebatur à Potentibus, & Principibus huius Mundi. *Rectè loquebatur*, ait textus Euangelicus de surdo illo, ac muto homine, quem Christus curauit apud Marcũ cap. 7. post quam *solutum est* per miraculum *vinculum linguæ eius*. Quod ita declarat secundò Doctor noster in fine serm. Dom. 13. post Tri. *Iste rectè loquitur qui quicquid prædicat, opere attestatur*. Vnde super hoc Eccles. 31 *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium illius fidele*. Qui panem verbi Dei fideliter dispensat, & testimonium veritatis non occultat in præsenti, & in futuro benedicetur, subdit Interpres. *O quot sunt hodie, ait, splendidi in verbis, in factis verò leprosi*. Vnde Exod. 34 *Apparuit facies Moysi cornuta*. Vbi Origenes. Quid est, quod sola facies Moysi apparuit gloriosa, manus leprosa fuit, pedes inglorii? *Quia fecit eum discalceari, quando vocauit eum de Rubo*. Hoc potest dici de illis Prædicatoribus, exponit Interpres, qui gloriam, & splendorem habent in prædicatione, & immunditiam habent in operatione. *Et possunt dici discalceati, & non verè sponsi Ecclesiæ; digni in facie conspui, quia mortuo fratre Iesu Christo, nolunt filios suscitare, immo si qui sunt interficiunt peruerso opere*.

Qui Prædicatores discalceati dicendi.

Ista locutionis rectitudo, rectitudinem vitæ, sermonem rectissimum cõfirmantis, atque validissimum reddentis, sibi necessariò connectens, per capitis coronas, ipsis Laicis Fratribus ad prædicationis libertatem tunc meritò concessas, symbola, atque arcana explicat euidentissima apud Interpretem nostrum. Quæ enim ipse exposuit, loquens generaliter de Corona, siue excapillamento capitis affecta iuxta morem Religiosorum antiquissimum, & cum ipsa capitis, ac barbæ tonsura in Mundi contemptum, vt aduertit Baron. tom. 1. Annal. Apostolicum; siue ex aliis rebus pretiosis, vel non pretiosis, licet significatiuis (& hæc quidem Corona Mundi Principibus, seu victoribus concessa) mistica sunt, spectantque ad perfectam Heroum spiritualium vitam. Hanc namque cõmuniter profitentur Religiosi, etsi adhuc statum perfectionis, ad quam ex obligatione tendunt, minimè attingerint. In capitulo Apocal. 6. Ei, qui ascenderat equum album, *data est Corona*, &c. *Corona in capite* (ait Interpres super hunc locum in Dom. 2. post Pascha) *est pura intentio in mente*, de qua Hier Thren. 6. *Cecidit corona capitis nostri. Veh nobis, quia peccauimus. Corona de capite cadit cum homò intentionem puram amittit, & ideò veh ei*.

Puræ intentionis corona 12. rebus constat

Duodecim veluti rebus, seu materiis eò spiritualiter ingenuissimis, ac pulcherrimis, quo variis, ac pretiosis consiare hanc *Coronam* (quarum sex vt puerum, & aliæ vt Iesum ea Religiosum virum coronat) liquet profectò ex aurea Interpretis nostri doctrina. *Puer Iesus cum factus esset annorum duodecim* cæpit primam disputationem in Templo cum Hebræorum Magistris, vt legitur Lucæ 2. Quid autem hæc duo verba *Puer*, & *Iesus* denotent, quid item duodenarius annorum numerus, ita egregiè, atque acutè iuxta moralem sensum interpretatur Magister noster serm. Dom. 1. post Epiph. in principio.

Viri iusti profectio in Puero Iesu

In hoc nomine *Puer Iesus* notatur profectio viri iusti, qui debet esse *Puer*, idest purus quoad seipsum, & *Iesus*, idest Saluator quoad proximum.

Puritati sex sunt necessaria.

Puritati autem sex sunt necessaria; quarum

1. *Cordis munditia*.
2. *Corporis castimonia*.
3. *Inter aduersa, ne adijciatur, patientia*.
4. *Inter prospera, ne eleuetur, constantia*.
5. *Et vt in his valeat perseuerare humilitas*, &
6. *Castitas*.

Saluatori itẽ sex necessaria sunt.

Ad hoc verò vt sit *Saluator sex opera misericordiæ sunt etiam ei necessaria*, quæ sunt, *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. *Hic est duodenarius numerus annorum viri iusti, qui desiderat ascendere Hierusalem cum puero Iesu*, &c. Vbi igitur *puritatis Corona* Religiosus vir, qui illius symbolum

lum gestat in capite ob ex suo capillamento circulum, exprimit illa sex priora (scilicet cordis munditiam, corporis castimoniam, patientiam inter aduersa, constantiam inter prospera, humilitatem, paupertatem) Puer hic dicendus est. Quia verò hisce sex prioribus sex alia posteriora, quæ sunt sex opera misericordiæ necessariò annectẽda sunt, ne omnia cum tota corona tollerentur, asserendum vtique, ita prorsus per indissolubilem nexũ inter se conuenire, vt cuncta simul sub duodenario numero eam constituant, perficiantque, atque *coronatum ex ea Puerum*, *& Iesum efficiant, qui in Hierusalem*, scilicet in pacis visionem, per semitam perfectionis, quam profitetur, incedens, *ascendere poterit*.

Vsque ad mortem per vitam omnem quilibet Religiosus circularem signum in capite gestat, quia *Puritatis Corona* semper quoque in nobis debet permanere. *Accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi*, Matth. 2. Quod ita pulchrè interpretatur Doctor noster serm. Dom. 5. post Trinit. *Accipe operis puritatem, & matrem eius, idest bonam voluntatem, quæ ipsum parturit*, & fuge in Aegyptum, idest, *recognosce te peccatorem miserum, & exulem*, vel considera *tenebras peccatorum tuorum*, & exilium tuum. *Et esto ibi vsque dum dicam tibi*, idest vsque ad illud tempus, dum dicam tibi; *Surge, propera amica mea, & veni. Iam hiems transijt*, Cant. 2. *Si vis ergo properare* (concludit egregiè gratiosus postillator) *oportet Senacherib fugere, rationi, non sensualitati seruire*.

Puritatis corona semper in nobis debet permanere.

Materialis, corporeaque puritatis figura externum circundat Religiosorum caput, spiritualis verò, moralisque huiusmodi *Corona puritatis*, quæ illius figurata res est, capiti interioris mentis multa insidet venustate, ac maiestate. Dum in mente corona est, in corde est Altare aureum tantæ excellentiæ, atque existimationis, vt semper veluti obiectum summè delectabile ante oculos Dei reperiatur. Principi Pharisæorum, de quo apud Lucam 14. comparat Doctor noster Regem Antiochum super Machab. 1. cap. 1. *Antiochus intrauit in sanctificationem cum superbia, & accepit Altare aureum, & candelabrum luminis, & mensam propositionis, & ornamentum aureum, quod erat in facie Templi*. Mistica Doctoris nostri, postillarisque interpretatio, præfatum Pharisæorum Principem complectens, hæc est in serm. Dom. 17. post Trinit. *Antiochus interpretatur silentium pauperis, & significat Diabolum, qui primo*

Puritas in mente corona est. In corde verò altare aureũ.

Diabolus silentium pauperis.

homini, quem tanta gloria depauperauit, mortem scilicet, & esse sicut Deum promisit. Hæc est superbia, ob quam de cælo cecidit.

In sanctificationem, idest cordis puritatem, in qua offertur thymiama deuotionis. De qua Apocal. 9. *Audiuit*, inquit Ioannes, *vocem vnam ex quatuor cornibus Altaris aurei, quod est ante oculos Dei*. Altare aureum est cor purum, quod habet quatuor cornua, idest quatuor virtutes principales, ex quibus procedit vox contritionis, & confessionis. Tale Altare semper est ante oculos Dei, quia in ipsum misericorditer respicit. Isai. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad humilem, & quietum*.

Cor purum altare aureũ ante oculos Dei.

Sequitur, *& accepit candelabrum luminis*, idest extinxit lumen rationis, de quo Matth. 6. *Et mensam propositionis*, idest dulcedinem contemplationis, de qua Psalm. 22. *Et ornamentum aureum*, idest charitatem, *quæ ornat faciem Templi*, idest opera cuiuslibet Christiani, qui vt dicit Apostolus, *Templum Dei sanctum est*. Hæc omnia semel Diabolus abstulit primo parenti, *& quotidie nititur auferre cuilibet homini*. Hic dicitur esse Princeps Pharisæorum, *qui interpretantur diuisi*, & significant illos, qui à iustis se diuidunt, & conuenticula faciunt. Hactenus Interpres noster de aurea puritate, quæ menti corona est, cordi verò altare aureum, ad quod Deus misericorditer respicit, & ad cuius miseram direptionem, à Diabolo effectã, candelabrum luminis, hoc est rationis lumen deperditur, extinguiturque. Mensa propositionis cum contemplationis dulcedine ex consequenti diripitur, atque aureum charitatis ornamentum (diuisa iam anima à se ipsa iusta per scissionem impietatis) in excidium ponitur deplorabile.

Excidiũ spirituale animæ corona puritatis deperdita

Forma Coronæ, quæ circularis est in Viro Religioso, cui prædicationis verbi Dei officium, onusque iniunctum est, illã perfectionem denotat, qua cũ purus erit mente, in assumpto ministerio & facit, & docet. Nam inter Mathematicorũ icones, quod sphericum est, & in gyrũ protenditur, perfectissimum omninò in suo genere asseritur. Docet Interpres noster super allegoriam de Ecclesia, in cuius capite, teste Ioanne cap. 12. Apocalip. *Corona stellarum duodecim*. Ponamus eius verba ex serm. Dom. 2. Paschæ. *Corona dicta quasi capitis rota. Duodecim Stellarum corona est fides duodecim Apostolorum, quæ est corona, quia non recipit additionem, nec diminutionem, vt figura circularis, & hæc est completa*.

Corona vnde sic dicta, & quid denotet.

Pergit deinde post pauca Interpres ad moralem sensum de eadẽ Muliere amicta

Sole

Mulier amicta Sole fidelis anima.

Sole, &c. & de eius corona, & ita scribit. *Moraliter Mulier amicta Sole est fidelis anima*, de qua Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? pracul, & de vltimis finibus pretium eius*. Beata anima illa, quæ virtute induta ex alto, fortis inter aduersa, & prospera consistit; & aereas potestates fortiter deuincit. Pretium huius Mulieris fuit Christus, &c. vel per pretium virtutem accipe, hæc pretio redimitur. Vnde Salomon Prouerb. 13. *Redemptio mihi propria diuitiæ*, idest virtutes. *Virtus de procul. Vitia familiaria, quia à nobis. Virtutes de sursum.*

Virtus de procul est, vitia familiaria.

Hæc mulier est *amicta Sole*. In Sole sunt tria, *candor, splendor, & calor. In candore Castitas. In splendore Humilitas. In calore Charitas designatur*. Ex his tribus fit pallium fidelis animæ cælestis sponsæ.

Amictus Solis misticus animæ.

Et Luna sub pedibus eius, scilicet corpus humanum, quod debet habere fidelis anima sub pedibus suis, idest mentis affectibus, vt caro spiritui, sensualitas seruiat rationi. Vide superius lib. 2. ad tit. cap. 10. primæ Regulæ.

Luna sub pedibus eius.

In capite eius Corona Stellarũ duodecim, cum Stellæ à stando dictæ, quia fixæ sunt semper in Cœlo, & cum Cœlo motus perpetuus feruntur. Nam dum videntur Stellæ labi, non sunt Stellæ, sed igniculi, ex aere lapsi, qui fiunt dum ventus altiora petens, æthereum ignem secum trahit. *In capite, idest mente anima debet esse Corona Stellarum, idest virtutum duodecim*. In fronte tres, *Fides, Spes, Charitas*. A dextris tres. *Temperantia. Prudentia. Fortitudo.* In posteriori *Mortis memoria, Iudicij dies amara, indeficiens Inferni pœna*. A sinistris, *Patientia, Obedientia, & Finalis perseuerantia*.

Corona Stellarum duodecim, 12. constans virtutibus

Talem *Coronam* præmonstrans Laicis Fratribus illis antiquis, ac Sancti Francisci sociis Corona capillaris, ipsis ob prædicationis libertatem à Christi Vicario cum datis ab eodem Minoribus Ordinibus, concessa, studuerunt sedulò (coronata eius mente Apostolica puritate) vt *Pueri* in cordis munditia, corporis castimonia, patientes inter aduersa, constantes inter prospera, humiles, pauperes quoad se inuenirẽtur. Et quoad proximum, eum verbis, & exemplis docendo, instituendo, conuertendo fierent Saluatores per sex misericordiæ opera. Quibus in rebus tres eorum Virtutes Theologales, *Fides, Spes, Charitas*; tres aliæ Cardinales, *Temperantia, Prudentia, Fortitudo*; tres his immediatæ, mortis memoria, Iudicii dies amara, indeficiens Inferni pœna; tres postremæ morales, ad duodenarium numerum supra nonum complentes, *Patientia, Obedientia, & finalis perseuerantia, Coronam Stellarum duodecim* ipsis fabricauerunt.

Tres Theologales. tres Cardinales. Sex Morales

Laici Fratr. Minoritæ sãctitate, ac doctrina infusa prædici

Tale studium in Beati Aegidii Schola, de qua in primo Tomo Hierarchiæ nostræ, qui primus Laicus in Ordine, sed tertius Socius Francisci fuit, per plures annos floruit. Coronatus capitis capillamento, assignataque ei à Beato Parente Africa, vt prædicatione, & exemplaritate eam Christo parturiret, etsi Vir rudis, & simplex, quidquid virtutis, ac perfectionis ex illa *materiali Corona* symbolicè didicerat, practicè in se, & erga proximum vt esset *Puer, & Iesus, & annorum duodecim* commonstrauit. Innumeri deinde, quorum plurimi Confessores, plurimi Martyres in eadem professione laicali illius sanctitatis, & doctrinæ imitatores, oblato postea succedaneis sæculis deferendi coronas capitales vsu, eoque derelicto circa studium acquirendi, seruandique coronas spirituales virtutum, plurimum laborauerunt. Super vniuscumque istorum mentis caput *posuit Dominus Coronam de lapide pretioso*, Psalm. 20. Nam exponens hunc locum Interpres noster in Themate serm. 2. de vno, vel pluribus Martyribus, scribit hisce formalibus verbis. *Duplici corona coronat Dominus Sanctos suos, scilicet gratia in præsenti, & gloria in futuro. De vtraque Prouerb. 4. Dabit capiti tuo argumentagratiarum*, quoad primum, *& corona inclyta proteget te*, quoad secundum. *Prima corona Charitas est*, quæ fit ex argento, & auro, & lapidibus pretiosis. *Argentum est Fides*, quæ resonare debet per claram confessionem, Rom. 10. Prou. 21. *Aurum est Spes*, de qua Sap. 3. *Spes illorum immortalitate plena est*. Lapides pretiosi sunt quatuor Cardinales Virtutes. *Carbunculus, qui fugat tenebras est Prudentia contra ignorantiam*, quia vt dicit Seneca, *Ipsa portat lucernam ante alias virtutes*. Huius tres sunt partes, *Memoria* respectu præteriti. *Intelligentia* respectu præsentis. *Prouidentia* respectu futuri. Memoria debet esse de duobus, scilicet de peccatis, Isaiæ 31. *Recogitabo tibi omnes annos meos meos in amaritudine animæ meæ*. Et de Dei beneficiis, Thren. 4. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ absynthij, & fellis. Memoria memor erò, & tabescet in me anima mea*. Intelligentia est duplex, vna vt intelligamus quid simus, *quia fœnum, quod hodie viret, & cras in clibanum mittitur*, Lucæ 12. *Et putredo vilissima*, Iob 25. Altera vbi simus, quia in periculo non euitabili, Deuteronom. 32. *Inuenit eum in terra deserta, & in loco horroris*

Regulæ Sanctorum Corona de lapide pretioso.

1. Corona ex auro, charitas.

Eius 4. lapides pretiosi, 4. Cardinales virtutes.

Carbũculus pro Prudentia, cui partes tres

Intelligẽtia duplex est.

roris, & vasta solitudinis. Prouidentia item consistit in duobus, primò in consideratione præmii, in quo dulcedinis bonitas, & magnitudinis quantitas, & multitudinis perpetuitas; de his tribus Psalmus 30. *Quam magna multitudo, &c.* Secundò in consideratione supplicii, in quo tria, pœnarum acerbitas, diuersitas, æternitas. Hæ tres partes Prudentiæ significantur per tres sapientes Muliere; Iudith, Thecuitem, & Abigail.

Prouidentia consistit in duobus

Secundus lapis *Saphyrus, qui sanguinem sedat, est Temperantia*. Huius tres sunt partes. *Castitas, Sobrietas, Taciturnitas*. Hæ tres notantur in Ioanne Baptista in eius Hymno. *Castitas* cum dicitur. Nesciens labem terreni pudoris. *Sobrietas*, cui latex haustum sociata pastum mella locustis. *Taciturnitas*. Ne leui saltem maculare vitam famine posses.

Saphyrus pro Temperantia, cui etiam partes tres.

Tertius *Hyacinthus, qui secundum aerem coloratur, est Iustitia, quæ omnibus se coaptat*. Huius tres sunt partes. *Obedientia, reuerentia* quoad Prælatos. *Consilium, & auxilium* quoad pares. *Custodia, & disciplina* quoad subditos. Custodia, vt possint cauere peccata. Disciplina, vt quod minus cauerunt, minimè maneat impunitum. Hi sunt Viri Iusti, Noë, Daniel, & Iob,

Hyacinthus pro iustitia, cui itidem & tres partes.

Smaragdus quartus lapis, qui viridis est coloris, est fortitudo. Cor enim Viri fortis est in suo virore. Huius sunt tres partes. *Aggressio* arduorum. *Patientia* aduersorum. *Aequanimitas* in frequenti, & subita mutatione futurorum, seu fortuitorum. Hi sunt tres fortes Dauid, qui irruperunt Castra Philistinorum, & attulerunt aquam ad Dauid, 2. Reg. 23.

Smaragdus pro Fortitudine, cui pariter tres partes.

Secunda Corona gloriæ est ex quatuor lapidibus pretiosis. Primus lapis à parte posteriori est gaudium de peccatorum omnium, & periculorum euasione. *Hic est Carbunculus*, qui fugat tenebras, Isaiæ 35. *Gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus*. Naum 1. *Celebra Iuda festiuitatem, &c.* Secundus à dextris est gaudium de grata Sanctorum Societate, *Hic est Saphyrus*, qui cœlestem colorem habet, quia omnes Sancti sunt vnanimes in charitate. Tertius à sinistris est gaudium de malorum damnatione, Psalm. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam*. *Hic est Hyacinthus*, qui secundum aerem coloratur, sic Sancti iustitiæ Dei se conformant per gratitudinem.

Secunda Corona gloriæ iisdem quatuor lapidibus pretiosis exornata.

Quartus est gaudium de Dei perfecta cognitione, & fruitione, ac fraternitate. Hic ab interiore parte est, *& est Smaragdus*, qui viridis est, & visum confortat. Sic tota vita æterna est videre Deum, Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscamus te solum Deum*.

Hæc secũda Corona à prima depẽdet.

His verbis terminauit illum aureum discursum *Benedicta Interpretis nostri Linguæ*, quæ idcircò lapides eosdem adaptauit secundæ Coronæ gloriæ, Comprænsoribus debitæ, quos primæ Coronæ addiderat, Viatoribus præcipuæ, vt ostenderet, alteram *Fœlicitatis æternæ Coronam* ex altera beatitatis temporalis originem deducere. Vtramque deindè in Corona capillari Religiosorum symbolicè præsignari, ex dictis liquet.

LIBER

LIBER QVINTVS.

Discessum Francisci ab Vrbe Roma cum duodecim Apostolis suis post approbatam Minorum Legislationem. Series cæterorum Discipulorum vsque ad annum reparationis Legis Euangelicæ tertium. Qui erat annus Christi 1212. quando Sororum Pauperum Ordo institutus est.

Textus Historiæ D.Bonau.

1 FRETVS exindè Frãciscus superna gratia, & auctoritate Papali, cum fiducia multa versus Vallẽ Spoletanam iter arripuit, vt Euangelium Christi faciẽdo doceret.

Dum autem in via conferret cum socijs, qualiter Regulam, quam susceperant, sincerè seruarent. Qualiter in omni sanctitate, & iustitia coram Deo incederent. Qualiter in se ipsis proficerent, & essent alijs in exemplum, diutius collocutione protracta, hora pertransijt.

Ei, & socijs panis diuinitus prouidetur.

2 *Et cum laxati essent ex diuturnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sanè cum omnis via deesset, qua possent sibi de victu prouidere, statim affuit prouidentia Dei; nam subitò apparuit Homo, afferens panem in manu, quem Pauperibus Christi dedit, subitòque disparuit, incognitus vnde venerit, aut quò iret.*

Sic in sãcto paupertatis promisso cõfirmantur.

Cognoscẽtes autem per hoc pauperes fratres supernum sibi in Comitatu Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis diuinæ, quam cibo carnis propriæ sunt refecti. *Insuper Diuina consolatione repleti, statuerunt firmiter, & irreuocabiliter confirmauerunt, nullius inediæ, aut tribulationis impulsu a sancto Paupertatis resilire proposito.*

3 Exindè in Vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes, tractare cæperunt, vtrum inter homines conuersari deberent, an ad loca solitaria se conferre. *Sed Christi seruus Franciscus non de sua, vel de suorum confidens industria*, per orationis instãtiam diuinũ super hoc beneplacitum requisiuit. Supernæ igitur reuelationis illustratus oraculo, intellexit *se ad hoc missum a Domino, vt Christo animas lucrifaceret, quas Diabolus conabatur auferre. Deoque magis omnibus quam sibi soli viuere praelegit, illius prouocatus exemplo, qui vnus pro omnibus mori dignatus est.*

Intelligunt cælitus cur missi in mundum.

Habitant apostolicè in quodam tugurio.

4 Recollegit itaque se Vir Dei cum cæteris socijs in quodam tugurio derelicto iuxta Ciuitatem Assisij, in quo *secundum Paupertatis formam* in labore multo, & inopia victitabãt, *magis lachrymarum, quam deliciarum panibus refici satagentes.* Vacabãt enim ibidem diuinis precibus incessanter, mentaliter potius, quam vocaliter studio intendentes orationis deuotæ, pro eo, quod nondum Ecclesiasticos libros habebãt, in quibus possent horas canonicas decantare.

Docet Fratres plura Franc. sanctitatis exercitia

5 Loco tamen illorum *Librum Crucis Christi continuatis aspectibus, diebus, & noctibus reuoluebant*; exemplo Patris, ac eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de Cruce Christi sermonem. Quos & breuiter orare docuit, & Dominum laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis. *Honorare præcipua reuerentia Sacerdotes. Fidei quoque veritatem secundum quod Sancta Romana tenet, & docet Ecclesia, & firmiter credere, & simpliciter confiteri.* Seruabant illi Patris Sancti documenta per omnia, & ad omnes Ecclesias,

clesias, & Cruces, quas è longinquo videre poterant iuxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant. *Contrahentibus autem Fratribus, &c.*

Vide hoc in sect. 2. cap. 5. libri præcedentis, vbi eum posuimus per anticipationem, iuxta materiam de Diaconatu Francisci. *Post hæc pusilli gregis Pastor Frãciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum superna gratia præeunte, deduxit, vt vbi, &c.* Vide etiam istud in lib. 1. cap. 2. Hactenus Bonauentura, post cuius Seraphicã enarrationem Interpretis nostri allocutionẽ annectere, eumque principalioribus paragraphis apponere, haud pigebit.

Visio de curru igneo iã superius explicata est.

1. *Fretus exinde Franciscus, &c.* Loquens Interpres noster iuxta misticum intellectum de Syderibus errantibus cum Apostolo Iuda in sua Epistola Canonica, ac simul de lucentibus in caliginoso loco cum Petro, hæc habet: *Sydera errantia sunt hypocritæ, & falsi Religiosi aliis naufragii existentes causa, & ideò procella, & tempestate mortis æternæ percellentur.* Sydera dicta eò quod ea nauigantes considerant, & per ea dirigunt cursum suum. *Boni Ecclesiæ Prælati, & veri Religiosi sunt Sydera lucentia in caliginoso loco, quæ per hoc mare nauigantes cursu recto ad vitæ æternæ portum dirigunt.* Sic bonus, ac supremus Prælatus Franciscus, à Romano Pontifice immediatè in eo officio vix constitutus, sed à probitate vitæ suæ vetus Religiosus, ac Vir Apostolicus effectus, hanc statim noui Syderis imaginem, quam verbis postea suis delineauit Interpres noster, verbis, & exemplis contra Sydera errantia (hæc semper in seipso, atque in suis, vt maligna meritò abhorruit) documentales doctrinæ Euangelicæ radios erga suos Discipulos effudit. Sic per hoc mare nauigãtes cursu recto sub eius ductu ad vitæ æternæ portũ feliciter direxit. Quam veritatem expendens Seraphicus Historicus in initio Prologi vitæ illius. *Hic,* inquit, *quasi stella matutina in medio nebulæ, claris vitæ, & doctrinæ micans fulgoribus sedentes in tenebris, & vmbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem, &c.* Vbi aduertenda Bonau. allocutio in postremis illis verbis, *irradiatione præfulgida direxit in lucem.* Nam nuncupauit in principio, Franciscum *stellam* ob stabilitatẽ, ob quam *stella ita dicta est*, teste Interprete nostro, alibi pluries dato, & ob constantiam, ac perseuerantiam, tã in officio boni Prælati, quam in munere optimi subditi vsque ad mortem. In cuius testimonium *visa fuit anima Francisci, vix è corpore egressa, sub specie stellæ præfulgida à candida subuecta nubecula, &c.* Sicut habet idem Bonau. cap. 14. Vt autem ostenderet, talem stellam syderis naturam itidem expressisse, illis vltimis verbis, paulò ante citatis, totam clausit periodum.

Hypocritæ sunt sidera errantia.

Boni Prelati sidera lucentia.

Stella à stabilitate dicta est. Sidus à consideratione, ac directione.

2. *Et cum laxati essent, &c.* Panis, quẽ cælitus Franciscus, & eius duodecim sociis acceperunt, vnus fuit materialiter, & multiplicem panem parauit illis spiritualiter in Paupertatis mensa. *Saluator* (ait Doctor noster serm. in Cœna Domini) *multiplicem exhibet panem; ipse enim dat nobis panem materialem, dat etiam panem sapientialem, dat etiam panem sacramentalem, dat etiam panem cælestem.* Refectis Francisci, & sociorum corporibus illo pane materiali, ac naturæ, illicò eorum mentes panem vitalem, panem sapientialem, panem gratiæ receperunt, vt patet in littera. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum*, Eccl. 15. Quod ita exponit Doctor noster loco citato, veluti si Francisci personam mẽte reuolueret. Dicit ergo, *cibauit illum*, scilicet *virum fidelem, virum humilem, virum Mundi contemptorem, virum Dei amatorem.* Talem enim cibat Deus pane vitæ, pane sapientiæ, pane gratiæ. *Et aqua sapientiæ salutaris potauit illum.* Attende (subdit statim Interpres) quod signanter dicit sapientia salutaris, *quia est quædam sapientia salutaris, quædam damnabilis, quædam mundanorum, quædam iustorum.* Hanc duplicem sapientiam distinguit B. Gregorius super illo verbo Iob, *Deridetur iusti simplicitas*, lib. moralium 10. cap. 27. Sapientia mundanorum est plena tumiditate, plena vanitate, plena calamitate. Vnde Augustinus, *Sapientes in naturis rerum, stulti facti sunt in Deo. Sapientia iustorum est sapientia laudabilis, imitabilis, & desiderabilis.* Vnde Iacobus cap. 3. *Quæ*, inquit, *desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine dissimulatione*, Hæc Interpres noster.

Multiplex panis, à Saluatore nostro exhibitus.

Panis sapientialis.

Sapientia alia salutaris, alia verò damnabilis.

Sapientia desursũ docens, ac prærogatiuæ.

Et quidem valdè ad propositum videntur circa rem nostram, vbi ex refectione exteriori panis naturæ, Frãcisco Legislatori, & sociis in illo loco solitario diuinitus exhibiti, statim omnes illi viri fideles, viri humiles, viri mundi contemptores, viri Dei amatores, pane vitæ, & intellectus interius cibati fuere, & aqua sapientiæ salutaris potati. Quod apertè indigitauit Bonau. illis verbis. *Cognoscentes autem per hoc, &c.* Ex quibus verbis possumus etiam inferre, quod ob vnius naturæ panis exhibitionem, cælitus effectam, quinque panum gratiæ possessores Franciscus, & socii triplici modo effecti sint.

Quinque panes sub triplici intellectu.

sint. Docet enim Interpres noster super miraculum de quinque panibus Ioann. 6. in serm. Dom. 4. Quadrag. *Quod moraliter quinque panes sunt castigatio, & attritio quinque sensuum*. Et post pauca subdit. *Aliter quinque panes sunt, Dolor de omisso, Pudor de commisso, Horror Iudicij, Timor supplicij, Ardor penitudinis*. Et inferius ad finem sermonis quinq; Christi vulneribus præfatos quinque panes accommodat. Per illum namque panem omnes consolatione cælesti repleti, statim ipsis noua sensuum castigatio, validiora pœnitentiæ tam sacramentalis, quam pœnalis opera, austerior mortificatio iureiurando, siue in promissis contingerunt. *Statuerunt enim firmiter, & irreuocabiliter confirmauerunt, nullius inedia, aut tribulationis impulsu à sancto Paupertatis resilire promisso*.

3 *Exinde in Vallem Spoletanam, &c.* Corpus misticum, adeò ingens Ordinis Minorum pro reparatione corporis Ecclesiastici, ac totius Christianæ Reipublicæ ita se habere necessarium fuit, sicut se habebat in suo regimine Monarchia Ecclesiastica, constans superiori, & inferiori potestate: superiori, quam spiritualem nuncupant, hancque directam. inferiori, quam temporalem, seu politicam dicunt, & indirectam. Quare par equidem erat, vt Religio Fratrum Minorum veluti duabus in Columnis, *vita scilicet Contemplatiua, & Actiua fundaretur*. De vtraq; hac vita digna comparatione inter formationem hominis naturalis in ventre matris, & hominis spiritualis in gremio Ecclesiæ, agit Doctor noster serm. 2. Domin. 3. post Pasch. Postquam, ait, in corde hominis (supplè spiritualis) est formata *Humilitas*, tunc fit distinctio partis superioris, & inferioris. Et quia pars superior dignior est inferiori, ideò formatur prius, & in ipsa prius apparent caput, & oculi. *Pars superior est vita contemplatiua*, in qua prius apparet, & debet apparere *caput charitatis*, de quo Cant. 5. *Caput eius aurum optimum*. Aurum est purum, & lucidum, *nam Charitas debet esse pura ad Deum, lucida ad proximum*. Et apparent oculi, idest *cognitio æternæ fœlicitatis*. Vita actiua tamquam pars inferior debet seruire contemplationi, quoniam inferior pars non est, nisi propter partem superiorem. *Non vir propter mulierem, sed mulier propter virum est creata*, 1. Cor. 11. *Quia non contemplatiua propter actiuam, sed actiua propter contemplatiuam est instituta*.

Vitæ contēplatiuæ, & vitæ actiuæ distinctio, & conueniētia.

Charitas caput ex auro optimo

Et sicut cerebrum membrum frigidum est, positum in opposito cordis, vt ipsius temperet calorem, *sic vita contemplatiua, quæ consistit in mentis compunctione*, est posita ex opposito vitæ actiuæ, vt sua oratione, lachrymarum compunctione, laboris feruore, *tentationis eius calorem temperet; quæ in cordis humilitate consistere debet*. Et sicut magnitudo capitis est maior aliis membris, *sic gratia contemplationis est sublimior, quia Deo, quem contemplatur, vicinior*.

Cur cerebrū in opposito cordis positum.
Et cōparatur vitæ cōtemplatiuæ.

Cōparatur & capitis magnitudini

Sed heù quanti infantes, idest mente instabiles magnitudine huius capitis conati sunt ferre. Sed longo tempore non potuerunt portare propter sui magnitudinem. *Solus Abraham*, idest Vir Iustus, cum *Puero*, idest mentis puritate, *ascendit in montem* vitæ cōtemplatiuæ. *Pueri autem remanserunt in Valle* delectationis mundanæ, *expectantes cum Asino*, idest asinina tarditate, Genes. 22. Et sicut omnia membra prius recipiunt terminos, signa, colores, duritiem, & mollitiem, *sic omnes virtutes debent habere terminos suos, vt regia via gradientes, non declinent ad dexteram, vel sinistram*; vt ne sub prætextu iustitiæ crudelitas sibi locum vendicet, & remissa segnities mansuetudinis pallio se palliet. *Et signa Dominicæ Passionis, & Crucis sigillo sanguineo consignemus*. Et colores non fictos, sed veros, & viuos, *ne vitia virtutum tincta colore animam decipiant*. Vnde dicit Isidorus, *quod vitia virtutum speciem præferunt*: Vnde perniciosius suos sectatores decipiunt, quia sub velamine virtutis teguntur. Et Philosophus, *Nulla sunt occultiores insidiæ, quam quæ latent in similitudine officij*. Nam Troianus Equus idcircò fefellit, quia formam Mineruæ mentitus est. *Debent enim habere virtutes duritiem, & mollitiem, vinum, & oleum, virgam, & manna, verbera, & vbera, ferrum, & vnguentū*. Hactenus Doctor noster, & quidem valde egregiè, & acutè in depingenda omni structura vitarum contemplatiuæ, & actiuæ cum suis virtutibus, harumque modis, adeò Francisco, & primis sociis eius ab exordio Ordinis insita, vt in extraneo tugurio, vix approbatam Regulam, statim mira apparuerit, vt sequitur.

Virtutes vtriusq. vitæ contempl & act. termini.

Ipsorū signa colores

Durities, & mollities.

4 *Recolligit se Vir Dei, &c.* Dicitur Sapient. 15. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem*. Quam sententiam ita Doctor noster interpretatur. Homo, inquit, spiritualis rediens à temporalium sollicitudine, à cogitationum inquietudine, & intrans in domum propriæ conscientiæ, & clauso hostio quinque sensuum cōquiescit cum sapientia, diuinæ scilicet contemplationi vacans, in qua supernæ dulcedinis quietem degustat. *Conuersatio sapientum non habet amaritudinem, idest peccati delectationem*. Palatum enim, quod ei afficit, nullum venenum interficit, nec habet tediū conuictus ipsius. Spirituales enim deliciæ

Domus conscietiæ ostia suntquinque sensus

augent desiderium, & cū magis sumuntur auidius amantur, in quibus est lætitia, & gaudium. *Beata illa Domus*, concludit, *fælix illa conscientia, quam sapor sapientiæ afficit, in qua ipsa sapientia requiescit*.

5 Tredecim viri, & cum ipsis totidē conscientiæ Apostolicæ, Euangelicæ, Seraphicæ commorabantur in præfato Tugurio, ac per consequens totidem felicissimæ domus illud intrarunt, *in quo secundum paupertatis formam*, &c. vt sup. num. 4. *Oculis ipsorum loco librorum Crux Christi liber erat*; Sed domibus conscientiarum (veluti signum quodam peculiare, *circa Passionis Christi memoriam, à Francisco, & eius Ordine in Ecclesia suscitandā, & viuificandam*) reperiebatur fasciculus hyssopi, tincti in sanguine, de quo text. sacer Exod. 12. *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite eum in superliminare, & vtrumque postem*. Vbi Interpres noster satis luculenter in serm. Domin. 2. post Pascha. Hyssopus est herba, purgandis pulmonibus apta. Nascitur in petris, saxorum radicibus hærens. *Fidem significat Christi*, de qua Apostolus, *fide purificans corda eorum*. Hæc in Christo radicitus est fundata. Vos ego, fideles, accipite fasciculum fidei, *& intingite in sanguine Christi*, & aspergite super liminare, idest intellectum, & vtrumque postem, idest voluntatem, & hoc in *Memoriam passionis Christi*. Vnde Sponsa Cantic. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*. In corde voluntas, in brachio notatur operatio. *Quæ duo signacula passionis Christi debent insigniri. Quicumque ergo isto signo fuerint signati, eos Dominus cognoscet, & ipsi Dominum*. Hæc Interpres noster.

Hyssopus pro fide Christi eius sanguine tincta.

In corde voluntas, in brachio operatio.

Istam prorsus fidem, quam Sancta Romana tenet, & docet Ecclesia, & firmiter crediderunt, & simpliciter confessi sunt primi, medii, ac postremi Minoritæ vsque ad hæc nostra tempora, ita pariter credituri, ac confessuri contra filium perditionis vsque ad Mundi finem. Sic enim cunctos inclitus Christi, & Crucifixi sectator, ac Legislator Franciscus plus exemplis, quam verbis ab exordio monuerat. A Cruce incæpit cum vita Christi summi Legislatoris Catholica Ecclesia; igitur & à Cruce cum vita Legislatoris Francisci incipienda erat illa Religio, quam Christus ipse in reparationem Ecclesiæ suæ, cuius interitus ex derelictione Christi Crucifixi potissimum tunc temporis imminebat, immediatè destinarat.

A Cruce incæpit Ecclesia Christi, & Ecclesia Franc.

Hinc aduertenda accuratissima Doctoris nostri series, vbi inter septem symbolica, ac mistica deserta, quæ in serm. 2. Dom. 1. Quadrages. explicat, immediata sunt ista duo, scilicet quartum, quod est de Religione, & quintum, quod est de Cruce Christi. *Quartum desertum*, ait, *est Religio, in qua deseritur Mundus per votum Paupertatis. Caro per votum Castitatis. Voluntas actionis per votum Obedientiæ*. De hoc deserto Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit*, scilicet de virtute in virtutem, *Per desertum delicijs affluens*, idest virtutibus, & internis cogitationibus. *Innixa super dilectum suum*. Quia Mundum perfectè relinquens, soli Deo innititur. Hæc Interpres, ac Postillator noster, quæ esse quidem pluribus ex causis deserto nostro Minorum peculiaria admodum (sed præcipuè ob totalem renunciationem rerum temporalium, quibus inhæret Mundus, Caro, ac Voluntas) proculdubio asserendum est. Pergit deindè statim ad sequens desertum, & ita scribit.

Religio Minorum desertum mistice, ac valde præcipuè.

Quintum desertum dicitur Crux Christi, in qua eo derelicto, omnes fugerunt, immò & hodie fugiunt. Videmus eum in Cruce pendentem, & quasi subsannando pertransimus. In hoc deserto visus est & Pater eum dereliquisse, quando clamauit Christus, Matth. 2. *Deus Deus meus cur dereliquisti me?* Istud est desertum Ziph, quod interpretatur *florens*, ferens scilicet *Corpus floridum Christi Nazareni, idest floridi. Nulla enim sylua talem profert fronde florere germine. Vnde hic Desertum floruit floreo Christi, & roseo sanguine, tamquam rosis Christi humanitate, tamquam violis munditia, & puritate eius tamquam Lilio*. Verum derelictus, & contemptus eo tempore in Cruce Christus, floruit denuò veluti cum Ecclesia reparatus, ac restauratus in Deserto Minorum, in quo eius Institutor, & Legislator idcirco delectus fuit, vt in carne sua munda, sanctificata, virginea, viua, veluti in quadam Cruce animata cum Puritatis Lilio Rosas, ac Violas cruentas Plagarum Christi, duris confossus clauis, exprimeret.

Desertum etiam misticū est Crux Christi.

CAPVT

CAPVT PRIMVM

Christus summus Legislator, præter duodecim Discipulos, quos & Apostolos nominauit, habuit & alios septuaginta duos. Pariter Legislator Franciscus totidem, vel paulò plures post duodecim memoratos penè habuit Discipulos, a se immediatè vocatos. Quibus tradidit etiam Minorum Legem, opus Reparationis Legis Christi, & Romanæ Ecclesiæ prosequuturus.

CIrcuibat Franciscus Legislator Ciuitates, & Castella, vna tunica contentus, & valdè rudi, & aspera, & cruciformi; sine baculo, sine pera, sine corrigia, pro qua funem sumpserat. Pauper, & pedes, & discalceatus, euangelizans omnibus, & quamplurimos nunc Christo parturiens, nunc etiam & Christo, & Legi Fratrum Minorum: tres Equi, quorum quemlibet multi incliti Viri seorsim sequebantur, comitabantur ipsum. Primus Equus niger erat, secundus rufus, tertius albus, eosque Ioann. longè ante præuiderat Apocal. 6. Siquidem Interpres noster serm. Dom. 6. post Trinit. ita de illis scribit, ac de signis, siue stemmatibus, vel symbolis, quibus eorum sessores vtebantur.

Tres Equi mistici cum Francisco

1 *Equus niger significat nouiter conuersos, qui falso Mundi candore deposito, nigredinem pœnitentiæ assumunt*, qui dicunt Thren. 5. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est*. Isti debent habere *stateram in manu*, vt sicut exhibuerunt membra sua seruire immunditiæ, &c. ita nunc exhibebant membra sua seruire iustitiæ, ducenti in satisfactionem in boni confirmatione.

Equus niger sunt nouiter conuersi.

2 *Item Equus rufus significat proficientes*, qui spiritu Dei sunt feruentes, in tribulationibus gaudentes. Isti sumunt *Pacem de terra*, idest carnem suã crucifigunt cum vitiis, & concupiscentiis. Istis datur magnus gladius, per quem intelligitur discretio, quam debent habere in operibus pœnitentiæ.

Equus rufus proficiẽtes.

3 *Itẽ Equus albus significat perfectos. Isti habent in manu arcum, idest victoriam, de Mundo, de Diabolo, & carne triumphantes*. Hæc Interpres noster, & quidem multum respondentia quampluribus aliis Discipulis (horum alii nouiter conuersi, alii proficientes, alii perfecti) ipsum, & eius exempla sequentibus, & imitantibus. Vt etiam ex hac parte Legislatori Christo, qui præter duodecim Discipulos elegit & alios septuaginta duos, & misit binos ante faciem suam in omnem terram, assimilaretur, sicut ex Pisano superius in priori libro ostendimus.

Equus albus perfectos

Legimus & aliam conformitatem Francisci cum Christo circa idem propositum apud eundem Interpretem nostrum ibidem. Explicans enim loco citato miraculum septem panum, & paucorum pisciculorum, quibus turba multa fuit à Christo abundè saturata, Marc 8. ponderansque illa verba præcipua *Accipiens septem panes, gratias agens, fregit, & dabat Discipulis suis, vt apponerent, & apposuerunt turbæ*, hæc subdit statim. Qui septem panibus refici desiderat, *scilicet dono septiformis gratiæ*, necesse est, vt prius *super terram*, idest carnem suam, ipsam conculcãdo, *discumbat*. Vir iustus dum super terrã sui corporis cõsistens virtute discretionis eam conculcat, Deum in spiritu, & veritate adorat. *Sed & pisciculos paucos iussit apponi*. Pisciculi sunt *Paupertas. Humilitas. Patientia. Obedientia. Memoria passionis Christi*, &c. Dum Franciscus Legislator tales panes, talesque pisciculos apponebat turbis, ex illis quamplures alii post duodecim illos, quos superius memorauimus, eius vestigia sequuti sunt, & legẽ amplexati, ac professi. Hi cuncti deinde sessorum trium Equorum præfatorum symbola in tres classes diuisi explicantes, alii in Equo nigro *Statera Iustitiæ*, cui membra sua sancta subiiciebant seruitute, in manu gestabant. Alii in Equo Rufo *Gladium* habentes, sumebant pacem de terra, &c. Alii in Equo albo habebant *Arcum, &c.* Quotquot verò reperire potui iuxta ordinem temporum, nunc breui subiicio, percurrens illud annorum spatium, quod ab anno 1210. vsque ad 1223 non verò vsq. ad Francisci obitũ tredecim curricula effecit. Qui Francisco deinde immediatè accesserunt, & ipse in suum consortium admisit, omnes fermè Viri perfecti fuerunt, quemadmodum & tres præcipuè Mulieres, quarũ duæ Virgines extitere simul & sorores, tam carnali sanguine, & pari nobilitatis propagine, quã spiritali coniunctione celebres. Altera Vidua fuit, & ipsa quoque natalium claritate notissima, atque illustri sanctitate probata. Priores natione Assisiates, illa *Clara*, ista verò *Agnes* nuncupata. Posterior Romana gente exorta, *Domina Iacoba de septem Solys* dicta est. Pariter & Christus in suo famulatu habuit duas sanctissimas, inclitasque sorores, Mariam scilicet Magdalenam, & Martam, eam contemplatiuæ, hanc verò actiuæ vitæ Antesignanam. Habuit etiam duas Marias alias, Mariam Iacobi, & Mariã Cleophæ sibi

Misticè super terram recumbere

Pisciculi mistici.

Omnes fermè Fran. discipuli sãcti. tate vitæ floruerunt.

Sanctas quoque habuit, vti Christus habuit suas, Franc. discipulas.

sibi carnali coniunctione affiaes. Compertissimum ergo illud Volaterrani, superius darum. *Conseruatoris nostri ferè per omnia typum gessit Franciscus.*

Fermè per omnia intellige quoque respectu discipulatus supra duodenarium numerum primorum. Nam licet cæteri Francisci Discipuli, septuaginta duos Christi Discipulos aliquali quantitate superauerint, qualitate tamen morum in multis ferè cuncti similes illis fuerunt. Vnde Pisanus citatus lib. 1. pro prima parte fructu 8. enumeratis duodecim, statim inquit. *Hi sunt primi, qui B. Francisco adhæserunt vita, & habitu, & post istos multi alij vita, & verbo. & signis insignes, vt patebit.* Sed multo ante Pisanum ita scripserat Bonau. cap. 5. vitæ S. Francisci in corpore. *Multi etiam deuotione compuncti*, & perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur, qui quotidianis succrescentes profectibus vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenerunt. *Faciebat namque Sancta Paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus,* ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos, & quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant vbique, nullo pauore suspensi, nulla cura distracti, tamquam qui absque mentis turbatione viuebant, & sine sollicitudine diem crastinum, & serotinum hospitium expectabant, multa quidem in diuersis partibus eis inferebātur conuicia tamquam personis despicabilibus, & ignotis. *Verum amor Euangelij Christi* adeo ipsos patientes effecerat, vt quærerent potius ibi esse, vbi persecutionem paterentur in corpore, quam vbi cognita sanctitate ipsorum mundano possent gloriari fauore. *Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur vbertas, dum iuxta consilium sapientis Ecclesiast. 29. pro magno ipsis minimum complacebat.*

Mira in Frācisci discipulatu operabatur Paupertas.

Ipsa penuria superabundans illis videbatur.

Nomina Discipulorum 72. qui à Domino fuerunt electi, dum singula exprimere conati sunt aliqui, omnes fere, quorum inuenerunt in Epistolis Pauli fieri mentionem, quos eiusdem Apostoli constat fuisse Discipulos, simul confarcinantes, nulla prorsus habita ratione veritatis, inter Discipulos Domini adnumerarunt; & quod deterius est, eos admiscuerunt, qui nec Apostolorum discipuli fuisse noscuntur. Ostendit Baronius tom. 1. Ann. ad ann. 33. ibique ex Luca Act. 21. memorat *Iasonem* antiquum Domini Discipulum, & à recentioribus succedentibus discipulis distinctum. Ex Epiphanio in Panario lib. 1 tom. 1. in fine cum septem viduarum Præfectis, scilicet *Stephano, Philippo, Procuro, Nicanoro, Timone, Parmena, Nicolao,* inter eosdem Discipulos ab ipso enumeratos, memorat āte ipsos *Mattheā, Marcum, Lucam, Iustum, Barnabam, Appellem, Rufum, Nigrum.* At Eusebius (subdit statim Baronius) lib. 1. cap. 12. qui in his perquirendis haud parum laboris videtur insumpsisse, apertè fatetur, nuspiam inuenire catalogum eiusmodi 72. Discipulorum. Recenset aliquos, quos ipse hinc inde expiscatus est, videlicet Barnabam, *Sosthonem, Cepham*, diuersum à Petro. Matthiam, & *Taddæum* putarem & *Ananiam* inter eos adnumerandum. Papias apud Euseb. lib. 3. cap. 33. antiquus Theologus auditor Ioannis Euangelistæ, recenset inter eosdem Domini Discipulos *Aristionem*, & *Ioannem* alium ab Euangelista quoque diuersum. Hactenus de nominibus Discipulorum Domini claudit Baronius historiam illam. Itaque vix 21. ex 72. Discipulorum Christi nomina adhuc innotuere, nec tamen cuncta comperta, atque infallibilia. Pari modo contigit viris illis omnibus penè sanctissimis, quos ex se immediatè vocauit, conuertitque Franciscus supra duodecim memoratos. Quandoquidem plures ipsorum ob nominum obliterationem sub anonymorum nuncupatione authores nostri adnotauere, scientes tantum personas, & multotiens pariter eorum nationem, & patriam, & aliquando & hæc quoque penitus ignorantes. Quorum ipse morem prosequens, simili pacto in illorum enarratione me geram, eos solummodo memorans, quos ex Vadingo nostro colligere potui. Ipse etiam Vadingus testatur ad annum 1219. quod in Comitiis Generalibus, nuncupatis de storeis, de quibus infra singillatim ad eumdem annum, plusquam quingenti initiati sint. Vide infra ad finem puncti 3. sect. 2. cap. 4. lib. 6.

††

Nomina 72. Discipulorū Christi non omnia certa

SE-

SECTIO PRMA:

Alios duodecim post duodecim primos in legem, & institutum Minorum conuertens, ac recipiens Franciscus ad annum salutis 1210.eorum Apostolica gesta breuibus Panegiricis explicantur.

PANEGIRICVS I.

Ouicula generans ac lactans Leunculum.

Primus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. LEO ASSISIAS, qui ex secretis regiminis, & conscientiæ, scilicet Confessarius, & Scriba Legislatoris Francisci. Hunc *Dei Oniculam*, ob eius inclitam simplicitatem, ac mansuetudinem nuncupabat Vir Sanctus. In centenario ouium Christi numero relucebant ferè omnia Ouiculæ Leonis nostri dona gratuita,& naturalia, erat siquidem vna Ouis in persona, & centum Oues in perfectione. Quod probari potest ex Doctoris nostri sententia in serm.Dom.3. post Trinit.Ponamus eis verba. *Habuit*, inquit, *Christus centum Oues; centenarius numerus perfectionem significat, Oues dona gratuita, & naturalia significant, quæ qui habet, perfectus est, perfectione scilicet viæ. Et benè dona gratuita,& naturalia dicuntur Oues, quia sicut Oues sunt animalia simplicia, innocentia, & quieta, sic dona gratuita, & naturalia faciunt hominem simplicem, id est sine plica fraudis ad proximum, innocentem ad seipsum, quietum ad Deum.*

Centenarii numeri, & ouium simbola in Leone nostro.

Oues Christi quatuor conditiones inter alias habent, in quibus Leo noster dũ ipse pariter excellebat,meritò Dei Ouicula à Francisco Legislatore, ac Pastore appellatus est. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me*, clamabat bonus Pastor Christus Ioann. 10. Vbi pulchrè Interpres noster Leonis nostri imaginem depingens, ita scribit serm. fer.4. in Passione. *Ex opera arguitur virtus, ex virtute substantia. Igitur eadem virtus, & eadem substantia*. Et ne credatur, subdit, quod ipse talibus, quibus confert vitam,det eã sine meritis, siue quod det vitam Ouibus vagabundis in nemore huius Mundi, vel de prato mundanarum deliciarum: Ideò præmisit, quod hanc vitam non confert, nisi Ouibus suis,quæ scilicet habent quatuor conditiones. Videlicet

Ex opere arguitur Christus.

Oues Christi quatuor conditiones habent.

1 *Sinceritatem Innocentiæ, ideo Oues.*

2 *Intimitatem amicitiæ, ideo meæ.*

3 *Humilitatem reuerentiæ, vel obedientiæ, ideo vocem.*

4 *Stabilitatem perseuerantiæ, ideo sequuntur.*

Hæc sinceritas innocentiæ, hæc intimitas amicitiæ, hæc humilitas reuerentiæ, & obedientiæ, hæc stabilitas perseuerantiæ Ouicula Leonis nostri erga Pastores. Christum, & Franciscũ pro amore Christi, verè Dei Oniculam dum ipsum mirabiliter constituebant, Leonem pariter in fortitudine, ac soliditate virtutum, & ad Dæmonis artes generoso aggressu repellendas, ac deterrendas, demonstrabat. Quæ omnia patent ex Interprete nostro pluribus in locis.

Scripsit B.Leo cum B.B.Rufino, & Angelo vitam, & gesta S.Francisci, quam historiam *Legendam trium Sociorum* communiter nostrates ex intitulatione Auctorum libris suis nuncupant. Obiit miraculis clarus Anno Domini 1271. Conditus Assisij in Eccles.S.Francisci. Martyrologium agit de eo die 15.Nouembr.

Scripsit vitam S. Frac. cõ aliis duobus sociis

Obitus B. Leonis Die Nouẽb.15.

PANEGIRICVS II.

Schyphus argenteus, tritico plenus.

Secundus Discipulus ex numero LXXVIII.

B.RVFFINVS Assisias, *S. Claræ Abnepos* ex Parente *Bernardutio*, qui eidem S.Claræ pronepos erat,& ex clara *Scyphorum* gente, *Fumi*, siue *Fiumi* stirpi in B.Hortulana D.Claræ Matre per coniugẽ *Fauoronium* iuncta. Rufus, flauusque, haud exterius in facie ex natura,siue sola nuncupatione per nomen extitit hic nobilis Minorita, sed interius in mente, in qua etiam miro candore albus erat. Illa Seraphica charitate coloratus, atque inflammatus cernebatur, quæ passim vultum eius decorabat corporis afflictio, & membra ipsa, quæ assiduis, asperisque flagellis rubricabant, purpureis Stigmatibus post effusum sanguinem in ipsis derelictis. Eius iconem expressit ad viuum Interpres noster super illud Ioann. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram, &c.* Vbi enucleans septimam grani frumenti proprietatem,ita scribit in sermone tertio de vno Martyre, *Septimo granum frumenti flauum, & subrufum est exterius*. Sic Corpus Martyris huius per passionem, & effusionem sanguinis fuit rubricatum; & interius vt granum frumenti album per castitatis, & cotinentiæ nitorem, vt dicere de eo posset Ecclesia illud Cantic. 5. *Dilectus*

B. Ruffini D.Claræ abnepos erat.

B. Ruffinus cur granum frumenti dicendus

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Sic tu si vis esse candidus intus per castitatem contra luxuriam, sis exterius rubicundus per corporis afflictionem. Hæc ille.

B. Ruffinus rufus, & albus.

Dilectus Deo, & hominibus *B. Ruffinus* extans in hunc modum *candidus, & rubicundus, sicut granum frumenti seipsum Deo ministrauit*, iuxta illud Ioann. 12. *Si quis mihi ministrat me sequatur*, exhibens ei cor, & corpus, illud rubrum, & candidum, quia sine rubore sanguinis moralis, ac initiati; & ob candorem sicut aqua effusum; istud sanguine conspersum, sed illi oblatum. Docet enim Interpres noster serm. 4. de Martyribus hæc in specie. *Te ipsum ministra Christo; est enim Gigas, qui homines deuorat, appetens cor, & corpus. Hæc duo ei para, & sufficiet*. Cor autem primum petit in cibum, sicut nobilis auis Prou. 23. Eccles. 30. *Effunde ergo de corde tuo, vt sit aptum ad comedendum sanguinem totum superbiæ, inuidiæ, & rancoris. Nam caro cũ sanguine comedi prohibita est* Genes. 9 *Effunde sicut aquam cor tuum*. Thren. 2. *Laua à malitia cor tuum*, Ierem. 4. *Et tunc coque ipsum in aquis contritionis, & igne charitatis*. Corpus etiam para ei, vt sanguinem totius voluptatis Deo offeras, vt ipsum decoquas laboribus, sudoribus, ieiuniis, vigiliis, disciplinis. Vsque huc Interpres

Cor, & corpus Giganti Christo in cibũ paráda

Tãto amore in Deum rubuit Ruffinus noster, Christo suo, cor & corpus ministrans, vt formidolosus Dæmonibus euaderet. Candorem innocentis animæ adeò vsque ad mortem seruauit, vt meruerit anno Christi 1270. in quo decessit, signis, & prodigiis illustris, D. Franciscum cum multitudine Angelorum sibi apparere. Vide Martirol. die 14. Nouemb.

PANEGIRICVS III.

Massa cinerea, aqua Maris coagulata.

Tertius Discipulus ex numero LXXVIII.

B. Massæus massa spiritualis quemodo nũcupandus

B. MASSAEVS Marinianus, vulgò, *de Marignano*, cuius *massa*, ex vtroque homine coagulata, ac subcineritia in Lege Fratrum Minorum effecta, necnon & pretiosa, ac suauis in moribus, & rebus spiritualibus reddita, priorem Mundi massam, ab ipsa sua initiatione damnatam, in seipso destruxit. Extans enim in seculo vir apprimè multum curialis, atq; fœcundissimus, tota deindè eius curialitas, & fœcunditas in quadam mixtione admirabili redacta, cælestem dulcedinem Deo, ac B. Francisco præstitit. Reperi hanc optimam *Massæi* nostri *massam*, seu

Fuit vir curialis, ac facundus

mixtionem aduersus aliam Mundi massã apud Interpretem meum sub symbolo Balsami, ex cuius quatuor gratiis naturalibus, scilicet maxima, maiori, magna, minima, nimirum gratia lachrymæ, gratia seminis, gratia corticis, & gratia ligni, hæc quatuor digna allegoria admiscet. Nota illa quatuor, inquit serm. 18. post Trinit. *In lachryma Balsami suauitas contemplationis designatur, in semine verbum prædicationis, in cortice asperitas pœnitentiæ, in ligno hoc corpus mortale*.

Massa balsamica ex mixtione quatuor rerum, quæ in balsamo sunt.

1 Præcipua gratia debetur lachrymæ, Iudic. 1. *Axa sedens super Asinam, fleuit pro irriguo superiori*. Quod fit, quando anima carnem reprimens, suauitatem contemplationis intendit cum deuotione mentis.

2 Secunda gratia debetur semini. Lucæ 8. *Exijt qui seminat seminare*, scilicet.

3 Tertia gratia debetur cortici. Cortex est dictus, quasi corium tegens, & pœnitentiæ asperitas tegit peccata, Psal. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata*.

4 Quarta gratia debetur ligno. Iob 14. *Lignum habet spem, si incisum*. Homo habet, & habere debet spem, quod lignũ, idest corpus eius postquam mortis securi præcisum fuit, rursum in generali resurrectione virescat.

Huic Ligno minima gratia est, & quasi nulla cura, tamquam seruo inutili, debetur.

Cortici pœnitentiæ magna gratia debetur, quia magna operatur.

Semini prædicationis, maior gratia, quia per ipsam venitur ad corticem.

Lachrymæ contemplationis maxima, & præcipua debetur gratia, quia maxima, & præcipua suauitas habetur in ipsa. Balsamum viuentium conseruat, suauitas vitæ contemplatiuæ animam conseruat in iuuentute sua, *Renouabitur vt Aquila iuuentus, &c*. Balsamum pulchritudinem arcet. Mens, quæ illa suauitate iungitur, imputribilis à peccati consensu cõseruatur; Balsami gutta cum melle mixta adulteratur. Quodam adulterio contemplationis suauitas corrumpitur, si ei mel temporalium admiscetur.

Minima gratia debetur ligno corporis, magna cortici pœnitentiæ, maior semini prædicationis, maxima lachrymæ cõtéplationis.

Mel mũdi balsamũ spiritale contéplationis adulterans.

Istud mel cum omninò alienum esset è Massæi nostri Balsamica Massa, ex quo socius, & confrater Francisci effectus est, eius prorsus vtriusque hominis mixtio ex præfatis quatuor gratiis erumpens gratuita animæ suæ iuuentus sub corporali senectute semper in flore extitit, & eius Mens imputribile morum temperamentũ seruauit. *In hoc probatur, te esse sine melle transitoriæ dulcedinis, si admixto lacte Dominicæ Incarnationis, coagulatus, idest constrictus fueris spiritu paupertatis*, ait ibi Doctor

Quis sit hoc mel mysticè dicendus.

Doctor noster loco cit. paulò infra, spiritalem pauperrimi Massæi nostri Massam sibi pro exemplo communibus verbis proferens.

Mare illud, quod in agnomine deferebat Massæus ipsum semel recipiens, ex quo in eum magnanimiter se misit, vsque ad mortem feliciter retinuit. Nam ita Interpres noster de huiusce modi Mari serm. fer. 5. Hebdom. primæ Quadrages. vbi quasi alloquentem inducens Franciscum Massæum suum, atq. à Mundi Mari illum prædicationis rete pertrahentem, hæc inquit, *Mitte te in Mare*, scilicet amaræ contritionis, quia Thren. 2. *Magna est velut Mare contritio tua*. Sis *in corde Ceti*, idest Dæmonis, qui deuorauerat te. Sis, inquam, non per habitationem, sed per considerationem, & meditationem *tribus diebus*. Quia consideres Diuinam potentiam, quæ ad pœnitentiam te adducit, *quæ dies prima*. Hostis fraudolentiam, quæ te decipit, & à iustitia adducit, *quæ dies secunda*. Amicitiam Dei, quam gratis contempsisti, & hæc est *tertia dies*, vel sic.

Mare misit cum in Massæi agnomine

Quid tribus diebus esse in corde ceti

1 *Nequitiam hostis, cui te commisisti*.

2 *Gaudia, à quibus excludebaris*.

3 *Tormenta, quibus deputabaris*. Et tũc piscis euomet te de ore suo, & ad littus proiiciet. Hæc Interpres.

Euomit iam hic efferus, vorasque Piscis ad littus Ordinis Minorum ex tali Mare, & in tali Mare Massæum nostrum Marinianensem. Vbi deinde suuum Mare morale, ac mentale ad maximam tranquillitatem redactum est, in Tarsenses sæculi naues, vanitatum, criminum, Dæmonumque plenas implacabili tempestate, *in Domini spiritu eas conterendo*, insurrexit. *Tarsis, quæ dissipans speculum interpretatur* (scribit Doctor noster loco citato paulò superius) gaudium mundanum signat, quod dissipat speculum fidei; *Quia videmus nunc per speculum in ænigmate*. Dissipat, inquam, operibus fœdis. *Mare est Mundus, per quem ad illud gaudium peruenitur*. Sed frequenter antequam perueniat homo ad gaudium, quod affectat, à maxima bellua, idest Dæmone, deuoratur. Nauis ista caro est propria, quæ semper te ducit in Tharsum, idest in mundanam lætitiam. Hanc ascendit Ionas, *vt fugeret à facie Domini*, non attendens, quod Dominus *in Spiritu suo conteret naues Tharsis*, Psal. Obiit B. Massæus dierum, & meritorum plenus 1280. Iacet Assisii in Ecclesia S. Francisci. Martirolog. die Nouembris decimaseptima.

Tarsis dissipans speculũ interpretatur in fidei christianæ perniciem.

Obitus B. Massæi, eiusque sepultura

PANEGIRICVS IV.

Spinetum floridum, pomiferumque.

Quartus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. IVNIPERVS professione Laicus, sed perfectione admirandus hieroglyphicè in Topiario Franciscano Iuniperus. Apud Interpretem nostrũ super illa verba cap. 30. Iob. *Radix Iuniperorum erit cibus eorum*, Iuniperi plancta impudicitiæ symbolum est. *Nota*, ait, *quod radix Iuniperi est dulcis, & commestibilis, sed habet spinas pro foliis. Sic luxuriæ delectatio, quæ est cibus carnalis, in præsenti videtur dulcis, sed in fine parturiet punctiones æternæ mortis*. Quia verò eadem res apud Scripturam Diuinã, & sacros Interpretes plura, inter se contraria significare potest, & contrariorum eadem est disciplina, Iuniperum, quam præferebat in nomine Iuniperus noster, eius animæ, & corporis munditiam in re quoque demonstrabat.

Iuniperi plãta quarum rerum hieroglyphicum.

Similem modum explicandi opposita arcana de Cedro tenuit idem Interpres noster, more Scripturæ edoctus. In serm. enim Domin. 5. post Trinit. super illud Psalm. 28. *Vox Domini confringentis cedros, Per cedrum quoque*, inquit, *prauorum superbia significatur*. Vbi autem explicat ibidẽ illa verba 3. Reg. 4. de Salomone, qui *disputauit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum*, ita scribit. Hyssopus est herba humilis, & saxo inhærẽs, Christi humanitatem significat, *qui à Cedro, vsque ad hyssopum disputauit, quia ab excellentia gloriæ cælestis, vsque ad carnis humilitatem descendit*. Excellentia gloriæ cælestis ita opponitur vitio capitali superbiæ, quæ Angelos fecit Diabolos, Inferniquе habitatores, sicut lux tenebris, &c. Et tamen in vna, eademque arbore, tam in illa gloriæ cælestis excellẽtiæ, quam in illa superbiæ prauorum symbola propria, licet inter se seorsim opposita, cõtinentur. Ipsammet Cedrum, quæ arbor excelsa, & odorifera est, pro anima casta, in corpore suo exaltata, etiã intellexit Interpres noster in ser. 1. Dom. Aduent. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, Eccles. 24.* Vbi ita Doctor. *Libanus interpretatur candidatio. Cedrus suo odore fugat serpentes. In Libano, idest in corpore casto anima exaltatur quasi cedrus, quia odore sanctæ conuersationis fugat serpentes demoniacæ suggestionis, & concupiscentiæ carnalis*.

Cedri significatio varia, ac per contraria.

Exaltata anima in corpore casto, veluti cedrus in Libano

Vbi ergo vir mundanus, & carnalis per

per vitium impudicitiæ Iuniperi exprimit insigne, experiturque proprietates, ipsum deinde Vir Religiosus, & castus pro còntrario gētilitio in suum symbolum vertit. Itaque Iuniperus noster nomine, & re ob munditiem vitæ Iuniperus erat, totus in monasticæ obseruantiæ radice dulcis, & suauis, totusq. in foliis spinosus ob asperitatem vitæ. Propterea interius, exteriusque Iuniperus Seraphicus apparens, cunctæ eius spinæ fructus erant, & ipse nouus, prodigiosusque in horto Franciscanæ, atq. Romanæ Ecclesiæ Iuniperus. De Rosa prodit Interpres noster in serm. Dom. 2. post Trinit. *In Rosa duo sunt notanda, punctio, & delectatio, spina stimulat, flos rosæ delectat; sic in vita viri iusti est spina cōpunctionis, & odor delectationis.* In Iuniperi nostri planta, heroica iustitia, & sanctitate prædita punctio quoque, & delectatio erat. Sed delectatio in suauitate radicis, punctio verò in spina compunctionis, tā in se, quam in aliis, qui in eius sapientissimæ stultitiæ exemplis tandem compūgebantur, vitamque permutabant in melius.

Duo in rosa, flos, & spina

In iunipero spina, & radix.

Tantum super illa Apostoli Pauli lectione, *stulta huius Mund. elegit Deus*, profecit Iuniperus noster, qui totus spinosus, & aculeatus *in sapientes huius sæculi* sēper extitit, vt veluti nouus Magister, ac scholæ peculiaris conditor visus sit, & admiratus. Hinc D. Clara *Solatium Dei* (Italicè *Giocoliere di Dio*) eum aliquando nuncupabat. Incredibilia penè videntur, quæ & fecit, & dixit ad imam sui deiectionem; nec alius quispiam tam honoris auidus, quam hic vituperii: adeò vt ab imperito vulgo fatuus crederetur. Sed alia proculdubio vulgi fatuitas, alia quidem illa Iuniperi nostri, qui fatuus à vulgo existimabatur. De vtraque differit breui Interpres noster serm. Dom. 19. post Trinitatē super cap. prouerb. 19. De priori ita textus sacer *Stultitia alligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Puer*, inquit, *est corpus, puerilia agens, poma, & flores temporalium quærens, in cuius corde alligata est stultitia, idest amor temporalium, quam virga pœnitentiæ fugat, &c.* Verum fugata hæc puerilis stultitia à corde sapientum huius sæculi per virgam pœnitentiæ, quæ capitalissima temporalium deliciarum hostis, & solum lachrymarum, & ieiuniorum, & afflictionum amica; fatuitatem posteriorem, quæ virilis est, & tota sapientia Dei est, statim pœnitentibus inserit. Vnde paulò superius idem Interpres super idem cap. 19. Prouerb. *Stultus est*, ait, *animus infatuatus, deliciis inebriatus. Stultus animus sapientior erit, quod non deliciis, sed lacbrymis inebriatur.*

Stultitia sapientissima, ac diuina ad uersus mundi fatuitatē.

Puer est corpus puerilia appetens.

Nouus itaq; Magister effectus, nouæque Scholæ fundator in ista Academia Iuniperus noster, mox explicauit super illius ostium eiusdem Iuniperi stemma. Docens alios & ipse perdiligēs Christi Discipulus, sedensque vt vir iustus, & zelator virtutū cum Elia subter Iuniperi sui vmbram, disputabat cum Salomone, sed ipso Salomone doctior, *super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, & disseruit de iumentis, volucribus, reptilibus, & piscibus*, &c. 3. Reg. 4. Probo meam Thesim ex mistica, egregiaque Doctoris, & Magistri mei interpretatione in serm. Dom. 5. post Trinit, Vbi ita valde ad propositum. Salomon disputauit super lignis. *In Paradiso fuerunt tria ligna. Lignum quo vescebatur Adam. Lignum vitæ. Lignum scientiæ boni, & mali. Ita tria ligna sunt tres virtutes, Memoria, Voluntas, & ratio.* Fructus, sequitur, memoriæ est Dei delectatio. Fructus voluntatis operatio bona. Fructus rationis boni, & mali distinctio. Disputare est diuersa rationis mente perquirere, vt ad rei veritatem possit peruenire. Vir ergo iustus super his tribus lignis disputat, idest diuersa rationis mente perquirit.

Disputabat in sua noua schola Iuniperus sub iuniperi stemmate, ac vmbra.

Tria ligna Paradisi, tres virtutes.

1 *Si thesauro memoriæ* bona Dei, quæ sunt Humilitas, & Paupertas incarnationis, dulcedo prædicationis, passio Christi vsque ad Crucem obedientis reposuit, & reposita conseruauit.

Super tribus vir iustus disputat.

2 *Si voluntas* Deum, & proximum diligit.

3 *Si ratio* inter bonum, & malum discernit.

Hæc est disputatio Viri iusti, qui etiam *disputauit à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad Hyssopum, qui egreditur de pariete.* Cedrus arbor alta est, huius lignum iucundi odoris est, & immarcescibilis, nec à tinea vnquam exterminatur. Odore suo fugat serpentes. In igne positus corrugatur. *Cedrus est vita iusti*, alta sanctæ conuersationis celsitudine. Odorifera exemplo bonæ famæ. Immarcescibilis propositi sancti firmitate. Inexterminabilis à tinea mortiferæ concupiscentiæ. Fugat Dæmones mentis compunctione, & rugatur, idest abbreuiatur à propria voluntate in igne obedientiæ.

Cedri proprietas quid mistice, ac moraliter in viro iusto.

Ista Cedrus est in Libano, qui interpretatur *candidatio*, quia *vita iusti interioris, & exterioris munditia candore consistit.* Disputat ergo à Cedro vsq. ad Hyssopū, qui egreditur de pariete, qui dicitur à paruitate, idest æqualitate, quæ dicitur vnitas Sanctorum. A Cedro ergo vitæ suæ Vir iustus disputat, idest mente pertractat, si sua vita vsque ad humilitatem, & humanitatem Sanctorum pertingit.

Vita iusti duplici candore consistit.

Et

Et disseruit de iumentis, in quibus gulosi, & luxuriosi. *In volucribus* superbi. *In reptilibus* auari. *In piscibus* curiosi. De iumentis disseruit Christus, ait Interpres, & ipse aio Iuniperus noster Christi imitator, cuius vita abstinentissima, purissima, humilissima, liberalissima erga pauperes, quibus ipsa ornamenta altarium largiebatur. Euangelica eius disputatio erat (etsi ab imperitis, & ignorantibus, quod *quæ stulta sunt mundi elegit Deus*, &c. scandalosa existimaretur) plus exemplis, quæ magis mouent, quam verbis abundans. Aiebat enim, faciens, & docens cũ Christo contra gulosos, & impudicos. *Attendite, ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos, &c.* Lucæ 21. Disseruit contra superbos de volucribus. *Volucres Cæli habent nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*, Matth.8. Disseruit de reptilibus contra auaros. *Nolite thesaurizare*, &c. Matth. 6. Disseruit de piscibus contra curiosos, & hipocritas. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hipocritæ*, &c. Tam noui, atque mirandi Præceptoris doctrina in suo Iunipero intimè cognita, eique eò pergrata, quò columbina simplicitate præcellens, totum in stuporem conuertens S.P.Franc. dicere solebat adstantibus, alludens ad nominis ethimologiam: *Vtinã, fratres, de huiusmodi Iuniperis integram syluam haberemus*. Cui Seraphico dicterio addenda *Benedicta*, atque Angelica Doctoris nostri *Lingua*, quæ sic loquitur serm.fer.4.Hebdomad.3. Quadrag. *Habet Diabolus hortum suum*, vbi sunt plantæ euellendæ, & igni depurandæ, & hæ sunt syluæ spinosæ, in quibus commorantur.

De quibus disseruerit cum Salom. Iuniperus.

Franc. dicterium de Iunipero

Hortus Dæmonis totus spinosus.

Habet Deus hortum suum, vbi sunt plãtæ fructiferæ. Vnde nota, quod planta habet ramos tres, scilicet, Cor, & hic ramus facit duodecim fructus, quos enumerat Apostolus ad Galat.5. Habet etiam Os, & hic ramus facit similiter plures fructus, scilicet *abstinentiam à cibo, confessionẽ, exhibitionem laudis, correptionem fraternam, orationem deuotam, & locutionem modestam, sine responsionem humilem*. Opus, & hic ramus facit sex fructus, scilicet sex opera misericordiæ.

Hortus Domini, quarũ plantæ tres ramos habẽt

Iuniperina Dei Iurisperiti nostri plãta, spinis loco foliorum abundans, integram virtutum syluam in horto Dei, scilicet Fratrum Minorum constituebat ad destructionem syluarum spinosarum, quæ in Diaboli horto excrescunt, & hoc propter tria.

Qualis Iuniperina Iuniperi nostri planta in horto Minorum.

1 *Cinis Iuniperi*, teste B.Isidoro lib. 17.Orig.cap.17. *diutissimè accensos eiusdem ligni carbones seruat*. Cor quoque Iuniperi nostri sanctissimum Dei amorem conseruabat accensum, *Facies fructus duodecim*, &c.

Proprietates naturales Iuniperi etiam generaliter in Iunip. nostro repertæ

2 *Iuniperus est obsita aculeis*, & secundum Hieronymum cap.14. Oseæ, *Semper floret, semper nouos affert fructus, & numquam deponit virorem suum*. Iuniperus pariter noster pœnitentiæ compunctione, & asperitate vitæ constipatus, fouensque in seipso diuinæ charitatis viriditatem, semper fructificauit, aduersus communes hostes terribiliter aculeatus. Ex maximo sui cordis virore Os eius sapientissimum fructus præfatos abundè etiam protulit.

3 Totus demum florens, & fructificans in suis spinis Iuniperina Iuniperi nostri planta corde, ore, & opere constituit totam eius animam hortum voluptatis Dei, eo modo, quo legimus Cant.6. *Descendit dilectus in hortum suum ad areolã aromatum*. Nam (explicat Interpres noster serm.Dom.3.in Quadrag.) *Hortus dilecti est mens pœnitentis* dicta diminutiuè *areola* ab area propter *humilitatem, quæ humilitas est procreatrix virtutum, & aromatum*. Huius horti terra coram Deo extitit, iuxta textum Ioelis 2. quod ita declarat paulò superius idem Interpres *Terra, à tero teris dicta est mens hominis pro peccatis attrita*, quæ tunc est coram Deo, cum nihil boni à se, & in se, & per se existimat se habere, sed totum Deo attribuit, qui totum est bonum, & summum bonum, à quo quasi à centro omnes lineæ gratiarum directo tramite ad circumferentiam protendũtur. Hæc dum est coram eo, eius beatitudinem contemplando, & dulcedinem degustando, verè est hortus voluptatis. *Quia in ipsa est Rosa charitatis. Viola humilitatis. Lilium castitatis.*

Iuniperina Iuniperi nostri planta hortum voluptatis Dei constituit.

Terra à tero teris dicta quid mistice.

Felix Iuniperus noster in suis spinis floridus, in suis floribus plenus fructibus, & in suis fructibus hortus voluptatis effectus, in quẽ descendens Deus in fine vitæ ad annum 1258, in Beatorum Spirituum Eden æternum transtulit.
Sepultus hic Romæ ad Aram Cœli.

Obitus, & sepultura B.Iuniperi.

PANEGIRICVS V.

Binum Seraphici Mundi Luminare.

Quintus, ac Sextus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. ILLVMINATVS, & *B. AVGVSTINVS* Assisias. Hi duo incliti Viri sub vnius vocationis horoscopo in mistico Cæli Seraphici Zodiaco, veluti geminum signum pulcherrimè nitent, multis virtutum syderibus circumferti. Sed Dicamus alio modo cum Doctore nostro. *Dixit Deus fiant duo luminaria magna*, Genes. 1. Vbi Interpres noster serm. in Dom. Septuages. loquens de sex virtutibus animæ, quæ sunt apud ipsum. Cordis contritio. Oris confessio. Operis satisfactio. Dei, & proximi dilectio. Vitæ actiuæ, & & contemplatiuæ exercitatio: ita scribit de quarta virtute. *Dilectio Dei in Solis claritate. Dilectio proximi in Lunæ mutabilitate designatur. Nonne videtur tibi quædam mutabilitas, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus?* De his duobus dicitur Deuter. 33. *De pomis fructuum Solis & Lunæ terra Ioseph repleatur*. Poma opera iusti significant propter rotunditatem perfectionis, *pulchritudinem puræ intentionis, odorem bonæ operationis*. Hæc poma sunt Solis, & Lunæ, idest Dei, & proximi, quæ duo quemlibet perfectum faciunt. *Perfectio enim geminæ dilectionis perducit ad perfectionem Angelicæ beatitudinis. Quæ in nouem Ordines ab Ezechiele 28. distinguuntur.*

Duo luminaria magna in homine, dilectio Dei, & dilectio proximi

Poma Solis, & Lunæ opera iusti.

Ex qua doctrina concludimus, quod vbi luminaria Solis, & Lunæ vtriusq. dilectionis Dei, & proximi in B. Illuminato nostro (B. Augustino, cum quo fuit illustratus, ac receptus à B. Francisco, simul iuncto & professione Apostolica, & charitate diuina, & dilectione fraterna) in Augustam claritatem iugi accremẽto virtus religiosa, quæ, ne retrocedat, consistere nescit, sed vlterius progredi, crescebat: erat ipse pariter & Augustinus: Quomodo & Augustinus cum Illuminato sub iisdem luminaribus illustris perfectione Augusta erat, & vtraque dilectione Illuminatus. Sic in vtriusque opera, & merita poma erant fructuum Solis, & Lunæ, alter luminis cum nomenclatura gestorũ claritatem patefaciens: Alter sub Augusto nomine auctum perfectionis lumen ostendens. Sic in vtrisque Solaris, & Lunaris globus, illuminatus cum augmento, pulcher ob candorẽ intentionis, & odore flagrans bonæ famæ.

Hi duo Sancti viri a B. Franc. eodẽ tempore vocati.

Fiat lux, & facta est lux, Genes. 1. *Hæc lux*, ait Doctor ibidem, *est contritio cordis, animam illuminans, Dei cognitionem, suæ propriæ infirmitatis notitiam, boni, & mali discretionem ostendens*. Sub huiusce lucis radiis in sodalitio Seraphico perfectione *Augustinus* (vnde Augustinus diminutiuè ita nuncupatur) *Illuminatus* effectus, adeò creuit sanctitate, vt Vir luminis euaserit, meruerítque B. Francisci Societatem, quando ad Soldanum in Aegyptum accessit. Quinimò ab eodem sibi concreditum fuit arcanum illud singularissimum, de modo, quo Sacra Stigmata in Legislatori sui carne à Christo fuerint impressa. Et quia totus lumen pomorum fructuum Solis, & Lunæ Illuminatus erat, totus contritionis lux (à qua interius illuminatus, præcipuam Dei cognitionem, suæ propriæ infirmitatis notitiam, boni, & mali discretionẽ in dies respiciebat) ideò complacuit ex singulari gratia Dei præfata sua Stigmata Sanctus Pater ostendere.

Contritio cordis cur lux in sacra scriptura.

Præcipui fauores à B. Franc. Illuminato suo effecti.

Fuit etiam, vt diximus, cum socio suo Illuminato Augustinus ob perfectionis lumen Augustus tum in Regno, atque Imperio illo, quod in vtroq. eius homine continebatur, & vbi optimè ipse rexit Augustis omnibus palmam abstulit. De hoc Regno, siue Imperio pluries Interpres noster in suis sermonibus. Tum in Prouinciæ Terræ laboris Regni Neapolitani regimine, quo primus omnium Minister cum esset, fuisse Virum Sanctum, testantur Bonau. Thoma à Celano, & Bernardus à Ressa. Ministrauit enim Christo, *qui venit ministrare*, eum sequendo, atque imitando in Discipulatu, & in officio Ministri, quæ prius ei Christus ipse ministrauerat. *Nimirum ministrauit sua per perfectam dilectionem. Ministrauit suos, scilicet parentes, & notos, eos non carnaliter amando, immò pro Christo relinquendo. Ministrauit seipsum, scilicet cor, & corpus.* Cor, quod vt fieret aptum ad comedendum, effudit ab eo sanguinem totum superbiæ, inuidiæ, & rancoris, coquitque ipsum in aquis contritionis, & igne charitatis. Corpus quoque cum corde his Sanctissimus Minister Christo suo ministrauit in pastorali suorum subditorum regimine. Ei namque adeò benè ipsum parauit, vt totum voluptatis sanguinem Deo obtulerit, *ipsumque laboribus decoquerit, sudoribus, ieiuniis, vigiliis, disciplinis*. Hæc ex Doctore nostro in serm. 4. de Martyribus alibi dato.

B. Augustinus fuit primus Minist. Terræ laboris

Benè subditis ministrãdo, tria ministrauit Christus.

De istis Beatis, probatisque consociis, & condiscipulis egregiam agit mentionẽ Dantes Aligerus Florentinus acutus, & obscurus Poeta Cant. de Paradiso. Et eius

Com-

Agit de his BB. Dantes Aligerus.

Commentator Christophorus Landinus asserit, esse annumerandos cum primis S. Francisci sociis. Simplices, & imperiti erant, si humanam spectes sapientiam, si autem Diuinam spectes, non mediocriter docti. Quippe res cælestes adeò callebãt, vt semper his intenti, terrena floccipenderent, & feliciter, consumato huius vitæ cursu, ad Deum transmigrarint.

Meditatio est mater scientiæ

Quod mirum esse non debet. *Est enim meditatio mater scientiæ*, teste Hugone apud Doctorem nostrum in Dom. 1. Quadrag. in principio. Vnde Philosophus 7. physic. apud eumdem ibidem statim, *Sedendo, & quiescendo fit anima sciens, & prudens*. Sed alio modo anima Religiosorum, vti exẽpli gratia, Illuminati, & Augustini nostrorũ; alio verò anima sæcularium, quod ita declarat Interpres noster, loquens misticè de Tobia, qui cum esset *ex Tribu, & Ciuitate Neptalim, habebat in sinistra Ciuitatem Sephet*, quæ interpretatur *litera, vel pulchritudo*. Eius verba in Dom. 5. post Trinit. sunt ista. *Vir iustus habet in sinistra Ciuitatem Sephet; idest litera, vel pulchritudinis, quia scientiam falsi nominis sinistram, & falsam deputat, & mundanam philosophiã, & pulchritudinem damnat.* Sed christianam philosophiam approbat, & sequitur: illã scilicet, de qua idem Doctor noster serm. in Cœna Domini, alibi fortè adductus; propter quod, ait, consilio Apostoli est viuendum, admonentis, *Non plus sapere, quam oportet.* Si quis autem vellet perfectè sapere, facere docet Gregorius, *per sanctã scientiam eam innui, quæ non est occasio superbiæ, & ruinæ. Immò potius est via, & regula perfectæ iustitiæ, volenti secundum eam viuere.*

Sciẽtia falsi nominis habet vir iustus in sinistra.

D. Illuminati obitus Assisij.

Decessit Beatus Illuminatus Assisij, hac regula perfectæ iustitiæ præditus; secundum sapientiam carnalem imperitus, sed non secundum consilium, & doctrinam Apostoli. Memorat ipsum auctor Martyrolog. Franciscani die Maij 5. Sed B. Augustinus, apprimè salutari scientia edoctus, obiit Neapoli anno 1226. eodẽ quo S. P. Franc. immò eodem die, & hora. Testatur Bonauẽ. cap. 14. vitæ S. Francisci illis verbis. *Minister Fratrum in Terra laboris tunc erat Frater Augustinus, vir vtique sanctus, & iustus*, qui in hora vltima positus, cum iamdiu perdidisset loquelam, audientibus qui adstabant, subitò clamauit, & dixit: *Expecta me Pater, expecta, ecce iam venio tecum*. Quærentibus Fratribus, & admirantibus multum, cui sic loqueretur, audacter respondit: *Nonne videtis Patrem nostrum Frãciscum, qui vadit ad Cælum? Et statim Sancta ipsius anima migrans è corpore, Patrem est secuta sanctissimum.*

Sed B. Augustini Neapoli eodem anno, die, & hora quo obiit S. Pater Franc.

PANEGIRICUS VI.

Mons Metamorphoseon.

Septimus, Octauus, & Nonus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. STEPHANVS Narniensis, *B. LEONARDVS*, *B. IACOBVS* Assisiates. Hisce Apostolicis viris, simul à P. Francisco assumptis, vt cum ipso ad noui luminis montem ascenderent, respondent (si Interpreti nostro fides) tres Apostoli Christi, qui simul cum Christo ascendentes in Montem Thabor, quilibet in quolibet reciproca quadam communicatione virtutum reperitur. *Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem, & duxit eos in montẽ excelsum*, Matth. 17. Quem textum ità misticè commentatur Doctor noster, in serm. sabbati Dominic. 2. Quadragess. *Isti tres Apostoli, & speciales socij Iesu Christi tres animæ nostræ significant virtutes*, sine quibus nemo potest ascendere ad Montem luminis, idest ad excellentiam sanctæ cõuersationis. Petrus interpretatur agnoscens. Iacobus supplantator. Ioannes, gratia. Assumpsit ergo Iesus, &c.

Tres animæ virtutes.

1 *Assume & tu, qui credis, & speras salutem à Iesu, Petrum*, idest tui peccati notitiam, quod consistit plerumque in tribus. In cordis superbia, in carnis lasciuia, in mundi auaritia.

Peccati notitia in Petro.

2 *Assume & Iacobum*, idest supplantatorem istorum vitiorum, vt sub planta rationis conteras tui spiritus nequitiam, & superbiam, tuæ carnis mortifices lasciuiam, & fallacis Mundi reprimas vanitatem.

Supplãtatio criminum in Iacobo

3 *Assume & Ioannem*, idest Domini gratiam, quæ *stat ad hostium, & pulsat*, vt te illuminet ad cognoscendum mala, quæ fecisti, & conseruet in bono, quod incepisti. Quomodo se habebant nominũ horum trium Apostolorum symbola inter se per reciprocam vicissitudinem, ità pariter in quolibet religioso, ac perfecto viro hæ tres virtutes se habent, vt patet manifestè. Quare in casu nostro.

Domini gratia in Ioãne

1 *B. Stephanus*, cuius nomen *Corona interpretatur*, sibi meritorum, aliis verò duobus consociis honoris Corona meritò euadens, in clara peccati notitia valde cum *Petro* profecit, ac cum *Iacobo* prædicta vitia miranda victoria supplantauit. Cum Ioanne Domini gratiæ semper præfato modo respondit.

2 *B. Leonardus*, Leo, & nardus misticus in ipsamet societate extitit, atque in sui

sui *Stephani* consortio virtutibus coronatus. In multis etiam cognoscendo peccata cum Petro, ea supplantauit cum Iacobo, atque in Domini gratia cum Ioanne in dies proficiendo, fortis, ac generosus repertus est. Nam & ceu leo in ouile Francisci apparuit, & illum *Nardi* odorem dedit suauissimum, quem odoratus est Dominus Genes. 8. Eo modo, quo explicat Interpres noster serm. Dom. 1. Quadrages.

Nominales horum triũ Beatorum interpretationes.

3 *B. Iacobus* carnis, mundi, ac Diaboli supplantator cum Apostolis Petro, Iacobo, & Ioanne *Coronæ* Stephani ornamentum fuit; sed Leoni, & Nardo Leonardi nunc ad vigentem magnanimitatem excitatorium euasit, nunc verò in Ordinis Paradiso ad exemplum irrigatio. At breuem trium horum Beatorum historiam prosequamur.

B. Stephanum, quem Narniensem alij faciunt apud Arturum die Decembr. 30. ceu virum famosum, omnique virtutum genere refertum meritò historici nostri prædicant; eiusque perfectissima, ardentissimaque charitas erga Deum, & proximum omnibus in confesso est. In eius sanctitatis soliditate, & charitatis perfectione ager, plenus floribus (vndè coronata nostra Religio, nomen eius virtutibus correspondens) effectus est, dicente Doctore nostro in Dom 5. post Trinit. *In agro duo notantur, soliditas sanctitatis, & perfectio charitatis.* Coronatus est ipse meritorum floribus, & ad triumphũ immortalis gloriæ euolauit anno 1258. in S. Mariæ de Angelis Assisii, vbi & sepultus. Vadingus tom. 1. ad eumdem annum sub num. 10. Licet Vadingus dicat circa illud tempus obiisse cum socio *Leonardo*, cum mortis annum certum nemo assignasset. De Patria etiam B. Stephani idẽ Annalista, etsi in priori tomo loco citato Assisiatem cum B. Leonardo eum faciat, in 2. tamen ad annum 1258. num. 10. præfato hæc subdit. *Frater Stephanus ignotæ patriæ vir sanctus*, de quo præter alia illud scribit Marianus lib. 1. cap. 6. Thomam Papiensem Tusciæ Ministrum asseruisse eumdem hæc sibi dixisse. *Ego Frater Stephanus aliquot mẽsibus fui in quodam Eremitorio cum S. Francisco, alijsque Fratribus, triclinij, & culinæ curam agens. Vbi hæc illa fuit ratio viuendi ex magisterio Sancti Institutoris.* In oratione, & silentio tempus ante meridianum insumebamus, *donec per tegulæ sonum* vocabamur ad prandium. *Solebat Sanctus Magister circa horam tertiã de cella exire*, & si ignem non videbat in culina, descendens in hortum, manipulũ colligens herbarum, ad me deferebat dicens. *Coque istas, & benè erit Fratribus.* Et cum aliquando oua, lacticinaque à fidelibus missa eisdem apponerem cum aliquo insculento; alacriter manducans cũ cæteris, aiebat. Nimis fecisti frater, nil volo præpares in crastinum, nec facias in culina. Ego verò in omnibus solum eius obsequens præceptis, nihil tam curabam, quam sanctissimo viro obedire. Dum verò veniret, & varijs frustulis panis mensam paratam cerneret, hilariter manducare incipiebat, me deinde nihil afferentem carpebat, interrogabatque, cur aliquid non condierim. Ad hæc respondenti, quia tu Pater ita mihi præcipisti, dicebat. *Carissime egregia est virtus discretio, nec semper implendum quidquid Prælatus præsertim turbatus imperauerit.* In sancta humilitate pius hic vir Leonardus suos dies transegit, probè edoctus ab ipso Institutore. Vbi autem requiescit, ignoratur. Hæc Vadingus.

B. Stephani patria, & sãctitas.

Eius ager mislicus, in quo & corona perflorida.

Obitus eius tempus non adeo certũ.

Nec eius patria ita nota

Sonus ad prandiũ, antiquitus per tegulam in eremitoriis.

Paucis contenti primi Ord. Patres.

Discretio egregia virtus.

Quæ autem asseruimus de singulis his tribus Beatis Minoritis cum Doctore nostro in principio, nunc modo de vnoquoque etiam cum eodem serm. Dom. 2. in Quadrages. concludenda, iam super Montem vitæ Apostolicæ cũ Legislatore Francisco quilibet ascendens, & Dei filio valdè digno effectus. *Virum iustum*, ait, *in Monte luminis, idest sanctæ conuersationis transfiguratum obumbrat gratia Domini ab ardore mundanæ prosperitatis, à pluuia concupiscentiæ carnalis, à tempestate demoniaca persecutionis*; Et sic, subdit, audire meretur sibilum auræ tenuis dulcedinem Dei Patris. *Hic est filius meus*, verè filius Dei dignus est nominari, *qui tres prædictos socios assumpsit*, in Montem ascendit, seipsũ de figura Mundi, in figuram Dei transfigurauit, Moysen, & Eliam socios habuit, & nube lucida obumbrari meruit.

Vir Iustus in monte luminis transfiguratus, & obumbratus

B. Leonardum elegit sibi socium prima vice S. P. Franciscus, quando martyrij desiderio transfretare frustrà tentauit. Eius cogitationes aliquando B. Pater detexit. Hi duo (inquit Vadingus tom. 1. sub num. 38. loquens simul de B. Stephano) feliciter vitam terminarunt. Vbi verò iaceant nõ plenè constat. De B. Leonardo agit Martyrologium nostrum die Iunij 11. atque §. 7. Illius meminerunt Tossinianus, & Barezzus 4. part. Chron. Ord. Min. lib. 3. cap. 19. dicuntque ipsum miraculis insignem sepultum fuisse in Ecclesia Cathedrali Tiferni, & quod Fratres Minores nullum adhuc inibi haberent domicilium.

De B. Leonardo Arturus die Iunii 11.

B. Iacobus Beatos Stephanum, & Leonardum sequutus, magnis precibus à S. P. eodem habitu indui obtinuit. Qui pro perfectionis semita vestigia sui Ducis proposuit in omnibus sectanda, quod

B. Iacobi perfectio, obitus, sepult.

& per-

& perfectè cõpleuit, donec multo merito, & sanctitate plenus cursum cõsummauit. Hunc Fogiæ Apuliæ requiescere refert Marianus. Gonzaga in Prou. S. Angeli in eo Conuentu cuiusdam Sãcti Viri ignoti reliquias asseruari scribit, magnisque coruscare prodigiis, quem tamen putat mortuum ipso anno, quo Minores illum acceperunt Conuentum, scilicet 1510. At verius iudicandum putat Vadingus sub num. 38. cit. à multis annis, & fermè tribus sæculis mortuum nostrum Iacobum, eiusque reliquias illuc transtulisse Fratres ab antiqua illius Ciuitatis Ecclesia, ad quarum præsentia Deus ibi operatus est mirabilia. Horum mirabilium quinque præcipua affert Marianus apud eumdem Vadingum sub sequenti num. 39 Artûrus scribit de hoc Beato Minoritu die Iunii 19.

Prodigia ad eius reliqu.

PANEGIRICVS VII.

Virgo alata, rapidè peruolans.

Decimus Discipulus ex numero LXXVII.

B. THEOBALDVS Assisias, verè *Theos, & Baldus*. *Theos* græcè, est latinè Deus. *Baldus* non inuenitur apud Latinos, sed apud Italos Hetruscos sub isto vocabulo *Baldo*, vnde verbum compositum *Baldansoso*, quod latinè esset nimis confidens, audax, liber. Talis in re strenua cum Deo suo, se nihilum reputans, extitit *Theobaldus* noster, vitæ sanctitate celeberrimus. Vbi enim ad sui Superioris præceptum festinanter transiret de æde S. Laurentii è regione Ciuitatis Ortę, sita ad ipsam Vrbem, pro quibusdam rebus quantocius necessario exequendis, *mediumque Tiberis fluuium per cymbam transuadere nequiret, ad fluminis ripam memor obedientiæ, sed immemor periculi, eleuata parumque Tunica, super aquas ambulaui. Clamantibus, & admirantibus qui aderant hominibus, illum profundum traiecit alueũ, aqua vix perfusus vsque ad poplites.*

Theobaldi nominis interpretatio.

Eius miraculosa obediẽtia.

Istud adeò mirabile exemplum mirè quoque Doctoris nostri comprobat doctrina, vbi loquitur de duabus venis, quæ exeunt à cerebro, quarum vna peruenit ad aurem dextram, & altera ad sinistram, in quibus Temperantia, & Obedientia. In dextra prosperitas, in sinistra aduersitas designatur. *Cum audis prospera, & quod placet. Temperantia est necessaria. Cum verò quod tibi præcipitur displicet, & audis aduersa, tunc Obedientia magis est necessaria, quia magis fructuosa.* Ita serm. in die Sanct. Pent. & serm. Dom. 21. post Trinitatem. *Es ergo de Ordine Angelico, cum obedis præcepto Dominico. Item ad Archangelorum pertines Ordinem, cum non tantum præcepta, sed etiam consilia Christi satagis adimplere.* Sic veluti si spiritus incorporeus esset *B. Theobaldus* ob celerem obedientiam super Tiberis fluctus ambulauit.

Obedientia in difficillimis magis fructuosa.

Alias missus *B. Theobaldus* (cuius strenuæ obedientiæ nec ipse Tiberis cursus, impetusque aduersari valuit, etsi natura ipsa aduersaretur ob mortis periculum) à Præfectu Conuentus pro conquirendis piscibus, dum illos è mendicatione obtinere non potuit, *Immergens manum flumini semel atque iterum, maiusculos duos pisces, qui Fratrum sufficiebant inopiæ extraxit, & humiliter obtulit Guardiano*. Prius facinus in tam probatæ sanctitatis Religioso circa miraculosam Tyberis transuadationẽ eius veræ obedientiæ, humilitati, deuotioni, celeritati, iucunditati (ex hac audax, impauidaque magnanimitas) necnõ & perseuerantiæ tribuendum. Docet enim Interpres noster, vt alibi diximus super illa quinque Isaiæ cap. 35. verba. *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans*. Vera obedientia est humilis, deuota, festina, iucunda, & perseuerans. Humilis in corde, *hæc est germinans*. Germen est initium floris, sic humilitas initium omnis bonæ actionis. Deuota in voce, *hæc germinabit*. Ex humilitate enim cordis procedit deuotio vocis. Festina in iussione; *ideo exultabit*. Iucunda in turbatione. *Hæc est lætabunda*. Perseuerans in præcepti adimpletione, *& tunc erit laudans*; quia in fine omnis laus canitur. Ita in serm. Dom. 2. Adu.

Iterũ mirabilis in sua magnanima obedientia Teobaldus.

In vera obedientia quinque sunt.

Secundum verò *Theobaldi* nostri facinus Obedientiæ quoq. eius adeò inclitæ, & ex maxima simplicitate, innocentia, & charitate prouenientis, attribuendum. Quo pacto explicans Interpres noster symbolum inaurium aurearum, quibus Iuditha aduersus Holofernẽ aures suas exornauerat, vt scribitur cap. 10. Iudith, hæc habet serm. Dom. 16. post Trinit. *Et inaures*, idest, *deuotione Obedientiæ*, Ioa 42. *Dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & in aurem vnam auream*. Per Ouem Innocencia. *Per inaurem obedientia*, idest auditus, humilitatis gratia ornatus exprimitur. Nota hoc loco, cum inaure ouis, & cum oue inauris offertur; *quia innocuis mentibus ornamentum obedientiæ iniungitur*. Domino attestante Ioann. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt*. Oues, non Lupi. *Qui Prælati vocem non audit, non Ouem, sed Lupum se esse ostendit*. Quia verò ipsa obedientia non metu, sed charitate obseruanda est, auream inaurem obtulisse perhibetur.

Aurea in auris obedientiæ simbolũ.

Non ouis, sed lupus dicendus inobediens

Hæc

Obitus B. Theobaldi, de quo die Ianuar. 29.

Hæc ibi Interpres, lætissimam, humilissimam, deuotissimam, festinatissimam, atque constantissimam *Theobaldi* nostri, Prælati sui vocem, vt innocentis Agni semper audientis, ad viuum describens. Miraculis, & virtutibus clarus obdormiuit in Domino B. Theobaldus in prædicto Ortæ Conuentu. Vadingus citatus. Florebat anno 1250. Tossinianus apud Arturum die Ianuarii 29. Apud quem etiam ex Picqueto dictus est hic Sanctissimus Minorita *Theodatus*, quod nomen Græco-Latinum cum sit, tunc reipsa Deo datum ipsum declarauit, cum Francisco se dedit, vt cum ipso se daret totum, ad non sua amplius quærenda, sed Iesu Christi.

PANEGIRICVS VIII.

Gemina Apostolorum Nauicula.

Vndecimus, & Duodecimus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. SIMON Assisias, & *B. SIMON* à Collazzono. Vterq. horũ Beatorũ, quorũ gesta, vitæ innocentia, pœnitentia Seraphica, obedientia Apostolica potissimum claruere, & *Simon*, & *Petrus*, iuxtà horum duorum nominum in vnum concurrentium ex vocibus hebraicis interpretationem, in Stadio Franciscanæ professionis extitit. Vterque enim haud Simon simplici nuncupatione, sed Simon Petrus appellandus, motioni interiori Spiritus Sanctus obediens factus. Vnusquisque enim verificauit in seipso Interpretis nostri doctrinam, quam etsi alibi attulimus, hic tamen repetere haud piget ex serm. Sabb. Cinerum. *Nauis*, inquit, *duplex etiam inuenitur* Lucæ 5. *Vna Ioannis, & hæc signat innocentiæ vitam, quæ accipitur in Baptismate. Alia est Simonis Petri, & hæc est pœnitentia. Petrus enim agnoscens, Simon obediens illum signat, qui se obnoxium Domino recognoscens, ad obedientiam dicit cum Paulo* Act. 9. *Domine quid me vis facere?*

Vterque horum Discipulorum Simon, & Petrus simul.

Vterq duos Angelos habuit exiens à mundo.

Quemlibet horum Simonum, quorum posterior post priorem immediatè habitum Religionis suscepit, duos Angelos secum habuit, exiens à Mundo. *Duo Angeli apprehenderunt manum Lot, & eduxerunt eum, posueruntque eum extra Ciuitatem*, Genes. 19. Vbi pulchrè in rem nostram Interpres noster serm. Dom. 11. post Trin. *Duo Angeli sunt timor, & amor Dei*, qui manum Loth apprehendunt, *cum opera peccatoris refrenant, & educunt à turba cogitationum, & ponunt extra vrbem malarum consuetudinum*. Priorem Simonem multa gratia, & benedictionis dulcedine præuenit Dominus, mittens ei duos Angelos, scilicet suum timorem, & amorem. Multaque ille cordis promptitudine vocanti Domino obedit, consentitque, ac plurimos imitatus est Ciues. Eius vita magis cælestis, quam humana, ad tantam mentis eleuationem rapiebatur. *Vita dicta propter rigorem, vel quod vi teneat*, docet Magister noster in Dom. 21. post Triuit. Vbi sequitur statim. *Vita corporis anima, vita animæ Deus, qui vigorem, & vim, idest posse, & nosse dat animæ, vt viuat, & vtinam apponamus nos velle*. Deus, qui dabat animæ B. Simonis de Assisio vigorem, & vim, & posse, & nosse, & ipse apponebat velle, ipsemet adeò eum eleuabat, vt quamuis alligata corpori, & corpus terræ positum, Cælorum tamen spatia eleuata mente circuiret, & inter cælites commoraretur. De eo agit Vadingus cit. sub numer 41. 42. 43. vbi concludit opinari Marianum cum Pisano, eum virtutibus plenum Bonforti obiisse. At Rodulphus, & Author Chron. 24. General. Spoleti illum vitam clausisse volunt. Sed alius est qui Spoleti decessit, vt aduertit Artur. die Augusti vndecima ex eodem Vading. nimirum

Vita vnde dicta, & quæ vita animæ.

Obitus Simonis de Assisio haud Spoleti, sed Bonfortio contigit.

B. Simon de Collazzono, genere nobilis, ætate puer, atque Discipulus Francisci, necnon & immediatus B. Simoni de Assisio consocius. Proficiens mirificè iuuenculus iste in Ordine, plerisque coruscans morum grauitate, & rerum agendarum prudentia, missus est ad Theutoniæ partes cum B. Cæsario de Spira. Deindè creatus Piceni, seu Marchiæ Minister, mox Prouinciæ S. Francisci, quæ munia vbique locorum magna industria, ac pietate exercens, *Cum esset vir iustus*, eam inter alias plerasque Aquilæ proprietates sedulo seruare studuit, de qua Doctor noster in serm. Dom. 14. post Trinit. *Tria oua ponit Aquila in nidum suum, & eicit tertiũ*. Tria oua, vel tres filii Aquilæ (ait) *sunt tres amores viri iusti, scilicet amor Dei, proximi, & sui*. Quem tertium à nido suæ conscientiæ debet expellere, *priuatus enim amor sui valde impedit amorem Dei, & proximi, & ideo omninò abijciendus est*. Quem filium Iob 13. à nido suo eiicerat, cum dixerit, *lacero carnes meas dentibus meis*. Dentes dicuntur quasi cibos diuidentes, & significant sensus interiores, qui singula inquirunt, & quæ cogitant, quasi mandunt, & comminunnt, & ad ventrem memoriæ transmittunt. His dentibus Sãcti, si qua carnalia deprehendunt in se, vehementer in seipsis insequuntur, *& à nido propria conscientiæ eijciunt*.

B Simonis de Collazzono perfectio, & officia.

Tres amores in bono Superiore, qui

Dẽtibus carnes lacerare quid.

Quod

Quod autem spectat ad genus huius nobilissimi, ab beati Viri, verum esse illud Deiparæ Lucæ 1. *Deposuit potentes de sede*, de fide credidit. Hoc est, quod dicitur Daniel.4.putat Interpres noster in serm.Dom.infra oct. Natiuit. Nimirum, *Ecce vigil, & Sanctus de Cælo venit, & clamauit, Succidite arborem*. Quod ita explicat. Arbor dicta à robore, potẽtem huius mundi significat, qui vt dicit Iob 15. *Tetendit aduersus Deum manum suam, &c.* Istiusmodi securi, idest morte succiditur, & deorsum in Infernum trahitur. Tunc folia, idest *ventosæ superbiæ verba*, excutiuntur; tunc *fructus diuitiarum, & deliciarum*, quas in malum suum congregauit, disperguntur. Benè ergo dixit Maria. *Deposuit potentes de sede*.

Arbor vnde sic dicta, & quid significet,

Felix religiosi Simonis nostri generositas, qui dum veram esse istam doctrinā pro comperto habuit, nomine, & re obediens Dei mandatis extitit. Nam odio habens pro Christo in suis parentibus generis splendorem, ac potentiam, adeò aliundè eos in Christo dilexit, vt à securi supernæ vindictæ cum clara sobole liberauerit, & illorum arborem è terra in Cælum transtulerit.

Ipse namque *Matrem*, Othonis IV. Domesticam, & Imperatricis familiarem pedissequam, suo oratu, ad piam viuendi rationem attraxit. Deinde Sorores, & Neptes, necnon & alias nobilissimas mulieres ad claustra reduxit. Tandem mira flagrans sanctitate, obiit plenus dierum Spoleti. Huius non prioris Simonis, vt putat Rodulphus, multa miracula ab Episcopo Spoletano notata esse, & auctoritate Apostolica Innocentii III. approbata, vult Marianus. Miraculorum processus ex parte adhuc seruatur apud Patres Cõuentuales Spoleti. Summarium offert Vadingus loco citato. De hoc B. Simone agit Martyrologium nostrum die prima Nouembris.

Matrem, sorores, neptes suas B. Simon traxit Franc.

Obiit Spoleti illustris miraculis

Hosce alios duodecim Francisci Discipulos, & Coapostolos, & filios, ab ipso post præcedentes ad pœnitentiam vocatos, & in suum consortium admissos, atq. inter suæ legis professores, collegimus ex eodem Vadingo in toto illo anno 1210. Qui annus numero, & perfectione antecedenti satis respondet, quamuis inter primos illos duodecim vnus extiterit, qui Iudæ Schariotis similitudinẽ prætulerit. Docet *Benedicta* Magistri nostri *Lingua*, apostolicis resonans verbis fer.fer.6. in capite ieiunii, *quod quatuor virtutes nos faciunt Dei filios, scilicet Fides. Charitas. Misericordia. Pax*. Ratio est, *quia per fidem regeneramur. Per Charitatem configuramur. Per misericordiam confirmamur. Per Pacem simulationem Dei nescimus*. Nota, vt dicit Chrisostomus. Carnales filii non sunt culpabiles, si non sunt suis parentibus similes, quia non est in potestate eorũ corpus figurare. Sed spiritualium culpa est, nisi Domino similes fuerint. Quia patris similitudinem perdiderunt. Hæc Interpres. Equidem nec Patris Dei, nec Patris Francisci, strenuissimi Dei imitatoris, perdiderunt similitudinem hanc spiritalem hi cuncti duodecim alii filii, quos in hac altera classe retulimus. Optimè namque in Fide, Charitate, in Misericordia, & Pace vitam, & regulam, & legem tanti Ducis amplectentes, & profitentes, omnē suam beatitatem vsque ad mortem radicauere. Quod præuidens humillimus Parens tam in ipsis, quàm in aliis succedentibus, de quibus statim, iure lætabatur de eorum firma conuersione, & de sancta illorum conuersatione; magnasque agebat gratias tanti beneficii auctori, qui tā insignem concessit societatem, iam viscerum suorum intimam portionem effectā, docente Episcopo suo, ac Doctore nostro serm.Dom.2.Quadrag. *Quod filius portio patris est*. Tenerè hos suos, atque alios, mox recensendos (licet non omnes quia omnium nomina in promptu non sunt) diligebat filios, ac veluti pia mater magno educabat amore. *Matris namque viscera pro eo, quia ipsa dulcius diligit, citius super filium commouentur, quam patris*, scribit Doctor noster feria 5. Hebdomadæ quartæ.

Quatuor sũt quæ faciunt nos Dei filios.

Amor Frãc. erga suos filios.

Filii portio parentis est.

Et quia mater pro conscientia quoque spiritualiter intelligenda est, teste eodem Doctore nostro ibidem, maternis quibusdam quasi punctionibus ipsamet mater conscientia materna Sancti Patris stimulabat præcordia, vt præcipuas in se assumeret curas, acquirendi omnibus necessaria. Hinc primus ipse, & aliquando solus ibat mendicatum ostiatim, cæterorum parcens verecundię, quos adhuc verebatur sæculi affectionibus detineri. Quam Sancti Patris, & Pastoris mendicitatem in Lazaro mendico perpendens Doctor noster serm.1.Dom.1 post Trinit. eamque Epuloni perdiuitis opponens inglutiei, ita admirabundus exclamat. *O Diuina dispensatio. O Mendici beatitudo. O infelicis diuitis damnatio*. August. *Non est euidentius signum æternæ damnationis, quam cum temporalia ad votum succedunt. Sanctis autem Dominus subtrahit temporalia, ne amittant æterna*. Gregor. *Pueris subtrahimus nummos, quibus tamen hæreditatem seruamus, &c.* Quos nũmos subtraxerat ex præcepto sub mortali à suis mendicis *Pauperum Patriarcha*, vt tutiori conscientia, ne in aliorum pau-

Mater spiritualis conscientia.

Mendicitas S.Franc. Epulonis opposita.

perum

perum fraudem eorum mendicitas succederet, mendicitatem amplecterentur. Hæc meritò in specie scribit de eo circa eius ad paupertatem amorem Bonau. in cap. 7. legendæ.

Pauperratis Fr. Minorũ dotes, & prærogatiuæ egregiores

Fratribus in conclaui quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat, PAVPERTATEM. Noueritis Fratres specialem viam esse salutis tamquam humilitatis fomentum, professionisque radicem, cuius est fructus multiplex, sed occultus. *Hæc enim est Euangelici agri thesaurus absconditus*, pro quo emendo, vendenda sunt omnia, & quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. *Ad huius*, inquit, *culmen qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verum etiam literarum peritiæ renunciare quodammodo debet*, vt tali expropropriatus possessione introeat in potentias Domini, & nudum se offerat brachiis Crucifixi. *Nequaquam enim sæculo perfectè renuntiat, qui propriu sensus loculos intra cordis arcana reseruat*. Sæpè verò de Paupertate sermonem faciens, ingerebat Fratribus Euangel. illud Matth. 8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*. Propter quod docebat Fratres, vt pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas non habitarent vt proprias, *sed sicut peregrini, & aduenæ* alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat, sub alieno colligi tecto, sitire, ad patriam pacificè pertransire. *Mandabat dirui aliquando domos alienas, aut Fratres exindè amouere, si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis, vel sumptuositatis contrarium esset Euangelicæ Paupertati, &c.*

Quomodo peritiæ literarũ ob paupertatẽ spiritus renunciandum.

Intentio firma Franc. circa paupertatẽ domorum.

CAPVT SECVNDVM

Annus reparationis Legis Euangelicæ, & Ecclesiæ Romanæ secundus, qui erat humanæ salutis 1211. in aliis quoque quatuordecim Discipulis, & Coapostolis, ab ipso Legislatore vocatis, quorum tres fuerunt Generales Ministri, & ipse admodum secundus.

EXplicato suæ Legis vexillo, quos anno isto Legislator Franciscus sub eo ad Christum retraxerit, modò recensebimus. Describit ipsum Doctor noster *velut nouum, atque Apostolicum* in Ecclesiæ Romanæ, & legis Christi reparationem, *Matatiam*, vt aliàs aduertimus. Ipse namque, vt alios ad sequenda eius vestigia fortiter alliceret, reliquit, ait serm. 3 Dom. 1. Quadrag. in Ciuitate huis Mundi, quæ iniquitate, & contradictione plena est, omnia quæ videbatur temporaliter possidere. *Nunc igitur tamquam iustum, & robustum Pastorem, & Principem multi sequuntur*, descendentes per humilitatem vitæ, statuentes testamentum, quod in mortuis, idest in abdicatione temporalium, & abnegatione propriæ voluntatis, ex quibus homo moritur, suum firmantes propositũ in *Desertum Religionis* quærentes *iudicium*, scilicet mundi, corporis, & mentis, *facere, & iustitiam*, & vitæ consequi perfectionem, &c. qui autem sub isto anno 1211. enumerantur ab Annalista nostro, sunt hi.

Franc. vt nouus, atque apostolicus Eccl. Rom. Matatias.

PANEGIRICVS IX.

Ciuitas Solis, digitis humanis palpata.

Decimus tertius Discipulus ex numero LXXVIII.

B. IOANNES DE LAVDIBVS, laude, nomine, & re, & plus merito, quã nomenclatura *in Deigratia Ioannes*. E Castro S. Geminiani in Tuscia oriundus inclitus hic Beatus, meruit vulnus laterale S. P. Francisci adhuc viuentis digitis palpare, atque aliquo pacto per tale vulnus *Solis Ciuitatẽ lateralis vulneris Christi* (quomodo illud appellat Interpres noster in Dom. 1. Aduent.) tota mente, ac tota anima intrare. In gratia *Paupertatis Seraphicæ in ipso* eo modo perfectionis gratia creuit, quo explicat Doctor noster super illud Ioseph, qui interpretatur accrescẽs, Genes. 41. *Crescere me fecit Deus in terra Paupertatis meæ*, paupertatis inquit (ait Doctor Dom. 6. post Trinit.) non adulationis. Vis crescere? *Deo, non homini, Creatori, non creaturæ omnem laudem, omnem gloriam redde, &c.* Bitonii in Vmbria gloriosè quiescit. De eo Arturus die sexta Septembris.

Hic digitis vulnus laterale B. Fric. palpauit.

Eius sepultura

PANEGIRICVS X.

Quinque oculi cruciformes.

Decimusquartus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. HVMILIS Perusinus, Florentiæ multis clarus miraculis extremum clausit diem, honorificè conditus in Conuentu S. Crucis. Crux Christi huic Sanctissimo Minoritæ propitia in tota vita admodũ ob

Eius sepult.

ob cordis humilitatem, vnde & nuncupatione *Humilis*, ab eo excelsus factus est, *qui humilia respicit in Cælo, & in terra*. Docet enim Interpres noster ad finem serm. 17. post Trinit. *Quicumque* (seruus humilis) *vult audire*, Amice ascende superius, *attendat Domini potentiam, vt timeat, Dei sapientiam, vt sapiat, Patris misericordiam, vt confidat. Fidei excellentiam, vt temporalia despiciat. Baptismatis virtutem, vt fortis in bello consistat*. Hæc quinque in Christi Cruce quinque plagis confossi oculata B. Humilis nostri humilitas indefessa inspectione attendens *meruit audire ad finem vitæ, Amice ascende superius*, &c. De eo Martyrol. die Nouem. 3.

Quinque attendit B. Humilis in Christi Cruce

PANEGIRICVS IX.

Biformis Corona, lapidea ac pretiosa.

Decimus quintus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. GVIDO Cortonensis, Sanctus, & doctus Vir, feliciter excessit è vita anno 1250. ætatis suæ 60. die Ianuarii 12. Sepultus est apud Conuentum, qui olim dicebatur *Cella B. Francisci* iuxta Cortonam. Verum crescentibus quotidie miraculis, Cortonenses Ciues ob singularem in Dei seruum pietatem, sacrum eius corpus transtulerunt solemni pompa intra Ciuitatem, atque in Ecclesia Cathedrali honorificè collocarunt. Hæc fuit secunda Corona, quæ honoris nuncupatur, quæque huius Beati Minoritæ capite à suis conciuibus imposita fuit. *Gloria, & honore coronasti eum Domine*, Psalm. 8. Vbi Interpres noster serm. 1. de vno Martyre in principio ita explicat. *Duplex corona hic notatur. Prima est gloriæ quoad animam. Secunda honoris quoad Reliquias corporis in Mundo, & celebrationem festi illius à populo.* Et ad finem sermonis loquens de Corona honoris, hanc, inquit, Coronam quantum in se est, auferunt qui festa frangunt. De his conqueritur Dominus Iob 19. *Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo*. Et 3. Esdræ 4. *Videbam Apemen concubinam Regis, auferentem diadema de capite Regis, & imponentem sibi, & palmis cadebat Regem de sinistra manu.* Quod faciunt (subinfert) qui vel festa Sanctorum, vel Dominicas frangunt. *Vel qui in eis Deum per ebrietates, iurationes, Choreas, luxurias, & huiusmodi blasphemant.*

Eius obitus. Sepultura. Miracula

Translatio in Eccl. Cathedralem.

Reliqu. SS. sunt eis honorem.

Guido, Italicè verbum est, quod dicitur Latinè *duco*, siue *ducatum præsto*. Pariter *Guido* noster vt multorũ Dux in Christiana, ac Seraphica militia, exemplis, & documentis, miraculis, & prodigiis, ordinẽ, & rectitudinem ad viam salutis præstitit. *Nam ordo totius exercitus* (teste Doctore nostro serm. 2. in Dom. 1. Quadrag.) *à Duce dependet, & Duce subtracto, omnia inordinatè manent, & confusè*.

Guido Italicè est duco

PANEGIRICVS XII.

Ossa Ceti, seu Balenæ, fistulata, ac personantia.

Decimus sextus Discipulus ex numero LXXVIII.

Fr. HELIAS Etruscus Cortonensis ab Ossaria, felix in principio, infelix in medio, ac tandem iterum felix ob amplexã pœnitentiam. Hic bis Generalis Vicariu, viuente S. Francisco, bisque post illius obitum Generalis Minister. Primò ad annum 1227 postea ad annum 1236.

Felix Vir iste procul dubio in sua initiatione, & in arduis negotiis non solum pro Ordine suo, verum etiam & pro Ecclesia vniuersa ab eo multa cum gloria perfunctis. Sed infelix postea in immoderato dominandi appetitu, ob quem in perhorribiles quosdam lapsus cœca inobedientiæ petulantia ad Romanum Pontificem, & Apostasiæ ab ipso, & ab Ordine miserrimè ruit. Tandem denuò felix in postrema pœnitentia, quam etsi nimis serò amplexus sit, tamen nihil ei defuit quin tales effectus ægro homini ad mortem plus animo, quam corpore, & in extremis laboranti pareret, quales post descriptos criminorum defectus, breui indigitat Interpres noster serm. Dom. 1. Quadrages. in principio, explicans moraliter Augustinum. Homo, ait, incurrit per peccatum languorem quantum ad intemperiem virium. Lepram quantum ad deformitatem naturæ. Mortem quantum ad extinctionem gratiæ. Infirmitatem quantum ad inclinationem ad peccatũ. Obliquitatem quantum ad effectum. Ariditatem quantum ad carentiam deuotionis, cuius humorem exsiccauit ardor mali desiderii, qui tamquam calor febris consumit humidum radicale. Cœcitatem, quantum ad intellectum, in quo peccatũ generat vitiorum monstra. Virtutum cõfusionem. Mentis instabilitatem. Ideò dicit August. in libro de Pœnitentia. *Pœnitentia languores sanat, &c. est enim Pœnitentia tamquam spiritualis medicina, & salubris remedij fructus, ac radix*. Hanc spiritualem medicinam feliciter insumens Frater Elias, eius salubre remedium in extremo vitæ sub habitu alieno expertus

Dominandi appetitus magnæ ruinæ in viris magnis occasio.

Pœnitentia spiritualis medicina est

Qualis fuit in morte Elias.

pertus est, vt paulò post videbimus.

Fuit hic Minorita patria non adeò certus, sicut certissimus de eius felicitate, etiam ob hanc patriæ incertitudinem, ob quam certant plurimi, suum patriotam eum singuli facientes, veluti virum magnum, & omni honore, & commedatione promeritum. Quidam ex Biuillo pago agri Assisiensis, alii de Villa, vulgò *Cellulæ* Comitatus Cortonæ ortus. Alii Pedemontanum talem Virum affirmant. In Villa Vrsariæ propè Cortonam natum asserit Marianus cap.7. Sed quia Vrsaria in Apulia in Prouincia Capitanata extat propè Ciuitatem Troiam miliariis quatuor, voluit fortè dicere Marianus similitudine vocis deceptus *Ossariam Villam*, quæ Cortonæ est vicinam, sicque dictam à multitudine ossium interfectorum eo loco in illa clade, quam intulit Romanis Annibal, cuius meminere Polibius, Liuius, Plutarchus, & Silius. Ex hac Villa probabiliter indicat noster Analista sub num.19. ad eumdem annum 1211. oriundum Eliam, tum ex affirmatione Thomæ Celani in legenda antiqua, tum ex æquiuocatione manifesta Mariani, tum demum ex assertione illorū, qui Cortonensem dicunt; nam hac Vrbe natum facilè dici potest ex vicinia Ossariæ, & consuetudine denominandi homines ex celebriori quapiam Vrbe, quantumuis in obscuris locis, Vrbi proximis progenitos.

Quæ Heliæ patria.

Ossariā villam propè Cortonam fuisse Heliæ patriam verius asseritur

Nihil mirum (subdit statim Vading.) si multi contendant de huius hominis ortu ad modum illorum, qui decertant de Homeri, & Pytagoræ origine. Etenim licet non tam adæquauerit suam vitam ad præscriptam sibi à Frācisco Regulam; attamen magna fecit, & gessit, & tanta sapientia præditus fuit, vt ad magna negotia peragenda videretur ab ipsa natura progenitus. In Italia cum pares non haberet, obindè Principibus perquam familiaris, & charus. Multa de ipso narrat idem Vadingus in illo priori tomo tam de officiis, quibus fulsit in Ordine, quam delegatione, qua functus est ad Ioannem Græcorum Imperatorem, & plerisque aliis rebus, quibus celebrem sui reddidit memoriam, &c. Narrat quoque facinora eius mala, & casum Apostasiæ ab obedientia Sedis Apostolicæ, &c.

Contētio de Heliæ patriam in gloriam eius cedit.

Dotes egregiæ, ac gesta Heliæ.

Hæc felicitas in Fratre Elia temporalis prorsus dicenda, illa verò, quam veluti è bono prognostico ex probabili suæ patriæ coniectura ipse modò perpendo, quæque in postrema sua pœnitentia sub radiis diuinæ pietatis mirabiliter coruscauit, perennis vtique, ac sine comparatione auspicacior, & felicior. Ossariæ

E patria eius Ossaria prognosticū vltimæ eius felicitatis per pænitentiam

Pagus, vbi ortus Eliæ, ab aridis ossibus ita nuncupatus fuit, vt diximus. Quod si verum est, ecce arcanum quodam valde peregrinum, ac dignum, per quod in Heliæ patria eius commendabilis, veræq. pœnitentiæ, ad extremum vitæ assumptę, euidens hieroglîphicū misticè reperimus. *Ossa eius* (scilicet Behemot) quasi *fistulæ æris*, Iob 40. Vbi Interpres noster (qui intrepidè relaxatis Heliæ moribus ob Ordinis, & illius animæ bonum semper aduersatus est) ita depingit ipsius duritiem in destructionem Legis Seraphicæ, ac perniciem discipulorum S. Francisci. *Peruersi*, ait, *quia in malitia duri sunt quasi ossa Diaboli, quia sustentant carnales, tamquam ossa carnem*. Sunt tamquam fistulæ æris, *quia ad modum æris sagittas prædicationis à se repellunt; & ad dictum increpationis stridorem Murmurationis emittunt*. Ita ad vnguem se gessit ipse Helias aduersus eumdem Interpretem nostrum coram Pontifice Gregorio IX. de qua re aliàs pluries in vtroque Hierarchiæ nostrę volumine. *Verbis etiam confitentur Christum. Ecce fistula* (sequitur Interpres in simulatam Heliæ vitam) *factis autem negant, ecce æris duritia*.

Peruersi in malo sunt ossa Diaboli

Sed quia ipsius Christi (subdit) maior est misericordia, quam ossium ariditas, & duritia, ideò dicit Dominus ore Prophetæ ad ossa arida, & dura. *Ego intromittam in vos spiritum, & viuetis*. Nota ista quatuor, *Spiritum, neruos, carnes, cutē*. In *spiritu* gratiæ præuenientis inspiratio. In *neruis* bonarum cogitationum concatenatio. In *carnibus* erga proximum cōpassio. In *cute* finalis perseuerantiæ extēsio designatur. *Intromittam in vos spiritum, & viuetis*, hanc particulam exponit etiā Auctor in serm.Dom.5.post Pascha, concordans cum illo textu, Genes. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*. Spiraculum vitæ, ait, est Spiritus Sancti gratia, quam cum Deus spirat in faciem animæ, proculdubio animam de mortua ad vitā resuscitat. Hinc etiam dicitur Spiritus veritatis contra Mundi vanitatem, quam ipsa veritas expellit. *Et dabo super vos neruos*. Multitudo neruorum, subdit, est caput, manus, pedes, & costæ. *Et generationem spirituum, & ossa*, quæ coniunguntur ad inuicem, sunt ligata cū neruo, in cuius circuitu est humiditas quædam, quæ ex illa generatur, & nutritur. Cum intromittit Dominus spiritum in peccatorem, tunc in eius corde oritur humiditas compunctionis, ex qua generatur, & nutritur neruus bonæ affectionis, & voluntatis, qui coniungit, & ligat totum corpus boni operis, quæ succrescere faciunt

Compositi spiritualis membrorū in homine pœnitente descriptio.

Gratia Dei spiraculum vitæ est.

Intromissio spiritus in homine peccatore.

ciunt carnes. Ideò Ezech. 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, &c.* Totum id contigisse ad finem quam felicissimum vitæ nostri Hæliæ, in nomine Ottarlæ, patriæ illius, quasi antea præmonstratum, & auspicatum, postea liquebit.

Heliæ nominis interpretatio.

Infelicitas tota, quæ inter primam, & vltimam huiusce Viri felicitatem cōtigit, ex excessiuo, ardentique dominandi, & regnandi ambitu originem traxit. *Helias ascendens Dominus, vel robustus dominator interpretatur*, teste Doctore nostro in Dom in Quinq. Ascendit Helias in verticē dominandi, ibique fuit robustus dominator. At eius infelix descensus superans sui ascensus eminentiam, eius dominium, opprimens bonorum regimen, ad nihilum tandem redactum est.

Fuit Helias bis Vicar. Gener. bisq. etiam Generalis Minist.

Bis fuit, viuente S. P. Francisco eius Generalis Vicarius, bisque post illius obitum Generalis Minister, & nihilominus sanctissimis Francisci actionibus, & Legi semper aduersari minimè erubuit. Apostolicæ, ac Seraphicæ Legis nostræ in homine isto, vndique aulico, Principumque, tum sęcularium, tum Ecclesiasticorum fauores callida arte, hipocrisique artificiosa turpiter inhiante (callebat enim multa sapientia, ac prudentia humana, in quam hodie fermè totum religiosorum regimen degenerat) non ignis ardebat pectora, non gladius spiritus Frā ciscanæ humilitatis, vtraque parte acutus transuerberabat viscera, vt par erat; sed ignis ille, qui ipso igne periculosior est. Sed gladius ille, qui omni gladio ancipiti in sui, & aliorum perniciem ferocior semper experitur. De vtroq. passim in scriptis suis Doctor noster, qui cum consociis suis, quorum caput B. Cæsarius de Spira, persequutiones Heliæ sustinens, declinansque furorem coram Greg. IX. intumescentem illius animum, inflatumque pectus depressit. In quantam autem deuenerit Helias dementiam, in quanta proruperit mala, eo elati animi igne flagrans, atque illius ambitionis gladio sentiens punctiones, ex præfati Magistri nostri doctrina nunc breui explicandum.

D. Anton. sub B. Cæsarii Spirensis Ducatu Heliæ strenuus aduersarius

At principio cum eodem exclamandum de Deo, nostrarum animarum miseriam commiserante. *Mira pietas, mira clementia, quando Dominus post commissam culpam, non statim infert pœnam, sed confert medelam gratiæ, & reuocat ad integritatem iustitiæ, vt perducat ad iucunditatem gloriæ*. Ita ex Ricardo in serm. fer. 5. Dom. 4. Quadrag. vbi quatuor ponit, scilicet, *Trangressionis excidium*. Hoc in Helia omnia vsque ad vitæ extremum destruxit. *Compassionis præcordium. Reuocationis prodigium. Veneratione præconium.* Sed ad eius infelicitatem ob excidium, ex ambitione ineuitabiliter deriuans.

Mira Dei pietas erga maximos peccatores.

Et cæperunt se omnes simul excusare. Primus dixit, Villam emi, &c. Lucæ 14. Vbi Doctor noster Dom. 2. post Trinit. ita depingit Virorum, Deo sacrorum ambitus, laruas, ac phantasmata. *Villa à Vallo dicta*, idest aggere, terra, vel fossā. *est amor dominandi*, de quo Bernardus. *Non ignem, non gladium sic timeo, sicut libidinem dominandi*. Ambitione qui ardent, stipati, sicut vallo, diuitiarum, & honorum incedunt. *Hæc est Villa Gethsemani, in qua Dominus fuit traditus, & ligatus*. In Villa ergo Gethsemani, idest in illis, *qui alys præesse, & non prodesse cupiunt*. Ex his vnicus inter innumeros extitit Frat. Helias, quanto præeminentiæ immoderatæ cupidus, tanto rebus D. Frācisci pernocuus. *Qui in Valle*, subdit Interpres, *idest carnis voluptate requiescunt*, stercoribus temporalium tamquam porci impinguantur, traditur Christus, idest destruitur fides Christi. *Fides enim temporalia abucit, dominari non appetit, subesse cupit, contumelijs crescit*. Hæc Villa Gethsemani emitur, quæ vtinam nec gratis habeatur, *quia qui emit compellitur exire ab intrinseca Dei contemplatione ad exteriorem sollicitudinem*. Ex hac sollicitudine nos in dies experimur, totum penè regimen religiosorum in detestabilem politicam degenerare, &c.

Ardor dominandi villæ comparatur.

In villa Christus traditus

Fides Christiana ambitiosorum hostis declarata

Inquietum Heliæ huius, ac suorum sectatorum animum, tricas, negociationes callidissimas apud Principes sæculares, & potissimum apud Cæsarem Federicū II. necnon & apud Sedem Apostolicam, in cuius gratia fuit secundo tumultuarie electus in Generalem Ordinis Minorum Præsulem, ferunt communiter Scriptores nostri. Circumscripsit longè ante hæc omnia ore, & calamo, cui iste Helias præsentia, & moribus notissimus erat, ipsoq; instante à prædicto Papa Gregorio deponi promeruit; circumscripsit, inquam, omnia hæc ore, & calamo Interpres noster in serm. Dom. 17. post Trinit. terens mellislui Bernardi, & Magni Gregorii vestigia. Videamus circumscriptionis lineas, vnde Heliæ icon ad viuum erumpit ex illo Christi monito apud Lucam. *Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco, &c. Amice ascende superius, &c.* Nota (subdit Interpres) quod in hac tertia particula Dominus tāgit duo, scilicet *Superbiam, cum in priori loco præmittitur, & humilitatem, cum subiungitur, recumbe in nouissimo loco*. Magna superbia *in nuptys*, idest Iesu Christi Ecclesia *in primo loco*, idest dignitatis excellentia *velle discumbere*. Vnde Christus, *Amant primas cathe-*

Descriptio Heliæ morū ex textu euangelico.

Ambitio infelix res, & eo infelicior quo sollicitior.

cathedras in Synagogis, qui carebunt secundis. *O infelix ambitio, quæ magna nescit ambire. Circuit* (inquit Bernardus) *sedulus explorator, repens manibus, & pedibus, si quo modo se ingerat in patrimonium Crucifixi, & nescit, quia pretium sanguinis est.*

Carnem cum sanguinem non comedetis, Genes. 9. Quod fit (subdit Interpres) cum quis carnaliter viuendo, patrimonium Crucifixi in suis abusibus expendit. Sicut faciebat Helias, non quia inhonestè viuebat, sed quia carnem, & sanguinem sequebatur, benè æquitando, melius comedendo extra communem mensam, suos amicos fouendo, & exaltando, nulla facta distinctione inter meritum, & demeritum. Hisce amicis suis bonos persequebatur Helias, & vnus horum suste grauiter percussit in capite B. Cæsariū de Spira strenuum Ducem Seraphicam legem zelantium, inter quos Doctor noster Antonius de Padua imperterritus Paupertatis Euangelicæ vexillifer erat. Ille semisaucius sanctissimè obiit in vinculis, quò veluti plurimorum criminum reus, & ad furcas suspendendus, detinebatur. *Noli ergo discumbere in primo loco*, quia dicit Dominus Amos 6. *Ego detestor superbiam Iacob, & domum eius odi*. In excelsis Idolis immolatur, *& in Nazareth, in loco scilicet humili Dominus concipitur. In Hierusalem verò, loco eminentiori crucifigitur.* Nè ergo discumbas in primo loco. Gregorius, nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in minimis positus non desinit superbire. *Tu, qui dignitatis culmen affectas, tuæ gratia exitum, tuæ famæ dispendium, tui corporis periculum inquiris.* Quia quanto gradus altior, tanto casus grauior. Summæ est dementiæ tantis periculis se obiicere. *Non ergo discumbas in primo loco, quia postea incipies nouissimum locum cum rubore tenere.*

Præsules ambitiosi opprimunt merita, demerita exaltant.

Discumbere in primo loco, quid mistice.

Hæc tota imago fratr. Heliæ.

Hæc propriissima, expressissimaque Heliæ imago, quam aliunde alibi præfigurat idem Doctor noster respectu nouitatum, de quibus erat Helias peramicus. Ipse namque (cæteris aliis prætermissis) introduxit in Ordine acumen longum, siue piramidem, vt vocant, in capitio, ipse barbæ perlonghæ nutritionem. *In barba, idest in fragilitate animi, quando inclinatus fuerit*, explicat misticè Doctor noster serm. 1. fer. 3. Dom. 1. Quadrag. in fine. Vide Vadingum alibi datum. Quas nouitates ipse B. Frācifcus acriter obiurgauit, reprehenditque, vt scribunt communiter nostrates. Et quantum ad nouitatem capitii, quod à se cum habitu illius longè proiecit Beatus Franciscus, detestauitque, locutus est Doctor noster in serm. 2. Dom. 3. Quadragef. vbi hæc in specie, demonstrans superbos sub symbolo Vnicornis.

Item quadam animalia habent cornua sursum erecta, vt ceruus, quæ significant superbiam Religiosorum, quæ ex sola Religione oritur. Et hæc est periculosissima, de qua Isaias cap. 22. Religiosis, quibus maximè congruit prætendere *insigne humilitatis*, loquens sub typo Vallis visionis. *Quidnam, inquit, tibi quoque est, qui ascendisti, & tu à tesla clamoris plena?* Quasi dicat, *tolerabile est, si sublimia appetunt sæculares, sed quid vobis o Religiosi, qui multa videtis, visum est, vt & vos sublimia petatis.* Et in serm. Dom. 2. post Trinit. breui complectens sub ducatu Heliæ totam illius, & cunctorum eius sectatorum Reliosorum infelicitatē, ex multa arte in ambitu præcellendi emergentem, ita suspirat. Heu quantos Religiosos, mundo mortuos, in claustris sepultos, à somno contemplationis, quietis, & pacis Phytonissa, idest amor dominandi suscitauit, & in publicum eduxit. Vnde Isaiæ 28. *Audietur eloquium tuum, eritque quasi Phytonis* de terra vox tua. Ecce Phytonissam consulenti, & de sepulchro quietis egredienti quid euenit. *Humiliaberis*, idest deiiceris, dum credis ascendere. *De terra*, idest de terrenis loqueris, qui prius loqui consueueras de cælestibus. *Et de humo*, idest de ventre, & gula, cibis, & potibus humida, *audietur eloquium tuum*, qui prius de mentis dulcedine, & abstinentia gulæ eloquium ignitum solebas emittere. *Et erit quasi Phytonis de terra*, idest Prælatura, *vox tua*, quæ prius solebat esse de abiectione, & humilitate, *Et de humo eloquium tuum viuificabit*, idest murmurabit, qui prius in silentio, & spe fortitudinem tuam collocaras. *Ecce quanta necessitas, & peruersitas.*

Superbia Religiosorum ex sola Religione exorta periculosissima est.

Phytonissa ambitionis Religiosorū symbolū.

Felicitas Heliæ in extrema pœnitentia, qua felicissime, prout inceperat, obdormiuit in Domino.

OB suam peruersitatē, ob quam Gregorius IX. soluit primò Heliam ab officio Generalatus ad instantiā Doctoris nostri, deindè fauoribus omnibus Sedes Apostolica eū meritò expoliauit, omnia bona temporalia, ac spiritualia infaustè perdidit, atque in miserabilissimos casus incidit. Verum post infelicissimum cunctarum rerum suarum exitum, superna Spiritus Sancti gratia eum in extremis felicissimum reddidit. Suæque admirandæ pœnitentiæ præludia, ac prognostica in nuncupatione Ossariæ eius patriæ antea allegoricè præfigurata, in praxi ad stuporem, & penè ad miraculum explicauit.

Miserrimus Fr. Heliæ excidiū in statu præcedēdi

Expli-

Explicemus breui hāc methamorphoseon iuxtà seriem historiæ, quam luculenter Annalista noster in 2. tom. affert, ad ann. 1253. sub numero 30. 31. 32. 33. In quorum priori loco Heliæ obitum extra Ordinem (sicut ante prædixerat Legislator Franciscus) scribit ad annum eumdē die Aprilis 22. sexta fer. sub festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ. Carpit quoque fœdum Bzouii errorem, Heliam non primum Generalem Ministrum post S. Franciscum, sicut reuera extitit, efficiētis, sed quintum. Tangit insuper Heliæ adhærentiam cum Imperatore Federico II. quam fusè explicauerat ad ann. 1244. sub num. 7. eumque contritum, & pœnitentem, cunctumque processum illius infirmitatis, & mortis, necnon & sepulturæ ordinatè ostendit.

Felicitas vera Heliæ in statu extremæ pœnitētiæ.

Omnem Heliæ ob extremam eius pœnitentiam felicitatem, valdè similem felicitati boni Latronis, facilè iudicarim, & cum eo vnicam quoque dixerim. Damnatus Latro ille in patibulo crucis ad hominis exterioris mortem tēporalem, & in patibulo culpæ, in quo pēdebat eius anima, ad mortem æternam iuxtà præsentē iustitiam, se commendauit Christo, vt sui memor esset, veniens in Regnum suū. Imperrauit ab eo, iam apud Patrem aduocato constituto veniam, & audire meruit, *Hodie mecum eris in Paradiso*, Lucæ 23. Sic quoq. se gessit Helias apud Christipherum Franciscum, Patrem suum, & Magistrum suum, ex quo audierat, sibi à Dei vindicta iure meritò æternam præscriptam damnationem, prout illi fuerat cælitus iam antea reuelatum.

Felicitas illius pœnitētiæ, pœnitentiæ boni Latroni persimilis.

Rem narrat iuxta communem historicorum assertum S. Antoninus tit. 24. cap. 9. §. 3. Accepit, inquiunt, S. P. Franciscus à Deo, Heliam demum damnandum, & extrà Ordinem moriturum; quare deinceps Heliæ consortium, & aspectum fugiebat. Rei causam importunis inuestigans Helias, tandem extorsit, quam ille acceperat reuelationem. Toto riguit misellus corpore, & prostratus ad pedes optimi Magistri, instantissimè rogauit, vt suis precibus intercederet, nè commissa suæ custodiæ ouicula, in æternum periret. Neque moueat, inquit, te prolatum in visione iudicium, *nouit enim Dominus mutare sententiam, si peccator nouerit mutare delictū.* Verba sunt D. Ambros. lib. 2. in Lucam, & habentur de pœnitentia d. 2. cap. Nouit Dominus. *Tantum, charissime Pater, tuis fido orationibus, quod si in Infernum detruderer, iuxta monstratam visionem, fierent mihi pœnæ leuiores. Ora pro me, Pater, ora, & absque dubio Dominus sententiam mitigabit, & ego mutatis moribus, melior euadam. Fecit ita Franciscus; seque exauditum accepit in oratione, neque condemnandum in sempiternum Heliam, verè autem extra Ordinem moriturum.*

Reuelatio S. Franc. de Heliæ fine.

Helia ad pedes Frāc. pro obtinenda sibi à Deo sententiæ mutatione

Animaduertendum hic, non adeò desipuisse Heliam, virum omnium calculo doctum, vt putaret reuocabilem fuisse Dei absolutam sententiam, neque mutabilem eius voluntatem, sed intellexisse, quasdam esse Dei sententias comminatorias, & voluntates signi, quæ iuxta dispositionem causarum inferiorum, & hominum pœnitentiam absque Dei mutatione mutantur, vt est apud Hierem. cap. 18. *Loquar aduersus gentes*, &c. Vide Diuū Tho. 1. p. quæst. 19. art. 7. super illud Isaiæ ad Ezech. 38. *Dispone domui tuæ*, &c. *Deus* (ait D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 25. ad medium) *immutat sententiam, non tamen mutat consilium*. Neque verò verba illa, ex D. Ambros. allata, adeò scholasticis argutiis in materia de prædestinatione, & reprobatione inseruiunt; quasi ex eis inferri possit, prædestinationem, ac reprobationem diuinam esse fallibilem, aut voluntatem esse mutabilem. Quippe Sanctus Doctor illo agit loco de pœnitentia temporaria, amissæ loquelæ inflicta Zachariæ ob incredulitatem, qua deposita, remissa est & pœna. *Continuò, inquit, resoluta est lingua eius, quia quam vinxerat incredulitas, fides absoluit*. Dum ergo peccator correxerit errores, Deus condonabit delicta, & immissa mala reuocabit. Semper ille suis in decretis natura immutabilis, semper hic mutationibus subiectus. Mortuo igitur Federico II. Imperatore, iam ab Ecclesia excommunicato, Helias, qui ad eum aufugerat, veluti Sedi Apostolicæ pertinaciter inobediens, reuersus est in patriam suam Cortonensem. Illic totus incumbebat amplæ ędificandæ Minoritis Ecclesiæ cum contiguis ædibus, licet ab illis segregatus habitu, & conuersatione, sæcularium more, sub proprio viuens tecto, nulli subditus Prælato.

In pœnitēte omnis mutatio vbi immutabilis Deus sententiam mutat damnationis.

Pœnitentia Zachariæ in amissa loquela, temporaria fuit.

Post obitum Imperatoris redit ad pœnitentiam Helias

In vltima decumbente infirmitate, & deficientibus viribus, iam desperatam salutem dum audisset germanus frater Laicus Minorita, festinus Cortonā abiit, seriusque egit de reconciliando homine, & Religioso cœtui, & Pontificiæ obedientiæ. In se reuersus, quam eousque errauerit, extra obedientiam euagatus, vel sero confessus, petiit à fratre, vt Assisium celerrimè abiret, veniam, & absolutionem pro Dei, & Francisci amore petiturus à Pontifice. Sed antequam obtentam veniā, & absolutionem explicemus, iuuat Heliæ principalium, ac postremorum delictorū breui notitia enarrare: vt inde in eo dictum Apostoli comprobetur, *Quod vbi abun-*

Vltima eius infirmitas.

abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia.

In Comitiis Generalibus ordinis Genuè ad annum 1244. celebratis, Frater Helias, eiusque pars in iudicio coram Innocentio vocatus, detectis dolis reprobari meruit, omni gratia, & priuilegio exuitur, & solemni declaratione Pontificia declaratur priuatus frater. Vnde tota prætensæ auctoritatis, siue ex Gregorii indulto, siue ex alio quouis capite, machina, submoto fragili fundamento, excidit. Affectis proinde aliisque fratribus distinctè mandatum, ne eidem vt Prælato obsequantur; ipsique inhibitum, ne extra causam amplius diuagetur, sed aggregato reliquo corpori membrum sub proprio capite famuletur.

Motiua Heliæ incidendi in delicta perhorribilia.

Ad hasce angustias præter spem, inflãmatus pridem animus redactus, impotens sui, exarsit in rabiem. Ad Imperatorem profugiens, professi instituti, priorumque beneficiorum prorsus immemor, fit Apostata ab Ordine, Ecclesiæ rebellis Sancti Francisci socius, tot signorum, tanteque sanctitatis, humilitatis, obedientiæ ocularis testis, & qui aliquandiu vitæ rigore primis illis Religionis columnis plurium opinione nec inferior, nec infructuosè coniunxit. Cui gregem suum denuò regendum commisit B.P. Franciscus. Qui totius Religionis suffragiis bis præfecturam eius generalem assumpsit. Tantam minam traxit vnius ambitionis pondus, quod olim Origenem, & Tertulianum primarios Doctores velut abruptos Ecclesiæ exturbauit. In eum Innocentius IV. Pontifex excommunicationis sententiam promulgauit, & contumacem habitu Religionis, omnique priuilegio clericali priuatum fuit. *Vt complectetur de eo S. Patris prædictio*, quam iam paulò ante tetigimus.

Eius apostasia, ac rebellio.

Origenis, & Tertull. ruina ambitio.

Igitur dum abiit prædictus frater Laicus Minorita, Heliæ germanus pro obtinenda venia, atque absolutione, excrescente morbo per octiduum ante mortẽ, eum visitabat Dominus Bonus, Abbas de Ciglalo, ad veram inuitans pœnitentiã, neque inaniter; expressit enim singultus, gemitus, & lachrymas. In Sabbato Sancto vocato ad se Beno Archipresbytero Cortonensi, egit de redeundo ad Pontificis obedientiam, & veram semitam salutis. Quare præstito iuramento de adeundo Pontifice, si valeret, vel mittendo alio, si longiori tempore langueret, vt indulgentiam, & pœnitentiam suorum peteret errorum; sibi ad mortem properanti, petiit humiliter conferri absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus innodabatur, & peccatorum plenam remissionem

Miranda Heliæ in extremis pœnitentia.

Adhibitis debitis cautionibus coram quinque Sacerdotibus, & tribus publicis Notariis, videlicet Cambio, Buccamonte, & Hugone Raynaldi, absolutionem dedit Archipresbyter, commissos errores, & inobedientiam contra Pontificem, & contra Ordinem suum cõfitenti. Deinde peccatorum ritè in confessione expressorum remissionem accepit ab alio Presbytero, dicto Ventura. Demum Eucharistia secunda feria in Paschate à Fratre Diotisece Minorita, non sine lachrymis, & veræ contritionis indiciis obtinuit, recitato prius Psalmo pœnitentiali, *Miserere mei Deus*. Emissis ad singulos versus altis suspiriis, eleuatisque in Cælũ oculis, & brachiis, & prolatis frequenter illis, similibusque verbis iaculatoriis, *Domine parce mihi peccatori. Domine non intres mecum in iudicium. Domine adiuua me propter misericordiam tuam. & propter merita serui tui Francisci, quem indignè, & ingratè contempsi*. Non est vnctus Oleo Sancto, quia deerat in Oppido. Cætera autem pœnitentis, & Christiani hominis præmisit officia, mortuus extra Ordinẽ, sicut ante prædixerat Institutor.

Absoluitur à censuris.

Deinde à culpis.

Maxima eius contritio.

Postrema verba ad Deũ & B. Franc.

Obitus extra Ord. in Patria sua

Porrò Heliæ frater facilè obtinuit apud Pontificem remissionem, & censurarum absolutionem: quam tamen conferendã voluit per Fratrem Valascum Minoritam suum Pœnitentiarium, quem ad hoc ipsũ Cortonam misit, vt ægrotantis exploraret pœnitentiam, & verè contritum, ad debita humilitatis, & obediẽtiæ excitaret officia. Sed tarde sub fine Aprilis accesserunt Pœnitentiarius, & frater, homine iam defuncto, cuius præpositæ obedientiæ, ostensæ contritionis, & acceptorum Sacramentorum fidem in publica redegerunt acta, die 2. Maii, & sequentibus conuocatis auctoritate Pontificia, optimis quibusque testibus, quorum nomina, & testimonia penès se retinere in exemplari authentico originalis processus, quẽ diligenter custodiunt Patres Conuentuales in Tabellario Assisii, fatetur Lucas Vadingus, vt ipse testatur loco cit. ad annum 1253. num. 32. quo loco ita concludit. *Vnde planus error censendus est, quod in Memoriali Ordinis, & in firmamento triũ Ordinum sub quarto Ministro Generali habetur, videlicet Heliam hunc in Gallys in Ciuitate Imperiali Bisuntinensi, Prouinciæ Burgundiæ, tunc Franciæ, in Conuentu Minorum honorificè fuisse sepultum*.

Accedens rei Pœnitentiarius Papæ, inuenit mortuum.

Error aliorum de loco obitus, & sepulturæ Heliæ.

Itaque à primo ad vltimum tota Heliæ felicitas illa, quam initiationis nuncupauimus, quæque ab oculata eius ambitione arghica effecta est in malum, & in maximam infelicitatem redacta, restituta deinde fuit in postremæ eius pœnitentiæ

felici-

Pęnitens Helias argus cælestis, ac lapideus.

felicitate, in qua non amplius terrenus, ac fabulosus, fantasticusque, sed verus, ac cælestis Argus, septem oculis confertus apparuit, iuxta illud Zacch. 3. *In lapide vno erant septem oculi*, quod ita interpretatur Doctor noster serm. Dom. 4. in quadragef. *In lapide vno, idest pænitente, qui debet esse lapis per constantiam, & vnus per fidei vnitatem, erant septem oculi. Quorum primo debet videre præterita, vt defleat. Secundo futura, vt caueat. Tertio prospera, ne eleuent. Quarto aduersa, ne deprimant. Quinto superiora, vt rapiant. Sexto inferiora, vt despiant. Septimo interiora, vt sibi in Deo placeant*.

Pristina eius felicitas à postrema pęnitentia felicitate restituta.

Fuisse autem Heliæ pristinam felicitatem, quam destruit succedens infelicitas, restitutam felicitate pœnitentiæ; ita asserimus, sicut asserit Doctor noster in Domin. 23. post Trinit. super illud Ioelis 2. *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, brucus, rubico, & eruca.* In locusta, inquit, superbia, in bruco gula, in rubigine ira, & inuidia, in eruca luxuria designantur. *Hæc sunt, quæ deuorant bona opera nostra, quæ facta fuerant in charitate. Sed cum ad pænitentiam redimus, Dominus reddet nobis annos, idest vbertatem bonorum operum. Quia opera, quæ facta fuerant in charitate, sed per subsequentem culpam mortificata, reuiuiscunt in pænitentia.*

Fuit Frater Minor annis 42.

Annis 42. sub habitu Fratrum Minorum vixit Frater Helias, admissus à B. Francisco in suum sodalitium anno tertio ab institutione Ordinis; sed à confirmatione primæ Regulæ secisdo. Paucis ergo annis à sua initiatione felix extitit, quia vbi ad superioritatis gradum, vt Vicarius Generalis S. Francisci, ab Italia absentis ascendit; statim & S. Francisco, & eius discipulis eius regimen displicuit. Quam contraxit postmodum, transiens ex vno ambitionis abysso in alterum transgressionis abysũ; infelicitatem, ipsum ad grandiores traxit erumnas, reduxitq. vsque ad portas mortis æternæ. Verum superabundans Dei gratia, tunc maximè, cum illius abundabant delicta (*Dominus*, ait Doctor noster in Dom. 17. post Trinit. *apprahendit peccatorem, cum iniecta manu misericordiæ suæ, eũ à profundo vitiorum eruit*) reduxit eum à Babilonia ad aquas lachrymosæ confessionis, & expiationis. Docet namque idem Doctor noster serm. in die Cinerũ. *Redeuntes de Babylonia sunt pænitentes, qui Deo, & Ecclesiæ reconciliantur.*

Superabundās Dei gratia in Fratre Helia.

Erat Helias ferè super Inferorũ hiatũ, & nihilominus ibi Dei manus statim, aperiens ille os suum ad delictorum confessionem, fabricauit aliunde tanto pœnitenti portam Cæli. Docet enim Interpres noster serm. 2. Dom. Quadragesimæ. *Confessio etiam dicitur porta Cæli. Verè porta Cæli, & porta Paradisi. Per ipsam enim tanquam per portam introducitur pænitens ad osculum pedum diuinæ misericordiæ. Erigitur ad osculum manum cælestis gloriæ. Suscipitur ad osculũ oris reconciliationis paternæ.* Nam dicit Interpres in serm. 2. in die Sancto Pentec. *Bonæ vitæ, & famæ vehementia perstrepit, vt vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Vide inferius ad ann. 1220. vbi de B. Ricerii conuersione.

Cõfessio porta Cæli dicenda, per quam adtria oscula Dei pęnitens introducitur.

Conuersio Heliæ cum boni latronis conuersione analogia.

Sit ergo nobis Heliæ pœnitentia, sicut boni Latronis conuersio, ad exemplum, non vt procrastinemus pœnitentiam, sed vt non desperemus de Dei gratia, & misericordia per pœnitentiam, quouis tempore amplexam, etsi in nobis abundasset malitia *plusquam Scribarum, & Pharisæorũ.* Vnum Latronem, ad mortem damnatum, in Euangelio conuersum legimus, qui in crucifissione socium habuit Christum, cui se commendarat. Vnus etiam socius S. Francisci, ac bis eius Vicarius Generalis, bisque Generalis Minister totius Ordinis Minorum S. Francisci, dicitur saluus in postrema pœnitentia. Vtraque in ambobus his magnis peccatoribus, & pœnitẽtibus, vnica, singularis, priuilegiata, ratione illorum, qui eã à Deo impetrarunt. Vnius ratione Christi viuentis, & aduocati peccatorum apud Patrem. Alterius ratione Francisci, aduocati Fratrum suorum, omniumq. Christianorum apud Christum & tunc etiam superstitis: quem instanter ipse Helias antea rogauerat, vt suis precibus mutaret summi Iudicis sententiam, iam contra ipsum comminatoriam.

Hora illa Boni Latronis prima, & vltima fuit, ait Augustinus, ac propterea inter procrastinantes pœnitentiam nequaquam adnumerandus. Ita pariter de pœnitentia Fratris Heliæ asserendum. *Quamdiu* (docet Interpres noster serm. fer. 2. in passione) *peccator est in spe salutis, Christus adhuc est cum eo, saltem quantum ad spem, quæ potest peccatori de sua inesse conuersione. Facit autem Christus nos considerare sex, quibus nos debemus moneri ad pænitentiam. Videlicet breuitatem temporis.* Adhuc modicũ tempus. *Charitatem muneris.* Vobiscum sum, *idest ad vestram vtilitatem. Benignitatem intentionis.* Ad eum vado, qui misit me. *Grauitatem, siue malignitatem criminis.* Quæretis me. *Subtractionem misericordiæ, siue remedij.* Non inuenietis. *Illationem sententiæ.* Vbi sum ego vos non potestis venire. Sicut non potuit cum eo alter Latro ire, quamuis & cum Christo, & cum altero Latrone crucifixus. Vide latrones (ait Athanasius) sed non ambo in eisdem. Alter regnum hære-

Sex facit nos Christus considerare, quotiens verè pęnitemur.

Procrastinata pœnitétia, neq. pro exéplo concredita.

hæreditauit. Alter in gehennam dimissus est. Ammon Rex Israel secutus exemplum Manasses eius patris (in iuuentute scelestissimi, in obitu senis, & pietate, quæ decessit gloriosissimè) interiit impœnitens in iuuentutis flore. Lege Cirillum Alexandr. in orat.de exitu Ammon. *Omnia tempus habent*, sic & pœnitentia habet tempus suum, quò dignum exhibeat fructum. O miseram insipientium hominum conditionem, tempus negotiandi prætereunt, & remedium peccatorum tunc quærunt, cum iam sepultura effoditur, vt sic pœnitentiæ talentum, terra obrutum nihil parturiat fructus.

Hactenus de Helia in serie sociorum S.Francisci, post duodecim priores, 14. Qui etiam in signum suæ prædestinationis, postrema pęnitentia opere completa, iuxta Francisci reuelationem, ex filio, proiecto vt reprobo, primogenitus benedictionis Francisci factus est, & ex nouissimo primus. Vide alibi in quodam meo opusculo, cui titulus, Primitiua Seraphica, vbi in specie non solum de obitu S.Francisci, quamplurimis in Ecclesia primitiui, verum etiam & de Fr. Helia, qui in multis egregiis facinoribus & ipse primus fuit. At de Franc. in specie tract.4.

PANEGIRICVS XIII.

Palma, ex cornu olei germinans.

Duodecimus septimus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. Viti patria Cortona fuit.

B.VITVS, patria Cortonensis, & ipse cohors, *vt castrorum acies ordinata*, & virtutum heroïcarum vis, roburque in vita Regulari, ac Seraphica, & Viti Christipheri Francisci viridis, atque plenus vuis, palmes extitit. Quinimmo *in Sancta Ordinis Minorum terra* visus fuit eo modo, quo docet Interpr. noster per illud Isaiæ. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Vinea*, inquit, *est anima, facta dilecto*, *idest ad honorem dilecti*, *in cornu*, *idest potentia passionis*, *&c.* Vide reliqua serm.Dom. in Septuages. Quamlibet virtutem, qua viriliter vigebat *Vitus* noster, vitiū quodlibet alienū commendabat in ipso, iuxta illā Doctoris nostri in ser. fer.3.Hebd.2. Quadrages.philosophiam. *Omne vitium*, ait, *virtutem sibi oppositam commendat*. Verbi gratia *Ira, patientiam*, dum sic miserabiliter cor,& corpus affligit. *Gula temperantiam*, dum scilicet homo repletus nimis, ad abstinentiam cogitur. Licet opera vitiorum sint mala, virtutis tamen sibi oppositas commendant,& hoc patet,

Vitia ipsa in B. Vito cōmendabant virtutū cęteā

quia quodlibet vitium vult se cooperire pallio virtutis oppositæ, sicut patet de superbia, vt ait Bernardus super *missus est. Gloriosa res*, inquit, *est humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, nè vilescat.* Sed de hoc alibi.

Egregiores virtutes sub vera Religionis specie, & summo honoris Diuini, & saluandarum animarum zelo, inclito in Vito nostro præfulgentes, hæ deinde apud S.P. & Magistrum suum adeò magnam peperere opinionem, vt propterea post B.Benedictum de Aretio missus sit Minister, & Præsul ad Prouinciam *Romaniæ* (apud Arturum die Maii 19.*Romanæ*, sed perperam, nisi sit error Typographi) in partibus Græcorum. Rediit postmodū in Italiam, vbi meritis multorum propagatæ fidei laborum clarus, migrauit ad Dominum. Vadingus sub num.10.Scripsit Legendam Vitæ B.Hemilianæ, vt tangemus infra in B.Michaele de Albertis Florentino. Siue ergo Vitus noster suscipiens humiliter à B.Francisci manibus cinereā, rudemque vestem, siue ea indutus hilariter pergens ad Græcos, & ad Italos rediens, eam, vtraque manu expansam tenuit Booz, & Ruth, ipsum, secundum misticum Interpretis nostri intellectum, inseparabiliter comitantes. *Expande pallium, quo operiris, & tene vtraque manu*, dixit Booz ad Ruth cap.3.lib.Ruth. *Qua extendente,& tenente*; mensu est sex modios, & posuit super eam, subdit textus statim. Vbi Interpres noster serm. Dom. 2. post Pascha. *Booz interpretatur fortis. Ruth videns, vel festinans.* Quid extensio palli, & vtraque manus? *Ruth est anima*, quæ huius Mundi miseriam, Diaboli fallaciam, carnis concupiscentiam videns, festinat ad vitæ æternæ gloriam. Ecce primò *Anima Viti nostri*, ob rem eamdem accedentis ad Franciscum; & socium, & discipulū eius fieri concupientis, & obtinentis. *Hac anima pallium extendit, cum Castitatem, Charitatem. & Humilitatem non sibi, sed Deo attribuit; & ad ædificationem proximo ostendit. Vtraque manu timoris scilicet, & amoris Dei, nè perdat, tenet.* Ecce secundò *B.Viti anima* viridissima, tum in Italia, tum in Græcia hisce dotibus, & prærogatiuis enitescens.

Fuit B. Vitus Romaniæ in Græcia prouincialis.

Obiit in Italia plenus meritorum.

Booz, & Ruth huiusque vestis expansa, & vtraque manu retenta quid misticè

Manus dicta (sequitur Interpres) eo quod hominem muniat, vel eo quod sit totius corporis munus. Ipsa etiam cibum ori ministrat, & omnia operatur. *Sic timor, & amor Dei hominem muniunt, nè cadat, munus gratiæ infundunt, vt perseueret.* Si hoc pallium anima ita extenderit, & tenuerit, Booz, idest Christus fortis, & potens metietur ei sex modios hordei. In hordeo rigor, vel asperitas pœniten-

Manus vnde dicta, & quid symbolicè denotet

tiæ

Ordeum mysticè est rigor, & asperitas pęnitētiæ, quæ in sex consistit.

tiæ designatur, quæ consistit in sex. *In contritione, confessione, ieiunio, oratione, eleemosynarum largitione, & finali perseuerantia.* Ecce demum anima B. Viti, timore, & amore Dei munita, vt supra, &c. & hoc à principio suæ conuersionis, quando asperitatem sacramentalis pęnitentiæ cōplectens, in pœnitentiæ Seraphicæ rigore vsque ad mortem illustri strenuitate perseuerauit, atque in ea gloriosè decessit.

PANEGIRICVS XIV.

Palmæ ramus, oliuæ ramo coniunctus.

Decimus octauus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. BENEDICTVS Aretinus, *qui à Deo, & ab hominibus benedictus*, tot ab eo, & ab his quoque cumulatus fuit benedictionibus, quot & ipse dignè profectò repleri meruit, ceu assiduus, inclitusq; S. Patris Francisci imitator. Triumphanti Christo in solemnissimo Ramorum Palmarum festo *Turbæ omnes, quæ præibant, & quæ sequebantur, clamabant, Benedictus qui venit in nomine Domini, ò sanna in excelsis, Matth. 21.* Benedictus, *idest immunis à peccato, & ideò singulariter benedictus.* O sanna *interpretatur solus, vel salua, obsecro.* Ita Interpres noster in Dominicali ad eundē festum. Benedictus noster Osanna multorum extitit (vt breui dicetur) de communibus triumphans hostibus; vitia, & seipsum potenter vincens. Ipse etiam ab illis peccatis immunis fuit, quæ (vt veluti Dei filius adoptiuus) dignus vt inter Sanctos, ac Beatos connumeretur, Christo suo, per antonomasiam, & vt filio naturali Dei benedicto, in plurimis conformis esset) à se perenni exilio repulit, ceu maledictam reproborum hæreditatem. Ob hanc namque *Maledicti ibunt in supplicium æternum*, vbi prius electi simul cū *Benedicto* nostro audient, *Venite Benedicti Patris mei, &c.*

Cur Christus Benedictus, & Osanna nuncupatus

Benedictus noster filio Dei benedicto in pluribus conformis.

Quando Christus triumphans in die Palmarum audiuit à turbis, *Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis*: turbæ ipsæ iam *expanderant vestimenta sua, & ramos palmarum in via*, vti habet textus sacer. Expositio Doctoris nostri in suo Quadragesimali super hunc locum circa prædicta vestimenta, & ramos, est huiusmodi, & quidem digna ad rem præsentem pro nostro Benedicto. *Vestimenta sunt charitas. Nam omnes virtutes sunt nudæ sine charitate. Vnde ipsa est ornamentum virtutum. Rami affectiones temporalium, à nobis amputandi, & conculcadi, antequam tota arbor amputetur, &c.* Igitur signa, demonstrationes, argumenta de benedicta nostri *Benedicti* vita, quæ de maledictorum reproborum maledictionibus culparum cum benedictis gloriosissimè triumphauit, eius charitatis vestimenta fuere, ramique affectiones temporalium, radicitus ab eo amputatæ ob ingressum in Ordinem, & deindè cursu annorum 69. incredibili constantia conculcatæ.

Vestimenta, & rami mistici in via Christi triūpho.

Et in triumpho etiam Benedicti nostri.

Osanna nostro quoque *Benedicto* valdè congruit, quia pluribus salutem animarū verbis, & exemplis attulit, siue in Ministratus munere, & vt bonus superior, & seruus, siue vt optimus subditus, & in Seraphica perfectione probatissimus. Bis fuit Minister, primum Marchiæ, deindè Antiochiæ. Ioannem Brennam natione Gallum, & Comitem Viennensem in Gallia, Regemque Hierosolymitanum, atque Constantinopolis Imperatorem ad Ordinem ipse recepit, vt scripsimus in secundo Hierarchiæ nostræ tomo. Vbi de Principibus Franciscanis. Spiritu prophetico, & miraculis clarus obiit 1280. pridie Kal. Septembris. Tumulatus est Aretii in æde S. Francisci, in Sacello a Familia Sinigardorum, ex qua & ipse prodierat, in eius honorem ædificata. Caput verò custoditur apud Sacrarium. Hic Sanctus Vir Danielis Prophetæ digitum, miraculosè acceptum in Ciuitate Babiloniæ, in suam patriam reportauit, cuius virtute Deus multa operatus est miracula. Martyrolog. die Septemb. 31. Vide Vadingum tom. 1. & 2. pluribus in locis.

Bis fuit Benedictus Prouinc. Minist.

Imperatorē Ioannē Brennā suscepit ad Ord.

Fuit ex Familia Sinigardorum.

PANEGIRICVS XV.

Purpura regia, & aurea Torques Danielis.

Decimus nonus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. IOANNES Parens Florentinus, ac Ciuis Romanus, percelebrisque Causidicus. At in causa propria, atque vnici filii sui, per pœnitentiam in Lege Minorū discutienda, longè celebrior. Hic secundus post S. Franciscum Generalis Minister, Heliæque successor.

Illustris hic Minorita, ex Oppido Carmignani apud Pistoriam oriundus, celebris fuit *Iurisconsultus, magnusque Causidicus, ac Ciuis Romanus conscriptus.* Hic quoque immediatior fuit quoad meritum S. P. Francisco, in munere Generalatus succedens post Heliam, ac itidē natione Etru-

Natio, ac patria huius magni Viri, ac celeberrimi I.C.

Etruscus. Dum Virum hunc magnum in sæculo Causidicum audio, magnumque deinde tam dignitate officii, quam sanctitate vitæ in Ordine Minorum inuenio, discussionem causæ circa egregiam eius pœnitentiam, ob relictum sæculum per allegoriam nunc examinare placet. Scriptum est Danielis 5. *Iubente Rege, indutus est purpura Daniel, & circumdata aurea torques in collo eius, & prædicatum de eo, quod haberet potestatem tertius in regno*. Num ex Danielis persona iuxta hanc diuinam historiam imago Ioannis nostri, sui ipsius in egressu Ordinis causidici effecti, quam felicissimi, symbolicè extrahi posset? Interpretis nostri doctrina huiusce quæstioni affirmatiuè respondet. Nota (inquit serm. Dom 2. post Trinit. in princip) ista quatuor. *Daniel, Purpura, Torques, aurea. Tertius in Regno*.

Imago B. Io. ex D. Antonio.

1 *Daniel interpretatur causa Dei, vel iudicium Dei, causa est animi impulsus ad aliquod agendum. Causa dicta à casu, quo venit, cui origo est materia negocij, quæ cum proponitur causa est, cum discutitur iudicium, dum finitur iustitia. Causa etiam dicitur à Chaos, quod fuit principium omnium rerum. Causa dicitur origo vniuscuiusque rei. Daniel pœnitentem significat, qui timore, & amore Dei causam, iudicium, & iustitiam de seipso facit*. Hæc sunt illa tria, Purpura, Torques aurea, Tertius in Regno. *Causam agit in contritione*, quæ est origo vniuscuiusque rei iustę, & quæ est animi impulsus ad bonum agendum. *Iudicium in confessione*, in qua se discutit, & examinat. *Iustitia in satisfactione*, in qua vnicuique quod suum est tribuit, Deo orationem, sibi ieiunium, proximo eleemosynam. In his tribus consistit satisfactio.

Quid causa, vnde dicta, cui origo, &c.

Pœnitens sui ipsius causidicus.

2 *Rex ergo Regum Iesus Christus* iubet, vt Daniel induatur purpura. *Purpura*, quæ sanguinei est coloris, contritionem significat cordis, ex qua procedit sanguis lachrymarum. Vnde 4. Reg. dicitur. *Orto Sole ex aduerso aquarum, viderunt Moabitæ è contra aquas rubras, quasi sanguinem, dixeruntque. Sanguis gladij est*. Ad literam sic intellige. Cum Moabitæ vidissent ex aduerso aquas torrētis, in Sole percussas, suspicati sunt infectas sanguine, & dixerunt mutuò, cæsi sunt hostes. Moraliter. Cum Sol iustitiæ oritur in mente, tunc aquæ rubræ lachrymarum, quasi sanguis sanguis gladii veniunt per viam Edom, idest oculos pœnitentis. Et verè istæ aquę sunt sanguis gladii. *Cum enim mens peccatoris vulneratur gladio contritionis, effudit lachrymas sanguinis*.

Purpura symbolicè, cordis contritio.

Lachrymæ pœnitentis sunt sanguis gladii.

3 *Circumdata est Torqueus in collo eius*. Torques sunt circuli aurei, à collo ad pectus descendentis. Torques aurea in collo est circulus puræ confessionis in ore peccatoris, de qua Dominus Ezech. 16. *Dedi Torquem circa collum tuum*. Et benè *confessio dicitur Torques, vel circulus aureus*, quia sapientia attingit à fine vsque ad finem, & peccator conuersus à primo vsque ad vltimum peccatum in circulo confessionis, omnia circumgirando, debet includere, sicut faciebat Dauid, Psal. 26. *Circuiui, & immolaui, &c*. De quo circulo Dominus Isai. 37. *Ponam circulum in naribus tuis, & reducam te in viam, per quam venisti*. Nota, quod *tribus modis mortale peccatū*, quod est via diaboli, venit ad animam, scilicet *suggestione Diaboli, delectatione carnis, & consensu spiritus*. In primis duobus est veniale, in tertio mortale. Cum peccator in confessione, quæ opponitur suggestioni, cōteritur pro consensu spiritus, & affligitur in satisfactione pro delectatione carnis, tunc Dominus ponit circulum in naribus, idest subtilitate, & astutia Diaboli, & reducit eum per viam, per quam venit. *Contrario enim contrarium curatur*.

Torques aurea confessio Peccatū via Diaboli tribus modis venit ad animam.

4 *Et prædicatum est de eo*, quod haberet potestatem tertius in Regno. *Regnum Christi est vita Christi. Regnū* (inquit Ioan. 18.) *meum non est de hoc mundo*. Vita Christi in tribus supradictis consistit. *Tertius in Regno quis est? qui vitam suam pœnitentia, vel satisfactione regit*. In hoc tertio signo deficiunt Magi Pharaonis, scilicet huius Mundi sapientes, qui satisfacere nolunt pro peccatis. *Sed verus pœnitens, vt cœlestis regni mercator esse particeps, studet esse tertius in regno illius*.

Regnū Christi est vita Christi.

Eum adipiscitur verū pœnitens.

Studuit mirabiliter super rem hanc, adeò gloriosam Ioannes noster, in iuris prudentia doctissimus, ac propterea ex causidico sæculari, ac magni nominis in Vrbe Roma, voluit esse causidicus spiritualis sui ipsius, factus verus pœnitens in ingressum Ordinis Minorum. Sic *Daniel* effectus in Regno Franciscano, dignus *purpura, & torque aurea* tertius existit in regimine illius, & multò sanè cum merito vbi primum in sui ipsius regimine valdè lōga praxi proficeret. *Et ideò, ò pœnitentes* (verba sunt Interpretis nostri ex Do 23. post Trinit. in Ioelem 2.) qui estis filii Sydon, idest Ecclesiæ *exultate* corde, & lætamini opere *in Domino Deo*, non aliis rebus, *quia dedit vobis Doctorē Iustitiæ*, idest spiritum gratiæ, *qui docet vos facere iustitiam* de vobis ipsis, *& descendere facit ad vos imbrem matutinum, & serotinum*. Vbi dicit Glossa. Matutinus imber est fides, serotinus perfectio operum, vel imber matutinus est cognitio Dei, quæ per fidē datur; serotinus plenitudo eiusdem cognitionis. *Et implentur areæ frumento*, per

Quomodo B. Ioannes Daniel effectus in regno Franc.

Pluribus modis effectus est B. Ioann. causidicus spiritualis factus Minorita.

areas

areas significantur mentes, vbi fit separatio palearum, ideſt vitiorum, & ſic abundant frumento bonorum operum, & per præſſuram, quam ſuſtinent, abundant oleo miſericordiæ, & vino conſolationis. Cuncta hæc, ex verbis Interpretis noſtri fideliter deſumpta, expertus eſt B. Ioannes, iam ſui ipſius egregius Iuſtitiæ Doctor, & celebrior cauſidicus, in pœnitentia Iudex effectus.

In qua schola edoctus B. Ioannes, vt fieret ſpiritualis cauſidicus

In qua verò ſchola primum ſtudium (adeò in ſæculo periculis plenum, vbi eſt cauſarum chaos, ac omnium rerum, ad lites infinitas perenniter implexas origo) in alterum cōmutauerit, reſoluens aſperrimam Franciſci legem profiteri, contemnenſque omnem legalem occupationem, fas eſt, vt modò audiamus, & ſimul admiremur. Cernens quadam die ſubulcum, ad veſperam porcos in antrum cogentem, eoſque renitentes, atque hinc inde dilabentes, eo quia ibi intrare nolebant, hæc verba audiuit, dum ille totus iracundus, vt intrarent eos, compellebat.

Conueſſionis B. Ioan. occaſio

Porci, ingredimini in antrum, ſicut Iudices cauſarum intrant in Infernum. Quo audito, ſtatim porcorum grex, veluti ſibi dictum intellexerit, abſque difficultate vlla ſub antris ſe abdiderunt. Hoc ſpectaculo ſeriò percuſſus, & verè commotus B. Ioannes, qui tunc temporis iuris cōſultatione, & cauſarum maximarum ſtudio nobilis, diues, & potens erat, Florentiæ adhæſit Franciſco, vocato etiam ad Religionem filio, & diſtributis prius facultatibus in pauperes.

Adhæret Franc. cum ſuo filio.

Prodigus filius ille Euangelicus, Villicum peruiliſſimū agens, adhęſit vni Ciuium; *qui ſtatim miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos,* Lucæ 15. loquens de eo Interpres noſter in ſerm. Sabbati Hebdomadæ 2. Quadrageſ. quatenus iuxta communem interpretationem minus generalem in eo peccatorum ſymbola conſtituit, ita ſcribit.

Tres Ciuitates morales in mundo

In Mundo ſunt tres Ciuitates, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, & omnium illorum Ciuium Dominus eſt Dæmon, cui peccator adhæret. Adhæſit igitur huic Ciuium, qui miſit illum in Villam ſua, ideſt in cor propriū peccatoris, quod eſt factum Villa Diaboli; vt ibi paſceret porcos. Porcus comedit ſtercus, ideſt peccatum luxuriæ, vbi natat per cogitationem, inuoluit roſtrum per impudicam locutionem, &c.

Luxuria.

Item comedit radices, ideſt peccatum Auaritiæ, quę radix profundata in terra. *Radix Iuniperorum erit cibus eorum.* Iob 29. Iuniperus eſt arbor ſpinoſa, ſed & hanc fodiunt roſtra, dum nihil aliud loqui ſciūt, nihil aliud ſapit eis. Item comedit ſiliquas, quod eſt genus leguminum, ventoſum, & vanum.

Auaritia.

Hæc eſt ſuperbia, quæ ſiliqua magis ventrem inflat, quam dat ſaturitatem, ſicut ſuperbia, & vanagloria. Ita ibi Interpres, memorans illa tria cōmuniſsima vitia, quæ Cauſidicos paſsim circumueniunt, quia valde pauci ſunt, qui obſeruant, ſicut in conſcientia tenentur, illud Chriſti monitum: *Nolite ſecundum faciem indicare, ſed iuſtum iudicium iudicate.* Ioann. 1.

Superbia.

Chriſoſtomus apud Interpretem noſtrum ſerm. fer. 3. Hebdomadæ 4. Quadrageſ. *Nolite ſecundum faciem*, ideſt dignitatem perſonarum *iudicare*, ſed ad rerum natura feratur ſententia. Deuteronom. 1. *Ita paruum, vt magnum audietis, nec accipietis perſonam cuiuſquam, quia Dei iudiciū eſt.* Vel (tradit Interpres) nolite iudicare ſecundum faciem, ideſt ſecundum illa, quæ primò apparent, Iob. 29. *Cauſam, quam non noueram, diligenter inueſtigabam.*

In bono iudice duo neceſſaria sūt.

Nota: ſicut amor Dei non eſt numquam ſine luce cognitionis, eſt enim ignis inflammans, & illuminans, ſic amor mundi numquam ſine cęcitate. Eſt enim ignis conformis igni infernali, qui inflammat, ſed eſt tenebroſus, & ſine claritate, *& ideo qui amori diuino non adhærent, non adhærent, non poſſunt iudicium diſcernere, ſed iudicant ſolum ſecundum faciem, quam aſſumunt, ſcilicet peccati.* Pſalm. 81. *Faciem peccatorum ſumitis.* Et quia non ſufficit in iudicio declinare iniquitatem, ſed oportet facere æquitatem, ideò ſubdit.

Amorū Dei, & mundi diſcrimen

Sed iuſtum iudicium iudicate. Iuſtū namq. eſt, quod ſolo æquitatis intuitu exercetur, à natura regulam trahens. Nota in quibus incumbit iudicium. Exod. 18. *Prouide de omni plebe,* vt quæratur cum diligenti examinatione. *Viros*, in quibus ſit mentis conſtantia. *Potentes* in operibus abundantes, & potentes in opere, & ſermone. *Timentes Deum,* qui ſcilicet timore hominum minimè peruertantur. Eccleſ. 7. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; in quibus ſit veritas* tam notitiæ, quam iuſtitiæ, ne ſcilicet amore, vel odio corrumpant iuſtitiam, vel ſcientiam. *Qui oderunt auaritiam*, ne ſcilicet cupiditate lucri, vel ſpe præmii corrumpant veritatem. *Et conſtitue ex eis qui iudicent* populum omni tempore, *Nota* (claudit Interpres pulchram illam poſtillam ſuper Exod. 18.) *aliqui Iudices ſunt iuſti ſicut ſtatera, quæ illic plus ponderat, ſiue ad illam partem magis inclinatur, vbi plus ponitur.*

Bonorū iudicum conditiones.

Aliqui iudices ſunt vt ſtatera.

Tale ſtaterę pondus ad amoris mundi pondus cum ſæpènumero Iudices, & Cauſidicos impellat, & cum his mundi amor totus

totus cęcitas sit, & obscuritas sicut ignis infernalis, & cum igni infernali Diabolus dominetur, necesse est vt asseramus Causidicorum turmas huic Ciui, vt plurimum cum prodigo adhærere, ad pascēdos illos porcos, qui vt docerent Ioannē nostrum, alium Causidicum, nimirum spiritualem, ac pœnitentem se agere debere, ad prædictam subulci vocem statim in antrū ingressi sunt vnanimiter, & celeriter. Quique eo facto Causidicorū symbola, *quorum leges non tantum sunt leges, quantum lites, ad animas hominum subuertendas*, vt alibi docuimus ex D. Bernardo apud Interpretem nostrū, iure meritò præseferebant. Felix ergo Iurisconsultus, & Causidicus noster, illi brutorum immundorum exemplo ita sapienter in causa pœnitentiæ, quæ fuit omnium bonorum suorum spiritualium origo, edoctus. Qui siue primò in Hispania Prouincialem, siue deinde in tota Religione Generalem Ministrum per sexennium agens, tum suæ conscientiæ, tum suorum subditorum causas, haud secundum faciē, sed iusto iudicio, magno timore, & amore diuino præditus iudicauit. Castus, liberalis, humilis. Vir secundum mentis constantiam. Potens opere, & sermone in abundantia virtutum. Timens Deum non autem homines, ac præualens incorrupta vita iniquitates irrumpere.

Leges humanæ causidicorū lites sūt

Fuit electus Gener. Minist. ad ann. 1230.

In Schola pœnitentiæ noluit Ioannes esse Daniel, & esse solus, & sine filio suo Causidicus, quia *si subtractio à filijs parentibus amara est*, vt docet Interpres noster de filio Viduæ, quem suscitauit Christus serm. fer. 5. Domin. 4. amarior esset Ioanni, relicto in sæculo filio suo, & in Iurisprudentiæ Chaos. Sic agens Causidici spiritualis officium, verus Christi minister, sequens inclitum Christi imitatorem Franciscum, effectus est. Sciens enim statim, quod *Christus nobis ministrauit tria*, scilicet *sua*, quia bona temporalia, spiritualia, & cælestia suis confert. *Suos*, scilicet Angelos Custodes, & Prædicatores. *Seipsum*, hoc est suam carnem in cibum, & sanguinem in potum, statim quoque & ipse Christo suo ministrauit sua per eleemosynarum largitionem, & perfectam dilectionem. Ministrauit suos parentes, & notos (inter quos vnum, & dilectum filium) eos non carnaliter amādo. Demum ministrauit seipsum, scilicet cor, & corpus eo modo, quo alibi docuimus cum Interprete nostro ex serm. 4. de Martyribus.

In pœnitentiæ schola sui, & filii sui causidicus.

Et optimus trium ministrator

Ex quo etiam modo deducimus ex eodem Interprete nostro, *B. Ioannem nostrum tres Ministros, scilicet Coruos, Mulierem Sareptanam, atque Angelum* in causidica eius administratione expressisse. Nam vt diues huius Mūdi, & Coruo comparatus, sollicitus extitit ad pascendum Christum in pauperibus, haud carne, & panibus, solummodo, verum & tota sua substantia, quam ipsis distribuit. *Cum Muliere Sareptana, quæ intelligitur caro propter fomitem concupiscentiæ, interpretatur enim incendium, administrauit Christo panem subcinericium cum oleo, idest austeritatem pœnitentiæ cum hilaritate*, tam in corpore proprio, quam in corpore filii, qui erat caro ex carne sua. *Cum Angelo, qui intelligitur puritas conscientiæ administrauit Domino panem subcinericium, & vas aquæ, idest dolorem contritionis, & deuotionem charitatis*.

In iudicio pœnitentiæ causidicus administrator effectus.

Ista tam egregia administratio in causa conuersionis Ioannis nostri (in qua administrauit & filium, vt tam in sua, quam in filii persona administratio seorsim triplex esset, & tota simul sexuplex) præmonstrauit à principio duplicem, optimamque eius administrationem, alterā in officio Prouincialis Ministri apud Hispanos, alteram in Generalatus munere in toto Ordine. In vtraque enim Parens nomine, & re, ac Parentis Francisci verus imitator fuit. Vnde D. Antonin. alludens ad eius agnomen, paucis verbis ferè omne Ioannis elogium clausit cap. 9. *Ad Dominum autem*, inquit, *B. Francisco feliciter euolante, non frater Helias, quia pomposus, sed à cunctis eligitur Generalis Minister totius Ordinis Frater Ioannes de Florentia cognominatus Parens, de Prouincia Tusciæ, homo Sanctus, & iustus, verè pollens Parentis officio*. Vide Artur. die Ianuarii 1. Quid est illud, *homo sanctus*? & illud aliud, *homo iustus*?

Cognomen Parens in B. Ioann. quam auspicatum.

Sanctus latinè, respondet Doctor noster, qui Sanctus per antonomasiam appellatur, *idest Agios græcè, idest sine terra, in qua sunt quatuor*, immunditia, insatiabilitas, obscuritas, & fragilitas. Qui est sine terra, idest sine terrenorum amore, in quo est immūditia luxuriæ, insatiabilitas auaritiæ, obscuritas inuidiæ, fragilitas inconstantiæ; *Iste proculdubio sanctificat Christum in corde suo*, ita serm. 2. Dom. 5. post Trinit. Et de Viro iusto, in dignitate posito affert similitudinem Christi, qui veluti *Rex mansuetus sedit super asinā, & pullum*, non super currus, & equos. Moraliter ait in Dom. 6. in Ram. Palmar. Rex sedens super asinam, & pullum eius *est Iustus, carnem reprimens, & appetitum eius refrenans*. Quod non fecit Helias, cui successit Ioannes, etsi asserat ex nostratibus, quos citat Arturus die Ianuarii 1. D. Antoninus, immediatum fuisse Francisco

Quid est homo sāctus & iustus import.

B. Io. successit Heliæ, & non è contrario.

sco. Nisi intelligatur de immedicatione meriti, & quod Helias sublatus fuerit ab officio. Noster etiam Gonzaga in serie Generalatus *B. Ioannem Parentem* primum ponit. Si Helias Parentis Francisci secutus esset exemplum, quod adeò inclitè Ioannes noster sequutus est, declinasset proculdubio ab omni pompositate, ob quam multa dedecora coram Sede Apostolica oportuit pati, & tandem in ærumnas valdè duras miserabiliter labi, vt supra tetigimus. Obitus Ioannis nostri incidit circa annum Domini 1250.

Eius obitus

Depositio huius magni, ac Beati Viri (quem ex Ciuitate Castellana, licet apud Florentiam, Tusciæ regionem habitum Seraphicæ Religionis sumpserit, faciunt alii) in Insula Corsica. Peragrauit, visitauitque magnam partem Ordinis, nudis semper incedens pedibus. Oratione instanter vacabat, dono etiam lachrymarum præditus, quarum vi pluuiam à Domino impetrauit afflictæ Hispaniæ anno 1233. effera siccitate tunc depressæ. A Gregorio IX. anno 1235. missus est ad Vrbem, vt rebelles Romanos sua eloquentia, doctrina, ac pietate ad pacem, obedientiamque Apostolicæ Sedis reduceret. Quibus renuentibus prædixit, citò eis tale periculum euenturum. quod cogerentur plura his tunc facere. Sine vlla mora ita contigit; nam paulò post Tyberis Vrbem decrassante inundatione miro furore occupauit. Romani peiora timentes, compositioni vltrò se subdiderunt. Cernens rigorem Ordinis, cuius Reformationi solerter incumbebat, aliqualiter remitti, officio Generalatus renunciauit, & præstita obedientia nouo Ministro, de eius licentia abiit in Insulam Corsicam, vbi singulari sua eruditione, & miro vitæ exemplo apud omnes valdè profecit.

Depositio eius in Insula Corsica.

Virtutes, & gesta.

Prædixit Romanis imminens periculum, quod citò côtigit.

Quamquam ad Hæreticis, & Barbaris multa perpessus sit. Vide Martyrol. die Ianuarii prima.

PANEGIRICVS XVI.

Pulcherrima Oliua Arbor.

Vigesimus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. IOANNES Bonelli, Florentinus quoque cum B. Ioanne Parente. Hic Vir nobilis in Patria sua, etiam in *Dei gratia* iuxta suum nomen haud *Bonellus* moraliter per diminutionem, vti per agnomen materialiter nuncupandus, sed ex integra causa *Bonus*, natione floridus, at Seraphica perfectione florentissimus. Hinc & ratione suæ integræ bonitatis, & ratione suæ florentissimæ vitæ, ad ipsum quoq. dictum puto illud Hierem. 11. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum*. Quam sententiam egregiè exponens Doctor noster, in hûc modum Ideam Bonelli nostri iuxta propositum describit in serm. de multiplici Cœna Domini. *Per quæ*, ait, *notantur quatuor bona, quæ ex misericordia sua confert nobis Dominus. Bona videlicet natura, gloria, fortuna, & gratia.*

Oliua fructi f. r. quatuor bonorũ symbolum est.

1 Per hoc enim, quod dicitur *speciosam*, notatur Bonum naturæ. Homo enim inter creaturas præcipuè speciosus est, & animæ species dignissima. *Primum ergo bonum, quod fecit nobis Deus, est, quod fecit nos homines, non bruta, non lapides, &c.*

Bonum naturæ.

2 Per hoc, quod dicitur *Fructiferã*, notatur donum gratiæ, quando vocauit nos per gratiam ad faciendum *dignos fructus pœnitentiæ*.

Bonũ gratiæ

3 Per hoc, quod dicit *Vberem*, notatur vbertas fortunæ, seu bonorum temporalium, quam nobis quotidiè confert, licet pauperes simus, *nihil habentes, & tamen omnia possidentes*, 2. Corinth. 6.

Bonum fortunæ.

4 Per hoc, quod dicitur *Pulchram*, signatur Bonum gloriæ, qua nihil pulchrius (vnde pulcher dicitur quasi polcher, idest pluries salutandus) scilicet qua salutauit Dominus seruum suum in gloria. *Euge serue bone, & fidelis, &c.* Matth. 25. *De B. Augustino dicitur, quod cum seruis fidelibus eum salutauit Dominus.* Ad hęc statim addit Doctor noster istam consequentiam.

Bonũ gloriæ

Vt igitur pro quadruplici Bono misericordiæ quadruplices referamus gratias, dicitur in præfatione. *Verè dignum, & iustum est, æquum & salutare, &c.*

Quatuor gratiæ Deo referendę pro hoc quadruplici bono.

Dignum pro Bono naturæ, quia dignissimam creaturam nos fecit.

Iustum

Iustum pro Bono gratiæ, quia nos iustificauit.

Aequum pro bono fortunæ, quia in necessariis quibuslibet Regi nos adæquauit.

Hieroglìphicum Bonelli sub quadruplici bono.

Salutare pro Bono gloriæ, quia salutationem, & salutem æternam nobis promisit. Ita Interpres ibi.

Hæc eadem Oliua, speciosa viriditate, ac floribus fructifera, vber, pulchra sub quadruplici bono præfato in *Bonelli* nostro, quadruplicem gratiam Deo sub integra vitæ bonitate humiliter referente, egregium hierogliphicum extitit. Florentia sua in tam digna planta singulariter gratulata est semper, illamque ab ingressu Ordinis tam promeriti, ac illustris Ciuis vsque ad gloriosissimum eius obitũ digna pietate excoluit. Hinc ceu talis missus in Galliam à Sancto Patre Francisco ad Phocensem Prouinciam ann. Christi 1216. & quinto illius in Ordine. Erat namque Vir perfectus, etsi vix initiatus, & magni zeli, & miræ regularis obseruãtiæ dono præditus.

Missus Bonelli in Galliam 1216.

Ibi effectus Minister Prouincialis, accidit, vt tempore Capituli Prouinciæ Arelatę ad annum 1224. quo B. Franciscus recepit à Christo Sacra Stigmata D. Antonius Lusitanus, postea de Padua (mihi Magister, Doctor, Interpres, ac Tutela ferè in cunctis probatissima) concionem valde eruditam, ac feruidam haberet super titulo Crucis IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Quô sic prædicãte apparuit S. Franc. licet tunc largissimè distaret, in aere, protensis in Cruce manibus, veluti confixus ad hostium Conuentus, Fratresq. omnes multiplici consolatione spiritus repleuit. Vadingus, cit. num. 32. & vlterius. Arturus die Februarii quarta. Obiit in Gallia meritis clarus, & in Cœnobio Arelatensi tumulatus est. Bonelli hic in Vrbe Roma illustris familia est, ex qua postea anno præterito emersit Dominus Cardinalis Bonelli, Legationem fungens apud Regem Hispaniarum.

Obiit ibidẽ meritis clarus.

†

PANEGIRICVS XVII.

Duæ Aromatum Aureolæ.

Vigesimus primus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. MONALDVS item Florentinus, ac pariter in virtutum horto tam Ecclesiæ Catholicæ, quam Religionis Franciscanæ ipse quoque virtutum hortus perfloridus. In eum descendens Christus, quadruplicem hortum ibi deliciarũ inuenit. Verba Monaldi sunt illa Cant. 6. *Descendit dilectus meus in hortum suum*, quandoquidem sic ea Interpres noster misticè exponit, ac pulcherrima concordantia cum septem donis Spiritus Sancti connectit. *Hortus dilecti est anima iusti, in qua sunt duo aureola aromatum, idest humilitas procreatrix cæterarum virtutum: et lilia, idest duplex continentia. Et ideo in talem hortum descendit, & pascitur.* Nota (subdit statim) quod quadruplex est hortus, scilicet Nucum, Pomorum, Vinearum, Aromatũ. Septem sunt dona Spiritus Sancti, scilicet Spiritus timoris, Scientiæ, Pietatis, Consilii, Fortitudinis, Intellectus, & Sapientiæ.

Duę aureolę aromatũ in horto viri iusti quæ.

Hortus misticus quadruplex

1 *Anima iusti per spiritum timoris fit Hortus Nucum*, quæ in se habent tria, amaritudinem in corio, vel pelle, duritiem in testa, suauitatẽ in nucleo. *Hortus nucum* est pœnitentia, quæ habet amaritudinem in pelle, duritiem tribulationis in mentis longanimitate, suauitatem spiritualis lætitiæ in præmii expectatione.

Timor Domini hortus nucum.

2 *Item per spiritum scientiæ, & pietatis fit anima Hortus pomorum*, quæ habent dulcedinem Misericordiæ.

Scientia, & pietas hortus pomorũ.

3 *Item per spiritum consilij, & fortitudinis fit Hortus Vinearum*, habens feruorẽ charitatis.

Consiliũ, & fortitudo hortus vinearum.

4 *Item per spiritum sapientiæ, & intellectus fit hortus aromatum*, emittens odorem in portis.

Sapientia, & intellectus hortus aromatum.

Floruit natione, ac patria B. Monaldus, Patriamque suam Florentiam florentissimam reddidit ob quadruplicem suæ iustissimæ vitæ hortum, siue nucum pœnitentię per spiritum timoris Domini, siue Pomorum misericordiæ per spiritũ scientiæ, & pietatis, siue Vinearum feruoris charitatis, per spiritum consilii, & fortitudinis, siue aromatum odorum in portis per spiritum sapientiæ, & intellectus. Sic quadriformis in hortis, & Septiformis in septem Spiritus muneribus, Monalbus erat, mutata è suo nomine litera *d*, in

Per hūc hortum quadriformem patriam suam Florentiam florentissimã Monaldus reddidit.

litera

littera b. *Monalbus* grecè, & latinè simul, est vnice albus, siuè solus albus. Albedo, candor, nitor, apud Doctorem nostrum Symbola sunt mentis, & conscientię puritatis, & munditiei, in qua Beatus iste peculiariter claruit. Quamobrem datus supradicto *Bonelli* in socium ad Gallpligures, ipse meruit iam mundus corde cernere in aere corporeis oculis B. Franciscum, ad concionem præfatam D. Antonij nostri benedicentem fratres. Refert breuem historiam Bonau. in capite 4. legendæ in hunc modum. Capitulis prouincialibus quia corporalem præsentiam exhibere non poterat Franciscus, per sollicitam curam regiminis instantiam precis, & efficaciam benedictionis spiritu præsenserat, quamuis aliquando mira Dei faciente virtute visibiliter appareret. *Dum enim egregius Prædicator, qui & nunc Christi præclarus Confessor Antonius de titulo Crucis I.N.R.I. in Arelatensi capitulo Fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis Monaldus nomine ad ostium Capituli diuina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis B. Franc. in aere subuelatum extensis velut in Cruce manibus benedicentem Fratres.* Tanta verò, & tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, vt de vera S. P. præsentia certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet, licet postmodum id non solum per euidentia signa, verùm etiam per eiusdem Sancti Patris verba exteriore fuerit attestatione compertum. Credendum sanè, quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium sacrum Antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, vt pium Pontificem veneraretur officio; *etiam seruum suũ Franciscum prædicationi præsentauit veracis sui præconis Antonij, vt approbaret veritatis eloquia, præcipuè Crucis Christi, cuius erat baiulus, & minister.* Obijt in prædicto Conuentu Arelatæ, ab ipso constructo, vbi, & sepultus vna cum B. Ioanne sibi socio, ac conterraneo. Martirol. Die April. 2.

Monalbus mutata litera d. in litera b. est solus albus.

Mira Dei virtus in Franc. absente à suis.

Dum Relatæ prædicat Interpres noster Antonius apparet ibi, cernente eum B. Monaldus

Franc. Crucis baiulus, ac Minister.

B. Monaldi obitus, & sepultura.

PANEGIRICVS XVIII.

Quadrãgulus, quadriformiter literarius.

Vigesimus secundus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. IOSEPH, & ipse itidem Florentinus. De interpretatione nominis *Ioseph* hæc valdè digna in re nostra indagaui; apud Doctorem, & Magistrum meum serm. in Dom. infr. oct. natiuitatis Domini, vbi agit de quatuor virtutibus Sanctorum sequendis, quæ sunt. Paupertas præfigurata in Ioseph. Humilitas præmonstrata in Maria. Pænitentia præsignata in Simeone. Obedientia præintellecta in Anna.

Ioseph accrescens, ait, *cum miser Homo affluit delicijs, se dilatat in diuitijs, tunc decrescit, quia libertatem amisit. Sollicitudo enim diuitiarum eum afficit, quibus deficit à se, & in se decrescit.* Infelix omnis, sequitur, qui minor est eo, quod habet. Tunc enim minor est, cum se rei, & non rem sibi supponit. Hæc seruilis suppositio tunc apertius cognoscitur, quando quod cum amore possidetur, cum dolore amittitur. Ipse enim dolor magna seruitus est, quid plura? *Nusquam vera libertas nisi in voluntaria paupertate. Hæc est Ioseph, qui* accrescens. Vndè dicitur Gen. 41. *Crescere me fecit Dominus in terra paupertatis meæ.* In terra inquit, Paupertatis, non abundantiæ. In illa crescere, in ista decrescere. Dauid erat proficiens, & semper in se ipso robustior 2. Reg. 3. *Domus autem Saul decrescens quotidie.* Dauid, inquam, qui dicit. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Quasi lux resplendens proficit, & crescit de virtute in virtutem, & se ipso robustior fit. Quia paupertas læta, & voluntaria robur tribuit. *Domus autem Saul* (qui interpretatur abutens, idest diuitum huius mundi, qui abutũtur bonis, & donis Domini in voluntate, & voluptate sui corporis) *quotidie decrescit.* Hæc Interp.

Minor est qui rebus caducis, se supponit.

Voluntaria paupertas libertas est, & Ioseph habens IP.

Paupertas læta, & voluntaria robur tribuit.

Decreuit *Beatus Ioseph* noster, haud per abusionem bonorum temporalium, sed per renunciationem, ob quam *voluntariam altissimamq; paupertatem* Fratrum Minorum amplexus, & professus est, factus socius, & filius S. P. Francisci. Sic quoque pauper Seraphicus, & Ioseph Franciscanus crescens de virtute in virtutem in terra pauperris suæ effectus est. Virtutum flores in hoc Florentino, ac pauperrimo Minorita mirabilius augmentum, & accrementum (hilariter vernantes, & suauiter fragrantes, & nunquam marcescentes, & iam crescentes semper sub maiori vi) in ipso mortis tempore demonstrauere per prodigia, & miracula. Imò ipsę Virtutes in ipso adhuc inter viuos prodigia, & miracula fuerunt; maximè tres aliæ, prætactæ ex Interprete. Nimirum *Humilitas*, quæ intellecta per *Mariam* Deiparam, exprimit in secundo angulo quadranguli Iosephi nostri binas litteras MH. *Pænitentia*, quæ simul cum *Simone* habet in tertio angulo S. P. *Obedientia* præmonstrata in *Anna*, ac propterea in quarto angulo literis A. D. explicata, Cæterum vt multa de tanto Minori-

Virtutum flores in B. Ioseph semper creuerunt

norita prætercam, sub tali quadrangulo Ioseph, & pauper, Maria, & Humilis, Simon & Pænitens. Anna, & obediens mirabiliter effectus, Vir fuit mitissimus, & sanctissimus. *Vir mitis* (ait Interpres noster ferm. Dom. 13. post Trinit. super eumdem textum Euangelicum) *quem mẽtis asperitas, vel amaritudo non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruit patienter*.

Eius mitis animæ incor. ruptum reli. quit Corpus

Imperturbatus B. Ioseph spiritus mitissimus, & nunquam ab iracundia corruptus, adeò incorruptam reliquit carnem, eam derelinquens per mortem, & pluribus annis in tumulo conditam, vt suam incorruptionem asperrimè vesti, qua induta erat (Deo id principaliter operante) communicarit. Obiens enim Florentiæ, eius corpus post multa tempora intactum est repertum cum habitu, & chorda, ac si eodem die fuisset sepultum. Vide Martyrolog. die Septembr. 12.

Obijt in Patria sua, ibique sepultus est.

PANEGIRICVS XIX.

Arbor Amigdalea, Locustis circũstipata.

Vigesimustertius Discipulus ex numero LXXVIII.

B. MICHAEL de Albertis, natione quoque Florentinus, ex perillustri familia Albertorum, quæ extat adhuc in Vrbe Florentiæ. In vocabulo Patriæ suę habet Michael noster Ciuitatem Folorentinam, Magnorum Ducum Etruriæ Sedem. Ex ipsa *descendens cum Iesu* in medio *Mariæ, & Ioseph*, factus B. Francisci socius, & Discipulus, *venit quoque Nazareth, & factus est subditus illis*, scilicet, *Spei, & Timori Domini*, vt explicat mistycè Interpres noster, & nos alibi tradidimus. *Descendit, Nazareth, & subditus* sunt tres voces, ac res in textu Euangelico Lucæ 2. quarum explicatio posita in seraphico Francisci ore, iuxta Episcopi sui atq; Interpretis nostri commentarium ex serm. Dom. 1. post Epiph quadrat admodum ipsi B. Michaeli, Dei filio in Francisco, sermonem habente (contra Mundi superbiam, qua veluti ab ipsa natura afficiuntur nobiles) adhærere se disponenti.

Familia Albertorũ nobilis est apud Florentinos.

1. Descendat, clamabat Franciscus, dum ipsum Michael vir nobilis, & illustris simul cum innumeris alijs publicè, ac perattentè auscultabat: Descendat ad Infernum, & sedeat in puluere Virgo filia Babylon, *quia Dei filius descendit*. O rigida superbia, quæ super altitudinem nubium moliris ascendere, super astra Cæli solium tuum exaltare, in monte Testamenti sedere: *Descende obsecro, quia Iesus descendit*. Et in Chapharnaum vsque ad Cælum exaltata, antequam demergaris ad Infernum, *Descende cum Iesu, cuius emissiones Paradisus* cant. 4. O' *Meretrix, quæ sedes super bestiam coccineam, plenam blasphemiæ* Apocal. 17. *descende cum Iesu*. Erubescat iam infrenata superbia, concidat turgida arrogantia, quia patientia Dei descendit. *Miser Homo, manibus, & pedibus reptans, ad honores sui dedecoris gradum nititur ascendere, & bonus Iesus ad interrogationem piæ Matris de templo, in quo in medio Doctorum sedebat*, descendit.

Inuectiua contrà Mũdi superbiã.

Miser homo affectans honores, & dignitates.

2. Et venit Nazareth erat alia Thematis, siuè sermonis Francisci particula, inquit enim Interpres. Hoc est quod dicit sponsa cant. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum*, idest humilitatem, quæ est procreatrix virtutum cæterarum. *Nazareth locus humil s interpretatus flos, & significat humilitatem, quæ benè dicitur flos, in quo tria notantur*. Pulchritudo coloris. Suauitas odoris, & Spes fructus. Sic in humilitate nostra est pulchritudo honestatis. *Flores mei fructus honoris, & honestatis* Ecclesiast. 24. Suauitas bonæ opinionis. Sicut enim flos cum spirat odorem, non corrumpitur, sic verè humilis non eleuatur, cum de bonæ vitæ odore laudatur. *Verus humilis*, inquit Bernardus, *vult vilis haberi, & non humilis prædicari*. Vndè Salomon Eccles. 12. *florebit Amygdalus, & impinguabitur locusta*, Amygdalus, quę ante alias arbores flores amittit, est humilis, quæ dicit cum Dauid 2. Reg. 6. *Ludam antè Dominum, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*.

Nazareth floridum in omni virtute Humilitis symbolũ.

Amygdalus humilitatis hieroglyphicum, & B: Michaeli meritò accommodum.

De hoc ludo sapientiæ Patris Prou. 8. *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore*. Filius Iesus cum Patre ludebat, cum à Discipulo tradebatur, ad columnam ligatus flagellabatur, cum ab Herode illudebatur, cum spinis coronabatur, &c. *Ludebat etiam* cum *exiret baiulans sibi Crucem in eum, qui dicitur Caluariæ, locum*. Ecce qualiter lusit, & vilis fuit sapientia in Orbe terrarum, *Ecce quales habuit delicias cum filijs hominum*. *Huic ludo se cooptandus pro posse verus humilis, qui quantum in se vilis, tantum coram Deo est sublimis*. Florebit ergò Amygdalus. *Et impinguabitur locusta*. Cum honestas in opere, humilitas in mente floret; tunc impinguata locusta, *idest anima ipsius humilis, dans saltum contemplationis*. Non impinguabitur sicut hipocrita odore propriæ laudis, sed flore veræ humilitatis. Impinguabitur flore proprio, non arbore aliena, *& tunc dissipabitur Capparis*, idest superbia, & Vanagloria. *Item spes fructus* perci-

Iesus quomodo ludebat cum Patre suo, & cũ filijs hominũ delicia batur.

Locusta impinguata est anima humilis.

Capparis superbiæ, & vanagloriæ figura est.

percipiendi ab vbertate Domus Domini. Cum videro florem, spero fructum. Sic cum videro verum humilem, spero ipsum beatum in Cælis affuturum. Sed heu, vt dicit Isaias 9. *Omnis hipocrita nequam est*. Et Michæa 7. *Qui optimus est in eis quasi Paliurus, & qui rectus, quasi spina de sepe*. Verè hodie omnis hipocrita est Paliurus, simulans, quod non est, Paliurus herba est spinosa, incautos pungens, sicut hipocrita se simulans mollem verbis, pungens factis spina; transeuntes vulnerat, vt laudes hominum sumat, sanguinē emungit. *In horto Nazareth non est Paliurus, & spina, sed Lilium, & Viola*.

Paliurus pro hipocrisi.

3 Et erat subditus illis, fuit tertia Seraphicæ concionis particula, in qua iterum exclamans Apostolicus Dei præco per inuectiuam ad superbiam, sic subdit cum Episcopo suo, & Interprete nostro. Liquefiat omnis superbia, defluat omnis contumacia, cum audit, quod *Iesus erat subditus illis*. Quis non est subditus illi, qui solo verbo creauit omnia ex nihilo? *Qui mensus est pugillo aquas, & Cælos palmo ponderauit*? Isaiæ 40. *Qui appendit tribus digitis molem terræ? Qui commouet terram de loco suo*? Iob 9. Iste talis, ac tantus *erat subditus illis*. Quibus illis? Fabro, & Virgini pauperculæ. *O primus. O nouissimus. O Angelorum Prælatus, & hominibus subditus. Cæli Creator subditur Fabro. Deus æternæ gloriæ subditur Virgini pauperculæ. Quis audiuit vnquam tale? Et quis vidit simile? Non ergo dedignetur obedire, & subdi Philosophus Piscatori, Sapiens simplici, litteratus idiotæ, filius Principis ignobili*.

Subiectio Christi in superbiæ nostræ dedecus

Obstupenda Christi humilitatis, ab ore Franc. pronunciatæ facinora.

In hac conclusione terminauit concionem suam Doctor noster, & suam quoq. pius Parens, & Magister Franciscus in Vrbe Florentia, flores vanos, & mundanos flori humillimo Oppidi Nazareth, vbi *Descendit Iesus, & erat subditus illis*, contraponens. Magnum, maximumque inter flores illius, & flores istius, qui sunt Lilium, & Viola, percipiens, perpendensq. discrimen B. Michael de Albertis, statim hos complecti placuit, illos verò aspernari, atque aliundè in horto Seraphico floridus moraliter per interiorem, & exteriorem hominem fieri. Vt sic spernens Mundi flores, retinensque nomen patriæ materialiter, & extrinsecè tantum, reipsa euaderet, descendens cum Christo, & humilis, & subditus, & Nazarenus mente, etsi corpore, & patria Florentinus existeret.

Conuersio B. Michaelis ad Franc. cō [illegible]

In nomine defert Michael noster illam interpretationem, ac sciscitationem, *Quis vt Deus*? Cui respondendum, nullus inter res creatas, vt Deus per essentiam, nisi solus Deus, omnium factor, & Creator. Multi tamen per gratiam, & participationem, quibus dictum, *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*. Inter hos multos B. Michael noster, omnia secum habens, ceu alter Dominus, secū habens Deum, veluti diuinus à Deo, à se possesso, effectus est. Explicat Interpres noster egregiè, & acutè in serm. Dom. 15. post Trin. loquens de ordine dilectionis Dei, & sui ipsius. *Si diligis vitam, odis vitam, si sustines superiorē, contemnis inferiorem, & è conuerso. Dilige te, qualem te Deus fecit; talem enim dilexit te. Odit te, qualem tu fecisti te. Sustine tuum superius, contemne tuum inferius. Ad hoc dilige te, ad quod te dilexit, qui se pro se tradidit. In hoc odi te, in quo odisti, quod Deus non fecit, qui dilexit te*. Hoc est, quod dixit Tobias 4. filio suo, *Omnibus diebus vitæ tuæ semper in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri*. O verbum, dulcius super mel, & fauum, subdit Interpres per iaculatoriam apostrophen ad Deum suū. *Semper in mente habeto Deum*. O Mens omni beato beatior, omni felici felicior, quæ habes Deum. *Quid tibi deest? quid tibi accrescere potest? Omnia habes, quia illum habes, qui omnia facit. Qui solus te implet, sine quo omne quod est, nihil est*.

B. Michael quis vt Deus, & vt Deus, secum habens Deum.

Ingens felicitas Deum in mente habere.

Et post pauca alia ita quoque iaculatoriè. Quomodo ergo te habere potero, ò Deus? Quid ego vt te habeam dare debeo? *Da, inquit, te mihi, & ego dabo tibi me. Da mentem, & habebis me in mente*. Habe omnia tua tibi, tantum da mihi mentem. Plenus sum tuis verbis, non indigeo tuis factis, tantum da mentem mihi. Nota, quod dicit Tobias, *Semper in mente habeto Deum*. Vis Deum semper habere in mente? habe semper te coram te. Vbi oculus, ibi rationes, habe semper oculum in te. Tria pono, *Mentem, Oculū, & Te, Deus est in mente. Mens in oculo. Oculus in te*. Si ergo vides te, habes Deum in te. Vis semper habere Deum in mente? Habeto te talem, qualem te fecisti. Noli ire ad quemdam alium. *Noli te facere aliū ab illo, quem ipse fecit, & sic semper Deum in mente habebis*.

Habere Deū in mente, est habere te coram te.

Antequam hoc doceret Interpres noster, B. Michael, qui illum præcesserat in Religione annos vndecim, non solum obseruauit vt optimus scholæ Christi, & S. Francisci Discipulus, verum etiam alios, vt Magister docuit. Dedit ipse totum se Deo, habens semper illum per dilectionē in tota anima sua, in tota mente sua, in toto corde suo, & in omnibus viribus suis. Propterea totus in Deum transformatus, totus per gratiam effectus est

B. Michael Discipulus, & Magister in schola Franc.

Ad Quis vt Deus, Michaelis respondit Deus.

Deus par pari referens, dedit se totum ei, vt talem, ac tantum seruum suum, & amicum suum totum suum faceret, seque in ipsum totum transformaret. Ob hanc reciprocam donationem deferens Michael in nomine *Quis vt Deus*, Ordinem Minorum ingressus, & professus, responsum accepit ab ipso Deo, quod ipsemet Michael erat sicut Deus, idest similis sibi ipsi Deo, qui illi promiserat, loquens de bonis seruis suis, quibus dedit vitã Apostolicam profitentibus *potestatem filios Dei fieri: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.*

Eadem quoque, quæ B.Michael fecit, plenè edoctus in D.Francisci schola, alios & ipse docuit. Fert namque historia ipsius, fuisse Virum deuotum, ac notæ sanctitatis, necnon cum esset superior, fuisse etiam & institutorem, seu instructorem B.Humilianæ Tertiariæ. Hæc Vidua Florentina erat, cui Progenitor Oliuerus Cerchius antiqua, nobilisque familia Florentiæ, de qua Vadingh.tom.1.ad ann. 1246.num.38. & alii apud Arturum die Maii 19.cuius gesta scripsit in sua legẽda B.Vitus S.Francisci socius, de quo superius, & ex eo Michael Volaterranus, & alii.

Fuit B. Michael B.Humilianæ instructor, & Magister.

Hæc tria, in quibus præcellebat B. Michael, nimirum *Deuotio, Sanctitas, & Instructio* aliorum in schola Christi, ita se habent inter se, vt veluti origo aliorum merito *Deuotio* sit, reliqua veluti ex ipsa, vt probata sint, ac proficua, erumpentia. Omnia simul sub eodem ordine quinque rebus mistiçè enucleat, ac patefacit Interpres noster serm. in die Sancto Paschæ super illud Exod.25.& 30. *Sume tibi aromata, primam myrrham electam, cinnamomum, &c.* vsque ad verbum *tabernaculum*. Cuncta hæc ita breui postillat Interpres incipiens à deuotione mentis. *In prima Myrrha electa, ait, Deuotio mentis, quam nobis primo debemus eligere, intelligitur.* In *cinnamomo*, quod est cinerei coloris memoria mortis. *In calamo* melodia confessionis. *In casia*, quæ habet esse in locis aquosis, & in altum surgit, fides, quæ in aquis Baptismi nutritur, & in altum per charitatem eleuatur. *In oleo* de olivetis misericordia cordis. Ex his quinque debemus facere sanctum vnguentum, nos sanctificans opere vnguentarii, idest Spiritus Sancti, compositum, & ex hoc inungi debent ista quinque.

Mentis deuotio debet in nobis esse prima.

1 *Tabernaculum testimonij*, idest pauperes Christi, cuius paupertatis charactere incogniti, à Domino peregrinantur, dum sunt in hoc mundo.

Quinque misteriis efficiẽdum vnguentũ sanctitatis

2 *Arca testamenti*, idest illi, qui in plaustro nouo, scilicet corde, & corpore per pœnitentiam innouato, deferunt arcam obedientiæ.

3 *Mensa eius cum vasis suis*, idest illi, qui *panes duodecim*, nimirum doctrinam duodecim Apostolorum *cum pugillo simila*, idest humilitate mentis deuotæ, & *patena aurea*, idest claritate fraternæ charitatis cibum proponunt, vt omnibus, qui in domo Ecclesiæ sunt, luceant, & viam ostendant.

4 *Et non tantum candelabrum, sed eius vtensilia*, idest omnes filii in minori ordine constituti.

5 *Et Altaria holocausti, & thimiamatis*. In primo *Actiui*, qui se totos proximi necessitati offerunt, designantur. In secundo *Contemplatiui*, qui cælestis dulcedinis suauitatem sunt experti. Ex tali vnguento, opere Spiritus Sancti composito, omnes isti, quos diximus, qui sunt Christi membra, in Cruce pœnitentiæ crucifixi crucifixa, mundo mortuos in monumento cælestis cõuersationis à turbine hominum sepulta, debent inungi. Hactenus Interpres.

Primam myrrham electam eligens sibi primum, nimirum deuotionem mentis, B.Michael, eam spiritalem, aromatamque mixturã ex cinnamomo memoriæ mortis, ex calamo melodiæ confessionis, ex cassia fidei, in altitudine charitatis eleuatę, & ex misericordiæ oleo mirabiliter pro se composuit, quo *Vnguentum Sanctũ* effecit, vnde & *Sanctum* ipse esse, & nuncupari promeruit. *Sanctus*, inquam, quia vnctus in tabernaculo testimonii ob characterem paupertatis Christi, quo erat insignitus, vt verus S.P. Francisci Magistri sui imitator. *Vnctus* in *Arca Testamenti* ob innouationem ad *votum Obedientiæ*, quæ ipsi arca erat, plaustro nouo pœnitentiæ delata. Vnctus in mensa, & vasis, quibus panem duodecim Apostolorum doctrinæ cum humilitate mentis deuotæ, cum claritate charitatis fraternæ proponens *B.Hemilianæ*, innumerisque aliis deuotis personis sapientia, & exemplis omnibus lucebat, omnibus viam salutis ostẽdebat. Inungebatque *Candelabrum*, & vtensilia filiorum spiritualium, etsi in minori ordine constitutorum. *Altaria holocausti, & thimiamatis* Actiuorum, & contemplatiuorum iam ipse vnctus, & vir deuotus, vt sanctitate notus, & vt Apostolica doctrina imbutus.

Cuncta bona in B.Michaele ex deuotione mentis

Arca Testamenti pro religiosa obedientia

Et quia Vir deuotus, idcircò super eius cor fasciculus Myrrhæ, & eius cor compassionis, & deuotionis pondere ad amaritudinem Dominicæ passionis inclinatum. *Super cor sponsæ talis debet esse fasciculus Myrrhæ. Et nota, quod sicut cor modicum*

Deuotio est myrrha prima super cor sponsæ.

dicum declinat ad sinistram mammillam, sic compassio, & deuotio cordis debet declinare ad amaritudinem Dominicæ passionis. Ita Doctor noster term. Dom. 13. post Trinit. Et in serm. Dom. 17. describens B. Michaelem sub methaphora Arcæ, iuxta illud Domini ad Noë, *Fenestram in Arca facies, & in cubitu consumabis eam*, Genes. 6. hæc quoque in specie. Arca dicta, eo quod arceat aurem, vel visum, est iusti vita, qui se arcet ab omni vitio. *Fenestra, quæ dicitur quasi ferens extra, est mentis Deuotio, per quam egreditur columba, idest anima. Egreditur, inquam, ad contemplandum Deum. Ingreditur ad considerandum seipsam. Fenestra ergo in Arca est vita Iusti deuotio, quæ in cubito, idest Dei charitate consumatur.*

Arca mistice est vita iusti.

Fenestra in Arca mentis deuotio.

Obiit namque Florentia in patria sua, habens secum in deuota humilitate floridam Nazareth, vt supra dictum est. Eius, iam defuncti gloriam cuidam personæ sanctæ reuelauit Deus, qui reuelans illi faciem suam, ipse gloriosus, & immortalis effectus est Michael, nimirum effectus est sicut Deus, quia videns Deum sicuti est, transformatus est in Deum de claritate in claritatem. Vide Martyrologium sub die Martii 7.

Obitus B. Michaelis, & reuelatio eius gloriæ.

SECTIO TERTIA.

PANEGIRICVS XX.

Agnus, & Angelus in vnum.

Vigesimus quartus, & vigesimus quintus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. AGNVS, & B. ALBERTVS, natione Tusci, patria Pisani. Alter Minister Prouincialis, alter verò Generalis anno 1238. & quintus post Sanctum Patrem Franciscum.

1 B. Agnellus, siue *Angelus*, natione Pisanus.

2 B. Albertus, item Pisanus, & Beati Agnelli, siue *Angeli* socius. Alter primus Guardianus Parisiensis, ac Fráciæ Custos, mox Angliæ Minister, ab ipso S. Francisco initiatus, cæterum tum vitæ sanctitate, tum signis admirandis illuxit. Alter post officia Prouincialia optimus D. Francisci successor in Ministri Generalis munere. Illi nomina siue Angeli, siue Agnelli ob Angelicam, puramque vitam ominatissima admodum. *In Agno notatur innocentia, & simplicitas*, ait Interpres noster Dom. 2 post pascha. Quæ duo natura Angelo

[In] agno nota[n]tur duo.

conueniunt. Huic *Albor*, qui & *candor*, (quo Albertus nuncupabatur ob animæ, ac conscientiæ nitorem, ob quam meruit B. Angeli, & Agnelli societatem) auspicatissimus.

Reperio in B. Angelo Pisano, nunc dū Pisis Frater Minor efficitur, nunc vero dum in Religione hilari pectore laborat, Angelos duos, vnum ex libro Apocalypsis, alium ex Matth. 28. De priori, in quo & puritatis *albor*, cuius hierogliphicum Agnus, cuius nomenclatura, & prærogatiua in Alberto, ita Ioann. cap. 20. *Vidi Angelum descendentem de Cælo, habentem clauem abyssi*. Interpretatio moralis huius reuelationis apud Doctorem nostrum est hæc. *Angelus est Vir iustus, qui tunc de Cælo descendit, cum vita sua statum, in terra viuens secundum Cæli puritatem, informare satagit. Hic habet clauem abyssi, & catenam. Clauis*, ait, est discretio, qua Vir iustus claudit, & aperit abyssum cogitationum. Claudit cum restringit. Aperit cum discernit. *Catena in manu* est pœnitentia in opere, qua Vir iustus ligat Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas. In Dracone notatur spiritus superbiæ. In Diabolo, qui hebraicè dicitur *ruens*, malitia discordiæ. *Hæc omnia Vir iustus ligat catena per annos mille*. Dum Draconem superbiæ ligat cordis contritione. Serpentem luxuriæ confessione. Diabolum auaritiæ satisfactione, & eleemosynarum largitione. Sathanam discordiæ proximi dilectione. Et hoc per mille annos, qui perfectus est numerus, idest finali perseuerantia. *Hæc Interpres*.

In B. Angelo duo Angeli misticè.

Vir iustus, ac pœnitens Angelus è Cęlo descendens.

Clauis discretionis simbolū, catena pœnitentiæ

Vir iustus Draconē superbiæ. Serpentē luxuriæ. Diabolū auaritiæ. Sathanam discordiæ ligat catenæ.

Hanc mirandam, fortemque catenam effecit B. Agnellus, Ordinem Minorum ingrediens; imò tria vota illi connectens, votisque præcepta haud pauca, maximā eam reddidit contra prædictos hostes, quos magnoperè terruit, fortiterque ligauit. Tenuitque semper vsque ad finē *abyssi clauem*, ceu terrenus Angelus, è Cœlo descendens, quia Iustitia de Cœlo prospexit, & eo modo, quo dictum est.

De posteriori Angelo Matthæus citatus illis verbis. *Angelus Domini descendit de Cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum*. Quod ita interpretatur Doctor noster in die Sancto Paschæ. *Angelus est gratia Spiritus Sancti, quæ lapidem ab ostio monumenti remouet, fragilitatem confortat, omnem asperitatem mollificat, & omnem amaritudinem sui amoris balsamo dulcificat*. Ergo B. Angelus noster in ingressu Ordinis similis fuit Angelo Apocalypsi 20. In exercitiis verò Ordinis aliū, Angelum Matth. 28. præsentauit ob gratiam Spiritus Sancti, quam vsq. ad mortē

Angelus est gratia Spiritus S. sedens super lapidē

 sociam

sociam habuit inseparabilem. Patet ex synopsi historica vitae eius, in hunc modum vna cum societate B. Alberti ab authore Martyrologii enarrata sub die 13. Martii.

B. Angelus, siue *Agnellus*, Pisis in Hetruria natus, atque ibidem D. Francisco concionante, Frater Minor effectus est ad ann. 1211. Vir vndequaque perfectus, quem postea ob insigne virtutis specimen primum idem Seraphicus Pater misit in Galliam cum B. Pacifico, primo Franciae Prouinciali Ministro, anno 1216. A quo & Lutetiae licentiam habuit Conuentum extruendi, & primus huiusce Domus Guardianus institutus est; moxque primus Parisiensis Custos creatus. Denique cum esset magna sanctitate praeclarus, in Angliam illum D. Franciscus ablegauit cum *Socio Alberto Pisano*, & aliis anno 1219. Quorum primum Prouincialem instituit. Verum cum in itinere Parisijs aliquo tempore haesissent, anno 1220. transfretantes, Angliam appulerunt 3. die Maii. Vbi *à Rege Henrico III.* & Praelatis benignè excepti, Franciscanum institutū mirè per Angliam propagarunt. Nam & complures Conuentus illic confestim extructi sunt, & Episcopi, Abbates, Monachi, & in Theologia Magistri, non pauci Ordinem Minorum humiliter professi sunt.

B Ang gratia, & initiatio, perfectio, & officia in Ord.

Franciscanū institutū mire per Angliam propagat.

B. Angelus Regis familiaris, & Consiliarius effectus, omnibusque charus habitus, multum insudauit in componendis controuersiis inter Regem, & Regni proceres. Tantumque posuit in his rebus operis, & sudoris, vt & vitam deposuerit in crastino festi S. Gregorii Papae anno 1232 iuxta antiquum supputandi morem, quo annus à Paschate incipiebat, at secundum nouum calculum ann. 1233. Quod autem eius vita Angelica extiterit; eius Angelus purus vt Agnus, & eius Agnus magnanimus in arduis rebus vt Leo, liquet ex sequentibus. Obiit namque, infert historia, non sine sanctitatis opinione, quam multis miraculis confirmauit. Sepultum Oxonii in capsa lignea, dum post plures annos Fratres voluerūt transferre ad honorificentius, & sublimius sepulchrum, *Carnem inuenerunt omnem in pretiosissimum liquorem, balsamo similem resolutam, & ossa tersa oleo supernatantia.* Quid simile accidit in translatione corporis S. Nicolai ab Vrbe Myrea, Liciae Metropoli ad Vrbem Barii in Apulia, vt alibi scripsimus ad Caesarem Ferdinandum tertium. Cum autem minus cautè capsulam, vetustate corruptam, eleuarent, fundū adhaesit pauimento, oleumque effusum est cum ingenti fragrantia, Ossa verò ad paratum mausolaeum magna cum reuerentia, & solemnitate fuerunt trasportata. Vide Authorem citatum, & quotquot citat ipse Historicos.

Reg. Angliae familiaris, charus, & cōsiliarius.

Eius sepult. ac translatio

Balsamū, & oleum fragrantissimū ex eius corpore emanans.

Vbi autem legis illud miraculum de balsamo, & oleo fragrātissimo praedicto, memorare quae scripsit Doctor noster explicans hieroglyphica, seu symbola tum balsami, tum olei. Balsami in serm. Dom. 18. post Trinit. sub cuius figuram cunctā vitam viri iusti pulchris similitudinibus comprehendit. Praecipuae sunt tres, quarum prior ad Balsami cultuтam, posterior verò & ad illius incisionem, postrema autem ad eius eximii odoris stillas spectat.

1 Ad odorem aquae, ait, Balsami lignum germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatus est. Odor dictus ab aere. Quid enim est odor, nisi aer attractus? *Odor est infusio gratiae, quam cum attrahis, boni operis germen emittis, & sic comam perseuerantiae facis.*

Balsami odor est gratiae infusio.

2 Vitro, aut cultellis osseis inciditur, quia ferri tactus noxius est, sine mora moritur. In vitro aeternae beatitudinis perspicuitas designatur Apocal. 21. *Ciuitas Hierusalem erat aurum mundum, simile vitro mudo.* In vitro quilibet liquor qualis continetur, talis exterius ostenditur. In auro ergo, & in vitro accipimus in superna patria Sanctorum societatē, qui beatitudinis claritate fulgebūt, & vniuscuiusq. mentem ab alterius oculi membrorum corpulentia non abscondet. Qui enim claritatem Dei vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint. *In ossibus Sanctorum exempla designantur*, quae nostram sustentant fragilitatem, sicut ossa carnem. *Arbor ergo Balsami vitro, aut cultellis osseis inciditur, cum vita, vel mens iusti aeternae claritatis desiderio, vel Sanctorum exemplo ad compunctionem aperitur.* Sed si contactu ferri, idest mortalis peccati percutitur, statim moritur, *quia anima, quae peccauerit, ipsa morietur.*

Balsami incisio vitro, vel cultellis osseis quid moraliter.

Ossa Sanctorum sunt eorū exempla.

3 Eximii odoris Balsamum stillas emittit. *Eximius dicitur, quod sit valde eminens, in quo sancta vita odor circumfusus designatur.* 2. Corinth. 2. Ecclesiast. 24. *Quasi Balsamum non mixtum odor meus.* Odor vitae hipocritae balsamum est mixtū, idest corruptum, quia sanctitas apparet exterius, sed iniquitas interius latet. *Odor verò Iusti est Balsamum non mixtum, quia puritas conscientiae concordat odori bonae famae.*

Odor vitae viri iusti balsamum, non mixtū, quia ab hipocrisi alienum.

Erant quoq. ossa B. Angeli, seu Agnelli oleo fragrantissimo conspersa. *In oleo*, ait Doctor noster serm. Dom. 13. post Trinitatem,

tem, *peccati cognitio*; sed egregius, & acutius iuxta nonnullas olei proprietates in serm. Dom. 9. post Trinit. *Oleum*, ait, *est charitas, quia omni liquori oleum supernatat.* Et hæ causa, quoniam in pinguedine nihil est ex aqua, & terra, sed ex aere, & propter hoc natat super aquam, quoniã aer, qui est in oleo, defert ipsum quasi esset in vtre, & ista est leuitas eius. *Sic amor Dei omni amori debet supernatare.* Vnde Prouerb. 3. *Fructus sapientiæ pretiosior est cunctis opibus. fructus sapiẽtiæ est amor Dei, cuius dulcedine degustata, anima sapit, quam suauis sit Dominus. Quid ergo pretiosius? Quid desiderabilius?* Huic nec opes, nec gloria rerum valent comparari. Et sicut in oleo nihil est ex aqua, & terra, sed ex aere; *Sic in Dei amore nihil carnalitatis, nihil terrenitatis debet admisceri, sed tantum aer, idest puritas mentis, & conuersatio cælestis. Talis amor supernatat.* Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* idest anima, quæ spiritum amoris diuini iam cõcepit, fertur super aquas. Gen. 7. *Arca ferebatur super aquas.* Aquæ diuitiarum, & concupiscentiarum ita iam præualuerunt, quod totam terram operuerunt, Isaiæ 2. *Repleta est terra auro, & argento, & non est finis thesaurorum eius.* Ecce auaritia. *Et repleta est terra eius Equis, & innumerabiles Quadrigæ eius.* Ecce superbia. *Et repleta est terra eius Idolis.* Ecce luxuria. His maledictis aquis repleta est omnis terra, & quod periculosius est, & deterius, *Montes omnes excelsi,* idest Ecclesiæ Prælati *istis aquis sunt operti. Sed Arca Noë, idest anima Viri spiritualis fertur super aquas, quia omnia reputat tanquam stercora. Benè ergo dicitur, quod oleum amoris diuini supernatat omni liquori.*

Oleum pro charitate.

Dei amor supernatare cur dicatur

Diluuiũ morale criminibus operit vniuersã faciem terræ.

Animæ iusti Arca super aquas.

Ossa ipsius B. Angeli, siue Agnelli nostri in fragrantissimo, ac veluti balsami liquore supernatasse (vti reperta fuere) referunt. Quare illis iisdem ossibus profectò qualis fuerit eius anima, eius vita, eius virtus, sanctitas, Dei amor, perseuerantia in bonum, mens, & desiderium ergà res superuas, puritas conscientiæ, charitas, odor, exemplum, conuersatio, gestorum fragrantia, siue in statu subditi, siue in officio Prælati (ob quam ita familiaris, & charus, eiusque consiliarius fuit Henrico Regi Angliæ) mirabili signo post aliquot lustra cælitus patefecit Deus.

Ossa B. Angeli illius Angelicæ vitæ, ac conuersationis signa fuerunt

B. Albertus meruit huius Angeli, seu huius Agnelli societatem ob eius vitæ *alborem*, scilicet candorem, ob quem & Angelus quoque, & Agnus in gestis apparebat. *Venerunt nuptiæ Agni, & Vxor eius præparauit se, & datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Apocalyps. 19. Post hunc textum statim in cap. sequent. 20. *Vidit Ioannes Angelum descendentem de Cælo, habentem clauẽ abyssi.* Hunc autem fuisse in figura Beatum Angelum nostrum, iam referimus ex Commentario Doctoris nostri. Sed audiamus modò præcedentem interpretationem eiusdem, vt ex ea colligamus mirabilem, ac dignam societatis copulam inter Angelum, & Albertum, alterum in alterum ex vi religiosæ amicitiæ, & charitatis fraternæ transformatum, & ex duobus vnum factum, iuxta illud axioma. *Amicus est alter ego, & amicorum omnia sunt communia,* quod alibi ex Interprete nostro declarauimus.

Societas inter BB. Angelos, & Albertum

Venerunt nuptiæ Agni, &c. Agnus dictus, inquit, quod præ cæteris animalibus matrem agnoscat. *Et ideo significat Christum*, qui cum in Cruce penderet, Matrem inter millia Iudæorum agnouit, & Virginem Virgini commendauit. *Agni ergo nuptiæ*, idest Christi Incarnatio venit, & ideò *Vxor eius*, idest Sancta Ecclesia, *vel qualibet fidelis anima debet se præparare fide*, & cooperire byssino, idest castitate, splendenti quoad conscientiam, candido quoad corpus. *Quomodo Dei filij, & Beatæ Virginis nuptijs interesse potuit qui byssino castitatis indutus non fuit? Quomodo Ecclesiam intrare, fidelium se cœtui coniungere, & communioni Dominici Corporis præsumit interesse, qui se nouit byssino splendido, idest castitate interiori, & exteri carere?*

Agnus vnde dictus.

Quis ad Agni nuptias intromittendus.

Quia verò hac virtute, adeò inclita non caruit, immo plurimum claruit *B. Albertus*, meritò B. Angeli puritati socius factus, & cum eo Angelus, & Agnus effectus supra plurimos coætaneos, ac condiscipulos, Matrem Religionem cognouit dilectione, propagatione, propugnatione, gubernatione, honorificentia, atque Dei filii, & Beatæ Virginis nuptiis meruit admitti, & interesse. Breuissima eius vitæ historia sic fertur. Semel, atque iterum Pisis prædicans Sanctus Franciscus, plures suæ adscripsit militiæ, sed præ cæteris notiores Beatum Agnellum, seu Angelum Pisanum, & Beatum Albertum etiam Pisanum anno 1211. quos idem D. Franciscus postea ablegauit in Galliam anno 1216. Indeque in Angliam. Vbi Beatus ipse Angelus primus Prouincialis Minister factus, successorem habuit in eodem munere anno 1219. hunc Beatum Albertum, socium prius amantissimum. Hinc euocatus, in Germaniam ab eodem P. Francisco suffectus est B. Cæsario

Synopsis historica de B. Alberto.

rio

Error Prisciani tollitur.

rio Spirensi in Ministrum Prouincialem Teutoniæ anno 1223. à quo tamen absolutus ann. 1227. tandem Hispaniæ prouincialis electus est, & ad totius Ordinis Generalem assumptus anno haud 1236. vt perperam Tossinianus, sed verius cum antiquioribus communiter 1239. & à Pontifice Maximo Gregorio Nono confirmatus in Comitiis Generalibus, Romæ die Maii decimaquinta celebratis, vbi & primam Missam cantauit. Vir fuit verè probus, & vndequaque perfectus, magni zeli, & virtutis ad res magnas obeundas à natura factus, sed intra paucos menses consummatus, in breui expleuit tempora multa, diem vltimum claudens eodem anno de mense Septembris, circa Festum Natiuitatis Virginis, cuius mortem non solum planxit vniuersus Ordo, sed etiam ipse Pontifex, qui hominem adeò Sanctum, & egregium valdè dilexit.

Error Vvilloti, & Posseuini detegitur

Vvillotus in Athenis Orthodoxis Frãciscanis, & Posseuinus in suo apparatu perperam confundunt hunc Albertum cum Alberto Germano Stadensi, prius Benedictino Abbate, deindè Minorita, & historico: Vadingus anno 1239. num. 32. & 1240. num. 4. Vide Martyrol. die Septembr. 2.

PANEGIRICVS XXI.

Petra, tribus in desertis oculatissima.

Vigesimus sextus Discipulus ex numero LXXVIII.

SANCTVS PETRVS MARTYR Marrochii, ex Oppido Sancti Geminiani, olim Ditionis Senensium, nunc verò Florentinorum. *In Petra deserti, a qua emisit Dominus Agnum dominatorem terræ*, iuxta oraculum Isaiæ 16. Duo aduertit Interpres noster in sermone Dominicæ 1. Quadragesimæ, loquens de Beata Virgine. Primum est constans Virginis, inuariabilisque Voluntas, omnimodæ castimoniæ firmissima. Secundum eius illæsa ante partum, in partu, ac post partum puritatis integritas. *Petra*, inquit, *propter firmum propositum Virginitatis*, vt patet ex responsione eius ad Angelum Lucæ 1. *Deserti, quia inarabilis.* Desertum etiam triplex ibi explicat, duo mistica (horum alterum vterum Matris Dei, alterum eius filii Crucem) reliquum illud, in quo tentatus Saluator à Diabolo. *In primum desertum ductus fuit*, inquit, *Christus sola misericordia. In secundum exempli gratia. In tertium Patris obedientia.*

In petra deserti, quæ fuit Virgo Maria duo aduertenda.

Triplex desertum allegoricum.

Eadem Dei misericordia, & pietas impulit Petrum nostrum ad Francisci societatem, vt introductus in Seraphicæ Religionis Desertum, de quo aliàs cum Doctore nostro, *Desertum vteri virginalis per votum, & imitationem castimoniæ* (in tota vita sua inaratus, iufœcundus, & celebs corpore, sed mente, meritis, & virtutibus, & Apostolicis operibus multa prole diues) habitaret. *Desertum Obedientiæ* per propriæ voluntatis derelictionem. *Desertum Crucis*, in quo extrema, & maxima Christi paupertas (& quo à pluribus in diuitiarum, & commodorum temporalium amplexibus derelinquitur Iesus solus) per sui ipsius, & suorum, & rerum temporalium omnimodam abnegationem. *Petra horum trium desertorum Petrus noster effectus*, constans semper euadens, firmum propositum ad vota Castitatis, Obedientiæ, & Paupertatis, & ad totam Regulam Sancti Francisci, pluribus aliis præceptis, & consiliis circumuallatam intrepido, ac magnanimo pectore seruauit. Seruauit, inquam, & adeò perfectè, vt in ponderibus duorum amorum, Dei scilicet, & proximi cælitus *Geminus*, iuxta patriæ cognomen factus, nec Tyranni promissa, nec minarum acerbitatem, nec sanguinis effusionem vsque ad vitæ interitum curarit.

S. Petrus noster triū desertorū petra.

Allusio ad S. Petri nostri patriam.

Iam prior in isto nomine Petrus inter primitias Martyrum Franciscanorum extans S. Petrus noster, in Apostolorum, & omnis Ecclesiæ reparatione cum Sancto Patre Francisco vitæ Apostolicæ, & Fidei Romanæ Reparatore, ac sibi Magistro primus fuit.

Monet Petrus Apostolus in sua Epistola Canonica. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* Quam sententiam ita interpretatur Doctor noster in serm. Dom. 5. post Pascha. *Hic Petrus ad tria inuitat, ad Prudentiam, Vigilantiam, & Orationum instantiam.* De Prudentia Prouerb. 3. *Beatus Vir, qui affluit prudentia, melior est enim acquisitio eius negociatione auri, & argenti.*

Monitum S. Petri Apostoli ad tria.

1 Fuit prudens Petrus noster in ingressu Ordinis, vbi in sodalitium suum ab ipso Institutore admissus. Creuit eius prudentia in Legis Seraphicæ obseruantia, & maximè creuit, cum ob fidei Catholicæ defensionem, & in Maumethicæ impietatis opprobrium hilari animo obtulit.

S. Petri nostri prudẽtia

tulit. Sic cum esset vna Petra, plures lapides in pœnitentiæ austeritate elegit. *Eligite lapides, & eleuate signum ad populum.* Isaiæ 62. Hosce lapides prudentia sua christiana, ac Franciscana elegit Petrus. iuxta Interpretis nostri doctrinam in serm. 2. Dom. 1. Quadrages. *Pœnitentiæ austeritas*, inquit, *lapidum nomine designatur*, quos Dominus quemlibet vult Christianum assumere, dicens, *eligite lapides*, &c. Quoniam ex Pœnitentia redditur homo aliis exemplaris. Isti sunt illi lapides pretiosi, de quibus 3. Reg. 5. dicitur, quod *preceperat Rex*, scilicet Christus, *vt tollerent lapides grandes*, idest altitudinem pœnitentiæ, *lapides pretiosos, quorum pretium vita æterna in fundamentum templi*, scilicet in quo idem Christus habitare desiderat. Hoc autem præceptum ipse Rex fecit, quando dixit Matth. 3. *pœnitentiam agite*. Isti sunt lapides illi, quos prouidus *Dauid* 1. Reg. 27. *elegit de torrente* transitoriæ pœnæ *contra Goliam*, idest Diabolum pugnaturus: qui dicuntur *quinque*, pro eo quod quinque sensuum voluntas est per pœnitentiam restringenda. Hæc Interpres.

Lapides sunt pœnitentiæ symbolum.

Lapides quinque Dauid in Goliath, quinq. corporis sensus.

S. Petri nostri vigilantia, ob quam petra oculata nuncupandus.

2 Fuit secundò vigilans S. Petrus noster, habens super lapidem suum vnicum septem oculos, iuxtà textum Zacch. cap. 3. *Super lapidem vnũ septem oculi sunt*, quod supra explicatum est cum Doctore nostro de pœnitentia Fratris Heliæ. Sed circa rem Petri nostri aliam modo interpretationem ex eodem Doctore adducimus, vbi ait, Super lapidem vnum septem circuli sunt, *idest in Viro constanti septiformis gratia Dei*. Oculata Petri nostri petra ratione constantiæ in Dei gratia, & vigilantia in certamine aduersus vitia, habetur in cap. Gen. 32. vbi dicitur. *Iacob transiuit vadum Iaboth, traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, remansit solus, & ecce Vir luctabatur cum eo vsque mane, qui dixit ad eum, dimitte me, iam ascendit Aurora*. In viua Martyris nostri petra statuam, ac simulacrum Iacob cerno, ibi à *benedictæ* Interpretis nostri *linguæ* scalpro ita fabrefactum, atque erectum, vt solari diademate caput eius coronetur, habens secum Auroræ, & Lunæ stemmata. Rescribamus totam sculpturam ex citato serm. Dom. 5. post Pascha. Iacob, ait, supplantator. Iaboth torrens pulueris, qui significat tẽporales delectationes, quæ transeunt, vt torrens, steriles sunt, & excœcant oculos, sicut puluis. Hunc torrentem pœnitens cum omnibus bonis, Deoque, qui dedit sibi, transire debet, & solus remanere. *Ille solus remanet, qui nihil sibi, sed totum Deo attribuit. Propriam voluntatem Diuinæ voluntati subijcit, illatæ iniuriæ non meminit, sperni se spernit*. Si ita solus remanserit, cum Domino luctabitur, & luctare poterit, & impetrare ab eo, quod voluerit, & audire merebitur. *Dimitte me, iam ascendit Aurora*. Quasi dicat, non amplius est opus luctamine, finit enim miseria, incipit gloria. Vnde de anima iusti dicitur Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit quasi Aurora, pulchra, vt Luna, electa, vt Sol*.

In eius petra simulachrũ Iacob, seu statua erurgit solari diademate coronata.

Luna dicta quasi lucentium vna, anima iusti, cum ab huius miseriæ incolatu ascendit, beatitudinem ingreditur, in qua est pulchra vt Luna, quia sacrarum animarum lumini in beatitudine quasi vna ex ipsis associatur. *Et est electa, vt Sol, quia totus splendore Trinitatis illuminatur*.

Aurora, Luna, & Sol in Petri nostri statua.

3 Fuit tertiò orationi addictus S. Petrus noster, & in ea constanti prudentia, firma vigilantia assiduus, suæ apostolicæ professionis, ac perfectionis, quam ex voto Deo, Deiparæ, B. Francisco, & Sanctis omnibus promiserat, numquam immemor. Inquit enim Apost. 1. Thessal. *Sine intermissione orantes*. Vbi, vt alias explicatum, distinguit Interpres noster triplex orationis genus, scilicet *Orationis mentalis*, quæ penetrat alis humilitatis Cælum, Eccles. 35. *Orationis vocalis*, quæ Dei conspectum intrat, Psalm. 87. & *Orationis manualis*, cuius assiduitas bona opera amplectitur, & de hac loquitur Apostolus citatus. *Ille dicitur sine intermissione orare, qui non cessat benefacere*, exponit Interpres noster ibidem.

Eius assidua oratio in bene operãdo.

Vbi Petrus noster ad martyrii certamen cum aliis quatuor sociis peruenit, ei dictum fuit à Diabolo per os Ministrorum Regis Miramolini, qui ad Maumeticam sectam eum, & cæteros commilitones trahere optabant. *Dic vt lapides isti panes fiant*, Matth. 4. *Idest*, explicat Doctor noster serm. 2. Dom. 1. Quadrag. cit. *Fac vt durities pœnitentiæ conuertatur in mollitiem, & suauitatem consolationis, quæ per panes in proposito designatur*. Isti sunt illi panes, de quo Prou. 20. *Suauis homini panis mendacij*; eo quod non satiat, & tandem hominem ducit ad pœnam. *Panem desiderabilem non comedi*, Daniel 4. hic est panis carnalis, & mundanæ conuersationis, de quo Prouerb. 23. *Non desideres de cibis eius, in quibus est panis mendacij*.

Ladides pœnitentiæ in panes molitiei cõmutari Diabolus optat.

At Petrus noster constans in sua Seraphica prudentia, firmus in sua Franciscana vigilantia, immobilis in omni orationis genere, ne breui cuncta perderet, si con-

si consensum præberet, vt lapides eiusmodi eiusmodi in eo panes fierent, sacrũ caput ab ipso Rege abscindendum obtulit. Hoc enim modo *Petra eius pretiosissimo sanguine respersa*, & Ecclesiæ triumphantis structuræ apposita, eam geminam charitatem in se expressit, vt nomine personæ, & cognomine gratiæ multa cum gloria responderet, quæ in Cœlis minimè euacuatur, sicuti Spes, & Fides, sed perficitur. *Omnia prætereunt, præter amare Deum*, inquit Fortunatus aliàs citatus ex nostro Doctore Dominica in Quinquages. *Quia Charitas numquam excidit*. De Sancto Petro nostro egimus per synopsim in 2. tomi primi Hierarchiæ nostræ facie, cum aliis eius sociis, & Martyribus, inter quos ipse meruit ab ipso Sancto Patre Francisco in suum socium assumi. Vide Martyrol. die Ianuar. 16. & quotquot citat Scriptores ibidem, & vide etiam infra cap. 8. lib. 6.

Finis Secundi Tractatus.

SANCTE FRANCISCE ACCELERA;
ET ALIAS LEGEM PRÆPARA.

TRA-

TRACTATVS III.

Legis Sororum Pauperum oretenus, atq. incompletè Traditio. Sed Tertij Ordinis de Pœnitentia Scripto, ac completissimè Legislationis institutio.

Et tam sub lege Clarissarum Sorores,
Quam sub lege Tertiariorum Confratres,

Quos ipse Legislator vocauit, vsque ad annum 1223.

Annos XIII.

Reparationis legis Christi, & Romanæ Ecclesiæ complectentem vsq ad prioris legis finem. Quæ contigit in vigilia S. Andreæ Apostoli, in qua Secunda lex, quæ erat compendium primæ, Per Bullam Papalem confirmata fuit. Acta sunt hæc

SVB PRINCIPIBVS

Innocentio Tertio, & Honorio Tertio Romanis Pontificibus.
Ac Federico Secundo Romanorum Imperatore.

LIBER SEXTVS.

Franciscus Sororum Pauperum Ordinem anno 1212. instituens, fit secundò Legislator, quamuis nondum scripto, sed oretenus, & aliqualiter. Fitque denuò Legis Christi, & Romanæ Ecclesiæ in Fœmineo sexu per restauratam Virginitatis sobolem Apostolicus Reparator. Interim noua Prolem per Minorum legem ex se multiplicat, atque Institutum Seraphicum mirum in modum dilatat.

Textus Historiæ D. Bonau.

Cœpit ex hoc Christi Vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex se floribus suauitatis, honoris, & honestatis, vberes fructus afferre. Nam prædicationis illius feruore succensi quamplurimi vtriusque sexus in coniugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam à Dei Viro acceptam, nouis se pœnitentiæ legibus vinciebant. Nimirum sicut in Cœlum tendentibus Pœnitentiæ viam omnibus constat esse com-

X munem

munem, sic & hic status, hic Clericos, & Laicos, Virgines, Coniugatos in vtroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Conuertebantur etiam Virgines ad perpetuum cœlibatum, &c. Ita Seraphi. Hist. cap. 4 Legendæ.

IVXTA seriem Chronologiæ, à Seraphico Historiographo minimè seruatæ, vt ipse testatur in prologo, Ordo Pœnitentium, multo post Ordinem pauperum institutus fuit à B. Francisco, eique lex tradita, vt paulò inferius patebit.

Duplex vinea per allegoriam.

Caput ergo ex hoc Christi vinea, &c. Duplex Vinea allegoricè, alia generalis, & hæc est Ecclesia, siue hæbreorum, quæ vsque ad mortem Christi à Mundi creatione annis 5233. perdurauerat, siue Christianorum, quæ à Christi aduentum vsque ad hæc nostra tempora percurrit annos 1665. durabitque vsque ad totius humanæ naturæ interitum. Item alia Vinea peculiaris est, & hæc est in terris quælibet persona, ratione prædita, ac fide Christi informata. Comparatio inter vtramque ex duobus colligi potest, teste Doctore nostro in serm. fer. 6. Hebdomadæ 2. Quadrages. *In duobus autem*, ait, *consistit similitudo, scilicet in conditione status, & in prouectione, siue ductione fructus.*

1 In conditione, inquam, status, sequitur Doctor, quia sicut Vinea indiget cura multa, si debeat fructum facere, sic Homo, &c. & sicut Vinea super omnia ligna statim efficitur siluestris, si non colitur, sic Homo. Et vide, quod non sic bestia cadit à sua natura, sicut Homo Isaiæ 5. *Auferam sepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam. Non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam vepres, & spinæ.* Item Vinea non fructifera nihil valet, nisi ad comburendum, Ezech. 15. *Fily hominis fient ligna vitis ad comburendum, & ex omnibus lignis Nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum nunquam tolletur de ea, vt opus fiat, aut fabricetur de ea paxillus, vt dependeat in ea quodcumque vas. Ecce igni hoc lignum datum est in escam, vtramque partem eius consumpsit ignis.* Verè Homo, Deo non fructificans, ad nihilum aliud valet, nisi vt fiat esca ignis. *Non sic de alys bestys, quia de Serpente fit theriaca.*

Vinea peculiaris homo in duobus vineæ generali Ecclesiæ similis.

Homo inferior bestiis non fructificans Deo.

2 Item nota similitudinem ratione fructus, quia quando Vinea est benè culta, nullius arboris fructus potest ei adæquari, sic nec hominis benè culti fructibus. Hanc vineam Deus plantauit *in loco vberi*, quia in loco deliciarum. Sed inde euulsa per Dæmonem, transplantata est in Ægyptum peccati. Et quia non sterat in loco solido, transplantauit eam filius Dei in sua diuinitate, quando scilicet sibi eam vniuit.

Vbi plãtata humana vita, & quãdo trãsplãtata

Antemurale in ea est Tẽperantia.

Hanc Vineam Deus vallauit muro, & antemurali, quod est Temperantia, siue modestia. Ad ipsam namq; pertinet primos insultus reprimere, ne faciliter hanc Vineam Lupus ingrediatur Psalm. 79. *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus*, &c. Et quia interdum modestia ipsum tutari non potest, positus est immediatè post ipsam Murus Fortitudinis, qui frangi non possit. Non fortitudinis corporalis, quę habetur à bestiis, sed mẽtis, & animæ, quæ non concutitur ex aduersis, Regum 3. cap. 13. *Aedificauit murũ per circuitum.* Extruxit in ea *Torcular*, quia Iustitia debet esse semper cum humilitate, aliter acciperet fortè sibi aliquid vltra. *Torcular est Iustitia, quæ premit omnes vuas.* Vuæ sunt delectationes, quarum quædã nigræ, quia temporales; omnes autem premuntur in Torculari Iustitiæ. Vinum ex eis rubrum, idest charitatis exprimitur dulcedo, fæcibus vtique procul pulsis. De hoc Torculari Isai. 5. Torcular extorsit in ea. *Turris est Prudentia*, vulgariter enim prudentia est lux directiua, &c. Et est discretio. *Hæc est turris Libani*; quæ candidatio interpretatur Cant. 7. Quia cãdida, & clara est prudentia, & numquam marcescit. *Contra Damascum*, idest contra peccati tentationem. Damascus interpretatur propinans sanguinẽ, idest peccatum, & est peccatum, quod tentatio generat. In hac Turri Speculatrix est prouidentia, memoria, & inspectio, &c. quæ sunt partes prudentiæ. Principalis est Prouidentia.

Murus Fortitudo

Torcular Iustitia cum humilitate.

Vuæ albæ, & nigrę quę

Turris prudentia

Primi Nuncij, ad hanc Vineam missi, sunt *lex Naturæ*, quam habes scriptam in mente. Isti Nuncii numquam venient, nisi tempore debito, quia numquam, nisi postquam Homo venit ad annos discretionis, tunc incipiunt fructum petere, sed perimuntur, dum rationis iudicium per passionem aliquam delectationis, iræ, ac ambitionis excæcatur. *Secundi Nuncij* sunt Diuina præcepta, & isti sunt plures. Istos Nuncios Deus mittit, quãdo studẽdo, vel audiẽdo informaris. Sed de istis adhuc peius agitur, quam de primis.

Primi nũcii lex naturæ.

Secundi nũcii diuina præcepta

Tertio

Filii Dei missio spiritualis.

Tertio mittitur Filius Dei, dum scilicet tibi occurrit, Crucifixus pro te, ante oculos cordis tui; sed in veritate tu facis peius, quam fecerunt isti, de quibus in Euangelio. Quia saltem isti permiserunt intrare vineam, licet postmodum eiecerunt. *Sed tu nullo modo permittis, quinimmò ipsum perimis, antequam huic vineæ per inspirationem valeat propinquare*. Et ideò timendum iudicium. quod sequitur. *Malos malè perdet, & vineam suam dabit alijs cultoribus, qui facient fructum eius*. Quia tradetur peccator finaliter in manum inimici. Et si dicas, quem fructum faciet inibi Dæmon? Respondeo *quod faciet fructum iustitiæ, & vindictæ, quæ est fructus, in quo Dominus delectatur. Istis fructibus finaliter Deus pascitur, qui modo pascitur fructu misericordiæ*. Hucusque ex Doctore nostro verbatim.

Eius iustitia & vindicta quomodo fructus suaues in ipso inferno producat.

Humana vinea tempore aduentus Sãcti Francisci ob nullam penè ad virtutes culturam proxima iam erat præfato iudicio, malos malè perdet, &c. Quod iudicium in direptionem, & eradicationem totius vineæ Ecclesiæ redundabat. Ita se habebat illa huic, scilicet vinea humana vineæ Ecclesiæ, quomodo pulchrè declarat idem Interpres immediatè in alia expositione illis verbis.

Vinea humana in Christi Ecclesia S. Fran. tẽpore

Vel potest dici, *quod vinea est Ecclesia Catholica*, quam Deus singulariter plantauit. Psalm.79. *Plantasti radices eius, & impleuit terram*.

Vinea est ĩ Eccl. Catholica, cuius murus robur potentiæ,

Murus est robur, & magnitudo potẽtię. Hierem.1. *Ecce ego dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream*.

Torcular cursus mercationum.

Torcular est cursus mercationum, de quo exprimitur vinum deliciarum, & multarum commoditatum, Prou.2. *Vino torcularia redundabunt*.

Turris celebritas, & diuulgatio,

Turris est celebritas, quia est vndique diualgata, 1.Paralip.4. *Diuulgatum nomen eius in vniuersis regionibus*. Muri eius fiunt de peccatis. *Turris superbia*, & hæc est turris confusionis, vbi confusum labium Gen. 11. Ex hac superbia, qua vnusquisq, vult alteri præesse, confusa est lingua. *Vnus enim loquitur de oppressione proximi*, alius de vsuris, alius de falsis contractibus. Immò verè confusum est labium, quia vnus alium intelligere non potest. Dicant, & narrent hi, qui vadunt ad Curias, vbi causæ proponuntur. *Torcular violentia*, quæ pauperibus infertur, vbi premitur sanguis viduarum, pauperum, & pupillorum. *Torcular crudelitates, & odia*, quando fiunt indebitè super innocentes. Immò in hoc torculari calcatur miserabilis communitas, quæ exaruit, & ideò timendum est iudicium, *Malos male perdet, idest malo pœna cum tradiderit eos in manu Romanorum*.

Muri fiunt de peccatis Turris est superbia.

Vnde vineæ Eccles. Cathol cæ destructio.

Dum in manus Domini seuero iudicio incidere vinea Ecclesiæ Catholicæ debebat (cuius vuæ ab illo torculari compressæ erant, de quo Doctor noster paulò ante) missus est B.Franciscus, vt eam tripliciter, ceu triplex Legislator repararet, restauraret, & ad meliorem culturam reduceret. Ad quod alludens Bonauentura dixit. *Cæpit ex hoc Christi vinea, &c.* Reparauit primò institutione Ordinis, & Legis Fratrum Minorũ. Reparauit deindè institutione Ordinis, & Legis Dominarũ Pauperum. De hac altera reparatione per sexũ fœmineum in claustrali cęlibatu modo agendum iuxta subscribendam seriem.

Reparatio secũdæ Ec.

CAPVT PRIMVM

Francisci Discipula ad ann. 1212. quo in tradita oretenus Sororibus Pauperibus lege, incipit annus primus secũdæ reparationis legis Christi, & Ecclesiæ Romanæ per sexum fœmineum in perpetuo cœlibatu.

SECTIO PRIMA.

PANEGIRICVS I.

Vmbrica Decapolis.

Prima Euangelici Legislatoris Francisci Discipula, ac Primogenita, quæ & Mater, & Magistra Sororum Pauperum S. CLARA, VIRGO ASSISIAS ex Illustri Sciphorum Progenie.

S. CLARA ASSISIAS. Axis, cardo, polusque clarissimi totius Cœli pauperum Dominarum S. Francisci in ætate annorum 18. Tot etiam annos habebat Interpres noster Antonius de Padua natus in Vrbe Regni Portugalliæ Metropoli Vlysipponensi anno illo 1195. quo in Ciuitate Assisii orta B.Clara. Clara fuit appellata hæc mira Dei lux in Baptismate; quod nomen primum in muliebri sexu, ni fallor, extitit, primumque in Ecclesia inter Sanctas Virgines; quemadmodum hoc nomen quoq. *Franciscus* primum sonuit in Orbe, vt dictum est in principio Hierarchiæ nostræ.

Anno eodem 1195. natus D.Anton. de Padua, & D. Clara Assisias.

Apud Scriptores prophanos *Clarium Ora-*

D.Claræ nomen in Ecclesia primũ

Orachlum in Ionia fuit, iuxta *Clarum Opidum*, à quo *Clarium Apollo* dictus, Plin. lib.2.cap.103.sacræ pariter historiæ inter Diuorum fastos ante Claram nostram nulla memorant eiusdem nominis Virgines; sed tantum Viros duos, ambosque Presbyteros. Ille fuit S. Clarus Martyr in Pago Vilcassino. Hic S. Clarus, Turoni Presbyter, cuius D.Paulinus epitaphiũ scripsit. De vtroque Baronius in mense Nouembris. De priori ad diem 4. de posteriori verò ad diem 9. Huiusce rei, ac nouitatis arcana, & sacramenta in nomine Claræ nostræ eadem penè esse possunt cum illis, quæ in nominis Francisci nouitate protulimus. Vide loco cit. in Hierarchia.

Genus D. Claræ paternum, & maternum.

Traxit hæc vnica Virgo paternum genus iam in domo sua, postea in domo Virginum pauperum primogenita, ex Illustri *Sciphorum* Sobole, maternum verò ex fnimo, nunc verò vulgo fuimi, vel fortè corrupto vocabulo fiumi. Quam obdubitationem deduximus aliàs in primo tomo Hierarchiæ ex placito Vadinghi. Nã ex præclara Stirpe Fiumi Claram deduxisse natalia, scribit Cicatella. *Conuertebãtur etiam Virgines*, ait Bonauentura vbi supra, *ad perpetuum cælibatum*. Additque mox. *Inter quas Virgo Dei charissima Clara ipsarum plantula prima tamquam flos vernans, & candidus odorem dedit. Et tamquam stella præfulgida radiauit. Hæc nunc glorificata in Cælis, ab Ecclesia dignè veneratur in terris, quæ filia fuit S.P. Francisci pauperculi, & Mater Pauperum Dominarum, &c.*

Dum audis ab Historicis, ex Archiuiis Vrbis Assisiatis, Vadingo nostro transmissis, vt ipse testatur, D. Claram ab Illustri Sciphorum genere ortam esse, recordare interpretationis Doctoris nostri, qui in serm.4. de Apostolis ait super cap.Gen.42 *In ore sacci fratris minimi ponatur Sciphus argenteus, Quia* (exponit Doctor) *quanto quis humilior est, tanto ei Deus gratiam confert ampliorem*. Dum ergo Virgo Clara in insigni gentilitio domus suæ Sciphos, siue aureos, siue argenteos explicabat, quasi auspicatissimè præfigurabant, quod ex tali familia progredienda erat, præter alias personas sanctas, vna admodum præcipua, quæ quanto humilior aliis, & in ipsa sua humilitate admirabilior, atq. excelsior fuisset, tanto ampliori gratia, cuius simbola in suis Sciphis obumbrabantur, à Deo ditaretur in totius Reipublicæ Christianæ per sexum fœmineum reparationem.

Sciphus argenteus in insigne Gentilitio ex sac. scriptura apponendus

Lumen oculorum Francisci, qui erat *vnica oculorum Domini Pupilla*, Pupillam quoque B.Claram in præsenti synopsi appellabo. *In die illa erunt quinque Ciuitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan. Ciuitas Solis vocabitur vna*, Isaiæ 19. Vbi Interpres noster serm. Dom.3. in Quadr. Ægyptus interpretatur tenebræ, vel mœror, & significat corpus Hominis, quod est terra tenebrarum, & mœroris. Tenebrarum, quia caligine ignorantiæ, & malitiæ obscurata. Mœroris, quia doloris, & tristitiæ plena. In hac Terra Aegypti sunt quinque Ciuitates, idest quinque sensus corporis. Ex his quinque Ciuitatibus Ciuitas Solis vna sola vocatur. *Ciuitas Solis sunt oculi, sicut enim Sol totum mundum illuminat, sic oculi totum corpus illuminant*. In die ergo illa, *quando fortior humilitas* intrauerit, & spiritum superbiæ deiecerit, & cæcitatem mentis expulerit, tunc quinque Ciuitates in terra Aegypti, quæ prius loquebantur lingua Aegyptiaca, idest carnali concupiscentia, loquẽtur Chananæa lingua, idest comminuta, quę de diuitiis ad virtutes, de superbia ad humilitatem commutabuntur. *Et tunc apparebit in oculis humilitas, & simplicitas. Ab auribus remouebitur omnis detractio, & adulatio. In ore resonabit veritas, & benignitas. In manibus puritas, & pietas. In pedibus reperietur maturitas.*

Quinque ciuitates in terra Aegypti quinque sensus corporis

Ciuitas Solis sunt oculi

Lingua Aegyptiaca in linguam Chananæam cõmutata

Hæc eadem Solis Ciuitas relucens in corpore Francisci, non solum huiusmodi oculi respectu sui ipsius erant, verum etiã respectu totius corporis Ecclesiæ. Erat namq. humillimus Legislator ille oculus sanctus, per quem videbat Deus omnis necessitas Christianitatis, ad cuius bonũ missus erat. Nam cernens per ipsum (*Sanctus oculus est, per quem Deus videt*, ait ex Chrisostomo Doctor noster in serm.fer.4 Dom.3. Quadrag.) totius Ecclesiæ reparationem, iam tribus annis illis vsque ad annum 1212. lux illa apparuerat, ob quã in virilem sexum visa est intrare fortior humilitas in superbiæ spiritus interitum, in mentis cæcitatis expulsionẽ. Plurimorum corporei sensus ex Aegyptiacæ linguæ idiomate in idioma linguę Chananeæ commutati videbantur, dum renunciantes carnali concupiscentiæ, non amplius diuitias quærebant; sed virtutes. Superbia eorum *in humilitatem Apostolicã* transierat. In eorum *oculis* mira ædificationis spectacula præsentabant *Humilitas, & Simplicitas*. *In ore* sono perdulci audiebantur, aliorum pectora mulcentes, *Veritas, & Benignitas*. Ab *auribus* perenni aberant exilio *detractio, & adulatio*. *In manibus Puritas, & Pietas* cælica exercebant facinora. *In pedibus Maturitas*, quæ est morum optimorũ mater, gressus eos pulcherrimos efformabat, quos ipse Deus admi-

B.Franc.sanctus oculus, quo videbat Deus Eccl. reparationẽ.

Quomodo in eũ, & per eũ lingua Aegiptiaca in Chananã commutata

admiratur dicens, *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis*.

In Francisco, iam multorum Prælato oculi Domini erant, *respicientes vniuersam terram* pro suæ Ecclesiæ reparatione. Hi oculi pariter in ipso ratione indiuisibilis vnitatis erant, & vnus oculus, à quo ipsius Dei cor vulnerabatur, Cant. 4. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum*. Quod ita exponit Interpres noster in serm. Dom. 8. post Trinit. *Vnitas oculorum est concordia Prælatorum, quia sicut oculus totum corpus illuminat, ita talis vnitas totam Ecclesiam illuminare debet*. Hanc concordiam Prælatorum, quibus videt Deus Ecclesiasticam, Regularemque Rempublicam, necessariò referimus ad subditos. Propterea subdit statim textus sacer, *& in vno crine colli tui*. Vbi idem Interpres. *In crinibus, qui de capite pendent, significantur vniuersi Christo adhærentes tamquam capiti. Amoris ergo vulnere vulneratur, vt Ecclesiam diligat, cum in ea videt vnitatem Prælatorum, cum subditis concordantem*. Istam vnitatem in S. Francisco, & aliis Prælatis inferioribus, sibi subiectis (& ipse, & alii siue successores, siue minores S.R.E. pedibus subiecti) iam totus Christianus orbis tunc temporis admirabatur. Ex hac vnitate, in qua & oculi Domini, erumpebat per B. Franciscum, omnis vnitatis, & pacis Legis institutorem, & conditorem, illa lux euangelica, qua in Elisæi cubiculo, ei cum hospitio à Sunamite parato, candelabrũ accendebatur. Placet explicare breui hãc historiam, quam egregia paraphrasi mysticè illustrat Interpres noster loco nuper citato.

B. Franc. duo oculi Domini, & vnus oculus.

Vnitas Prælatorum cũ subditis est vnus oculus sponsæ Ecclesiæ.

Helisæus, ait, *qui interpretatur Dei mei salus* Christum significat, qui à Deo Patre in salutem populi missus, venit ad *Sunamitem*. Hæc est *Anima*, per Christum eius sanguine redempta. *Apud quam hospitatur*, dum ipsam iustificat. *Transit*, dum illi gratiam subtrahit, vt humilietur, quæ de se nimis sublimia sentit. *Vir Sunamitis est rationalis intellectus*, qui viribus, & sensibus sibi insitis per naturam, vel collatis per gratiam, debet animæ præesse, consulere, prouidere, *& ex ea progeniem virtutum, & bonorum operum procreare*. Cum hoc Viro accipit anima consilium dicens. *Animaduerto, quod Vir Dei Sanctus est, &c.* 4. Regum 4. *Nota, in Cœnaculo designatur vnitas. In lectulo castitas. In mensa contemplationis suauitas. In sella contemptus sui. In candelabro lumen boni exempli.*

Helisæus misticus quis.

Quis & Sunamitis item mistica

Et eius vir.

Et progenies

1 *Cœnaculum*, à communione vescentium sic dictum; vnde & Cœnobium congregatio multorum, significat fidelium vnitatem; de qua Canticorum 4. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum*, &c. vt supra.

Cœnaculum Helisæo paratum vnitatis simbolũ.

2 *In Lectulo* notatur Castitas. *Lectulus noster floridus*, Cant. 2. Lectulus consciẽtiæ debet esse floridus Liliis munditiæ.

Lectulus castitatis.

3 Item *in Mensa* designatur contemplationis suauitas, de qua Psalm. 22 *Parasti in conspectu meo mensam*. Cum mens ad illam dulcedinem degustandum eleuatur, omnis tribulationis iniuria vilipẽditur. Illa enim dulcedo ita mentem afficit, quod tolerare dolorem nescit.

Mensa contẽplationis suauitatis

4 *In Sella*, quæ à sedendo, quasi *Sedda* dicitur, sui contemptus designatur. In hac sella sedebat qui dicebat Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit*: sedebit in cõtemptu sui, solitarius à sæcularium cogitationum tumultu. Et tacebit à verbo venenato.

Sella contẽptus sui

5 *In Candelabro*, quod non *sub modio* debet abscondi, sed *super mentem* constitui, *vt iis, qui in domo sunt, luceat*. Lux boni exempli significatur. Tale hospitium (concludit Interpres noster) & ita ornatum Viri sui consilio anima debet præparare vero Heliseo, non falsis Prophetis, idest hæreticis, vel hipocritis, de quibus Dominus in Euangelio Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus, autem sunt lupi rapaces*. Hæc ille iisdem verbis.

Candelabrũ lux boni exẽpli.

In spiritale vtriusque hominis hospitio deferebat Franciscus verum, diuinũq. Helisæum, non falsum, aut mendacem, & tunc maximè inter Valdenses, siue Pauperes de Lugduno turpiter habitantem. Sed illum, inquam, Helisæum deferebat, qui ter dixerat illi de Cruce, *Vade, Francisce, repara Domum meam, quæ labitur*, illumque veluti alterum, Helisæum sibi similem *miserat Deus in Mundum, vt saluaretur Mundus per ipsum*. Lux boni exempli, in eius hospitii accensa *candelabro*, iam super montem Apostolicæ vitæ, & Euangelicæ doctrinæ posito, mirè intra seipsum clarefaciebat sui cęnaculi vnitatem. Hac vnitate proculdubio hinc sensus rationi, rationem Deo summa conscientiæ pace in vnam, singularemque subiectionem redegerat. Illinc verò exterius plures suorum discipulorum fraternè in cœnobiolo (quo erat in eis anima vna, & cor vnum, & sub vnica lege ipsi erant vnum) iam congregarat. Clarefaciebat quoq. huiuscemodi candelabri lux floridissimum eius castitatis *lectulum* suauissimæ contemplationis *mensam*, & contemptus sui, & mundi *sellam*. Hac exemplari luce, vndique diffusa, illam secum deferebat lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Intrans exinde pene-

B. Franc. veluti alter Helisæus.

A Sunamitide Ecclesia hospitatus.

penetralia domus Virginis Claræ, lux euasit inflammatiua, quia Virgo Clara talem se præbuit ei, exposuitque, qualem graphicè, ac valde propriè, licet sub cōmuni schemate, describit Interpr. noster, desumpta metaphora ex vasis vitrei similitudine, quam supra tetigimus in priori tractatu, & hic rescribere promisimus.

Luci candelabri Franc. quomodo exposita virgo Clara.

Exemplum aliud (inquit in serm Sabbati hebdomadæ 4.) *de amphora vitrea, repleta aqua, in qua consimiliter ex radiorum concursu ignis accenditur. Amphora humana conditio propter fragilitatem, lota debet esse à macula culpæ, plena non carnalitatis, sed munda, & clara, scilicet salutaris sapientiæ, & discretionis, nam si esset vacua, non valeret, sed tunc est plena aqua, quando est ibi clara inspectio propriæ fragilitatis. Tunc huic luci exposita, radios eius recipit, & ipsos aggregans, ignem accendit.*

Lumen oculorum Frāc. quare dicenda

Bis Clara sub vno nomine *Clara* nostra cum esset (sicut fert Interpres, tum quia munda, & clara, & Virgo inclita, tum quia Clara, vt humillima heroina in propriæ fragilitatis inspectione) exposuit se ipsam Diuinæ luci, quæ in Seraphico Francisci Cādelabro ardebat. Illius quoq. lucis aggregans radios, accendit in suo pectore eumdem ignem, quem detulit in terra Christus, vt totam terram vreret. *Lumine Clara nostra*, quæ in bina sua claritate vnica erat, indigebant *oculi Francisci* ad videndum, & inflammandū Virgines eo tempore prudentiores, sine quibus nō poterat ad alteram reparationis Ecclesiæ partem per sexum fęmineum, in perpetuo cœlibatu claustrali degentē sub peculiari norma viuendi, se occupare.

Plurima digna scitu mira synopsi restringit Interpres noster, super Montem Tabor Christum contemplans. 1. Reg. 10. fit mentio à Samuele, alloquentē Saulem, de Quercu Tabor illis verbis: *cum veneris ad quercum*, &c. Vbi Interpres de more suo lepidus, & acutus in serm. Dom. 2. hæc aduertit. *Quercus Tabor, & Tabor significant sanctæ vitæ excellentiam, quæ benè dicitur Quercus, Tabor, & Mons. Quercus, quia perstans, & inflexibilis per finalem perseuerantiam. Mons, quia alta, & sublimis per Dei contemplationem. Tabor, qui interpretatur lumen veniens, per boni exempli illuminationem.*

Quercus Tabor, & Tabor, & Mōs quid misticè

Post explicationem symbolicam superius allatam de Petro, & Ioanne, & Iacobo, quos secum assumpserat Iesus, incidit in commentarium de facie Christi, quæ in illo actu transfigurationis *resplenduit, vt Sol*, & hæc alia, digno cum primis connexu, subdit. *In Sole tria sunt, claritas, albedo, & calor. Et vide quam benè ista tres proprietates tribus supradictis conueniunt sensibus.*

Tria in Sole

1 *Claritas Solis* conuenit visui fidei, quæ sui luminis claritate inuisibilia conspicit, & credit.

Claritas solis cum visu fidei

2 *Albedo*, idest munditia, vel puritas olfactui discretionis, & benè. Quia sicut à re fętida claudimus, & auertimus nasū, sic à peccati immunditia debemus discretionis virtute declinare.

Albedo cū munditia, olfactus cum discretione.

3 *Calor etiam* Solis gustui conuenit contemplationis, in qua verè calor amoris est. Vnde Bernardus. *Impossibile quippè est summum bonum videri, & non amari. Ipse enim Deus amor est.* Attendite ergo, carissimi, & videte quam vtile est, & salubre tres socios assumere, & in montem luminis ascēdere. Quia ibi verè est transfiguratio de figura huius Mundi, quæ præterit, in figuram Dei, quæ permanet in sæculum sæculi, de qua dicitur. *Facies eius resplenduit sicut Sol.*

Calor cum gustu in contemplatione

Resplendeat & facies animæ nostræ (claudit totam illam egregiam periodum, quę hic verbatim exarata est) *sicut Sol, vt quod videmus fide, clarescat in opere. Et bonum, quod discernimus intus virtute discretionis, foris exequamur in actionis puritate. Et quod gustamus de Dei contemplatione, calore ferueat in proximi dilectione. Et sic facies nostra resplendebit vt Sol.*

Splendor solis misticè in facie per triplicē radiū.

Vidit Deus lucem *Claram* nostrā, *quod esset bona*, vt esset Francisci luci clarissimę *simile in adiutorium* ad aliam partem illustrationis Ecclesiæ, quæ fermè tota tenebrescebat. Id penè ab incunabulis, imò ante eius ortum demonstrauit Deus ipse, illam scilicet sic euasuram *in claritate* excellentem, *in albedine* sublimem, *in calore* mirabilem, sicut explicauimus cum Interprete nostro.

Quomodo Deus vidit in Clara nostra lucem, quod esset bona.

Viderant quoque oculi Francisci *omnem carnem* per omnem sensum corruptam, atque *in tenebris, & in vmbra mortis sedentem* respectu Muliebris sexus. Verum vt ipsam dirigeret ad lumen de lumine, Virginis Claræ lumen necessariū illi erat. Nā Claræ facies resplendens vt Sol, adhuc in paternis laribus clausa, quod claritate fidei videbat, clarebat in opere. Bonum, quod munditiæ albedine discernebat intus virtute discretionis, foris exequebatur in actionis puritate. Et quod calore gustabat de Dei contemplatione, feruebat in proximi dilectione. Quæ omnia in historia vitæ eius, antequam Francisco adiungeretur, fusè apparent. Quidquid ergo Claræ nostræ lumine ad secundam Ecclesiæ reparationem Francisci oculi inspexerant, deindè executioni mādatum est. Etenim per ipsam *Claram* iuncta sibi

Et oculi Frācisci omnem carnem in sexu vtroq. corruptam

Sol Claræ clausus adhuc in domo cum tribus radiis

Sorore

Sorore nomine *Agnete* Sororum Pauperũ Ordo sumpsit exordium, accipiens legem ab ipso institutore, vt postea dicemus.

E regione vmbra erupit, Virgo Clara sub illo Emisphærio, cui veluti *Axis* erat *Assisium*. Assisium vna Vrbs materialiter, sed in Virgine Clara clarissima Orbis terrarum Decapolis. *Decapolis*, ait Interpres noster serm. Dom. 12. post Trinit. *Ciuitas decem Vrbium, vel Regio à decas, quod est Regio, & polis, quod est Ciuitas. Ista decem Ciuitates sunt illæ decem virtutes, quas enumerat Sap. Ecclesi. 50. in laude Simonis filij Oniæ, &c.* Hasce virtutes exprimit ibi sacer Textus sub variarum rerum methaphoris, quæ decem sunt, scilicet. Stella Matutina in medio nebulæ. Luna plena in diebus suis. Sol refulgens. Arcus lucens inter nebulas gloriæ. Ros Rosarũ in diebus Vernis. Lilia in transitu aquæ. Thus redolens in diebus æstatis. Vas auri solidum. Oliua pullulans. Cypressus in altum se extollens.

In vrbe Assisio integra Decapolis per solã Virginẽ Clarã.

1 Clara extitit Clara veluti *Stella inter nebulas vanitatis mundanæ*, quas inuicta contempsit propter amorem Sponsi sui.

1. Vrbs stella nuncupatur.

2 Clara *quasi Luna plena, quæ tota nocte lucet*, omnia genera peccatorum attendens, & omnibus compatiens.

2. Luna plena

3 Clara *quasi Sol refulgens*, lucens proximo, calens Deo, ac in seipsa perfectione vitæ Seraphicæ.

3. sol refulgens.

4 Clara *quasi Arcus coruscans*, & ignea charitate in Deũ, & Cærulea compassione in proximum. Corã hominibus nebulosa, idest despecta. Coram Deo gloriosa.

4. Arcus coruscans

5 Clara *in floris Rosarum virtute*, ob compunctionis spinam, ob delectationis odorem, in temporis prosperitate gaudens etiam aduersitate.

5. Flos rosarum.

6 Clara *in virtutẽ Liliorum*, retinens in medio temporalis abundantiæ virginalem vitæ munditiam.

6. Lilia in trãsitu aquę

7 Clara in *Thuris redolentis virtute*, quia in præsenti tribulata, in futuro percepit fructum vitæ æternæ.

7. Thus redolens.

8 Clara *quasi vas auri solidum*. Vas, quia humilis, auri, quia clara, & pretiosa. Solidum, quia spes eius immortalitate plena fuit. *Ornatum omni lapide pretioso, hoc est omni genere virtutum*.

8. Vas auri solidum

9 Clara *in Oliuæ pullulantis virtute*. Oliua, quia misericors. Pullulans, quia Iustus semper videtur sibi incipiens. Pullulans dicitur quasi *pollens* cum lætitia. *Hilarem enim datorem diligit Deus.*

9. Oliuę pullulantis.

10 Clara denique *in virtutẽ Cypressi* in altum se extollentis. Cypressus dicta eo quod caput eius in rotũditate surgat. Caput est mens Viri iusti, quæ in rotunditate Diuini amoris surgit, & in altitudine contemplationis se extollit. *Beatus ille, qui in his ciuitatibus habitabit*, clausit suam, ac nostram decapolim Interpres.

10. Cipressi in altum se extollens.

Clara nostra in decem istis Ciuitatibus habitans, ipsæ eædem decem Ciuitates spiritualiter, ac mistice ipsa sola erat. Sic felix populus Assisias vnam incolens Vrbem, decem claruit, sitis in suo gremio, Vrbibus, facta totius Orbis in Virgine Clara Decapolis. Tanta claritas in Clara, & tanta per eam in eius patria claritudo, vtraq. profectò ex vmbra Vmbriæ Regionis erumpebat. Symbola, quæ moraliter in vmbra relucent, tria sũt apud Interpretem nostrum in serm. fer. 3. in passione.

Vrbs Assisias totius orbis in D. Clarã Decapolis.

1 Est vmbra rerum temporalium iucunditas propter eius instabilitatem, & apparentiam. *Vmbra enim, quæ non stat, apparet, sed non existit*.

Simbola moralia vmbræ.

2 Est Vmbra amor terrenorum, *qui quanto plus crescit sicut Vmbra, tanto plus elongatur, & abscedit à Zenith nostri capitis, scilicet à mente nostra Diuinæ gratiæ Sol.*

3 Est vmbra mundana gloria, de qua Gregorius, *Gloria huius mũdi vmbræ similis est*, quæ fugientem sequitur, & fugit sequentem. *Item vmbra nec replet, nec solidat, & ideo nulli sufficit suus honor.* Hucusq; Interpres.

Rerum temporaliũ iucunditas. Amor terrenorum. Mundana gloria erant in Vmbria intra Illustrissimam, ac ditissimam Domum Virginis Claræ. Ex triformi hac vmbra clarior exiuit *Clara*, ac lucidior cũ maxima totius Orbis terrarum admiratione. Quo splendidior effecta est, aiens cum B. Frãcisco iam illi coniuncta, *Nostra conuersatio in Cælis est*, eo vmbrosior euasit, vt ex vmbra ipsius Vmbrica Regio, vbi Clara nata, in immortalem claritatem (haud amittens Vmbriæ nomen, sed significatum nominis) transformaretur. Patet ex Interpretis nostri doctrina super illud Act. 5. *Ponebant infirmos in plateis, vt transeunte Petro, eius vmbra sanarentur.* Vbi Interpres serm in sabbato Dom. 1. Quadrag. *Vmbra procedit ex luce corporis obiectum illustrante, vel ex ipso corpore illustrato ab huiusmodi luce, quæ signat conuersationem. Petrus dicitur agnoscens se, & Deum, & discalceatus ab affectu temporalium vmbra conuersatio à luce gratiæ procedens, quæ dum tangit infirmum, sanat ipsum.* Quod & contigit in Claræ nostræ vmbra, vbi in Vmbria per eam à Francisco conuersam, & cum Francisco conuersantem incepit Dei gratia pertingere Mundum, vndequaque penè tam in virili, quam in fœmineo sexu infirmum, eius

Vmbriæ laudes ex Claræ nostræ vmbra.

Vmbra est conuersatio à luce gratię procedens.

çius sanitatis exordiens præludia.

Vmbriæ Elogium vno disthico perstrinxit Ioannes Bachotus in fastis Christian. ad 12. diem Augusti.

Vmbriæ elogium vno disthico comprehensum.

Vmbria dicebar, potero nunc Claria dici.
Sol mihi Franciscus, Claraque Luna micat.

Quod Franciscus Remundus lib. 1. Epigrammatum iam antea plenius expresserat Epigramm. 51. apud Auctorem Martyrolog. die 12. Augusti. Verum in Sole Francisco, & in Clara Luna Vmbrica Regio proprium nomen minimè perdidit, quia sub Vmbræ symbolo illud retinuit, iuxtà Doctoris nostri interpretationem nuper allatam, cui addimus illud Psalm. in Vmbriæ regionis digna laude. *Nox illuminatio mea in delicijs meis.* Quasi diceret. Vmbrica Regio Solis Francisci, & Lunæ Claræ *Nox* mistica (in qua obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, scilicet rerum temporalium iucunditatis, terrenorum amoris, & mundanæ gloriæ, necnon & cælestis conuersationis vmbra exorta) *illuminatio mea in delicijs meis veris* facta est. Vmbræ nomen non ammittens in hisce luminaribus, nominis significatum adeò in me commutatũ est, vt terrena vmbra facta sit in me vmbra cælestis.

Sed modo nouiter explicatum.

Ex culpæ vniuersalis nocte, dissipatus erat virtutum christianarum vigor, & penè extinctus in orbe orthodoxo. Occupatus decor imaginis Dei in hominibus. Concitatus horror pauoris, & formidinis cælestis vindictæ. Expulsus pudor, sine quo abyssus abyssũ inuocat. Inductus torpor, & ignorantia, & dormitio, ob quam se miserrimè vertebant peccatores à latere in latus, à peccato in peccatum. *Qui enim conscientiam habet tenebrosam, non videt diẽ, & sic in somno peccati detinetur.* Ita concludit Doctor noster, Noctis proprietates ad mores transferens serm. 3. Dom. 4. Quadr. At in meæ Regionis nocte, atque Vmbra (diceret Vmbriæ Regio) mutans Nox, & Vmbra significatum, ex ipsa incepit per Franciscum, & Claram vigoris vitiorum dissipatio. Decoris mũdani occupatio, & conculcatio. Concitatio horroris ob timorem illum, qui est omnis cęlestis sapiẽtiæ initium. Expulsio, & abiectio pudoris, & erubescentiæ, quam grauiora crimina naturaliter generant. Ac demum ignauiæ, & torporis inductio, qua vigil erga Deum, nunquam vult vigilare, sed semper insensibiliter dormire vbi *vmbra mortis* Diaboli tamquam fur, & latro eum de nocte excitare conantur.

Noctis proprietates moraliter declaratæ.

Mutatio symbolorum noctis

SECTIO SECVNDA

PANEGIRICVS II.

Ouis tonsa, totaque proficua.

Secunda Discipula, secundæ genituræ titulo præcellens admodum, B. AGNES, VIRGO Assisias Sciphi, secundo genita Francisci, ac S. Claræ Soror germana.

B. AGNES, Virgo Assisias, Clarissarumque inclita propagatrix, claritate natalium, morum splendore secundo genita, vti & B. Francisci Religione, ac professione Sorori Claræ forti nexu coniuncta. Sanguine Soror, sed spiritali generatione ipsi Sorori Claræ digna proles, ac primogenita, fęcunda & ipsa Agnes in Agnarum, Agnorumque puritate. Quod ita explico.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascẽderunt de lauacro. Vbi ita exponit Interpres noster super misticã explicationẽ Cant. 4. *Grex tonsarum est congregatio pœnitentium, qui sunt temporalibus tonsi. & tentationibus. Qui ascenderunt de virtute in virtutem, de lauacro lachrymarum, quibus super niuem dealbabuntur. Sint ergo, ò frater, dentes tui sicut grex tonsarum, idest ita reprehende te, ita pœnitentiam age sicut faciunt & illi.* In congregatione pœnitentium Virginum spiritualiter tonsa Ouis Agnes ita reprehendit se, ita pœnitentiam egit, sicut & eius Soror, data ei à Spiritu Sancto in adiutorium. Ouis alba extans, ascendensque & ipsa de virtute in virtutem, & de lauacro lachrymarum, Agna nuncupatione, candore autem Virginitatis ad nuptias Agni introducta est, & sic Virgo fœcundissima effecta. Vnde sequitur *Omnes gemellis fœtibus*, quod in hunc modum intelligit Interpres noster loco cit. statim. *Animæ sponsus Spiritus Sanctus. Dum ipsam sibi vnit, castam, & fœcundam reddit, castam mentis puritate, fœcundam boni operis prole.* Omnes gemellis fœtibus, *idest geminæ dilectionis, & actiuæ, & contemplatiuæ vitæ operibus*, & sterilis non est in eis. Hæc ille.

Grex tonsarum pro cõgregatione pœnitentiũ.

Animæ spõsus Spiritus Sanctus eam in sua virginitate fęcundans.

Castam reddidit Spiritus Sanctus Beatam Agnetem mentis, & corporis puritate Virginali, ab vtero Matris suæ seruans eam præcipuo dilectionis influxu in vtriusque puritatis integritate Agnetem in Baptismate quodam veluti futurorum præsagio appellari ordinauit. In gemina

dile-

dilectione fœcundissima, in Actiuæ, & Contemplatiuæ vitæ operibus nunquam sterilis, non solũ meruit in Ordinis pauperum Dominarum fundamine esse secũdam, verum etiam & dextrum D. Claræ brachium. Fuit hæc nobilis Virgo Soror iunior eiusdem D.Claræ. Hanc gregis tõsarum & ipsa masculino pectore inhians consortium, generoso spiritũ (vi Leonina in Lupos consanguineorum, copia rerũ, & nobilitate potentium, atque aduersus insurgentium, idipsum fecerat contra eosdem strenuissima Soror, mirabiliter armata) imitari ad pœnitentiam statuit: Sic vitæ perfectionem amplexa cum ea eodem anno 1212. *Lapis pretiosus, & Lapis mundus*, & candidus, quibus incepit moralis structura Ordinis Sororis Claræ, multiplicatus persona, & robore in Agnete, exordium habuit à tentationibus, & pressuris. Inquit enim Doctor noster ser. Dom. 1. post Epiph. sup. cap. Tobiæ 3. *In lapide pretioso patientia notatur, quæ est murus animæ, muniens, & defendens eam ab omni perturbatione. In lapide mundo, & candido significatur castitas, & humilitas, quibus debent animi cogitationes, & affectiones mentis purgari, & muniri. Et tunc per corporis sensus Alleluia, idest laus Dei cantabitur.*

Fuit B. Agnes D.Claræ sororis suæ brachiũ dextrum.

Patientia, castitas, humilitas lapidibus pretiosis comparatæ.

Cilicio ad carnem semper vtebatur Agnes, pane, & aqua quasi continuè reficiebatur. Mitis erga omnes. In oratione feruida, patiens in aduersis. Cęterarumque virtutum specimen extitit præclarum. Salomon ædificauit Templum ex tribus, scilicet marmore, cedro, & auro, 3. Reg. 3. Vbi loquens Interpres noster in Mariæ Virginis exemplo de aliis Virginibus (inter quas Clarissæ nostræ maximè, quæ cæteras Ecclesiæ Sanctimoniales supergredi in pluribus meritò gloriãtur, potissimum verò in humilitatis, ac paupertatis virtutibus, Virginem Deiparam student imitari, Agnum eius filium, *quocumque ierit* sequentes) hæc scribit in serm. Dom. 5. post Trinit. *In marmore Beatæ Mariæ Virginitas. In cedro, quæ serpentes odore suo fugat, Humilitas. In auro eius paupertas designatur. Marmor Virginitatis vestitur, & conseruatur, & ornatur cedro humilitatis. Quia superba virgo non est virgo, & ideo B. Maria quasi virginitatis oblita, humilitatem prætendit dicens.* Ecce Ancilla Domini. *Et ita Cedrus humiliatur. Decoratur auro paupertatis, solet enim ex diuitiarum adipe procedere iniquitas superbiæ.*

Austeritas B. Agnetis in operibus pœnitentiæ.

Tria im Virgine, quorũ principalius Humilitas.

Munda caro Virginis Agnetis velut solidus marmor in pudoris proposito, quidquid sub austeritatis pœnitentiæ magno amplectebatur animo, totũ insignia, ac trophęa eius humilitatis, & paupertatis explicabãt. Quare plurimũ eam existimans S.P.Franc. misit Florentiã an. 1221 vt extructo sibi Monasterio, Abbatissæ officio fungeretur. Ad alias quoq. Vrbes Clarissarum Ordinis plantandi, ac propagandi gratia ablegata est. Sic cum esset Agnes nomine, & re, erat & re pariter & ouis. *Oues* (inquit Doctor noster serm. fer. 4. hebdom. 1. Quadragesimæ) *signant opera misericordiæ, quia cibant carne, potant lacte, induunt lana, & breuiter secundum se tota vtilis est ouis.* Assisium reuersa Agnes nostra ouis piæ Sororis Sãctæ Claræ morienti adfuit anno 1253. & paucis interiectis diebus, scilicet 97. ipsa B. Agnes sanctissimè obiit eodem anno ætatis suæ 56. Eius sacrum corpus primò sepelitur apud S.Damianum, deindè translatum ad nouum Monasterium intra Vrbem Assisiensem, iuxta Ecclesiam S. Georgii, vbi quamplurimis signis, & miraculis cælitus exornatur. Auctor Martyrolog. die Nouembris 16. Vide etiam Vading. tom. 1 Annal. & innumeros alios apud ipsum Martyrol.

B. Agnes erat ouis, quia tota vtilis in propag. ord.

Possumus etiam quotquot adhæserunt Virgini Claræ filiæ, viuente S. P. Francisco, eiusdem Patris, & Magistri discipulas nuncupare. Inter plurimas iuxtà temporis seriem hæ B. Moniales extant apud Vadingum, apud quem etiam, & apud Martyrologium nostrum, earũ præcipua, & egregia gesta potest lector perquirere.

Discipulæ ad annum 1213. sub numero octo, pro quibus

PANEGIRICVS III.

Octenarius beatificans.

Numerum octenarium ad iustorum resurrectionem refert Interpres noster cum D.Augustino. Sub eodem quoq. numero Euãgelicæ Beatitudines à Christo Domino reductæ. In hisce ergo octo Virginibus, ac Discipulis Legislator Franciscus Virgo, & Magister tam eam resurrectionem, quam has pariter Beatitudines meditabatur. Igitur.

III. DISCIPVLA.

B. PACIFICA Virgo Assisias inter primas à Sorore D.Claræ Discipulas illuxit, iam S.Virginis consanguinea, & in sæculo vicina ex domo contigua summè familiaris. Comitata est B. Hortulanam D.Claræ Matrem ad loca Sancta Hierusalem ad delubrum S.Michaelis Archangeli in-

Comes fuit B. Hortulanę ad loca sancta Palestinæ.

in Monte Gargano, & ad limina Apostolorum. Deindè cum esset mediæ ætatis, ad Claræ exemplum se clausuræ commisit, vbi sanctè obiit nonagenaria, sicut sanctissimè vixit, & ob eius sanctitatem multum à D. Clara existimata.

IV. DISCIPVLA.

Hæc neptis extitit Sanctæ Claræ, ac B. Balbinæ soror.

B. AMATA Virgo, ac D. Claræ neptis secuta est B. Pacificam. Erat Domini Martini de Corano filia, & B. Balbinæ, de qua infra, germana Soror, ac plurima virtute insignis, notæ virtutis, & sanctitatis post Claram obiit.

V. DISCIPVLA.

Socia fuit, ac valde familiaris D. Claræ in sæculo.

B. CHRISTINA Virgo, filia Domini Bernardi de Suppo Assisiate, socia, ac familiaris fuit B. Claræ in sæculo, in iisdemque sæpius cohabitabant ædibus. Secretorum colloquiorum S. Claræ cum Beato Francisco hæc conscia erat, & Dei Sponsam occultè ad Franciscum euntem comitabatur. Eam secuta est ad Sponsi thalamum, & sacrum asylum, in quo 45. annis commorata, dies suos sanctè finiuit plena bonis operibus.

VI. DISCIPVLA.

Hæc valdè studuit à tenera ætate D. Clarã imitari.

B. AGNES Virgo, filia D. Opportuli Bernardi Assisiatis, viri illustris. Sanctè decessit, apposita ad suas consocias in æde S. Georgii. Hæc tenerula Monasteriũ S. Damiani ingressa, mundum ignorans ob columbinam simplicitatem chara fuit S. Claræ Abbatissæ, & inter primas illius consocias cõnumerata. Superuixit aliquot annos post D. Claræ obitũ, cuius maximo spiritus ardore perfectissima extitit imitatrix. Agit de hac Heroina Martyrolog. die 3. Martii.

VII. DISCIPVLA.

In hoc nomine prima fuit ista virgo

B. FRANCISCA Virgo, ob S. Francisci affectum ita nuncupata, & sicut Franciscus nomine masculino in toto Orbe primus, ita ipsa muliebri nomine. D. Capitanei de Colle medio filia extitit. Iacet apud S. Damianum, ibidem sepultæ quoque huius temporis Moniales.

VIII. DISCIPVLA.

Magnã familiaritatẽ habuit hæc virgo cum D. Clara.

B. ANGELVCCIA Virgo, D. Claræ familiaris, ac spectatissimæ virtutis Heroina, quæ nomine diminuta, perfectione verò aucta, Angelorum consortium meruit apud Magistram suam, quæ Dei erat, & Angelorum deliciæ.

IX. DISCIPVLA.

B. BENVENVTA Virgo, Dominæ Diambræ Assisiatis filia, 26. annis cum Clara conuersata, eiusque virtutes adamussim imitata, plena meritis, obdormiuit in Domino.

Huius nulla mentio apud Martyrol.

X. DISCIPVLA.

B. BENVENVTA, altera Virgo de Perusia in continua Regulari obseruantia perseuerauit, propterea que à D. Clara, quam perstrenuè imitabatur, valdè dilecta; obiit non sine sanctitatis opinione. Vide Vading. cit. ad ann. 1213. num. 9. ex processu Canonizationis S. Claræ.

A Perusia Assisium venit mense Septembri

Discipulæ duæ ad annum 1214.
Pro quibus

PANEGIRICVS IV.

Binus pes, animæ colossum sustinens.

Anima duos habet pedes, quibus sustentatur, Spem scilicet, & Timorem, quorum virtute huius Mundi diues est priuatus. Docet Interpres Dom. 24. post Trinit. Dualitas ergo in duobus huius anni Virginibus vtrumq. pedem ad sustinentiam, ac consistentiam illius spiritalis colossi, sine quo omnis anima cum mole virtutũ corruit, ac sub vitiorum pondere præmitur.

XI. DISCIPVLA.

B. BALBINA Virgo, alia à S. Claræ Nepte, de qua anno sequenti, magnæ virtutis, & perfectionis Discipula. Obiit ante S. Claram in Monasterio Hispellensi, quod ipsa fundauerat.

Hæc Monasterium Hispellense fundauit.

XII. DISCIPVLA.

B. BENEDICTA Virgo, quæ post Claram prima electa est Abbatissa S. Damiani. Pollens mirabili prudentia, & monastica obseruantia sancto fine quieuit sanctitate, & miraculis clara. Sepulta est in Ecclesia S. Gregorii, vbi magna in veneratione habetur.

Succedens D. Claræ in officio, hinc nomine, ac re Benedicta.

Disci-

Discipulæ quatuor ad annum 1215. Pro quibus

PANEGIRICVS V.

Talpa, quadriformiter oculata.

Animalia, quæ viuunt de solis elementis.

Quatuor animalia de elementis tãtum viuunt, teste Solino apud Interpretem nostrum Dom. 22. post Trinit. *Allecs*, qui est paruus piscis, viuit de sola vnda, & denotat humilem pœnitentem, qui ex sola vnda lachrymarum viuit. *Chamaleon* viuit de solo aere. *Salamandra* de solo igne, & in vtrisque designatur vir contemplatiuus, tum quia solo aere, idest dulcedine contemplationis viuit, tum quia solo igne charitatis nutritur. In *Talpa* intelligit Interpres vitum despectum, & solitarium, qui de sola terra viuit, qui seipsum terram, & peccatorem agnoscit. *In huius exilij cœcitate terra tantum est contentus, quia non aliorum carnem comedit, idest peccatores non damnat, & indicat, sed peccata sua in amaritudine animæ suæ tantum considerat, omnem cupiens esse cum Apostolo Philipp. 1. in visceribus Iesu Christi*. In his visceribus Iesu Christi hanc Talpam, quadriformiter oculatam facit idem Interpres ibidem paulò superius ob charitatem, quæ ait in quatuor maximè consistit. In cordis compunctione. Gloriæ contemplatione. Proximi dilectione. Propriæ vilitatis recordatione. *Hæc ipse ibi*. Quadriformitas ista in vna Talpa quaternitati numerali dum respondet in quatuor huius anni Virginibus, quamlibet ipsarum, & omnes simul ceu talpam beatè vixisse cœcas simul, & oculatas supponit.

Talpa mysticè quid denotet.

XIII. DISCIPVLA.

Aretiũ missa est, vt ibi monasteriũ extrueret

B.BALBINA Virgo, neptis S. Claræ, filia Domini Martini de Carano, ac soror germana B.Amatæ Virginis, sanctissimè vixit. Obiit Assisii plena dierum, bonorumque fructuum, atque miraculis illustris, nonnullis transactis mẽsibus post D.Claræ obitum, cuius iter ad præmium quemadmodum ad virginitatis stadium secuta est.

XIV. DISCIPVLA.

Anno 4. post D. Claram Clarissa effecta est.

B.PHILIPPA Asisias, Virgo, & socia S.Claræ Virginis, adhuc in sæculo degentis, Leonardi Ghislerii filia extitit, sanctè vixit, sanctèque obiit apud S.Damianum.

Tom.I.

XV. DISCIPVLA.

B.CECILIA Virgo, Gualterii *Cacciaquerra*, quod est latinè expulsrix belli, Hispellensis, vixit annis 39. sub disciplina S Claræ magna cum laude, & pietatis admiratione. Tumulata est cum aliis plerisque sanctis Mulieribus in Ecclesia Sancti Georgii, vbi etiam requiescit. Floruit circa tempus D.Claræ paulò post. Nam Sorores Clarissę ex loco S.Damiani ad nouum S. Georgii intra Asisium Monasterium conuolantes, Fratres Minores Conuentum S. Damiani ex tunc inhabitarunt, estque secundus Prouinciæ Sancti Francisci. Vide Martyrologium die Iunii quarta.

Expulsit hęc Virgo carnis, mundi, ac dæmonis bellum

XVI. DISCIPVLA.

B.LVCIA, Romana Virgo, in tenella ætate Sãcto huic Virginum Collegio adscripta, cuius mors præciosa fuit ex transactæ vitæ sanctitate. Sic nomine, ac moribus lucida excelluit monastica perfectione, nominisque interpretationi patrię suæ respondit. Romanus enim interpretatur excelsus, vt aliàs ex Interprete nostro adnotatum est.

Moribus, & virtutibus lucida, & excelsa fuit hæc Virgo.

Aliæ duæ Discipulæ ad annos seqq. sub incerto tempore.

PANEGIRICVS VI.

Lilia in transitu aquæ.

XIX. DISCIPVLA,

Ac prædictarum Sororum Claræ, & Agnetis inclita, ac felix Parens.

Genus perillustre Beatæ Hortulanæ

B.HORTVLANA, Vidua Asisias, Sãctimonialis Clarissa, Sanctarumq. trium Virginum Claræ, Agnetis, & Beatricis dignissima Parens, inclitaq. Virago. Vidua illustris ac sanctissima, quæ Viro suo nobilissimo *Fauoronio Sciphi* vti par pari nupta, nobilibus & ipsa illustrata natalibus; & ex genere fortè, quod vulgò nuncupant Asisienses *Fiumi*, vt supra tetigimus. Sed Vadingus ex Cimarella *Fuimi* scribit, quæ vox eadem est primis literis vocalibus in ea transpositis. Apposuimus hic hanc beatissimam mulierem, de qua in priori Hierarchiæ nostræ tomo; quæq. suscepit filias Claram, & Beatricem, sanctam progeniem (de Beatrice statim immedia-

Stirps Fuimi.

mediatè) etsi ignoremus tempus obitus Viri sui, post quem primogenita Claræ sumens ordinis velum, professa est Regulam, & institutum; & post eam secundò genita *Beatrix*, vt ferunt nostrates, & cum eis Vadingus tom. 1. & 2. apud Arturum locis infra citandis.

B. Hortulana nostræ, illustrissimæ, pulchrę nimis, ac diuitis, ac simul in ipso maritali statu pœnitenti, dictum puto illud à S. Iob 39. loquente de onagro, quod est pœnitentiæ in contemptum Mundi simulachrum. *Circumspice montes pascua tua, qua sunt*, ait Interpres noster in Dom. 5. post Trinit. *alta contemplationes, interna refectiones: Quas cum circumspicit* (subdit text.) *dolore, & planctu se afficit, & virentia quæq. perquirit. Idest* (sequitur Interpres) *despectis transitoriis in æternum mansura desiderat. Arentia quippè sunt omnia, quæ temporaliter condita, venturo fine à iucūditate præsentis vitæ quasi æstiuo Sole siccantur. Virentia autem vocata, quæ nulla temporalitate siccantur*. Hæc ille ex commentario D. Gregorii. Felix Hortulana, cuius nomen degenerans rei in hortu rerum temporaliū, & illi valdè conforme in horto spiritualium, inter ipsa falsè virentia, quæ vt iam arentia eius voluntas contempsit, verè virentia quæsiuit, & maximè vbi pascuæ suæ montes, Sion, Oliueti, & Caluariæ ad loca Terræ Sanctæ appulsa circumspexit, vt paulò post dicemus.

Onager est pœnitentis simulacrum.

Cuncta temporaliter virentia, arentia sunt

Fauoronius, & *Hortulana*, Christiano Connubii fœdere iuncti, nomina inter tales, ac tantos, & adeò felices consortes vacua minimè extitere. *Fauoronius* à *fauore* sumpserat nuncupationem. *Fauor* idem est, ac beneficium, munus, xenium, seu donum; & vt proprius, ac rectius loquamur, cum fauor à faueo, quod est alicui benecupio deriuetur, erit proindè alicui bene cupiētis voluntas, studium, vox, &c. Fauores in *Fauoronio* alii à natura, alii à fortuna, alii à gratia Diuina. Omnium tamen largitor Deus, omnis naturæ, fortunæ, & gratiæ auctor, & opifex. Ex omnibus huiuscemodi fauorum generibus exigit summus Fautor gratitudinem. Qui enim ingratus est Deo, destruit per culpā Dei gratiam, & dum fauoribus, aut naturæ, aut fortunæ abutitur, beneficia in veneficia conuertit, veluti si non ex Deo ea essent, sed ex Diabolo.

Fauoronii, patris S. Claræ nomen expenditur

Deus exactor gratitudinis.

Hinc Interpres noster loquens de præfata exigentia in serm. fer. 3. Dominin. 4. Quadrages. in principio, ita scribit. *Secundum quod ait Bernardus in Epistola ad Haymericum Cancellarium, oportet beneficium, vt verè sit, esse gratuitum. Danti itaque rependi quicquam gratia ab accipiente nō potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit; spiritui namque grauem contumeliam facit, qui beneficia mentis grata mente non suscipit. Et hinc est, quod frequentius Dominus ad recognitionem Diuinorum beneficiorū nos hortatur, quandoque verbis, quandoque exemplis*.

Verum beneficiū debet esse gratuitū

Deficiente in eo, qui gratis accepit, ac fauoribus locuples factus est, hac gratitudine per ingratitudinis scelus, ita tractat Dei beneficia, ac si essent beneficia Diaboli, quia ipsa in maleficia commutat. Idcircò idem Interpres noster intelligens in persona Timothei viri scelestissimi, de quo 1. Machab. 5. Dæmonis naturam circa sua beneficia, hæc subdit in serm. Dom. 17. post Trinitatem. *Timotheus interpretatur beneficus, & significat Diabolum, qui suis delectationibus beneficia, quæ sunt veneficia, præstare videtur*.

Ingrati Dei beneficia in Diaboli beneficia commutant.

In clarissima *Fauoronii* nostri Domo, vbi sanctitas vxoris, ac filiarum scholam, Academiamque gratitudinis erexerat, virtutum, & morum, fauorumque tum terrestrium, tum cælestium studium nunquam abiit in segnitiem, quia nunquam caruit ea re, cuius defectū tangit D. Ambrosius in fer. 3. Hebdomadæ 1. Quadrag. apud Doctorem nostrum. *Studia virtutū*, ait, *sine gratia torpescunt*. Vide apud eumdem Doctorem nostrum loco cit. immediatè D. Bernardum, superius exscriptum in titulo vltimo cap. 23. Regulæ S. Francisci.

In domo Fauoronii, & Hortulanæ schola gratitudinis erat.

Cultura *Fauoronii*, Deo suo gratissimi in Hortulanæ vxoris suæ lectissimæ horto talia cælestium fauorum in Ecclesiæ horto reddidit germina, qualia arbor genealogica carnalis stirpis suæ idcircò antea meruerat, quia aliæ arbori spirituali nobiliori ligamine iuncta erat. Habeo ambas has arbores ex locupletissimo agricolæ nostri Antonii de Padua Pomario, in quo prædicationis Apostolicæ semen fertilem admodum, vernantemque reddidit Ecclesiæ Catholicæ campum. Legimus Matthæi cap. 7. duas arbores, inter sese multum aduersas, alteram illis verbis Christi. *Omnis arbor bona bonos fructus facit*. Alteram vbi mox subditur. *Mala arbor facit fructus malos*. In priori arbore, quæ bona arbor dicitur, intelligit moraliter Interpres noster bonam volūtatem, quam sub arboris forma graphicè sic describit in serm Dom. 8. post Trinitatem. *In arbore*, ait, *sunt ista quinque*, Radix, Truncus, Rami, Folia, Fructus. *Radix* appellatur, eo quod quibusdam fixa neruis, ac fibris in profundo demergitur. Nam Physici dicunt, parem esse extensionem radicum, & arborum. *Fructus* est ślaterae

Quam ferax Fauoronii cultura spiritalis in B. Hortulanæ horto

Quinque in arbore naturali, & carnali.

arboris

arboris in sistens radicibus. *Rami* sunt, qui de trunco arboris manant, in quibus folia, tengentia fructus sunt. Quibus ita constitutis, statim Interpres aliam arborem misticam, ac spiritualem ita præsentat.

Arbor bona est bona voluntas, cui, vt consistat bona, quinque sunt necessaria.

Atque etiã in arbore morali, quæ est bona voluntas.

1 Radix *Humilitatis*, quæ quanta est in profundo cordis, tanta est in altitudine operis. Vera humilitas quanto profundius infigitur, tanto magis inclinatur, & sic altius exaltabitur.

2 Truncus *Obedientiæ*.

3 Rami *Charitatis*.

4 Folia Sanctæ *Prædicationis*.

5 Fructus, idest dulcedo sanctæ *Contemplationis*. Et inferius

Bona ergo arbor illa, quæ talem habebit radicem. Quia à radice fructus arboris pullulant.

Hactenus de arbore bonæ voluntatis, arbori naturali, ac geneologicæ, quantũ ad numerum partium, & ad fructus bonos, quos de se facit, correspondente. Quæ autem subdit Interpres de mala arbore, tam naturali, quam genealogica, quam morali hæc sunt.

Melancholici vnde dicti.

Malus, mala, malum dicitur à nigro felle, quod Græci *Melan*. Vnde & melancholici dicti sunt homines, qui conuersationem humanam refugiunt, quibus abũdat nigrum fel. *Mala arbor est mala voluntas. Cuius radix cupiditas. Fructus obstinatio. Rami peruersa opera. Folia verba ventosa. Fructus mors æterna.* Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, &c. Vide Interpretem ibidem immediatè. Remota bonæ voluntatis arbor ab arbore genealogica cuiusque generis, remanet necessariò cũ arbore malæ voluntatis, contra quam vbi Dei vindicta vltionem sumit, etsi casus in illius interitum differatur, non tamen aufertur ab ea præfata sententia Saluatoris quoad malorum fructuum productionem, quia comminuta cælitus, præcurret quidem posteros eius eradicatio. *Mala arbor facit fructus malos*. Vide Doctorem nostrum in serm. Dom. infra Oct. Natiuitatis, quam superius in synopsi de B. Simone à Collazzono adduximus. Fructus malæ arboris genealogicæ (quæ arbori morali malæ voluntatis in parentibus iuncta, fit mala) sunt illi, quos Doctor noster adducit in Dom. 9. post Trinit. super illud Lucæ 16. *Filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua*. Quod per quatuor filiorum genera exponit Interpres, ita dicens. *Prudentia est in humanis rebus, sapientia in Diuinis. Prudentiæ partes sunt, scientia rerum ciuilium, militarium, & nauticarum. Item prudentia est rerum bonarum, & malarum virtus, & scientia, cuius partes sunt, memoria, intelligentia, & prouidentia. Scientia in generationibus constat.* Filii ergo huius sæculi prudentiores sunt in generatione sua, scilicet *carnali, filijs lucis*. Lux dicta, sequitur, eo quod diluat tenebras. *Filij huius sæculi* temporalia sequentes, *filijs lucis*, ipsa contemnentibus, qui luce vitæ suæ peccatorum tenebras diluerunt, *prudentiores in generatione sua*. De qua Prou. 30. *Generatio, quæ Patri suo maledicit, & quæ non benedicit matri suæ, &c.* In qua authoritate, subdit Interpres, nota quatuor generationes hominum.

Arbor mala est mala voluntas.

Cõminatio in parentes respicit etiã posteritates.

Discrimen inter prudẽtiam, & sapientiam.

Qui filii sæculi, & qui lucis.

Quatuor generationes hominum

1 *Generatio*, quæ Patri suo maledicit, *sunt peruersi Prælati Ecclesiæ*, & Sacerdotes, qui Deo Patri, cuius nomen per eos blasphematur, vitæ immunditia, officii negligentia maledicunt; & Matri suæ Ecclesiæ non benedicunt, immo eius fidem, quam verbo prędicare, & exemplo debent, malis operibus destruunt.

1. Peruersi Prælati

2 *Generatio*, quæ munda sibi esse videtur, *sunt Religiosi falsi, & ficti hipocritæ*, similes sepulchris dealbatis. De quibus D. Bernardus, *Si possent exterius sine nota viuere, salua sibi omnia arbitrarentur*.

2. sunt Religiosi falsi

3 *Generatio*, cuius excelsi sunt oculi, *sunt superbi*, qui extenso collo, nutibus oculorum vadunt, sed in altũ se erigunt, contra quos dicitur Psal. 130. *Domine nõ est exaltatum cor nostrum, &c.*

3. sunt superbi

4 *Generatio*, quæ pro dentibus gladiũ habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus, &c. *sunt auari, & vsurarij*, quorum dentes arma, & sagittæ, qui pauperes deuorant, & substantiam aliorũ sibi acquirunt. *Omnes isti sunt filij huius sæculi, qui filios lucis stultos reputant, se autem prudentes, quorum prudentia mors est*. Hæc Interpres.

4. sunt auari

Haud ista prudentia, quadriformiter cum quadriformi prole sua vilescens, erat in generatione, seu stirpe *Sciphi* in Dominis *Fauoronio, & Hortulana*. Sed sapientia illa erat, ob quam cælestia hi perillustres coniuges sapientes, arborem bonæ voluntatis arbori illi carnali coniunxerunt, quæ claritate sanguinis, disciplina militari pro Reipublicæ bono, rerum copia, antiquitate sobolis inter Vrbis Assisii familias patritias optima erat, & conspicua quoque, cum terna prole muliebri tres lucis soboles effudit, vt in domo Dei triformi generatione perenniter sobolesceret eorum genus egregissimum. Inter has lucis filias ipsamet, quæ diei, ac Dei

Arbor genealogica Fauoroni cum B. Hortulana merito bonorum fructuũ locuplex.

luci

luci eas genuerat parens Hortulana, quæ lõgè ante tã claras filias filia lucis extiterat, & lucis filia regulari professione esse statuit. Omnes simul in vna familia cõtra quatuor præfatas generationes, vndequaque obscurissimas radijs virtutum dimicantes exortæ sunt. Mater ex genere *Fiumi*, filiæ tres Beatæ, cum quibus & ipsa Beata, ex genere *Sciphorum*, vndè & alii filij lucis in ordine S. Francisci prodiere, vt B. *Syluester*. B.B. Ruffinus, & Angela sanctimonialis, quæ D. Claræ adhæsit. Hi tres in tertio consanguinitatis gradu tribus Beatis Hortulanę filiabus transuersali linea propatrueles sunt. Cum verò B. Hortulana parente in quarto affinitatis gradu reperiuntur. Vide in Genealogia nostra, quam desumpsimus ex Vadingo ad 1. tom. Hierarchię fol. 40. Prælatæ duæ, Clara & Agnes, in quarũ prima Prelatorũ malorũ confundebatur cũ rubore maximo noctiuaga generatio. Incũctis postea, scilicet in Parente *Hortulana*, & in aliis sex vera Religiositas sanctitatis Christi insignia in Hypocrisis destructionem explicabat. Superbia omnis dissipata, & extincta ab egregia humilitate cernebatur. Turpis Dæmon Auaritiæ, quæ sine liberalitate Religiosa paupertatis destruit libertatem, quam diffusio rerum temporalium in pauperes fundauerat, penitùs longè exulabat.

Ex stirpe Fiumi B. Hortulana ex Sciphi verò sex lucis fructus.

Illorum generatio contra quatuor generationes filiorum prudentium huius sæculi

De B. Hortulana præcipuè ex breui Historia D. Antonini agit Martyrol. Franciscanum die Ianuarii 3. dum ille cap. 6. B. Virginis Claræ vitæ exordium aggreditur, & sic scribit. Mater eius *Hortulana* dicta est, fructiferam in Horto Ecclesiæ plãtulam paritura, fructibus bonis & ipsa non mediocriter abundabit. Nam quamuis maritali subiecta iugo, tamen diuinis obsequijs insistebat, & pietatis operibus: Vnde ex deuotione *Sepulchrum Domini in Terra Sancta* visitauit, Ad Apostolorum limina Petri, & Pauli, necnon B. Michaelis Archangeli causa orationis accessit. Cùm autem prægnans esset ipsius sanctæ futuræ, & ante Crucifixi imaginem in Ecclesia pro salubri partus expeditione deuotius exoraret, audiuit vocem dicentem sibi. *Ne paueas Mulier, quia quodam lumen salua parturies, quod ipsum mundum clarius illustrabit.* Quo edocta oraculo natam in Baptismo Claram nominari voluit. Hanc historiam communitèr afferunt Nostrates, quos adducit Martyrol. citatum ibidem. Itaque B. *Hortulana*, illustribus orta natalibus Beatarum Claræ, atquè Agnetis, & Beatricis mater pientissima, vitæ sanctitate, siuè coniugata viro suo, siuè soluta à lege viri sui celebris extitit. Enim verò post conuersionem filiarũ Claræ, & Agnetis derelinquens Mundum, sanctimonialis effecta est, & consimilis filiabus adeò extitit perfecta, vt per ipsam in vita, & post mortem signa, & miracula Christus operari dignatus sit. Vide Martyrol. loco citato. Cucurrit ad Religionem post ipsam, suo mirabili ac miro exemplo edocta, & tertiagenita Beatrix Virgo, vt idem Martyrol. habet die Ianuar. 25. vbi agit de ea, de qua & nos paulò infra statim,

Breuis de B. Hortulana enarratio

Claruit in vita, & post mortem miraculis.

Hortulana ergò fæcundissimus Christi Hortus fuit tam in castitate maritali, quã viduali puritate, tam in sæculo, quam in Ordine, & sub Lege Seraphica filiarum suarum Claræ, & Agnetis. Ipsa in domo sua cum Viro suo *Pauoronio* sibi, & Christo Hortulana & Hortus, Lilia in transitu aquæ germinauit, & coluit in omni statu, & sic vsque ad mortem & Hortulana extitit & Hortus, semper fæcunda meritis, semper integram castimoniam mente, & corpore in suorum etiam Liliorum cultũ iuxta suum posse, ac professione conseruauit. Vnde est illud Eccles. 50. *Sicut Lilia in transitu aquæ*; cuius expositio apud Doctorem nostrum, alibi datũ ex Dom. 7. post Trinit. est huiusmodi. In lilijs mentis, & corporis munditia significatur, de quibus cant. 6. *Descendit dilectus meus in hortum suum, vt colligat lilia, &c. Hortus dictus eo quod semper ibi aliquid oriatur. Nam cum alia terra semel in anno aliquid creet, Hortus nunquam sine fructu est. Hortus est anima iusti, quæ continuè fructificat, & nunquam sine fructu est. Ad hunc dilectus descendit, cum Dei filius ipsi gratiam infundit, in cuius interiori, & exteriori munditia requiescit. Hæc lilia sunt in transitu aquæ, idest labentis sæculi, Vir iustus in medio temporalis abundantiæ retinet munditiam vitæ, &c.* Ex hac sententia Hortunalæ nostrę symbolum desumptum est.

Lilia in trãsitu aquæ germinauit, & coluit.

Hortus vnde sit dictus

Hęc sententia symbolo Hortulanæ fauet.

PANEGIRICVS VII

Candelabrum aureum, lucernis septem totidemq; infusorijs circumdatum.

Vigesima Discipula.

B. BEATRIX, Assisias, *Sciphi*, Virgo clarissa, ac tertiagenita *B. Hortulanæ*, in cuius horto dupliciter exorta, scilicet sæculo, & Christo, tripliciter itidem Beatrix, siuè Beata dicenda est, scilicet Nomine, Merito, & Cultu. Hęc Christi sponsi amore incensa, sæculi diuitias, ac mundanas vanitates, quam libentèr contempsit, Post

Tripliciter beata dicenda hæc sanctissima Beatrix.

Exemplo matris fit clarissa.

Post B. Parentem Hortulanam sororum vitam profiteri, & imitari mirando spiritu elegit in Monasterio S. Damiani. Quò vitam duxit in oratione, ieiunio, & abstinentia, sicquè sanctissimè obiit in Domino. De ea Martyrologium nostrum die Ianuar. 25.

In vna Beatrice nostra, Beatrice, & Beata, septem reperio beatitudines sub septẽ lucernarum, & septẽ infusoriorum lumini, de quibus Zacch. 3. Ibi enim exstat oraculum propheticum de *Candelabro aureo*, super cuius caput *lampas*, cuiusque methaphoram alibi explanauimus cum Interprete nostro ex Dom 23. post Trinitat. loquente cõ de *Anima, aurea dicta, in quantum ad imaginem, & similitudinem Dei facta, & lampas nuncupata propter gratia infusionem, qua illuminatur*. Remanent modo septem lucernæ, & septem infusoria, super quibus hæc statim subdit Interpres ibidem. *Septem lucernæ sunt septem beatitudines, septem infusoria sunt septem verba Christi prolata in Cruce, quæ omnia ad inuicem concordemus.*

Anima nostra candelabrum aureũ, sup. cuius caput lampas.

Septem lucernæ cum sept. beatid. & verbis Christi in Cruce.

1. *B. Pauperes spiritu*, &c. *Pater ignosce illis*, &c. Qui paupertate spiritu ducitur, verè cum Iesu Christo pro persequentibus se potest orare, dicendo. Pater ignosce illis, &c. Qui spiritu est humilis in se delinquenti ignoscit, preces fundit. E cõtrario superbus, &c.

Prima beatitudo cum verbis Christi in cruce Pater ignosce illis.

2. *Beati mites*, &c. *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris*, &c. Ille mitis est, qui nec afficit, nec afficitur oppobriis Non scandalizat, nec scandalizatur. Qui cum *bono Latrone*, immò Confessore audire merebitur, hodie mecum eris in Paradiso, quæ est terra viuentium, quam possidet Mitis.

Secunda cũ illis Amen dico tibi.

3. *Beati qui lugent*. *Mulier ecce filius tuus.* Qui pro peccatis suis, vel proximi, vel miseria huius exilii, vel dilatatione Regni luget, à Domino consolatur, qui Matrem suam de passione sua lugentem consolatus est, dicens, Mulier ecce filius tuus.

Tertia cum illis Mulier ecce filius tuus.

4. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt Iustitiam HeliHeli Lamazabathani* &c. Qui esuriem, & sitim habet iustitiæ, reddet vnicuique, quod iustum, & suum est, scilicet Deo, & proximo dilectionem, sibi ipsi pro commissis afflictionem. Hæc triplex iustitia in illis tribus verbis notatur *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* idest quare me tantæ pænæ exposuisti? Dicit filius ad Patrem. De his tribus verbis Abacuc 2. *Iustus ex fide sua viuit.* Iustus dictus, quia iura custodit. Iustus refertur ad se, ex fide ad Deum. Viuit ad proximum. Qui iustus est in se ipso iura custodiens, seipsum iudicans, & condemnans, ex fide viuit in amore proximi. *Qui verò non diligit* (vt dicitur 1. Ioan. 3.) *manet in morte.*

Quarta cum illis Deus Deus meus.

5. *Beati misericordes*, &c. *Sitio*. Qui misericors est, Deus erit misericors in illo. Hoc immisericordes Iudæi non fecerunt, qui Christo sitienti in Cruce, non calicem aquæ frigidæ, sed acetum, felle mixtum obtulerunt. *Qui cum gustasset noluit bibere*, quia amaritudinem, idest culpã pænæ gustauit nostræ, sed culpam non sibi incorporauit. Hoc itidem faciunt falsi Christiani peiores Iudæis, ideò misericordiam non inueniunt in tempore tribulationis.

Quinta cum illis Sitio.

6. *Beati mundo corde*. *Consumatum est.* Qui munditiam habere vult cordis, vt Deum videat, necesse est, vt omni peccato finem imponat, vt dicat cum Iesu *Consumatum est*. Sed iniquitates Amorrhæorum nondũ consummatæ sunt. Ideò dicitur Isai. 10. *Consummationem, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

Sexta cum illis Consũmatum est.

7. *Beati pacifici*. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Qui pacem habet peccatoris, verè meretur vocari filius Dei Patris. Cui cum ipsius Vnigenito dicit in hora suæ mortis. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Quia à pace peccatoris, ad pacem transit æternitatis. Vndè Isaiæ 55. promittit dicens. *In lætitia egredimini*, scilicet à corporibus. *Et in pace deducemini montes, & colles*, idest maiores, & minores Angelicæ potestates cantabũt coram vobis laudes; *Et omnia ligna regionis*, idest omnes Sanctorum animæ, quæ sunt in Cœlesti beatitudine. *Hæ sũt septem lucernæ, & septem infusoria, quibus illuminatur candelabrum, & signatur imagine Regis denarius, idest Anima.*

Septima cũ illis Pater in manus tuas, &c.

Anima, adde, quatuor Illustrissimarum Dominarum Pauperum, ex eadem Domo prodeuntium, & sub eadem professione Cruci confixarũ cũ Christo, & sanctissimè viuentium, ac decendentium. Anima siquidem Dominæ *Claræ* nobilis Viri *Fauorony Sciphi* in carnali generatione, sed in spirituali *primogenitæ Francisci*, Dominæ *Agnetis*, Claræ sororis, & post ipsam natæ sæculi, & Deo. *Dominæ Hortulanæ* illarum matris felicissimæ, & *Dominæ Beatricis* septies beatæ, ac septies in septem verbis Christi in Cruce cum Christo sponso suo crucifixæ. Hæc Beatrix nomine, sed beata in assidua virtutum Euangelicarũ cultura, antequam cultu, ac veneratione Beata. Beata in paupertate spiritus, quia sic pauperrima in Franciscanæ paupertatis scola. Beata in mansuetudine animi sui, quia mitissima. Beata in lacrymarum profusione, quia in illis frequentissima.

Epilogus omnis beatis Euangelicæ in vna Beatricæ.

Bea-

Beata in ardenti fame, & siti iustitiæ, quia in omnibus iustissima, Beata in misericordia, quia Virgo pientissima. Beata in cordis munditia, quia mente, & corpore mundissima; Hisq. septiformiter in septẽ verbis à Christo in Cruce prolatis Beata, ac propterea cãdelabri aurei cum septem lucernis, ac totidem infusorijs similitudinem iure merito præseferens.

CAPVT SECVNDVM

Franciscus ad præfatum Christi an. 1212. & à sua conuersione 6. post fundatum sororum Pauperum Ordinem, Ordini ac legi Minorum alios acquirit Discipulos, atq; imitatores.

Textus Historiæ D. Bonau.

Franc. vera Christi magnes, viros mũdanos ad se potentissimè trahens.

MVlti etiam deuotione compuncti, & perfectionis Christi desiderio inflammati, omnium mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur. Qui quotidianis succrescentes profectibus, vsque ad finem Orbis terræ celeriter peruenerunt. Faciebat namq; S. Paupertas, quam solam ferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, &c. vt supra vsq: ad illud Eccles. 29 *pro magno ipsi minimum complacebãt*: Deindè hæc alia statim.

Paupertas Minorica ipsos Paganos afficit admiratione, & mansuetudine.

Sanè cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus prouenissent, contigit, vt quidam Sarracenus pietate commotus pecuniam eis offerret pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere, admiratus est homo, cernens quod inopes essent. Intellecto tandem, quod pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant, tanta est ei affectione coniunctus, vt offerret se administrandum omnia necessaria, quandiù aliquid facultatum sibi superesset. *O' inæstimabilis preciositas paupertatis, cuius miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis est immutata dulcedinem. Horrendum est proindè, ac nefarium scelus, vt hanc Margaritam nobilem Vir Christianus conculcet, quam tata veneratione extulit Sarracenus* cap. 4. vitæ S. Francisci post allocutionẽ de D. Clara filia in Christo S.P. Francisci pauperculi, & Matre pauperum Dominatum, atque de tertio ordine pænitentium.

Paupertatis Minorum Eucomion.

Aqua frigida animæ sitienti, nuncius bonus de terra longinqua. Prou, 15. super quem textum egregia est Doctoris nostri interpretatio serm. 2. de Euangelistis, inquit enim. *Hoc propriè conuenit Euangelistis, Nam Euangelista bonus nuncius intrepretatur. Aquæ ergo dicuntur Euangelistæ.* Probat Interpres quinque rationibus, quarum postrema. *Quintò aqua plantas irrigat ad fructificationem, Sic Euangelistæ totam Ecclesiam per doctrinam suam fructificare fecerunt. Vndè significantur per quatuor flumina Paradisi. Gen. 2.* Et post pauca circa animam, aquam Euangelistarum sitientem, ità pulchrè. Sitis est appetitus frigidi, & humidi, & dulcium. Euangelistæ ergò apti fuerunt ad sitim animi extinguendam, *Quia fuerunt frigidi absque calore luxuriæ. Humidi sine ariditate auaritiæ. Dulces sine amaritudine, & austeritate superbiæ. Talis esse debet, qui vult esse potabilis Domino &c.* Et talis fuit Franciscus, & vt Euangelicus preco, & vt Legislator Apostolicus, siuè Fratrum Minorum, siuè Sororum Pauperum, vt clarè patet. Vbi autem explicat Interpres alteram particulam thematis. Nuncius bonus de terra sitienti. Subdit statim.

Euangelista bonus Nuncius interpretatur.

Sitis est circà frigida, humida, & dulcia:

Nuncius bonus est, quando velox est, fidelis, verax, læta, & vtilia nuncians; sic Euangelistæ veloces fuerunt, qui ad primam vocationem secuti sunt Dominum, *vt Matthæus, qui etiam primus scripsit; fuerunt fideles, quia non sibi attribuunt, sed Domino totum.* Bernardus. fidelis es Minister, si de multa gloria Domini tui, transeunte per te, non exeunte à te, nihil manibus tuis adhęrere contingerit. *Læta, & vtilia renunciauerunt, quia opus Redemptionis nostræ. Item veraces* Ioann. vlt. *Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scimus, quia verum est testimonium eius*, Bonus optimusque Dei nuncius, nouus Apostolus, & Euangelista Franciscus extitit. Ipse namquè è thelonio, siuè exercitio mercaturæ vocatus à Christo, eum statim secutus est, relictis omnibus facultatibus, & sanctũ Euangelium incredibili celeritate in omnem terram disseminauit. Item verax Nuncius effectus est Euangelicæ veritatis, qua doctus supernaturaliter, primus fuit, qui legẽ scripserit Ordini Minorum, ab ipso fundati. Primus etiam Ordinis sororum pauperum conditor, & Legislator fuit. Fuitque lex, vtrique ordini lata, tota Euangelica in vitæ Apostolorum renouationem, ac propterea per eam læta collabenti Ecclesiæ nunciata fuere, quia opus Christianæ legis restauratio-

Tria in bono nuncio requiruntur, fuerunt in quatuor Euangelistis.

D. Franciscus bonus, atq; Euangelicus Nuncius

rationis, ob quam Christi Redemptio, quæ deerant passioni illius adimplere, statuit Dominarum verò pauperum lex à principio Ordinis præfati anni 1212 ore data fuit, & in parte. Deindè anno 1224. post compendiatam legem Fratrũ Minorum, scripta, ac completa, eam tradidit, vt dicemus suo loco in cap. 3. libri sequentis. Quãobrẽ ad alios socios S Francisci transeundum, de quibus suppresso nomine D. Bonauent. cap. 4. vitæ, & legẽdæ illis verbis, multi etiam deuotione compuncti, alibi rescriptis.

PANEGIRICVS XXII.

Tonitruum, in fulmen erumpens.

Vigesimus octauus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. Zacharias Romanus, & verè beatus, & felix, dum arcana, quæ fert in nomine, tum appellatiuo, tum patriæ, vnde eius peculiarissimum hieroglificum depromsimus, cuncta ferme suæ felicitatis arcana mirè compræhendunt. Quæ quidem arcana eò feliciora erumpunt, quò ex felicissima *Arca Testamenti* ingenii Interpretis nostri aurea *benedicta sua lingua clauis* nunc reserabit.

In gratiam appellatiui nominis huius incliti Minoritæ quadrat profectò illud Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zacharia filium in deserto.* Eius ex Doctore nostro interpretatio in serm. Dom. 4. Aduentus hæc est. *Ioannes Prælatum, vel Prædicatorem S. Ecclesia significat, qui debet esse filius Zachariæ, qui interpretatur Memoria Domini. Vt semper habeat in memoria, quasi in quodam memoriali passionem Domini.* Vnde Isaiæ 26. Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animę. Anima mea desiderabit in nocte, sed est spiritus meus in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te. *In nocte*, scilicet aduersitatis ipsum desiderare, & in *mane* prosperitatis ad ipsum vigilare debemus; *Eiusque passionis memoriale retinere.*

Ioannes pro prælato, ac prædicatore

Zachariæ nominis interpretatio

Memoriale passionis Christi

Si Prædicator (subdit Interpres) vel Prælatus fuerit *filius Zacharia*, dicens cum Propheta: *Memor fui Dei, & delectatus sum*, scilicet in amaritudine passionis, vt dicat cum Sponsa illud Cant. 1. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi:* Fiet super eũ Verbum Domini. Verbum vitæ, & pacis. Verbum gratiæ, & veritatis. Verbũ, quod dicit Isaiæ 1. *Filius Amos super Iudam, & Hierusalem*, idest super animam confitentem, & pacificè commorantem. *O verbum non verberans, sed cor inebrians. O verbum dulce, confortans peccatorem, & beata spei. O verbum aqua frigida anima sitienti, nuncius bonus, bona nuncians de terra longinqua.* Hic sibilus sequitur auræ tenuis, idest inspiratio Dei omnipotentis, de qua Iob 30. *Vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* O quã bonus, & beatus, & verè dignus appellatione, super quem est factum verbũ istud. Fiat Domine, obsecro, verbum tuum in pace, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait Psalm. 118. Hæc Interpres.

Quod verbũ fit super prę latũ, & prędicatorem.

Verbi diuini prærogatiuę.

Igitur ex ipsa Doct. nostri paraphrasi viuissimè, atque egregiè se prodit *Zachariæ nostri*, omnis probitatis viri imago. Extans ipse nomine, & significatione Zaccharias, & munere prædicationis, & Prælationis in missione à Seraphico Parente ad Iberos, extans *Ioannes*, super eum Domini verbum factum legimus; Verbum pacis, & veritatis; & ipsum bonum nuncium, bona nunciantem de terra lõginqua, ab extrema scilicet Italia, ad extremam Hispaniã, vbi pauper, inops, pedes, & mendicans commigrauit. Habemus ista ex synopsi historiali vitæ eius, in qua hæc pauca in re præsenti afferimus.

Quomodo B. Zaccharias Ioannes quoq. nuncupandus

Ex S. P. Francisci mandato, atque ex reliqui Capituli generalis Assisii anno 1216. (hic annus Religionis B. Zacchariæ quartus erat) Sancti Patres Fr. Zaccharias, atque Frater Gualterus cum pluribus aliis Fratribus ad Hispaniam plantandæ Seraphicæ Religionis gratia destinati sunt. Eorum aliqui eadem prorsus de causa in Portugalliam concesserunt. Ibi opera, & interuentu *Reginæ Vrracæ* à consorte suo Rege Alphonso II. (in huius memorabilis Principis Aula Martinus de Bogliones, Vir valdè illustris, sed Parens illustrior in Antonii de Padua, Doctoris mei vitæ, & consolationis animæ meæ, generatione, militiæ Regni præfecturam agebat) perhumaniter excepti, loca ædificationi Conuentuum accommoda protinus retulerunt. Lege S. Antoninum 3. p. hist. tit. 24. cap. 7. & alios Scriptores, quos citat Auctor Martyrol. die Ian. 20.

Anno 1216. missus B. Zacch. & alii in Hispaniam.

Allii concesserunt in Portugalliã

Non sine maxima ratione B. Franciscus hos præfatos Fratres (inter quos *Zaccharias* noster, & Zacchariæ nominis significatum, & Ioannis filii Zacchariæ munus, & probitatem morum deferebat) ablegauit in Hispaniam pro conuertendis hæreticis, Aragoniam infestantibus. Siquidẽ Petrus Aragoniæ Rex cum esset tunc maximus hæreticorum Albigensium fautor, bellum eorum postea gerens cum Raymundo Tholosano Comite, occisus est in

Omnes missi contra hære sim Albigensium.

Petrus de Aragona fautor Albigensium occisus

in prælio per D.Simonem Comitem Mōtis fortis, virum strenuissimum circa ann. Christi 1214. vel secundum alios 1216. Cuius rei meminit idẽ S.Antoninus loco cit.tit.19.cap.3.§.1. Vbi asserit in specie *internecionem Regis S.Dominicum iam prædixisse.* Erat insuper Zaccharias noster natione Romanus. Diximus iã aliàs (præcipuè vbi de Aduentu Francisci in Vrbẽ Romã ad caput primum libri 3.) interpretationem huius vocis Romani ex Doctore nostro, *Romani, ait, excelsa tonitrua interpretantur.* Excelsus, & tonitruum conueniunt non solum quantum ad altitudinem loci, sed quantum ad alia etiam. Excelsa adhuc Roma, quia Antesignana Fidei. Tonans, quia auctoritate, & prædicatione fulmina, & coruscationes verbi diuini emittens, hostes nominis Christi terret, conuertens animas per suos Viros Apostolicos ad Christum.

Romani quo modo interpretentur

Factum est verbum Domini super Ioannẽ filium Zaccharia, iam de Zaccharia nostro interpretati sumus cum Doctore nostro. Sed locum, vbi hoc Domini verbum factũ nondum explicauimus. Audiuimus (subdit idem Doctor) super quem fit verbũ Domini. Indè mox interrogat, *Sed in quo loco? In deserto,* inquit. *Vbi desertum, ibi verbum. Desertum, de quo Psalm.* 118. In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparuit tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Nota hic, subdit, tres virtutes, quæ sanctificant homines, & ad contemplandum Deum mentem illuminant.

Cur verbum Domini factum in deserto.

Terra, inuia, & inaquosa pro tribus virtutibus.

1 *In terra deserta* designatur Paupertas.

2 *In inuia* Castitas.

3 *In inaquosa* Abstinentia.

Terra ergo est corpus, Mens humilis viri Iusti, quæ est quasi hortus voluptatis coram Deo, ter dicit, O Deus Deus meus. *In terra* corporis, vel mentis meæ, *deserta* paupertate, *inuia* castitate: inuia, idest sine via illa, de quo Ecclesiastici 11. *Mulier fornicaria, quasi stetens in via.* Et Isai. 51. *Posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. In inaquosa,* idest sicca, cibi, & potus abstinentia. *Sic in sancto,* idest sancta conuersatione, *apparuit tibi,* vt tu *qui sedes super Cherubim,* appareas mihi. Vnde addidit, *vt viderem virtutem tuam,* idest cōtemplari possem ibi viam tuam, *& gloriam tuam,* idest Iesum Christum filium tuum, vt inquit Apostol. Corinth. Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Et gloria Patris* vt dicit Salomon, *est filius sapiens.* Hæc via est virtutem, & gloriam Dei cōtemplandi, qui per hanc non incedit, cæcus est, & quasi manu palpans parietem. Hucusque Interpres noster.

Sanctus pro sancta conuersatione

Erat Zaccharias noster in memoria Domini sui, vt verus Discipulus, & imitator S.P.Francisci, die, noctuque assiduus. Erat simul in Dei gratia, & munditia vitę & prælaturæ super alios, & munere prædicationis *Ioannes,* cuius vox in deserto, & super quem *factum verbum Domini* in deserto, nimirum cum Doctore nostro, *in terra deserta* suæ Apostolicæ paupertatis. *In inuia* suæ Angelicæ castitatis, & *inaquosa* suæ peregrinæ abstinentiæ. Memorabilis profectò in hisce virtutibus Zaccharias erat nuncupatione nominis *Romanus;* sed significatione, & in facto, excelsus, & tonans, & coruscans, & fulminans. Excelsus quoad meritorum apicem. Tonans, coruscans, & fulminans quoad prædicationis munus. Et quia Vir totus Apostolicus erat, eiusque prædicationis Apostolicæ sonus in omnem terram Hispaniæ exierat, cum tonitrui sono, & tubæ quoque, & campanæ verbũ Dei in ipso sonitum efformabat. Tria sunt (ait Interpres noster in serm. 2. de Apostolis super illud Psalm. 118. *In omnem terram exiuit sonus eorum*) quorũ sonus procul auditur. *Tonitruum, tuba, & campana.* Quia ergo vox Apostolorum, & Euangelistarum talis fuit, meritò in omnem terram exiuit sonus eorum. *Tonitruum ergo fuit eorum prædicatio quantum ad malos. Tuba quoad bonos. Campana quoad vtrosq.* Hinc inter cunctos magnæ perfectionis, & sanctitatis Fratres, à Francisco in Hispaniã missos, Antesignanus princepsque præcipuus constituitur à D. Antonino loco citato B.Zaccharias veluti omnibus eminentia virtutum excelsior, omnibus efficacior, ac vehementior, verbi Dei promulgator. Ponamus verba D.Antonini, & omnia breui de vita, & morte B. Zaccharię concludamus.

B. Zacharia prærogatiuę

Erat Zacch Romanus, idest excelsus, & tonãs, & coruscãs, & fulminãs.

Tria sunt, quorum sonus procul auditur.

Tunc etiam, ait, misit Franciscus in Hispaniam Fratres multos, vt iuxta datũ sibi à Deo mandatum (cum ibi fuerit) loca ibi ad habitandum caperent, & hæreticos, qui illam regionem inhabitabant, sua prædicatione confutarent. *Qui ad Regnum Portugallia cum peruenissent,* videntes eos populi habitu singularis formæ indutos, lingua extraneos, nè fortè hæretici essent, malè receperunt, & eos inter se nullatenus habitare permiserunt. *Sed Regina Portugallia deuota Domina* audita eorum fama, & aduentus *à Viro suo Alphonso* obtinuit, vt Vlixbonæ, & Vimarani duo loca construere possent, quibus locis habitãtes Fratres, à dicta Regina, vt filii à matre fouebantur.

Deuotio maxima Reginæ Vracæ erga Fratres Minores.

Inter cæteros Fratres in Hispania missos desti-

B. Zachariæ gesta, & miracula.

destinatus fuit quidam frater Zacharias Romanus; magnæ sanctitatis vir, qui deficiente pane fratribus Guardianus existens, à Domino impetrauit, Angelum Dei mitti ad eum, qui tot panes candidos, & sapidissimos ad ostium detulit, quot erant fratres. Ex altera vice cum quidam ad prædicationem eius cōpunctus, sibi confessus fuisset, inter cætera expressit, *se multum dubitare de veritate Sacramenti Eucharistiæ, & cum verbis eius persuasiuis dubitatio à mente eius auelli non posset, mandauit sibi, vt die sequenti veniret ad audiendam missam eius, & Dominus sibi prouideret, quod cum fecisset, deuotè missæ astans, vidit manifestè quod Hostia, quam tenebat in manu præfatus Zacharias post consecrationem, erat conuersa in carnem quousque voluit communionem assumere. Et tunc reuersa est in speciem Hostiæ sicut prius. Et ex hoc miraculo liberatus est a dubitatione illa. Hic frater Zacharias, ibi demum spiritum Deo reddens, miraculis effulsit.* Hæc D. Antoninus vbi supra. Vbi aduertendum, quod præter illos duos Vlyssiponæ, & Vimarani Conuentus, quos tantum memorat D. Antoninus, tertium quoquè ædificasse B. Zachariam refert Gonzaga, scilicet Alanquarij; in quo Guardianatus officio functus est. Excessitq; è vita, in memoria Domini extans vt iustus, iam ipse memoria memorialis Crucifixi Domini, iuxta doctrinam præfatam Interpretis nostri, in tota vita effectus, in cuius prognosticum Zachariæ nomen deferens exterius, & fasciculus myrrhæ inter animæ suæ vbera commorabatur interius. Quod patet ex breui synopsi Gōzagę de Cōuentu Alāquerii obloquentis in Prouincia Portugalliæ. Hoc in Conuentu, ait, præfatus B. P. Zacharias tanquam eius author, atque promotor, maxima in veneratione ab omnibus habitus est, sanctæquè vixit, & sanctissimè vitam finiuit. De cuius vita licet à Chronicorum nostrorum authore fusiùs, diligentiusquè descripta, hæc pauca in præsentiarum referre placuit. Quod videlicet vnus ex discipulis B. N. P. Francisci sibiquè charissimus fuit. *Quodquè ad quandam Crucifixi imaginem (quæ in loci huius capitulo vsque ad annum Domini Incarn. 1414. perseuerauit) plura oracula, tum sui Guardianatus exequtionem, tum propria animæ salutem concernentia retulerit. Quodquè viuens adhuc diuina virtute aliquot mirabilia operatus sit.* Ita apud Arturum cit. die Ianuar. 20. apud quem Scriptores haud pauci de B. Zacharia.

Obitus, & sepultura.

Excessit in conuentu Alanquerij ab eo constructo.

Oracula, quę ab Imagine Crucifixi accepe[rat].

PANEGIRICVS XXIII.

Caput Geleatum.

Vigesimusoctauus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. GVLIELMVS Anglus. Gulielmus latinè est, Italicè *Guglielmo*, cuius vltima dictio, scilicet, *elmo*, denotat, in latinum traducta, & in rem militarem translata illud genus armaturæ, quod cassidem, seu galeam nuncupant, estque instrumentum ferreum, ad capitis munitionem inuentum. Caput materiale in homine viuo vtrumque hominem, scilicet interiorem per animum, & exteriorē per sensus comprehendit. Spirituale autem caput denotat *mentem*, in qua velnti in capite animæ consistit interior Homo. *Caput dictum* (declarat Interpres noster in serm. Dom. 2 post Pascha) *eo quod capiet omnes sensus; Mentem significat, quæ est caput animæ.* Militis Christi, in Equum bonæ voluntatis ascendentis, de quo alias ex Interprete nostro, sunt ex eodem arma præcipua, & Apostolica, Clypeus fidei, Lorica iustitiæ, Galea salutis, Lancea charitatis. *His armis indutum militem Christi infirmitas Capharnai non occupabit, sed stare poterit aduersus insidias diaboli, & Principes tenebrarum.* Ita in serm. Dom. 22. post Trinitatem de mystico Centurione. *Elmo* igitur italicè, & latinè *Galea*, vel *Cassis* in milite Christi, maximè in viro Religioso, est spiritualitèr *Salus*. Salus autem sine fide, & charitate esse non potest. Igitur sicut caput materiale continet ferè omnia in Homine exteriori, ita Mens caput animæ spiritualiter cuncta in Homine interiori compræhendit: sic quoque Galea, quæ ad capitis munimen fabrefacta est, quasi amplectitur ea omnia, quę ad completam Hominis salutem necessaria forent.

Elmo in capite Italic. est Galea latine.

Caput cur ita dictum, & quid spiritualiter.

Galea salutis in milite Religioso supponit alias armaturas spirituales.

Ex hoc apparet, quod arma militiæ Seraphicæ in Galea (italicè Elmo) Gulielmi nostri tria genera armorum Apostolicorum præfigurabat, vbi in militia Fratrum Minorum ascriptus est. Quæ tria genera in Doctoris nostri armamentario, vbi agit de Apostolis serm. 3. reperio, ait namque cō. *Triplex fuit armatura Christi, scilicet paupertas, Humilitas, siue Vilitas, & Asperitas, ad debellandum triplicem Hostem, Mundum scilicet per Paupertatem, Diabolum per Humilitatem, & Vilitatem, Carnem per Asperitatem. Hac Christi arma portauerunt Apostoli.* Et tu adde hic etiam, & Minores Fratres quoque portauerunt, & adhuc

Triplex Christi armatura relictis Apostolis.

His armis Fratres Minores in Hostes Ecclesiæ procedunt.

portant,& portabunt vſque ad finem Sæculi. Et illi potiſſimum à principio Ordinis hæc arma portauerunt, qui Socij,& Imitatores Franciſci, Legislatoris Apoſtolici, vitæque Apoſtolorum reparatoris, ac reſtauratoris cum ipſo exititerunt ſub eadem lege, quam idem Franciſcus eis tradidit, & ipſi ad vnguem, & ad literam ſine gloſa aduerſatiua obſeruare ſtuduerunt.

Angli ab Angelis ita nuncupati.

Vnus ex illis extitit *Beatus Gulielmus* noſter natione *Anglus*, ſed Seraphica perfectione *Angelus*. Anglorum nomenclaturam per ſincopen ab Angelorum penè deriuari vocabulo, ex eo potiſſimum argumẽtatus eſt Diuus Gregorius Magnus, Anglorum Apoſtolus à Beda, Presbitero Anglicano nuncupatus, quia morum candiditate, membrorũ pulchritudine illius Inſolæ accolæ, quos ipſe ad fidem Catholicam reduxerat, quaſi Angelorum aſpectum, ceu animi decoris indicium in vultu ipſo præſeferebant. Noſter verò Gulielmus Anglus non ſola nominis deriuatione interpretatur Angelus, ſed ob vitæ perfectionem, quam profeſſus,& adeptus eſt in Ordine Fratrum Minorum; & ob quam (teſte Interprete noſtro pluribus in locis, vt alias dictum) Vir Apoſtolicus, natura Homo, fit imitatione Angelus ex omni ordine Angelorum. Hæc deriuatio de Anglorum gente non eſt certè figmẽtum, ſed potius veritas Hiſtorica. Quondam enim Inſula illa, alio modo magna Britania à Rege Britone appellata ab albis rupibus, quas mare vndique alluit, *Albion* dicebatur. Veniens poſtmodum in Saxonum, Alemaniæ Populorum poteſtate, agros eius, & opes inter eorum legatos Regina Angela diuiſit, vt linguæ pariter, & gentis memoria in deuicta Inſula ſempiterna foret, ab *Angela*, cuius ductu victa eſt, Angliam tellurem illam vocauit. Quamquam plerique Angliam veluti noſtri Orbis Angulum prædicent dictam.

Anglia Albion antiquitus vocata.

Deinde Anglia dicta ab Angela Saxonum Regnum Regina

Albion,& Anglia, nimirum alba, candida, & Angelica fuit in Gulielmo noſtro vita. Albion dicebatur antiquitus Anglia ab albis montibus, qui ad eam Nauigantibus primi apparent. *Albion* quoque interpretandus *Mons Libanus*, nam Libanus eſt latinè candidatio. Illud Lucæ 3. *Omnis Mons, & collis humiliabitur*, ita elucidatur ab Interprete noſtro in ſerm. Dom. 4. Aduentus, addita ea Iſaiæ ſententia, *Detracta vſque ad inferos ſuperbia ſua*. Nota, ait, illa duo, Mons, & Collis. *Mons ſuperbia eſt in corde, Collis ſuperbia in opere. Illa maior iſta*. Mons, & Collis Iouannis Capellæ, ſexti Diſcipuli Sancti Franciſci iam

Mons eſt ſuperbia in corde, collis in opere.

duplici caſu, morte ſcilicet corporali quâ miſera, & morte ſpirituali miſerrima, humiliatus fuit vſque ad deſperationis baratrum. Et ſuperbia eius, ob quam,& in relaxatam vitam ſe dedit, nolens ſubijcere ceruicem profeſſioni, nec Beati Franciſci obedientiæ, & humiliari per pænitentiam tenuit, *detracta fuit vſque ad inferos*. Vbi cecidit Iouannis Mons nigerrimus, abiens cum Iuda in locum ſuum; cadens aliunde ſortem ſuper B. Gulielmum noſtrum, loco eius feliciter *Mons Albion*, ſiuè *Libanus* enituit, & eminuit. vt enim alibi ſcripſimus cum Doctore noſtro, *Gloria Libani eſt caſtitas corporis, de qua gloriatur anima*. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano Eccl. 24. *qui interpretatur candidatio. Cedrus ſuo odore fugat ſerpentes*.

Gloria Libani eſt caſtitas.

In Libano igitur ideſt in corpore caſto anima exaltatur quaſi Cedrus. Quia odore ſanctæ conuerſationis fugat ſerpentes Demoniacæ ſugeſtionis, & carnalis concupiſcentiæ. Ita in ſerm. Dom. 1. Aduentus.

Omnis candor in monte Iouannis Capellæ mutatus eſt in colorem nigrum, qui eſt omnis infauſtitatis ſimulacrum. Cædrus, in eius monte à principio exaltata areſecit deinde. Vnde dolenter ſuſpirat Doctor noſter in Dom. 12 Trin. *Heu alta Cedrus Paradiſi conuerſa fuit in fauillam per ignem Diaboli*. Ex hoc ſtatim Demoniaca ſugeſtio intrauit in cor eius cum carnali concupiſcentia, vt traderet Diui Franciſci legem in direptionem. Vbi autem in illius loco inſertus dicitur Beatus Gulielmus Anglicus, vir Angelicus in totalem obliterationem illius Diaboli Iouannis de Cappella, de quo Chriſtus in perſona Iudæ Scariotis *vnus veſtrum diabolus eſt*; congruum equidem fuit, vt appareret veluti Mons Libani, & ſimul Arbor cypreſſina in eo exaltata eſſet.

In loco Iouannis Capellæ B. Gulielmus môs Libani.

Geneſis 19. dicitur, *quod duo Angeli apprahenderunt manum Loth, & adduxerunt eũ poſueruntque eum extra Ciuitatem*. Vbi Interpres noſter, alibi adductus ſic explicat in ſerm. Dom. ij. poſt Trin. *Duo Angeli ſunt Timor, & Amor Dei, qui tunc manum Loth apprahendunt, cum opera peccatoris refrenant, & educunt a turba cogitationum, & ponunt extra Vrbem malarum conſuetudinum*. Angelus Satanæ in duorum Angelorum malorum tradiditmanus Iouannem de Cappella, vbi ab eo duos illos Angelos bonos, ſcilicet Timorem, & amorem Dei expulit; & numerum illum duodenarium, tot Apoſtolicis Sacramentis conſertum, deſtruit. Sic factus imprudens, nec Deum timens, nec Homines; Deique odium factus ob amorem ſui, & rerum

Duo Angeli myſtice Timor, & amor Dei.

ſuarum

suarum concipiens in pectore, ad opera peccatoris, sui ipsius, & suæ professionis oblitus, frena relaxauit, adeo vt de Dei misericordia, eum morbo lepræ ad emẽdationem, ac pęnitudinem afficiente, diffidens, disperato interitui se tradidit. Sed ipse misericors, & miserator Dominus mittens Gulielmo nostro Anglico duos præfatos Angelos bonos, scilicet Timorem, & amorem Dei, factus est, cum esset natione Anglus, conuersatione Angelus, perfectione Apostolus, dignus sanè, vt connumeraretur cum illis vndecim Apostolicis viris, in societate B. Francisci, ad illius supplendum locum, qui ex Angelo, & Apostolo elegit fieri Apostata, ac Diabolus, *vt abiret in locum suum*.

Duo Angeli boni in B. Gulielmo An. glo, in duos malos. Ioannis Capellę

Postremum excidium in Ioanne Capella in æternum sui opprobrium, eius pertinax, & inobediens propositum ad mandata B. Francisci, quem in suum Magistrum, & superiorem ex voto delegerat, extitit. Ex opposito autẽ tota salus, & gloria in B. Gulielmo nostro in obedientiæ religiosæ virtute, veluti in quadam firmissima, perennisq. memoriæ columna suum insculpsit, erexitque tropheum. Oculi hominis interioris Ioannis Capellæ propter inobedientiam ex oculis Dei commutati sunt in oculos Dæmonis. At oculi Dei in B. Gulielmo adeo ob hanc Angelicam virtutem in eo permanserunt, vt neque post mortem eos perdiderit; nã viuus, & mortuus diuinitus oculatus expertus est. Tanta perfectione, ac sanctitate coruscauit, vita singulari, tantisque signis, quod obiens circa annum Domini 1232. nanciscensque sepulchrum Assisij iuxta corpus Sancti P. Francisci quantitate, & qualitate miraculorũ, sanctitatis famam eiusdem B. P. Francisci obscurare videretur. Cessauit tamen statim ab illis, vbi vox Generalis Ministri Fratris Heliæ, vt ab illis cessaret id ipsi mandauit; vt diximus supra tract. 1. cap. 4. vbi de sexta societate, ex Vadingo. Et testatur Diuus Antoninus cap. 9. §. 1. sup. Fuisse Ioannem Capellam oculũ Diaboli ob pertinacem inobedientiam, ob quam, nec contemplationis amplius, nec obseruantiæ regularis, imò nec confessionis, nec satisfactionis, nec infirmitatis suæ ad salutis spem, sed ad desperationem recordatus est, videri potest apud Doctorẽ nostrum in serm. Dom. 15. post Trinitatẽ. B. Gulielmus verò propter singularem modum obediendi etiam post eius extinctionem, Dei oculus & viuus, & mortuus dicendus est. Nam etsi intra tenebricosam tumuli vrnam conditus, ibi tamen mirabilior, ac prodigiosior visus est Dei oculus. Viuens vt Dei oculus (mirabili contemplationis spiritu, inclita criminũ, & fidei confessione, ac satisfactione seraphica, & vilitate illa, quæ tantò pretiosior, quantò in Apostolicæ humilitatis thesauro recondita) Arghicus vndique euasit, obediens legis suæ mandatis, eaq; perfectissimè adimplens. At moriens, & intra tumbam iacens, ibique obediens Prælato suo, Dei oculus, maiori admiratione promeritus apparuit.

Oculi Dei in Io. Capellæ in Dæmonis oculos commutauit

B. Gulielm. oculus Dei in vita, & in morte.

PANEGIRICVS XIV.

Iubar Triduanum

Vigesimus nonus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. PACIFICVS Picænus, de S. Seuerino, egregius Poëta laurea donatus ab Imperatore Federico Secundo, & propterea, teste Bonau. in cap. 4. legendæ, vbi tota enarratio per synopsim de hoc mirando viro, *Rex versuum* iam in sæculo multa sua gloria appellatus. Verum gloriosior, atque auspicaciori appellatione Pacificus eum in eius vocatione, relicto sæculi nomine, nuncupauit B Franciscus, visus antea ab eo, dum concionaretur *duobus transuersis ensibus valdè rutilantibus ad modum Crucis consignatus*; & hæc fuit occasio, vt ei protinus adhæreret.

B. Pacifici natio, patria & professio.

Suę conuersionis occasio

Vbi audis ad caput 2. Lucæ Puerum Iesum post triduum inuentum esse in Templo à Parentibus in medio Doctorum, audire quoque certè non pigebit, pulchram Interpretis nostri Glossam, dũ in ea imago B. Pacifici nostri, veluti in perlucido veritatis speculo sub expresso icone iuxta præiacti panegirici titulum semetipsam prodiet.

Et post triduum inuenerunt illum in Templo, ait Textus sacer. *Triduum*, ait Interpres, *est propria iniquitatis cognitio. Fraternæ necessitatis compassio. Diuinæ pietatis admiratio, & consideratio*. Audiens mira, atq; obstupenda doctus, ac nobilis Poëta noster de Beato Francisco, digna, ac christiana cupiditate motus, optabat eũ videre, & alloqui. Iter aggressus per Marcham Anconitanam, offendit eum, in quodam Monasterio apud Castrum Sancti Seueri concionantem. Illa eamet Dei gratia, quæ mouit hunc virum, ab eo vocatum, & electum, vt quæreret Franciscum, propriæ iniquitatis cognitionem in eius mente infudit. Fraternæ, sui ipsius necessitatis (nimirum pro animæ suæ salute) peperit compassionem. Diuinæ pietatis, quæ in Francisco vndique, & vbique iam illius Sanctitatis fama crebre-

Triduum mysticum, post quod Iesus repertus est à parentibus

Et Franc. à Pacifico, quẽ videre percupiebat.

brescente exaltabatur, admirationem, atque considerationem produxit. Post hoc triduum sollicitè quærens in Francisco Iesum, eum cum Francisco vero Dei templo inuenit. Imò & in ipso Francisco Iesum inuenit, & in templo inuenire potuit, factus iam Franciscus, qui Regis pacifici legatus pacificus erat, Dei templum. Quomodo & ipse Poeta Picænus ob istam reperitionem, vt nomine, & re esset Pacificus ac Dei repertor, Dei quoque Templũ effectus est per Franciscum, Dei Templum.

Patet ex eodem Interprete nostro, qui explicans textibus Sacræ Scripturæ illud idem triduum, statim subdit. De primo Micheæ 7. *Cum sedeo in tenebris, Deus lux mihi est.* De secundo Ezech. 1. *Erat visio discurrens in medio Animalium, splendor ignis, &c.* Splendor ignis, ait, est compassio charitatis, quæ ascendit, & illuminat, de qua egreditur fulgur miræ operationis. Hæc visio, quæ verè videre facit, debet discurrere in medio animalium, idest Christianorum. Et benè dicit discurrens, idest per diuersa currens. Veræ compassioni non sufficit prouidere necessitati corporis, nisi prouideat animæ, & è conuerso. Si quis infirmatur, si quis scandalizatur in anima, & ipse vritur. Item de 3. Eccles. ij. Dulce lumen, & delectabile est oculis, scilicet, *mentis*: videre Solem idest *considerare Diuinæ pietatis claritatem. Quicunque hoc triduum proferunt, Iesum, inueniunt, & in Templo inuenire poterunt.* Hæc Interpres, qui mox declarans totam hanc mysticam Theologiam profundè, & acutè per correspondentiam ad textum historiæ Euangelicæ, duos vultus vno corpore simul profert, alterum *Francisci*, alterum *Pacifici*. Francisci, mente pacificati à Christo, qui eum ad opus reparationis Ecclesiæ immediatè vocauerat, & elegerat. *Pacifici*, cum Deo, & cum conscientia sua pacificandi per gratiam in conuersione, ad quam Deus ipse, in idem prosequendum reparationis opus, per Franciscum inuitauerat: vt nomen deinde religiosę personæ interiori paci conformaretur. Ponamus doctrinam Interpetris: *Templum, dictum quasi tectum amplum, est mens viri iusti, quæ est tectum, quia tegit cõpassione necessitatem proximi. Amplum cognitione sui, & Dei. In tali Templo post tale triduum inuenitur Iesus. Sed quid ibi facit? Certè tria.* Sedet in medio Doctorum, audit, & interrogat. In mente viri iusti sunt Doctores, idest mentis affectus, qui docent quid cauendum. Quid agendum. In quorum medio Iesus sedet, cum mentem pacificat, in mente pacificam quiescit, quiescens, omnia suauitèr disponit. Et infrà ex Iob. 29. statim, ecce consolatio, audire, & interrogare; cum mens est inquietis silentio, tunc audit affectum cordis in ipsius aure loquentis, & post interrogat flagello piæ correctionis &c. Ita ibi,

Splendor ignis quid?

Triduum illud mysticũ ex Sacra Scriptura.

Templum amplũ mens iusti, in qua post triduum inuenitur Iesus.

Afferens postea aliam expositionem de Triduo, ait sic. *Triduum est pænitentia, quæ in tribus consistit, scilicet in Contritione, Confessione, & Satisfactione. Post hoc Triduum Ioseph, & Maria, idest pænitentes, spiritu pauperes*, & humiles *inueniunt Iesum in Templo Cælestis Hyerusalem*. Verùm Pacificus noster antequam istud triduum opere cõpleret, visionem habuit ocularem de duobus peracutis grandibusque ensibus, Beatum Franciscum concionantem consignantibus. Visis enim illis, atque admiraris, statim relictis omnibus, secutus est illum, & nomen *Pacificus*, non absque speciali Dei prouidentia à mirando viro illo, ab ipso sic viso, adeptus est.

Triduum pro pænitẽtia, quæ in tribus consistit.

Arcum, gladium, & bellum conteram, & dormire eos faciã fiducialiter Oseæ 2. Quod ita intelligit Interpres in serm. Dom. 24. post Trin. In arcu Diaboli suggestio dolosa designatur. In gladio cordis cogitatio tumultuosa. In bello sensuum delectatio lasciuiens, & vaga. *Hæc Dominus de terra tunc conterit, cum turbam tumultuantem de domo conscientiæ eijcit, qua eiecta, intrat. Intrans pacificat, & hoc est dormire, idest requiescere eos faciam fiducialitèr.* Erat Poeta noster vir aulicus, & per consequens reperiebatur facillimè in eo talis arcus, talis gladius, tale bellum. In duobus Francisci ensibus, ab eo visis, vibrabatur ille gladius, vtraque parte acutus, quem de Christi ore exire, se vidisse Ioannes Apostolus fatetur in 1. Apoc. cap. Siquidem vtraque in eo acuties duos enses mysticè præfigurabat in vna Pænitentia, per vnam Confessionem contrà duplex genus vitiorum. *Gladius est Confessio, explicat Interpres ser. Dom. 2. post Pascha, quæ debet esse ex vtraque parte acuta, vt vitia spiritualia, & carnalia valeat resecare.*

Arcus, & gladius quid mysticè.

Gladius vtraque parte acutus cõfessio.

Istam pænitentiam Sacramentalem, ex qua alia pænitentia moralis exoritur, & vtramque prædicabat Franciscus, aulico deinde nostro sub illa duorum ensiũ figura præmonstrauit Deus. Iurauerat Dominus in Osea: *Arcum, gladium, & bellum conteram*, vbi præuiderat, promiseratque aduentum Francisci in Mundum, vt suam Ecclesiam per ipsum repararet. Oraculum illud dum in peccatoribus innumeris adimplebatur per Franciscum in dies, potissimum modo quodam valdè præcipuo verificatus est in Beato Pacifico.

Cur voluit Franciscus virum hunc aulicum Pacificum appellari.

fiço. *Nam* (inquit historia Bonauent.) *illa visione stupefactus, & corde cælitus compunctus*. B. Francisco illicò *adhæsit, ac mundum relinquens, Frater Minor effectus est. Et quia à mundi strepitu ad Christi pacem erat conuersus, B. Franciscus Pacificum eum censuit appellandum*. Igitur enses illi cruciformes, *quorum vnus à capite ad pedes, alius à manu per pectus transuersaliter tendebatur*, ensem, siuè gladium tumultuosæ cogitationis, quæ ambitionis incussionibus, ac puncturis incessabilibus aulicorum præcordia feriunt in corde Poetæ nostri simul cum arcu diabolicæ suggestionis, & cum bello sensuum delectationis lasciuientis. & vagæ contererunt. Visio namque illorum ensium locum dedit Domino, vt ea præfata contereret, intrans in compuncto Pacifici corde, omnemque turbam è conscientiæ eius domo eijceret, & per suum ingressum turba expulsa, eum pacificaret. Quod videns B. Franciscus in huiuscemodi arcanis perscrutandis cælitus edoctus, vt paci conscientiæ suæ nomen quoque responderet, *Pacificum* (Iesum inuenientem, post primum triduum inuentum, & in terris mentem illius pacificantem postea in Cælis perpetuo post secundum triduum eam pacificaturum) voluit illum nuncupare.

Vna sola corona laureatus fuit à Cæsare celebris hic Poeta. Porrò vbi Pacificus à Francisco vocatus, triplici pacis serto eum laureandum iudicauit illud idem, adeo Euangelicum, Apostolicumq; nomen, quod postea in Minorum Ordine assumpsit. Huic veritati flectendus Interpres noster, qui super illa verba Christi: *Stetit Iesus in medio Discipulorum suorū, & dixit eis, Pax vobis Lucæ* 24. Ad tria enim refert istud nomen, Pax, Apostolis exhibita, iuxta triplex bellum, seù certamen spirituale, quod mortalibus communiter solet contingere: *Homines, ait, neque cum Deo, neque cum conscientiis propriis, neque cum hominibus pacem habent, sed diffidia, & inimicias. Venit Christus, &c.* Vnde fit, quod pacificatus aliquis cum Deo, cum conscientia propria, & cum hominibus, Primò vincit culpam, ob quam erat Deo inimicus. Secundò vincit amorem propriū, qui in contentiones, & iurgia totum suum esse scindebat. Tertiò vincit odium, & inuidiam, vnde cuncta bella hominum inter se se. Ob hanc triplicem victoriam ex vna Pacis dextera triplicem coronam, tripliciter & ipse nomine, & re *Pacificus* effectus, accepit, siuè in terris de triplici hoste triumphans, siuè in Cælis triumphaturus.

Pax vera triplex.

Lauream sæcularem Pacificus Poeta in triplicem Pacis coronam in ordine commutauit.

Vel dicamus melius. Dedit Franciscus Pacifici nomen Pacifico nostro, non solum quia relicta vna corona in sæculo, eaque spreta, & si à Cæsare donata, triplicem præfatam coronam pacis nacturus erat, verum etiam quia veluti vnum ex Apostolicis suis Discipulis ea Pacis nomēclatura, ad negotiū totius Ecclesiæ reparationis exemplo Christi ipsum declarabat. Pacem annunciabat Populis Franciscus in restauratione Ecclesiæ, multis bellis tam visibilibus, & materialibus, quam inuisibilibus, & spiritualibus vndique scissæ, eo modo, quo ipse annunciauerat eam Christus in eiusdem Ecclesiæ fundatione. Dedit pacem Christus Discipulis suis, & omnes sub ea Euangelica nuncupatione, de qua Matth. *Beati Pacifici*, Pacificos officio patefecit, licet nullum Pacificum nomine appellauerit. Idipsum fecit & Franciscus cum suis discipulis, qui cuncti penè pacifici extiterunt, qui cuncti *Beati Pacifici*, non nomine, sed munere. Pacificus verò noster, & nomine, & re Apostolicus. Pacificus meruit vocari, vt tantò amplius, Pacificus sibi, Ordini, & Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ proficuus euaderet. Quid est Apostolicus Pacificus? Est profectò id, per quod aliquis Pacem, sibi Apostolicè datam, eo modo, & fine aliis annunciat, quo eam Christus suis discipulis ore suo annunciarat.

Omnes Apostoli, & eius successores sunt munere, & officio Pacifici.

Ecce modus, & finis ex aureo Doctoris nostri Commentario super eadē Christi verba, nuper allata. *Stetit Iesus, &c.* Inquit enim in fer. fer. 3. post Pascha. *Quando homines neque cum Deo, &c.* vt supra. *Venit Christus, & pacem cælestem, & æternam, quam optarant Angeli tempore Natiuitatis eius, Discipulis offert; non vt sibi tantum retineant, sed alijs etiam omnibus annunciarent per Euangelij prædicationem, quam scilicet omnibus credentibus bona cælestia per Christum iam comparata annuncient, atque per Sacramenta applicent, Et pro pœnitentia, ac bonis operibus polliceantur vitam æternam.*

Annunciar Populis pacem est officium Apostolicum.

Ità se gessit B. Pacificus, dum Cælestem pacem, quam à principio suæ vocationis acceperat, non sibi retinuit, sed per Euangelii prædicationem aliis etiam annunciauit, potissimum Gallis, vbi missus à Patre Francisco ad an. 1217. primus Minister effectus est, adiensque Lutetiam Parisiorum primum Custodem Parisiensem constituit Beatum Angelum, siuè Agnellum de Pisis, de quo superiùs.

Noster Pacificus nomine, & Apostolicè Pacificus.

Insignium carminum Scriptor extitit B. Pacificus, vti Poeta, eo tempore laurea dignus. *Bonus Poeta nemo sine inflammatione animorum existere potest, & sine quodam affla-*

Quis bonus Poeta, & vnde spiritus poetandi.

aflatu quasi furoris, aiebat Cicer. 2. de orat, *O praclaram emendatricem vita Poeticam*, idem exclamat 1. Tuscul. veluti admirabundus. Inter Sacros Hæbreorum Prophetas, & Poetas, qui in eadem Poesi vitam suam præclarè emendauerunt, adnumeratur Rex Dauid, qui & *Rex versuum* inter cunctos Poetas canonicos, imò & omnium illorum, qui ingentia volumina poeticè conscripserunt. Quamuis omnes versus Dauidici in eius centum, & quinquaginta Psalmis contineantur, & quemadmodum exametri, & pentametri apud Latinos, ita se habent & illi apud Hæbreos, vt aduertit Diu. Hieronymus. Fuit Dauid non solum Propheta eximius, sed etiam Poeta venustissimus, & doctissimus, & scientiam habuit Historiæ Sacræ, Legum Diuinarum, moralis, & naturalis Philosophiæ. Que omnia in suis Psalmis mirificè apparent. Vbi autem in Poesi seù Epigrammate Psal. 95. inuitat omnem terram, ad Domino suo dulce carmen modulandum, resonandumque, nuncupat ibi Canticum nouum illud, quod ab ipsa terra, Sacræ Poesis spiritu inflammata, & cælesti afflatu in amatorium furorem redacta, eidem Domino promendum est. *Cantate Domino canticum nouum, Cantate Domino omnis terra*. Cur autem nouum tale canticum nuncupet Rex ille Prophæta, ac Poeta, rationem reddit Interpres noster in ser. Dom. 2. post Pascha. Loquitur ibi de Sacra Theologia tam respectu disciplinarum mundanarum, quam respectu aurium Dei, & animorum Christianorum, Religiosorumque. Hi per mysticam, & per moralem Theologiam, sine qua scholastica sola est veluti fides sine operibus, renouantur in dies vt Aquilæ, proficientes de virtute in virtutem, veluti si semper in Dei schola incipientes viderentur, vt alibi diximus cum eodem Interprete nostro.

Rex Dauid fuit Poeta, & Rex versuum.

Misticè Theologiæ necessitas.

Cantate Domino canticum nouũ, &c. ait Rex Propheta, ac Poeta. Cicnus verò noster, qui cantu suo mentali, altissimè ac dulcissimè resonante in ima illa recitatione Officii traxit Iesum, atque in sinum suum vinculis charitatis perenniter catenauit, addit ità in ser. Dom. 2. post Pascha. *Omnes scientia mundana, & lucratiua sunt canticum vetus, canticum Babilonis, sola Theologia est canticum nouum in aure Dei dulce resonans, & Animum innouans.*

Cur Theologia canticũ nouum?

Hac Theologica, nouaque Poesi innouatus animus Regis versuum Poetę nostri Pacifici ob ingressum in Religionem, meruit fieri tum Poeta Francisci, cuius præcordia aliquando cantu suo recreauit, tum etiam Dei, sonans quotidiè eius vox tam mentis, quam oris in auribus Dei. Vox inquam, eius dulcissima, quæ ex decore faciei interioris animę vim quandam potẽtissimã, ac diuinam recipiebat. Hinc ob talem poesim, cuius allocutio, & cantu omnis de Deo erat, ac propterea tota Theologica, virtutum varietate circundata, duas gratias singulares B. Pacificus promeruit à Deo suo, quem adeo frequẽter alliciebat. Prima gratia fuit, per quã solum ipsum dignum effecit Deus, *vt magnum signum Thau in B. Francisci fronte conspiceret. Quod colorum diuersitate distinctum, eius faciem miro venustabat ornatu.* Quæ profectò gratia peregrina extitit, & ingens, ait enim Bonauent. cit. *Hoc quippe signum vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis, quas dirigebat, literulis, manu propria subscribebat, tamquam si omne ipsius studiũ foret signare Thau iuxta dictum Propheticum super frontes virorum gementium, & dolentium, ad Iesum Christum veracitèr conuersorum.*

Poesis Religiosę Beati Pacifici meritum.

Duæ gratiæ peculiares à B. Pacifici à Deo effectæ

Secunda gratia. Inueniens B. Pacificus de mane S. Fraciscum in Ecclesia Beuanij iuxta Castrum Treuii ante altare orãtem, eumque extrà Chorum expectans, posuit se ad orandum. In ea oratione (adeò eius Theologica Poesis præclara eius vitæ emendatrix, ac perfectrix extiterat eiusque animam nouo quodam modo innouauerat) raptus in Cælum, plurimas sedes vacuas ibi inspexit. Ad se rediens, inuenit B. Franciscum ab oratione surrectum, eique vt iam in Cælo regnanti se commendauit. Cum autem iter simul cæpissent, visionis memor B. Pacificus, cæpit querere à S. Francisco, quid sibi videretur esse, quiduè de se ipso sentiret. Respondit Sanctus Pater, se inter omnes peccatores mundi peccatorem maiorem esse. Ad cuius responsum statim per oraculum diuinum eius interiorem hominem alloquens, intimatum est, vt intra se diceret. Modo anima mea credere potes visionem esse veram, quod *Humilis Franciscus sua humilitate debet in sede superbi Luciferi sedere*. Felix Poeta, professione sub huiusce nouæ Theologiæ semper noua canens siuè subditus, siuè Prælatus.

Miru s B. Pacifici raptus in Cælum.

Melius Bonau. cap. 7.

Sed Canticum nouum Theologiæ Prælatorum maximè esse debet, vt loc. cit. demonstrat Interpres, loquens de Sancta Scriptura, cuius scientia, ait, ita Prælatis necessaria est, *Sicut munditia vita, lingua eloquentia, orationis instantia, circa pauperes misericordia, circa subditos disciplina, Populi commissi cura sollicita.* Hæc septem candelabra aurea. Hæc septem Ecclesiæ Apocalipseæ Ciuitates, sed de his alibi,

Cun-

Obitus, sepulchrũ, ac miracula B. Pacifici.

Cuncta autem facinora in B. Pacifici nostri ministeriatus Gallicani prælatione penè ad miraculum extitere. Gubernans enim totam illam Prouinciam pro S. P. Francisco, qui eam pro se elegerat, sanctissimè vixit, ac tandem feliciter ad Dominum perrexit. Eius sanctum corpus sepultum iacet in Conuentu Lensensi (vbi hucusque miraculis coruscat) in territorio Atrebatensi, cuius in Epitaph ista legũtur.

Sub hoc lapide recondita seruantur ossa sacra B. Pacifici Ordinis Minorum, qui ipse fuit primus Prouinciæ Franciæ Minister.

PANEGIRICVS XXV.

Horologium Solare Regis Achaz.

Vigesimus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. ANONYMVS, nobilis, diues, ac doctus Adolescẽs Mediolanẽsis. Qui generis splendore, & diuitiis spontè relictis, Fratrum Minorum Paupertatem ditissimam, ignobilitatem nobilissimam, insipiẽtiam sapientissimam (in his Pauperum Patriarcha prolem suam amplo virtutum patrimonio ditabat, alta claritudine morum perennabat scientissima stultitia Crucis cælesti sapientia imbuebat) eorum Institori adhærens, feliciter amplexus est. Super illud Christi Lucæ 7. in Vrbe Nain. *Adolescens tibi dico, surge*, intelligit Interpres noster in serm. fer. 5. Dom. 4. Quadr. *Gratia Spiritus Sancti, quæ est vetustatis innouatiua*. Hæc in Adolescente nostro omnia vetusti Adam, ipsum in aquis sapientiç sepeliens, innouauit, faciens ipsum nonum in alio nobilitatis genere, in alia rerum copia, & in alia sapientia, vt ex dicendis liquebit.

Gratia Spiritus S. est vetustatis innouatiua

Duo nunc arcana, antequam ad synopsim historiæ deueniamus, in prudentissimo isto Adolescente animaduertẽda; aliud in eius tam nominis proprii, quam nominis generis sui deperditione, aliud in nomine suæ patriæ. Apud S. Lucam cap. 16. duos diuites anonymos, hoc est sine nomine inuenio. Alterum indutum purpura, & bisso, & in epularum splendore singulis diebus per crapulam immersum; & pauperrimo Lazaro, vulneribus, & ægestate sauciato inhumaniter aduersum. Alterum, qui habebat villicum, &c.

Homo quidam, & sine nomine, diues Epulo.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, &c. Ecce prior diues anonymus, & veluti ignotus. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, &c.* Ecce posterior diues, & ipse quoq; innominatus. Attamẽ ille mundanus diues, iste verò diuinus. Ille homo nequam, & simplex homo natura, sed moribus auarus, crudelis, ferrea viscera nutriens, vt fert Chrisologus, ventri, & luxuriæ deditus, & Dæmone peior. Hic homo, & Deus, liberalis, pius, & in sua perfectione summè perfectus, & rectus. Totalẽ, omnimodãque inter vtramq; diuersitatem, ac rationem etiam anonimitatis (vtimur hoc verbo) diuersimodè, in ambobus Interpres noster explicatur. De priori Diuite sic in serm. Dom. 1. post Trinit. *Iste diues*, inquit, *quasi ignotus, apud Deum nomine non designatur. Dignum vtique est, vt nomen eius non describeretur in hoc Euangelio, quod nunquam erat scribendum in vita æterna libro*. Et in serm. Dom. 9. post Trin. cum diuite Epulone innomynato Lazarum pauperrimum coniungens, affert illud Ezechiel. 16. post illud aliud Psalm. 48. *Vocauerunt nomina sua in terris suis; egressum est nomen tuum in gentes.* Non in Angelis, inquit, *Non enim exprimitur nomen diuitis, & purpurati, sed nomen Lazari pauperis, & vlcerati*.

Dignus planè ne in Euangelio nominetur cum Lazaro.

De secundo Diuite in serm. Dom. 9. post Trinitatẽ adducit alium sensum, Christo diuiti omnimodè, sed aliis diuitibus mũdi (qui relicto mundo, & diuitiis, & omne mundano nomine, sub alio nomine, Hominis scilicet cuiusdam nuncupari cum Christo gloriantur) aliquantò consonum, atque præcipuum. *Iste homo diues*, inquit, *Homo propter humanitatem, Diues propter diuinitatem. Quidam propter singularitatem*. Vnde de eo Prouerb. *Pauper, & diues obuiauerunt sibi, vtriusq; operatus est Dominus*. Pauper, idest humana natura, & diues, idest diuina, coniunctæ sunt in Christo, vt absolueretur homo pauper, pœnis, & culpis obligatus.

Homo & diues, & quidã Christus propter tria.

De hujus hominis diuitiis dicitur Proverb. 3. *Longitudo dierum in dextera illius, & in sinistra diuitiæ, & gloria*. Dextera dicta

Christi diuitiæ in nundinis Apostolicis tribulationum comparandæ.

dans extra. Sinistra sumens extra. Christi sunt duo aduentus. In primo habuit diuitias, scilicet paupertatem, & humilitatem, quas in nundinis nobis proposuit, vt eas emeremus, sine quibus diuites esse non possumus. Proposuit etiam & gloriam, quæ est in tribulatione lætitia, in persecutione patientia. Ad has nundinas venerunt Apostoli, in quibus mirabiles merces lucrabantur, *cùm ibant gaudentes à conspectu Concilij*, &c. Super hoc Prouerb.20. *Malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur*. Si ad nundinas tribulationum, in quibus venduntur veræ diuitiæ, venire disponis, *vide prius an habeas in bursa cordis pretium patientiæ, & lætitiæ, quæ emere possis, alioquin non consulo tibi, quod accedas, quia vacuus redibis. Si verò confidis de pretio, accede. Non cures, si difficiles sunt diuitiæ. Si malum, idest amarum est habere calicem tribulationis, cum enim recesseris, nunc gloriaberis, quia de sinistra ad dexteram, in qua est longitudo dierum transibis. Longitudine dierum replebo eum*, Psal.90.

Ad has nundinas B. Anonymus noster venit.

Venit ad has nundinas apostolicas *Anonymus* noster, ætate adolescens, perfectione nouus, atque in illis Christi diuitias emit. Eius generis, & personæ sæculare nomen inter religiosos viros, & maximè Minores (siue perditum, quia vt sæculare non erat scribendum in vitæ æternæ librum, siue ab eo, vt mos est, licet cælestibus nunc conscriptum in diurnis, derelictum, & in aliud commutatum, & id quoque in terris deperditum) sub hominis cuiusdam adolescẽtis, illustri propagine conspicui, modò enunciandum est. Nobilis ergo, ac diues is Adolescens Anonymus, pariter & doctus (ne fieret cum Epulone Homo quidam, sicut vt plurimum solet id iuuenibus, generis nobilitate, & copia rerum, humanisque literis diuitibus contingere) elegit, vt *Homo quidam* fieret, imitatione cũ Christo, ob singularitatem rei, ab eo peculiari quodam spiritu ac rara generositate animi amplexæ. Huiusce singularitatis nomen, omni temporali nomine egregius, quo in vita perfecta Christo assimilabatur, amittere non potuit iste perfectus Anonymus, quãuis proprium suæ personæ, ac generis nomen apud Scriptores deperderit. Ingressũ hoc nomen suum proprium in silentii obliuionis hominum sepulturam, & non egressum in terris, sed in Angelis progressum, transiuit ipse vt Homo quidam à sinistra ad dexteram hominis cuiusdam diuitis, habentis villicum, nimirum ad dexteram Christi in longitudine dierum.

Dignum ipsi nomen homo quidam.

Quod autem pertinet ad aliud arcanũ de nomine Patriæ Anonymi nostri, quæ fuit Vrbs inclita Mediolani, Cisalpinæ Galliæ Metropolis, aduertenda principio huius Ciuitatis Ethimologia, quæ apud Scriptores ob illorum opinationem, quæ de opposito semper formidabit, rei certitudinem perdidit. Eam annis 359. ante Christi aduentum à Gallis Insubribus conditam monumenta pro comperto habent.

Mediolanũ quando, a quibus conditũ, & cur ita nuncupetur.

Cur verò Mediolanum nuncupetur discors inter Historicos sententia est. Nonnulli, inter quos est Ambrosius, *à sue, dimidia parte lanata* Mediolanum appellatum putarunt, in qua sententia videtur fuisse Sidonius. Alii non ita asserunt, vt videre est apud Andream Alciatum Mediolanensem. Itaque Anonymus noster mediã lanam patriæ veluti rem corruptibilem, & incompletam relinquens, & eam maximè, quæ cum preciosissima sit in suo genere, ex ipsa conficitur *sericum, quod vermiculi lanificium aliqui nuncupant*, totam lanam rudem, & grossam, cineream, cruciformem, & vilem Magistri sui Francisci spontè assumere elegit, & sollemni voto eam, prout in Fratrum Minorum lege præscriptam, profiteri. Ob hanc felicissimam, peregrinamque electionem secutus est sub illamet Seraphica lana Legislatorem Franciscum, & cum Francisco ipsum Christum.

Mediã lanã patriæ elegit Anonymus.

Vestem misticam tam carnis suæ, personaliter assumptæ, quam corporis tegumento membrorum delectam, eam vtiq; voluit pro se Christus, quæ ad finem suũ vniuersæ scilicet Redemptionis assequendum cum aliis rebus proprior erat, ac conuenientior. Quem morem deinde reassumpsit Franciscus, vel ad opus reparationis proportionatum, & iam per multa sæcula in totalem obliuionem positum.

Vtraque verbis Christi exprimitur sub symbolo sacci vilis, & rudis, & in vtraq; cineris conspersio legitur. Ipse namque ait apud Iob 42. *Saccum consui super vestẽ meam, & carnem meam operui cinere.* Audiatur modò Interpres noster in ser.Dom.13 post Trinit.alibi adductus. *Sacco nostræ naturæ fecit sibi tunicam Christus, quam acu, idest opera Spiritus Sancti subtili filo, scilicet fide B.Virginis consuit.* Hæc fuit vestis mistica ob vilitatem materiæ, atque ob austeram, asperamque tractationem, quam tũ ab ipso Christo ratione exempli substinuit, tum à Iudæis ratione communis salutis sub nomine sacci vilis, ac rudis præsentata. *Et seipsum induit sacco.* Hæc fuit vestis corporea, qua indui voluit, & vt ea induerentur omnes Apostoli eius, ac

Ex nostræ naturæ sacco fecit sibi tunicam Christus.

ac postea Apostolorum, & sui ipsius sectatores homines inter homines, non in antris, & desertis commorantes, ad validiorem conuersionem illorum verbo, & exemplo mandauit.

Et carnē suā operuit cinere

Sequitur, *Et carnem meam operui cinere*, scilicet, subdit Interpres, *vilitatis, & paupertatis*. Et post pauca alia munditiem beatorum oculorum Anonymi nostri exprimens, subdit statim: *Hunc saccum, & hunc cinerem lippi oculi videre non possunt*. Cuius rei ratio paulò ante reddiderat super illa verba Lucæ, *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*, & Interpres. Hi fuerunt, ait, serui Tobiæ, fide, & patientia, & ideò videre meruerunt claritatem Hierusalem. Videbant hominem, & credebant Deum. Beati oculi, quos stercus diuitiarum non excæcat, nec lippitudo sollicitudinum obnubilat. *Quia ipsi vident Dei filium, inuolutum panniculo, reclinatum in præsepio, fugientem in Aegyptum; sedentem in Asino, nudum suspensum in patibulo. Talem viderunt Apostoli. Talem nō possunt videre lippi oculi, quia superuenit ignis, & non viderunt Solem, quia nubes carnis se obtexit.* Vtranque Christi vestem beati Anonymi nostri oculi viderunt in Fräc. carne, Christi carni, asperrimè ab ipso pertractatæ in plurimis consimilis, eique in laneo, rudique, ac cinereo corporis tegumēto compare. Viderunt, inquam, quia demum Francisci consilium sequutus, vt dicemus; nec stercus diuitiarum eum excæcarat, nec sollicitudinum temporalium obumbrarat lippitudo. Eam, quam beatis oculis vidit laneam vestem in Francisco, gloriosa deliberatione elegit, & relinquens sericas Equitis priuati vestes acquisiuit cū veste illa corporea Francisci vestimenta regalia animæ. *Vestedictæ*, ait Interpres noster serm. Dom. 12. post Trin. super illud Hester 6. *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus Regis; eo quod statum præparant*. Rex est Christus, subdit, *cuius vestes sunt virtutes, quibus animam induit, ad se conuersam*. Et vt ait apud Ezechielem 16. vestit ipsa *discoloribus*, idest variis virtutibus, *& cingit bysso* castitatis. *Et induit subtilibus*, idest simplicitate puræ intentionis, & mentis, *& ornat* ornamento honestatis.

Qui oculi beati ad videndum in terris Christum cū Anonimo nostro.

Vestiū corporearum ethimol. atque simbola

Cum hisce vestibus regalibus inuenit *Anonymus noster in tota lana Francisci veteres Christi, & Apostolorum pannos. Et respondens ad illos dixit, cuius vestrum Asinus, vel Bos in puteum cadit, & non extrahet*. Hæc obiecit Saluator maleuolis Hebræorum post datam Hidropico sanitatem. Explicat modò Interpres noster in serm. Dom. 17. post Trinit. ita dicens. Ibi Glossa. Congrue animali, quod decidit in puteum hidropicum comparat, qui a noxio humore peribat. Notanda ista tria, scilicet Asinus, Bos, Puteus.

Vestes Christi inuenit B. Anonim. in lanea Franc. veste.

1 *Asinus dictus alta sinens*. In posterioribus est fortis. In anterioribus est vilis, ibi crucem gerit. *Asinus est luxuriosus*, qui alta sanctæ conuersationis deserit, & per plana voluptatis incedit. Ille in operibus crucis, & labore spirituali est debilis, sed in renibus, vbi est luxuria, est fortis.

Asinus pro luxurioso

2 *Bos, in quo signatur superbus; vnde & Bos cornupeta dicitur; vide alibi*, scilicet in serm. Dom. 6. post Trinit. vbi est illud Exodi 21. *Quia si Bos cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & contestati sunt Dominum eius, nec reclusit, occideritque virum, aut mulierem, & Bos lapidibus obruetur, & Dominum illius occident*. Bos cornupeta, ait Interpres, est carnalis appetitus, qui cornu superbiæ interficit virum, aut mulierem, idest rationem, vel ipsius bonam voluntatem, quem quia Dominus eius, idest spiritus noluit recludere, idest refrenare, ipse cum Boue occidetur, quia corpus cum anima æternaliter punietur.

Bos pro superbo.

Bos cornupeta carnalis concupiscentia

3 *Puteus, vbi lacus miseriæ, & lutum fæcis, & vitiorum abyssus*. Asinus, *idest luxuriosus*, & Bos, *idest superbus*, qui hidropicum significant, in puteum cadūt vitiorum, ad quos inde extrahendos necessarii sunt veteres panni, de quibus Hieremia 38. *Abdemalec tulit veteres pannos, & antiqua vestimenta, quæ computruerant, & submisit ea ad Hieremiam in lacum per funiculos, & extraxit eum*. Veteres panni sunt paupertas, & humilitas Christi, qui pannis fuit inuolutus. Qui benè dicuntur veteres, solemus enim pannos veteres aliis dare, paupertatem, & humilitatem Christi non nobis retinere, non nos induere, sed aliis libentius volumus dare, aliis prædicare. Vnde hodie quilibet Prædicator nititur alium vestire paupertate, & humilitate, & vtinam ipse nudus non remaneret. *Vestimenta putrida sunt exempla Sanctorum, quæ bene dicuntur putrida, quia in fæcibus nostri operis tamquam res putridæ sunt abiecta, & despecta. Vetera aliis damus, putrida proiicimus. O peccator de lacu miseriæ, & de luto fæcis numquam poteris extrahi, nisi panniculis humilitatis, & paupertatis Iesu Christi. His enim extrahitur Bos, & Asinus de puteo abyssi.*

Puteus vitiorum coaduntatio.

Veteres panni misticè, paupertas, et humilitas Christi

Cur vestimēta putrida exempla Sāctorum

Exempla Religiosa, & Apostolica Fratrum Minorum, qui tunc Mediolanum in ædicula, apud Sanctum Victorem ad theatrum ibi extructa, incolebant, istud quoque verbum cordi Anonymi nostri adolescentis singulis fermè diebus loquebantur, scilicet, *O peccator de lacu miseriæ*, &c.

Vocatio Anonimi ad Ordinem vnde.

&c. Nam vt fertur in eius Historia apud Annalistam nostrum sub anno eodem 1212. ad num. 56. pia, & sancta eorumdem fratrum conuersatio mouit ipsum, vt eorum affectaret sodalitatem.

Eius crebræ, ac perefficaci petitioni responderunt, rem difficilem intentasse, incipiendumque à sui abnegatione, & temporalium abdicatione. *Voluptas enim semper sui famem patitur*, inquit Hieronymus apud Doctorem nostrum Dom. 6. post Pascha, neque extingui, & eradicari potest sine totali abnegatione sui. Abdicanda quoque temporalia, propterea quod non aliter satiatur cor Hominis auro, quam Corpus Hominis aura, teste Bernardo apud eundem paulo infra, vbi post pauca hæc alia ex Genesi de Rachele extincta, & sepulta in via, quæ ducit Effratam, quæ interpretatur fructifera, & significat abundantiam temporalium. *qua infelix anima suffocatur, & sepulta mole malæ consuetudinis, premitur.*

Vocatio villici à Christo facta.

Cuncta quæ præscripserunt Fratres Adolescenti, adeo leuia ipse iudicauit, ex vehementia cælestis vocationis, vt per plures dies institerit in habitu petendo. *Et vocauit illum* Lucæ 16. scilicet Homo quidam Christus diues vocauit villicum. Vbi Interpres loco cit. Dom. 9. post Trin. *Villicum tunc Dominus vocat, quando incutit timorem æternæ damnationis.* Et ait illi, *redde rationem villicationis tuæ*, idest *dum viuis, cogita qualiter operari debeas. Iam enim in tempore scilicet mortis, non poteris villicare* Ait autem Villicus intra se, *scilicet timore perterritus.* Quid faciam, *vt pœnas euitem.* Quia Dominus meus aufert à me villicationem meam, fodere non valeo, &c. *Peccator cum considerat, omnia temporalia cum vita ista sibi esse detinenda, magis de acquirendis amicis, quã de congregandis diuitijs pertractat.* Intelligens finita ista vita non esse ei locum, vt terram mentis suæ fossorio deuotæ compunctionis fodiat ad ferendum fructum, vbi etiam confusibile erit mendicare, eo modo, quo Virgines fatuæ mendicabant. Hæc Interpr.

Villicandũ in vita.

Tandem adolescens ad Fratrum consilium omnes suas facultates vendidit, quarum potiorem partem distribuit in pauperes, alteram verò itineri reseruauit, quod peragendum Fratres duxerunt versus Assisium, vbi degebat Beatus Franciscus, penès quem dumtaxat erat potestas ad ordinem recipiendi. Ille quosdam familiares, & parentes conuocauit, vt comitarentur in via, & magnam duxit turbam satellitum. Secutus est etiam rogatu nobilium cognatorum ex fratribus vnus, vt prosperum faceret desiderium eius;

Accessit Anonymus Assisium ad B. Franc. magno cum comitatu, fastu, & pompa.

Qui postquam ad Sanctum Patrem accessit, eumque ad ostium Cænobii deduxit, vt nobiles viros salutaret, & exciperet; statim vt vidit tantum fastum, & pomposum comitatum, interrogauit.

Qui sunt isti Domini, aut quid volunt? cui frater hilari vultu (quasi magnam, & gratam offerret viro sancto prædam) *Pater, inquit, hic est ex nobilissimus Mediolanensibus adolescens, eruditus, & diues, qui vester cupit esse discipulus.* Subridens S. Pater, *Frater mi, inquit coram omnibus, non videtur mihi bonus pro nostra societate, ad pauperem enim religionem nimio cum fastu, elati animi signo, venire, mihi indicat non contempsisse perfectè amorem sæculi, nec ei velle perfectè valedicere. Consulam hac in re nostros consodales.*

Eam pompã redarguit B. Franc.

Conuocatis igitur in vnum, & re omnibus proposita, coram ipso adolescente posito, singulos interrogauit, an admitti deberet? *Qui sigillatim responderunt, nequaquam, quia adhuc radicatam, nec perfectè extirpatam in eo conspiciebant vanam gloriam, & mundanam pompam.* Hæc est historia apud Annalistam nostrum. Statuam adhuc salis Vxoris Loth collegium illud Seraphicum in Adolescente existere, ea resolutione demonstrauit. Docet enim Interpres noster serm. 2. Dom. 3. post Pascha, *Sal terram sterilem reddit. Vxor Loth in salis statuam mutata fuit Gen. 19. Sal infatuatum foras proijci Dominus iussit Matthei 5. Sal in hoc loco significat vanam gloriam, quæ omne opus sterile reddit.* Et meritò quidem, quia eius sapientiæ Sal *ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quamobrem veluti statua attonitus, & obstupescens remansit adolescens ille coram omnibus ad illud responsum, minimè ab se expectatum, sic toto pallens ore, ignis diuinus vigorosior in eius corde excandescens, vt statuam illam salis in eo funditus liquefieret, in nihilumque redigeretur, in compunctionis lagrimas erupit. Vnde aliud Sal spiritale cælestis generans interius in eius mente, intellexit perfectè illud Bernardi apud Doctorem nostrum ibidem paulò superius, *sapiens sis tibi, nihil deest tibi ad sapientiam, sin autem tibi non fueris, nulli fueris. Nam si sapiens fueris, tibi metipsi fueris.* Eũ vt vidit ore mutatum, & corde compunctum, eique compatiens benignus Pater, denuò interrogauit. *Vultis eum recipere fratres mei, si velit eum humiliter seruire in culina, & noster esse coquus, quo ministerio sæculi abdicabit vanitatem?* Responderunt sibi hac lege placere. Conuersus ad iuuenem, inquit, audisti quid hi dicunt? complebis hoc pactum.

Principio à nemine fuit admissus.

Statua Salis pro vana Mundi gloria.

Salis sapientiæ symbolum.

Statua salis vanæ gloriæ in B. Annonimo in statuá salis veræ sapientię cō mutatur.

pactum. *Illo prouoluto ad sancti viri pedes, asserenteque se paratum ad omnia, quæ sibi placuerit imperare; amplexus est eum, & deosculatus, dimissis que comitibus, & satellitibus, quibus omnem pecuniam, & supellectilem tradi precipit; misit nouum Tyronem in Vrbem, vt in Xenodochio fratribus inseruiret in culina. Quod humiliter, & absque vllo fecit murmure, ad magnum sui, & fratrum solamen. Et tantus euasit vir inter vilia humilitatis officia; vt eum cæteris in eadem ade postea præfecerit Sanctus Pater, & magna deinde splenduerit vita sanctimonia.* Hactenus Annalista de hoc pernobili, ac perdiuiti Anonymo.

Stemma, seù Hieroglyphicum, ad basim statuæ Salis veræ Sapientiæ B. Anonymi nostri Horologium solare Regis Achaz ex Interprete nostro imprimendum.

STatuā Salis vanę glorię in Anonymo nostro iam fuisse mutatam in statuā salis cælestis sapientiæ, ob quam stulta, ac vilia mundi à viris sanctis eliguntur, iam ex dictis liquet. Eius præfectura in præfato hospicio promerita quidem ob vilia humilitatis officia, ab eo semper hilaritèr præstita. Dignior hinc Fratris Minoris nomine in ipso Anonymi, scilicèt sine nomine cognomento, ac proprii nominis perditione: quod si retinuisset, deperdito tamen ob malorum operum indignitatem Minoris nomine, nullo vtiq; nomine dignus extitisset. Nō mihi videor Frater Minor (aiebat Franciscus teste Bonauentura cap. 6. Legendæ, alloquens socium suum) nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. *Ecce Prælatus existens Fratrum, vado ad Capitulum, prædico, & commoueo fratres, & in fine dicitur contra me. Non conuenis nobis, quia illiteratus es, & linguis, idiota, & simplex, Tandem eijcior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, Frater Minor nequaquam sum.* Et addebat, *In Prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animi lucrum. Cur ergo periculis plus, quam lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum?* Sed de hoc superiùs.

Quis ferè Frater Minor etiam in statu prælaturæ.

Egregium Stemma, siuè, vt alitèr vocant, Hireglyficum basi statuæ salis Anonymi nostri, humillimi humilium Fratrū præfecti, apponendum puto Horologium

Horologiū solare Achaz ad basim statuæ salis B. Anonimi.

Achaz, de quo facer text. 4. Regum 20. Dixit Rex Ezechias ad Esaiam. *Quod erit signum, quod Dominus me sanabit, & quod ascensurus sum tertia die Templum Domini?* Cui Esaias dedit signum reuersionis vmbrę decē gradibus *Horologij Achaz*. Quod ponderans Interpres noster, ità pulchrè ait in serm. Dom. 8. post Trinit. *Horologium Achaz est cor humile pænitentis; quia conuersus à via sua mala, apprehendit fortitudinem perseuerantiæ, vt apprehendat brauium gloriæ. In hoc sunt, vel esse debent decem gradus humilitatis, per quos Sol in animam, gratia Dei illuminatam, descendere debet, & iterum regradare.* Explicans deindè statim gradus decem huisce Horologij, sexque referens ad creaturam, quatuor verò ad Creatorem cum respectu ad bonum eiusdem Creaturæ; sic sequitur.

Est humilitas symbolum.

1. Gradus est secum pertractare, ex quā vili, ac fætida natura sit procreatus.

2. Est qualitèr nouem mensibus in materni vteri tenebris fuit reclusus, & sanguine menstruo pastus. Vide ista duo in Euangelio *Cæcus sedebat, &c.*

Decem gradus in horologio solare Humilitatis sex respectu creaturæ.

3. Quomodo de vteri tenebris plorans, & eiulans, nudus, & immundus sit egressus: per hos tres gradus descendebat, Iob dicens cap. 13. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Et iterum. *Quare de vulua egressum sum, vt viderem laborem, & dolorem, vt consummerentur in confusione dies mei?*

4. Quam miserabilis, & abominabilis sit huius exilii peregrinatio, in qua dolor, & gemitus, angustia, & planctus. Vnde Iacob Gen. 47. *Dies peregrinationis vitæ meæ sunt parui, & mali.*

5. Propriæ iniquitatis recordatio, quæ, & quanta commisit, & omisit, Quia cum liber esset, gratis se Diabolo vendidit. Et quantum Deo ingratus extitit. De quo gradu 4. Reg. 20. *Ezechias conuertit faciem ad parietem, & orauit Dominū, & fleuit.* Paries congeries est peccatorum, ad quam peccator se debet conuertere, idest in amaritudine animæ suæ recogitare quanta commisit, & omisit, *& orare Dominum, vt gratiam amissam infundat, & flere, vt peccata dimittat.*

Paries pro Congerie peccatorum

6. Est Mortis Memoria, omni amaritudine amarior, Ecclesi. 41. *O mors quam amara est memoria tua homini, pacem habenti in substantijs suis.* In qua caro vermibus, Anima Demonibus (nisi penituerit) tradetur, substantia filiis, &c. Hisce sex Gradus referentur ad Creaturam; sequentes verò ad Creatorem in hunc modum.

7. Gradus est reuocare ad memoriam, qualitèr Dei filius, caput Diuinitatis, inclinauit se in vterum Virgininis pau-

Quatuor hi gradus referentur ad Creatorem ob bonum creaturæ.

pauperculæ, quem Cælum, ac Terra capere non potest, &c.

8 Gradus, quantæ misericordiæ, & benignitatis fuerit circa peccatores, quos dulcedine suæ prædicationis ad se trahebat, cum quibus, vt ad pœnitentiam vocaret, comedebat. Et quantæ compassionis fuerit, qui supra Ciuitatem, apud quam crucifigendus erat, & super Lazarum amarè fleuit.

9 Quantæ mansuetudinis fuerit, qui solum cum Samaritana loqui voluit, & à Magdalena peccatrice se tangi permisit.

10 Gradus est, subtiliter in mente disquirere, qualiter canet tuba excitatura eos, qui dormiunt in puluere, ad quam euigilabunt omnes, alii in vitam æternā, alii in opprobrium, vt videant semper, quomodo Christus humilis iudicatus, iudicaturus crudelis veniet. *Per istos decem gradus debet anima pœnitentis ascendere, & descendere. Quantum enim descendit, tantum ascendit. Et hoc erit verum signum, quod Dominus sanauerit eam ab omni infirmitate peccatorum, & quod ascensura sit in Cælestis Hierusalem Templum, ex viuis lapidibus ædificatum.*

Per hæc decem gradus ascendit, & descendit anima pœnitentis.

Hæc fuit Interpretis nostri conclusio, apponens basi statuæ salis veræ sapientię Anonymi nostri hieroglificum. Qui per hos decem gradus humilitatis ascendens ad virtutum heroicarum apicem, & descendens in omnimodam sui abnegationem, vilia humilitatis officia hilariter amplexus est. Sic tandem ascendit vsque ad Dei gloriam, vbi inter viuos lapides Ciuitatis Hierusalem nunc seipsum, & nomen suum gloriosum, & æternum, quod in terris temporaliter perdidit, in sæcula sæculorum intuetur. Discant plurimi ex nostratibus, viliter nati, in egestate, & aliquando in mendicitate, ab adolescente nobili, diuiti, & docto tam peregrinam humilitatem, sine qua ipsummet quoque Fratris Minoris nomen deperditur. Sæpenumero huius vilis generis Fratres solent magis intumescere, otium amplecti, ambitionem sequi, fauoribus inhærere, alios contemnere, se equites ortos iactare; de cibo, potu, & aliis rebus loqui, totumque tempus vanè expendere. Vide Interpretem nostrum pluribus in locis.

CAPVT TERTIVM

Legislationis Francisci alij sanctissimi professores ad annos tres sequentes. Et primo ad annum 1213. in quo Viro Seraphico ablatus Aluerniæ Mons, ceu locus sibi peridoneus, vbi primum Christi, in Cruce affixi, de reparanda Ecclesia sua mandatum, ab ipso Christo, sub alia forma crucifixo, completissimè declarandum erat.

PANEGIRICVS XXVI.

Semen Triticum, cadens in terram.

Trigesimus primus Discipulus ex numero LXXVIII.

SANCTVS BERNARDVS Narniensis, Vmber, Martyr Marrochii cum Petro, supra memorato ad annum 1211. num 25. & aliis tribus sociis, de quibus conscripsimus iam synopsim in primo tomo Hierarchiæ. Vide ibi, & Vadingum sub num. 19. eiusdem anni: & vide etiam infra ad finem Libri 7. In Euangelio Ioannis 2. Martyrium comparatur grano frumenti ob septem rationes, quas affert Interpres noster in serm. 3. de vno Martyre. Easque ob totidem proprietates, quæ in grano frumenti inseruit ipsa natura. Vbi autem adducit postremam rationem, ita scribit, & nos iam alias diximus.

Cur martyrium frumento comparetur.

Septimò. Granum frumenti flauum, & subrufum est exterius. Sic corpus Martyris per passionem, & effusionem sanguinis est rubrificatum. Et interius vt granum frumenti albuni, per castitatis, & continentiæ nitorem, vt dicere de eo posset Ecclesia illud Cantic. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Sic si tu vis esse candidus intus per castitatem contra luxuriam, sis exterius rubicundus per corporis afflictionem. Hæc ibi Intepres. Igitur anno eodem duo montes Francisci Societati initiati sunt. Alter materialis in Etruria, & hic Mons Aluerna extitit. Alter spiritualis in Vmbria, illi contermina, ac proxima, & hic fuit *S. Bernardus Narniensis*, qui eò cum aliis sociis Martyribus habitauit. *Montes enim* apud Interpretem nostrum in serm. fer. 5. Hebdom.

Eodem enno initiatio montis Aluerniæ, & S. Berardi martyris.

dom. 1. Quadrageſ. *pro culmine virtutum, & perfectionis accipiuntur*. Mons Aluernia candore immaculatæ carnis Franciſci, necnon eius ſanguinis rubore, & candidus, & rubicundus veluti nouum noui Martyrii generis theatrum apparere debebat in cruenta illius plagarum Chriſti perfoſſione. Mons D. Bernardi Minoritæ itidem ad candorem puritatis Seraphicę, & ruborem regaliſſimi martirii iam deſtinabatur à Chriſto eodem anno cum ipſo Monte Aluernia. Sed hunc Montem annis quatuor ille Mons miſticus anticipauit in ſanguinis effuſione. Tam granú frumenti corporis Franciſci in Montis Aluerniæ terram, quam illud corporis diſcipuli ſui Berardi in terram Marrochii cadens, alterum ad annum 1224. alterum ad annum 1220. multum fructum attulit iuxta interpretationem Doctoris noſtri, quæ talis eſt in loco, nuper citato de vno Martyre. *Hoc granum* (nempè vitæ Diui Bernardi *in terram cadens, mortuum fuit, quando per paſſionem aſſumptum fuit. Et ſic multum fructum attulit, quoniam multi eius exemplo, & pracibus ad fidem conuerſi ſunt, vel martyrium pertulerunt*. Multus fructus grani frumenti corporis Franciſci, ſupra Montē Aluerniæ patefaciēdus in Stigmatum exemplo, veluti omni Eccleſiæ vnico, & in illius cruentis plagis ad vniuerſam fidem Catholicam referendus ceu nouum reparationis ſemen reſpectu extinctionis memoriæ Paſſionis Chriſti, ob quam tota Chriſtiana Religio in precipitium ibat. Multus item fructus grani frumenti corporis B. Berardi, Franciſci Diſcipuli ſuper Montem propriæ ſanctitatis aperiendus, incipere ex Marrochii Regno ad Africam; deinde in toto Minorum Ordine, vt primus ac precipuus, ſed in tota Republica Chriſtiana dilatari debebat vt communis. De ſacro Monte Aluerniæ, vbi Franciſcus mirandum Stigmatum Sacramērum veluti diploma ab ipſo Chriſto in confirmationem ſuæ legis, iam in compendium redactæ, in eius viua carne conſcriptum, agemus poſtea ſuo loco in ſecundo tomo.

Fructus grani frumenti S. Franc. ſuper Aluerniam.

Fructus grani frumenti D. Bernardi ad Marrochi.

PANEGIRICVS XXVII.

Vox ſcientifica.

Trigeſimus ſecundus Diſcipulus ex numero LXXVIII.

Angeli ſunt Prædicatores.

B. ANGELVS à Burgo Sancti Sepulchri, nobilis iuuenis, qui minima maximæ humilitatis Seraphicæ nuncians, in virtutum throno volatu Angelico eminens leuauit meritum. *Quaſi Angeli ſunt Prædicatores, quos ad miniſtrandum ſuis mittit Deus*. Vide Interpretem noſtrum ſerm. 4. de Martyribus.

Beati *Angeli* noſtri Confeſſoris hiſtoria ex Autore Martirolog. die Iul. 7. breui ſic ſe habet. Cum B. Pater Franciſcus, inquit, in locum quendam *Montis Caſalis* quatuor milliaribus à Burgo S. Sepulchri verſus Montanā deueniſſet, quidam iuuenis nobilis de eodem Burgo otiundus acceſſit ad eum, rogauitque vt ipſum ad Ordinem recipere dignaretur, *Fili*, reſpondit ei S. Pater, *nimium delicatus es, forte paupertatem noſtram, & aſperitatem ſuſtinere haud poteris*. Ex huius reſponſi ratione pendet, vt video, illa Interpretis noſtri Doctrina, quam ex ſerm. de Transfiguratione Domini alias pluries retulimus, de tribus ſcilicet Apoſtolis Petro, Iacobo, & Ioanne, quos Ieſus ſibi delegit, aſcendens ad Montem Tabor. Triplici vi indigebat huius iuuenis anima, dū altiſſimum, difficillimumque Apoſtolicæ perfectionis aſcenſum ſub auſteriſſima S. Franciſci lege, ac vita ſimul cum ipſo Legislatore amplecti peroptabat. Ardua prorſus res eſt, vt Iuuenis nobilis, diues, delicatus *notitiam ſuorum criminum*, quæ ex cordis ſuperbia, carnis laſciuia, mundi auaritia maximè conflantur, *cum Petro*, qui interpretatur *agnoſcens*, aſſumere poſſet, & *cum Iacobo* illa vitia ſupplantare; & cum Ioanne illam Domini gratiam recipere, *quæ ſtat ad oſtium, & pulſat, vt peccatorem illuminet, ad agnoſcendum mala, quæ fecit, illumque conſeruet in bonum, quod ſuſcepit*. Et ex vno *Iuuene Mundano*, atque in deliciis ſæculi enutrito, in trium adeo principalium Apoſtolorū perſonas, quan tum ad nominum interpretationem, nec non vitæ & exemplorum iuxta profeſſam legem imitationem, tam cito transformari.

Reſponſio Franc. ad B. Angelum illius Ordinē profiteri cupientem.

Ardua res legem Minorum amplecti

Sed gratia illa, cui poſt reiteratam in Adoleſcentis cor pulſationem gratum, lætumque prebuerat ingreſſum, obediens Deo ſuo, mouit linguam Iuuenis, vt hæc ſtatim hilari facie Franciſco obiiceret. *Nunquid homines vos non eſtis, ſicut & ego? ſi ergo cum ſimiles mei eſtis, talia patimini, & Ego cum Dei adiutorio eadem ſufferre potero*. Quibus verbis obiiciens illum natus adoleſcens formam, & naturam hominis, duo præcipua iuxta ſentētiam, ac doctrinam Interpreris noſtri patefecit. Alterum conſiſtit in hominis eminentia, ac potentia per liberum arbitrinm, propter quod etſi puluis, & cinis ob infirmitatem, & debilitatem ſubſtantiæ, attamen opus, quan-

Reſponſio B. Angeli ad Franc.

quantumcumque arduum, quo possit & ipse ipsis Apostolis, quinimmò & ipso Christo assimilari, amplecti potest, & exequi. *Naaman decorus* (ait Interpres serm. ser. 2. Hebdomadæ 3. Quadrag.) *significat liberum arbitrium, in quo consistit pulchritudo hominis. Qui secundum illud dignitate omnibus animalibus præfertur. Diues, quia in eo constituit bona opera, vel mala. Potens, quia cogi non potest, aliter non esset liber.*

Nihil pulcrius, nihil ditius, ac potentius in homine libero arbitrio.

Alterum est illud idem, quod alibi attulimus ex serm. in die sancto Pentecost. super illud Sapien. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*. Quid est illud, *Orbis Terrarum?* Et quid illud aliud, *Hoc, quod continet omnia scientiam habet vocis?* Responsio Interpretis ad primum. Orbis dicitur à rotunditate circuli. Est terra, obscura, frigida, & immunda. Orbis est cor peccatoris, qui in circuitu tamquam in rota ambulat. Nõ mundum circuit in Oriente, qui est superbia obscurus, auaritia frigidus, luxuria immundus; *sed orbem terrarum spiritus Domini replet, dum cordi peccatoris gratiam compunctionis infundit, & sic ei væh in æternum adimit.*

Quomodo Spiritus S. replet orbẽ terrarum.

Responsio eiusdem ad secundum. *Et hoc quod continet omnia*, &c. Homo animal rationale, quod continet quatuor Elementa, ex quibus omnia constant; *habet scientiam vocis*, quia intelligit, quando sibi Spiritus Sanctus loquitur. Vnde Bernardus. *Totiens spiritus loquitur, quotiens bona cogitamus.* Vnde Propheta Psal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et sic sursum mentem vehit.* Vnde Philosophus descriptionem spiritus dicit. *Spiritus est vehiculum virtutum, per quod virtutes exeunt ad suas peragendas operationes*, Hæc ille.

Scientia vocis in nobis quæ.

Respondit ergo elegans, sagax, ac nobilis iuuenis B. Francisco, eum principio in suum discipulum recipere renuenti, veluti ad sustinendam paupertatem, & austeritatem suæ legis imparem: *Nunquid homines vos non estis?* &c. Quibus verbis clarè admodum patefecit; quomodo totum id, quod liberi arbitrii potentia, Dei adiutorio fulta in Frãcisco, & eius sociis operata est, & adhuc operabatur (quamuis humana natura, aliunde quoque in cunctis imbecillis, ac valdè infirma, in sæculo antea extiterit) totum etiam poterat & ipse in se operari, quia & ipsemet homo erat pari libertate donatus, ac de illius iuuamine confisus, *qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, &c.* Quodque suum esse humanum omnia cõtinens, scientiam habebat vocis, & dum bona cogitabat, audiebat quidquid Dominus sibi loquebatur. Resoluebatque (gratia compunctionis iam superfusus) nolle in circuitu cum impiis, veluti in rota ambulare; sed cum piis & Apostolicis viris habitare, & claritatem humilitatis contra superbiæ obscuritatem, caliditatem Christianæ liberalitatis, ob quam omnia relinquuntur, pauperibusque dantur, contra auaritiæ frigiditatem, castitatis munditiem contra immunditiam luxuriæ magnanimiter amplecti, ac vsque ad mortem profiteri, & obseruare.

Dilucidatur responsio B. Angeli ad Franciscum.

Raptus poteuter ab ista adeò arguta, ac religiosa responsione Franciscus, sine alia mora statim eum recepit, benedixitque. Et quia eius verba bona, quæ cor eius compunctum, & inflammatum eructauerat, dum de humanæ natvræ viribus loquebatur, angelica erant, Fratrem Angelum illum appellari voluit, quem deindè veluti egregium Minoritam, in suis moribus Angelicum, *apud dictum locum Montis Casalis ipsum Guardianum instituit.*

Accidit autem, vt S. Franciscus præciperet illi in principio, Burgum præfatum pergere ad annunciandum populo, quomodo esset tali die eis prædicaturus. Cumque ille propter parentes illuc ire distulisset, Seraphicus Pater mandauit ipsi, vt ex quo iussis non paruerat, nudus ibi accederet, ac prædicta nunciaret. Cui B. Angelus: Pater quid ex hoc meriti habebo? Ad quem Pater, *securum te faco, quia mecum eris in Paradiso*, vitamque æternam possidebis. In cuius signum, Crucem sibi in frontem effecit, & ipsum osculando subarrauit. Statimque Beatus Angelus summa cum alacritate sacco cilicino nudatus, sibi iniuncta à S. Patre mirificè impleuit.

Iussa Franc. dum differt, ab eo austeriora iubentur, ipse statim exequitur.

Ad id propositi est illud Interpretis nostri de Christo, sedente super Asinam, atque Vrbem Hierusalem introeunte: quę Ciuitatis Cælestis simbolum erat, interpretatur enim *Visio pacis*. Ad quam deindè Latronem bonum mistice sub nomine Paradisi, gratiæ suæ impulsi obedientem, pendens in Cruce introduxit, ita ei promittens, Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quod minimè Christus fecisset, si cum malo Latrone ille bonus pertinax extitisset. *Nota*, ait Interpres noster serm. Dom. 13. post Trinit. *quod nullus potest reuerti in Hierusalem, nisi super iumentum obedientiæ imponatur. Vnde Dominus sedens super Asinam, ingressus est Hierusalem.* De hoc iumento Neemiæ 2. *Et iumentum (vel iumentum) non erat mecum, nisi animal, cui sedebam. Corpus nostrum, quod debet esse*

Super iumẽtum obediẽtiæ Deo, à quo recessimus, reuertendum.

quasi

quasi iumentum, humile, obediens, & abiectum; cui supersedere debet anima, in hoc mundo non debet habere locum, quia locus hominis est super omnia. Vnde in Psal. *Constituisti eum super omnia*.

Locus hominis est super omnia.

Super omnia constituit Franciscus socium suum B. Angelum, persuadens ipsi regressum ad Hierusalem per eam virtutem, qua aliquantò circa celerrimam illius promptitudinem carens, illic recesserat, dum haud ita citò illi obediuit. Vt autem modo aliquo Angelico (Angeli enim ob naturam incorpoream, ac celerrimam, necnon & omnium rerum malarum expoliationem, nudi appingi solent) Angelus & ipse, super omnia constitutus obediendo, videretur, dignus omninò, vt cum Seraphico Parente Paradisum habitaret, iussit ipsi præfatam nuditatem. *Spiritus Sanctus* (ait Sapiens) *benignus est, & humanus, stabilis*. Vbi Interpres noster serm. Dom. 2. post Epiph. *In obediente, & patiente sunt hæc tria. est benignus, idest bene ignitus ad obediendum Prælato. Humanus ad compatiendum proximo. Stabilis in proposito. Obediens verè non eris, si patiens non fueris. Nam vidua est obedientia, quam non patientia firmat*. Ignitus euasit B. Angelus, nudus obediendo Francisco, leuis, & hilaris. Ea ignita nuditate, externam temperiei, & internam amoris proprii vicit frigiditatem. Et qui in eo ignis incorporeus erat, naturam in ipso Angelorum cum ipsa gratia Spiritus Sancti exprimebat. Quæ veluti leuissimus ignis sursum ad cælestia eleuabatur, iuxta Sancti Patris promissa. *Securum te facio, mecum eris in Paradiso*. Sic benè apparuit ignitus B. Angelus in hoc mundo, non amplius quærendo locum, quia locus hominis est super omnia. Quod ignitus minimè esset, nisi in eo obedientiæ mandato, quò arduo, eò eius magna timitati minimè impare, patiens, ac stabilis esset. Nam vidua est obedientia (idest sine igne Spiritus Sancti, qui sponsus est animæ) quam non patientia firmat.

Tria in vero obediēte, qui patiens esse debet, ac stabilis.

Vidua est sine patiētia, obedientia.

Nonnunquam etiam (vt ad historiam redeamus) præceptis B. Patris B. Angelus obediens, constitutus iam Montis Casalis in Appennino Guardianus, sex insignes latrones conuertit ad pœnitentiam, quorum tres vltimò in Minorum sodalitio sanctissimè defuncti sunt. Quosque antea acri correptione ab ostio Conuentus, vbi accesserunt fame coacti, vt commestibilia acciperent, expulerat. Sed valde displicens B. Francisco, eo diuertenti, iussit ei, vt statim accedens ad eos, deferensq; panem, vinum, & alia munuscula, ad syluas, vbi morabantur, vocaret ad se, ad dulci sermone eos inuitaret, vt illam charitatem, quam Franciscus eis mittebat, accipere dignarentur. Et hæc fuit eorum conuersionis occasio, de qua Vadingus ad ann. prædictum 1213. De hisce Latronibus Author Martyrolog. die 28. Augusti ita breuiter. *In Monte Casali propè Biturgiam in Vmbria Beatorum trium Confessorum, qui ex insignibus Latronibus ad pœnitentiam per Seraphicum P. S. Franciscum adducti, & habitu suæ Religionis induti, insignes vitæ sanctitate euaserunt. Quorundam Fratrum, qui cum insignes latrones essent, sed Seraphico P. D. Francisco, &c.* Hos fuisse diuersos ab iis, quos conuertit immediatè ex se S. Franciscus, demonstrat ex nostris Scriptoribus idem Auctor Martyrol. die Nouemb. 2.

Sex latrones perinsignes conuertit ad pœnitentiā.

Latrones sunt Dæmones, & Angeli nocti uagi, qui se transfigurant in Angelos lucis. Item & quinque sensus, *qui dum sub specie necessitatis latitant, insidias ponunt voluptatis, quique simul, vt facilius decipiāt, veniunt, & per animam miseram viam latā faciunt, quæ ducit ad mortem*; docet Interpres noster serm. in dom. 13. post Trinit.

Latrones sūt quinque sensus corporis

Et quia hi etiam quinque sensus operationum humanarum Principes sunt, veluti multarum scelerum rei damnandi sunt ad furcas, quomodò explicat idem Interpres super illud Num. 25. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos in patibulo contra solem*. Quod ita misticè exponit in serm. Dom. 4. post Pascha. *Principes populi sunt quinque sensus corporis, qui pro commissis debēt suspendi pœnitentia patibulis. Et contra Solem. In Sole claritas mundana, in qua quia peccauimus, contra ipsam operibus pœnitentiæ insistamus*.

Suspendi in pœnitentiæ patibuli

Inciderunt iam in Latrones, scilicet in potestatem Dæmonum latrones illi, quos conuertit B. Angelus, eis nomine S. P. Francisci conuersionem à via mala persuadens. Dum spoliabant homines, & alios occidebant, alios semiuiuos relinquebant, ipsi miselli quinq; sensuū latronum tyrandidem experiebantur. Suspendium corporeum, quod pro enormibus delictis merebantur, conuerterunt in suspendium morale; quia latrones quinque sensuum in patibulis pœnitentiæ, vbi gloriosè obierunt, vsque ad finem vitæ suspenderunt. Sicque eorum conuersio duplici trophæo B. Angeli nostri triumphum in Cæli Capitolio illustrarunt.

Ad Annum 1214. in quo Legislator Franciscus iter intendit Marrochium ad Martyrium obeundùm, sed non obtinet.

PANEGIRICVS XXVIII.

Oculorum flammantium, pedumque vt auricalco lucentium commixtio.

Trigesimus tertius Discipulus ex numero LXXVIII.

BEATVS ANONYMVS, Compostellæ Canonicus, seu cum aliis Cardinalis Compostellanus, de quo egimus per synopsim tom. 2. hierarchiæ, fol. 282. ad catalogum illorum S.R.E. Cardinalium, qui pro ingenti gloria habuere, sacram purpuram in vanam, asperamque Francisci vestem commutasse. Parum equidem refert, si huius Præsulis nomen, in vitæ libro ab æterno conscriptum, in libro cũ mortuis huius sæculi Scriptorum iniuria relictum sit. Infirmitate præpeditus B. Franciscus, reliquit Marrochii iter; Compostellaque S. Iacobi Apostoli corpus visitauit, huncque egregium virum in eius societatem adscripsit. *Angelus Laodiciæ est Episcopus, vel Prælatus Sanctæ Ecclesiæ. Qui benè dicitur Angelus propter officium, siue dignitatem, de quo Malachiæ 2.* Ita Interpres noster serm. Dom. in Quinquag. Igitur Prælatus iste, siue in Canonicatus, siue in Cardinalatus dignitate, iuxta morem illius Ecclesiæ Compostellanæ, ac Regionis. Angelus cum esset, in Seraphim conuersus est, vbi Seraphico Parenti se adiunxit, & legem Seraphicam profiteri elegit, & in ea sanctissimè mori. Angelus Laodiciæ est Prælatus Ecclesiæ.

Hac quoque de re, vbi antea præfuit aliis, ceu Angelus, inde in Ordine sui ipsius Dominus factus, absolutus iam à quina sensuum in sæculo seruitute, sub aliorum potestate per voluntariam subiectionem, Prælatus Seraphicus effectus est, cuius oculi flamma ignis, cuius pedes ex auricalco ignito. *Et oculi eius flamma tamquam ignis. Et pedes similes auricalco, Apocal. 1.* Ad primum de oculis, ita Interpres noster Dom. 2. post Pascha. *Oculi Prælati sunt contemplatio Dei, & compassio proximi. Qui debent esse tamquam flamma ignis, idest, radiantes simplicitate, quoad Deũ, & innocentia quoad proximum.* Ad secundũ de pedibus. *Pedes sunt affectus mentis, & effectus operis.* Et paulò infra. *Pedes boni Prælati debent esse similes auricalco. In auro purus affectus mentis. In aere sonoro effectus boni operis designatur. Auricalcum sæpè incenditur, & meliorem accipit colorem. Sic bonus Prælatus quanto magis igne tribulationis incenditur, tanto clarior efficitur.* De hoc B. Præsule, siue Canonico, siue Cardinali ex eorum numero, qui Cardinales à tempore, & concessione Paschalis Primi Pontificis appellati sunt; agit Vading. tom. 1 num. 21. ad annum 1214. Martyrol. die Iunii 5. Oculi Prælati, qui præest sibi, igniti simul, & pedes.

PANEGIRICVS XXIX.

Perpendicum, super Vrbem magnam extensum.

Trigesimus quartus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. PETRVS Compater, Petra solidior in legis Seraphicæ obseruantiæ constantia, de qua vide Doctorem nostrum pluribus in locis, quorum præcipuus in serm. Dom. 13. post Trinit. super illud Iob 31. *Si expaui ad multitudinem nimiam, &c.* Petra constantiæ simbolum est.

Compater & hic Beatus agnomine, sed in promerita B. Parentis Francisci societate illi inclitus compar imitatione virtutum. Sciebat enim, factus Minorita, ac tanti Legislatoris consodalis, verum esse illud Zachariæ 1. *Perpendiculum extendetur super Hierusalem.* Cuius sententiæ explanatio ex Interprete nostro serm. Dom. 4 post Pascha. *Iustitia Sanctorum est quasi perpendiculum, quod extenditur super quamlibet animam fidelem, vt ad eorum vitæ exemplum vitam suam informet, & cõmensuret.* Item compater cum Patre Francisco, quia vt ille & ipse quoque miserorum Pater, vt infra dicetur. Compater igitur noster, comparque Francisco societate, & imitatione cum esset, merito ab eodem destinatus fuit in Hispania Tarragonensi ad Astures Transmontanos. Apud quos Queti sedem suam ponens, in ea sanctissimè annos 5 ..vixit, obiitq. 1263. iuxta portam Ecclesiæ a parte interiori, ibidem diu humi iacens annis 219. anno deindè 1487. die Maii 26. ad eminentiorem, atq. nobiliorem locum supra præcipuam Ecclesiæ portam translatus fuit. Vbi religiosa fidelium veneratione colitur vt Sanctus, & Deo charus. Eius Supulchro impositum Epitaphium à piis quibusdã viris appositum, hoc carmine rithmico legitur. Hic compater compar in Ordine Minorum factus. Iustitia Sanctorum vt perpendiculum. Obiit B. hic in Hispania Tarraconẽsi

Frater

Epitaphium in eius tumulum.

Frater Petrus ego, cognomine Compater ante,
Carnis hic ossa tego, me Saluatore vocante
Annis millenis, centum bis, decem sex, octo plenis.
Sanctus obijt Frater de genere Minorum
Compater, imo Pater appellatus Miserorum,
Filius atque Dei, voce fauente Dei.

Quo carmine indicatur populo habitum pro Sancto. Compassiuum fuisse erga pauperes, & fauore aliquo cælesti affecto, quo Deus dignaretur filium suum appellare. In isto verbo *Pater* sunt quinque characteres, denotantque in B. Petro nostro (qui isto agnomine insigniri meruit, eo quod vt dignus Dei filius miserorum causas paterna dilectione semper fauit, & amplexus est) quinque conditiones, quibus eminens misericordiæ virtus omne complementum in ipso sortita sit. Interpres noster serm. Dom. 3. Quadrages. ad finem, Manui, quinque digitis conflatæ misericordiam nostram erga nos ipsos, pœnitentiam amplectentes, ad quã Deus misericors nos inuitat, ita pulchrè comparat. Sicut manus non est completa nisi habeat omnes quinque digitos, sic nec opus misericordiæ, nisi habeat omnes quinque conditiones, in quinque digitis figuratas. Oportet enim, quod in ipsa sit

Pater miserorũ, & Dei filius nuncupatus.

1 *Humilitas in obediendo, & iste est digitus, qui vocatur auricularis.* Matth. 7. *Misit digitos in auriculas eius.* Tunc autem mittit tibi Deus digitos in auricula, quãdo Sacerdos imponit tibi pœnitentiam, & tu humiliter audis, & obedienter suscipis. Ideo autem ab isto minimo incepi, quia hic digitus minimus, maior est lumbis paternis; idest maioris virtutis omni alia virtute.

Quinq. digiti in manu pro quinque misericordiæ conditionibus.

2 *Charitas in diligendo, non enim ad pœnitentiam te debet timor adducere, sed amor. Et est Anularis, vbi est amor.* Prouerbior. 7 *Liga eam in digitis tuis*, ligatione scilicet, & vinculo charitatis, quæ sunt vincula Apostoli, quibus nos ligare vult.

3 *Alacritas in perferendo, non in agonia. Hic est digitus medius, qui est iucundus.* Exodi 8. *Digitus Dei est hic, qui hilarem datorem diligit Deus.*

In manu discretio simbolicè.

4 *Sagacitas in præueniendo, & præcauendo, vt in omnibus seruetur discretio, & cautela. Et hic est Index, ab iudicando dictus.* Hi sunt digiti Danielis 5. *Apparuit quasi manus hominis*, in qua est discretio. Vnde nota scripturam, *quia debet esse ibi numeratio, ponderatio, & diuisio.*

5 *Asperitas afflictionis, & castigationis, vt sensus crucifigantur, qui contra Dominum insurrexerunt, cor contra spiritum. Hic est Pollex, in quo manus fortitudo consistit*, de quo Saluator Ioannis 20. *Infer digitum tuum huc, & cognosce loca clauorum.* Idest conforma asperitatem tuæ pœnitentiæ afflictioni meæ pœnæ; & vide quia ego sum, qui pro te passus sum. *Christus* enim, ait Petrus cap. 2. epist. canon. *passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, &c.* Ipsi sunt digiti (concludit Interpres omnem illam adeò loculentam allegoriam) de quibus Sponsa Cant. 8. *Digiti mei pleni myrrha probatissima.* Mirrha est amara, ait, seruat tamen à corruptione peccati, & finalis iudicii.

Digiti stillãtes mirrham primam.

Id genus misericordiæ sine proposito haud quidem in hunc locum posuimus in B. Petro nostro, Compatre in sæculo, in Religione verò Fratrum Minorum, & in societate Francisci Dei filio per gratiã, & miserorum Patre per insignem virtutẽ misericordiæ. Ex quo enim à principio suæ conuersionis misericors sui in statu pœnitentiæ effectus est; statim miserorũ compater tam in ordine ad miseriam spiritualem animarum peccatorum, quã in ordine ad miseriam corporalem ægenorum, & mentalem etiam cordium afflictionibus oppressorum cum P. Frãcisco euasit. A misericordia eius personali exorta quidem in suis præcordiis illa erga miseriam proximorum misericordia, de qua alibi Interpres noster. *Misericordia est misera suauitas rigans corda.* Oritur hæc misera, felixque suauitas ex dulcedine quinque illarum virtutum, quas ex eodẽ Interprete nostro pauló ante retulimus. Reperiuntur enim hæc quinque virtutes in vtraque misericordia, scilicet respectu sui, & respectu aliorum. Qui enim pater est miserorum, fitque compater imitatione cum Christo, *qui Pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis*; totus equidem præfata Interpretis nostri manus euadit etiam per intuitum ad extraneos. Fit namque excellens *Humilitate in obediendo* circa ea, quæ Deus mandat ad miserorum subuentionem. *Charitate* in

Misericordia duplex, in seipso, & in aliis.

Quare misericordia dicatur misera suauitas.

Completa misericordia in B.Petro.

in diligendo proximum sicut seipsum, haud formidine pœnæ, contra miserorum hostes in iudicio infligendæ; sed amore Dei, summi miserorum Parentis. *Alacritate in perferendo ea*, quæ miserentis præcordia ex aliena miseria necessariò patiuntur, licet misera suauitate patiantur. *Sagacitate, tum in praeueniendo* subuentionis opus; antequam à proximis expostuletur: *tum etiam in præcauendo*, quæ possent misericordiæ operibus aduersari, seruando in omnibus discretionem, & cautelam. *Asperitate afflictionis, & castigationis*, vt quotiens in aliquibus sensus recalcitrant, ac propterea contra Dominũ insurgere tentant, dum proximo subuenire contemnunt; crucifigantur in eadem miseriæ cruce, in qua compassionis clauis semper misericordia confixa pendet, rigatque corda ea misera suauitate, qua *digiti eius stillant myrrham primam, quæ à corruptione peccati, & finalis iudicij seruat*.

Vox Dei nũcupauit B. Petrum filiũ Dei.

Aduertendum quoque in præscripto Epitaphio aliud encomium, quod statim primo appositum est; estque illud, *Filius atque Dei, voce fauente Dei*. Vox Dei in scripturis prædicat, Parentem miserorum cum Patre misericordiarum Compatrem filium esse Dei per adoptionem. Filiatio hæc diuina in creaturis simul cum paternitate erga miseros sunt duæ res, inter se inseparabiles ob intrinsecam verarum ad inuicem relationem. *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere*, asserit communiter Eccles. in sacra scriptura edocta, de Christo Patre misericordiarum, & miserorum, & Dei filio, qui propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nasci voluit, pati, crucifigi, è mortuis surgere, in Cælum ascendere, & *Spiritum Paracletum*, seu cõsolatorem mittere miseris. *Si quaris*, ait Interpres noster ibidem in serm. fer. 4. Hebdom. 1. Quadrag. *quid est misericordia? Respondeo. Nihil aliud est, quam misero cordis impensio, non solum per dilectionem, verum etiam per compassionem, & ostensionem subuentionis, si fieri potest. In hoc igitur, quod Dei filius seipsum obtulit pro humana natura, exuberantiam suæ misericordiæ, & pietatis ostendit, & per consequens excellentiam diuinitatis*. Hæc Interpres. Excellentia hæc diuinitatis in Christo ratione suæ exuberationis erga miseros, misericordiæ, & miserorum Patrem, & Dei filium constituit, vt patet.

Constituit Christũ patrem miserorum, & Dei filium Misericordia.

Vbi autem Epitaphium præfatũ antea posuerat, Annis millenis centum bis, decẽ sex, octo plenis, nihil aliud indicat, quam esse defunctum hũc B. Petrum Compatrẽ anno 1268. die Decembris vltimo. Adiunctis enim decem sex, scilicet 60. cum octo plenis, scilicet, expletis annis 1200 profectò numerum efficiunt 1268. mortuum esse fatendum erit. Hæc Auctor Martyrolog. qui ex eodem versiculo colligit contra Vading. loco cit. 1214. nu. 9. haud verum esse diem obiisse extremum hunc B. virum anno 1216. mense Octobri. Et licet illud *verbum decem sex* posset sumi pro sexdecim, haud tamen posset hæc controuersia adhuc sub iudice remanere, quin sic fore dicendum, hunc Beatum annos tantum duos in Ordine vixisse, quod esset apertè falsum. De eo idem Auctor Martyrolog. agit ad diem Iul. 15 quia alia Reliquiarum huius Viri Sancti Translatio in locum decentiorem, dum murus vbi antea conditæ erant, ruinam minaretur, facta est eodem die sub anno 1594. Nobilibus aliquot viris præcipuis, qui eidem translationi interfuerunt, aliquæ partes ossium distributæ sunt, & byssini veli, quibus inuoluebantur Reliquiæ, quæ non pauca operatæ sunt miracula, prout scribit Vadingus supr. ex additionibus Prouinciæ S. Iacobi in præfato Conuentu Ouetensi.

Obitus, & sepultura B. Cõpatris.

Eiusdẽ translatio, & non nullarum reliquiarum distributio.

Ad annum 1215. in quo regressus Legislatoris Francisci è Regno Galitiæ in Italiam. Concilium Lateranense IV. vbi Innocentius repetito oraculo legem Minorum comprobat.

PANEGIRICVS XXX.

Lampas, eò collucidior, quò contemptibilior.

Trigesimusquintus Discipulus ex numero LXXVIII.

BEATVS IOANNES simplex, à B. Francisco, & quidem auspicatissima appellatione, ita nuncupatus. Hic etiam & vir Agricola in sæculo, in Ordine, & sub Minorum lege professione laicus, qui sancta illa rusticitate (de qua D. Bonauentura in speculo disciplinæ) multa gratia, & columbina simplicitate, nec sine serpentis prudentia, claruit. Hic B. erat profectò illa Lampas Iob 12. *Deridetur iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum*. Vide Gregorium apud Interprẽ nostrum serm. Dom. 13. post Trinit. alibi addu-

adductum. Mundi diuites hanc lampadē in iusti simplicitate derident; & maximè in Ioanne nostro, cuius nomen lampadē gratiæ, vnde eius aurea anima reipsa illuminabatur, eiusque mens ardebat, indicabat, iuxta illud eiusdem Interpretis nostri ibid. paulò superius super cap. Zacch. 4. *Lampas est infusio gratia, qua anima illuminatur*. Ioannis lampadem idcircò à mundo contemptam, quia in mundi cōtemptum mirabiliter coruscabat, Pauperum Patriarcha in magnam habebat dilectionem, ac venerationem, vt infra dicemus.

Lampas est infusio gratiæ.

Accedens ergo B. Ioannes ad Legislatorem Franciscum, eiusque legem amplectens, profitensque, accessit & illi misticus Iona, ad Vrbem Niniuem missus; de quo Doctor noster serm. fer. 4. Dom. 1. Quadr. *Ionas, ait, idest columba, signat cor hominis, in quo debet esse simplicitas columbina*. Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus. *Niniue germen pulchritudinis pulchram animā præfigurat*; de qua Cant. 4. Tota pulchra es amica mea. In Arcam Seraphicam Religionis Minorum, quæ in Arca Noe, vt alias diximus ex Doctore nostro præmonstrata fuerat, venit ista B. Ioannis *Columba in vespere, portans ramum oliuæ*. Quod probatur ex interpretatione Doct. nostri in serm. Dom. 19. post Trinit. illis verbis. *Columba dicta quasi colens lumbos, est simplicitas, & puritas, quia lumbos tunc colit, cum luxuriam restringit*. Hæc Colūba, subdit, ad Noe, idest pœnitentem, in Arcam, idest quando Sol iam mundanæ prosperitatis, & calor concupiscentiæ carnalis in ipso tepuit, tunc ramum portat oliuæ virentibus foliis. *In ramo mentis constantia. In oliua serena hilaritas conscientia. In virentibus folijs verba designantur salutaria. Hac omnia Columba portat, cum simplicitas ad mentem pœnitentis venit*.

B. Ioannes misticus Ionas.

Colūba Arcæ Noemicæ.

Audiamus modo accessum huiusce Columbæ ad Franciscum, eiusque volatū ad superos (antequam ad ipsos Seraphicus Vir Franciscus alis sex Seraphin peruolasset) videamus ex S. Antonino 3. par. histor. tit. 24. cap. 2. *Frater Ioannes*, ait, *à S. Francisco cognominatus Simplex, quem sequentem bouem, vt alterum Helisæum ad culturam Euangelica perfectionis adduxit. Qui tamen tanta innocentia puritate pollebat vt in omnibus Sanctum orantem actibus, & gestibus corporalibus vellet imitari. Et ideo dum Sanctus orabat, ipsum aspiciebat continuè, & curiosè. Ita quando B. Franciscus flectebat, vel leuabat genua, vel manus, vel oculos ad Cœlum, vel spuebat, vel suspirabat, vel oscitabat, Frater Ioannes iste se ei conformabat. Et cum Sanctus de hoc dulciter reprehenderet, respondit. Pater, ego promisi facere, qua tu facis. Quare necesse habeo facere, quæ te videro adimplere. Qui peruenit ad magnam sanctitatem, & ante Beatum Franciscum de hac vita migrauit*. Hæc D. Antoninus.

Historia de B. Ioanne ex D. Antonino

Magna in eo cum simplicitate innocentia.

Extento Iustitiæ, ac Sanctitatis Francisci perpendiculo, de quo paulò ante in B. Petro Compatre, super animam simplicissimam, candidissimam, innocentissimam, purissimam, ac rectissimam Beati Ioannis, adeò illius vtrique homini se conformari studuit, vt cum eo in omnibus veluti transfiguratus apparuerit. *Iustus*, ait Interpres noster Dom. 2. de Transfiguratione; *non debet se transfigurare, sed transfigurari*. Quemadmodum transfiguratus est Christus ante tres Discipulos in Monte Tabor. *Et transfiguratus est ante eos*, Matth. 17. Ita pariter & Franciscus, qui super montem noui luminis (*vbi verè est transfiguratio de figura huius mundi, quæ præterit, in figuram Dei, quæ permanet in sæculum sæculi*; teste eodem Interprete) Christi similitudinem præseferebat; ante suum Ioannem, qui cum esset simplex, illius figuram in omnibus præsentabat, transfigurabatur. Docet Interpres noster illam quoque transfigurationem in nobis, ante Domini faciem per imitationē positis. *Huic figuræ*, ait, *te quasi mollem ceram exhibe, vt figuram Iesu Christi possis recipere*, quæ talis fuit. *Resplenduit facies eius sicut Sol. Vestimenta autem eius erant alba sicut nix*. Vide ibi in Dominicali, vbi per transfigurationem ad Christi faciem. In facie nostræ animæ, inquit, sunt tres sensus spirituales, summi artificis sapientia recto ordine dispositi. *Visus scilicet fidei. Olfactus discretionis. Gustus contemplationis*. Et paulò infra. Olfactus discretionis quasi quædam trutina inter visum fidei, & gustum cōtemplationis ponitur, vt facies animæ nostræ resplendeat sicut Sol. *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*. Et Interpres. Animæ nostræ vestimenta sunt huius corporis membra. Hæc debent esse candida. Probat ex Eccles. 9. & Ezech. 36. sicque concludit. Vestimenta ergo, idest membra corporis nostri, sint alba sicut nix, vt & ardorem peccati extinguat frigiditas niuis, idest compunctio mentis. Et peccati immunditiam abluat albedo sanctæ conuersationis. Affert deinde statim aliam explicationem his verbis. *Vel vestimenta anima nostra sunt virtutes, quibus induta in conspectu Dei apparet gloriosa*. Vtraque vestimenta erant in B. Ioanne, & cuncta candida, ac simplicia sicut nix. Idcirco eius vtriusque hominis facies, ac præsentia, ante

Iustus debet transfigurari, non transfigurare.

Ante figurā Christi simus molles cera.

Sensus spirituales animę

Vestimenta animæ corporis membra.

Vel etiam virtutes.

ante faciem, ac præsentiam Francisci posita, quasi mollem ceram se exhibebat, vt eius figuram recipere posset, & in eam iuxta Interpretis nostri monitum transformari, ac transfigurari.

Qualiter autem in nobis hæc transformatio facienda, quærit Interpres statim, & ita ad quæstionem sententiam suam affert. Respondeo, inquit, ista transformatio fit tribus personis præsentibus. Quia homo transformatur *ex bestia in hominem*, & hæc transformatio fit *per pœnitentiam*, quæ figuratur per Petrum, qui *egressus foras*, idest extra peccatum egressus, *fleuit amarè*. Quandoque *ex puero in senem*, quæ fit per *Iustitiam*, procedendo de virtute in virtutem, vbi iunior senem nititur supplantare, quia renouatus per gratiã, vult moribus senex effici. Hic est *Iacobus* supplantator. Vel è conuerso *ex sene in puerũ* ad Ephes. 4. *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induite nouum, qui secundũ Deum creatus est.* Hic Iacobus supplantat Esau, idest *spiritus corpus*, ipsique benedictionem subripit. Quandoque *ex homine Angelus efficitur*. Isti sunt, *qui Angelicè, & in virginitate viuunt, secundum Hieronymũ. Qui mundi nuptias fugiunt, & Religionem intrant. Isti sunt Ioannes, idest prædilecti, quia Discipuli, idest humiles, quia omnia relinquunt, nuptias spernunt*.

Transformatio mistica in nobis de malo in bonum.

Igitur B. Ioannes noster, vt huiusmodi transfigurationem in societate Francisci peculiari quodam modo nancisceretur, vnum bouem reliquit, & quinque boum iuga contempsit. Moraliter qui per boues intelliguntur? Interrogat Doctor noster serm. fer. 3. Hebdom. 4. Quadrag. & statim respondet. Intelliguntur dediti mundi delectationibus, & qui solum de consolationibus curant corporis, animam negligẽtes. Isti sunt per illos Mercatores figurati, de quibus Lucæ 14. *Iuga Boum emi quinque*, &c. Emunt boues, quos probat stultos esse mercatio, quia dant conscientiã, & animam suam pro pretio. Prouerb. 7. *Isti ad morem boum semper arant terram: Cælum negligentes*. Isti semper paleas comedunt, de quibus fornax Inferni est succendenda. Paleas, inquam, illas, quas filii Israel in Aegipto colligere cogebantur, ad construendos lateres terrenos, idest opera immunda. Insuper spreto iugo Dei, iugo se subiiciunt inimici, de quo Psalmista. *Dirumpamus vincula eorum, &c.* Immò si aliquando iugum Domini imponatur ipsis, *vt portent legem Domini, & Arcam pœnitentiæ, in qua lex continetur, &c. calcitrant, nec eam vsque ad terminum perducunt, &c.*

Boues moraliter qui in malum

Spernunt iugum Dei, vt Diaboli iugo se subiiciant.

Relictis hisce bobus moralibus, quinq; iugis miserrimè diu, noctuque obligatis, in vno boue materiali à Ioãne, ceu Agricola Seraphicus cum Francisco Legislatore, & Agricola Euangelico, non amplius in terreni, sed in cælesti cultura se totum occupare voluit. Sic factus est sub iugo legis Fratrum Minorum cum ipso quoque Francisco, in quem & transfiguratus, bos Apostolicus, vt probari potest ex Doctore nostro in serm. 2. de Apostolis, quos misticè boues eos extitisse, ex septem proprietatibus, ibi ostendit. In quinta, & septima bouis proprietate ab illo explicata, B. Ioannis nostri imago pulchrè præsentatur. Paucos post annos ipse migrauit ad Christum non sine nota eximiæ sanctitatis. Eius laudabilem conuersationem sæpius Vir sanctus referebat, & extollebat; itaut non Fratrem Ioannẽ, sed *Sanctum Ioannem simplicem appellarit*: tanta erat eius Humilitas, Paupertas, Oratio, atque vitæ perfectio..

A B. Franc. valde amatus, & celebratus B. Ioannes.

De Bobus Apostolicis, ait Interpres citatus. Quintò Bos patienter, & perseueranter vsque ad vesperam iugum portat, & tunc soluitur ad pascua. Sic Apostoli præsentem vitam habuerunt in patientia, & mortem in desiderio, Philipp. 1. Item Apostoli fuerunt per totam vitam in labore, & post mortem in requie, Ioannis 10. Septimò in Boue nihil est inutile, sic nec in vita Apostolorum. De corio Bouis fiunt calcei. Et de conuersione Apostolorum exemplum sumitur, quod vt calceus pedes munit affectus. Cantic. 2. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis*. Calcei, seu Sotulares muniunt contra frigus, contra lutum, contra asperitatem viarum. Sic Apostoli. *Contra frigus pigritiæ munimur consideratione solicitudinis eorum*, 2. Corinth. 11. *Contra lutum auaritiæ consideratione paupertatis eorum, & humilitatis*, Matth. 19. *Contra asperitatem tentationum, consideratione laboris, & martyrij eorum*. Psalm. 16.

Boues misticè pro Apostolis.

In Boue nihil est inutile

De carne Bouis fit cibus. Carnes Apostolorum sunt dicta eorum, & facta carnalia. Sicut Petrus carnaliter dixit Matth. 16. Absit à te Domine. Item, quod nimis eum carnaliter diligebant. *Ex his enim pascimur ad cautelam*. Fimo Bouis terra impinguatur. Fimus Apostolorum sunt peccatores ante conuersionem, & post. *Ex quibus impinguamur ad spem veniæ*. Vnde Gregorius. *Thomæ infirmitas, nostra firmitas fuit, vt ita dicatur*. Hæc Interpres noster, ex quibus apparet, quod Beatus Ioannes inhians, in societate Francisci vitam amplecti Apostolicam, & Apostolorum exempla sequi, transfiguratus est cũ ipso Francisco (cuius munus in omnibus imita-

Peccatis Apostolorum impinguamur ad spẽ veniæ.

imitabatur, relictis iam in vno boue materiali pluribus bobus moralibus) in bouem Apostolicum iuxta quintam, & vltimam proprietatem præfatam de boue. Quandoquidem habuit, & ipse cum Apostolis vitam præsentem in patientia, & mortem in desiderio. Fuit cum Apostolis per totam vitam in labore, & post mortē in requie. Nihil in eo inutile extitit, quia sollicitus contra pigritiam. Pauper, & humilis contra auaritiam. Laboriosus, & martyr tam desiderio, quam ob vitæ asperitatem, in qua apostolicè claruit, eiusque corpus, ea apostolicè finita, sepultum est Assisii in Conuentu S. Mariæ de Angelis. Agit de eo Auctor Martirologii die Maij 2.

PANEGIRICVS XXXI.

Tentoria Castrensia.

Trigesimus sextus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. RAYNERIVS, natione Marchianus, Patria Fabrianus, dignitate Plebanus Ecclesiæ Ciuitatis, candore vitæ in sæculo Angelicus, vt propterea Seraphicus Pater Franciscus pluries ei confessus fuerit, illiusque filius spiritualis fieri elegerit. Hic demum professione Franciscanus, & merito à B. Francisco prophetatus circa ingressum Ordinis, vt habent Historici nostri. Quare multo ante præfiguratum inuenio in cap. 10. Numerorum, vbi sic textus sacer: *Dicit Moyses ad Heliab, aut Obab filium Raguel. Veni nobiscū, & noli nos relinquere; Tu enim nosti, in quibus locis per desertū castra ponere debeamus, & eris Ductor noster.* Cuius scripturæ interpretatio digna quidē est apud Doctorem nostrum in serm. 3. Dom. 1. Quadrag. de septem desertis. alibi à nobis enucleatis. Vbi autem loquitur de tertio Deserto pœnitentiæ, in quo debet homo duci à spiritu consilii. quia pœnitentia de Sacerdotis consilio est habenda, subdit statim super citatum textum hæc alia.

Laudes B. Rainerii in officio boni Plebani.

Heliab interpretatur diuina Paternitas, & Sacerdotem meritò præfigurat; qui pater est spiritualis. Raguel verò Pastor. Est enim Sacerdos pater populi, sed filius illius pastoris, qui dicit Ioann. 10. *Ego sum pastor bonus. Ad hunc spectat, ducere populum per desertū pœnitentiæ, & designare loca, vbi populus castra, idest stationes debeat collocare. Puta superbos in valle humilitatis. Desperati in monte fiduciæ. Lasciui in loco aspero, & austero, & sic de alys.*

Diuina paternitas in Sacerdote factus pater spiritualis aliorum.

Non solum B. Raynerius noster populū, suæ curæ commissum in pœnitentiæ desertum sæpius introduxit, verum etiam & ipsum Franciscū, pœnitentiæ exemplar, & Magistrum, dum illius meruit patrem spiritualem esse. Deserto pœnitentiæ immediatum facit Interpres noster loco citato quartum desertum, *scilicet Religionis professionem, quam, inquit, ardua vita aggreditur.* Ideò talibus professoribus dictum est. *Estote fortes in bello, nam nemo mittens manum ad aratrum, &c.* Hoc ingressus est Plebanus noster desertum, præmonitus à suo filio spirituali Francisco, præallectus, ac persuasus. In tali deserto fuit fortis in bello, misitque manum ad aratrum adeò constanter, ac feliciter, vt nunquam retro respexerit. Etenim annis triginta sanctam, & laudabilem vitam duxit in Ordine. Obiit tandem Seraphicis meritis cumulatus ad annum 1268. apud Fabrianum, ibique iacet miraculis clarus. Martirol. die Septemb. 5.

Eius obitus, & sepultura

PANEGIRICVS XXXII.

Binus Agnus ex duobus Lupis.

Trigesimus septimus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. AGNELLVS, Lupus antea vocatus, insignis, & efferus latro, voraxq. bonorū alienorum, & aliquando vitarum carnifex, ad scissuras Aluerniæ Montis delitescens. Ipse duos proferens Lupos, alterum nomine, alterum moribus, deuoratos à Lupo Diabolo, vt ouis ex ouile Christi expulsa, Lupus binus euasit, qui nomine, ac re omnem illam Etruriæ regionem terrefaciebat. Describit Interpres noster Lupi naturam in ser. Dom. 1. post Pascha, *De ouium mercenario*, atque ex illius etymo, & proprietatibus historiam naturalem suis moralibus paralellis exornat. Lupus, ait, significat Diabolum, & huius Mundi tyrannum, cuius sessor est Diabolus. Hic est Equus quartus, de quo Apocal. 6. *Quem mercenarius cum viderit venientem, dimittit oues, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit oues.* Paralella sunt sequentia.

Quis hic B. Minorita.

Lupus mistice Diabolus.

1 *Diabolus tamquam Lupus quidquid prœsserit pede superbiæ, occidit.* Vnde Dauid Psal. 35. huiusmodi pede præmi timens, orabat, dicens. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Sicut enim omnia membra pedi innituntur, sic omnia vitia superbiæ, quia ipsa est initium omnis peccati.

Pes eius est superbia.

2 *Dia-*

Superbia guttur ouibus restringit.

2 *Diabolus insidiatur ouibus, idest Ecclesiæ fidelibus*, quorum guttur restringitur, ne peccata confiteantur. Qui tantæ est superbiæ, vt ceruicem ad humilitatem flectere non possit.

Improuiso eas inuadit. Sanctis deluditur.

3 *Improuiso impetu tentationis inuadit; sed à Sanctis, qui eius non ignorant astutias, deluditur.*

5 *Hic si hominem incautum* viderit, eũ à sui criminis confessione, & Creatoris laude obmutescere facit. Si verò inuigilans sibi, tentationem eius præuiderit, Diabolus se deprehendi erubescit, & sic tentationis vires amittit.

Comedit terram.

5 *Quando in Sanctis non inuenit quid comedat, terra, idest auaris, & luxuriosis vescitur.*

Pascitur vento

6 *In Montem*, idest ad illos, qui sunt dignitatis sublimitate constituti, ascẽdit, & ibi vento vanagloriæ, & pompæ sæcularis se reficit.

Duo valde timet.

Diabolus super omnia (sicut Lupus, qui duo valde pertimescit, ignem, & viam tritam) duo specialiter timet, ignem scilicet charitatis, & viam tritam humilitatis. Si hæc duo

Diabolus, & mercenarius amici.

mercenarius haberet, non vtique fugeret. Sed ideo fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. *Diabolus & mercenarius quadam amicitia, & pactione coniuncti sunt, vt patet in Rege Sodomorum, dicente ad Abraham Gen. 14.* Da mihi animas, cætera tolle tibi, *scilicet lanam, & temporalia.*

Ignis charitatis, & via trita humilitatis in Frã. pastore.

Cum in B. Francisco, iam Legislatore, & Pastore in ouile Fratrum Minorum, imò & Christi, constituto, igne charitatis per Seraphicum incendium æstuaret, & via trita, realis, & ampla Apostolicæ humilitatis vnicè pateret, haud mirum si ista duo præcipua in ipso Tartareus Lupus plurimum formidaret. In Lupo nostro dum ad voranda bona aliena insatiabili quadam fame latrocinãdo inhiabat, diabolicus Lupus veluti ipsi insidens inerat. Sic transformata hæc Christi ouis in naturam Lupi, & in naturam Diaboli, per cãpestria, & nemora, siluasque, ac per scissuras petrarum longe à pastore aberrans, nunc insidiabatur itinerãtibus, quos improuiso impetu inuadebat, spoliabat, & plerumque occidebat. Nunc incautos in propriis domibus, & in via, siue plebeos, siue prælatos terrebat, nudosque vt plurimum dimittebat. Multa alia facinora Lupi naturam imitando, & ipse dupliciter Lupus executioni mandabat. Bonus Pastor Frãciscus, quia Pastor erat, & non Mercenarius, & ad eum pertinebat de ouibus, quibus Ecclesiæ Catholicæ ouile per eum reparandum erat, igne charitatis, ac via trita humilitatis in nostro Lupo, Inferni Lupo; superbiæ, auaritiæ, lasciuiæ, & rapinæ pedibus insidias molienti ingentem incussit pauorem. Nam eum conuertens, auferensque ab eo Lupi nomen, & naturam, reliquit eum Diabolus, ex ipso magna formidine affectus aufugiens, ita binus hic Lupus adeò terrificus, atque crudelis factus est, & vocatus est à Beato Francisco Agnus. Qui à ferocitate ad insignem mansuetudinem deductus, & ita binus Agnus nomenclatura, & proprietate effectus, vir magnæ sanctitatis euasit; igneque charitatis, ac via trita humilitatis vsque ad finem vitæ Auernum Lupum terrefecit. Vide Scriptores de eo apud Martirolog. die Iul. 31. inter quos Cornelius à Lapide Cõment. in Eccles. cap. 3. vers. 21.

Vocatus frater Agnellus hic Lupus à Beato Franc.

PANEGIRICVS XXXIII.

Arithmetica ex quinque senariis auspicatio.

Triginta Discipuli simul vocati ex numero LXXVIII.

Hi triginta B. *ANONYMI*, nobis ignoti, Deo notissimi, in Vrbe Auximii in Picæno, vulgo Osimi, à B. Francisco ad suam societatem recepti sunt. Vadingus num. 23. Hæc Anonyma societas in Discipulatu Seraphico ob sacramentum numeri 30. felix quidem, & sub digno auspicio memorabilis adiudicanda est. Triginta fuerunt anni, quando Christus cæpit prædicare, & Ecclesiæ Christianæ initia exordiri. Quot annos fermè habebat Franciscus in suæ quoque prædicationis inceptione, vt in principio Tract. 2. lib. 1. aduertimus. Item numerus iste trigesimus ex quinque sexenariis, veluti ex totidem perfectionis numeris erũpit. *Quinque enim sex triginta efficiunt.* Numerus autem senarius omni caret imperfectione, vt docent Arithmetici, quia semper in se, licet in suas partes scindatur, idem est, nullam recipens accretionem, nullamque diminutionem. Vide in primo tomo nostro de rebus Austriacis ad Commentarium schematis Frontispicii, & alibi in Libris nostris pluries.

Numerus triginta ex duplici via auspicatus.

Scriptores quoque sacri idipsum communiter docent de numero senario, quibus etiam eum commendat Interpres noster in serm. Dom. 5. post Trinitatem. *Sex diebus fecit Deus ornamentum Mundi, qui numerus perfectione sua perfectionem operum Dei significat.* Ergo Anonymorum nostrorum numerus triginta, & quia numero

Numeri sexenarii perfectio.

numero annorum triginta Christi, suam prædicationem incipientis respondet, & quia ex quinque numeris sexenariis conflatur, omni bono omine in suorum, quos continet Minorum carentia nominis. clarus dicendus est, iam omni perfectione in sua beatitate refertus.

PANEGIRICVS XXXIV.

Pisces aliquot, vel pluialis aquæ guttulis necati, vel aere excæcati.

Sexagesimus octauus Discipulus ex numero LXXVIII.

Hunc *MINORITAM* nomine prorsus ignotum, rescribens Vading. ex Mariano, & Vgolino, quis fuerit in moribus circa iudicia parum recta in principio de sanctitate Francisci, licet postea in contrarium mutata, ita demonstrat. In eodẽ itinere (ait de Francisco apud Picænos) adiũctus est ei quidam socius, apud quẽ non erat æqua viri sancti existimatio, neque digna de eius sanctitate opinio, vt plerumque fit, non omnibus omnes sanctos probari. In quodam ergo ex eis locellis, quos iam possidebant Minores in prædicta Prouincia, ad quem declinauit Vir sanctus, alium sibi similem inuenit hic modicæ fidei socium, qui inuicem murmurantes, dicebant.

Murmurant cum alio socio de sãcto Franc.

Vnde Fratri Francisco tanta hominum veneratio, & sanctitatis opinio? Quid plus cæteris præstat? Nonne cum cæteris edit, bibit, dormit? Eadem lacerna vestimur, ijsdem vescimur cibis, eandem omnes agimus vitam, eiusdem sumus conditionis. Vnde adeò respiciendus in populo, &c. Hæc Annalista, quæ quidem cum secundum faciem iudicia essent, nec æquè benè, immò malè suspicata, alicui inuidiæ, & otiositati referenda. Dicamus primò de inuidia.

Loquens Interpres noster de febri, ex humoribus procedente, eamque multipliciter distinguens ex Galeno, illam, quæ ex materia frigida oritur, & est quotidiana, adaptat vitio inuidiæ, cui etiam alia simbola annectit. Vel melius (ait in serm. fer. 5. Dom. 3. Quadrag.) potest huic febri vitium inuidiæ adaptari, quæ procedit ex materia frigida. Hæc benè est quotidiana, quia vt ait Bernardus, *cum quolibet vitium exerceat in breui actum suũ, inuidia continuè stimulat inuidentem. Item habent proprietatem quorundam piscium, de quibus legitur, quod gustantes aquam pluuialem, statim moriuntur, etiam ad modica gutta gustum, quia est eis quasi venenum,*

Inuidiæ simbola nonnulla

Quidam verò aere excæcantur; sic inuidus moritur, dum sentit stillam diuinæ gratiæ, quã Deus immittit proximo. Item excæcantur, quia bonum proximi habere non possunt. Hęc Interpres.

Huius vitii inuidiæ impetus duplex ostium, vim inferens naturæ, instrumento linguæ frangit, vt ad murmurationem inuidus exeat, ipsam seruorum Dei sanctitatem incomposita allocutione carpens. Docet enim Interpres noster in serm. Dom. 3. post Epiph. Natura posuit duplex ostium ante linguam, scilicet dẽtes, & labia, ne meretrix, semper praua diligens, de qua Prouerbio, *Egrediatur in plateam garrula, & vaga.* Claudit ergo dentes, comprimendo labia, ne meretrix egrediatur ad lupanar. Vnde Eccles. *Ne dices mulieri nequam veniam prodeundi.* Id ipsum docet serm. Domin. 4. post Pascha super illam authitesim Iacobi in epis. cau. *Velox ad audiendum, tardus ad loquendum,* &c. & super illud Psal. 38. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ in labijs meis.* Vbi acutè demonstrat contra detractores, quid sit *ostium circumstantiæ* in incauta de proximi allocutione. Id, quod alibi nos docuimus. Deinde annectit vulgatam eiusdem Iacobi sententiam, de malis, quæ à lingua, parum recta oriuntur. Ibi enim sic repetit. *Primum, & secundum ostium frangit lingua, & tamquam meretrix in plateam exit, garrula, & vaga, & inquieta, & impatiens, omnia perturbans.*

Inuidiæ vis mouens linguam ad detractionem.

Tempus vilo tempore paruipendẽdum otiositate.

Quod verò spectat ad otiositatem docet idem Interpres ibidem paulò infra ex Diuo Bernardo. *Nemo parui existimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Siquidem* acceptabile est tempus, & dies salutis. *Euolat verbum irreuocabile, nec auertit insipiens, quid amittat. Confabulari (inquiunt) licet, donec hora prætereat, quam tibi ad obtinendum veniam, ad inquirendum gratiam, ad agendum pœnitentiam, ad promerendum gloriam indulsit gratia Cõditoris,* &c. Fortè confabulatores nostri aliquã to inuidiæ febri exagitati erant, vt illud tempus expenderent, ad carpendam Seraphicam Patris Francisci vitam. Quod cum minimè acquiescerent, donec ad aliquid peculiare circa gesta Viri sancti deuenirent, inuidum eorum animum stimulauit curiositas. Etenim, addit Annalista, dum supradicta, & alia inter se proferrent, statuerunt maiori sollicitudine sancti Viri obseruare actiones. Nocte ergo illa, expleta iam refectione, post breuem initam cum fratribus collationem, in cellula se recepit Franciscus, vt breuiusculo somno refectis artubus, libe-

Confabulatio otiosa ex aliquali inuidiæ impulsione excitata

liberius ad orandum consurgeret.

Vnus ex his vitæ sancti Viri exploratoribus curiosius obseruans, quatenus ante cæteros Fratres iuerit cubitum Dei famulus, rediens ad socium, irrisoriè inquit: *Qualis est hic Frater Franciscus, qui adeo opportunè indulget somno. Hic ne ille adeo admirandæ sanctitatis, & superexcellentis virtutis Homo?* Sed dum circa hoc per aliquantulum temporis spatium confabularentur, denuò rediit explorator ad cubiculum, obseruaturus, an adhuc Vir sanctus dormiret, altoque somno perseueraret.

Temeraria suspicio vlteriùs progressa est.

Inuenit autem patens ostiolum, & lectum absque decumbente, proposuitque proinde serius inuestigare, quo se contulerit Vir sanctus. Perlustratis frustrà ędiculæ angulis, inuentoque reserato ostio, quo tendebatur ad nemus, cœnobiolo contiguum, illuc suspicatus est perrexisse.

Facta operũ Franc. vigil explorat.

Audiuit enim in Francisco familiare esse, orare in nemoribus syluis, abditisq. recessibus, & locis idoneis libera cum Deo inire colloquia. *Dum itaque interiora nemoris penetraret, audiuit Virum Dei feruorosius pro hominum salute clamantem, vocesque suas Cælo inserentem, dulcia tandem suspiria ad Sacratissimam Virginem emittentem, rogantemque humiliter, vt filiũ suum dilectum ei vellet ostendere.*

Hoc est illud Interpretis nostri in ser. Dom. 11. post Trinit. de Publicano, quem meliorem sui faciebat humillimus Franciscus. *Publicanus non audet appropinquare, vt Deus ad eum appropinquet. Non aspicit, vt aspiciatur.* Sicut statim contigit. Vidit namque socius eius lucem magnam, vniuersum locum circumdedisse, & in miro splendore, ineffabilique pulchritudine *Sanctissimam Virginem, filium vlnis gestantem, è Cælo descendisse, & Francisci brachiis amicè, & familiariter tradidisse.* Quem ille tenerrimè amplexans, & velut alter Simeon, summa cum reuerentia, & lætitia in brachiis tamquam in ara tenens, interpellabat modis omnibus pro peccatorum conuersione, vniuersique orbis salute, dulces intermiscens casti amoris blanditias.

Videt visionẽ magnam.

Ad hæc territus socius, animoque, & corpore consternatus, iacebat velut exanimis in semitam, per quam ad ædiculam erat redeundum, donec pulsantibus Fratribus ad matutinum, restituto Sacratissimæ Matri dilecto filiolo, regrederetur Vir sanctus, videretque iacentem in terra. Cui subleuato, & ad se reuerso, præcepit, vt nulli, dum ipse viueret, quæ vel vidit, vel audiuit, referret.

Cõsternatur ad illam visionem, adeò mirandam.

Ille contrariò, putans, non esse bonum talentum Regis abscondere, sed ad maiorem Dei gloriã excelsa huiusmodi opera esse manifestanda; Fratribus omnibus secretò rem narrauit, conceptaque iam altera de Viro Dei opinione, temerarii sui iudicii digna egit cum socio murmuratore pœnitentiam, & deinceps tamquã Angelum Dei sanctum veneratus est Patriarcham. Hæc Vadingus citatus ad an. eundem sub num. 29.

Nolite iudicare, & non iudicabimini, Lucę 6. Ibi Glossa, ait Interpres noster in ser. Dom. 4. post Trinit. *De apertis malis, quæ bono animo fieri non possunt, permittitur nobis indicare. Sunt autem quædam media, & incerta quomodo fiunt, quia bene, & male possunt fieri, & de illis non licet iudicare. Neque de homine viuente*, nescimus enim qualis futurus sit, qui nunc est malus, de cuius correptione desperare, eumque abiectum repræhendere, temerarium est.

Quando de factis proximis iudicãdum.

Super hoc (subdit statim) 2. Regum 6 *Extendit manum Oza ad Arcam Dei*, &c. Arca est anima, boues corporis sensus. Oza, qui interpretatur robustus, est aliquis de sua virtute confidens, & aliis detrahens. Recalcitrantibus ergo bobus, idest infestantibus, & contradicentibus corporis sensibus, anima aliquando maculatur in alicuius consensu culpæ. Quod si præsumptuosus temeraria manu detractionis voluerit tangere, iudicium Domini se nouerit incurrisse, qui dixit. *Nolite iudicare, &c. Dicit Philosophus, si adhuc malus es, tui simili parce.* Hæc Interpres. Hic socius Francisci aliquali, vt puto temeritate manu detractionis sanctæ vitæ Viri sanctissimi Arcam tangere cum alio socio præsumpsit. Ast iracundia Domini erga ipsum, & socium eius in magnam indulgentiam cõuersa, percussit cor eius visione præfata ad veram pœnitentiam, quam cum illo temerarii iudicii collega dignè egit. Meliusque didicit in posterum id, quod docet Interpres noster in serm. Dom. 6. post Trin. de Moyse, qui fugiens de conspectu Pharaonis, eum occidere quærentis, vt habetur Exod. 2. *Moratus est in terra Madian.* Vbi Intepres. *Et tu fuge, quia Diabolus quærit te interficere*, & habita in terra Madian, *quæ interpretatur Dei iudicium, vt terram tuam iudices, ne à Domino iudiceris. Et sede iuxta puteum humilitatis, vt haurias aquam in vitam æternam salientem.*

Tangere temerario iudicio Arcam seruorũ Dei vindictam prouocat.

Diabolus iudicus temerariis interimit.

PANE-

PANEGIRICVS XXXV.

Apicula, circum Rosetum peruolans.

Sexagesimus nonus Discipulus ex numero LXXVIII.

Tria in nobis gratia Spiritus S. operatur.

B. ANONYMVS Tirunculus, cui fortè dixerat Franciscus illa Christi verba Lucæ 2. *Adolescens tibi dico, surge*. Super quæ Interpres noster in ser. fer. 5. Hebd. 4. Quadrag. *Gratia Spiritus Sancti est vetustatis innouatiua*, Adolescens. *Tepiditatis incitatiua*, Tibi dico, *Stabilitatis subleuatiua*, surge. Surrexit hic Adolescens, tum à fama mirabilium Francisci, tum & ab Apostolica illius prædicatione excitatus; nam Sancti Spiritus gratia ad vitæ nouitatem in illius ordine allexerat. Quæ sæcularem in eo incitans tepiditatem, subleuansque propositum, eius piũ animum solida stabilitate in re adeo ardua tandem firmauit. Nuncupat eum Vadingus num. 30. ad marginem *Tyrunculum* per diminutionem, quia ætate adolescens, nouellus erat Tyro (ita ab eo vocatur in textu) scilicet nouitius, recensque miles Christi, fortisque ad militiam exercendã sub columbina simplicitate.

In terra Hus scilicet consilii, habitat vir iustus.

Vir erat in terra Hus nomine Iob. Et erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo Iob 1. Fuisse hunc virum mysticè tyronem nostrum, cuius mens candidissima, ac simplicissima, patet ex Interpretis nostri commentario in serm. Dom. 13. post Trinit. quod ita se habet. *In terra Hus*, idest consilii habitat Vir Iustus, qui Domini consilia obseruat, vt præcepta. *Hic est simplex in cordis puritate. Rectus in animi affectione. Deum timens in virium naturalium ordinata exæquatione. Recedens à malo in mentis soliditate. Hoc fac, vt sis simplex, idest sine plica fraudis, non tuam, sed Dei laudem quærens.*

In ista terra consilii habitans sine plica fraudis adolescens noster, erat Tyro, scilicet nouellus miles, annis, & vitæ nouitate tenellus, & nihilominus fortis quoque, ac magnanimus in res difficiles apparebat ad Christi militiam exercendam; id enim vocabulum, Tyro, denotat, vt explicant Latinæ linguæ Interpretes. Quamobrem cum sub ipso tyrocinio reperio inter illos Christi Discipulos, qui, vt ait Marci 6. *Erant laborantes in remigando*. Quod ita esse, planè intelligere possumus ex Doctoris nostri interpretatione in serm. Sabbati, in capite Ieiunii.

Tyronis vocabulum explicatur.

Erant igitur, inquit, Discipuli pœnitentes in hac via, & laborabant in remigando. *Quia opus pœnitentiæ laboriosum est. Sic omnis virtus est circa difficile.* Ratio autem laboris erat, quia ventus, idest Dæmonis tentatio erat eis contrarius. Sed sic laborantibus diuinum subsidium non defuit. Ideò dicit Euangelista, quod *quarta vigilia noctis venit ad eos. Quatuor vigiliæ noctis quatuor sunt tentationum modi*, in quibus debet homo sollicitè vigilare, quas tangit Glossa super Psal. 9. ad illum versiculum. *A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & Dæmonio meridiano.* Omnis enim tentatio vel est parua, vel est magna. Item vel occulta, vel manifesta.

Opus pœnitentię quam laboriosum.

Quadruplex tentationis modus.

1 Si parua, & occulta, sic est sagitta volans, negotium perambulans in tenebris.

2 *Si parua, & manifesta, sic est sagitta volans in die*. Volat quidem, quia leniter transit in die. Nota, quia manifesta.

3 *Si magna, & occulta, sic est incursus.*

4 *Si magna, & publica, sic est Dæmoniũ.*

Post hanc priorem explicationem pergit Interpres ad posteriorem his verbis, Vel aliter. Quatuor vigiliæ quatuor sunt considerationes cõtra quatuor Dæmonis tentationes. Tentat enim per viã amoris, laboris, torporis, pudoris, vt homo experiatur inexpertus.

1 Hieronymus, dulcius esse putat, quod nescit, & hæc est sagitta. Quatuor cõsiderationes contra 4. Dæmonis tentationes.

2 Tentat, vt homo dimittat bonum inceptum. Vel tentat, quasi sit difficile continuare. Vel apponit impedimentum.

3 Ne seipsum affligat humilitate, vel ieiunio, immittit talibus timorem, ne in oculos aliorum vilescant.

4 Vt bonũ differant, spem vitæ proponit. *His igitur pœnitens laborat. Sed si vigil permanserit, subsidium sibi conspiciet aduenire diuinum.*

Omnia hæc in Tyrone nostro, multa simplicitate, ac rectitudine exornato, reperiebantur, etsi nouus in militia Christi, quia vt fortis miles laborabat in aggressionem boni difficilis, quod est obiectum virtutis, vt docet etiam Scotus. Permanens & ipse vigil, voluit esse à principio curiosus indagator simul, & pius secretorum Francisci in exercitiis nocturnis, dum Vir sanctus ipsum ad domum tyrocinii deducebat. Nam cum in itinere sub dio quadam nocte pernoctare oporteret, dum Sanctus Magister dormire paulisper statueret, piè exploraturus adolescens, quid illa nocte facturus erat Præceptor, iuxtà illum procubuit. Nè

Tyro noster curiosus, & pius indagator actioni Franc.

verò contingeret, vt ipso altum dormiente, Vir sanctus exurgeret, ligauit tacitè chordæ, seu funi, quo præcingebatur, S. Patris Cingulum. Post paucas horas, dum ad orandum Vir sanctus exurgeret, colligatosque funiculos præsentiret, solutis nodis, quietè recessit ad condensas arbores vicinas. Adolescens autem postea expergefactus, & piè se videns illusũ, huc illuc discurrit, Magister vbi esset, inuestigaturus. Magni autem, & cælestis luminis beneficio ad locum, vbi orabat, deductus, timidus, & venerabundus aliquantò retro persistens, intra arbores prospiciens, *vidit Choro cælesti circumdatũ Christum Dominum, Sacratissimam Matrem, vtrumque Ioannem, Baptistam, & Euangelistam colloquentes cum Francisco.*

Visio sibi monstrata de Franc.

Ad visionem stupefactus, corruit in terram, donec Vir sanctus (supernè edoctus, quid tenello euenerit discipulo) eum eleuauit de terra, & ad animum reuocauit; præcepitque, vt visionem nulli diceret. Obsequutus est bonus iuuenis, sanctè viuens in Religione. Sed ad superos translato Sancto Patre, rem omnem vbiq; propalauit.

Operamini (ait Christus) *non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Lucæ 18. In quo loco Interpres noster serm. 11. post Trin. nimiam curiositatem exprobrans, hæc docet, ostendens simul Viri iusti, ac religiosi exercitium. *Opus Viri iusti est*, inquit, *mellis dulcedo, idest puritas conscientiæ. Honestas vitæ. Odor bonæ famæ. Gaudium de diuina contemplatione. O curiose, cuius sunt in multis actus, vade, non dico ad Formicam, sed ad Apem, & disce sapientiam. Apis non intendit flores diuersos*, &c. Sit in nobis curiositas ita pia, ac rationabilis, sicut extitit in Tyrone nostro, qui vt piè curiosus, vadens ad Apem Francisci, meruit visione illa beari, confirmarique in sancta heroicarum virtutum aggressione. Quique vsque ad eius terminum operatus est, non cibum pereuntem, sed in vitam æternam permanentem. Operatus est, inquam, mellis dulcedinem in ipsa austerissimæ pœnitẽtiæ amaritudine. Conscientiæ puritatem ab omni impuritate alienus. Odorem bonæ famæ, vt culpæ infamiæ hostis. Honestatem vitæ, actiones haud integrè honestas omninò perhorrens. Gaudium de diuina contemplatione, cum qua obdormiens in Domino, æternum gaudium adeptus est.

Opus Viri iusti in quatuor cõsistit

Pia curiositas ad Apem nos mittit.

PANEGIRICVS XXXVI.

Goliæ caput, ante Moysi candelabrum recisum.

Septuagesimus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. HOSPES haud nuncupationis vocabulo, sed hospitalitatis officio erga Frãciscum; & sub hoc solum Pietatis nomine, sæculari iam deperdito, multa felicitate ab historicis enarratus, quamuis aliquo arcano auspicatum in sæculo insignitus fuerit. Hunc inclitum Hospitem suum ad suum duxit sodalitium, diuertens adhuc in Picæno Vir sanctus, & post Tyrunculum præfatum immediatè, quod refert ex Hugolino, & Pisano idem Vadingus ad num. 3. in hunc modum.

In dicta etiam Prouincia, benignè supra quam dici potest, receptus est hospitio à quodam nobili, & pio viro, qui collatis in sanctum virum, & socium omnibus humanitatis officiis, dum recederent, omne suum obsequium, facultatesque deuotè obtulit illorũm releuandis inopiis: *Vir Dei*, inquit, *ecce me, meaque vobis trado; omnia vestra sunt, vsque ad placitum vtimini. Si quibus indigetis, habitu, palliolo, libris, aut aliis quibuscumque rebus, confidenter vobis emite, nostris soluenda pecuniis.* Certò certius credite me vndequaque paratum ad vestra obsequia, & misericorditer Dominum mihi amplas tribuisse facultates, quibus pauperum possim, & debeam inopiæ subuenire. *Admiratus est Franciscus ad tantam hominis benignitatem, multosque de eadem in itinere cum socio protraxit sermonem*; tandem subiunxit. *Verè, fratres, vir iste esset bonus pro nostra societate*, qui tam humiliter à Deo recognoscit accepta beneficia, qui proximos suos tam impensè diligit, qui pauperibus res suas libenter impendit, & adeò alacriter, & curialiter hospitalitatem exercet. Curialitas hæc, quam adeò sincerè præsefert, Deo est gratissima, quippe vna est de ipsius Domini proprietatibus, *qui Solem suum oriri facit super iustos, & iniustos*, & omnia sua illis curialiter administrat. Est etiam curialitas soror charitatis, extinctrix odii, & seruatrix amoris. Quapropter cum tam fulgeant in hoc Viro virtutes, & dotes omnes, libenter eum acciperem in consodalem. Redibimus proindè altero die ad ædes eius, & ad Deo seruiendum in nostro sodalitio exhortabimur, fortasse interius diui-

Quam benignus hospes hic egregius Frãcisco, ac suis discip.

Obstupescebat Franc. super eius hospitalitatis virtutem

diuinus hoc ei spiritus persuadebit. Interim Dominum rogemus, vt nostrum hoc desiderium, modo iustum, & æquum, velit complere.

Itaque oratione præmissa, non semel pro hac re, desideriũ cordis eius tribuit Dominus Viro sancto, *& voluntate labiorum eius non fraudauit eum*; Nã paucis post diebus, cum ad prædictum Hospitem regrederetur, feruentiusque in eius æde tota nocte oraret, secreto tamen Hospite, quid faceret, inspiciente, eleuatus est à terra, & magna circumfusus luce, certificatus est de capienda, quam desiderabat, præda, feliciter exauditus. Eaq; ipsa hora sensit Hospes cælestem quamdam sub pectore flammam, magnumque sibi immitti, de imitando, & sectando Francisco, desiderium. Quod statim vt dies illuxit, sancto Viro deuotè, humiliterque expressit. Qui gratias agens Patri spirituum, quod bonum hunc tanto viro infuderit, altèque contemplans, quod hęc fuerit mutatio dexteræ excelsi, summo cum gaudio, & alacritate eum initiauit, distributis prius in pauperes eius facultatibus. *Qui postea sanctissimè vixit in Religione, summè gratus Sancto Institutori, quod innata illa curialitate aduentantes in cœnobia omnes comiter excipiebat.* Hæc Annalista loco citato, cui modo in gratiam tam dignæ historiæ breuem subnectimus tropologicam Interpretis nostri concordantiam.

Orat. Franc. in domo Hospitis sui, vt suum eligeret Ordinẽ.

Ipso à Deo exaudito fit Fr. Minor.

Pro iniquitate vidit tentoria Aethiopiæ, Abacuc. 3. Quam scripturam coniungens Interpres cum historia Goliæ, hancque allegoricè explicans, ita scribit ser. Do. 3. in Quadrag. ex Glossa super citatum locum Abacuc. *Qui diuitijs laborant, & honoribus, fiunt hospitium Dæmonum, qui deberant esse Dei Templum.* Goliath spurius fuit. *Spurius dicitur ille, qui partim est nobilis, & partim ignobilis. Sic Diabolus nobilis est creatione, ignobilis quoad vitia.* Hic dicitur fuisse *altitudine sex cubitorum, & palmo.* Legitur Ezech. 40. Quod vir, cuius erat species, quasi species æris, *habebat calamum mensura in manu*, mensurauit templum, & calamus ille erat *sex cubitorum, & palmo.* Ecce qualis fuit mensura templi, talis & mensura Goliæ. Mensura templi consistit in diuersitate graduum in Ecclesia. Et contra hos habet Diabolus mensuram suam. *Per sex cubitos intelliguntur sex opera misericordiæ, scilicet opera vitæ actiuæ. Per palmum, contemplatiuæ, quæ vix prægustatur in hac vita. Et ita bene palmus. Et Diabolus extendit se contra actiuos, & contemplatiuos.* Hæc Interpres.

Goliath vir spurius, Diabolum spurij denotat.

Verum benignus Francisci Hospes, ne diabolici Goliæ per diuitias hospitium fieret, eius cor, obtruncato prius tali Goliæ capite, hospitium Christo fecit, sed per Frãciscum, ab ipso adeo humaniter, ac peramanter hospitatum. Statuitque firmiter Dei templum esse, omnia sua Francisco, ac suis Fratribus offerens, illis omninò renuncians, sed Franciscanus effectu, venditis omnibus, ac pauperibus promptè, atque hilariter iuxta solitam curialitatem distributis, atque elargitis, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Corinth 3. Vbi Interpres Dom. 20. post Trinit. alibi allegatus. In hoc templum debemus inferre candelabrum charitatis, altare incensorum, idest deuotionem mentis, mensam propositionis, idest verbum sanctæ prædicationis. De cãdelabro dicitur Exodi 25. vbi loquitur Dominus ad Moysen, dicens. *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo, Scyphos, & Sphærulas, ac Lilia ex ipso procedentia. Sex calami egrediuntur de lateribus*, &c. Ductile dicitur, eo quod malleo producatur. Cãdelabrum charitatis percutitur malleo tribulationis, vt ipsa producta crescat, nõ in se, sed in mente hominis. Vnde Augustinus super Epistolam Iob. Perfecta charitas est hæc, vt quis paratus sit etiã pro fratribus mori. Sed numquid mox vt nascitur? cum fuerit nata, nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum roborata, perficitur, cum ad perfectionem venerit, dicit. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Hic apertè progressus, & perfecta charitas insinuatur. Fuit etiam candelabrum charitatis de auro mundissimo. Nullius enim vitii recipit ad mixtionem, quę sicut aurum cæteris metallis, sic præeminet cęteris virtutibus. Ex isto candelabro debent procedere *Scyphi. Sphærulæ. Lilia.*

Templũ Dei spirituale cũ suo candelabro aureo, altare, mẽsa.

Perfecta charitas quæ.

1 *In Scypho*, quia sua concauitate infusa retinet, & propinat, *designatur humilitas cum compunctione mentis.* Concauitas enim infusorum est receptiua, tumor verò infusa repellit.

Quid in aureo Moysi candelabro Scyphi. Sperulæ. Lilia.

2 *In Sphærula* verò, quæ circumuoluitur, *sollicitudo erga proximi necessitatem.*

3 *In Lilijs, munditia castitatis.* Tu ergo, qui charitatem habes, habeto *Scyphos, quoad Deum. Sphærulas, quoad proximum. Et Lilia, quoad te ipsum.*

Nota etiam, quod candelabrum habet sex ramos, idest charitatis sex brachia, tria à dextris, & tria à sinistris, quibus amplectitur Deum, & proximum. Tria, quibus amplectitur Deum, sunt

1 *Peccatorum abhominatio.* Psalm. 118. Iniquitatem odio habui, & abhominatus sum, &c.

Quid in eodẽ sex rami.

2 *Temporalium conculcatio.* Apostolus Phi-

Philipp. 3. Omnia reputaui tamquam stercora, vt Christum lucrifacerem.

3 *Cælestium contemplatio*, Corinth. 4. Non contemplantibus nobis, quæ videtur, sed quæ non videntur.

Item tria brachia, quibus amplectitur proximus, sunt

1 *Delinquenti parcere*. Lucæ 23. Dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt.

2 *Errantem corrigere*. Iacobi 5. Qui conuerti fecerit peccatorem à viæ suæ errore, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Quam benè conueniant B. Hospiti Franc.

3 *Esurientem reficere*. Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. *Si tali candelabro* (concludit Interpres, in gratiam benignissimi Hospitis Francisci, qui postea ab eo conuersus, & eius filius factus est, & discipulus, ac imitator) *altare deuotionis, & mensa sanctæ prædicationis in animam fuerint illata, verè tunc erit templum sanctum, in quo habitat Deus, &c.* Sicut habitauit in Templo sancto, ac spirituali Hospitis Francisci, cuius aureum Moysi candelabrũ illis Scyphis, Sphærulis, Liliis, ac ramis sex Goliæ caput mistícum per temporalium renunciationem iam recisum patefecit.

CAPVT QVARTVM

Quæ annis tribus sine nouo alio Discipulatu contingerint Francisco, maximè circa Minorum Legem, breui enarrantur.

Firmamẽtũ in medio Aquarum Baptismus mistìcè.

Aquæ inferiores infideles.

Aquæ superiores fideles.

SEcunda die dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, Gen. 1. Quẽ textum ita interpretatur Doctor noster ser. Dom. in Septuages. Fiat firmamentum in medio aquarum. *Idest Baptismus, diuidens aquas superiores ab aquis inferioribus, idest fideles ab infidelibus*. Qui benè dicuntur aquæ inferiores, eò quod inferiora petunt, & suis lapsibus quotidie deficiunt. Aquæ verò superiores significant fideles, qui secundum Apostolum Coloss. 4. *Debent quærere quæ sunt sursum, vbi Christus est in dextera Dei sedens*. Vel nota, ait, quod Aquæ istæ dicuntur christallinæ. Christallum enim Solis radiis tactum, vel percussum, scintillas ardentes emittit. *Sic fidelis vir iustus Solis radijs illuminatus, scintillas rectæ prædicationis, & bona operationis proximum accendentes, debet emittere*. Sed heu, subdit dolens, rupto firmamento aquæ superiores dilabuntur, in mare mortuum cum mortuis ingredientes. Et post pauca alia, in quibus demonstrat vitam contemplatiuam sub metaphora tumuli, siue sepulchri, pœnitentiam verò sub sabuli simbolo, explicat illud suum suspirium, *sed heu rupto firmamento, &c.* subdens statim sententiam illam Ezech. 47. *Aquæ istæ, quæ egrediuntur à tumulo, sabulo orientis, & descendunt ad plana deserti intrabunt mare*. Sed addens mox aliud suspirium, è suis piissimis præcordiis, visceribusque proruptum, sic sequitur.

Vir Iustus similis christallo.

Quid est Aquæ egredi de tumulo, &c.

Sed heu quantæ aquæ. Quanti Religiosi egrediuntur à tumulo vitæ contemplatiuæ? A sabulo pœnitentiæ? Ab oriente gratiæ? Egrediuntur, inquam, cum Esau, & Dina de domo paterna. Cum Diabolo, & Cain à facie diuina. Cum Iuda proditore, loculos habente, à Christi schola; *Et descendunt ad plana deserti*, ad campum Hierichuntinæ solitudinis, in qua, vt dicit Hierem. à *Nabuchonosor*, idest Diabolo; in latitudine temporalium *excæcatur Sedechias*, idest peccator, rationis lumine priuatus. *Proprijs filijs*, idest operibus ab ipso Diabolo interemptis. In hoc plano *Cain*, qui interpretatur *possessio*, interficit *Abel*, qui interpretatur *luctus*. *Luctũ enim pœnitentiæ interficit possessio abundãtiæ transitoriæ*, &c. Hæc Interpres, ex corde suspirans, proclamans, & oblacrimans.

Minorum institutum ceu nouum quoddã in Eccl. firmamentũ

Religionis Franciscanæ Institutũ veluti alterum, nouumque, atque vnicum in Regno Cælorum, quod est Ecclesia militans firmamentum in medio aquarũ positum, nihil aliud est, iuxta communẽ allegoriam, nisi quidam Baptismus, eo modo, quo ferunt Scriptores de quocunque Ordine, siue Monastico, siue Regulari, quorum professores à vita christiana sæculari, ad nouam vitam in statu Apostolico perfectionis regenerantur. Licet lex, quam profitentur haud ita strictè vitam Apostolicam præcipiat, sicut lex Fratrum Minorum. Cum verò Religio Minorum præfixa fuerit immediatè à Christo in restaurationem Ecclesiæ, ipsa vtique præcipuo quodam modo diuidit aquas superiores ab inferioribus, scilicet virtutes à vitiis; fidem ab infidelitate; Catholicos ab Hæreticis, statum communem à statu Euangelico, cunctumque catholicum fundamentum, quod est fides baptismalis, Seraphico baptismate per vitã Apostolicam in altissima paupertate fũdatã reparat validissimè. Totũ huiusce firmamenti christallum in Francisco eius Institutore, atque Legislatore erat equidem professione, perfectione, puritate integrum. Percussum istud christallum à Solis Iustitiæ radiis, ò quot scintillas ardentissimas rectæ prædicationis, & bonæ ope-

Huius firmamenti christallum B. Franc.

operationis proximos accendẽtes, emittebat. Sed heu rupto firmamento, &c. Id accidisse à principio Ordinis, iam historiæ demonstrant, euentus adhuc prædicant. Vix Minorum legem instituerat Franciscus, quod statim fraudem contra eam è regione aliqui inuenerunt, vt patebit in sequenti Chronolog. annos quatuor complectente, nec tamen impediuerunt, quin ipsa lex celeri gressu terrarum orbem impleret in Spiritu Sancto, quem Pauperum Patriarcha eius Seraphicum domicilium effectus cum suis Discipulis ad eam promulgandam, reparandamque mittebat.

SECTIO PRIMA.

Anni Christi 1216. & 1217. & 1218. qui erant fundationis Legis Minorum, & reparationis Legis Christi, & Romanæ Ecclesiæ 7. 8. & 9.

R*Ecta facite semitas eius.* Lucæ 3. Hæc prædicabat cum aliis monitis ore prophetico Isaiæ 26. Ioannes Baptista, quæ iam Franciscus, Præcursoris Christi similitudinem præferens, vt ait Bonauẽtura in prologo Legendæ in sua lege, quã ipse *omnis Sanctitatis, & Iustitiæ cultor* strenuè obseruabat, suis Minoribus præcipiebat. Credendum Interpreti nostro in serm. Dom. 4. Aduentus. Semita iusti, inquit, recta est. Rectus callis iusti ad ambulandum. Semita dicta quasi semi, idest medium iter. *Semita est qualibet Religio*, quæ voto Paupertatis, & Continentiæ se coarctauit, & coangustauit. Vnde Isai. 28 *Coangustatum est stratum, itaut alter decidat, & pallium breue vtrumq. operire non potest.* Religio, inquam, subdit, *stratum* est, quæ si benè fuerit coangustata tamquam semita, solum suscipiet sponsum castitatis, & obedientiæ spiritum; & expellet adulterium fornicationis, & inobedientiæ vitium, & breue pallium *Paupertatis* vtrumque, idest *proprietarium*, & spiritum pauperculum operire non potest. *Quæ enim conuentio Christi ad Belial? Quæ conuentio Pauperculi, & Proprietarij, qui est quasi Belial inter filios Dei? Rectas ergo facite semitas Dei nostri.* Hæc Interpres.

Semita est quælibet Religio.

Est etiam & stratum.

Qui etiam demonstrans Franciscum vt Dei præconem, ac veluti alterum Christi in Aduentum secundum præcursorem, affert illud Psal. 98. *Beati immaculati in via*, & illud aliud immediatum. *Beati, qui scrutantur testimonia eius.* Ipse namque vtrumque versiculum ita exponit. *Prius inquirenda est bona vita, quam doctrina, quia improbitate excæcatus oculus mentis, & caligante sibi iniquitate, mifteria profunda inuenire nequit. Vnde postquam dixit*, Beati immaculati in via, *subiungit*: Beati qui scrutantur testimonia eius. Et paulò infra ad illum alium versiculum, qui semicibus, à Ioanne Baptista memoratis, respondet. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*, ita subdit. Attende, quod dicit viam mandatorum tuorum *semitam, quia angusta via, quæ ducit ad vitam. Arcta est via, vt non admittat timidum, ardua, vt repellat pigrum.*

Bona vita quam doctrina prius inquirenda.

Arcta est via, & ardua quæ ducit ad vitam.

Dum Franciscus hanc semitam mortalibus patefaciebat, ostendebat etiã, quod ad illam vt iret, nec vt timidus, nec vt piger; sed vt impauidus, & vt impiger ambulabat cum Propheta in latitudine. Ast si via mandatorum ideo semita, quia angusta, quomodo deinde lata? Respondet Interpres, quod via, per quam ducimur ad vitam, arcta est; sed via, qua patimur in via mandatorum, est lata, quia denotat charitatem. *Ambulabam in latitudine, scilicet* (ait Interpres) *charitatis, quæ diffusa est in cordibus nostris. Quæ tam lata est, vt vniuersam legem, & Prophetas in se concludat.* Hæc autem charitas duobus illis mandatis tota, atque integra continetur; idest dilectione Dei, & proximi, *in quibus tota lex pendet, & Propheta.* Sic Franciscus *emittens verbum suum liquefaciebat ea.* Verbum scilicet (explicat Interpres super Psal. 149.) *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; & liquefaciet ea, scilicet *corda superborum.*

Est etiam lata ratione charitatis.

Quæ corda vt per latiorem charitatis viam in Orbe toto vndique liquefaceret, tum per se, tum per Minorum Fratrum, suæ Regulæ professorum missiones ad cunctas Europæ Prouincias, eos anno 1216. coegit primò Assisio ad Comitia Generalia. Ex his enim diffusa Lex, & Institutum Minorum per omnes fermè Europæ regiones, atqui Superioribus electis concessa authoritas, alios Minorũ sodalitio aggregandi, tantoque instituto dignos admittendi. Quod nulli alii ab ipso Francisco eousque licebat; nondum enim Ministri Prouinciales instituti ante hunc annũ, vide infra sect. 2. cap. 8. lib. 7. Vide quoque Annalistam sub eodem anno ad num. 2. ex quo etiam Chronologia Ordinis. [Ex isto ergo tempore Lex, & Ordo Minorum, quam celerrimè excreuit, Fratres verò in his Comitiis conuocati, omnes fermè ab ipso Francisco ad Ordinem recepti fuere, vel per se immediatè, ac præsentialiter, vel ab aliis ex sua

Prima Comit. gener. celebrata Assisio in S.M. de Portiũc. an. 1216.

Tunc concessa à Beato Franc. Superiorib. recipiendi fratres in Ord. licentia.

sua licentia, sed non omnes ab eo ad Christum conuersi, sicut quotquot in serie nostra extant, licet de nonnullis non adeo res comperta. Vnde haud absque prouidentia diuina factum est, vt illorũ nomina omnimodè obliuione deperderentur; & quot Apostolos habuit Christus, & quot habuit discipulos, eos (& cunctos notissimos) sub numero 12. hos sub numero 72. tot pariter principio viros Apostolicos haberet Franciscus, nimirum 12.& post illos etiam Discipulos, qui eundem numerum 72. aliquanto excederent, nec omnium nomina posteritati innotescerent.

Eodem anno obiit Papa Innoc. 3. eiq. successit Honor 3. & Regula S. Dominici per Bullam cõfirmauit.

Anno igitur 1216. in quo incidit gloriola Innocentii III. mors, die 12. Augusti, necnon & creatio Honorii III. à quo 2. Kalendas Ianuarii eiusdem anni confirmata fuit lex Sancti Patriarchæ Dominici, celebrata sunt prima Comitia Generalia Asisiii à Francisco Legislatore, qui erat ãnus Regulę scriptæ, & approbatæ 7. confirmatæ verò 2. Diffusio verò Legis, & Instituti Seraphici per Europam, quã celerrima, & ferinè admiraculum ob plures Missiones, quibus 110. sanctissimos Apostolicos viros pluribus partibus misit Legislator, & Institutor, habetur in capite 8. ad finem libri 7. quod est de eadem celeritate cursu annorum 13. vsque ad secundæ Regulæ conditionem. De qua re dum ibi Lectorem missum facio, hic solum ad maximam Legis Minorum commendationem tangam breui vnum, & est illud idem, quod accidit Francisco sub anni huius finem, scilicet inopinatus occursus trium Mulierum paupercularũ, statura, ætate, ac facie per omnia similiũ, sicut rescripsimus ex D. Bonauentura. Nam hoc eodem anno id Francisco accidisse, vult Vadingus sub num. 18. illasq; mulieres significasse tres Ordinis fundamentales Virtutes, nimirum, *Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem*, explicat idem Bonauentura, vt ibidem posuimus. Itaq; dum Franciscus iter suum in Galliam prosequuturus, obuias, & duces, & socias habuit præfatas Virtutes, habuit illas veluti inclitas signiferas Dominæ Paupertatis, quæ est Legis Minorum Basis, vt ob id salutauerint ipsum vna voce in hunc modum. *Beneueniat Domina Paupertas.*

Obedientia, Pauperta, & Castitas apparuerunt Franc.

Annus Domini 1217.

Cur Gallia tã præcipuè dilecta a Franc.

QVando Euangelicus Legislator post visitata Apostolorum limina, dum iter intentat ad Parisinos in Gallia, ab eo præcipuè electa ob magnam reuerentiam erga Augustissimum Sacramentum Altaris, cuius deuotissimus erat, explicans suę legis vexillum, auctoritate Apostolica probatum, & commendatum, detinetur à Cardinali Hostiẽsi Domino Hugolino, Papæ Innocentii III. Nepote, ac Legato, de quo fusius in serie Protectorum ad tom. 2. nostræ Hierarchiæ, fol. 62.

Card. Hugolinus detinet Frãc. ne iret in Galliam.

Hæc detentio in magnum Legis Minorum beneficium extitit, quod planè liquet ex motiuo, quo cælitus excitatus fuit Præses ille perdeuotus, vt iter Francisci impediret. *Adolescit adbuc* (dixit ei Veliterni, vbi appulerat Franciscus, relicta Florentia, visitatisque Aluerniæ incolis, & filiis, tantum Antistitem, Legatione functum salutaturus) *tuum institutum, Francisce, nec desunt in Curia, qui pessum darent si possent. Nosti quos habuisti contradictores in principio, adhuc habes occultos aduersarios, & nisi adsit in curia, qui res tuas curet, & ad perfectum deducat, facilè acta reuocantur, & dolosè supplantantur.*

Curiales nõnulli Ord. Min. à principio aduersi.

Te præsente magis serio tuum fouebitur institutum, & efficacius incitabuntur tibi addicti, vt tuis velint adesse, & tibi in adiutorium. Quod ad me attinet, iam ex hoc tempore totum me vobis addico. Gratias retulit Vir sanctus pro tanta beneuolentia, sed iter sibi prosequendum vel hac suaderi potuit ratione. *Domine, quamplurimos ex meis fratribus ego præmisi ad varias, & longinquas nationes; Si ego domi ad lares, & focos quietam, & laboris expertem vitam duxero, non deerit pauperibus peregrinantibus, siti, & fame inter extraneos laborantibus occasio murmurandi, nec mihi causa verecundandi: sin autem etiam me sub eodem vitæ genere secum collaborantem intellexerint, alacrius perferent, quæ me ferre audierint, rationabiliusque alios potero ad opus prouocare.* Compatiens autem pius Cardinalis ad remotissimas regiones missis. *Quare, inquit, frater adeò durè cum tuis egisti, vt tantis calamitatibus exponeres, quas per longos, & ignotos terrarum tractus oportet vt patiantur?* Cui Sanctus Pater magno cum feruore, & spiritu prophetico respondit. *Domine vos iudicatis, quod propter has dumtaxat Prouincias Deus institutum hoc crearit; attamen ego vobis in veritate dico, quod ad vniuersale totius Orbis bonum, & ad salutem omnium illud instituit. Neque ab hoc beneficio excluduntur infideles,* quarum

Franc. præsẽtia tunc maximè Romæ pernecessaria.

Renuit principio Franc. iter ad Galliã differre.

Prophetia Franc. circa sui instituti diffusionem per totum mundum.

quarum terras huius sodalitij fratres penetrabunt, & dum ad Euangelicam normam, & suum institutum vitas composuerint, & mores, Deus etiam inter sui nominis hostes abundè eis cuncta ministrabit. Ad hæc verba maiorem induit erga Franciscum affectũ pius Legatus, magisque seriò egit, vt pro tam vtilis,& necessarii instituti beneficio remaneret in Italia. Cui morem gerens Vir sanctus, sibi substituit quos supra diximus Fratrem Pacificum Picænum, & alios.

Rediit in Vallem Spoletani Franc.

Inito cum piissimo Principe stricto amicitiæ fœdere, rogatoque, vt suis velit esse patrocinio, & generalibus proximè futuris Comitiis interesse, rediit in *Vallem Spoletanam*, ibique dum plures exciperet suorum querelas, qualiter durè patiebantur, minusque piè tractabantur à multis Ecclesiarum Prælatis, neque deessent, qui in curia sancto obloquerentur instituto, *statuit à summo Pontifice petere in Protectorem, & defensorem sui Ordinis vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus*, qui à nouello, & tenero grege truculentorum luporum rabiem arceret, & longè latèque propagatum, sua auctoritate protegeret. Cælitus ad hoc monitus fuit ista visione, refert legenda trium sociorum. *Vidit in somnis gallinam, pullos plurimos sub alis congregare, à superuolitantibus miluis defendere volentem, nec tamen omnes potuisse, plures que proinde patuisse rapinæ, magnæ verò alterius volucris sub alis pericula subterfugisse. Expergefactus, dum somnij interpretationem expeteret à Domino, eã ita accepit. Vt intellxerit se per gallinam, Discipulos per pullos, & Cardinalem in Protectorem assumendum, per volucrem magnarum alarum demonstrari.* Et meritò quidem in magnarum alarum volucre illa Cardinalis Protectoris significatũ comprӕhendit Franciscus, & illius Cardinalis, quem mox petiit à Romano Pontifice, nimirũ Hugolini, cuius stemma gentilitium regia, magnaque volucris, quæ est Aquila, quæque vt tesserata perantiquum Comitum Signiæ, gente origine Aniciana, simbolum est.

Monitus cælitus ad petendũ Card. Protectorẽ.

Cõuocatis ergo Fratribus, rem omnẽ, & Protectoris necessitatem exposuit, breuemque deinde adiecit hanc de omnimoda subiectione ad Ecclesiam Romanam collationem, cuius petitioni voluit Ordinem commendare. *Mater omnium Ecclesiarum, inquit, est Romana, & Domina omnium est Religionum. Vadam, & recommendabo fratres meos Sanctæ Ecclesiæ, cuius potentia virga percellantur maleuoli, & filij Dei in æterna salutis augmentum vbiq. plena gaudeant libertate. Recognoscant ex hoc filij dulcia beneficia matris, & speciali deuotione semper ipsius reuerenda vestigia complectantur. Non erit, ipsa protegente, in Ordine malus occursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis. Paupertatis nostræ ipsa Sancta Ecclesia æmulabitur gloriam, & humilitatis præconia per superbiæ nubilum offuscari non sinet. Charitatis, & pacis vincula in nobis seruabit illæsa, censura strictissima percutiens dissidentes. Euangelicæ puritatis obseruantia sacra continuè in eius aspectu florebit, nec odorem vitæ vel ad horam elabi patietur.*

Quã sollicitus circa Ecclesiæ Rom. protectionẽ erga suum Ordinem.

Romam deindè pergens, illic inuenit *Cardinalem Hugolinum*, ex Hetruria regressum, cui dum rem detexit, desideriumque aperuit de Pontifice alloquendo, suum vicissim manifestauit Cardinalis, vt Vir Dei publicum haberet ad eundem Pontificem, & Purpuratos patres sermonem. Excusauit se quantum licuit, suam prætexens ignorantiam, simpliciotemque se, & rudiorem esse contestans, quam vt in supremo mundi consessũ possit, aut debeat predicare. Superauit omnia hæc Cardinalis desiderium, de audiendo hominis in consistorio concionem; proindeque rogauit obnixius, amicèque præcepit, vt obtemperaret, seriumque adhiberet studium, vt doctum, & tanto auditorio dignum sermonem præpararet. Ad importunas tanti sui benefactoris, moxque futuri protectoris preces, non obsequi non potuit, fecitque, quod ille iusserat, politamque elaborauit concionem, cum eousque non humanæ inuentionis ornatum prætenderet, sed diuinæ reuelationis affatum redoleret. Cum ergo statuto die stetisset in medio, vt ædificationis verba proponeret, *sic obliuioni tradidit omnia, vt affari aliquid omninò nesciret*. Verum cum hoc veridica humilitate narrasset, *conferens se ad spiritus Sancti gratiam inuocandam; tam efficacibus subito verbis capit effluere, tamque potenti virtute illorum mentes* virorum sublimium ad compunctionem inflectere, *vt apertè clareret, quod non ipse, sed in ipso Spiritus Domini loquebatur.*

Prædicat coram Pontifice, oblitus eorum, quæ studuit

Terminata concione, introductus ad familiarius colloquium, præsente dicto Domino Hugolino, tandem *circa sui Ordinis Protectorem* Christi Vicarium affatur. Pater Sancte, & Domine, vestræ continuæ curæ, & incessabili sollicitudini circa vniuersam moderandam Ecclesiã, ego misellus, & indignus seruus ex corde compatior: & cum timore, ac verecundia accedo quotiescumque pro Minoribus vestris seruulis loqui, aut intercedere oportet. Curas enim vestras humilibus

Petit à Pontifice Cardinalem Protectorem.

rebus nostris noui superiores, videoque præ foribus Heroes, ac huius sæculi locupletes, aliarumque Religionum viros graues, & doctos, neque adeò facilem eis posse aditum patere, propter grauiũ, quæ vestram beatitudinem circumdant Christianæ Reipublicæ negotiorum multitudinem. Nos ergo omnibus viliores, & contemptibiliores, quomodo audebimus pro rerum nostrarum opportunitate, aut necessitate ad vestra penetralia ingressum attentare, quin & timemus, verecundamurque tamquam indigni accedere ad ostium vestrum; & pulsare ad tabernacula Principis Christianorum. *Quare Sanctitatem vestram supplex oro, vt Dominum hunc Ostiensem nobis dignetur pro parte, & vice tua concedere, vt ad eum tempore necessitatis possimus recurrere*, salua tamen, & integra semper vestræ præeminentia dignitatis, à quo tamquam à capite huius corporis mistici vigor descendit, & potestas omnis emanat. *Annuit humanissimè Pontifex viri sancti precibus, & suam Cardinali concessit potestatem circa Minores, seriam adiungens commendationem de fouendo, & protegendo eorum sodalitio.*

Et feliciter obtinuit.

Primus hic fuit Ordinis Protector postulatus, & obtentus à Sancta Sede Romana, quamuis enim verè protectoris, defensoris, & benigni patroni officium egerit opere, & affectu vir ille optimus *Ioannes à Sancto Paulo Cardinalis*, cuius mentionem, & laudem supra præmisit Annalista, ex quo ipse in Hierarchia, attamen non assignatus à Pontifice, nec communi Fratrum exoratus instantia, sed innata pietate, & sponte tantam gratiam Fratribus ipse præstiterat. Præter illam autem rationem iam assignatam, vt Protector Ordinis peteretur, alias etiã duas subfuisse scribunt Rodulphus, Marianus, & Philippus à Perusio Theologiæ Magister, nimirum, vt Religio esset capax temporalium rerum, & vt per Protectoré maiori, & humiliori subiectione S. Rom. Ecclesiæ Ordo subesset, iuxta illa secundæ Regulæ verba. *Petant à Domino Papa vnum de Sancta Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit gubernator, protector, & corrector huius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ R. Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, &c.* Posteriorem hanc dumtaxat causam assignat Gonzaga, sed tres ab ipso relatas complectitur, statuitque huius protectionis rationes prædictus Magister Philippus à Perusio in Epistola ad Gondisaluum, seu Gonsaluum, Generalem Minorum quintum decimum, scripta circa annum 1306. in vltima iam senectute, quippe qui hunc ipsum Protectorem Hugolinum ad Pontificatum euectum se vidisse testatur Perusii.

Ostiẽsis primus Ordinis Protector.

Rationes petendi Protectorem

Tres solas ex illis amplectitur Gonzaga

Consuluit eum prædictus Generalis Minister de modo, quo Protector postulari debet, & de iis, qui iam prædecesserunt, ad quem totius rei seriem plano, & candido stilo per longiusculam dedit epistolam, quam ex vetusto Codice M. S. è Cœnobio Sancti Ioannis Baptistæ Pisaurien. ad Annalistam nostrum delato, qui ad huius rei pleniorem notitiam, & ad magnam, atque æquam primorum Protectorum commendationem opportunè ibidem ad num. 6. subscripsit.

Franciscus præbuit exemplum in Ecclesia expostulandi ab aliis Ordinibus Cardinales Protectores à Sede Apostolica. Attamen nullus Ordo ad id obligatur ex præcepto sub mortali, sicut Ordo Minorum, qui supra cunctos Ordines ipse solus simul cum eius lege subiectus est S. Romanæ Ecclesiæ pedibus, veluti illius fundamenti sustentaculum. Quod sanè nisi imum esset, neque esset ad sustentandum idoneum, sed de hoc alias ex Inter prete nostro.

Petendi à S. R. E. Protectoré ab aliis Ordinibus Franc. exemplum præbuit.

Id autem, quod respondit Franciscus Magno Hugolino illis verbis, *Domine vos iudicantis, &c.* Legem Minorum duraturam ostendit, solidãque permansuram inter ipsos terribilissimos hostium ictus, atque inuasiones. Propheticum hoc Frãcisci, spiritu prophetico locupletati responsum in illo Iob 9. *Qui extendit Cœlos solus, & graditur super fluctus maris*, fundamentum habuit. Etenim Interpres noster sic ipsum declarat in serm. Dom. 5 post Pascha. *Cœli sunt Prædicatores sancti*, qui pluunt verbis, coruscant sanctæ vitæ exemplis, intonant pœnas æternæ mortis. Hos Cœlos extendit Dominus, vt vndiq; lumen effundant, peccatores cooperiant, & sic caueant, ne se temporalibus implicent.

Item *graditur super fluctus maris*, scilicet superbos huius mundi. Super hos enim graditur Dominus, cum eorum cordibus suæ humilitatis vestigia imprimit. Vnde Eccles. *Gyrum Cœli circuiui sola, & profundum abissi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente primatũ habui, & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcaui. Gyrum Cœli*, idest cor iusti circumeo, & defendo, & protegõ. *Et profundum abissi*, idest corda malorum conuertendo per pœnitentiam. *Et in fluctibus maris*, idest tentatione deprahẽsi. *Et in omni terra steti*, quia Deus stat super humilem, & fructiferos per bona opera stabi-

Propheticũ dictũ Franc. ad Hugolinum expenditur.

stabiles, sed Diabolus in arena. *Et in omni populo, & in omni gente*, quibus congregatur Ecclesia.

Cæli prædicatorum Minorum qualiter à Deo extensi.

Taliter extenderat Deus Fratrum Minorum Cælos, vt per amplas circumferentias vndique lumen effunderent; peccatores cooperirent, & sic cauerent, ne temporalibus se implicarent, vt pluendo verbis, corruscando exemplis, intonando pœnas æternæ mortis, qualiter, vt ita forent, eorum lex monet, præcipitque. Quemlibet horum Cœlorum gyrum, sola, ac vnica ipsius Dei prouidentia circuit simul, & protegit, & defendit, vt per eos profundum abissi penetraret, scilicet corda malorum conuerteret per pœnitentiam.

Expenditur etiam præfata visio de petendo protectore.

Nihilominus Deus ipse, immediatus Religionis, & Regulæ Minorum Protector instruit in memorata visione Franciscum circa Cardinalis Protectoris à Sācta Romana Ecclesia petitionem; vt cò magis, ac magis supremum se Protectorem, ac Defensorem in Ecclesiastico Protectore, ac Defensore demonstraret, atq. propensiori, peculiarique benignitate protegeret, quò magis ac magis pedibus Vicarii sui, & Ecclesiæ suæ vtramque subiiceret. Quod idem Interpres ostendit illis verbis; *Super hos enim graditur Dominus, cum eorum cordibus sua humilitatis vestigia imprimit*. Et paulò infra. Et in omni terra steti. *Deus stat super humilem, & fructiferos, per bona opera stabiles.* Istud autem stare diuinum se cum radice humilitatis conformat, de qua radice cum eodem Interprete paulò infra.

Item & obliuio Franc. in concionādo corā Pontifice.

Id, quod deindè contigit Francisco, concionem habenti coram Pontifice, oblito iam eorum, quæ studuit; quæque possent ei aulicorum applausus excitare, atque adulatores trahere, vt ipsi blandirentur; respondet aptissimè Interpretis nostri doctrinæ super illa duo verba Ioānis 8. *Dæmonium habes* illud fuit. *Dæmonium non habeo* istud. Vbi Interpres Dom. in Passione, aliàs allegatus. Dæmonium dictum, quasi Daimonion, idest peritum, & rerum scitum. Dæmon græcè dicitur valde sciens. *Quando aliquis adulando, vel applaudendo dicit tibi; Peritus es, & multa scis, tunc dicit tibi, Dæmonium habes. Et tu statim debes respondere. Ego Dæmonium non habeo. A me ipso nihil scio, nihil boni habeo. Sed honorifico Patrem meum. Ipsi totum attribuo, ipsi gratias ago, à quo est omnis sapientia, omnis peritia, & scientia*. Hæc ibi. Contulit se Franciscus ad Spiritus Sancti gratiam, obliuione illa supergressus: sicq. non Dæmonium habere, expulso iam omnis vanæ curiositatis Dæmonio, sed habere Deum, Pontifici, ac toti Romanæ Curiæ ostendit, suamque Legislationem magis ac magis ab eo deuenisse, à quo & sua verba procedebant, ea occasione patefecit.

Applausus de peritia alicuius, cui applaudit, dicit, Dæmonium habes.

Annus 1218.

IN isto Anno neque Minorum Lex, in suo cursu celerrima, in suo Legislatore à suo progressu destitit. Quæ enim tunc contingerint, ad ipsam pariter Legem spectare possunt. Illorum argumentum apud Annalistam his verbis profertur. Valle Reatina transiens Assisium Franciscus, obtinet Eremitorium S. Eleutherii. Assisii missis litteris pro conuocandis Fratribus ad Comitia Generalia. Immissa tentatio, à qua miraculosè liberatur. Multa circa suos Fratres futura hoc in loco præuidit, & quam coercendi sint inobedientes ostendit. Hinc Perusium abiit in Montem Aluernæ, & in reditu iubet nouiter ædificatas ædes dirui. Recensentur item quædam Domicilia Fratrum, & Monialium hoc anno extructa.

Synosis eorū, quæ hoc anno Ord. Min. contingerunt.

Ad numerum 2. eiusdem anni hęc scribit in specie. Hinc vt ad Mariæ Angelorum peruenit, cōsiderauit, motus cęlitus, quam amplas suum institutum emiserit propagines, & quanto fructui possit esse rei christianæ, si ad vniuersas diffunderentur regiones. Plures fuisse vir sanctus expendit, ad quas non transierint, & in iis ipsis, ad quas missi erant Fratres, scire voluit quid egerint. Statuit itaque ad Comitia generalia ex vniuersis locis eos conuocare, destinatisq. ad singulas prouincias litteris, monere Cōuentum hunc celebrandum sub festo Pentecostes anni subsequentis. Dum autem altè de his meditaretur, immissa ei valida tentatio spiritus, quę omnem procul abigeret gloriam inanem, quæ ex tanto opere, & tam insigni prole posset subrepere. Per plures dies durauit hæc molestia, quam multa prece, & lachrimis voluit superare. Intentissimę tādem orationi insonuit vox cælestis: *Francisce, si habueris fidem vt granum sinapis, & dixeris monti, vt transeat, transibit*. Ignarus ille sensus oraculi, clamans addidit. *Domine qualis hic mons?* Cui responsum. *Mons est tentatio*, & Franciscus magno lachrimarum impetu subiunxit humiliter. *Fiat mihi Domine sicut dixisti; statimque sublata omni tentatione, perfectam obtinuit spiritus tranquillitatem.*

Citat suos Franc. pro comitiis celebrandis

Immissa ei tentatio.

Vox illi è Cælo effecta

Mons est tentatio, quia Mons, & collis tentator ille est, qui Deus, qui neminem tentat, non est, sed Diabolus, à Deo permissus

Cur monti Satanæ tentatio comparata.

missus, vt magnos sanctos circa res arduas frequenter tentet: dans tamen eis cum tẽtatione prouentum. Altè meditans Franciscus mirabilem, celeremque suæ legis, Ordinisque sui diffusionem, multumque incrementum, partim peractum, partim peragendum talem proculdubio tunc contemplatus est Regulam à se scriptam, & suæ, in dies valde excrescenti proli traditam, qualem iam instar *altissimæ Palmæ* statim surrexisse è pedibus suis Romanus Pontifex in eius *Altissimæ Paupertatis* fundamento admirabundus inspexit, vt dictum est in primo libro. Suggererat fortè Satan in cor Francisci, suam Legislationem meditantis, vt altè, ac vanè ascendens, & in vanæ gloriæ barathrum ipsum proiiceret, & hac via notabilissimo ictu sanctitatis suæ arcem percuteret, atque eius auctoritatem circa latam legem diminueret.

Vanę gloriæ tantillum, quam noxiũ viris sanctis

Vt autem ille Mons, & Collis, Satan scilicet humiliaretur, ad humilitatem sibi genuinam retraxit famulum suum Deus per immissam ei validam spiritus tentationem; deiiciens ipsum ex illius altitudinis meditatione ad maximum, profundumque pectoris, & animi angorem. *Omnis mons, & collis humiliabitur;* nimirũ mons, & collis superbiæ Diaboli tentatoris. *Detracta est vsque ad inferos superbia tua,* inquit Isaia. Nota ista duo (exponit Interpres alias pluries datus ex Domin. 4 Aduent.) *Mons, & Collis. Mons superbia est in corde. Collis superbia in opere. Illa maior ista.* Vnde Isaiæ 14. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius. Ibi Interlinearis. *Plus enim audet, quam possit.* Hæc Interpres. Hoc Dæmonis posse, audax supra seipsum, magnum profectò, mirandumq. victoriæ trophæum, haud vanè nactum esse gloriatur, quotiens viros Dei egregissimos secretissimo vanæ gloriæ cuniculo, facto impetu, expugnat. Testatur illa exclamatione Bernardus apud Interpretem nostrum, paulò ante citatum, *Verbum vanægloriæ vereli me tangere.* Et quidẽ multa cum ratione.

Mons superbia in corde. Collis superbia in opere.

Aestus viri des planctas exsiccans, vanagloria.

Legimus namque apud Matth. cap. 13 de seminibus seminatis, *Sole autem orto æstuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt.* Semina sunt bona opera, declarat Interpres noster Dom. 3. post Pascha, quæ Sole vanægloriæ æstuante, arescunt. Quicquid enim propter vanam gloriam facis, totum amittis. Bernardus: *Tibi cinis, & pulvis gloriam quæris?* Vnde? de vitæ sanctitate? *Sed spiritus est, qui sanctificat: non tuus, sed Dei.* An blanditur tibi fauor popularis? qui verbum bonum benè depromit; *Sed Deus est, qui dedit tibi os, & sapientiam.* Quid est lingua tua, *nisi calamus scribæ velociter scribentis?* Dicit Philosophus Socrates. *Compendiosa eis via ad gloriam peruenirent, qui darent operam, vt quales videri vellent, tales essent.*

Spiritus tentationis in domo Virg. à Franc. conceptus, atq; dissipatus.

Porrò Mons diabolicæ tentationis tũc funditus corruit, cum respondit Domino suo Franciscus. *Fiat mihi Domine sicut dixisti.* Statimque *sublata omni tentatione, perfectam obtinuit spiritus libertatem.*

Hæc responsio in ea Domo ex Francisci ore personuit, quæ dicata erat *Matri Dei Annunciatæ.* Ipsamet Annunciata Mater Dei similia verba respondit Angelico Nuncio, Altissimi voluntati se subdens. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quibus eius anima antea turbata in sermone Angeli, atque profunda, molestaque cogitatione sepulta, ingentique pauore concussa (vt loquitur Chrisologus) ac cuncta demum purissimi, ac humillimi cordis sui mœstitia excussa, omnimodam pacem, ac quietem adepta est. Hinc Interpres noster super illud Christi ad suos Apostolos. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur,* Lucæ 18. Sed attendite (inquit Dom. in Quinquag.) Ascensionis locum, quia Hierosolymam, idest ad pacem conscientiæ, & ad pacem patriæ. Psal. 121. *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem.* Leuitici 26. *Dabo pacem in finibus vestris.* Et hic aduerte, *quod omnes nuncios, quos tibi Dominus mittit, siue prosperitatis, siue aduersitatis, ad pacem huiusmodi te perducunt.* Deut. 3. *Via illius pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.* Prouerb. 3. Viæ scilicet prosperitatis, quæ sunt latæ. Et semitæ aduersitatis, quæ sunt strictæ; tamen sunt breuiores, vel ad terminum te adducunt citius. Psalm. 58. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Non certè sic Mundus, non Dæmon, non sic caro, quia 1. Machab. 1. *Loquuntur tibi verba pacifica in dolum, vt credas in eis.* Hactenus Interpres.

Nuncii aduersitatis ad pacẽ ducunt

Viæ prosperitatis latæ, aduersitatis strictæ.

Fiat mihi Domine sicut dixisti. His verbis erexit Franciscus denuò arborem illam, quam tristitiæ spiritus aliquantò inclinauerat, solidiusque in sua radice fixit, tantoque altius eleuauit, quantò suam iterum excitans humilitatem, profundius ipsam infixit. Sicque Legis suæ auctoritatem in sui ipsius Legislatoris auctoritate amplius aucta, & in nullo diminuta, quinimò neque leuissimè tacta, firmiorem reddidit, atque maiorem. *Omnis arbor bona, bonos fructus facit,* Math. 7.

Quo

Arbor bona est bona voluntas, cui sunt quinq; necessaria

Quo in loco Interpres, alibi citatus ex Dom. 8. post Trin. Arbor bona, inquit, est bona voluntas. Cui vt consistat bona, quinque sunt necessaria, scilicet, Radix Humilitatis. Fructus Obedientiæ. Rami Charitatis. Folia sanctæ prædicationis, & Fructus, idest dulcedo supernæ contemplationis. *Radix Humilitatis quanta est in profundo cordis, tanta est in altitudine operis.* Et post pauca. *Vera Humilitas quanto profundius infigitur, tanto magis inclinatur, & sic altius exaltabitur.* Et inferius. *Bona ergo voluntas illa, quæ talem habebit radicē, quia à radice fructus arboris pullulat.* Item ibi. At nullus ventus validior ad radicitus hanc arborem conuellendam è Sanctorum cordibus, vti ventus vanægloriæ, cuius vnius tātum verbi paucissimus flatus robustissimam, impauidissimamque terrebat Bernardi sanctitatem, vt paulò ante tetigimus.

Vera humilitas ad ima se profūdat.

Talis namque ventus velut turbo inopinatus omnia turbans, bonamque arborem è radice eruens, statim ad eius eradicationem spiritus tristitię malus malam illam arborem exurgere facit, de qua immediatè Christus. *Mala arbor facit fructus malos.* Vbi idem Interpres. Malus mala malum dicitur à nigro felle, quod Gręci *melan*. Vnde & melancholici dicti sunt homines, qui conuersationem humanam refugiunt, quibus abundat nigrum fel. *Mala arbor* est mala voluntas. Radix cupiditas. Fructus obstinatio. Rami peruersa opera. Folia verba ventosa. Fructus mors æterna. De tali arbore dicitur. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, &c.* Proprium vanæ gloriæ est radices illius cupiditatis in corde figere, quæ multiplex est apud Interpretem nostrū serm. in Dom. 2. Quadrag. vbi antequam vanam gloriam distinguat, ita dolenter. *Tentat nos Diabolus in Templo de vanagloria. Dum sumus in oratione, officio, & prædicatione vanæ gloriæ iaculis à Diabolo impetimur, & multotiens, heu, heu, vulneramur,*

Mala arbor pro mala voluntate

Vanægloriæ iacula vbi, & quando à Dæmone immissa.

SECTIO SECVNDA:

Annus 1219. Pluribus de caussis circa Minorum Legem memorabilis. Potissimum ex maximo eius professorum cœtu in Comitijs Generalibus Assisij, de Storeis nuncupatis, ad miraculum numeroso. Vbi plusquam viri 500. initiati.

Textus Historiæ D. Bonau.

Processu quoque temporis multiplicatis iam Fratribus, cæpit eos Pastor sollicitus in loco S. Mariæ de Portiuncula ad Generale Capitulum conuocare; vt in funiculo distributionis diuinæ in terra Paupertatis eorum vnicuique tribueret Obedientiæ portionem. Vbi licet omnium necessariorum esset penuria, Fratrumque multitudo vltra quinque millia conueniret, diuina tamen opitulante clementia, & victus sufficientia suberat, & salus comitabatur corporea, & spiritualis iucūditas affluebat, &c.

Locus Comitior. Generalium de Storeis nuncupatorum.

Diuina clementia in tribus his comitiis pręcipua.

Bonauentura cap. 4. Vitæ, & Legendę S. Francisci in corpore.

Celebrem reddiderunt hunc annum Generalia illa, & magna Comitia, ad quæ missis superiori anno litteris, cōuocauit Franciscus suos sectatores, qui ineunte iam Vere vndique ex remotissimis etiam terris accurrebant. Congregata vniuersa multitudine, quæ ad Conuētum Assisianum concurrebat, recensita sunt vltra quinque millia Fratrum. Sanè incredibile videretur in tam paucis annis pauperculum institutum adeò excreuisse, vt præter eos, qui in Cœnobiis ad diuina, & domestica remanserunt officia; tot conuenirent, nisi oculati testes, Francisci socii, viri sanctitate, & doctrina cōmendabiles, Bonauentura, eius socius Bernardus à Bessa, innumeriquealii id firmiter asseuerarent. Illud mihi incredibilius, aut verò minus simile, quod habetur in sermone 16. eorum, quæ sub extraordinariorum nomine D. Bernardino tribuuntur tomo 4. videlicet quibusdam post hunc annis, impressis iam Francisco Stigmatibus, conuenisse triginta millia Fra-

Quinq. mil. Fratrum, & amplius cōuenerunt ad hæc comitia

Triginta mill. Fratrū conuenisse in vlt. cap. gen. ad Fran. iam stigmatizatū perperam dicitur.

Fratrum ad alium generalem cõuentum. Non dubitem, satis iam aucta sodalitate, ingentem cõuenisse numerum ad vltima Comitia à Francisco celebrata, vel ea potissimum allectum, & attractum ratione, vt Patrem suum, & Institutorem videret, *nostræ Redemptionis pignora gestantem, & viuam Saluatoris ideam effectum*. Attamen ad terdena millia peruenisse, nec putem, nec credam illorum sermonum authorem (siue is sit Daniel à Purzyliis 1. lib. Patauinus, qui à Bernardino prædicante excepta in vnum redegit, ipsumq; nominat sæpius cum honore Bernardinũ, siue quis sit alius) hunc numerũ statuisse, sed auctos à calcographo calculos, siue notas adiectas, & pro 3. millibus, ex errore apposuisse 30. millia.

Cap. Gener. de storeis inter omnia alia in multis celebrius

Hæc Vadingus, ex quibus planum fit, quod inter cuncta Comitia Generalia, sub regimine vnius Generalis Ministri totius Ordinis Minorum, à primordiis Religionis Seraphicæ vsque ad hæc nostra tempora celebrata, non solum Fratrum, quantitate multitudinis, ac qualitate sanctitatis illustrium, verum etiam aliis ex causis peculiaribus, & eximiis, quæ infra patebunt, hæc sola eminent ferè ad miraculũ. Vt autem nunc sub ducatu historiæ Seraphicæ D. Bonauent. principaliter, nunc aliorum scriptorum, tum circa eorũdem Comitiorum eminentiam, tum circa nonnulla alia, *ad Legem Minorum spectantia*, serius perscrutemur: statuenda aliquot puncta, quibus concisa variarum rerum lectio, minus grauabit animum, imò exuscitabit, leuemque reddet, vt auidius perlustrentur, ac perlustrata memorentur.

PVNCTVM I.

Legis Minorum Vexillum in Comitijs Generalibus de Storeis à diuinæ clementiæ dextera inter quinque millia congregatorum explicatum, omnes præsentia sua exhilarat.

1. horũ Comitiorũ excellẽtiã Dei clementia demonstrat.

CElebritatem horum Comitiorum (in quibus castra Dei erant aduersus tenebrarum potestates, vt fassus est Cardinalis Protector, de quo paulò infra) eminere adhuc supra cætera tam antecedentia, quam subsequentia ostendit primo *vexillifera Dei Clementia*, quæ prouidens, & opitulans tunc potissimum extitit. Hæc namque diuina clementia explicans in medio illius multitudinis, repræsentansque manu dextera militare vexillum, huius totum stemma ex vna parte sub schemate, seu imagine (oriens ex alto, atque eminẽti loco, *Thronus enim eius in Culumna nubis*) *Virginis Annũciatæ*, quæ est *Clementiæ Dei sedes ob Puritatem originalem*, cuique dicatus Comitiorum locus, erigebatur. Videbatur postmodũ ex parte altera *Paupertas* in eo depicta, tenens librum apertum, *sigillisque septem intus, & foris signatum*. Inquit enim Interpres noster serm. Dom. 4. Quadrages. *quod proprio renunciantes, sanctæ Paupertatis sigillo se consignant*. Verum sigillum Paupertatis, sub qua ille sacer Conuentus altissimè militabat, comitabantur alia sex sigilla, quia septem Euangelicarum Beatitudinum Paupertas caput est, ac Princeps. Liber, quem tenebat, Legem Minorum demonstrabat, quæ ratione Paupertatis Euangelicæ, Eũgelica potissimum apparebat.

Paupertas cũ libro 7. sigillis signato.

2. excellẽtia ex fratrum multitud.

Apparet secundò horum Comitiorum eminentia ex numero quinario, quo eorũ Cœtus constabat. Quinque millia personarum habuit etiam illa multitudo, quæ Christum secuta est, quamque eius prouidentia, ac clementia in extrema penuria quinque panibus, & duobus piscibus abundè satiauit, vt habet Historia Euangelica Ioannis 6. *De hoc nota* (ait Interpres noster) *quod secundum numerum quinque millia hominum sunt quinque Conuentus. Primus celebratus fuit in Cælo. Secundus in Paradiso. Tertius in Monte Oliueti. Quartus in Hierusalem. Quintus apud Corinthum*, &c. Vide horum Conuentuum declarationem ex eod. Interp. tom. 2 lib. 10. huius operis, vbi de Simone Mago. Adde deinde hic cum eodem Interprete, quod sicut in priori illorum Conuentuum nata fuit discordia per primum Angelum. In secundo Inobedientia ob primorum Parentum diuini præcepti transgressionem. In tertio simonia. In quarto deficit Paupertas; & in quinto Castitas: ita pariter tempore S. Francisci hi ipsi Conuentus in ruinam totius Ecclesiæ magnum robur acquisierant. Aduersus hos Conuentus conuenerant quinque millia Fratrum, atque in illis Comitiis generalibus, vt eos è medio tollerent, necessario ab eis actum est; alias opus reparationis Ecclesiæ, à Deo Ordini, ac Legi Minorum præscriptæ, & prædicatione Euangelica, & perfectione Apostolica ab illis prosequẽdæ, quomodo exequi potuissent? Quæ enim conuentio Christi ad Belial, concordiæ cum discordia, obedientiæ cum inobedientia, Simonis Petri cum Simone Mago, paupertatis cum proprietate,

Iuxta num. quinq. mill. hominũ sunt quinque cõuentus.

Aduersus hos conuentus ille 5000 fratrum conuentus celebratus.

Casti-

Castitatis cum impudicitia?

Conuentus Satanici, aduersus Conuentus Seraphicos hac de re ea ipsa tempestate congregati, quales fuerint, ex his, quæ ibi tam ingens illò Apostolicorum virorum multitudo primario egit, nosci possunt. Tractabatur in Comitiis illis de restaurandis, atque restituendis in tota Christianitate, & Ecclesia Catholica *Cōcordia fraterna*, sine qua Respublica omnis lacera, ac scissa concidit. *Obedientia Christiana* ad Diuina, & Ecclesiastica mandata, sine qua Euangelium omne, veraque dogmata conculcantur. *Apostolica liberalitate*, ab omni appetitu temporalis lucri circa res spirituales exuta, sine qua errorum zizania in campo Ecclesiæ abundè germinat. *Paupertate Euangelica*, sine quā amor habendi fit idolorum seruitus, omne bonum depopulans, totusque Mundus in maligno ponitur. *Castitate Religiosa*, sine qua Christi ouile in Lupanar cōuertitur, prout tūc temporis experiebatur, iam Christi dextera, vt illum mortali ictu percuteret, armata fulminibus potissimū demonstrarat. Hæc fuit omnis sessio, atque actio ibi, iuxta legem, quam secundum formam Sancti Euangelii obseruādam, Fratres Minores iureiurando promittunt.

Acta principaliora in illis Comitiis.

Sed ecce in promptu Bestia illa, scilicet Satanas, *cuius sedes vbicumque regnet, inuidia est*, teste Interprete nostro Dom. 3. post Pascha; vbi ait, de sede inuidiæ, in quā habitat Bestia, idest Diabolus, dicitur Apoc. 2. *Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ*. Ecce, inquam, in promptu Satan in Hospitali Cruciferorum, non longe ab illa Franciscana acie, multorum millium sui generis, Comitia Comitiis, & Consilia Consiliis opponens, simul & semel conuocat, seriusque agit. In eo enim omnem posuit curam, quatenus impediret aliorum profectum, per Minores intētandum, eosque ipsos, aut penitus eliminaret, aut saltim infirmaret, aut denique è concepto feruore deiiceret. Refert Annalista noster sub hoc eodem anno num. 19. Exchron. Mar. cap. 53. ex Mariano, ac Speculo vitæ S. Francisci. Quidque ibi resolutum ex concilio vnius sagacioris, atque astutioris Consiliarii (suadentis non tam agendum aperto marte, quam arte, neque tam apertè debellandam robustam aciem, quam callidè supplantandam) in hoc breui decreto claudit idem Annalista.

Comitia Satannica aduersus Comicia Seraphica de Florein.

Vt omnes suas adhiberent socii vires ad inducendum Minorum sodalitium, quatenus sub specie boni, & æqui in se reciperet Nobiles, Literatos, Magistros, & Puerulos. *Nobiles*, vt viuerent inter eos lautius, suspirantes ad delicias, quibus enutriti sunt. *Literatos, Magistros*, vt suis scientiis tumentes, viam destruant, & conculcent humilitatis. *Puerulos*, vt relaxarent regularem disciplinam, quam molliuscula membra perhorrent.

Acta illorū in Fratres Minores.

Porrò secretum hoc Conciliabolum non latuit Franciscum; totum enim ei desuper reuelatum est, quamque deberet cum suis adhibere curam, & vigilantiam aduersus callidissimi hostis insidias. Obstupuit aliquantulum ad immensam cōtra se congregatorum multitudinem, & ad tantam erga genus humanum latentis inimici malignitatem. Vno etiam, vel altero die se collegit ad sacrum quoddā latibulum, Deum oraturus, vt se, suosque liberaret à laqueo venantium, Angelisq; suis mādaret, vt eos custodirent in omnibus viis suis. A quo tandem confortatus processit in medium sanctę multitudinis, quam egregio, & luculento sermone monuit suæ salutis cum omni solicitudine curandæ, nec adeò fidendum esse vitæ generi, nec status perfectionis, quin supplantari se posse putarent hostis insidiis. Idque sibi exemplo multo constitisse; quippe è Cælo secum traxit tertiam partem stellarum, è Paradiso turbauerat pios colonos; Christi socios voluit cribare vt triticum, quosdamque in suam sententiam adduxit, vnum vt traderet, alterum vt negaret, & omnes vt eo relicto, fugam inirent.

Præmonuit vir sanctus Fratres Diaboli insidiarum.

Deinde narratis, quæ desuper accepit, intimauit, vt omnem adhiberent conatū eludendi artes Diaboli: vtque conuerteretur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descenderet. Cauerent, vt in Ordinem Nobiles recipiendi non tam nobilitati carnis, quam spiritus attenderent: nec Magistri suis scientiis intumescerent, sed humiliter aliis proficerent; & Iuuenculi ab ipsis vnguiculis iuxta suam capacitatem addiscerent in tenera ætate, quæ robustius in adolescentiori seruarent. Neque enim ei visum opportunum, aut æquum, vt propter ea, quæ *Dæmones cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*: (neque enim est consilium contra Dominum) Diuitibus præcluderetur ad hanc societatem aditus, quorum animus ad magna pro Deo obeunda communiter nobilior, vocatio sincerior, & transitus à locuplete substantia, ad summam rerum ægestatem laudabilior; quin & conuersio ad alios trahendos efficacior, ipsique instituto honorificentior, immo & aliquando necessariò, nobilium parentum fauore, & subsi-

An recipiendū ad Ordinem Nobiles.

An Literati.

subsidiis vtilior. Similiter Doctos, & Magistros nequaquã respui debere, per quos nobis proponitur spiritus, & vita, per quos errores reducantur ad viam salutis & pacis, per quos cæterorum Fratrum repellatur ignorantia, & Euangelicę vitę sequaces habeat Ecclesia Doctores, quorum vita, & doctrina sit aliis pro magisterio. Demum Adolescentulos voluit recipiendos, qui dixit Marc. 10. 14. *Sinite paruulos venire ad me*, quibus melius est, vt potius non nouerint, quam vt fugerint Mundum, melius venisse ad Religionem impollutos, & illæsos, quam velut torres raptos ab incẽdio vitiorum; quibus exurebantur, & denigrati moribus facile suscipiant, foueantque applicatam vndecumque fauillam. *Bonum sanè est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia*, immò & à pueritia sua, vt in nulla ætate aliud sciat, quam quod in reliqua debeat obseruare, nec aliquando gustet in sæculo, pro quo postea suspiret in Monasterio. An verò hæc ex se adeo rationabilia pro rerum, temporis, & loci circumstantia vbique nationum expediant, prælatorum erit definire.

An Adolescentuli.

Aliud præter hoc concilium congregasse Diabolum contra Sanctum Franciscum, refert Bonauentura in serm. 18. in Hexamer. post med. in quod concilium conuocata quinque millia dæmonum, vt eum circumuenirent, quem molestissimũ hostem sentiebant, tot sibi quotidie prædas excipientem. Demum cum per hos cœtus parum profecerit, aliud nociuum iniisse, & opere compleuisse consilium contra sanctum virum Frãciscum, & eius sectatores, Beatæ Birgittæ fuit reuelatum à Christo Domino in *Sancta Ciuitate Hierusalem*, quod eisdem, quibus à sancta Vidua scriptum est, verbis subiicio. Præmissa à Christo commendatione Francisci, & eius Regulæ, quam se Francisco dictasse testatur, addit Birgitta lib. 7. c. 10. *Istius Francisci Fratres, qui Minores dicuntur, tenuerunt, & benè seruauerunt illam Regulam eius per aliquos annos, & valde spiritualiter, & deuotè secundum omnem meam voluntatem, de quo Diabolus hostis antiquus magnam inuidiã, & turbationẽ habuit, ex eo quod dictos Fratres tentationibus, & fraudibus suis deuincere non valebat. Quæsiuit igitur Diabolus diligenter, vbi posset vnum hominem inuenire, in quo suum malignum spiritum cum ipsius hominis voluntate posset commiscere. Qui tandem vnum Clericum inuenit; sic intra se cogitantem.* Vide eam illius Clerici cogitationem ibidem, addeque mox hæc alia ab eo excogitata, ac prolata.

Alia Dæmonis concilia contra Franciscum.

Quis prius cæpit Minorum institutum relaxare.

Ego etiã addiscere volo artes liberales, & scientiam ad hoc, vt ex illa honorem, & dignitatem aliquam habere valeam in Ordine, habendo equos, & vasa argentea, & pulchras vestes, ac pretiosa ornamenta, et si aliquis pro istis me arguerit, respondebo ei, quod hoc facio propter honorem Ordinis mei. Si etiam ego adhuc tãtum laborare, & facere possem, quod fierem Episcopus, tunc verè felix, & beatus essem pro tali vita, qualem tunc ducere possẽ, quia tunc ego essem in propria libertate mea, & haberem omnem delectationem corporis mei. Audi modo tu (subdit Christus Brigittæ) quid Diabolus fecerat in prædicto Ordine Francisci. Nam verè ita est, *quod plures sunt illi Fratres in mundo, qui tenent aut opere, aut voluntate, ac desiderio regulam prædictam, quam Diabolus docuit Fratrem aduersarium, quam illi, qui seruant regulam illam, quam ego ipse docui Fratrem Franciscum.* Scias tamen, quod quamuis isti Fratres, scilicet Francisci, & Fratres Aduersarii commixti sunt quamdiu viuunt in mũdo, attamen ego separabo eos post mortem, quia iudex eorum sum, & iudicabo Fratres regulæ Francisci ad permanendum mecum simul cum Francisco in æterno gaudio. *Illi autem, qui sunt de regula fratris aduersarij, iudicabuntur ad pænas æternales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere, & humiliter emendare de suis prauis desiderijs.* Quæ sequuntur; habes lector apud Vadingum citatum ad finem numeri 21.

Similia sunt quæ hodie docet alios Diabolus.

O misera hominum conditio, quibus non desinit hostis antiquus deceptionum laqueos vbiq; protendere, & vt quoquo modo credentium mentes corrumpat instare. Quo magis se quispiam ab eo elongare contendit, eò sequitur velocius, quò feruentius se piis addicit operibus, eò acrius ad mala perurget; nec tentare desinit, donec noceat, vel singulari hominis bono cælitus tentantis refrenatur audacia. Nihil ergo mirum, quod toties, & tam validè sanctam illam Francisci prolem, adeò impensè de sua, aliorumque salute cogitantem concutere tentarit, id mirabilius, quam in vanum longo tempore laborauerit, & quam validè eius tẽtamenta repulsa. Et sanè elusas eius artes, neque per aliquot annorum spatium potuisse sodalitatem hanc dissipare, aut sectatores deprædari ipsemet testimoniũ perhibuit vrgente, & torquente Sanctissimo viro Dominico ad Carcassum, alias Carcassonam, Galliæ Narbonensis Oppidum. Nam cum hæreticum quendam Albigensem, iusto Dei iudicio à Dæmone obsessum, in numerosissima hominum multitudine de multis rebus seriis interrogasset

Id mirabilius in Ord. Franc. quod tam validè assidua Satanę tẽtamẽta repulerit.

rogasset

rogasset, eoq, deflexisset, vt sciret ex quo hominum statu plures condemnarentur, responderunt Diaboli (quorum mirabilis multitudo intra obsessum latebat) *Antistitum*, *& Principum* vtriusque sexus maximum habemus numerum. *Colonorum vero, & rusticorum* paruum; licet enim boni, & perfecti non sint, tamen tantis malis, & peccatis obnoxii non sunt, atque illi. *Mercatores, & Oppidanos* quamplurimos habemus, persæpè enim per auaritiã, fraudes, & sæpissimè per delicias, & voluptates carnales in nostra claustra, barathrumque nostrum descendunt. Deinde subiunxit S. Dominicus, dicens: *De Sacerdotibus* verò, & *Religiosis* nullam mentionem facitis? Responderunt, *innumeros se possidere sacerdotés, at verè Religiosos nullos*. Sed ex iis, qui non habita ratione statutorum sui Ordinis, ea temerè violãt, singulis diebus innumeri ad nos deuoluuntur.

Obsessi à dæmone, ad D. Dominicũ responsio.

Subinterrogauit; & dixit iterum Sanctus: *De meis ergo Religiosis, & Franciscanis quid dicitis?* Tunc ad hoc renouatis vocibus, & clamoribus, responderunt dicẽtes: *Heu, heu, ex illis pro tempore nullum habemus*; futurum verò est, vt infinitos recipiamus, cum nempe seueritas statutorum, cęremoniarum, ipsaque deuotio refrixerint, pessumque ierint. Ita verbatim habetur in appendice Speculi magni exẽplorum, exempl. 113. exscriptum ex Legenda Sancti Dominici, qua ex quatuor vitę ipsius scriptoribus sumpta est, nempe ex FF. Iordano, Constantino, Vmberto, & Theodorico de Apoldia Ordinis Dominicani viris piis, & doctis. Transtulit autem illam in Gallicam linguam venerabilis Religiosus eiusdem Ordinis Frater Ioannes Martinus Conuentus Velencenensis, qui supradictum miraculum refert 1. par. cap. 5. fol. 35. col. 4. Ex hoc ipso loco Speculi totam rei seriem transcripsit Abrahamus Bzouius; sed dum ad Franciscanos peruenit, pro suo in eos affectu, & historici candore, narrationem mutauit, solum Minoritis affigens, quod de futura perditione irregularium, & viloris notæ Fratrum tam Prædicatorũ, quam Minorum Diabolus prædixit. Hæc viri sinceritas in rebus nostris narrandis, vt in quibuscumque pręclaris socios, & consodales adhibeat Prædicatores (quorum consortio lætamur, & exultamus) in vituperio tamen, & malis, si quæ sunt vtrique instituto communia, singulares semper Franciscanos constituat.

Quid autem responderit de Prædicatoribus, & Minoribus.

Sinceritas historiæ sincerum cor historico præcipit.

PVNCTVM II.

Tres inclitissimi Viri, quilibet in suo gradu egregia dignitate, atque probitate mirè preditus, illustrant Comitia Franciscana de Storeis, Legemque Minorum dignificant.

PRæterea horum Comitiorũ eminentia sub Legis Minorum vexillo, ob quod omnis illorum in isto anno admiratio, ex tribus, quæ interfuerunt Personis, quarum quælibet in suo statu peregrinis præfulgebat dotibus, iam plurima claritate dignoscitur. Dominus enim *Hugolinus* Cardinalis Legatus Perusii, atque primus Ordinis Minorum Protector interfuit illic. Interfuere quoque ambo Reparatores totius Ecclesiæ, nimirum *Dominicus, & Franciscus*, alter & vt Francisci consocius, cum quo in restauranda omni Christianitate, à Christo huiusque Virgine Parente electus; & vt cordialissimus amicus. Alter vt Pastor sui Gregis Seraphici, in cunctis sollicitissimus, maximè in hisce Comitiis, vbi iure merito à D. Bonauentura Pastoris nomine intitulatur. Quilibet horum trium Virorum in suo munere maximus, ac singularissimus. *Hugolinus* ceu inter omnes legis, & Religionis Franciscanæ Protectores non solum tempore, verum etiam dilectione, vigilantia, ac pietate sub illo munere princeps. *Dominicus* veluti Domino vnicus, cui ipse Franciscus nunquã illi præcedere, sed semper ab eo præcedi curauit. *Franciscus*, vt nomine, & humilitate in omni Ecclesia præcipuus. Tunc verò illius multitudinis vt Rector, atq; Pastòr, adeo sollicitus, vt ipsius Christi in suo regimine explicarit insignia.

Dom. S.R.E. Card. Hugolinus. D. Dominic. D. Francisc. Comitia de storeis decorant.

In his inclitis tribus viris, ita conspicuis, ac dignis, Cor vnum erat, Anima vna, Intentio vna. Vnitas hæc triplex, ac mutua, Cordis scilicet, Animæ, & Intentionis, constituebat tria poma, in quorum quolibet gratia Dei sapore multo excellens, colore alliciens, odore recreans, tum Vrbem omnem Asisiatem cum circumuicinis Oppidis, ac Pagis, tum cunctam Fratrum cateruam tam grandem lætitia haud modica implebat. Hinc Interpres noster super illud Amos. *Quid tu vides Amos? & dixi, vncinum pomorum ego video; & ait Dominus. Venit finis super populum meum Israel*, ita scribit. In pomis tria sunt, scilicet sapor, color, & odor. Poma

Erant hi tres viri tria veluti poma.

Tria in pomis, sapor, color, et odor.

Poma sunt Viri Iusti, in quibus est sapor contemplationis, color sanctitatis, odor bonæ operationis. *Hæc poma Dominus trahit ad se quotidie vncino suæ Crucis, quam cum ascendit, finis venit super nos, quia finita est miseria nostra*. Sic ibi Interpres, alibi datus.

Conscensus, & confessio Christi super patibulum Crucis ob finalem totius generis humani misericordiam in opere Redemptionis semel contigit. Quotidiana tamen prædictorum pomorum tractio per vncinum Crucis ad complementum saluandorum, pro quibus potissimum sãguinem fuderat, adeo defecerat in illo Dominici, Francisci, & Hugolini seculo, vt Mundus totus in maligno positus ferè ad extremum iudicium, & ad omnium finem prouocauerit Deum. Sed quid egit Deus ipse, à Virgine Matre ex Iudice in Patrem iterum commutatus? Dicam quid egerit Statuit demum opus Reparationis Ecclesiæ, ob quam, sicut in Christo tria poma in vncino Crucis appendit pro omnium Redemptione ad vniuersum miseriæ humanæ finem (nimirum pomum substantiæ diuinitatis in persona Verbi, filii sui, pomum substantiæ corporeæ, & pomum substantiæ animæ, hæ duæ substantiæ simul in humanitate ab ipsa persona Verbi assumptæ) ita pariter se gessit in vnico Reparationis opere, ad cuius prosequutionem miranda, ac multa illa sodalitas magnam Synodum celebrabat. Etenim Crucis suæ vncino, hoc est passionis suæ, efficaciter traxit tria poma, Dominicum scilicet, Franciscum, & Hugolinum, in quorum singulis aliquid prędictorum, nimirum saporis, coloris, & odoris, in suo genere præcipuum apparebat, licet talis sapor, talis color, talis odor omnes simul suo vnicuique modo communes essent. *Dominicus* præcipuus porrò erat *colore sanctitatis* ob singularem eius *Virginitatem*, ob quam pro suo peculiari insigne *Liloriũ florem* meritò concessit Ecclesia. *Franciscus sapore contemplationis*, in cuius signum ferè semper raptus in Deum, atque à seipso alienus depingitur. *Hugolinus odore bonæ operationis*; ob quam primum locum meruit in serie Protectorum, atque postea Sedis Petri apicem iuxta Francisci oraculum.

Similitudo peculiaris inter opus Redẽptionis, & Reparationis ex his tribus magnis viris.

Hæc tria poma, cõtemplatione sapida, colore sancta, odore cara vncino Crucis traxit semel Christus ad finem cõmunis miseriæ, in qua reperiebatur humanũ genus, & ob quam ne in excidium funditus abiret, reparari oportebat. Traxit proculdubio è Cruce *Dominicum*, vt ad Crucem Christi memoriam, iam totum illius oblitum incenderet Mundũ comet amoris Dei igne, quo *os eius sub catuli visione* Matri suæ in ventre candescere cælitus præmonstratum fuit. Traxit è Cruce *Franciscum*, ter etiam de Cruce eum alloquens illis verbis. *Vade, Francisce, repara, &c.* Atque adeò traxit Cruce, vt à principio corde, mente, membris, vita, verbis, opere ipsum animatũ effecerit Crucem: & Crucifixum interius, exteriusque effecerit, vt quemadmodum sibi Redemptori Mundus crucifixus fuit, pari modo in Francisco Reparatori iterum crucifigeretur. Traxit demum Christus Cruce sua *Hugolinum* mediante Frãcisco. Christo Cruci confixo, quem inspirauit (sicut visio ipsi cælitus præmonstrauerat) vt ipsum, ad vnicum reparationis opus tutius protegendum, in primum suæ Legis, & Religionis Protectorem ab Apostolica Sede expostularet.

Vncino Crucis suæ traxit Christus hosce tres viros.

Ex vno pomo confecit Diabolus hamum suum, ad capiendum in vno homine totum genus humanum, eumque perderet. In illa captura tribus, quæ sunt in pomo, vsus est, videlicet odore, colore, ac sapore. Declarat Interpres noster in principio Dom. 17. post Trin. *Diabolus*, inquit, *pomo quasi piscem hamo prius cæpit*. Qui vult, subdit, piscem capere hamo, ad minus tria sunt becessaria, *funiculus, esca, & ferrum*. In pomo tria sunt, odor, color, & sapor. *Odor quasi funis ad se trahit. Color quasi esca allicit. Sapor quasi hamus capit. Tali hamo à principe Diabolo captus fuit primus Homo*. Hæc ibi. Christus vt liberaret mundum à Diaboli captura, caperetque magnum piscem Diabolum, magnaque catena ligaret, pomum pomo opposuit, fructum fructui; idcircò vocatus *Benedictus fructus ventris* Virginis.

Diabolus ex pomo confecit hamum suum, vt caperet humanum genus.

Eius Diuinitatis odor funis extitit adeò fortis, vt in vna persona totum hominẽ, tractum à se, vt cunctos traheret, duobus constantem, scilicet anima, & corpore (in totalem eius liberationem, Diabolique capturam vndique tutam) indissolubili nexu ligaret.

Eius carnis color multimodè allexit, delusitque tam magnum piscem, quem multa deinde arte *saporis* ferro cępit; licq; absoluta libertate redimens nos, legem gratiæ tradidit, ac suam Ecclesiam fundauit.

Ita pariter Christus in humani generis, & eius hostis capturam.

Quid simile contigit in opere reparationis Ecclesiæ tribus Diaboli pomis, quibus in lege gratiæ totã cæperat Christianitatem, in quam tribus quoque fulminibus Dei dextera armauerat. Prius Diaboli pomum dictum *Concupiscentiæ carnis*, quæ coangustat, & tribulat animam,

mani: Posterius *Concupiscentia oculorum*. scilicet *Auaritia*, iuxta Interpretem nostrum Dom. 16. post Trinit. *quæ obtenebrat oculos sapientum*. Postremum *superbia vitæ*, quæ est dura seruitus Diaboli: in quatuor singulis odor funis erat: color esca: sapor hamus. Hisce tribus pomis tria etiam poma opposuit Deus, nimirum *Dominicum, Franciscum, Hugolinum*: duos primos, vt principaliores in eo opere; postremum vt amborum Protectorem, illius affectu, huius officio. In vnoquopue ipsorum, etsi vario modo, & sub diuersa lege, concredita fuere illa tria remedia aduersus prædicta tria, quorum idem Interpres meminit loco citato illis verbis. Contra ista tria Dominus apposuit remedia, nimirū.

Quid simile contigit in opere Reparationis per hos tres viros.

Vita innocentiam contra carnis laborem. Hæc excelluit *in Dominico*, Dominicæ innocentiæ æmulo. *Spiritus paupertatem contra auaritiæ concussionem*. Hæc *altissima* extitit *in Frācisco*, Spiritu paupertatis Christi superfuso. *Sui senguinis effusionem, contra superbiæ sublimitatem*. Hæc in *Hugolini purpura* rubescens, mentis superbiam in eo extinctam denotauit. Verus quidem titulis, ac dotibus etiam in ipsa sede Petri Antistes, dum esset sub generosa illa Humilitate, qua in *Dominico* innocentia vitæ Christi capiebatur; in Frācisco verò paupertate ipsius Christi spiritus paupertatem æmulatus est. Vide plura de eo in 2. tomo Hierarchiæ.

Præsentiam Dominici in hisce Comitiis, ab ea admodum decoratis, refert B. Leo tunc socius Sancti Francisci, qui præsens omnia vidit, multaque inter se colloquutos Sanctissimos Patriarchas ad animarum salutem, & Christianæ fidei nitorem, & augumentum, testatur. Quemadmodum de suis institutis largius egisse, inuicem de rebus suis interrogasse, de pace perenniter, & fraterna concordia, inter se, & suos tam superstites, quam inter eorum posteritatem stabilienda, de cinctorio, seu fune, suo consodali Dominico, ipsum ex deuotione expostulante, à Francisco concesso, ac tradito, quod sub exterioribus vestibus ferre lætabatur. Quodque etiam post Leonem, & Bernardum de Bessa Bonauenturæ socium, Georgius Caluenerius Professor Louaniensis ad Thomam Cantipratanum, & plures alii perpetuo gestasse in indissolubilis nexus charitatis simbolum perpetuum, compertum habent. *Tandem in valedictione vterque, scilicet Dominicus, qui erat cum septem ex suis socijs*, teste Vadingo citato, num. 5. & 13. *& Franciscus*, inquit Leo, *suis discipulis alterius commendauit reuerentiam. Laudanit vitam, & extulit sanctitatem*.

Quam mirè Dominici præsentia hæc Comitia decorauit.

At in septem Dominici sociis septem illæ Lucernæ, septemq. infusoria misticè, ac præcipuè admirabātur, de quibus alibi adnotauimus concordantiam ex Intepr. nostro in serm. Dom. 23. post Trinit. super cap. 4. Zachariæ. Vbi ait septem Lucernæ (in candelabro aureo) sunt septem Beatitudines. Septem infusoria sunt septem verba Christi prolata in Cruce.

Vide hæc verbatim in panegirico de B Beatrice, D. Claræ sorore.

1 *Qui paupertate spiritus ducitur*, verè cum Iesu Christo pro se persequentibus potest orare, dicendo. *Pater ignosce illis, quia, &c*. Qui spiritu est humilis, in se delinquenti ignoscit, preces fundit.

2 *Ille mitis est*, qui nec afficit, nec afficitur opprobriis, non scandalizat, nec scandalizatur, qui cum bono Latrone, immò Confessore audire merebitur. *Hodie mecum eris in Paradiso*; quæ est terra, quam possident mites.

3 *Qui pro peccatis suis*, vel proximi, vel miseria huius exilii, vel dilatione regni *luget*, à Domino consolatur, qui Matrem suam, de passione sua lugentem consolatus est, dicens, *Mulier ecce filius tuus*.

4 *Qui esuriem, & sitim habet iustitiæ*, reddet vnicuique, quod iustum, & suum est, scilicet Deo, & proximo dilectionem, sibi ipsi pro commissis afflictionem. Hæc triplex iustitia in illis tribus verbis notatur, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*, idest quare me tantæ pœnæ exposuisti, Dicit Filius Dei ad Patrem.

Iustitiā triplicē esuriūt Dei serui.

5 *Qui misericors est*, Deus misericors est illi. Hoc immisericordes Iudęi nō fecerunt; qui *Christo sitienti in Cruce* non calicem aquæ frigidæ, sed acetum, felle mixtū obtulerunt.

6 *Qui munditiam habere vult cordis*, vt Deum videat, necesse est, vt omni peccato finem imponat, vt dicat cum Iesu, *Consummatum est*.

7 *Qui Pacem habet Peccatoris* verè meretur vocari filius Dei Patris. Cui cum ipsius vnigenito dicit in hora suę mortis. *Pater, in manus tuas commendo spiritū meū*. Quia à pace peccatoris ad pacem transit æternitatis. Hæc Interpres.

Inter septem filios, & socios, ac discipulos suos præsentia Dominici (qui verū in illis Comitiis interfuerit, parum solidè obdubitat Ordinis Prædicatorum Chronologicus Pater Ferdinādus del Castillo lib. 1. cap. 51. vt probat Vadingus citatus) valde illustrauit, decorauitque illam Fratrum Minorum Synodum, adeò memorabilem. Erat ipse, illis beatis lucernis septem, septemque infusoriis circūdatus, *Candelabrum aureum*; super cuius caput *Lampas ardebat*, vt ait Textus sacer Zachariæ. Inquit enim Interpres ibid. paulò ante

D. Dominicus candelabrum aureū

ante. *Anima est candelabrum, quæ tota dicitur aurea, in quantum ad imaginem, & similitudinem Dei facta est.* Et lampas eius super caput ipsius, *Lampas est infusio gratiæ, qua anima illuminatur.* Hæc ibi.

Ista infusio gratiæ, lumen iustitiæ, siue sanctitatis tripliciter diffundebatur in aurea Dominici anima. cui anima fides, qua viuebat. *Iustus ex fide sua viuit.* Abacuc 2. Iustus dictus, declarat Interpres loco citato in 4. Beatitudine, quia iura custodit. *Iustus refertur ad se. Ex fide ad Deum. Viuit ad Proximum. Qui iustus est in seipso, iura custodiens, seipsum iudicans, & condemnans, ex fide Dei viuit ad proximum.* Ita ibi.

Iustus refertur ad tria. Ad se, ad Deum, ad proximum.

Adeo tamen peculiaris erat lux, lampasque infusionis gratiæ Dei, iustitiæ, & sanctitatis propriæ, fideique ad Deum, & amoris Dei ad proximum, *in Patriarcha Dominico*, vt ex vno candelabro aureo, candelabro aureo Francisci apposito (de vtroque Bonauentura, de quo alias) factus sit septem candelabra aurea, septem candelabris aureis in suo Francisco adiunctus. De vnoquoque est illud Apostoli 1. *Vidi septem candelabra aurea*, quæ ad bonum Pastorem applicat Interpres serm. Dom. 2. post Pascha, & iam *sollicitum Pastorem* in suis Comitiis appellat Bonauẽt. *Franciscum*, vt dictum est. Et quia Cardinalis Protector *Hugolinus* bonus Pastor quoque erat, horum quoque septem candelabrorum ipse præsentabat symbola. Ego sum Pastor bonus, dicebat Christus, quod poterat etiã de se dicere *Dominicus*, quem alias in aliis Comitiis Minorum interfuisse demonstrat Vadingus ibidem. Poterat itẽ dicere *Franciscus*, & *Hugolinus*, cuilibet enim Grex proprius commendatus erat, sed Hugolino, præter propriũ, etiam *Grex Minorum*. In quolibet cum septem præfatis lucernis, & infusoriis, totidem septem quoque cãdelabra aurea flammas suas emittebant. *Ego sum Pastor bonus*, Ioann. 10. Vbi Interpres. Qui vt bonus sit, necessarium est, vt filio hominis similis sit. De qualibus dicit Ioannes Apoc. 1. *Vidi septem candelabra aurea.* In quibus notantur septem Prælati Ecclesiæ necessaria. *Vita scilicet munditia. Diuinæ scripturæ scientia. Lingua eloquentia. Orationis instantia. Circa pauperes misericordia. Circa subditos disciplina. Populi commissi cura sollicita.* Hactenus Interpres, cum quo alias pluries.

Quam peculiaris lãpas infusionis gratiæ super Dominici candelabrũ.

PVNCTVM III.

Accessus, atque ingressus Domini Cardinalis Protectoris Hugolini in medio DD. Dominici, et Francisci ad illum Conuentum, Synodumque, quantitate numerosam, sanctitate admirandam, in qua 500. Viri, & amplius Minorum Legem profiteri elegerunt.

Trium horum Virorum accessio, atq. ingressio ad Fratrum congregatorum multitudinem in medio habuit Cardinalem Hugolinum. Hunc Religiosi omnes velut Patrem, & Dominum venerantes, aduenientem processionaliter exceperunt, prædicantem sibi attentius audierunt, & sacra solemni ritu peragentem religiosius obseruauerunt. Ille vicissim sanctum quodam die perlustrauit exercitum, nihilque videns inordinatum, aut incompositum, sed omnes turmatim, hinc centum, illinc sexaginta, alibi minorem, maioremque numerum, diuina tractantẽ, & serius de sua, aliorumque salute sermocinantem, & de morum, Orbisque reformatione, variè & miro modo agentem, conuersus ad suos admirabundus, dixit. *Verè castra Dei sunt hæc.*

Interfuit Synodo Card. Hugolinus

Mira cõgregatorũ conuersatio.

Neque sanè incongruè id Hugolini dictum, erant enim tentoria, & tuguriola illa humilia ex storeis compacta, tamquã tabernacula plena diuinis choris psallẽtium, legentium, orantium; tantumque ieiunandi, & vigiliarũ ardorem cunctorũ mentibus sermo, & exemplum institutoris afflauerat, vt futuræ spei auiditate ad charitatem mutuam, & misericordiã indigentibus exhibendas iugi studio laborarent. Qui amplam illam regionem, & suburbanum campum à mundana conuersatione seiunctum plenum pietatis, & industriæ videbantur incolere. Quis igitur tantum Monachorum agmen adspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumpere vocem? *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas.*

In ipsis castra Dei erant.

Quatuor ordines Tabernaculorum describit Interpres noster super illud Christi

apud

Quatuor tabernaculorum ordines in qualibet militia spirituali.

apud Lucam 16. *Facite ergo vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* In priori ordine collocat Tabernacula carnalium, & hæc vocat *Tabernacula Idumæorum*. In secundo ponit Tabernacula incipientium, *Cedarque hæc Tabernacula nuncupat*. In tertio ordine constituit Tabernacula proficientium, vocatque *Tabernacula Iacob*. In quarto ordine ponit Tabernacula peruenientium, & ista appellat *Tabernacula Domini virtutum.*

In loco campestri, vbi castra Dei in illo magno Fratrum Minorum cœtu sua fixerat tentoria, Tabernacula quoque primi ordinis reperiebantur. In prioribus, in quibus validissima illa primi ordinis cōmorabantur, omnia erant mundi castra, à Satan disposita. In posterioribus secundi, tertii, & quarti ordinis castra Dei extabant in illorum expugnationem. Itaque omnia simul vnum campum militarem faciebant, in quo ea trium ordinū castra in illa prioris ordinis mortale bellum gerebant. Patet ex glossa Interpretis, quæ sic se habet in serm. Domin. 9. post Trinitatem.

Tabernacula Idumæorū, luxuriosi ac superbi.

1 De primis Tabernaculis, inquit Psalm. 82: *Quoniam cogitauerant vnanimiter* simul aduersum te testamentum, disposuerunt Tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ. Idumææ sanguinolenti, Ismaelitæ interpretantur obedientes, sibi supplè, & non Deo. Per hos luxuriosi, qui sanguine luxuriæ inquinantur. Et superbi, qui nō Deo, sed suæ voluntati obediunt. Horum Tabernacula, idest conuenticula disposuerunt testamentum, quod Dominus in morte condidit, scilicet, *Beati pauperes spiritu. De his Tabernaculis fugiendum*

Tabernacula Cedar, sunt viri Apostolici.

2 *Ad Tabernacula Cedar*, de quibus Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem, sicut Tabernacula Cedar, &c.* Expositionem huius loci citat Interpres noster in Dom. 3. Quadrag. sed eam affert in Dom. 9. post Trinit. Vbi in specie, ac si loqueretur de Tabernaculis Fratrum Minorum, in illis mirandis Comitiis congregatorum, ita pulchrè. O filiæ Hierusalem, *idest Virtutes Angelicæ, vel fideles animæ.* Nigra sum *cinere, & cilicio, ieiunijs, & vigilijs exterius*. Nigra sum sicut Tabernacula Cedar, *quæ interpretatur mœror. Habito enim in tabernaculis, quæ de loco ad locum transferuntur, & à quibus milites impugnant, & impugnantur*, quia non habeo hic manentem ciuitatem, sed futuram inquiro. *Et dum pugno, impugnor. Et in his omnibus non est, nisi mœror, & dolor.* Sed formosa sum sicut pelles Salomonis, *quæ fuerunt hyacinthinæ, & rubricatæ. In pellibus hyacinthinis mentis puritas, & contemplatio gloriæ cælestis. In rubricatis, fidei integritas, & martyrij, vel afflictionis asperitas designatur.*

Oculo fidei videns Christum, omnia contemnit.

Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol: Sol eclypsis, idest defectum patiens, omnia decolorat. Sic verus Sol Christus, qui cognouit occasū suum, eclypsim mortis in Cruce patiens, omnes colores, omnes varietates, omnes glorias fallaces, omnes honores debet decolorare. Ideò dicit anima pœnitentis: Nigra sum, fusca sum, quia decolorauit me Sol. Dum enim oculo fidei Deum meum, Sponsum meum Iesum Christum, in Cruce pendentem, clauis confixum, felle, & aceto potatum, corona spinea coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis pompa transitoria in pallorem vertitur, & à me nihilo existimatur.

Tabernacula Iacob pro actiuorū, & contemplatiuorum militia.

3 *Qui in istis Tabernaculis benè militauerit, transit ad Tabernacula Iacob:* addit statim Interpres ibidem Dom. nona post Trinit. Nota, ait, ista tria, Valles, Horti, Cedri. *In Vallibus nemorosis mentis humiliatio. In Hortis lachrymarum effusio, & compunctio. In Cedris supernorum contemplatio designatur.* Tabernacula ergo Iacob, & tentoria Israel sunt militia viri actiui, & contemplatiui, quæ tabernacula Dominus fixit, quia iuxta beneplacitum suum sunt disposita. Vnde Exodi 25. dictum fuit Moysi. *Respice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Mons est Christus dictus, motus non habens, quia non abijt in consilio impiorum, &c. Exemplar est vita eius, secundum quam nostra tabernacula debent figi, & constitui.

Pulchra sūt hæc tabernacula.

Tabernacula, & tentoria, subdit, idem significant. Tentorium dictum, eo quod tendatur funibus, vel palis in tabernaculo, vel papilione. Ista Tabernacula viri actiui, & contemplatiui sunt pulchra, vt vallis nemorosa, quia in humilitate mentis, quæ obumbraculum præstat contra ardorem vitiorum, cōsistunt. Et vt horti iuxta fluuium irrigui, quia lachrymarum effusione, & cordis compunctione eorum mentes irrigantur. Et quasi cedri, in altitudine contemplationis, in odore sanctæ conuersationis, in abundantia fluminis lætificantis Ciuitatem Dei, radicati, plantati sunt.

4 *De his Tabernaculis, cum finita militia fuerit, cum hyems transierit, & imber recesserit, tunc transibunt ad tabernacula Domini virtutum.* De quibus Dominus promittens, dicit Isaiæ 32. *Sedebit populus*

Tabernacula Domini virtutum in cælestibus.

lus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta. Populus, ait, pœnitentium, est populus Domini, & oues pascuæ eius. Qui modo stat in certamine, sedebit in pulchritudine pacis. Pax est tranquilla libertas, à pacto dicta. Posterius verò sumitur pax, cum fœdus primum initur. *Qui modo fœdus reconciliationis iniit cum Domino, postea sedebit in pulchritudine pacis in celesti Regno. Pax temporis, & pectoris heu quotiens polluitur. Sed pax æternitatis pulchra permanebit in tabernaculis fiducia, tunc non erit, qui exterreat, sed habitabit confidenter, & in requie opulenta æternæ societatis.*

Igitur Cardinalis Protector Hugolinus multa cum ratione dixit. *Verè castra Dei sunt hæc*, sermonem habens ad Fratres in illo Conuentu, cumque circumiens, visitans, ac domestica affabilitate in Domino consolans. Seipsum, & Apostolicam Sedem pio corde commendans. Sed ad Legislatorem nostrum, qui non solum officium Pastoris sollicitissimi erga gregem suum, vt inquit Bonauentura, optima, miraque cura gerebat, verum etiam iuxta Hugolini dictũ, Præfecti generalis in spirituali militia peritissimi.

Prædicat vniuersæ multitudini Frãciscus.

Non destitit ergo Franciscus vigilis more Ducis omnem hinc inde campum lustrare, tentoria visitare, suos ad sacra bella ciere, virtutem ex alto promittere, collapsos animos excitare, constantes firmare, & vndequaque boni principis munus obire. Deinde vocatis omnibus in medium, in feruore spiritus pro auditorũ conditione, & rerum circumstantia, egregium habuit sermonem, ad rẽ proposito hoc themate, in quo totam legem, quam tradiderat suis, tum circa magna, quæ in ea promittuntur, mirum in modum complexus est, vt promissa seruari oportet; tũ circa maiora nobis promissa, & à nobis suspiranda. Thema fuit istud.

Concionis eius thema, seu argumẽtum:

Magna promisimus. Maiora promissa sunt nobis.
Seruemus hæc: adspiremus ad illa.
Voluptas breuis: pœna perpetua.
Modica passio: gloria infinita.
Multorum vocatio: paucorum electio.
Omnium retributio.

Monita Frãcisc in illis Comitiis.

Ad quæ verba solidè, & deuotè omnes hortatus est *ad obedientiam Sanctæ Matris Ecclesiæ*, ad diuinas excubias, ad salutem animarum expetendam, ad mutuam charitatem, & concordiam, ad humilitatem, & mansuetudinem coram omnibus, ad mundi contemptum, & *feruentem zelum Sanctæ Paupertatis*, ad munditiam cordis, & corporis castitatem, ad orandum pro vniuerso populo sancto Dei, sed præcipuè *pro statu, & prosperitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, & suis benefactoribus, & denique ad omnia, quæ Religiosorum erant officia.

Deinde seuerè omnibus interdixit, nè de rebus ad corpus pertinentibus solliciti essent, ex illa Psalmi sententia, quam sæpè in ore habebat: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Aderat huic Francisci edicto *B. Dominicus*, eique hoc nimium visum est, cum vereretur ne quodammodo Deus tentari videretur, si non tantæ multitudini alimenta pararentur. Sed non multo post, ecce ex omnibus finitimis Vrbibus, & pagis concursus hominum, ac iumentorum, omnem omnis generis commeatum, supellectilem, & vasa deferentium; quæ res ità *Dominicum* permouit, vt ab eo tempore constituerit redditus omnes à suo quoque Ordine, qui tùm nascebatur, remouere, diuino fretus præsidio. Istud est, quod ad Diuinæ prouidentiæ exaltationem, atque in eam spei, fideique firmissimæ pauperrimi Francisci commendationem protulit Seraphicus Doctor in textu historiæ allegatæ illis verbis. *Vbi licet omnium necessariorum esset penuria, &c.*

Ablegit à sua Religione S. Dominicus possessiones, & quare.

Tempns illud vernale ad festum Pentecostes, Veri illius Seraphicæ militiæ spiritualis campi respondebat, non sine concurrentium admiratione. Testante ipsomet Bonauentura ibidem, *quod congregatorum salus comitabatur corporea, & quod spiritualis iucunditas affluebat.* Quid simile longe ante Bon. prædicauerat Interpr. noster super miraculum Ioan. 6. de multitudine, à Christo pane spirituali verbi sui, & panibus quinque, & duobus piscibus abundè saturata: loquens de tempore, & locò, in quo eam fecit discũbere super fœnum. *Id est herbam*, subdit, *quia*

Vernale tẽpus valde tantæ multitudini arridebat.

quia multa erat in loco. Erat enim tempus vernale, societas gratifica, conuiua generosus, Ministri latantes. Hæc ibi. Quare sicut vnicum, magnumque illud illius Euangelicæ multitudinis sub Christi prouidẽtia spectaculum; ita pariter rarum hoc, atque ingens profectò sub eadem prouidentia magnæ fidei, solidæque spei Francisci arrident. Potuit ergo & hoc vtique quempiam commouere, sicut illud commouit Franciscum, vt plurimum attribueret Dei liberalitati, & totum se diuinę subiectioni committeret, excluso quocũque temeritatis periculo.

Dei in hac synodo prouidentia.

Quid enim erat videre tot hominum millia in aliena patria, absque prædiis, sine vllis possessionibus, sine redditu, bonis omnibus sponte sibi interdictis, abundare omni ciborum genere, quod ad humanam vitam religiosè transigendam conducebat? Quale erat Dei erga suos honorificentiæ patulum exemplum, è Perusio, Assisio, Hispello, Fulgineo, Spoleto, & etiam longiùs positis Vrbibus, & Pagis videre accurrentes nobiles, plebeios, ecclesiasticos, laicos, & inferioris dignitatis viros, qui non solum cibum, & suppellectilem aduehebant, verum etiã humiliter ministrabant in mensis, & de exhibendis obsequiis inuicem contendebant; feliciores se putantes, qui humiliores se præstabant in seruiendo. Multorum mouit corda pœnitens, & aspera hominũ vita, intelligebantque, verè ex tot tantisque testibus, *quod Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Plurimis ex nobilibus, & Prælatis, quos eò conuocauit tantam rem spectatum Cardinalis Hugolinus, curiosius explorantes, notantesque duros lectos stramineos in terra positos, ceruicalia lignea, horridam vestem, tenuem victum, humilia tuguriola, seu potius vmbracula, & inter hæc summam animi lætitiam, promptam erga Institutorem obediẽtiam, summam inter ipsos tranquillitatem, & concordiam, admirantes dicebant ad inuicem. *Verè per hos constat, quod arcta est via, quæ ducit ad vitam; & quod secundum Magistri nostri sententiam: diuites huius sæculi difficile intrabunt in Regnum Cælorum, nisi tanta rerum domesticarum sarcina, & pomposa, superque supellectile, saltem affectu, exonerentur.* Nos feriamur in deliciis, luxu diffluimus, & corpori curando vacamus: hi verò cum timore, & tremore multo in tanta rerum penuria, & corporis maceratione suam operantur salutem, eundemque nostrum, & illorum exitum fore speramus! Ingens sanè nostra fiducia, nisi prorsus sit mera stultitia putare planè diuersam, immò & cõtrariam vitam eadem morte claudendam. Horum inuidemus fini, & cum bonis illis deprecatoribus quisque nostrum rogat, vt moriatur anima nostra morte iustorum; nec tamen volumus viuere vitam illorum. Cæco affectu viuimus mundo, & pio desiderio mori volumus Christo! quasi mors non vita respondeat, nec cursus nostri sit meta, aut lignum vbicumque ceciderit, non sit perpetuo mansurũ. His, & aliis huiusmodi colloquiis multi ex spectatoribus ad sanctorum virorum se prouocabant exempla, quorum vltra quingentos ex selectioribus pœnitentem, & duram hanc vitam protinus in his ipsis Comitiis alacriter subierunt. Hæc ex Vadingo.

Concurrentium vicinorum ad tam nouum gratumque spectaculum admiratio.

Initiati in hac synodo quingenti, & amplius.

PVNCTVM IV.

Concilio illi, adeò numerosè bono, Synodique tam multæ, ac sanctæ in fauorem Legis Minorum, tum perfectè obseruandæ, tum firmiter retinendæ, tum strenuè per nouas Missiones propagandæ, malum nonnullorum Conciliabolum opponitur, sed frustra.

IN his ipsis Comitiis Dominum Episcopum Hostiensem *Cardinalem Hugolinum* præfatum è rostro dicentem, & pro suo affectu, sermonisque coronide Fratres non segniter laudantem audierat peratentè Legislator, atque Institutor Franciscus. Timoris tamen ne hinc superbiendi, aut negligenter agendi subreperet occasio, petita principis venia, suggestum ascendit, & coram omnibus futuras Ordinis ruinas, tribulationes, rerum mutationes, *immissiones per angelos malos*, & secordiam Fratrum, & deordinationes *prophetico spiritu* adeò efficaciter prædixit, præsentibusque ita ignauiam, & segnem cooperationem ad tantam à Deo eis gratiam concessam obiecit, vt omnem si quis adoriebatur, tumorem represserit, & ruborem excitarit. Aliquantulum ęgrè tulit Ostiensis suas laudes attenuatas, & descendenti Francisco, ita ne frater, inquit, verba mea confudisti, & contraria prædicasti, meis laudibus tot opponens Fratrum tuorum imperfectiones? Domine; & Pater noster, respondit vir sanctus, id propterea feci, vt tuæ laudis permaneat materia, sæpiusque

Prædicat, & laudat Minores Ostiẽsis.

Temperat laudes Franciscus.

que laudare possis; volui enim futuris euẽtibus eorum malum auertere, ne tanti viri præconiis efferentur, qui altas adhuc non egerunt in humilitate radices.

Quidam petunt laxari Ordinis rigorem

Ita porrò constitit ipsi Domino Ostiẽsi, dum die sequenti cum Fratre Helia, & Ioanne de Strachia Ministris, altero Etruriæ, altero Bononiæ, alii plures accesserunt, rogantes eum quatenus Fratri Francisco, vel vt suo, non illorum nomine persuaderet, vt vellet admittere, & sequi suorum Fratrum consilia, quorum plures erant doctissimi, & vniuerso apti regimini, præsertim cum ipse vir simplex, & illiteratus, non valeret tantæ multitudini satisfacere, nec ob infirmas corporis vires omnia negocia Ordinis expedire. Multa deinde ei suggesserunt de Regulis S. Augustini, Benedicti, Basilii, & aliorum constitutionibus, quibus adeò vetustate, & tantorum Patriarcharum sanctitate commendatis securè innitendũ dicebant, neque adeò ab eis recedendũ, *vt noua, & longè diuersa, atque aspera nimis Regula* velimus videri patribus nostris nos esse meliores. Arrepta itaque occasione, & inito familiari colloquio cum viro sancto, proposuit hæc omnia Cardinalis, tamquam propria boni regiminis arbitria.

Sed validè restitit Franciscus.

Quæ tamen non propria, sed ab aliis suggesta per spiritum intellexit vir sanctus, exurgensque de loco, vbi cum Cardinali sedebat, manu reuerẽter appræhẽsa, eum duxit ad Fratres in Capitulo cõgregatos; quibus in spiritus feruore dixit. Fratres mei, Fratres mei, Deus vocaui me per viam simplicitatis, & humilitatis, vt Crucis sequar stultitiam, & ad eius gloriam, propriam confusionem, & vestræ conscientiæ securitatem vobis expando,

Quæ dixerat Christus Franc. ipse palam fatetur.

quæ ipse mihi ita dixit. *Francisce, ego te volo esse nouum fatuellum in mundo, qui operibus, & verbis stultitiam prædices Crucis, & te, tuosque sequaces, vt in me dumtaxat respiciant, atque absque alio viuendi modo me sequantur.* Ipse dignanter, & misericorditer mihi hanc ostendit viam pro me, & pro illis, qui mihi credere volũt, & adhærere. *Non est ergo cur aliam mihi nominetis Regulam, neque Benedicti, neque aliorum viuendi formam, præter eam, quæ mihi à Domino pro sua benignitate, & misericordia desuper est concessa.*

Nolo itaque contrarius esse voluntati Domini mei, neque per aliam viam vos præire, à qua qui recedunt, aliosque auertere curant, vereor, ne diuinam sentiant vltionem, & cum rubore suo tandẽ cogantur ad hanc semitam redire. Conuertens se deinde ad Dominum Ostiensem, inquit. *Isti sapientes*, quos vestra Dominatio adeò laudat, & mihi cõmendat, vellent sua humana prudentia & Deum, & vosmet decipere, sed verè semetipsos decipiunt, destruere, & conculcare volentes ea, quæ per me indignum seruum suum loquitur Christus pro ipsorum salute, & totius Ordinis incremento.

Obiurgat prudẽtiam, ac sapientiã humanam.

Neque enim mihi quicquam horum, quæ facio, aut dico, attribuo, neque ita mihi fido in Ordinis regimine, quin longa præmissa oratione, omnia conferam cum supremo huius sodalitii Rectore, ac Patre cælesti. Ipsi verò ad manifestum periculum, & damnum animarum suarum sapientiam suam, & prudentiam huius sæculi præferunt Christi voluntati, quam tot signis eis hucusque manifestauit, vt solidaret, & perficeret opus suum, *quod per me misellum incepit ad salutem animarum, & ædificationem Sanctæ Matris Ecclesiæ.*

Quibus auditis, & secum altè perpensis Dominus Ostiensis, obstupuit ad igneũ hominis feruorem, & præsentaneam spiritus assistentiam, qui aliorum arcana, & quidquid ad Ordinis regimen spectabat, ei extemplo reuelabat; conuersusq; ad Fratres, confusos, & mente suspensos, recedente viro Dei, inquit. Fratres mei charissimi, ipsi vidistis, & audistis, quæ per virum hunc Apostolicum spiritus ipse loquutus est. Vacate, & attendite vobis, nolite spiritum hunc contristare, neque ingrati sitis beneficio Dei, *quia verè Deus est in isto Pauperculo, & per os eius loquitur potentiæ suæ magnalia. Qui eum audit, non hominem, sed Deum audit; & qui spernit eum, Christum spernit.* Humiliate itaque corda vestra Deo; & si placere Deo cupitis, huic pauperculo acquiescite, & obedite, ne fructum vestræ vocationis amittatis. De ore enim ipsius exiit verbum Dei, tamquam gladius acutus, ad medullam cordis pertingens. Experientia etiam comperio, quod ei manifestantur, quæ vel homines, vel ipsi Dæmones in eius sodalitium machinanrur. Non venit itaque tam facilè decipiẽdus, vt per suggestiones vel meas, vel cuiuspiã alterius, quantumcumque dextra, vel sinistra mente prolatis, à semitis suis possit auerti. *Quibus verbis compuncti, & commoti, qui contraria ministrauerunt consilia, in posterum viri sancti verbis, & nutui humiliter acquieuerunt.*

Hortatur Ostiensis, vt Franc. Fratres acquiescant.

Acquieuerunt, sed non ita, quin alio deinde tempore iteratis moliminibus, & artificiis validioribus, idipsum tentarint, præsertim vix hoc eodem anno relicto à Francisco, iter ad Orientem parante,

rante, in suum Vicarium eodem Helia, vt alibi enarrabimus, vbi de Reformatoribus, & Reparatoribus Instituti Seraphici agemus. Principis illius, accedentis ad Christum pro filia sua, de recenti defuncta, cuius meminit sine proprio nomine Math. 9. sed apud Marc. 5. & Luc. 8. exprimitur nomen; quod ita explicat Interpres noster serm. Dom. 24. post Trinit.

Quatuor lucernæ.

Marcus, & Lucas dicunt nomine *Iairus*, qui interpretatur *illuminans*. Et significat quemlibet Christianum, qui debet illuminari, & illuminare illis lucernis, de quibus Dominus Sophoniæ 1. *In tempore illo scrutabor Hierusalem in lucernis*. Nota quod sunt quatuor lucernæ,

Verbũ Dei.

1 *Lucerna* est verbum Dei Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c.* Et nota, quod prius dicit pedibus, deinde semitis, *quia cum verbum Domini audimus, prius corde clarificamur, vt postea rectis gressibus ambulemus*.

Bona opera.

2 *Lucerna* est bonorum operum, de qua Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Nota Gregorii dictum.

Intentio.

3 *Lucerna* est intentionis, quæ illuminat cognitionem bonorum operum, de qua Math. 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, idest intentio tua [illegible]

Humilitas.

4 *Lucerna* est humilitas Iesu Christi Lucæ 15. *Quæ mulier habens drachmas, &c.* Dicit ergo Dominus. *In tempore iudicij scrutabor Hierusalem*, idest quemlibet Christianũ inuestigabo in lucernis, idest *si secundum verbum prædicationis, quod audiuit, vitam suam emendauit. Si lucem bonorum operum alijs ostendit. Si recta intentione in opera processit. Si exemplo paupertatis, & humilitatis Iesu Christi vitam suam reformauit*. Et tunc visitabit super viros, idest confidẽtes in viribus sensus, defixos in fœcibus, idest iniquitatibus. Iste Iarius dicitur Princeps Synagogæ, quia quilibet Christianus debet esse princeps sui corporis, quod est quasi quædam Synagoga. *Stupa collecta*, dicitur Ecclef. 21. *Synagoga peccantium*. &c. Sunt quinque corporis sensus, quasi stupa collecta, quã de facili igne concupiscentiæ succẽduut, & ideò Iarius debet illis principari, vt dicere possit cum Abacuch. *Super custodiam meam stabo*.

Quilibet sit princeps Synagogæ, id est sui corporis.

Quod fit, cum quis omni diligentia custodit cor suum. Super munitionem gradum figit, qui sensus carnis reprimit, cum proposito perseuerantiæ finalis, & sic contẽplatur, vt videat quid ei dicatur &c. Hoc est quod dicit Iob 23. *Ponam coram eo iudicium, & os meum implebo increpationibus*, &c. Gregorius ibidem.

Coram Deo iudicium ponere, est intra secretum mentis per fidei contemplationem, ad intuendum examen illius, oculos nostræ considerationis aperire. Os suum implet increpationibus, qui examen iudicis contra se contemplatur. Si talis fuerit princeps Synagogæ, poterit accedere fide, & adorare deuotione Iesum. Hactenus Interpres.

Quid est coram Deo iudicium ponere.

Principes, rectoresque prouinciarum constituerat Sanctus Legislator, & Institutor Franciscus, Fratrem Heliam Cortonensem, & Fratrem Ioannem Strachiã Picęnum, ad annum 1216. vt ibi dictũ: Illum Prouinciæ Tusciæ, hunc Lombardiæ. At quomodo se gesserint circa suũ officium hi duo, quantum ad promissæ, ac professæ legis zelum post auditam concionem Francisci, cuius thema nihil aliud continebat, nisi mirandam totius Regulæ Minorum synopsim, seu argumẽtum, in quo magna equidem promittuntur, sed promissa, promittentibus facta maiora sunt, vt patet ex dictis. Quamobrẽ idem Legislator assumens in eos Dei iudicium, eosq. scrutans in lucernis, absoluit postea vnumquemque à suo officio. Et Fratrem Heliam à Vicariatu generali, vt sibi, & legis suæ semper aduersum, cupidum aliis principari, sed non sibi, parumque curans illuminari, & illuminare præfatis septẽ lucernis. Quod deinde id maximè experientia probauit, ex quo in apertam ambitionem bis lapsus est.

Duo Franc. Regulæ primi in Ord. aduersarii.

Præualens Legislator in parum erga suam legem à Deo sibi reuelatam, ac datam zelatores, illicò *sub eiusdem legis vexillum, à Dei clementia explicatum*, ipsa Dei clementia duce orbem circuire, atq; suo Instituto implere per suos, à se item missos in varias regiones minimè destitit, imò maiori animo, ac celeritate id aggressus, ac prosequutus est, sex expeditis Missionibus. Diuiso namque mox inter sodales Orbe, veluti si Vniuersũ Dei excelsi subiugare vellet imperio (cuius ampliores, potioresque plagas à debita defecisse obedientia conspexit) ad eas vincendas partes peritiores misit duces, quas magis sibi constitit fuisse rebelles. Longa itaque pro more præmissa oratione sibi duodenisque sociis designauit Syriæ, & Aegypti regiones.

Expedit Franciscus sex Missiones.

1 Ad deficientes Græciæ nationes destinauit *B. Benedictum de Aretio* cum aliis Fratribus.

Ad Græcos

2 Ad Africam duos ex pręcipuis suis comitibus, verè beatos, *Fratrem Electum, & Fratrem Aegidium Laicos*, seu Conuersos, adiunctis aliis quampluribus; submissis vno, vel altero interlabente mense, tamquam subsidiariis Militibus, quinque illis

Ad Africanos.

illis fidei athletis, qui anno sequēti apud Marrochium pro eadem ad sanguinem,& mortem vsque decertarunt.

Ad Hispanos

3 In Hispaniam, cuius multa adhuc pars sub dura Saracenorum seruitute gemebat, præter supranominatos, misit *B. Ioannem Parentem*, *B. Agnellum*, aliis Agnum, qui postea longa confectus ætate, & meritis clarus, ordinatus est *Episcopus Marrochianorum*; *Fratrem Bernardum de Contemporaneis*, cum aliis vltra centum, vt ex antiquo historico refert Gonzaga. In Galliam eosdem remisit Ministros, quos in primo creauit Capitulo.

Ad Gallos.

Ad Aquitanos.

4 Sed in Aquitaniam, vt author est Antoninus, destinauit columbinæ simplicitatis virum *Fratrem Christophorum*, qui miraculis clarus requiescit Caturci.

Ad Hungaros.

5 In Hungariam missi alii, in Germaniam nulli, adeo enim Theutonum ferocitatem explicarunt illi, qui inde præcedenti, vel altero anno redierunt, plagis, contumeliis, & damnis exaturati, vt communi fermè prece inter Fratres diceretur, *à Theutonibus libera me Domine*. Neque proinde tunc consultum iudicauit Sāctus Pater, quempiam ad peregrini idiomatis, & durioris conditionis viros remittere, donec aliquos ipsius nationis viros in Italia, aut aliis regionibus suæ sodalitati aggregatus, qui benè instructi circa instituti mores, suæ nationis homines postea commodius instruerent. Quod & fecit ad annum 1221. vt ibidem largius agit Annalista.

Ad Anglos.

6 In Angliam transmisit *B. Angelū, alias Agnellum Pisanum* cū aliis Fratribus, quorum Ministrum instituit. Obedientialium huius sancti viri litterarū exemplar adhuc videre licet in Cōuentu sacri mōtis Aluerniæ, in muro scriptum, quod ipse Agnellus graphicè depictus, tamquam à Sancto Patre sibi datum, vel transmissum manibus tenet expansum. Obedientiæ tenor est.

Exemplar literarum B. Franc.

Ego Frater Franciscus de Assisio Minister Generalis, præcipio tibi Fratri Agnello de Pisa per obedientiam, vt vadas ad Angliam, & ibi facias officium Ministeriatus. Vale.

Fr. Franciscus de Assisio.

Vide fusè omnes illas Missiones apud eundem Vadingū numeris sequentibus. Atque ad num. 6. vide etiam aliam Missionem, quinque Martyrum Marrochii, quæ in Ordine à principio Legis Minorū vndecima erit, vt patebit in fine Libri 7. Cætera circa Legem Minorum, maximè quantum ad eius celeritatem reperies chronologicè in lib. 7. præfato.

CAPVT QVINTVM

Alij Minoritæ initiantur ad annum 1220. in quo relicto iam in suum Vicarium Helia, denuò inuisit Soldanū Frāciscus. Rediens mox Vir Sanctus ad suos in Italiam, Fernandus de Bogliones Lusitanus, Lisbonensis, nunc Antonius de Padua, Interpres noster, ex Clerico Regulari D. Augustini magno spiritu Legem Minorum Conimbriæ profitetur.

Hic est annus ille, in quo Satanici conciliaboli præmemorati, tum in Synodum præteriti anni 1219. adeò toti Ecclesiæ Catholicæ, nedum Franciscanæ saluberrimam, celebrati, tum etiam in Legis Minorum relaxationem magnū fomentum, antecedenti potentius iterum ministrauit in Fr. Heliæ pectore. Nam abiens in Orientem Franciscus iam iter ad Syriam cum duodecim ex suis comitibus aggressus, commisit in Occidente Ordinis regimen Fratri Heliæ Tusciæ Ministro. Statim cæpit suam multiplicare familiam, legemque propagare cum Lege Minorum Euangelicam in Oriente Franciscus, statimque etiam eius Vicarius in Occidente multa molitur hoc anno 1220. in præiudicium Regularis disciplinæ, immemor iam, quod Reparatio Ecclesiæ, nouiter ab instituto Fratrum Minorum incepta, nouo pariter modo efficienda erat.

Denuò Helia in Reg. Franc.

Seduló inuigilabat Helias, rebus Francisci toto canimine non solum aduersari, verum etiam radicitus eas conuellere. Vnde haud mirum, si vicem gerens Francisci, sublimior effectus, ac potentior, Fratres omnes à commendato sibi tramite diuertere, nouum regiminis modum in Ordine introducere: nauseans iā super Fran. regimine, verè nouo in Ecclesi. Apostolico, Euangelico, sine quo vetustatem Lateranensis Basilicę reparare nequaquam poterat vir sanctus, qui vt eam potentissimè repararet, è summo Cælo altissimi consilio miserat eum Deus. Sed audiamus Heliam, Minores alloquentem, suique pectoris concepta machinamenta artificiosis verbis eructantem.

Consilit cū suis [illegible] è medio tollere

Dicebat (ait Vadingus num. 2.) in collationibus, & exhortationibus monasticis.

sticis. Non omnibus concessam illam puritatem, & sanctitatem sui Institutoris, vitamque eius potius laudandam, quam imitandam. Quædam etiam eum statuisse, & velle, quæ humanas superant vires; saltim quæ secundum humanam prudẽtiam, & discretam rerum prouidentiam, videbantur obseruatu difficillima, immò & fermè impossibilia, atque ita ex prudentum arbitrio multa ex eis moderanda, tollenda alia, & plura non adeo strictæ obseruantiæ secundum fragilem hominum conditionem, & corrupti temporis mores, esse toleranda. Qua ratione & fucatis persuasionibus plures post se traxit etiam ex Prouinciarum Ministris, itaut Francisci simplicitatem, arctumque modum viuendi condemnarent, & imprudentiam reputarent. Quo factum est, vt intentarẽt qædam à Regula esse abradenda, & sui instituti rigorem mitigandum. Nihilominus alia vtilia pro Prouinciarum moderamine statuerunt, sed inter cætera illud iusserunt contra Regulam, concedentem, vt de omnibus, quę fratribus apponuntur, liceat manducare, ne scilicet intra, vel extra claustra vllus posset carnibus vesci.

Plures trahit ad suam sententiam.

Damnat arctum viuẽdi modũ Fran.

Non defuerunt autem viri zelosi, spiritu Dei habentes, qui humanam prudẽtiam dolebant proponi diuinæ voluntati, videntes, quod singularis ferus depascebatur vinea electa. Quare admonitis viri sancti sociis, quid in imminenti, & secreta hac Ordinis ruina agẽdum esset, secum clanculum tractarunt. Instanter interpellabant Dominum, vt verum sui Pastorem incolumem quantocius reddenet, ne longius agente, dispergerentur oues, & circuienti, rugientique Leoni abirent in prædam. Misso B. Stephano, Sancti viri olim socio, de quo supra, in Siriam, curarunt, vt omnia ei exponerentur, & reuocarent eum in Italiam. His à Nuncio perceptis, vir sanctus non concidit animo, sed statim ad Deum recurrens, ei commendauit familiam, quam ab ipso susceperit. At circa constitutionem de abstinendo omninò à carnibus ex sua humilitate consilium iniit cum B. Petro Cathanio, quem tunc secum habebat. Qui respondit, sibi in hac re non licere iudicare, nec ad alium, præter Legislatorem spectare quidquam circa vniuersorũ mores stabilire. Distulit itaque huius & cæterorum resolutionem ad suum reditum, de quo statim cogitauit. Noluit tamen insalutato Soldano Malachadino (quem ita nominandum volunt quidam, sed Marianus Vorilicium vocat) cuius salus ei quam maximè cordi erat, &c. Vide reliqua apud Vadingum cit. tom. 1. ad ann. 1220. num. 2. 3. 4. & vlterius, vbi de promerita à suo munere Vicarii Generalis Fratris Heliæ absolutione, in cuius locum suffecit B. Petrum Cathanium, qui vix integro anno expleto extinctus, iterũ sic mandante Deo, elegit Frãciscus præfatum Heliam sequenti anno 1221. vt suo loco dicemus. At molimina Heliæ in Regulam Francisci post illius abbreuiationem maiora, ac potentiora (licet semper frustranea cum totali illorum authoris excidio) extitere post obitum Francisci, post quem bis extitit Minister Generalis, sed semper tumultuosè electus, atq. à Romano Pontifice deletus. Vide vbi de Reformatoribus Ordinis S. Francisci, & Legis Minorum restauratoribus, ac propugnatoribus.

Zelatores Reg. mittũt in Siriam B. Stephanum.

Salutato Soldano Franc. redit in Italiam.

Absoluit Heliam ab off. suo.

PANEGIRICVS XXXVII.

Myrrha Prima, ac primum eligenda.

Septuagesimus primus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. BENEVENVTVS Mãtuanus, professione Laicus, qui benè, optimèq; venit hoc eodem anno, vt vitam meliorem haberet, & abundantiorem haberet in B. Francisci, Mantuæ diuersantis, societatem. Eius sanctissimus obitus affertur à nostro Annalista ad annum 1230. num. 8. ita scribens. Mortuus circa hoc tempus B. Beneuenutus Laicus, vnus ex Francisci sociis, quem ab eo relictum Mantuæ, diximus superius ad annum 1220. num. 2. vt inceptum ibi domicilium, consumandum curaret. Magna in veneratione habitum apud Mantuanos propter crebra miracula, scribit Hippolitus Donesmundus vir doctus, in sua Historia Mantuana, patrio idiomate. Alios huius nominis tres in primæua Religione, inferius admonit idem Annalista. Iacere hunc in Cœnobio Franciscanorum; scribit Gonzaga in Prouincia S. Antonii, Cõuentu 3. Sed in primo illo ædificiolo sub titulo Sanctæ Mariæ Incoronatæ sepultum in communi Fratrum Cœmeterio, monet prædicta historia. Aucta tamen domo, & ædificata ampla, qua modo potiuntur Minores, Ecclesia: translata honorificè eius ossa in columnam, positam è regione portæ, qua tenditur ad claustrum, dictum Mortuorum; in qua incisum olim Sancti Viri Epitaphium, nunc vetustate deletũ. Miror inter cæteros huius nominis nullã istius Viri pii mentionem fecisse Rodulphum,

Obitus B. Beneuenuti.

Très Beneuenuti in Ordine Sancti Franc.

phum, cuius specimen antea probauit Pisanus his verbis. *In loco Mantuæ iacet B. Beneuenutus Laicus, Deo deuotus, & sanctitate præclarus*. Benè scriptor hic post deuotionem Beneuenuti nostri posuit sāctitatem, veluti illius causam, & radicem, vt alibi ex Interprete nostro demonstratum est super caput 3. Exodi, vbi de prima myrra electa. *In prima myrra*, ait, *& electa, deuotio mentis, quam primò nobis debemus eligere*. Ast, relicta Vrbe Mantuana cum Sācto Legislatore Francisco, sequamur eum Bononiam versus cum eodem Annalista.

Fuit hic Beatus deuotus, & sanctus.

PANEGIRICVS XXXVIII.

Vrbs, terreo Altari communita.

Septuagesimus secundus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. PELLEGRINVS à Fellerono, natione Picænus apud Sanctum Seuerinum, stirpe, ac sobole illustris, nuncupatione Bononiensis, vt in Beato Rigerio eius socio statim dicemus. Toga literaria promeritus, cum esset vir admodum doctus, atque eruditissimus, & in vtroque iure perfectus. Nihilominus viam humilitatis, & simplicitatis obsecutus est, iuxta Sācti Patris Francisci oraculum, de quo in B. Rigerio. Laicorum, seu Conuersorum Fratrum numero aggregari multa animi sui generositate, atque alacritate elegit. Rara hæc proculdubio, atque vnica in tanto viro, sanguinis claritate, literarūq; splendore decoro, electio, quæ eius peregrino nomini, peregrina humilitatis virtute adeptione (ob quam Fratres Minores *aduenæ, & peregrini in hoc mundo, stabilesque in fide catholica*, sub peculiari quodam respectu aliorum regularium, religiosorumq; in Ecclesia genere euadunt) miro modo respondit, vt infra patebit.

Laicorū statum raro exemplo delegit.

Humilitas per antistecon, seu characterum transpositionem in duas dictiones diuisa, idem prorsus est, ac *Humi Litas*. Tu, Frater Minor, cuius nomen, & professio tota Humilitas esse debet, *litas humi*, dum humilis es: aliàs ipso Fratris Minoris nomine, nedum professione, indignū te facis. Inter *litare*, & *sacrificare* interest, teste Nonio. Nam sacrificare est veniam petere. Litare est propitiare, & votum impetrare. Qui enim litat, sacrificio facto Deum placat, votumque impetrat, quod rogauerat. Aliquando litare ponitur pro satisfacere, vt auctor est Plinius in paneg. de statuis. Humus, & terra idem significant, Humusque dat nomen Homini, quia de terra, seu vt ait textus sacer, *de humo terræ creatus fuit*.

Humilitas idem est, ac humi litas.

Dedit te in Ciuitatem munitam. Hier. 1. Explicat Doctor noster serm. Dom in. 22. post Trinit. *In Ciuitate munita Humilitas, quæ verè munit, & muniendo custodit*. Hanc ingrediens Ciuitatem, adeo nobilibus, & literatis viris, maximè sæcularibus peregrinam, & à qua innumeri peregrinātur, *Peregrinus* noster, atque in hac verà munitus, & custoditus, sacrificauit seipsum Deo, litauit Humi ob sui desiderii impletionem, satisfecit nomini, & professioni Fratris Minoris, non solum secundum ipsam virtutem humilitatis, sed etiam secundum statum illum simplicem, imum, & humilem, quo liberius, ac facilius humus, & terra spiritualis à nostrorum Laicorum cœtu excoli potest, vt multum fructum afferat.

Est & Ciuitas munita.

Hanc intrauit B. Peregrinus.

Creauit Deus hominem de humo terræ eodem die, qua creauit & bestias. Cur simultanea illius, harumque productio? Respondet Interpres noster, *Hominem eodem die, quo bestias terræ formauit, vt compesceret superbiam hominis*. Homo, cum in honore esset non intellexit, &c. Psal. 58. Cōpescuit Deus omnimodè in B. Peregrino nostro superbiam illam, quæ viris illustribus, & literatis genuina est, ac veluti connaturalis, illa peregrina humilitatis electione, ob quam non solum elegit Fratrum Minorum statum, verùm etiam Fratrum Laicorum professionem. Dignus planè non solum Fratris Minoris nuncupatione, verum & Seraphici cognomēto; etenim litans terræ humilitate, igne charitatis, & amoris Dei, proximiq; accensus vt Seraphim repertus est.

Cur Deus eodem die hominem, & bestias formauerit.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me, &c. Ioannis 8. Vbi Interpres noster, quem dedimus in cap. 1. lib. 3. in principio ex illo alio textu Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram*: duo misticè tribuit terræ humilitatis religiosæ. Primum est *Proportio, & aptitudo* ad inflammationes, ex igne diuino prouenientes. Secundum est *stabilitas* in harum inflammationum receptione. Terra enim tenet locum centri, centroq; dum firmantur radii Solis, quos recipit, congregatque, ignem parturit. Vide ibi, vbi inter alia, hæc præcipua habes in conclusione. *Hoc autem ait, solum fit in humilibus, qui tenent locum centri, quia aqualiter à tumore circumferentiæ tenentur. Quia ad circumferentiam qui sunt, habent cor tumidum, & inflammatum. Insuper semper ambulant in magnis in corde suo, & circumferunt hinc inde varijs tentationibus cogitationes. Solus autem humilis stabilis est*

Cognomētū Seraphicum in Fratribus Minoribus ex humilitate.

ad

ad instar centri. Ibi fit aggregatio diuinorum radiorum, & ibi fiunt inflammationes. Exemplum huius de speculo concauo, &c. Ob hanc quoque rationem in serm. Domin. 5. post Pascha Amorem Dei terræ comparat propter sui stabilitatem. *Vt daret tibi terram fluentem lac, & mel,* Exodi 13. Quod ita acutè explicat Interpres. Nota ista verba. Terra propter sui firmitatem, Amorem Dei significat, *qui mentem hominis in vero esse confirmat*. Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat, Eccl. 1. Generatio, *idest amor carnis* præterit. Et generatio, idest *amor Mundi aduenit. Terra autē, idest Dei amor,* in æternum stat. *Quia vt dicit Apostolus* 1. Corinth. 13. Charitas nūquam excidit. Hęc terra dicitur fluens propter sui abundantiam. Psal. 45. *Fluminis impetus*, &c. Hæc terra abundat lacte, & melle. Lac nutrit, mel indulcat. *Sic amor Dei nutrit animam, vt crescat de virtute in virtutem, & omnium tribulationū tribulos indulcat. Amāti enim nihil difficile. Cum dulcedo diuini amoris subtrahitur, tunc terra tua tribulationis amaritudo intolerabilis videtur.* Hæc ille. Igitur in Ordine Fratrum Minorum illi verè Fratres Minores, & Seraphici ob diuinum amorem dicendi, qui litant terræ Humilitati, cuius stabilitas ex igne diuini amoris probatur, firmaturque in bono. Nam sicut sine Humilitate Seraphim transformatur in Diabolum, sic Frater Minor ob Humilitatem ex homine, humilitante humilitatis, in Seraphim mutatur.

Dei amor terræ ab sui stabilitatem cōparandus.

Lac, & mel in amoris Dei terra.

In Fratrum Laicorū statu litans quoq; terræ Humilitati B. Peregrinus noster, breui tempore ima summis coniunxit, & ad maximam virtutum perfectionem peruenit. Gratia compunctionis, & amoris Dei in eius terræ centro mirè relucens, ignebat ipse, totusque Seraphicus appellatione, & imitatione, Seraphici P. Francisci vestigia terens, euasit. Hinc stans firmiter in ipso terra suæ Humilitatis in igne charitatis, & ipse Christi amore totus succensus, & martyrii desiderio flagrans, mortemque, quam pro nobis tulit, reddere volens Saluatori, Hierosolymis loca Sancta inuisit perquam deuotè, nostræq. Redemptionis vestigia *Peregrinus* illic peregrinatus est solum. Ibi Sctāę Vrbis Hierusalem solus verè peregrinus teneritudine, ac liquefactione animæ suæ. Et vt Frater Minor, & vt Minorita Seraphicus ibi, quia & vt talis vtrinque, & vtroque nomine, & professione Humilis, & firmus vt terræ centrum, &c. *Solus Peregrinus in Hierusalem,* cui socius multimodè multiplex, immò & Ductor tutissimus *Codex Euangelicus,* quo vsus est in lustrandis, & percipiendis Christi Redemptoris gestis, & vita. Vbicumque quidquam fecisse Dominum, comperiebat, statim genua flectebat, terram extensis brachiis amplexabatur, dulciter osculabatur, fletu rigabat: Et tanta hæc teneritudine vbique faciebat, vt quoscumque vel saxeos homines etiam alienę fidei ad deuotionem, & cordis compunctionem commoueret. Martyrii sitim explere non potuit, Deo ita disponente, qui nec eius Institutori idipsum concessit.

B. Peregrini perfectio, sāctitas.

Peregrinatio ad terrā Sanctam.

Socius sibi, immo Dux Codex biblicus.

In Italiam reuersus tamquam verus peregrinus in hoc mundo, in pauperibus, & derelictis tuguriolis commorabatur, homines vbique exortans ad pœnitentiam, & cognatos plerosque ad perfectionis semitam manu ducens. Rarissimè haud vnquam eos inuisebat, nec colloquebatur, nisi quando oportebat, idque adeò breuiter, & cursim, vt quanta potuerat celeritate ab eorum conuersatione discederet. Rationem hanc iis reddens, qui inurbanitatis notabant, *Magistrum nostrum Christum d. quærentibus non inueniri inter cognatos, & notos*. Ad tantam denique perfectionen ascendit, vt Beatus Bernardus de Quintaualle, Francisci primogenitus de eo auderet asserere, *Peregrinum vnum esse ex perfectissimis Fratribus totius Mundi*. Tandem plenus virtutibus, & bonis operibus migrauit ad Christum, & clarus miraculis in vita, & morte, cum magno populorum concursu sepultus est in Monasterio Sancti Seuerini in Marchia Anconitana. Cuius corpus ante annos centum effossum, integrum, & pulchrum apparuit.

Quanta in B. Peregrino perfectio Beati de Quintaualle testimoniū.

Obitus, miracula, locus sepulturæ, Reliquię

Vide etiam de eo Scriptores apud Arturum die Septembris quinta, inter quos Vadingus tom. 1. ad annum 1220. num. 7. & 1233. num. 44. qui scribit in Additionibus 26. *Corpus eius sub Altare S. Ludouici requiescere*. Cuius *DENS* appositus aliis malè habentibus, dolorem omnem frequēter expellit, &c. Picquetus ait, iacere hoc corpus Bononiæ, sed mendosè.

PA-

PANEGIRICVS XXXIX.

Accipitrifer, vulgò Falconerius.

Septuagesimus tertius Discipulus ex numero LXXVIII.

B. RIGERIVS, seu Ricerius, & ipse Picænus à Mutia. Rigidus austeritate vitæ iuxta professionis debitum. Placidus benignitate ministerii erga subditos, iuxta officii sui iura: fuit enim Minister Marchiæ Anconitanæ. Humilis professione virtutum. Vocatus simul cum B. Peregrino, cum quo Bononiæ, eò prædicans Sanctus Franciscus, studebat; atque illi nunc nobilitate generis persimilis, nunc pariter sanctitate vitæ, miraculis claræ, peregrinus.

Eius vocatio Bononiæ cum B. Peregrino.

Dum Francisci prædicationi simul cũ B. Peregrino interfuisset, simul etiam cum illo diuino lumine illustratus, ad Virum Sanctum protinus accessit. *Factus est repentè de Cælo sonus*, &c. Quem textum ad sonum prædicationis Francisci, repentina veluti conuersione excitantis, atque ad se trahentis duos illustres viros, literis humanis, & legalibus, iurique prudentiæ occupatos, ita ex Interprete nostro flectimus. *Sonus est* (inquit in serm. 2. de Pentecoste) *quidquid sensibile auditur. Huius sunt tria genera*, voce vt per fauces, flatu vt per tubam, pulsu sicut per lyram. *Sonus vehemens est contritio cordis*, quam tamquam sonum percipit pœnitens in aure cordis. Vnde Ioannis 3. *Spiritus vbi vult spirat*. Quia potestatem habet, cuius cor illustrat. *Et vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat*. Vox Spiritus Sancti est compunctio, loquens in corde peccatoris. Quam etsi audis, nescis vnde veniat, idest quomodo cor illius intrauerit, vel quomodo redierit, quia natura est inuisibilis.

Tria genera soni in prædicatione Franc.

Quid vox Spiritus S.

Nota etiam, quod iste sonus fit tribus modis, scilicet voce prædicationis, flatu fraternæ compassionis; pulsu paternæ correptionis. Et ex his tribus solet oriri sonus compunctionis in ore peccatoris. Benè ergo dicitur, *Factus est repentè de Cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus*. Habes super hoc concordantiam Exodi 19. *Iam aduenerat dies tertius, & manè incaluerat*. Primus dies est peccati cognitio. Secundus ipsius abominatio. Tertius pro ipso cordis contritio. Quia adueniente manè gratiæ. & incalescente, seu inclarescente, tunc audiri incipiunt tonitrua gemituum, suspiriorum, & accusationum, & micare fulgura confessionum; & nubes densissima, idest obscuritas pœnitentiæ operire montem, idest pœnitentem, de valle fęcis, & miseriæ tamquam montem eleuatum.

Sonus Spiritus Sancti in corde peccatoris fit tribus modis.

Tres dies mistice in conuersione peccatoris

Langorque buccinæ, idest bonæ vitæ, & famæ vehementia perstrepit, *vt vbi superabundauit delictum, superabundaret & gratia*. Et sic timet omnis populus Dæmones, qui sunt in castris, quia semper parati ad impugnandum, sed cum hæc viderint, non audent procedere ad bellum. Vnde Iob 2. *Nemo loquebatur ei verbum. videbant enim*, &c. Cum enim maligni spiritus vident, quod *Sonus aduenientis spiritus replet domum*, idest pœnitentis mentem, in qua sedens, idest se humilians, recitat annos suos in amaritudine animæ suæ; non audent vltra progredi, nec ei sugestionis verbum loqui. *Et Nota, quod vehemens dicitur, idest væ æternum adimens, & sursum mentem vehens*.

Maligni spiritus ad domum pœnitentium nõ audent accedere.

In isto doctrinali Interpretis nostri speculo inde Francisci, Bononiæ vehementi Spiritus Sancti voce prædicantis imago, hinc simul effigies *B. B. Pellegrini, & Rigerij* pœnitentium, & ad eum accedentium cum præcipuis verorum coloribus, & lineamentis ad viuum præsentantur, vt ex se patet. Futurum viuendi genus vtriusq. Discipuli præscripsit Sanctus Pater. Edoctus enim erat in spiritu, cuius *organum* erat, & *vox* ob sensibilem linguæ prædicationem; & *flatu* ob fraternam compassionem; *tuba* oris resonantem; & pulsus *lyra* suauissimæ ob paternam correptionem. Hinc vtriusque Iuuenis indolem completissima cognitione percipiens, dixit vtrique per vaticinium. *Tu Pellegrine viam sectaberis Humilitatis. Tu etiam, Rigeri, Fratribus inseruies*. Quod oraculum impletum est, cum id ambo summa humilitate fecissent; neque enim *Pellegrinus*, vt diximus, quantumuis doctus, & in sacris Canonis, & Iuri Pontificio versatus, ad Clericatum aspirauit, sed in humili Laicorum, seu Conuersorum statu per omnem viam permansit.

Viuendi genus B. B. Rigerio, & Pellegrino vaticinatus est Franc.

Rigerius verò, quo potuit nexu, Francisco hæsit, familiatis eius socius effectus. Qui Magistri sui vitam, tamquam virtutis exemplar, sibi proposuit imitandam. Adeò in hac schola profecit, & ad tantã peruenit rerum prudenter agendarum, fratrumque regendarum peritiam, vt secundum Sancti Viri vaticinium; prædicens Fratribus inseruiturum; factus est Minister (qui & seruus ex ipsius Francisci institutione, & interpretatione) Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ. *Ego seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ*, Psal. 115. dicebat Dauid

Vndè sub lege Minorũ in Ministris seruitus, & qualis.

Dauid Rex, Pastor, & Minister in populo suo. Vbi hæc scribit Interpres noster, explicans intentionem Patris sui Francisci circa seruitutem Ministrorum, in serm. Dom. 15. post Trinit. Nota, Seruus, & Filius. Quia enim seruus, ideo filius. O suauis timor, qui de seruo facit filium. O benigne, & verax amor, qui de filio facis seruum. *Filius inquit ancillæ tuæ.* Ergo (infert) ò homo, si vis libertate frui, collum tuū insere in torques eius; & pedes tuos in compedes eius. *Non est gaudium super gaudium libertatis, quam non potes assequi, nisi collum elationis inclines in torquem humilitatis, & pedes carnalis affectus in compedes mortificationis, & tunc poteris dicere.* Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Qui igitur Minister est inter Minoritas, & seruus est in hunc Mundū, vt lex Francisci monet. Dum ministrando verè seruit, iure potest dici, & seruus Dei, & filius ancillæ Dei, & liber in ipsa seruitute, & filiatione Dei, ratione virtutis humilitatis, hisce eximiis prærogatiuis egregiè Prælatum decorantis.

Humilitas verè decorat Prælatos

Ambulans per actiuam vitam B. Rigerius, Deo, ac proximo fideliter seruiens, factus est familiarissimus B. Francisco. *Homo inquit Iob* (loquor cum Magistro meo in serm. Dom. in Septuages.) *nascitur ad laborem, scilicet vita actiua. Et auis ad volatum, scilicet vita contemplatiua.* Accipiter auis est volatu celerrima, rapinæ assueta, sine qua nescit viuere. Homo, & auis, quæ Accipiter est, vulgò Falco, constituunt Accipitrum gestatorē, vulgo Falciferum, seu Falconierum, qui vitæ actiuæ, & contemplatiuæ pulchrum symbolum est. Etenim nec vita gratiæ in via circa adeptionem vitæ gloriæ in patria sine rapina nutritur, *Regnū enim Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Vita contēplatiuæ finis bonum.

Et nota, subdit Interpres, quod sicut auis, quæ latum habet pectus, eo quod multum capit aeris, à vento retardatur, & quæ strictum habet pectus, & acutum, velocius, & sine difficultate volat. *Sic mens contemplatiua*, si multis, & variis cogitationibus dilatatur, in contemplationis volatu nimium præpeditur; sed si ordinata est, & in vnum collecta cœperit volare, ipsius contemplationis gaudio perfruetur.

Huius geminæ vitæ exercitatio in hora vndecima, circa quam Pater familias exiit, designatur. Vndecima hora est ex vno, & decem. *Vita contemplatiua ad vnum refertur, quia vnum Deum, vnum gaudium speculatur. Vita vero actiua ad decem præcepta Decalogi, quibus ipsa vita actiua in huius exilij vita plenariè perficitur.* Hæc Interpres, vbi de sex animæ virtutibus.

Hora vndecima euāgelica pro vtrisque vitis contemplatiua, & actiua

In hac vitæ actiuæ schola proficiens ad stuporem B. Rigerius, regensque per aliquot annos suam Marchiæ Prouinciam, ad maiora deindè sanctitatis, & virtutis incrementa per vtramque vitam aspirans, atque animosè ascendens, multas, & molestias passus est à virtutis inimico tentationes grauissimas, quas latius explicat Vadingus ad annum 1226. numer. 13. Sententia est D. Gregorii apud Doctorem nostrum in serm. Sabbati in cap. Ieiunii, exponentis lib. 8. Moralium cap. 144. illud Iob 7. *Visitans eum diluculò. Si post virtutum munera, inquit, animus nulla tentatione concuteretur, has habere à seipso gloriaretur. Visitat igitur eum Dominus sua beneficio gratiæ, & subito in certamine ipsum probat, nec tamen tentatum sic eum exponit, vt tentatoris manibus derelinquat.* Quinimmò vt ibidem dicit lib. 2. *Statim post commissionem molestiæ, seu pugnæ comitatur pro tentationis custodia.*

Visitat suos Deus, eosq. grauiter tentari permittit.

Tentatio in viris omnibus, qui vero proposito pœnitentiam amplecti student, & à qua Deus liberare assolet, *quadriformis est*, iuxta Dauidicum illud. *A timore nocturno. A sagitta volante per diem. A negotio perambulante in tenebris. Ab incursu, & Dæmonio meridiano, eripiam eum, & glorificabo eum, &c.* Vbi Doctor noster fer. 2. Dom. primæ Quadrag. vt alibi explicatū est. Timor nocturnus est tentatio Diaboli occulta. Sagitta volans, ipsius aperta nequitia. Negotium perambulans in tenebris, est hipocritorum fallacia. Dæmonium meridianum carnis luxuria ardens, de quo Marc. 9. *Hoc genus Dæmoniorum, &c. De his eripiet Dominus verè pœnitentē. Et glorificabit eum, scilicet in die Iudicij gemina stola gloriæ.* Ast in viris religiosis, & sanctis ista tentationis quadriformitas aliquando adeò vrget, vt sæpennmero de nonnullis triumphet, à Deo occulto suo iudicio derelictis. Ob suas valde graues, ingruentesque tentationes frequentius *Rigerius* sese exercuit in abstinentia, disciplinis, ac lacrymis, & orationibus. Et nihilominus haud ab illis liberatus, penè in desperationem ductus est, credens se à Deo esse derelictum. *Et hæc prorsus fuit in eo omnium tentationum molestior, acerbiorque tentatio.* Attamen verum est Doctoris nostri monitum super illud Marc. 6. *Confidite, ego sum, nolite timere.* Gratia Dei, ait, habet confortare, & animare contra tepiditatem, *ibi confide.* Roborare contra debilitatem, *Ego sum.* Securare contra timiditatē, *Nolite timere.* Verè ista gratia gratior est, atque egregior, quotiens ita se gerit, sicut se gessit cum Rigerio

Tentatio omnibus cōmunis, quadriformis est.

Tria facit gratia Dei circa tentatos.

gerio

gerio nostro, penè in desperationis baratrum derelicto.

Deliberatio Rigerii grauiter tētati, ac penè victoriam desperantis.

Etenim desolatione maxima exagitatus, tunc verè eius tepiditas ab ipso animata fuit, & confortata, tunc debilitas roborata; atque securata timiditas, cum eius cordi decretum hoc inspirauit, secundauitque. Resoluit namque vir afflictus, & omni consolatione destitutus ad B. Magistrum suum proficisci eo proposito, vt si Seraphicus Pater familiaritatem illi ostendat, Deum tandem fore sibi propitium crederet. Sin autem, signum esset à Domino esse derelictum. Vix iter Assisium versus ob hanc rem multa cum animi sui securitate acceperat, prosequebaturque, quod hæc omnia per ordinem diuinitus reuelata sunt Diuo Francisco, intra Palatium Episcopi Assisiatis graui infirmitate decumbenti.

Præuidit Frāciscus eius cordis arcanum.

Igitur bonus Pastor, & Pater statim sociis suis ad se vocatis B. B. Masseo, & Leone, dixit. *Ite in occursum, filij mei, Fratris Rigerij, & ex parte mea ipsum salutate, amplectite, osculate, loquimini hæc. Inter cæteros vniuersi Orbis Fratres, te, ò Frater Rigeri, Frater Franciscus tenerrimè, ac singulariter diligit*, Dum illi iussa Patris complent, obuiam habent Fratrem Rigerium, hicque, insperato, præfata audiens à consociis suis, statim eius Anima præ nimia consolatione liquefieri incæpit, ac grandi iubilo in laudes diuinas iure meritò prorumpere. *Statimque Deus post commissionem molestiæ* (vt fatur Doctor noster cū B. Gregorio) *comitatus est eum pro tentationis custodia*. Eò perueniente ad locum Palatii Episcopalis Rigerio, continuò S. Pater, licèt grauiter infirmatus, è lecto surrexit, eique obiam factus, dulciterque ipsum amplectens, Carissime fili Rigeri, ait, inter omnes Fratres, qui in vniuerso sunt Mundo, te diligo. *Post hæc fronti illius Crucis signum impressit, ipsumque amantissimè osculatus est, dicens. Ista tentatio tibi data fuit ad maximum lucrum tuum, quod si nolueris amplius, non habeas. Statimque (mirabile dictu) cessauit omnis illa tentatio ac si numquam sensisset eam*. Sic illa Dei gratia, quæ erat in Francisco, quæque erat ipse Franciscus (de quo Bonauētura in initio Prologi vitæ eius. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri diebus istis nouissimis in seruo suo Frācisco omnibus verè humilibus, & sanctæ Paupertatis amicis*, &c.) confortauit in posterum, animauitque eius tepiditatem, roborauit debilitatem, securauitque timiditatem, iuxta prædictam Magistri nostri doctrinam, qui docet etiā in serm. fer. 2. Dom. 1. Quadrages. *Gratia Dei habet induere cordis stabilitatem, mentis sinceritatem, roboris firmitatem*. Immò hæc adeò in Rigerio excessiuè cælitus elargita sunt, vt exinde donum egregiarum virtutum, & præcipuo inclitæ singularis castitatis tranquillitate candéret, Seraphico robore firmaretur, magnanimo pectore consisteret absque formidine perdendi illud. Nihilominus de eo narratur, quod cum semel interrogaretur, cur mulierum consortia fugitaret, cum tamen in eo esset donum Castitatis eximiæ: Responderit: *Nisi id fecissem, forsan iusto Dei iudicio tam præclaro munere priuarer*. Sapiens quidem cautio est necessaria. Nam qui periculum amat, viribus suis confisus, ~~non immeritò~~ peribit in illo. *Mulieres* (ait Doctor noster in serm. Sabb. Dom. 2. Quadrag.) *sunt Syrenæ, quæ excæcant oculos sapientum*. At supra dixerat, vt apprimè castus, & virgo mundissimus, & in praxi super istud negotium peritissimus. *Reuera qui in viribus proprijs vult inniti, ac relinqui propriæ voluntati, inexpertus est, quia nescit adhuc, quid sit cum Dæmone dimicare*. Et paulò post. *Proprijs viribus inniti, est à Deo recedere*. Et infra etiam post pauca. *Iniusti sunt, qui attribuunt fortitudinem sibi, quam non habent*.

Franc. etsi grauiter infirmus, surgit, & obuiā it Rigerio suo.

Dei gratia erat Franc.

Dono castitatis Rigerius confirmatus.

Propriis viribus haud fidendum in rebus spiritualibus.

Igitur B. Rigerius noster ad summæ perfectionis culmen pertingens, multis claruit virtutibus, & miraculorum gloria illustris extitit. Hunc Rigerium confundit Marianus lib. 2. cap. 4. & 10. cum Beato Rogerio Tudertino. Vide Vadingum ad annum 1236. sub num. 4. Auctor Martyrologii agit de hoc B. Rigerio die Februarii 7. De Rogerio verò Tudertino die Ianuarii 5.

Alius est hic B. Rigerius à B. Reger. Tudertino.

PANEGIRICVS XXXX.

Rota aurea in medio Rotæ, ardens super Nauis Arborem.

Septuagesimus quartus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. NICOLAVS de Pepulis, nobilis Bononiensis, Iurisque consultus peritus, & eximius. Pepulit verè *Nicolaus* hic, quidquid Dei iracundiam, ac vindictam impellit, vt mortales à se repellat (aiens illis in fatuis Virginibus, *Nescio vos, discedite à me*) comes, atque amantissimus B. Francisci effectus. Pepulit, inquam, prædictum *quidquid Dei, &c.* vbi ex vna *Rota versatili*, & è Cælo repulsa, in illa *Rota* positus est à vocante Francisco, sine qua Cœlorum Orbes, Rotæque Ciues suos nunc quoque abs se, si possibile foret,

Quid Pepulis à se pepulerit.

foret, repellerent. Et quæ, ais, hæc *Rota* adeò noua, & sub qua Beatorum Circuli in rotis supernis consistere videntur? Respondeat acutè Doctor noster super textũ Ioannis 7. *Ambulabat Iesus per Galilæam*, &c. quod supra in Euentu 2. Libri 4. adduximus vsque ad illud, *Sermocinatio eius*: Alia modo sequentia verba sunt ista.

Galilæa Rota, & transmigratio, humilem significat. Sola Humilitas facit hominem à vitiis transmigrare. Hæc insuper est Rota, quæ rotatur, & teritur multis concussionibus. *Humilis ad instar rotæ debet esse* semper paratus, vt iuxta diuinum imperium moueatur, vel ad anterius promotionis, vel ad posterius deiectionis, & oppressionis. Ezechiel 1. *Eleuabantur pariter & Rotæ, spiritus enim vitæ erat in rotis.* Humilitas tenet hominem firmum, *licet sit rota inter prospera, & aduersa.* Inter prospera, quia nec humana laude extollitur. Etenim sicut aurum probatur in fornace, sic virtus Humilitatis ore laudantium non euaporat fumum vanæ gloriæ. Nam omnia liquabilia sunt vaporabilia, præter aurum. Inter aduersa similiter, quia verus Humilis non habet ventum superbiæ, & ideò non crepat in fornace increpationis.

Humilitas ad instar rotæ.

Tenet hominem firmũ.

Nota quomodo sola Humilitas stat inter fluctus persecutionis, & immobilem tenet hominem, & pœnitentiam eius cõseruat. *Quidam enim paruus piscis, Remora nomine reperitur,* qui inter vndas immobilis stat, & Naui adhærens, eam figit, & immobilitat inter vndas. Nauis est Pœnitentia, cui si adhæserit Humilitas, inconcussa manet. *Inter istos Galilæos Christus ambulat, qui non sunt infecti, & eum recipiunt benignè. Inter Iudæos autem superbos non ambulat, quia quærunt eũ perimere, sed finaliter in iudicio occultè, & nullo sciente insurget subito contra tales, &c.*

Sic Remora piscis modicus magnam retinet Nauim.

Hocce Remoræ, & Nauis in medio Rotæ Humilitatis posito schemate veluti hieroglifico, super rotam eandemomhem statuæ Beati Nicolai perfectionis Seraphicæ molem nos ponimus firmam, & incõcussam. Tunc incepit vir iste adeò nobilis, ac doctus amare *Franciscanam Humilitatem, quæ est* Rota in medio Rotæ, & in ea spiritus vitæ est; quando B. Bernardum de Quintaualle Francisci primogenitum, à puerorum, & insolentium liberauit molestiis; benignè ibi commorantem fouit, anno 1211. & consodalibus ædes extruendas curauit anno 1213. & 1219. Inde ad annum 1220. egregiam hanc virtutem, exemplo B.B. Pellegrini, & Rigerii commotus, generosa voluntate amplecti elegit; cum humillimum habitum Franciscanorum per manus Francisci assumeret, ac eius Institutum (quod tota Christiana, & Apostolica Humilitas est) ac profiteri resoluit. Supra hac humilitatis rota omnem suam locauit, erexitque firmitatem, circuens amplam virtutum, ac meritorũ sphæram annis 9. Etenim piè, sanctèque Deo spiritum reddidit die Maii 1. anno 1229. miraculis illustris. Sepultus est autẽ ad Monasterium S. Bernardini Clarissarũ, quod olim Fratrum Minorum primum fuerat Domicilium, sub inuocatione *S. Mariæ de Puliolis*. Eius encomium refert Vadingus citatus ex antiquo MS. Fratr. Bonauenturæ, ann. 1306. exarato. Vide illum apud eundem Auctorem tom. 1. sub num. 9. ann. 1220. Martyrolog. agit de eo prima die Maii præfata; vbi & eius Epitaphium, quod infra in Beato Gulielmo reperies.

Rota humilitatis veluti basis perfectionis Beati Nicolai.

PANEGIRICVS XXXXI.

Vitis arbustiua, vuis, & pomis ferax.

Septuagesimusquintus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. BONITIVS, alii Bonizus, & ipse Bononiensis, cui dictum (assumpto a B. Francisco in suam societatem, & in præcipuum socium, & Cancellarium) illud Isaiæ ad Ezechiam cap. 37. *Comede hoc anno, quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomis vescere. In anno autem tertio seminate, & metite, & plantate vineas.* In quem locum pulchrè Interpres noster serm. Dominicæ 4. Aduentus. Nota, quod triplex est status Bonorum, qui in hoc tripl.ci anno designantur, scilicet, *Incipientium. Proficientium. Perfectorum.*

Status Bonorum in via perfectionis triplex.

1 *Incipientes*, gratia gratis data præuenti, comedunt quæ spontè nascuntur. Hoc est, quod dicit Dominus Isaiæ 14. *Diligam eos spontaneè.* Nullis enim meritis præcedentibus, sed sola Dei benignitate, & gratia reficiuntur.

2 *Proficientes*, quasi in secundo anno pomis bonorum operum vescuntur, vt bona voluntas, quæ prius erat in affectu, sit in effectu.

3 *Perfecti* verò sunt, quasi in tertio anno affluentes omnimoda copia beatitudinis, & plenitudinis. Vnde Psalm. 64. *Benedices coronæ*, idest vitæ Iustorum perfectæ; *anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* Audierat proculdubio ab ore Francisci, Dei præconis apud Bononienses, Bonitius noster duo in

ſpecie, quæ ſuo,& Patriæ nominibus,Bonitatis prognoſtica præſeferentibus, alludebant. Vnum ſuper textum Lucæ 16. de Lazaro, vlceribus pleno, de canibus lingentibus eius vlcera, & de micis, cadentibus de menſa Diuitis. Alterum ſuper illud Matthæi 5. *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & ſuper malos.* Nam illum textum ita interpretatur à Doctore noſtro in ſerm. fer.5. Dom. 1. Quadrag. loquente de peccatoribus, quorum ſymbolum erat Lazarus, extra domum Epulonis fame necatus iacens. Tunc iacet, inquit, extra ædem, quando peccatum prodit ex cogitatione in opus. Vlceribus plenus, ideſt peccatis in cute ſurgentibus, ideſt in conuerſatione, vt ſint publicè manifeſta. Pſalm 37. *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, &c.* & Iſaiæ 1. *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Hæc vlcera horrenda debent hominibus nauſeam, & horrorẽ incutere. Canes autem, ideſt contra Deũ latrantes, lingunt ea, ſcilicet dum non corripiunt, ſed laudant. Iacet extra, ſcilicet conſcientiam. Micæ cadunt de menſa, *ideſt Bona temporalia, quæ cadere faciunt primò in culpam, deindè in pœnam.* Ad illud poſtea, Qui Solem ſuum, &c. ita idem Doctor, & Interpres in ſerm. feriæ ſextæ in capite ieiunii. Deus, ait, *Solem ſuum*, ideſt filium ſuum, ſecundum Auguſtinum; vel Solem, ideſt lumen fidei; & *pluuiam*, ideſt aduerſitatem *oriri facit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Vt ſicut iuſti pœnas ſuſtinent propter peccatores, ſic peccatores bona ſuſpirant propter iuſtos, vt ait Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate Dei. *Dicit autem, quod ideo voluit Deus hæc omnibus eſſe communia, vt bona auidius appetantur; cum poſſint malis eſſe communia. Hæc mala turpiùs fugiantur, quibus etiam boni afficiantur.*

Lazarus vlceroſus, ac miſticus pro peccatore.

Bona tẽporalia veluti micæ, cadentes de menſa.

Bona, & mala cur bonis & malis cõmunia.

Hoc duplex bonorum genus, aliud temporale, ac ſaluti animæ adeo nociuum; aliud ſpirituale, omnibuſque commune. Illud à Dei Precone Franciſco Apoſtolicè aduerſus peccatores obiurgatum, iſtud in Dei prouidentia ab eodem commendatum, mouit Bonitii noſtri propoſitum, vt eo derelicto, hoc verò auidius concupito in triplici bonorum ſtatu, Franciſcanorum profitendo legem, adſcriberetur. Sic adſcriptus ab ipſo Legislatore in numero ſuorum ſociorum, & diſcipulorum, incepit magnanimiter, profecit mirabiliter, perfecit maximè, quod vouit. Sic integerrimè voto, profeſſione, & operatione Bonus; tum quia magnus Paupertatis amator, tum quia ad grauia negotia obeunda non ſolum intrepidus, verum etiam & ad ea reſoluenda expeditus.

Cum igitur *B. Bonitius* noſter, verè nomine, patria, integraque ſanctitate bonus extitiſſet, promeruit, vt à B. Franciſco Magiſtro, ac Parente ſuo in rebus præcipuis aſſumeretur in ſocium, ad exemplum Chriſti, qui inter cæteros Apoſtolos, & Diſcipulos ſuos Petrum, Iacobum, & Ioãnem delegit, Montem Tabor aſcenſurus. Hinc *Bonitius* in monte Rainerii cũ Beato Leone præſens fuit, & vt ſocius dilectiſſimus, & vt præcipuus Cancellarius in reſcribenda Lege, ſeu Regula, quando Frãciſcus eam reformatam, & in compendiũ redactam, à Chriſto reuelante mentaliter accepit. Et durè increpauit plures miniſtros, eam admittere, & acceptare renuentes, Domino aperta, & clara voce eius ſermonem, & inſtitutum confirmante. Vt autem oſtenderet Vir ſanctus, quod Bonitius in eius ſocietate talis fuerat apud ſe, qualis apud Chriſtum *Ioannes*, voluit præcipuam hanc, ſingularemq. dilectionis prærogatiuam præcipuo quodam, ac ſingulari fauore proſequi. Quem fauorem tertio loco cum duobus prædictis (quorũ etiam B. Leo particeps extitit, ſed huius tertij nullus alius ab ipſo Bonitio) refert B. Piſanus 1. lib. confor. fruct. 8. part. 2. in Fratribus Minorum Prouinciæ Bononiæ, ſanctitate illuſtribus. Hic Fr. Bonizius, ait,

Dilectus Franciſci diſcipulus B. Bonitius.

1 In iſto monte Palumbarum fuit cũ B. Franciſco, quando fecit Regulam, quã nunc habemus.

2 Chriſtum audiuit loquentem, & dicentem Miniſtri; pluribus, ibidem congregatis, quod Regulam illam ipſe fecerat, & volebat eam ad literam ſine gloſſa intelligi; & ſeruari.

3 *Huic Fratri Bonitio*, ait tertio, *poſt ſuam mortem apparens B. Franciſcus cum habitu aureo, & glorioſo, ſua ſtigmata pluſquam Sol lucentia ſibi oſtendit, & oſculanda, & contrectanda conceſſit.* Vide Auctores apud Arturum die Auguſti 17. Obiit hic fælix, beatuſque Heros, vitæ ſanctitate, & virtutibus admirandis floridus Bononiæ, ſepultus apud ſuos. Poſt multos annos inuentum eſt eius corpus ex inſperato cũ aliis Sanctis comparibus, & conſociis (tempore Clem. VII. inquit Gonzaga, in Monaſterio Monialium S. Bernardini, quod eſt 6. Prou. Bononiẽſis) BB. Nicolao prædicto, & Gulielmo à Cortemilio, Frãciſci etiam ſocio, cuius Epitaphium cum illis ſociorum referendum poſt Diſcipulum ſequentem.

Oſtendit Fr. Bonitio ſua Stigmata glorioſa poſt obitum

PA-

PANEGIRICVS XXXXII.

Lilium, in amoris Dei ore vernans.

Septuagesimus sextus Discipulus ex numero LXXVIII.

B. GVLIELMVS à Cortemilio, siue de Placentia. Vtroque hoc agnomine nuncupat hunc sanctum virũ Vadingus, priori sub num. 11. vbi fuisse socium Sancti Francisci asserit, licet quando ipsum vocauerit Sanctus Pater non prodierit. Posteriori verò cognomine eum appellat in tomo 3. ad ann. 1305. sub num. 5. *Laicus* fuit professione, *Ligur* natione, iuxta antiquam geographiam, quæ olim Placentiæ Vrbem amplectebatur. Dum audis Placentiam, placitam fuisse Domino, & Francisco animam *Gulielmi* Ciuis sui, haud obdubites velim. Erat enim in illo Anima illa placentissima, de qua Interpres noster in serm. Dom. 5. post Pascha. *Anima Virginitas est fides, per dilectionem operans, animam incorruptam conseruans.* Hac virginitate exornata Beati Gulielmi anima ex corruptibili corpore incorrupta exiuit, obiens ille Bononiæ vitæ sanctissimæ, & miraculis clarus. Sepultusq. est antiquo Cõuentu *S. Mariæ de Pugiolis.* Fertur, teste Vadingo citato ad an. 1305. num. 3. quod dum spiritum suum sanctissimum, ac purgatissimum B. Gulielmus amitteret, amissam longo tempore loquelam recuperans, fortiter, & compassiuè exclamauerit. *Heu nunc anima N. Fratris Episcopi sepelitur in Inferno.* Notauerunt Fratres horam, & compererunt, ipsa eadẽ hora Episcopum obiisse.

Animæ Virginitas est fides per dilectionem.

Erat his Episcopus vnus ex illis Tauris, de quibus Isaia 34. vna cum Vnicornibus, quorum adipe, & sanguine gladius Domini incrassatur. Vide expositionem Interpretis nostri in serm. Dom. 1. Aduẽt. Vbi hæc inter alia. Et descendent vnicornes eius, *idest Imperatores, & Reges huius mundi, & Tauri, idest Episcopi mitrati, qui habent in capite duo cornua veluti Tauri.* Omnes isti, qui veram pœnitentiam de peccatis non egerunt, descendunt cum potentibus, idest huius sæculi Principibus, & Potestatibus in Infernum, quæ est terra morientium. Quæ eorum sanguine, & adipe, idest malitia, & superbia inebriatur. Vsq. huc Interpres. Agit Auctor Martyrologii de B. Gulielmo die Iun. 16. Cõuentus eius Sepulturæ fuit deinde sub Clemente VII. mutatus in Monasterium Monialium sub titulo *S. Bernardini.* Dum apteriendis fundamentis fossores diligentius intenderent in tria B.B. Nicolai, & Bonizii, atque huius Gulielmi venerãda corpora ex insperato inciderunt. Locellorum trium Epitaphia simul reperta, simul hic cum Vadingo apponimus.

Aduerte tu qui ambis Episcopatũ.

Episcopi Tauri mistici

Epitaphium ad B. Nicolaum.

Nicolaus primus nomine
Cœco lumen obtinuit.
Et mortuis restituit
Vitam deuotis precibus.

Epitaphium ad B. Bonitium.

Alter vero Bonitius
Erancisci Patris extitit
Consors, dum verbis Domini
Sacram conscripsit Regulam.

Epitaphium ad B. Gulielmũ.

Gulielmus alter nomine
Sacro pollens eloquio,
Verbis istius incolas
In viam traxit Domini.

Vide vltimos Discipulos, complectentes totum numerũ inferius ad an. 1222.

LIBER SEPTIMVS.

Franciscus fit tertiò Legislator Euangelicus, sed communior, instituens Tertium Ordinem de Pænitentia, complensque triplicem Legis Christi, & Romanæ Ecclesiæ Reparationem ad annum salutis 1221. Septem Martyrum Capta triumpho, Aduentu Interpretis nostri ex Africa in Italiam, ortuque Seraphici Historici in Etruria auspicatissimum. Minorum Lex, dum per terrarum Orbem mirè diffunditur, ab alijs Viris Sanctis, quos ipsemet Legislator in suum vocauerat, admiseratque Discipulatum, magnanimiter propagatur.

Textus Historiæ D. Bonau.

Prædicationis Francisci feruore succensi quamplurimi vtriusq; sexus, in coniugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam à Dei Viro acceptam, nouis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum viuendi modum idem Christi famulus Ordinem Fratrum de pęnitentia nominari decreuit. Nimirum sicut in Cœlum tendentibus pœnitentiæ viam omnibus constat esse communem, sic & hic status Clericos, Laicos, Virgines, & Coniugatos in vtroq; sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit.

Status pœnitentiū cōmunis omnibus.

Cap 4. Vitæ S. Franc. alibi dato.

Pœnitentiæ generalitatem, sub aliquibus legibus, & regulis obseruandam in quolibet genere personarū sexus vtriusque, affert symbolicè Interp. noster, loquens sub metaphora Templi Salomonis de sex illius atriis, quibus sex itidem in verè pœnitētibus respondent. *Hæ sunt*, ait, *sex conditiones, quibus debemus ad pænitentiam introduci. Considerare namque debemus*

Sex considerationib. debet quilibet ad pœnitētiā introduci.

1 *Quid commisimus*, quia malitiæ fœditatem, & istud est *Atrium immundorum*, quod erat primum.

2 *Quid omisimus*, quia constantiæ firmitatem; & hoc est *Atrium Mulierum*, quod erat secundum.

3 *Quid dimisimus*, quia notitiæ claritatem; & hoc *Atrium Hominum*, quod erat tertium.

4 *Quid deseruimus*, quia diuinam inspirationem; & hoc est *Atrium Sacerdotū*, quod est quartum, Sacerdotibus dicatū. Vnde ibi erant columnæ, vbi erant scripta diuina mandata literis Hebræis, Græcis, & Latinis. Vt referamus Hebræam ad illa, quæ sunt scripta in libro creaturarū. Græcam ad illa, sunt quæ scripta in libro scripturarum. Latinam ad reuelationes, quę sunt in cordibus.

5 *Quid contempsimus*, quia stupendam Christi exhibitionem, cum Christus pro nobis se tradidit.

6 *Quid neglexinus*, quia supernam repromissionem. *Et hæc Sancta Sanctorum*; & hic locus, qui dicitur Sancta. Hæc ille.

His ita explicatis ab Interprete nostro, declarat Sanctæ Matris Ecclesiæ intentionem tempore Quadragesimæ, quam esse institutam ad pœnitentiam, demonstrat ex officio Ecclesiastico, quod illis temporibus legitur. Loquitur tamen propriè de pœnitentia sacramentali, quam esse Templi conscientiæ, quod per peccatum destruitur, constructionem, asserit cum Diuo Anselmo super Matth. homil. 4. Hodie igitur, inquit, Sancta Mater Ecclesia ponit nos in opere, vt hoc Templum nostræ conscientiæ ædificare valeamus. Et quia operantibus datur *Regula, & Forma*, idcircò, vt ordinatè procedamus, dat nobis regulam, quam debemus tenere. Hucusque Interpres.

Quadragesimam ad pœnitentiam institutā.

Constant igitur sex præfatæ considerationes,

tiones, quibus Christiani omnes ad pęnitentiam sacramentalem, necessaria ad salutem, introducendi sunt suis regulis, & legibus. Alia deinde pœnitentia Christiana, ac religiosa cuiusuis generis extra sacramentalem huius pars esse solet, imo pars est, licet materialis, eam pœnali satisfactione integrans. Est siquidem Pœnitentia *nomen Virtutis Moralis*, qua pœnitere dolemus de peccato, prout est offensa Dei, quamque Attritionem, & Contritionem nuncupant Theologi. Est item *nomen Sacramenti* per reconciliationem humanam cum Deo ex peccatis cōmissis post Baptismum virtute Clauium. Est tādem Pœnitentia pars materialis sacramenti pœnitentiæ, requisita ad eius integritatem.

Pęnitētia vt virtus moralis, & vt sacramentum.

Ordinem Pœnitentium, quem sub operibus, & exercitiis pœnalibus mortificatiuis, sensibus aduersantibus; iam S. Pater Franciscus in ordine ad *Pœnitentiam sacramentalem* instituit. Vt autē omnes eius Confratres ex præfatis Episcopi sui, & Interpretis nostri considerationibus melius, ac tutius ad sacramentalē pęnitētiā, tunc temporis communiter in magnum Ecclesiæ detrimentū ab omni fermè statu cōtemptā, se introducerent, illiusq; regulā, & legem sub alia quoque regula, & lege suis pœnitentibus data diligentius obseruarent; ipsos ad quādam viuendi methodum, & normam discretissimo iure ordinauit. Han viuendi normam, in capita 20. diuisam, vbi nemo in his, quæ præcipiuntur ad mortalem culpam obligantur; partibus octo miro modo penè conclusit Doctor noster, vbi in serm. Dom. 6. post Trinit. distinguens inter iustitiam Pharisæorum, & Apostolorum, Hipocritarum, & Pœnitentium, hæc habet.

Ordo Pęnitentium in ordine ad pęnitentiam sacramētalem institutus.

1 *Iustitia Pharisæorum fuit*, vt manus, non animus cohiberetur. Vnde Iudæi credebant, peccatum non esse in cogitatione, sed tantum in operatione.

Iustitia quadruplex Pharisæorum.

2 *Iustitia Apostolorum fuit* in spiritu consilii, & gratia misericordiæ abundantis, vt non tantum manus à malo opere, sed etiam animus cohibeatur à peruersa cogitatione.

Apostolorū.

3 *Iustitia Hipocritarum* per Pharisæos significatorum, est in manuum, & capillorum ablutione, in vestium compositione, in polita officinarum ædificatione, in multiplici institutionum, & pręceptorum variatione.

Hipocritarū

4 *Iustitia verò Pœnitentium est in spiritu Paupertatis. In amore Fraternitatis. In gemitu cōmpunctionis. In afflictione corporis. In dulcedine contemplationis. In despectu terrenæ prosperitatis. In dulci amplexu aduersitatis. In proposito perseuerantiæ finalis.* Hæc sunt octo partes apud Doctorem nostrum, omnem illam iustitiam Ordinis Tertiariorum de Pęnitentia proculdubio complectentes, quam Euangelicus Institutor lege concludens; hæc proinde Pharisæorum iustitiæ ex diametro aduersa, iustitiæ verò Apostolorum, ceu effectus suæ causæ, conformis extitit.

Pęnitentium qui octo obseruant

Super illud *Exijt, qui seminat*, &c. Matth. 13. loquens Interpres noster de Christo per comparationem ad Noe Patriarchā, Arcæ constructorem, ita scribit ser. Dom. in Septuages. Exiit seminator Christus seminare semen suum. Exiit etiā fabricare Arcam, scilicet Ecclesiam suam *de lignis leuigatis*, idest operibus sanctis, puris, & perfectis. *Et liniuit bitumine*, Charitatis scilicet, & Misericordiæ. *Intrinsecus* in affectu, & *extrinsecus* in operum effectu. *Cuius longitudo est trecentorum cubitorum*, propter tres ordines, qui sunt in ea, scilicet Noe, Daniel, & Iacob, *idest Prælati, Continentes, & Coniugati*. Hæc Interpr.

Christus seminator, & ædificator simul Arcæ Ecclesiæ.

Pariter & Franciscus exiit seminare semen Christi, & fabricare Arcam illam Regularem, quæ ad reparationem Arcæ Ecclesiæ Christus ipse alto, ac peculiari consilio emandauerat. Verum, vt reparatio Arcæ Ecclesiasticæ illius fundationi completissimè, & vndequaque in omni mortalium genere responderet, non solū in lignis leuigatis, & in interiori, & exteriori linimento, iuxta interpretationem Doctoris nostri, sed etiam in trecentorum cubitorum numero propter tres ordines præfatos, *tres quoque Ordines* instituit. In quorum primo Prælati innumeri. In secundo omnes continentes continentia virginalis castimoniæ. In tertio verò simul & coniugati cum Continentibus, Virginibus, sæcularibus, & ecclesiasticis. Quod pulchrè declarauit S. Antoninus, trecentos cubitos Arcæ in tricameratum numerū transferens, & ita scribens titulo 24. cap. 1. §. 2. *Hinc fraterna dilectione deuictus B. Franciscus ad instar Patriarchæ Noe Arcam fabricauit, & tricameratam fecit, idest Religionem scilicet Fratrum, Monialium, & Tertij Ordinis. Vt babitantes in ea praseruet à diluuio vitiorum, & morte inferorum, omni statui cupiens dilectione prouidere, &c.*

Ita & Franciscus seminans semen Christi, & fundans Religionem.

Arca Religionis Frāc. tricamerata propter tres ordines

Vt autem, quæ historicè de institutione Tertii Ordinis, & eius Regulæ afferūtur, quæque circa Regulam in controuersiam reuocantur, principiò restringamus, incipiendum ab eius origine, quæ ad annum Christi 1221. qui erat Legum Fratrū Minorum 10. Sororum verò Pauperum, licet nondum scripto, & completè, 8. re-

Ordo, ac methodus narrandorum.

uocanda

uocanda est. Deinde transeundum ad ipsius Legis quantitatem, & ad sectatores primarios, & præcipuos Seraphici Institutoris, & Legislatoris Discipulos, quibus immediatè ad hunc Ordinem ipse recepit, Legemque tradidit, quosq; *Fratres de Pœnitentia* eos nuncupauit.

CAPVT PRIMVM

Legis Tertij Origo, tum quoad eius locum, tempus, personas, professorum nuncupationem, quibus lata est. Tum quoad suum Legislatorem, illam conscribentem, ac tradentem.

HOc eodem anno post beatam mortem B. Petri Catanei, secundi Vicarii Generalis post Heliam, quem Franciscus ceu ex diametro Legi suæ aduersũ, anno antecedenti absoluerat ab officio, & tam hic, quam ille vno tantum anno regimen tenuerat, contigit ante Ordinis de Pœnitentia institutionem, secunda electio in Vicarium Generalem prædicti Fr. Heliæ. Quæ quidem electio tanto priorem mira quadam prærogatiua excelluit, quanto eius immediatus author constituendus est Deus. Non statim (euolato iam ad cælestia B. Petro Cataneo, cuius sacrum corpus repertum integrum, & genuflexum, iunctisque simul ambarum manuum palmis intra sepulturam, miram hominis Dei obedientiam, Francisco exinde præstitam, ne amplius miracula patraret, quasi demonstrans) de successore deligendo vir sanctus deliberauit. Sed rem distulit in proximum futurum capitulum ad festum Pentecostes, quod in 30. Martii die incidit celebrandum. *Tunc circa fienda secretum iniit cum Deo consiliũ, à quo responsum accepit* (vt ipse retulit sociis, super hac re magno mœrore, maximaque pectoris torsione conquerentibus, ac lamentantibus) *Heliam reassumendum in Vicarium*.

Mãdat Deus Franc. alteram Heliæ electionẽ in Viariũ Gen. Ord.

Occulta Dei iudicia (subdit Vadingus ad annum hunc) & inscrutabiles viæ eius, vt vellet tenetæ, & succrescenti Religioni dari secundò in Prælatum, quem dissolutũ disciplina iam proximè exuerat regimine, & indignum postea redderet societate. *Sed quid poterit ei respondere vnum pro mille? Vel quis dicere potest, cur ita facis?* Dominus est, & ipse melius nouit, quid potius nobis expedit, &c.

Occulta Dei super hoc mandatum iudicia

At vide aliunde imperscrutabilis Dei prouidentia, vbi audis, eodem anno interfuisse Comitiis B. Antonius de Padua, vt refert paulò infra idem Vading. Licet debilis, & affecta valetudine cum Beato Philippino Castellano eius socio, Laico adolescenti, cum quo, & cum Fratribus Siculis, Messana ad Mensis Martii finem soluerat. Idem Deus mandauit tum Francisco alteram Heliç electionem, etsi Helias semper Francisco, & eius legi, & sociis vsque dum potuit aduersus, tum etiam ventis, & mari, vt Antonium de Padua, tunc de Lisbona in Italiam ad Regnum Siciliæ transferrent, & hic esset præcipuus in Heliæ machinamẽta dissoluenda Beati Cæsarei Spirensis sectator, B. Francisci coadiutor. Vide inferius, vbi de celeberrima Legis Minorum in toto Orbe diffusio, atque alibi de Reformatoribus Ordinis Minorum, ac Legis Seraphicæ Restauratoribus vsque ad hunc diem.

Eodem anno S. Antonius de Padua in Italiam à tẽpestate translatus.

Origo igitur Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Legislationis respicit, vel illius regionem, & locum, vel traditionis tempus, vel demum Institutoris personã. Si respicit regionem, locum, & tempus simul, reducenda sunt eius initia cũ ipso Ordine ad Terram *Cannariæ* in Vmbria ad annũ 1221. vel saltem ad sequentẽ 1222.

Secedente, post impetratam veniam, *Antonio Lisbonensi*, nunc Patauino, Interprete nostro, quem magni pelãgi tempestas per mediterraneos gurgites in Italiã transtulerat; *ad Eremum Montis Pauli*, dissolutisque Comitiis generalibus, vbi interfuit præfatus Antonius cũ suo socio B. Philippo Castellano; Franciscus per Oppida vicina feruenter pœnitẽtiam omnibus prædicabat. Incolis præcipuò Cannariæ Oppidi, nunc pernobilis, & ad Ciuitatis meritũ accedentis, vulgo *Canara*, ab Vrbe Assisiate per quatuor milliaria distantis, altius Dei verbum insedit. Illi namque spiritu Apostolico excitati, relictis omnibus, turmatim, cateruatimque Dei virum sequebantur. Petierunt à tãto Magistro, vt qui efficaciter virtutes, & æternam felicitatem commẽdabat, vitia, gehennalesque cruciatus fugienda docebat; ostenderet & modum, quo illa facilius adipisci, & hæc securius potuissent vitare. Suasit omnibus, ne Regio illa remaneret deserta, connubiaq; inter consortes quiete priuata, vt sub propriis tectis Deo christianè, & placidè deseruirent, pollicitus, se modum præscripturũ, quod facilius in virtutem proficerent, & absque Regularium rigore regularibus assimilarentur. Idipsum vt efferuentes animos

Oppidani Cannariæ primi in amplectendum Ordinẽ Pœnitentiæ.

Deinde Tusciæ regiones.

animos parumq; sedaret, suadere necesse fuit in pluribus Tusciæ Vrbibus, præcipuè in Florentina, in qua inchoatum à Ciuibus sacrarum Virginum Monasterium inuenit,& plurimos sub vna Congregatione ipse reduxit.

Erat *Franciscus* inter Fratres Domus Dei, quæ est Ecclesia, *vnicus Beniamin*, cui. meritò dandus Sciphus argenteus, Calix scilicet Passionis Christi per nouum martyrii genus. Quare Ioseph Frater, adhuc in Aegypto ignotus, ad suos Fratres, eò missos à Parente, vt frumentum emerent. *Adducite*, inquit, *fratrem vestrum minimũ, vt possim vestros probare sermones, & sciam, quod non sitis exploratores*. Gen. 42. Cuius scripturæ interpretatio apud Doctorem nostrum serm. 4. de Apostolis, est ista. *Per Fratrem Minimum intelligitur Humilitas, sine qua infructuosè egreditur prædicator, nec eius à Deo probantur sermones*. Et è contrario, qui Beniamin secum habet, multum fructum affert. Vnde adducto eo, dixit Ioseph dispensatori. *Imple saccos eorũm frumento, quantum possunt capere, & in ore sacci fratris minimi ponatur Scyphus argenteus*. Quia quanto quis humilior, tanto ei Deus gratiam conferr maiorem, Prouerb. 3. *Cum simplicibus sermo eius*. Hinc *Paulus*, qui se minimum Apostolorum dixit, fructũ cæteris attulit ampliorem: Quia ab Hierusalem vsque ad Illyricum mare repleuit Euãgelium Christi, Rom. 15. Hæc Interpres.

Frãc. Beniamin Christi in cętu Sanctorum.

Meritò igitur currebant hinc populi, sequebanturque Franciscum prædicantẽ, in quo erat Beniamin Christum ob insignem humilitatis similitudinem. Cui verè poterat dicere, videns tantam hominum,& mulierum multitudinem,& seipsũ in animarum mercatura destinatum cognoscens: *Domine quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum*, Matth. 25. Explicat namque Interpres noster paulò superius. *Quinque talenta, quæ seruo negotiatori cõmisit Dominus, sunt. Religiosa vita. Sufficiens scientia. Sermonis eloquentia. Aetas matura. Fortitudo corporis.* Hæ quinque in Francisco cuncta Apostolica erant, sibi à Deo cælitus immissa. His quinque septem fructus secum ferebat, dicẽte Interprete nostro ibidem inferius. Item quos fructus debet secum ferre Prædicator, docet Petrus in cap. 1. Epist. canon. dicens. Ministrate.

Quinq; eius in prædicatione talẽta.

Item fructus septem Apostolici.

1 *In Fide vestra virtutem.*
2 *In Virtute autem scientiam.*
3 *In Scientia autem abstinentiam.*
4 *In Abstinentia autem patientiam.*
5 *In patientia autem Pietatem.*
6 *In Pietate autem amorẽ fraternitatis.*
7 *In Amore autem fraternitatis Charitatem.*

Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent. Quod egregia praxi legimus de Francisco, per quem hi septem fructus locupletem Ordinis Pœnitentiũ fructum in horto Ecclesiæ pepererunt. Igitur cælesti feruore, & cumulato fructu in multis Italiæ locis Beatus hic Legislator noster prædicabat; præcipuè autem in prædicto Canariæ Oppido ad Regionem Vmbriæ, quæ & regio erat mortis peccati, & vitę gratiæ in Francisco, mortuo mundo, sed viuo Deo. Et vmbra noua erat per vallẽ illam Spoletanam, velut noua lux diuinitus exorta. Ex hoc Oppido potissimum, vnde & inceptio Ordinis de Pœnitentia, incolæ omnes, horumque exemplo ex aliis pagis, etiam ac Ciuitatibus turmatim, vt diximus, ad Virum Dei, eius prædicationis igne succensi, vndique confluebant. Nullo pauore suspensi, nulla cura distracti, & se nouis pœnitentiæ legibus vincire velle significabant.

Regio Vmbriæ quomodo & regio vmbræ mortis,& lux.

Sed Vir sanctus pręcipua Spiritus Sãcti assistentia directus, virtuteq; discretionis summè præditus, imbecilles mulieres, periculis facilè expositas, consortium præsidio orbari, nec homines, vxorum licita,& optata societate priuare,& loca, vrbesque penitus depopulari, minimè permisit.

Resoluit tamen ascendere in terram promissionis, eisque triplicem fructum, vsque ad mundi finem permansurũ afferre, illorumque aptam custodiam proferre. *Posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*, Ioan. 15. Similiter (addit Interpres noster loco citato) dictũ est Exploratoribus Israel. *Ascendite in terram, & afferte nobis de fructibus*. Inde autẽ, sequitur, fructum triplicem attulerunt, *scilicet Melogranata, Ficus, & Vuas*. Terra promissionis, inquit, est vita æterna, vnde triplex fructus afferendus est in exemplũ, *Coniugatorum, Continentium, & Virginum*, de quo Matth. 13. *Et dabunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.*

Sub triplici fructu meditatus est modum eum instituendi.

1 *Per Malum granatum*, quod despectum corticem habet exterius, & tamen grana habet interius dulcia, quæ cibus sunt infirmorum, significatur *Vita Coniugatorum*; quæ tribulationem carnis habet exterius, 1. Corinth. 7. Vnde debet cum operibus misericordiæ inopibus subuenire. Et ideò quærit Sponsa Cantic. 2. *Vtrum floruerunt mala punica*, scilicet per opera misericordiæ. De quo flore Apostolus Philipp. 3. *Fratres, gaudeo, quod vos*

Malum granatum vitæ Coniugatorũ simbolũ.

tandem

tandem refloruerítis. Loquitur de operibus misericordiæ.

Ficus verò vitæ continentium.

2 *Per Ficus* significatur *vita Continentium*, Prouerb. 18. *Qui seruat ficum, comedat fructum eius*. Hæc est massa ficorũ, quæ vlcus Ezechiæ sanauit, 4. Reg. 20. Quia per continentiam æstus carnalis concupiscentiæ refrœnatur. Sed Naum 3 *Omnes monitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis, quæ si concussæ fuerint, cadent in os comedentis*. Et sic ad modicum impulsum Diaboli amittitur continentia Prælatorum.

Sed Vua virginũ est hieroglíphicũ.

3 *Per Vuas* intelligitur *integritas virginalis*, quæ Deum, & Angelos multipliciter potat. Et sic mentem inebriat, vt sobriam carnem reddat. Zachar. 9. *Quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Item nota illud Ierem. 31. *Omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius*. Vua autem acerba est, quæ Soli non exponitur. *Et sic virginitas minus apta est, quæ laboribus, & tribulationibus non exercetur*. Talis non erat Sponsa Cant. 1. quæ dicebat, *Nolite considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol*. Hinc Sapiens Abigail 1. Reg. 25. *Obtulit Dauid centum ligaturas vuæ passæ*. Eo quod tali statui fructus cẽtesimus debeatur. *Vua est, non passa, virgo, quæ in delicijs viuit*. Quomodo autem (concludit Interpres) iste fructus triplex deperierit, conquæritur Ioel 1 *Vinea confusa est*. *Et Ficus elanguit*. *Et Malum granatum aruit*.

Sed vua passa, nõ acerba

Vt autem reuiuisceret denuò suo tempore, in quo his idem triplex fructus in maiori parte perierat, cõsultò iudicauit, cælitus edoctus, atque illustratus B. Franciscus (cernens post se tantam multitudinem virorum, ac mulierum ex omni statu, & gradu, Coniugatorum, Continentium, Virginum, Nobilium, & ignobiliũ, Grandium, & Paruulorum) nec viros in Religiosorum sodalitium recipere; nec mulieres intra sanctimonialium claustra recludere. Quare Fratrum, & Sororum Tertium Ordinem de Pœnitentia instituens, illi normam, legemque præscripsit decimoquarto suæ plenæ conuersionis anno, & Virginei partus 1221. vel 1222 immediato, vt aduertit Vadingus tom. 1. Annal 1221. sub num. 13. In isto Ordine Pœnitentium pro conseruatione, & incremento fructuum, centesimi pro Virginibus, sexagesimi pro Continentibus, trigesimi pro Coniugatis vtriusque sexus omne genus, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum, facillimè, & sub suaui iugo, sub propriis tectis, propria gaudens hæreditate aggregauit, vt Deo, prout ardenter optabat inseruiret. Eumque suis statutis firmauit, legibus muniuit, & propria Regula corroborauit.

Coniugatis, continentibus, virginibus scripsit legẽ Franc. in tertio ordine de Pœnitentia.

Verum de origine Legis, & Regulæ Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia quoad eius Legislatoris personam putant haud pauci ex nostratibus eam, quam concinnatam Tertiariis asserunt, minimè tradidisse S. P. Franciscuum; sed potius Romanũ Pontificẽ Nicolaum Quartum (non Tertiũ, vt perperam Sedulius in principio adnotationum ad vitam D. Elisabethæ) licet Vir sanctus iisdẽ Tertiariis quædam præscripserit statuta. Vide hos opinatores apud Vadingum in 2. Opusculorum tomo, ad argumentum Regulæ Tertiariorum, vbi ad §. 3. post illorum memorationem subdit suam sententiam, innixus non infirmo testimonio, sic vocat Hieronymum à Sorbo, ita testãte in suis adnotationibus apud compendium. Quoad hanc materiam Tertiariorum (inquit Sorbus) duæ reperiuntur Regulæ. Vna facta à Seraphico Patre Francisco, à Nicolao IV. approbata. Altera Leobis X. pro iis Tertiariis, qui Regularem profitentur vitam in Monasteriis. At rationes aliæ, quas statim affert post argumentum Sorbonicũ, euidentiores sunt, Vide eas ad finem huius operis sectione 4. in qua per extensum Regula Tertiariorum rescriptam inuenies.

Duæ sententiæ inter se aduersæ circa Legislatorem Ord. Pœnitentiũ.

Beatus Bernardinus de Bustis istam veritatem adeò certam, compertamque asseruit, vt in part. 2. Rosar. sermon. 26. quoad primam hanc thesim, sic protulerit. *Dico, quod huius Regulæ Inuentores non fuerunt Fratres Minores, non aliquis Episcopus, non Doctor, non Congregatio aliqua; sed Seraphicus Franciscus, Spiritu Sancto prædocente, eam instituit*. Vide plures alios Testes tam ex nostris, quam ex alienis; & ex alienis Dionysium Carthusianum; ex nostris B. Capistranum apud eundem Vadingum loco citato. Et quod magis conuincit, vide Formam Voti, ab vnoquoq; Professore huiusce Legis emissi, sub his verbis. Ego Frater N. vel Soror N. voueo &c. seruare mandata Dei toto tempore vitæ meæ, & satisfacere, vt conuenit, transgressionibus contra Regulam, & viuendi modum tertii Ordinis de Pœnitentia, *institutam per B. Franciscum, & per D. Nicolaum IV. confirmatam*.

Sententia negatiua refellitur vt planè improbabilis.

Forma voti, quod solemniter emittunt fratres, aut soror. de pœnitentia.

Hanc formam professionis, in qua Confrater, vel Consoror solemniter testatur B. Franciscum auctorem esse Regulæ, Papam vero Nicolaum IV. approbatorẽ, vel confirmatorem tantum; habes apud firmamentum trium Ordinum; parte 5. tract. 2. fol. mihi 4. col. 3. vbi etiam eandẽ profitendi formam subnectitur Idiomate

Galli-

Gallico, quomodo rescripsit Vadingus loco citato, qui vt rem hanc irrefragabilem auctoritate Summorum Pontificum demonstret, prout verè est, hæc pauca annectit. Imò & expressè hoc habet Leo X, in Bulla Inter cætera pro Tertiariis in congregatione viuentibus. Et pluries ait illam à Francisco editam, & à Nicolao confirmatam, & approbatam. Quod & asserit Laertius Cherub. ad Constitut. Nicolai IV. & 42. Leonis X. Idem cæteris clarius sæpius affirmat Clem. VIII. Cõstit. *Ad vberes fructus*, facile tamen crediderim, aduertit Vadingus, Nicolaum IV. quædam ex suis inseruisse, aliquidue pro temporis, & ipsius Ordinis ratione immutasse: quorum vtrumque ipse Nicolaus insinuauit nõ obscurè in Bulla *Vnigenitus*, quam refert Antonius de Sillis tom. 2. pag. 7.

Legislatorē Tertii Ord. fuisse Fräc. testantur Põtifices.

Primus Tertii Ordinis de Pœnitentia confrater, & illius legis professor, quem ante alios receperit Franciscus, fuit B. Luchesius, de quo inferius. Quotquot huius Ordinis profitentur legem, à numero, vel ordine eius, & relatione ad alios duos, Tertiarii communiter dicuntur. Licet eorum lex scripto præcesserit annis duobus Diuæ Claræ Regulam, quæ verbotenus, & in parte prior extitit, vt tactum est supra, & expressius suo loco dicemus. A Diuo Antonino 3. par. Histor. tit. 3. cap. 2. in principio, *Pinzochori* dicuntur. Ab aliis *Pinzochori, & Mantellati* etiam nuncupantur. Verum propriato, & honesto imposito nomine (sub quo Ordo cum eius viuendi norma à Nicolao IV. & aliis Pontificibus fuit approbatus, & quo eos vocari iussit Clemens VII. citatus) à Beato Francisco Institutore, & Legislatore æquius, vel rectius appellantur *Fratres, vel Sorores de Pœnitentia*.

Primus in Ord. & lege pœnitētium, B. Lucher. de quo infra

Nomen proprium, & honestius, qd impofuit Fran. Tertii Ord. profes. soribus

Quilibet, vel quælibet legem Pęnitentium verè profitens ore, & corde, dicit cum Iob cap. 13. *Lacero carnes meas dentibus meis.* Vbi Interpres noster in sermone Dom. 12. post Trinit. *Verba sunt verè pænitentis. Carnes, idest carnalitates lacero dentibus, scilicet reprehensionibus meis. Pænitentiam ago.* Et paulò infra. *Pænitentia dicta quasi punientia. Eo quod ipse homo in se punit pænitendo, quod malè admisit. Pænitentia nomen sumpsit à pæna, qua anima cruciatur, & caro mortificatur.*

CAPVT II.

Legislationis Fratrum, Sororumque Tertij Ordinis de Pænitentia quantitas iuxta seriem titulorum, quos capitibus xx. præfixit Euangelicus Legislator Franciscus.

F*Ructus terræ tuæ, & labores tuos comedat populus, quem ignoras*, Deuter. 28. Quod ita explicat Doctor noster in ser. 4. citato de Apostolis, alloquens verbi Dei præcones. Qui vult, vt fructum referat de Aegypto, necesse est, vt fructus de terra Chanaan secum ferat, quem Iacob filiis suis ferre consuluit, Gen. 45. *Sumite*, inquit, *de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera. Modicum rhesinæ, & mellis, & storacis, stactes, & therebinthi. Nota* (sequitur statim Interpr.) *sunt boni fructus*, scilicet pœnitentiæ commissorum vitiorum. *Sunt meliores*, scilicet Charitatis in exercitio virtutum. *Sunt optimi* in contemplatione cælestium. Hæc ille. Explicans autem mysticum intellectum illorum quinque fructuum, quos enumerauit Iacob, ad eos reducit cuncta præfati triplicis generis fructuũ suauitas, & perfectio, in hunc modum.

Triplex fructuum spirituali ũ genus in Dei præconibus.

1 Fructus autem exprimitur, cum dicitur, *modicum rhesinæ*, hoc est *Pænitentiæ*, quæ quamuis sit amara, est tamen duratione modica, 2. Corinth. 4. & Rom. 8. Rhesinam ferebat Apostolus, 1. Corint. 9.

Fructus pœnitentiæ sub simbolo rhesinæ.

2 *Et mellis*, per quod signatur *Affabilitas*, vt si Prædicator sit austerus sibi, sit tamen effabilis aliis. Vnde si *manus eius sunt Esau*, idest operationes eius in se asperæ; *vox tamen sit Iacob*, idest Lenis. Cant. 4. Mel, & lac sub lingua tua.

Mel pro fructu affabilitatis.

3 Et *Storacis*, per quam *Compassio*, 2. Corinth. 11. Iob 26.

Storax pro cõpassione.

4 *Et stactes*, stactes est *fama bona* ad proximum, quia duplex eius genus, & vtrumque odoriferum, 2. Corinth. 2.

Stactes pro fama bona.

5 Et *Therebinthi*, quæ est *oratio* ad Dominum, vt in cõtemplatione hauriat. Eccles. 24. *Qui autem* (claudit Interpres paulò infra) *hos fructus secum habet, securè potest descendere in Aegyptum ad emendum frumentum, quia fructus vacuus non redibit.* Id totum probat exemplũ præconis Dei Francisci, Deique Beniamini, cuius intuitu omne frumentum gratis elargitum, per triplicem Legem, ab eo institutam, sufficiens erat, vt fames totius Ecclesiæ repararetur.

Terebintus pro oratione.

Habuit vir sanctus Franciscus, secumq. detulit *modicum thesina* in maximæ suæ *pœnitentiæ* amaritudine, quæ modica fuit respectu præmii, quod supra modum in sublimitate illius sedis, vnde corruerat Lucifer, æternum gloriæ pondus in eo operatum est. Detulit etiam Apostolicæ affabilitatis *mel*. Euangelicæ compassionis *florax*. Vtriusque famæ *flactem*. Sublimissimæque, ac Seraphicæ orationis, & contemplationis *Terebinthum*. Talem se exhibens, quibus legem de pœnitentia scripsit, tradiditque, & fructus bonos, & fructus meliores, & fructus optimos largitus est. Nam id triplex fructuum genus plures ex professoribus egregia imitatione produxerunt.

In Frãc. Dei precone hi quinque fructus mirabiles.

Tituli viginti breuissimorum capitum Regulæ, ex cuius obseruantia præfatos Francisci fructus in omni ætate sancta varietate gustauit Ecclesia, sic ordinantur à Vadingo locis citatis Opusculorum, & Annalium, ibi tomo 2. hic tomo 1. locis præfatis . .

Series Titulorũ cap. 20. Reg. Tertii Ordinis.

1 De modo examinandi volentes intrare Ordinem.
2 De forma recipiendi volentes intrare Ordinem.
3 De forma habitus, & qualitate indumentorum.
4 Quod non vadant ad inhonesta cõuiuia, & spectacula, & quod histrionibus non dent.
5 De Abstinentia, & Ieiunio.
6 Quotiens debent confiteri per annum, & sumere Corpus Christi.
7 Quod non ferant arma impugnationis.
8 De dicendis Horis Canonicis.
9 Quod omnes, qui de iure possunt, faciant testamentum.
10 De pace reformanda inter Fratres, & alios extraneos.
11 Quando molestantur contra ius, aut eorum priuilegia.
12 Quod caueant, in quãtum possunt, à iuramentis solemnibus.
13 De audienda Missa, & congregatione facienda.
14 D Fratribus infirmis, & defunctis.
15 De Ministris.
16 De visitatione, & correptione delinquentium.
17 De vitandis litigiis inter se, & cum aliis.
18 Qualiter, & per quos abstinentiis possit dispensari.
10 Quod Ministri eorum manifestas culpas denuncient Visitatori.
20 Qualiter in prædictis nemo obligetur ad culpam mortalem.

Hæc digna lex suo loco integrè tradenda.

Inceptio Ordinis, cui scripta, & tradita à Francisco Regula in Oppido Cannariæ ad Vmbrios, sed Legis fortè apud Etruscos, apud quos quatuor primi Discipuli ab ipso Francisco recepti, cuncti Beati fuerunt, vt infra dicemus. Quare Vadingus ad eundem annum 1221. 9. vltimo hæc habet, postquam locutus est de B. Luchesio, & eius vxore. Præter hos pios Coniuges, admisit ad nouum sodalitium Sanctus Pater, Petrum de Colle, Brunam quondam, ac Martolensem alium, quampluresq. vicinorum Oppidorum, & Vallis Elsæ incolas viros pios, ad quorum preces, & instantiam hoc anno, vel sequenti, quam subiicimus eis præscripsit Regulam licet aliquantulum auctam, & mutatam per Nicolaum IV. Minoritam sanctissimum, eiusdem Regulæ confirmatorem, &c.

Qui scripta, ac tradita Pœnitẽtium lex.

Quod spectat ad arcanum numeri 20. sub quo cuncta huius mirandæ legis, à B. Francisco, Spiritu Sancto prædocente, scriptæ, ac latæ, illud habemus ex Interprete nostro sub egregium intellectum. Ipse namque super illud 1. Corinth. 9. *Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauiũ,* ponit numerum vigesimum inter numeros centesimum, & quinarium. Eius verba ad finem serm. Dom. Septuag. sunt ista. *Stadium est octaua pars militarij, constans passibus 100. & 25. In hoc numero omnis perfectio diuini amoris designatur. In centenario, qui numerus est perfectus, doctrina euangelica. In vigesimo Decalogi decem præcepta, quæ literaliter, & spiritualiter sunt adimplenda. In quinque sensuum delectatio refrenanda intelligitur. Qui in tali stadio currit, brauium, idest remunerationem coronæ incorruptibilis accipit, de qua Apoc.* 2. Dabo tibi (*inquit Dominus*) coronam vitæ, &c.

Huius vigesimi numeri in 20. cap. regulæ Tertiariorum arcanum.

Numerus 20 nexus est inter centenarium, & quinarium in stadio virtutis.

Numerus ergo vigesimus misticè ostẽdit duplicem obseruantiam decem mandatorum Decalogi, nimirum literalem, & spiritualem. Hanc in tota lege Fratrum, & Sororum de Pœnitentia monitis, & documentis Euangelicis, & Apostolicis sub viginti capitibus ad exactiorem formam reduxit Franciscus. Ostenditque pariter vtrumque nexũ esse indissolubile, ligantem sibi numeros centenarium, & quinarium, illum ob diuini amoris perfectionem, ad quem obseruantia talis Regulæ reducit. Hunc, quia eadem Regula ad refrænandam potissimum quinque sensuum delectationẽ instituta est. Quisquis ergo in stadio Ordinis de Pœnitentia, quem profitetur, virtuosè currit, studet amare perfectè Deum, & sub præfata duplici Decalogi obseruantia vincere

Ligat enim perfectionẽ amori Dei cum quinq; sensuũ mortificatione.

cere sensualitatem, brauiumque incorruptibilis remunerationis consequi.

Et sicut sub numero vigesimo Religio, & Legislatio Tertiariorum medium est, vniens sibi perfectionem diuini amoris, sensuumque mortificationem: ita pariter Ecclesiæ medium cum Interprete nostro eam nuncupare possumus *In medio Ecclesiæ aperuit os eius*, Eccles. 15. Vbi sic pulchrè Interpres, ac si Religionem, & Regulam Pœnitentium, singulorumque vtriusque personas respiceret, in serm. 1. de Euangelistis, vt alias dictum. *Moraliter medium Ecclesiæ est Religio. In Religione aperuit Deus ora Religiosorum ad quatuor. Primò ad peccatorum confessionem. Secundò ad deuotam orationem. Tertiò ad malorum correptionem. Quartò ad bonorum exhortationem*. Vnde, inquit, secundum hæc os communiter aperitur, scilicet ad superflua eiicienda. Ad spiritum emittendum, & trahendum.

Medium Ecclesiæ est Religio, & Regula Tertiariorum.

1 *Superflua eiicit*, qui peccata purè confitetur. Ierem. 15. *Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris*.

2 *Spiritum emittit, & retrahit*, qui deuotè Dominum orat; scilicet spiritum superbiæ emittendo à se, & sic attrahit spiritum gratiæ. Psalm. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum, &c.*

Quatuor oris proprietates quid denotent.

4 *Comedit*, qui peccata proximi reprehendit ex charitate, & sic eum in corpus Sanctæ Ecclesiæ immitti. Oseæ 4. *Peccata populi mei comedent, &c.*

4 *Loquitur*, qui in bono proximum roborat, & in aduersis consolatur. Blandè enim loquendo, plurimum excitat ad perficiendum. Eccl. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*.

Tale medium longè ante cōstituerunt primi illi disciplinæ christianæ Magistri, de quibus Tertullianus Apolog. aduersus gentes cap. 38. *Et fidei vnitate, & spei fœdere coibant in Cælum, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambirent orantes. In congregatione præsidebat probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti (neque enim pretio vlla res Dei constat) qui mores omnium formabant. Penes hos adhibitis sua fidei testibus arca erat communis, in quam modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cum vellet, etsi modo vellet, & si modo posset apponebat. Pietati exercenda hæc erant deposita; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensabatur, sed egenis humandis, alendisue, & pueris, ac puellis, ne ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, & si quis in insulis, vel in custodijs dumtaxat ex causa fidei alumni confessionis catholicæ fiebant, &c.* Sicut illi primi Christianæ disciplinæ Magistri per illam congregationem aperuerunt os in medio Ecclesiæ, & medium Ecclesiæ se constituerunt per ea exercitia; sic etiam & primi quoque Confratres sub Lege Tertiariorum, qui teste Mariano ex collectis pietatis stipendiis Xenodochium ad Vrbis munus construxerunt infirmis, nudis, & senibus fouendis, de quo Vadingus citatus num. 13.

Primi christianæ disciplinæ in primæua Ecclesia Magistri.

Magna sunt Ordinis Tertiariorum priuilegia, & indulta, prærogatiuæ quamplurimæ, egregiaque encomia. Sub eius Lege innumeri Sancti, & Sanctæ, quorum multi Diuorum albo sunt adscripti, militant. Horum vitas habes partim apud Sedulium in sua Historia Seraphica, partim in Chronicis Minorum, apud Vadingum, & alios. Huiusce Legis argumentum hoc vno comprehenditur, quatenus eius professores sanctè, & catholicè vitam componant sub illo capitum numero vicenario per duplicem Decalogi obseruantiam, vt diximus, Dei mandata, aliaque leuiuscula obseruantes. Sub ista Regula, ex multis circumstantiis inclita, hac nostra ætate plurimi militant Principes, Cardinales, & Prælati. Itaut solum in Carpentana Hispaniæ, Mantua, seu Madrito Curia Regis Catholici, qui & ipse Tertiarius est, sexagesimum excedant numerum Domini titulares, & Magni Principes sub ea degentes. De ea plura prædixit Abbas Ioachinus, & magni scripserunt auctores, &c. Hæc ex Vadingo cit. At in posteriori sequenti tomo circa Ordinem, & Regulam Tertiariorum multò plura digna scitu annectenda.

Lex Tertiariorum ex plurib. multa laude digna.

†



CAPVT III.

Primi sub Lege Tertij Ordinis de Pœnitentia anno eodem 1221. & sequenti, ab ipso Legislatore immediatè recepti, panegiricè enarrantur, quibus omnibus seu commune Hieroglíphicum

ARCVS, ET PHARETRA.

Arma pœnitentis, pharetra, & arcus.

TOlle arma tua, pharetram, & arcum, & affer mihi de venatione tua, vt comedam, & benedicat tibi anima mea. Gen.27. Intellectus misticus huius sententiæ est huiusmodi apud Doctorem nostrum in serm.Dom.2.Quadrag. Arma Pœnitentis sunt pharetra, & arcus. Sagittæ in pharetra sunt punctiones, & dolores contritionis in corde, de quibus Iob 6. *Sagittæ Domini in me sunt, quare indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me*. Sagittæ Domini sunt, inquit Doctor, cordis compunctiones, quibus misericorditer vulnerat cor peccatoris, vt contra seipsum de peccato indignans, spiritum superbiæ humiliet. Et hoc est, quod subiungitur. *Quare indignatio ebibit*, idest consumit *spiritum meum*, scilicet superbiam meam. Et pauló infra hæc alia.

Arcus confessionis, in quo sūt quatuor,

Et vide quam propriè arcus cōfessionem significet. In arcu confessionis sunt quatuor, scilicet cornua flexibilia, medium durum, & inflexibile, & chorda mollis, per quam ipsa cornua flectuntur. Similiter in confessione debent esse quatuor.

1. 2. *Duo cornua* confessionis sunt dolor de peccatis præteritis; & timor de pœnis æternis.

3 *Medium durum*, & inflexibile, est firmum propositum, quod debet habere pœnitens, ne vltra reuertatur ad vomitum.

4 *Chorda mollis* est spes veniæ, quæ verè illa duo cornua doloris, & timoris à sua rigiditate flectit. *Ex tali arcu emittuntur sagittæ potentis acutæ, &c.*

Confratrū; & sororum de pœnitētia hieroglificū

Sorores, & Fratres de Pœnitentia profitentes Regulam, quam ipse Franciscus omnis pœnitentiæ decus, & exemplum immediatè instituit, arma, & insignia explicant, quibus venatio spiritualis in campo Ecclesiæ exercetur; de qua venatione idem Interpres noster loco citato statim. *Arma Pœnitentiæ sunt pharetra, & arcus*, &c. A pœnitentia vt virtute, dum tales fratres, & sorores dicuntur, ad sacramentalem pœnitentiam ter in anno obligantur, vt habetur in cap.6. Regulæ. Sub huius stemmatis, armorumque hierogliphico ex pluribus, quos tangit suppresso nomine Vadingus, quosque ipse Legislator Franciscus recepit, eisque legem tulit, quatuor beatos Confessores, quos in præsentiarum memorabimus, iuxta præfata illa quatuor, quæ in arcu pœnitentiæ debent esse, enumerabimus: Et quintum etiam, licet non tanta sanctitate excelluerit, vt ex hoc quinario numero, ipsi Legislatori immediatè sacro, misticum quinarium Pentateuchi in regula Ordinis pœnitentium contentum contemplemur. *Illa Baptismalis innocentia*, qua secundum hominem regeneramur, quæquæ per *Librum Genesis* figuratur: *illa Religionis pietas*, qua de mundo egredimus, & per *Exodum* intelligi potest; nonne in lege Francisci confratribus, & sororibus de Pœnitentia scripta ad egregiorum renouationem, & feliciorē egressionem de mundo reducuntur? *Leuiticus* ille, in quo mentis deuotionem, & carnis afflictionem (sicut in libro *Numerorum* criminum confessionem, & in *Deuteronomio*, Dei, & proximi dilectionem, quæ est lex Euangelica, in qua pendent lex, & Prophetæ, intelligit Doctor noster, vt alibi dictum est) nonne inclita synopsi in Regula Tertiariorum extat, quæ easdem virtutes, quibus floruerunt confratres modo conscribendi, præcipit, & inculcat? Sed B. Bonadonna B.Luchesii coniux, ac Ordinis Primiceria, & Bartolensis alius sub septenario numero legem Tertiariorum, qua in septem articulis fidei, de quibus Interpres noster serm.2.Dom.8. post Trin. sanctissimè proficierunt, sub septiformi Spiritu Sancti gratia, septem sportis Euangelicis ab eodem in viris iustis Dominica 8. post Trinitatem comparatam, scriptam, & latam fuisse indigitant. Demum enumerandi nonnulli alii, quos ipse Seraphicus Vir Legislatorque recepit, quorūq; nomina historicis innotuerunt.

Misticū quodam, brueq; pentateucū in legislatione Tertiariorum,

†

PANE-

PANEGIRICVS I.

Triumphus trium Principum de quinque Principibus.

Primogeniti Legislatoris Francisci in Ordine de Pœnitentia duo felicissimi Coniuges, S. Luchesius Etruscus, & Beata Bonadonna, eius Vxor.

VNa die hos Beatos Coniuges Ecclesiastici Matrimonii ligamen iunxit in terris, & vna quoq; die, & vno tempore eos simul sustulit è terris, vt in Cælis simul etiam æterna pace consociarentur. Nam B. Bonadonna eodem die, quo sanctissimè vir eius mortuus est, infirmata est ad mortem, atque ad vitam immortalem sublata. *Et alius dixit vxorē duxi, ideo non possum venire,* Lucæ 14. Vbi Interpres noster serm. Dom. 3. post Trin. Multos non matrimonium, sed abusus matrimonii abducit, & retrahit à Cœna Domini. Nam non propter prolis fœcunditatem, sed propter carnis desideria contrahunt matrimonia. Vnde notandum, quod tribus de causis debet vxor duci.

1 *Pro prole creanda.* Gen. 1. Crescite, & multiplicamini, &c.

Tribus de causis nubendum.

2 *Causa adiutorij.* Gen. 2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus adiutorium simile sibi.

3 *Causa incontinentiæ.* Nubat enim in Domino. Qui alia de causa duxit vxorem, væ illi.

Notandum, subdit, quod in hoc loco *per vxorem carnis luxuria designatur,* quam non emisse, sed duxisse dicitur. Quoniam vnusquisque peccator peccatum carnale ab exordio suæ natiuitatis secum traduxit. Sed quare duo primi rogauerunt excusationem, tertius vero non: *Ad quod dicitur, quod voluptas carnis ita detinet hominem in delicijs, quod nec ad delicias æternas venire desiderat, nec excusari curat. Et per hoc patet, quod Deum non diliget, qui precibus Patrum veteris Testamenti ad desponsandum sibi naturam humanam inuitatus, benignè descendit.* Hæc Interpres. Ex quibus patet peregrina sors, summaq; duorū beatorum consortium felicitas, quos nec matrimonii carnalis commoditas, nec carnis voluptas circa sensualia, ac bona temporalia potuerunt eos adeò retinere, vt responderent singuli Christo per Franciscum, eos demum vocanti ad egregia pœnitentiæ facinora, *vxorem, vel viā duxi, ideo non possum venire.*

Carnis voluptas vxor misticè.

Cuius fuerit Beatus vir Luchesius, cuius professionis cum Beata Bonadonna eius vxore, quæue amborum vita, obitusque nunc in præsenti historia breui percontandum, expendendumque. De vtroque Vadingus sub num. 14. præfati anni 1221. in hunc modum. Instituta Congregatione Pœnitentium, vir sanctus venit in villam Gagiani, nō longè ab oppido Podii Bonantis, aliis Bonitii (vulgò Poggibōzi) olim Imperialis dicti, prope Aciem S. Petri ad *Elsam fluuium,* &c. Gonzaga in Prouincia Tusciæ ad Conu. 6. cui tit. de Conuentu B. Luchesii prope Podium Bonitium. Euntibus, ait, Florentia Senas in ipsa ferè media via oppidum occurrit Bonitii podium, &c. Ibi occurrit ei Luchesius (à Sancto Cassano iuxta alios) humilis, olim, & auarus Mercator, Guelphæ factionis & intrepidus sectator. A quibusdam iam mensibus vitam mutauerat in meliorem, & ad piè, christianèq. viuendū induxerat *Bonamdonnam* suam Consortē, &c. In serie Conuentuum Prou. Tusciæ de Obseru. decimus ita hodie intitulatur, S. Luchesii prope oppidum Podibonitii, Collensis Diœcesis. Vide tom. 2. Hierar. fol. 441. Dum audis Luchesiii professionem, à vili auaritia in humili mercatura irretiti, diu ipsum respondisse inspiranti, Deo. *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa,* habes ex Interprete nostro loco citato paulò superius. *Iuga quinque boū emit, qui in felici commercio, sapore amoris diuini contempto, se quinque sensuum delectationi infelici subijcit miserabili seruitute. Vtinam tolleret homo super se iugum Domini suaue, & non Diaboli.*

B. Luchesii patria.

Occurrit Fran. Luchesius iā antea auarus mercator.

Conuertit vxorem suā Luchesius.

Quid est iugorū boum quinque emptio.

Huic infelici commercio vilius, miserabiliusque se subiiciunt mercatores vsurarii, qui ipsi verè boues sunt, vt superius diximus cum Interprete nostro ex serm. fer. 3. Dom. 4. in princip. *Iratus Pater familias, dixit seruo suo. Exi citò in plateas, & vicos Ciuitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Vbi ita Interpres loco citato admonens. Per hæc quatuor genera hominum, quatuor vitia, quibus irretiti sunt, significantur. *Auarus est pauper, qui non pecuniæ, sed ipsi pecunia imperat. Non possessor est, sed possessus. Qui cum multa habeat, parum se credit habere.* Vnde Philosophus. *Cui sua non videntur amplissima, etiam si Dominus totius mundi sit, miser est.* Reliqua alia tria vitia vide ibi. Conclusio autem est hæc. Illos quatuor peccatores *in plateis,* idest carnis voluptate, *& vicis,* idest mundi vanitate deten-

Mercatores infelici commercio subiecti.

Auarus est in suis diuitiis pauperrimus.

detentos misericors Dominus, & Pater Sanctæ Ecclesiæ *vocat ad cœnam cælestis patriæ*. Nota etiam, quod tertiò dicitur seruo. *Exi in vias, & sapes, & compelle intrare, &c.* Per hos, ait, qui compelluntur intrare, signantur illi, qui per flagella, & aduersitates compelluntur intrare ad cęnam Domini.

Maior vis gratiæ Dei in vocatione Luchesii, quam Fran.

Mercator erat Franciscus, iam primus effectus in Legislatione Ordinis Minorũ. Compulit illum intrare Christus ad cęnã Ecclesiæ, vt eam repararet. Compulit etiã intrare Luchesium (maior vis Dei vocantis cum Luchesio auaro, & parum pio, quam cum Francisco liberali, ac piissimo Mercatore) vt ipse etiam primus esset in amplectendo exactissimè legẽ Tertiariorum, imitando in spirituali Congregatione negotiationem Francisci omnibus viribus suis. Hic Bos, in auara mercatura macilentissimus, iuga quinque boum proiecit, factus in pœnitẽtia ex malo negotiatore bonus negotiator, intrepidusq. indefessusq. sectator, non amplius Guelfę factionis, sed Seraphicæ perfectionis Frãcisci. Docet namq. Interpres noster Do. 2. in Quadrag.

Quæ animæ pœnitentis negotiatio.

Negotiatio animæ pœnitentis, est mundum contemnere, carnem affligere, peccata præterita deflere, & iterũ flenda non committere. Et super illud de Muliere forti, *Gustauit, & vidit quoniam bona est negotiatio eius*. Prou. 31. serm. 2. Domin. 1. Quadrag. hæc alia. Gustauit, & vidit mulier fortis, idest Anima, tunc enim gustat, cum dulcedinẽ cælestis gloriæ sentit sano palato, pro cuius amore *regnum mundi, & ornatum sæculi contempsit*. Et sic processu temporis oculo illuminatæ mentis vidit, & intelligit, quod bona est negotiatio eius, *vendere scilicet omnia, quæ habet, & dare pauperibus, vt nudus nudum sequatur Iesum*.

Quæ bona negotiatio in B. Luchesio mercatore.

Verum hæc aliàs. Sed hic repetita, quia omnem imaginem conuersionis Luchesii, & vitæ eius sanctitatem exprimunt. In quinque iugis boum ita postea se gessit Luchesius, adhærens Frãcisco (vt statim historicè dicemus) sicut explicat Interpres super illud supra adductum. *Iuga boum emi quinque*. Inquit enim. *Quinque iuga sunt quinque corporis sensus. Sicut enim boues in iugo conbinantur, ita duo instrumenta sensus nobis seruiunt*.

Corporis sẽsus sunt quinque iuga boum.

Duæ enim, subdit, sunt aures, duo oculi, duæ nares. In gustu etiam sunt duo instrumenta, lingua, & palatum; in tactu duæ manus. *Isti sunt decem Principes*, de quibus Ecclesi. cap. 7. *Sapientia confortauit sapientem super decem Principes Ciuitatum*.

Sunt & decẽ principes

Sapientia, inquit, est amor, & contẽplatio Dei, qui confortat sapiẽtem, idest animã, quæ amoris saporem degustat super decem Principes Ciuitatis, *idest super omnẽ delectationem quinque sensuum corporis. Illa enim verè satiat; ista tamen totum euacuat. Illa indulcat, ista amaricat. Qui illi seruit liber est. Qui isti, miser, & seruus*.

Quomodo illi postea inseruierit Beatus Luchesius, iam cum sua vxore effectus (& maximè post accessum ad Beatũ Franciscum) ex seruo liber, & ex malo bono, & ex bono meliori, immò & optimo negotiatore, nunc consequenter videdum. Erat iam, subdit historia Vadinghi, erga pauperes liberalis, erga miseros cõpassiuus, in Xenodochiis infirmorum curam agebat, peregrinos hospitio excipiebat. His virtutum exercitiis iam aliquantum in rebus cælestibus instructus, à Francisco petierat amplius edoceri, sibi, suæq. Consorti ostendit *viam bonam, per quam ambularent securè*.

Accessus B. Luchesii cũ sua vxore ad Franc.

Hæc Annalista; quibus adde, hisce apostolicis præambulis ad imitandum in bona Regni cęlestis negotiatione optimum negotiatorem Franciscum, qui ab his penè incepit, *vt Homini negotiatori, quærenti bonas margaritas* assimilaretur; inceperat *Luchesius*. Gustauit, & vidit, quoniam bona est negotiatio eius. Et quia gustauerat in hac tam diuina negotiatione, licet nondum plenè, sentiebatq. sano palato cælestis gloriæ dulcedinem, pro cuius honore regnum mũdi, & omnem ornatum sæculi contemni inceperat; petiit meritò à Francisco amplius edoceri cum Coniuge sua Bonadonna, vt securius ambularet, transiens à via incipientium ad viam proficientium, & ab hac ad perfectorum viam.

His Franc. præscripsit formam viuendi orętenus, & reapse indumẽti

Paulò ante (sequitur Vadingus) se cogitasse cõmonuit vir sanctus de tertio illo Ordine instituendo: in quo coniugati Deo perfectè possent inseruire: neque quicquam sibi tunc visum consultius, quã vt illum assumerent. Seriò de hac re colloquentibus, normam viuendi, & genus indumenti petentibus, præscripsit vestem cineream modestam, & cingulum nodosum, formulasque quasdam verbotenus tradidit, donec Regulam quamcitius cõpilaret, &c. Simile est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo, &c. Matth. 21. Ex quo textu deducit Interpres noster in serm. Dom. 20. post Trinitatem, tres nuptias, scilicet Vnionis, Iustificationis, Glorificationis.

Triplex genus nuptiarũ spiritualiũ.

1 *Nuptiæ celebratæ*, ait, fuerunt in templo vteri Beatæ Virginis, quando Pater misit Filium suum, qui in thalamo Beatæ Virginis sibi nostram naturam vniuit, & tunc fecit nuptias Filio suo.

2 *Nuptiæ* celebrantur cum adueniẽte Spiritus Sancti gratia peccatrix conuertitur

titur anima, &c. Et infra post enarratam animæ conuersionem, è cuius ore aufert Dominus tria vitia principalia, scilicet Superbiæ, Gulæ, & Luxuriæ, hæc pauca alia. Quasi sit Sponsus (Spiritus Sanctus) cum Sponsa (Anima) in thalamo conscientiæ puræ. Hæc sunt Nuptiæ pœnitentiæ.

3 *Nuptiæ* celebrantur in die Iudicii, adueniente Sponso Iesu Christo, de quo Matth.25. *Ecce Sponsus venit, exite obuiam ei, &c.* Et post nonnulla alia, ad maiorem illius argumenti enucleationem, subdit & ista etiam super particulam, *Illi autem neglexerunt, &c.* Ad harum trium nuptiarum conuiuium pauci sunt, aut nulli sunt qui veniant. *Paupertatem enim, & humilitatem Dominicæ Incarnationis abhorrent. Asperitatem pœnitentiæ formidant. Cælestis mensæ conuiuium non desiderant. Temporalibus ardenter inhærent.* Vnde sequitur textus, *neglexerunt, & abierunt alius in villam, &c.* Ibi Glossa. *In villam ire, est terreno labori immoderatè insistere. Negotiari verò terrenis lucris inhiare.* Vide alibi.

Qui ad harū nuptiarū ire negligant.

Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, &c. Nota, quod sicut sunt tres nuptiæ, sic sunt tres vestes nuptiales, scilicet *byssina, polymita, & coccinea.* In primis nuptiis necessaria est byssina. In secundis polymita. In tertiis coccinea.

Tres vestes nuptiales.

1 Qui ad nuptias Dominicæ Incarnationis vult intrare, *vestem byssinam, idest castitatis munditiam* necessarium est ipsum habere. Apocal. 19. *Venerunt nuptiæ agni, &c.*

2 Quicumque ad nuptias pœnitentię vult intrare *tunicam polymitam, idest cordis humilitatem* necesse est ipsum habere. Gen. 37. *Israel diligebat Ioseph, &c.* Et infra concludens secundarum nuptiarum vestem. Tali ergo veste polymita debet se induere, qui ad nuptias pœnitentiæ vult intrare, qua si caruerit, audire poterit. *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Amice habitu, Inimice conuersatione, quomodo huc intrasti, scilicet in Religione, nō habens vestem polymitam? Quid detestabilius, & abhominabilius Deo, & hominibus, quam superbia in Religioso?*

Polymita pro nuptiis pœnitentiæ.

Quicumque ad nuptias cælestis gloriæ vult intrare, necesse est ipsum *vestem coccineam, idest Dei, & proximi charitatem habere.* Et post pauca. Hac vestit vos Christus in deliciis puræ conscientiæ, & ornamenta aurea cęterarum virtutum prębet ad decorem vestræ conuersationis. Quicumque sine hac veste in vltimo repertus fuerit, suæ damnationis sententiā suscipiet à Rege. *Tunc dixit Rex ministris, &c.* Hæc Interpres.

Coccinea pro nuptiis cælestis gloriæ.

Coniuges nostri felicissimi, beatique consortes, nupti Ecclesiæ, postea nupti Deo, à quo vocati ad trium prædictarum nuptiarum conuiuium; induti à B. Francisco veluti omnium antesignani, cinerea pœnitentium, ac nuptiali electorū veste, securius vestes illas tres præfatas, nimirū *byssinam castitatis coniugalis, polymitā maioris, ac strictioris pœnitentiæ, coccineam geminæ charitatis* inter se, & exemplo ad proximum suas effecerunt sub perseueranti Dei adiutorio. Acceptarunt normam, & habitum Tertiariorum maiori Dei timore perculsi ob illam sententiam. *Nuptiæ ergo paratæ sunt, sed qui inuitati sunt non fuerunt digni.* Et ideo addit Interpres ibidem. *Veh illis, qui se indignos faciunt, indigna, vilia, & transitoria, idest temporalium stercora amplectentes, &c.* Sicque digniores facti sunt in trium nuptiarum introductionem triplici veste nuptiali induti.

Sub veste cinericia pœnitentium his tribus vestibus induti BB Luches. & eius coniux.

Primos hos (verba sunt Vadinghi) veste hac peregrina donauit, à quibus ad Florentinos, & cæteros forma transiuit, &c. Prima inter opera superna, vix creatum Cœlum, productaque ex nihilo terra, fuit lux, *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux.* Gen.1. Prima hora & primum mane erat, quando exiuit Paterfamilias ad expetendos, ducendosque operarios, vt vineam suam excolerent. Vbi Interpres noster in ea pulcherrima, aureaque catena sex animæ virtutum, sex dierum operibus respondentium, hæc aduertit præcipua. *Vbicumque sunt serui Dei, filij Israel, lux est, dè qua dixit Deus.* Fiat lux, & facta est lux. *Hæc lux est contritio cordis, animam illuminans; Dei cognitionem, suæ propriæ infirmitatis notitiam, boni, & mali discretionem ostendens. Hoc est primum mane, & prima hora, qua exijt Pater familias, idest pœnitens, ad conducendos operarios, ad excolendam vineam suam, sicut dicitur in Euangelio.* Quid egregius, quid peculiarius in præsentiarum, vbi historia Seraphica hos Beatos Coniuges in norma, & habitu Tertiariorum primos fuisse scribit? Hi duo in carne vna, corpore, & spiritu coniugati, alter veluti Pater, & Princeps; alter veluti Mater, & Primiceria, pœnitentes, & pœnitentium familiam antesignana lucem primam horam, primumque mane constituentes, ille viros, hæc mulieres inuitarunt, & allexerunt, vt excolerent succedaneis sæculis sub eorum exemplo *Ordinis Tertiariorum vineam*, illius legem profitendo.

Hi fuerunt primi sub norma, & veste Tertiariorum.

Prima lux, & primum mane quid mistice

Primum inter Reges, quem inuitasset, allexissetque exemplo suo Luchesius, fortè extitit Sanctus Rex Ludouicus, huius nominis in Francico sceptro IX. Hunc enim

enim Principem inter Reges fuisse primũ, qui viam B. Luchesii in lege, & habitu Tertiariorum pœnitentium secutus sit, posset colligi ex eo; quia natus est anno 1215. alii apud Vadingum 1212. quod haud probabile putat Arturus die Augusti 25. Ergo quando Luchesius normam, & vestem tertii Ordinis de Pœnitentia in manus Institutoris, & Legislatoris professus est, erat Rex Aloysius vel annorum nouem cum Vadingo, vel annorum sex cum Arturo. Vxorem duxit inclitus Heros Aloysius ad ann. 1231. in ætate annorum sexdecim, cum esset Tertiarius simul cum Beata Blanca Regina, eius Matre, obiitque Tertiarius sanctissimè post Regni ann. 44. ætatis verò 55. anno Christi 1270. iuxta accuratiorem præfati Arturi obseruationem. Præcessisse alium Principem, Regemque hunc Aloysium in Ordine Pœnitentium, pro comperto nondum legimus, licet coniectari id posset de eius Parente, ac Rege Ludouico VIII. Blancæ præfatæ Tertiariæ Consorte, cuius deuotionem, ac dilectionem erga Sanctum Franciscum, & eius tres Ordines deuotioni, atque dilectioni Reginæ Blācę sibi coniugis inferior non erat; quique eodem anno 1226. quo decessit Seraphicus eorũdem trium Ordinum Institutor, & Legislator, ipse quoque extremum diē feliciter clausit. Vide propè fin. lib. 10. ad cap. postremum.

Primus ordinis pœnitentiũ inter Reges fuit S. Rex Frãciæ Aloysius ix.

Blanca Regina, eiusq; parens fuit etiã Tertiaria.

Tres Principes in propriam custodiam receperunt B. Luchesium cum Coniuge sua, vt fieret dignus Princeps, nimirum primus in Ordine Pœnitentium, ac tribus his Principibus quinque præfatos Principes vinceret, atq. ad sui triumphi currũ vinciret, sine spe amplius insolescendi. *Princeps enim dictus, eo quod primum capiat locum*, explicat Interpres noster serm. Dom. 17. post Trinit. in princip. Sic alibi docuimus cum eodem Interprete ex ser. Dom. 16. Trinit. super cap. 6. Ester illis verbis. *Nota, quod Deus tres Principes homini, vt ipsum custodiant, constituit, scilicet Rationem. Intellectum. Memoriam.* Quorum primus, ait, scilicet Ratio, Equum debet tenere, ne corpus huc, atque illuc discurrat, & per plateas Ciuitatis, idest concordiam fraternitatis ipsum debet ducere, ne aberret, dicendo. O charissimi, *sic honoratur, quem Rex* Iesus Christus *honorare voluerit.* Sub prioris Principis custodia factus Princeps sui ipsius B. Luches. in veste regia pœnitentium, factusque caput, & antesignanus successoribus plus factis quam dictis, in fraternitatis concordia alios traxit ad idem institutum, alloquens eos, *ò charissimi, &c.*

Tres principes in custodiam B. Luchesii.

Sub tanto Principe, ac Duce eosdem tres Principes in suam custodiam meruit *S. Rex Aloysius*, cuius interioris hominis regimen in pluribus regimen *B. Luchesii* imitatum est. Vnde haud mirum, si & exterioris hominis etiam, & totius Regni gubernium, nomine, & re *Christianissimum* ipsi successerit. Nam constituens sibi Regulam, & normam in ordine, ac lege Pœnitentium magnum virum Luchesium in rebus spiritualibus, conditiones, dotesque peregrinas boni Principis adeptus est, vt sub vero Sancti Francisci imitatore, Christum Regem imitaretur, de quo, *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam, & pullum, &c.* Zach. 9 Vbi Interpres noster veluti si ideam Sancti Regis præfati adumbraret, hæc quatuor subdit, loquens de bono Principe, in serm. Dom. 6 Palmarum. *Iste Rex debet esse mansuetus, iustus, Saluator, & pauper. Mansuetus in illata iniuria, & erga subditos. Iustus circa superbos, infundens oleum, & vinum; vel in reddenda vnicuique iustitia sua. Saluator erga pauperes, vel in prædicatione, & oratione. Pauper inter diuitias, vel cordis humilitate, & sui ipsius despectione.*

S. Rex Ludouicus imitator B. Luchesii.

Quatuor boni principis conditiones.

Vide breui, quæ tradidimus de Sancto Rege Galliarum Aloysio, de quo etiam in libro 12. in tomo 1. Hierarch. distinc. 5. fol. 254.

B. BONADONNA ex alia parte Primiceria & ipsa in Ordine, & Lege Pœnitentium, illi Reginę ante innumeras alias egregium exemplum extitit, quam eodē anno suæ professionis 1221. auspicatissimas nuptias celebrauit in ætate annorũ quatuordecim cum Landgrauio Turingiæ Ludouico. Hæc fuit S. Elisabetha, Regina Vngariæ, Ordinis, & Regulæ Tertiariorum Professa, de qua egimus per synopsim loco citato Hierarchiæ ad fol. 281. Hæc Regina, ac Landgrauia sub *Bonadonnæ* ducatu integrã bonitatis causam in sexu muliebri virili constantia amplexa est. *Manum suam misit ad fortia* cum muliere forti B. Bonadonna nostra, & ad illius exemplum misit S. Elisabetha, nec alio modo, nisi eo, quem docet Interpres in serm, Dom. 14. post Trinitatem super illud Iob 22. *Dabit pro terra silicem.* Quasi dicat, inquit, qui firmiter pro posse suo præcepta cūstodit, ad insuperabilē virtutum constantiam transmigrabit. *Silex durus lapis dictus, eo quod exiliat ab eo ignis illuminans, & incendens proximum ad amorem diuinum. De quo silice* Iob 26. Ad silicem extendit manum suam, scilicet, *qui ad virtutum constantiam opera sua mittit.* Prouerb. penult. *Manum suam misit ad fortia.* Sed redeamus ad historiam cum nostro

Imitatrix Bonadonnæ S. Elisabeta Regina Vngariæ.

Constantia mulieris in progressu virtutis, silici comparãda.

nostro Annalista, quem sequi proposui-mus.

Mirum quam ingens in breui tempore *Luchesij* in virtute profectus. Tardior ad cælestia, & altius terrenis infixa *Bonadonna*, pro fœminarum conditione auarior, humanè, & timidè prospiciens egestati futuræ. Velut altera *Anna Tobiæ Marito molesta*, impediebat aliquando charitatis officia; nec peregrinis adeò liberaliter rem familiarem volebat impendi, &c. Timor ille in Bonadonna circa egestatem erat timor ille nocturnus, de quo Psalmista, & cum eo Interpres noster alibi datus. *Timor nocturnus est tentatio Diaboli futurorum occulta.* Quam tētationem vt cælestis gratia à Bonadonna expelleret, ventum est admiraculum. Sic ex paruula spiritu effecta deinde est pectore magnanima. Ait enim Doctor noster ser. Dom. 14. post Trinit. *Paruulus est, qui appetit terrena, magnus qui æterna.* Patet ex sequentibus.

Timor muliebris in Bonadonna.

Accidit (inquit Annalista) vt pauperes multi, & peregrini ad ostium eleemosynam pro more expectarent, quibus cū ille panem omnem, quem Domi habebat distribueret, superuenerunt alii, pro quibus dum apud Vxorem intercederet, vt quidpiam eis erogaretur, indignata prorupit in Viri contumelias, &c. Patienter tulit ille vxoris iniurias, humiliterque rogauit, vt conuicia mitteret, fidenterque panis reconditorium lustraret, recordata illius potentiæ, *qui ex paucis panibus, & pisciculis multa hominum millia satiauit.* Ita fecit, recentesque multos inuenit panes, quibus abundè pauperum releuauit esuriem. Nullus deinceps *Bonadonna* solicitior in pauperibus alendis, & miseris refouendis. Nec amplius in virtutis studio currenti opus fuit adhibere calcaria; quę sponte, & vltrò ad virtutem omnem solerter tendebat. *Certabant inuicem Consortes de virtute acquirenda, donec felici exitu simul eodem die cursum consummauerunt. Vt ad ann. 1241 prænarratis eorum pijs factis, amplius dicemus.*

Indignata in virum suū, tandem miraculo corripitur.

Vide ibi, quæso, nam inuenies B. Luchesium veluti egregium, mirandumque æmulum, & imitatorem Sancti Francisci in spiritali, ac bona negociatione. Inquit enim sub num. 2. Claruerunt etiam hoc tempore tertiæ Regulæ Sancti Patris nostri Francisci viri magnę sanctitatis, inter quos, præ reliquis, fama, & miraculis notissimus fuit *B. Luchesius* de Podio Bonātis, qui ad eum perfectionis gradum aspirauit, vt rectè inter Domini Discipulos cōnumerari possit, &c. Et paulò post. Præ reliquis, quantum status permittit, Patrem suum Franciscum æmulatus, maximè in proximorum charitate se effundens, &c. Et post eius in vtraque vita, actiua scilicet, & contemplatiua mirabilium factorum, & gestorum narrationē, hæc alia sub num. 12. Hisce progressibus *B. Luchesius* ad perfectum virtutis gradū peruenit; permultos autem vitæ huius labores, vigilias, ieiunia, persecutiones, ac infirmitates corporales probatus, donec iam tempus aduenit, quoad repositam gloriam, & requiem eum auocare placuit Altissimus.

Egregius Franc. æmulus in spirituali negociatione B. Luchesius.

In extremis laborans, accessit *Bonadonna* eius vxor, rogans, vt seipsam prælolaretur, quæ laborem, & peregrinationis consors fieret, etiam & consolationum. Annuit vir Sanctus iustis precibus; illa autem eo ipso die in lectum febribus correpta incidit, quæ breui tempore verè bonam, & meritorum plenam transmiserunt ad requiem, perceptis ritè Sacramētis, suique Comparis manu signata, sepulta est in plebe Castri Podii Bonitii. Miraculis clatuit. Eius reliquiæ inde sublatæ sunt, occupato per Florentinos Castro, quod suspectum habebant. Solum remāsit in Fratrum Monasterio Brachiū, quod ibi asseruatur. Amborum obitus die 28. Aprilis, annum relinquerunt scriptores. Sed de Bonadonna ait Martyrologium die 5. Augusti, & cur ibi tantæ Fœminæ memoriam distulerit, nullam reddit rationem.

Eodem die 28. Aprilis obiit cū eius coniuge.

Tribus modis (docet Interpres noster ad finem serm. 6. de Apostolis) conciliatur cum Deo, & proximo concordia.

Tribus modis concilia tur cū Deo, & proximo concordia.

1 *Si te quasi hæreditatem Domini tribuas.* Verè enim beatus est populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi. Hierem. 2. *Te siquidem quasi hæreditatem pretiosam carè emit in cruce.* Augustinus. *Tāti te emit, vt te solum possideret, &c. Coluit te sarculo prædicationis, rigauit sudore, & sanguine, & lacrimis.* Hierem. 2. & Isaiæ 5.

2 *Si disciplinam Domini accipit.* Prouerb. 3. Disciplinam Domini, fili, ne abiicias.

3 *Si te, & alium, cum opus est, charitatiuè corrigis pro ipso*, 1. Corinthiorum 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.

Certarūt inuicem incliti consortes, beatiq. Coniuges *Luchesius*, & *Bonadonna* in stadio virtutum vsque ad finem vitæ, quam pari cursu finiere; quia pari certamine seipsos, & omnem hostem vicerunt propter amorem Domini sui, quem viderunt, quem amauerunt, in quem crediderunt, quemque in dilecto à Deo Francisco, cui concredita cuncta Ecclesiæ re-

Paratio, dilexerunt. Hæc in eis generosa sub lege, & veste peregrina Tertiariorum, quam primi à Francisco receperunt, concertatio tripliciter concordiam coniugalem, & spiritualem concinnauit cum Deo. Tum quia neuti hæreditatem Domini se illi tribuerunt. Tum quia disciplinam Domini acceperunt. Tu quia & seipsos, & alios charitatiuè, vbi opus fuit, corripierunt, &c.

In horũ consugorũ reliquiis venerantur populi mirabilem sanctitatis concordiam.

Hanc mirandam concordiam adhuc venerantur populi in horum beatorum consortium rel quiis. Alii in B. Luchesii capite; alii vero in B. Bonædonnæ vxoris Brachio. Tanta floruit sanctitate Luchesius, vt ad eius sepulchrum apud Fratres Minores Montis Imperialis propè Podiũ Bonitium, haud parua edita sint miracula. Quibus permoti fideles, copiosas ibidem eleemosynas porrexerunt ad construendam, demolito antiquiori sacello, pulchram satis Ecclesiam in illius honorem. Iacet eius Corpus in arca [illegible] sub altari dicti Conuentus, qui *S. Luchesij* intitulatur, apud Gonzagam præfatum. Sacrum vero ipsius Caput singulis annis auctoritate, & indultu Gregorii Decimi Papæ eo die Dominico, addit Arturus, qui Passioni Saluatoris dicatus est; estque sub quinta Quadragesimæ Dominica, quam de Passione nuncupat Ecclesia, expositur. Conuenientibus populo, & Clero maxima cum veneratione processionaliter defertur ad dictum Castrum Podii

B. Luchesii sacrũ caput singulis annis expositũ.

Bonitii. Verum non prius concessio illa à Romano Pontifice effecta est, antequam mirando experimento num huius publici honoris illud promeritum ex[illegible] comprobaret. Refert Vading citatus in tom. 1 anno præfato 1221. [illegible]. *Caput ipsius*, inquit, *indulto G[illegible] processionaliter defertur ad [illegible] Castrum Podij [illegible] sanctitatis miracul[illegible] [illegible] P[illegible]mufex, [illegible] num [illegible]) expertus [illegible] quod [illegible].* Vide [illegible] tom. 2. [illegible].

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ius.

[illegible] [illegible] apud [illegible] Quar. [illegible] *temporaus, & [illegible] consumma-t[illegible] [illegible] bis talis [illegible] sed [illegible]dunt; & [illegible] aut nos ipsi, &c.* [illegible] quo caput [illegible] vt omnes [illegible] auaritiæ, vbi [illegible] gratiam [illegible] & neq. motuo [illegible] sed miranda victoria inde illic prouenit, summè de tam aperto miraculo Christi Vicario cũ aliis præsentibus obstupescente. Congruum item fuit, vt præfato die caput venerabile, sacraque reuerentia dignum, deuota illa gens, plebsque circumferret. Eodem die legitur in Euangelio, dictæ Dominicæ illa Christi verba. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ioan. 8. Quasi dicat, explicat Doctor noster in sermone eiusdem Dom. *Verba enim mea non auditis, quia ipsum non timetis, &c.* Ad quod probandum affert illud Hierem. 6. *Cui loquor, & quem contestabor, vt audiat, &c.* Statimque sermonem faciens de charitate, eumque alloquens, qui alienus à charitate est, ac propterea eius opera Deo haud meritoriè accepta, sic addit in persona Domini. *Holocaustomata vestra, idest abstinentiæ vestræ, quibus offertis corpora vestra, mihi non sunt accepta. Et victimæ, idest eleemosynæ vestræ non placuerunt mihi. Eo quod charitatem à vobis proiecistis.* Hæc ille. Timor Domini inter omnes virtutes, sapientiæ, caput est, & initium. *Initium sapientiæ timor Domini.* Charitas inter Virtutes Theologicas princeps est, & antesignana. *Maior horum maior est Charitas.* Dum Interpres noster in Dominica de Passione illum timorem, illamque charitatem ex Dei ore palam facit, palam quoq. Caput B. Luchesii magna populorum pietate venerettur. Exaltatque simul eo Caput sapientiæ eiusdem, quod in schola virtutũ adeo sapienter se gessit. Eiusq; principem charitatem commendat, ob quam Luchesii holocaustomata, sicut explicauit Interpres noster, adeo Domino suo placuerunt.

Dei verba non audimus, quia ipsum non timemus.

Circũfertur processionaliter in Dom. de passione.

Accipe aliud monitum ex eiusdem Interpretis nostri doctrina, & ex serm. præfatæ Dominicæ de Passione. *Ideo (ait ad finem sermonis) in hac Dominica, quæ intitulatur de Passione Domini, Gloria Patri in Responsoriis admittitur, nec tamen omnino subtrahitur, eo quod nondum traditus fuerat Dominus in manus Lanistarum.* Lanistæ, explicant Latini Interpretes, erant præfecti ludi gladiatorii, qui gladiatores instituebant, exercebantque ad mutuam lanienam. [illegible] Lanistarum scilicet Principalis [illegible] aduersus Christum, Diabolus est, reproborum caput, & *Principes [illegible] mundi.* Ita Interpres noster in serm. Dom. 2. post Trinitatẽ, super illud, *Cum intraret Iesus in domum cuiusdã Principis Pharisæorum*, Lucæ 14. Ponamus eius verba. *[illegible] Princeps dictus, eo quod primum ca[illegible] locum sibi v[illegible] honorem, significat Diabolum qui primum hominem pomo, quasi piscem hamo, [illegible] cepit.* Et pauló infra.

Cur in solis responsoriis Dom. de passione admittur Gloria Patri.

infra. *Hic dicitur esse Princeps Pharisæorũ, qui interpretantur diuisi, & significant illos, qui à iustis se diuidunt, & conuenticula faciunt.* De quibus habes concordantiam 1. Machabæor. Domus illius Principis est Mundus, quem ob primi parentis reatum tamquam domum possidebat, in quam Christus intrauit, cum carnem nostram accepit. Hæc Interpres.

Diabolus princeps Lanistarũ pharisæorum.

Sacrum B. Luchesii Caput, dum veluti primum, principemque in Ordine pœnitentium Luchesium ipsum iudigitat, ea corona aurea singulis annis redimitum ostenditur, ob quam per populorum venerationem Deus honorat. Docet Interpres noster in serm. 1. de vno Martyre, vt alibi diximus, iuxta illud Psal. 8. *Gloria, & honore coronasti eum Domine. Prima corona,* inquit, *est gloria quoad animam; secunda honoris quoad reliquias corporis in Mũdo, & celebrationem festi à populo, &c.* Dum huiusmodi corona redimitur Luchesii caput in Dominica in Passione, ostendit Christum nondum in manus Lanistarum, tum quia *gloria Patri* non adhuc omnimodè derelictum tunc est, vti derelinquitur in Dominica 6. Palmarum. Tum quia Christus ipse ob magnificam, publicamque ad ipsius capitis gloriam, & honorẽ eum ordinauit, ceu caput validissimum aduersus caput, & summum Lanistam, Principemque Pharisæorum, scilicet aduersus Diabolum. Reliquiæ enim Sanctorum, quanto plus in Sanctis, quorum sunt, exaltant Deum, tanto plus ad ima tartari Diabolum profundant.

B. Luchesii caput aduersus Diabolũ reproborum caput.

Caput Iudith, Olophernis caput pugione obtruncantis, in capite B. Luchesii si placet misticè intueri, huiusmodi intuitus tibi certè non displicebit. *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua* singulis annis te monet cum aliis filiis suis Mater Ecclesia in Euangelio Matth. 6. die 4. Cinerum. Vnxit semel à principio suæ veræ cõuersionis B. Luchesius cũ eius Coniuge illud caput, illiusque capitis faciem lauauit, iterque deindè perfectionis læto animo sequutus est sub institutionis Tertii Ordinis, & eius Legislatoris Francisci ductu. Optimè consulens sibi, & coniugi iuxta interpretationem Doctoris nostri serm. in eodem die. *Caput istud mens est, in qua omnes sensus sunt mirabiliter constituti; quia Visus cognitionis, Auditus attentionis, Gustus affectionis, Odoratus discretionis.* Tactus non adest, fortè relictus à Librariis, vel ab Impressorib. Dicerẽ ipse tactũ per metaphoram, *Contemplationem*. Vt enim Tactus in aliis sensibus passiuè tantũ reperitur, non autem actiuè, ita cõtemplatio est ad rerum cognitionem, attẽtionem, affectionem, discretionem; sed illud sibi præcipuum, quod cum sit rerum occultarum consideratio, ipsa diligentiori intuitu abdita scrutatur, & ipsa propriè ex munere suo intimius tangit obiecta, quæ simplex cognitio, simplex attentio, simplex affectio, simplex discretio minimè potest pertingere. Istud caput, sequitur Interpres, debet vngi *Humilitate*, quia facit in eo deuotionem, & gratiam scaturire, *quia Deus humilibus dat gratiam*, 1. Petri 4. Et faciem tuam laua, *idest conscientiam tuam, quæ est principalior, & maior pars capitis, quæ si munda fuerit, diuinam imaginem repræsentat.* Quæ ad ornatum Iudith enumerat Textus Sacer, eam ad internecionem Olophernis, & illius castra profligationẽ se parantem describens, plurima sunt, Sed ex illis duo hic animaduertenda circa eius Caput.

Capui spirituale in homine interiori Mens est.

Tactus spiritualis in quo consistat.

1 *Et discriminauit crinem capitis sui.* Idest (subdit statim Interpres in sermone Dom. 16. post Trinit. loquens sub figura Iudith de fideli anima, statum pœnitentię amplectente) distinxit solerti discretione cogitationes singulas mentis. Vnde Hierem. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Pretiosus dictus, eo quod à vilibus præcisus, discerni possit. Vilis à Villa nullius vrbanitatis est. *Si ergo separaueris pretiosum à vili,* idest cogitationem puram ab impura, quæ de carne est; *quasi os meum eris, qui non terrena, sed cælestia loquor.*

In discriminatione crinis capitis Iudith, discretio.

2 *Et imposuit Mitram super caput eius.* Mitram super caput suum, &c. Eccl. 45. *Corona aurea super caput eius;* scilicet *Aaron.* De hoc Exod. 28. dicitur. *Facies & lamina de auro purissimo, in quo sculpes opere celatoris Sanctum Domino, &c.* Caput est mens. Mitra in capite est stabile propositum boni operis in mente. *Lamina aurea super Mitram est patientia aurea*, in qua sculpitur sanctum, scilicet *nomen Domini Tetragrammaton*, idest quatuor literarum, quæ sunt, *Iod, Ve, Vau, He.* Hoc est principium vitæ passionis. Quasi dicat. Aaron iste, quem esse præfiguro, est principium vitæ in Adam perditæ. Sed passionis, idest passione sua restaurandæ; genitiuus more Græco ponitur pro ablatiuo. *In Lamina aurea inscribitur nomen passionis Dominicæ, quæ est gloria nostri honoris, & opus nostræ virtutis.* Hæc ille.

Mitra in capite, stabile propositum boni operis in mẽte.

Patientia est Lamina aurea.

Fidelis, ac pœnitentis B. Luchesii animæ Mentem, discriminatam crinibus, ornatam *Mitra* in eius capite, iam palam, diem festum celebrantes, venerentur populi singulis annis. Sancta admodum fuit cum sancta eius mente in tam pio viro discretio. Propositum boni operis tanto in

Dignũ S. Luchesii caput, vt in Domin. de passione veneretur.

in spiritali eius negociatione insatiabiliter, semper ad maiora virtutum incremẽta progrediens, stabile extitit, quantò extiterat mali operis propositum in temporali mercatura ob præteritam auaritiam, quam in Apostolicam liberalitatẽ Mercatoris Francisci commutauit, postquam magna fame, vsque ad certum temporis spatium illam protraxerat; *Lamina aurea* super hanc eius mitram, scilicet *Patientia aurea*, preciosissima fuit, atque mirabilis; & quia inscriptum in ea nomen Passionis Dominicæ, in qua gloriabatur, dicens cũ Parente Seraphico, *Mihi autem absit gloriari*, &c. dignum certè, vt in Dominica de Passione eius sacrum Caput circumferretur, veneraretur, & cum eo sui honoris gloriam, suæque virtutis opus. Cum tali capite, ita discriminato, atque prædicta Mitra ornato processit cum Iudith aduersus Holophernem, scilicet Diabolum, vt habet Interpres.

Magna fulsit B. Luchesii patientia.

Felix, ac beatum *Luchesij Caput*, de quo Apocal. 1. *Caput autem eius, & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix. Et oculi eius tamquam flamma ignis*. Quod ita commentatur Interpres, describens B.Luchesii caput in illius prælatura, vel præfectura, ob quam primus extitit Legis, ac Regulæ Tertiariorum Sancti Francisci professor.

Caput, capilli, lana alba, nix quid mysticè.

1 *Caput autem eius, &c.* Caput dictũ, eo quod capiat omnes sensus, *Mentem significat*, quæ est caput animæ. Capilli *sunt cogitationes*. In mente solet esse immunditia, & ardor peccati. Mens ergo, & cogitationes *sunt candidæ tamquam lana alba* contra peccati immunditiam; *& tamquam nix*, contra ipsius ardorem.

Quidq; oculi cum flamma ignis.

2 *Et oculi eius tamquam flamma ignis*. Oculi Prælati sunt contemplatio Dei, & compassio proximi. *Qui debent esse tamquam flamma ignis, idest radiantes simplicitate quoad Deum, & innocentia quoad proximum*.

Cõcordat *Capitis* venerabilis B.Luchesii Mitra, lamina aurea exornata, cũ *Brachio* B.Bonæ dõnæ eius Coniugis. *Manum suam* illi Brachio coniuncta, *misit ad fortia*, intrepida, stabilisque Mulier, Coniuxque Luchesii. Fulget adhuc in sacro viri sui *Capite lamina aurea*, præfata, *nomine passionis Christi*, in qua omnis eius gloria *incisa*. At in Coniugis suæ *Brachio*, veluti in simbolo fortitudinis (de quo multoties Doctor noster) Lucem suam *Smaragdus* mittit. Illud Viri *Caput aurum optimum*, istud Consortis brachium Smaragdus viridis. *Smaragdus lapis* (ait Interpres serm. 2. de vno Martyre) *qui viridis est coloris, est fortitudo. Cor enim viri fortis est in suo virore. Huius sunt tres partes. Aggressio arduorum. Patientia aduersorum. Aequanimitas in frequenti, & subita mutatione futurorum, seu fortuitorum, &c.* Hunc lapidem quarto loco ponit Doctor post *Carbunculum*, per quem intelligit *Prudentiam*: post *Saphyrũ*, cui assimilat *Temperantiam*: post *Hiacyntum*, ceu *Iustitiæ* præfiguratiuum, cõplens quatuor Virtutum Cardinalium coronã, & cum ea illam honoris coronam, quam vt primam in terris capiti viri iusti imponit. Quia vero *B. Bonadonna* vtrumque brachium manum suam misit ad fortia, cuius caput, seu mens *Prudentia resplenduit, vt Carbunculus*, qui tenebras fugat. *Temperantia refulsit, vt Saphyrus*, qui sanguinem sedat. *Iustitia emicuit, vt Hyacinthus*, qui secundum aerem coloratur, ac *Fortitudine supra sexum excelluit, vt Smaragdus, qui viridis est coloris*, egregia vtiq. erumpit inter illud caput, & illud brachiũ concordia, vti concors fuit inter vtrumq. in progressu virtutum certamen, concors vita, mors, beatitudo, eodemque die quam felicissimè, ac sanctissimè conclusa.

Fortitudinis simbolum smaragdus.

Concordia inter Caput B.Luchesii. & Brachiũ B.eius coniugis.

CAPVT IV.

Nonnulli alij beatæ memoriæ sub Lege Tertiariorum Professores inter cæteros, quos ipse Legislator ad normam de Pænitentia per seipsum conuertit.

M*Iserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum.* Ioannis 3. Explicat moraliter hunc textum Doctor noster in principio concionis feriæ 2. in Passione, & sic dicit. Inter alia vitia sunt duo perniciosa, *scilicet superbia, signata per Principes; & inuidia signata per Pharisæos, quæ salutem perimunt, nec eam dimittunt quiescere.* Etenim benè videmus, quod hæc duo vitia nihil secum breuiter compatiuntur. *Nam simile naturaliter appetit suum simile; non sic de superbo, qui cum superbo non potest quiescere, similiter nec inuidus*. Hæc ibi.

Duo vitia præcipua salutem perimentia

Isto experimento edoctus Franciscus inhiabat insatiabiliter in legis Christi, & eius Ecclesiæ vniuersam, completamque reparationem. Quamobrem Ordinem, & Legem Fratrum, & Sororum de Pœnitentia tertiò instituit, quo in excidium superbiæ, per christianam humilitatem, atque in inuidiæ interitum per amorem fraternum totius Orbis gentes cuiusuis

Contra quæ potissimũ ordo, & lex pœnitentium instituta.

status,

statūs, & sexus in spiritu, & virtute Eliæ vnanimiter associaret. Hinc cælesti afflatu repletus sæpenumero, vt puto, illud in concionibus cum Christo suo repetebat. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Vado ad eum, qui misit me. Quæritis me, & non inuenietis. Vbi sum ego, vos non potestis venire.* Ioannis 3. Cuius verborum interpretatio talis proculdubio, vt ad christianā pęnitentiam cunctos fortiter suaderet, ex illius diuino ore pluries exiuit, qualis ex *Benedicta* Episcopi sui Antonii, ac Doctoris nostri *Lingua* hisce dictis à confluētibus populis audita fuit. Aduc dicit modicum tempus. Quamdiu peccator est in spe salutis, Christus adhuc est cum eo, saltem quantum ad spem, quæ potest peccatori de sua inesse conuersione. Facit nāq. Christus nos considerare sex, quibus nos debemus moueri ad pœnitentiam. Videlicet,

Sex considerationes, quibus prouocamur ad pęnitentiam

1 *Bonitatem temporis*. Adhuc modicum tempus.

2 *Charitatem muneris*. Vobiscum sū, idest ad vestram vtilitatem.

3 *Benignitatem intentionis*. Ad eum vado, qui misit me.

4 *Grauitatem, siue malignitatem criminis*. Quæretis me.

5 *Subtractionem misericordiæ, siue remedij*. Non inuenietis.

6 *Illationem sententiæ*. Vbi sum ego, vos non potestis venire. *Quasi dicat, non potestis esse in humilitate, sicut ego sum, &c.*

Erat in hac Christi humilitate Franciscus, prædicans pœnitentiæ baptismum, quo lauari, ac mundari tota fermè Ecclesia, interitui propinquissima, indigebat. Erat pariter in Francisci humilitate & ipsemet Christus; & Franciscus totus os Christi erat, & Christi vox, vocans ad pœnitentiam omnes, pluresque ipse immediatè in Ordine, & sub Lege Tertiariorum recipiens.

Clamabat Christus in Francisco, *Pœnitentiam in remissionem peccatorum* cum ingenti fructu prædicans: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Sed vnde hæc in peccatoribus sitis? ob quam adhibendum ea tēpestate inuitabantur per os Francisci? Respondet Interpres noster ibidem, ita dicens. Sitim autem prouocant quatuor in nobis.

Quatuor prouocant sitim aquæ viuæ Christi in nobis.

1 *Asperi labores*, quibus homo laborat inutiliter.

2 *Insipidi sapores*, quibus gustus interior afficitur.

3 *Feruidi calores*, quibus consummantur humores.

4 *Turbidi languores*, quibus fiunt alterationes.

Supponit, ait, sitim, scilicet Christus, & ad potum inuitat, non aquæ nociuæ, scilicet delectationis terrenæ, sed supernę, quæ est aqua viua. *Nam delectationes mundanæ sunt aquæ periculosæ, quæ demergere debent animam. Et ideo delectatio dicit, si quis sitit in mari, idest in amaritudine culpæ, tandem habebit amaritudinem pœnæ. Hæc autem est aqua, quam diabolus misit post mulierem. Apocal. 12 &c.* Cum eadem muliere Apocalypsea alati & ipsi post B. Luchesium memoratum, diabolicæ aquæ impetum quamplurimi alii vtriusque sexus euasserunt, aufugientes *in Desertum pœnitentiæ* in Ordine Tertiariorum Sancti Francisci, quibus ipse Institutor Legem, & habitum de Pœnitentia tradidit. Horum nonnulli, quos nunc breui hic inserimus, sic se habent.

Delectatio mala sitis est amara.

PANEGIRICVS II.

Lux Hierosolymitana.

Tertius Frater, ac Discipulus sub Lege Tertiariorum.

B. LVCIVS, de quo S. Antoninus 3. p. histor. tit. 24. cap. 7. §. 3. hisce verbis. Anno Domini 1221. B. Franciscus instituit Tertium *Ordinem, qui dicitur Pœnitentium: propter illos, qui matrimonio iuncti sunt, facere pœnitentiam flagitabant. Quorum primus fuit quidam sāctus homo dictus Lucius.* Fuisse autem hunc sanctum virum inter Pœnitentium Tertiarios à B. Francisco receptum, referūt ex nostratibus nonnulli apud Arturum die Augusti 24. quo agit de illo in suo Martyrologio. Die vero Aprilis 28. in adnotatione de B. Luchesio §. 2. aduertit hæc pauca. Hunc denique ait (scilicet B. Luchesium) alii confundunt cum B. Lucio à Sancto Francisco, primum Habitu Tertiarii donato, cuius meminimus ad 24. Augusti, vti Ioannes de Torres in practicis exortationibus super Regulam Tertiariorū fol. 36. & Salazar lib. Chron. Prou. Castellæ cap. 18. & 19. quos tamen diuersos vna cum cæteris rectius agnoscit, &c. Hæc ille. Ipse autem secutus Vadingum, apud quem mentio nulla de hoc B. Lucio, principalem locum dedi *B. Luchesio*, secundum verò inclito Pœnitenti *B. Lucio*; licet nondum legerim, cuias fuerit, quæque eius conditio, professio, & similia, vt propterea hæsitari possit, eundem fuisse cum B. Luchesio, mutatione in nomine aliquantò facta.

Alii confundunt hunc B. Lucium cum B. Luchesio.

Indica mihi, si nosti, ait Deus ad Iob 28. in qua via habitet lux, & tenebrarum quis sit

sit locus. Vbi Interpres noster in serm.Dominicæ 13.post Trinit. concordans parabolam illam Lucæ 10. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico*,&c.hęc pulchrè annectit. *Iustitia nomine lucis, iniquitas per tenebras designatur.In Hierusalem habitat lux. Hierico locus est tenebrarum. Quicumque ergo ab Hierusalem in Hierico descendit, à luce Christi in tenebras iniquitatis deuenit*, *&c*. Sed contra accidit Beato Lucio nostro, qui vt nuncupationi nominis conformaret vitam, & gesta, ab Hierico in Hierusalem descendit, transiens à tenebris mundi iniquitatis ad iustitiæ, & sanctitatis lucem sub S.Francisci splendore, qui illuminabat radiis doctrinæ, & exemplorum *omnem hominem venientem in hunc mundum*, & cum mundo in tenebras interiores, & exteriores labentem.

Lux iustitiæ simbolū, tenebræ iniquitatis

Ego sum lux Mundi, per suggesta, & pergama,per plateas,& vicos Ciuitatum, Oppidorum, Pagorumque in Francisco, *Romanæ fidei* per triplicem legislationem Reparatore,*clamabat Christus*, fidei fundator, Legislatorque Euangelicus. Siquidē in luce mundi Christo, lux mundi erat pariter & Franciscus, ductus ab eo,& ductor per eum.Qui in quadruplici illo mūdo, de quo Interpres noster in Sabbato Hebdomadæ 4.Quadrag.(scilicet mundo artifico in mente diuina; mundo extra producto, qui & mundus maior dicitur; mundo minori, quo nomine hominem nuncupant; & mundo vniuerso) ingenti claritate lucebat. In fundatione Ecclesiæ suæ per se,& per Apostolos suos, in reparatione verò per Franciscum Virū Apostolicum, & per Coapostolos Francisci, erat lux Christus in quadruplici mundo præfato.

Christus lux quadrupliciter iuxta quadruplicē mundū;erat in Franc.

Primo quidem modo (loquor cum Interpr. nostro loco citato mutatis mutandis)erat lux mundi,quia ipse in Francisco Reparatore erat lux plena, & copiosa omnium, ratione viuentium, & reparatione indigentium, quæ quidem lux in Francisci luce manifestabatur.Et Franciscus in ipsa Christi luce erat *splendor gloriæ*, *& figura substantiæ eius*, ad Hæbr.1. iuxta suam capacitatem.

Secundo modo erat lux mundi in Frācisco Christus, quia sicut ante àduentum eius erant tenebræ in mundo, & in eius aduentu illuxit *dies redemptionis nouæ*, *reparationis antiquæ*, *felicitatis æternæ*: sic ante aduentum Francisci *tenebræ erant super vniuersam faciem terræ*. Sed eius ortus sydereus antelucana luce toti Ecclesiæ nouam illustrationem auspicatus est. Per ipsum namque; & per suos tres Ordines, & tres leges, eis latas, *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. *Habitantibus* Paganis, Gentilibus,Schismaticis, Hæbreis, Hæreticis, peccatoribus *in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*.

Ortus Fran. antelucana luce refulsit

Tertio modo ipse Christus in Frācisco quasi connaturaliter mundi lux erat. *Homo enim* (subdit Interpres) *carens diuina fide, est in tenebris, & in tenebris ambulat,& nescit quo vadat; sed per fidem, & gratiam illustratur*.Hæc quidem in Francisco erat illa lux Ioannis 1.*quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et sine qua mundus, propè nihilum redactus è tenebricoso chaos in pristinam lucem sub luce reparatrice reuocari nequaquam potuisset.

Homo sine fide est in tenebris

Quarto modo erat Christus in Francisco mundi lux. Hanc lucem mundus cœcus, & cœcorum dux sine Francisco percipere non poterat, quia existens in sua cœcitate, non cognoscebat. Erat tunc Christus *Lux in tenebris*, *& tenebræ eum non comprahendebant*.

Tribus diebus (ait Interpres, loquens de secundo modo prædicto) factæ sunt tenebræ in totam terram Aegypti, idest vsque ad tempus legis gratiæ, &c. Quid simile contigit per aliquot sæcula vsque ad tempus trium legum à Francisco latarum, quod gratiæ reparationis tempus extitit. Sub mirando huiusce quadruplicis lucis ductu, qua in Christo quadruplicis mundi luce lucebat Franciscus,*Beatus Lucius* noster factus est *lux in Domino*, *& in Francisco*. Dixi lux in Domino per oppositionem ad tenebras,iuxta illud Ephes. 5. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Super quem locum ita Interpres in serm.Dom.4. Quadrages. ex Epistola in principio. Secūdum quod dicit D. Gregorius in Moralibus. *Lucis nonnunquam nomine iustitia designatur. Tantum igitur de luce quilibet participat, quantū de iustitia. De iustitia autem tantum participat vnusquisque,quantum ab iniquitate recedit, Deo innititur, & vnitur. Nam nihil aliud est iniustitia,nisi quidam à Deo recessus*, *&c*. Quia igitur homo quilibet deserendo peccatum, Deo adhæret, idcirco talis lux rationabiliter poterit nuncupari,maximè si fiat operatio ad oppositum,à quo discessit. Hæc Interpres.

Recessio ab iniquitate est accessio ad iustitiæ lucem.

Ad istud oppositum factus est lux in Domino *B.Lucius*,D. Francisci luci adhęrens, vt non amplius sit lux in mundo. *Nunc autem lux in Domino*. Non dicit autem *simpliciter lucem* (aduertit Interpres) *propter lucem mundanam, quæ ad tenebras terminatur*. Iob 28. *Auferetur ab impijs lux tua*, ideo dicit cap. 3. *Quare igitur misero data est lux*; Hierem.18.*Expelle eos de luce* in

Iusti sūt lux in Domino ob lucē mūdanam,cuius terminus tenebræ.

in tenebris. O quot hac luce fulgent, qui si in clara luce viderentur, ficut videbuntur, cognoscerentur, non esse illi, quos diuina gratia genuit. Sicut dixit illa mulier, quæ venit ad Regem 3. Reg. 4.

Isti sunt, qui natant in mundi deliciis, quærentes putrida. Isti sunt, qui peccata accumulant, puta superbi, qui sibi stipulam accumulant *in die iræ, calamitatis, & miseriæ, vbi vermis eorum non extinguetur. Sed vos, iusti, non estis qualiscumque lux, immò lux in Domino. Recti per intentionem. clari per cognitionem. Puri per affectionem. Feruidi per dilectionem*: Ergo vt filii lucis ambulate. Opera lucis sunt Iustitia, Fides, Castitas, Longanimitas, Spes, Charitas, Benignitas, &c. *Die prima* (docet idẽ Interpres noster Dom. 2. in Quad.) *factum est chaos, idest peccati confusio*, Eccl. 36. confundimini, & erubescite. *Debet enim induci confusio supra confusionem peccati*, Eccl. 4. Est confusio adducens peccatum, Et est confusio adducens gloriam. *Sed hæc confusio non potest esse sine die cognitionis. Et ideo prima die creata est lux*. Hæc Interpres.

Iusti lux sũt, sed haud qualiscumque.

Felix admodum hæc in Beato Lucio nostro confusio, ob quam veluti in clarissima luce vidit iustitiæ, ac sanctitatis lucẽ in Francisco, factus *Lux Hierosolimitana* aduersus tenebras Hiericuntinas, necnon & confusissimæ iniquitatis chaos. Vidit etiam confusionem propriam, ex qua transiit sub Lege Fratrum de Pœnitentia ad eam confusionem, quæ ipsi fulgentissimam Virtutum, & Miraculorum gloriam perenniter adduxit. Vide Arturum citatũ die Augusti 24.

Felix ista in B. Lucii luce confusio.

PANEGIRICVS III.

Campana, Papiliones ad miram processionem excitans.

Quartus Frater, ac Discipulus sub Lege Tertiariorum.

B. PETRVS à Colle, seu à Colta cum Auctore Martyrolog. *Omnis Mons, & Collis humiliabitur*, Isaiæ 6. quem textum alibi explicauimus cum nostro Interprete, aiente in serm. Dom. 4. Aduentus. *Mons superbia est in corde. Collis superbia in opere. Illa maior ista*. Mons, & Collis B. Petri nostri totus mutatus est in Vallem, quæ est *Humilitas mentis*, iuxta eundem Interpretem ibidem paulò superius. *Vide vias tuas in conualle*, Hierem. 2. idest cognosce peccata sua in duplici humilitate. *Humilitas ostendit seipsum. Cognoscetur Dominus in claritate humilitatis*. Mons & Collis Beati Petri, in hac humilitatis conualle constitutus, miliario secundo à Castro Podii Bonantis solitariam vitam egit. Sic in eo exultauit *solitudo*, iuxta oraculum Isai. 35. Quemadmodum lætata est *deserta, & inuia*. Nam vita cuiuslibet Religiosi (teste Doctore nostro in Do. 2. Aduent. vt alias explicauimus) debet esse *deserta*, idest in omni exterioris substantiæ abrenunciatione. *Inuia*, idest vt nullum vestigium aliquid habendi in ipsius remaneat voluntate. Sed oportet adiungere tertium, vt sciat religiosus esurire, & sitire, & penuriam pati. Et sic erit *solitudo*, quæ tunc exultabit, cum hæc, & his similia patienter sustinebit.

Mons misti è est superbia in corde Collis verò superbia in opere.

In B. Petro de Colle exultauit solitudo.

Tria hæc in B. Petro plurima exultatione excelluerunt, fuit namque, refert Vadingus ex Mariano, & aliis ad annum 1242. num. 20. *magnæ disciplinæ, & paupertatis cultor*. In illarum trium rerum, egregia disciplina cultarum, ac Seraphica Paupertate, & cælestibus diuitiis locupletarũ exultatione solemni ipsa insensibilia metalla diem festum, vbi *Vir beatus* decessit, miro modo egerunt. Siquidem *eo ibidem mortuo*, subdit Annalista, *omnes dicti Castri campanæ transitum viri Dei celebrarunt. Diuinitus enim emotæ sonuerunt vniuersæ. Quo miraculo totus excitatus populus ad montem præfatum accurrit*. Vbi Interpr. noster in serm. 2. de Apostolis aduertit multiplicem vsum campanæ, hæc habet super octo considerationes, sicut nos alias aliquanto prælibauimus italico idiomate. Tertio nota, inquit, de multiplici vsu campanæ. Pulsatur enim

Fuit vir magnæ disciplinæ, & paupertatis cultor.

Campanæ ex se in eius obitu exultarunt.

1 Ad excitãdum de somno corporis, & de negligentia ad diuinam laudem, & officium, inuitando *per virtutum comparationem*. Sic pulsabat Paulus Rom. 13. *Hora est iam nos de somno surgere*. Sed nota, quæ detinet hominem in lecto ne surgat, vt est pigritia. Prouerb. 26. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lecto*.

Vsus cãpanę ad mores propter octo

Contra pigritiam.

2 Pulsatur ad sedandas tempestates aeris, idest *peccata spiritualia*, quæ potestate aeris immittuntur, Contra quæ pulsabat Apostolus Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum*.

Contra tempestates aeris.

3 Pulsatur ad ignem extinguendum, qui materiam suam, & fomitem de terra accipit, idest *peccata carnalia*. Iob 31. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*. Hunc monebat Apostolus extinguere Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*.

Ad ignẽ extinguendum

4 Pulsatur ad ignem tegendum, & cuban-

Ad ignem tegendum.

cubandum: ſicut autem eſt ignis malus, ſcilicet peccatorum; *Sic eſt ignis bonus, ſcilicet virtutum.* Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur.* Primus ignis eſt omninò extinguendus; ſed iſte ſecundus cautè tegendus; ne ſcilicet virtutes oſtententur. Hunc ignem tegendum, clamabat Apoſtolus 2. Tim. 6. & Matth. 7.

Ad commune aliquid

5 Pulſatur campana, ad populum ad commune aliquid vocandum. Vnde campanæ ſunt communes. Sic pulſabant Apoſtoli *ad vnienda corda populi per charitatem,* Eph. 4. *Sollicitì ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Act. 4. *Multitudinis autem credentium, &c.*

Ob mortem alicuius.

6 Propter mortem alicuius intimandam. Sic Apoſtoli nos ad *mortem Chriſti* intimandam ſono prædicationis ſuæ vocabant, 1. Corinth. 2. *Non enim iudicaui mè ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, &c.*

Ob aduentū noui principis.

7 Propter aduentum noui Principis honorandum, ſic Apoſtoli venientem ad nos *Chriſtum honorare monebant,* 1. Cor. 6. *Glorificate, & portate Deū in corpore veſtro.* Sic nouus Epiſcopus per Ciuitatem defertur.

Ob miraculi nouitatē.

8 Propter miraculi nouitatem. Sic Apoſtoli ad hoc prædicabant, vt in populo *miracula ſpiritualiter facientes,* mortuos ſuſcitarent, cœcos illuminarent, &c. Epheſ. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.*

Sic clauſit Interpres omnem diſcurſum de vſu campanæ, transferens eius proprietates ſenſibiles, ob quas inuenta eſt, ad res ſpirituales octo præfatis conſiderationibus. Apoſtolica vita, quam egerat Beatus Petrus ſub habitu, & lege Tertii Ordinis de Pœnitentia, ſicut quamdam quaſi campanam miſticè eum effecerat, ſic Deus ad hanc comprobandam veritatem, omnes in eius obitu mouit campanas, & cum eis omnem pigritiam à populo repulit. Qua pigritia ablata, & ſimul ex ſe pulſabantur campanæ, & ſimul cum campanarum pulſu vir Apoſtolicus in extincto corpore loquaciſſimo quodā ſilentio ita Apoſtolicè reſonabat. Non eſt vobis, ò mortales, colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, &c. Extinguite, ò mortales, ignem impudicitiæ, cunctorū bonorum deuoratorem. Abſcondite ignē virtutum, ne illum per inanem oſtentationē deperdatis. Eſtote ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Chriſti mors ſit vita veſtra. Principem Chriſtum in corpore meo ſuſcipite, ipſum in me honorate. In iſto corpore veneramini adhuc eum animum regium, qui meipſū

B. Petrus à Colle quaſi quamdam campana Apoſtolicè.

conſtituit motuum meorum illicitorum Regem, & Dominum. Iudas in ingreſſu maris rubri primus meruit principatum, de cuius Tribu fuit Dauid, & Chriſtus, *regalis animi ſignificat dignitatem, qui omnem inboneſti, & illiciti motus reprimit diſcurſum.* Docet *Benedicta* Antonii de Padua *Lingua* in Dom. 16. poſt Trin. Nouitas miraculi in campanarum pulſatione ſit vobis ſignum alterius miraculi ſuccedentis, quo non à formicis cum ſapiente, non ab apibus cum aliis, ſed à papilionibus ſcire debetis, quam Deus deſtinauerit meo corpori ſepulturam.

In corpore extincto reſonabat adhuc eius cāpana.

De ſepultura agitur (pergit Annaliſta) ſed pro ſuo quiſque ſtudio locum elegit. In plebe Caſtri ſepeliendum alii diſſiderunt. Alii in Abbatia, alii in Parrochia de Plano. Alii verò in Conuentum Fratrū Minorum. Verum miraculo lis dirimitur. *Examen porrò papilionum corpus viri beati ad omnium admirationem circumuolitans, binis deinde, ac binis ad plebem Caſtri pergentibus, iter monſtrauit, quod vnanimi conſenſu totus Clerus, ac populus elato funere proſequitur.* Ad eandem Eccleſiam Plebs, in qua ſepulchrum viro ſancto fabricatum eſt, feſtum eius in die Trinitatis ibidem antiquitus colebat. Hæc Annaliſta ſub illo num. 20. Miranda hæc papilionum proceſſio monſtrans iter ad locum ſepulturæ Beati Petri, qualis ipſe fuit in vita ſua, verè Seraphica, & Apoſtolica omnibus aperuit.

Papilionum proceſſio ad miranda in eius funere celebrando.

Reſpicite volatilia Cæli, &c. Matth. 6. *Volatile* apud Latinos eſt idem, quod *volucris* adiectiuum, vt beſtia volatilis. Omne id, quod volat, volucris dicitur. Non ſolum aues dicuntur volucres, ſed apes quoque, veſpæ, tabani, muſchæ, papiliones, & reliqua huiuſmodi. In quolibet binario illo papilionum volabant duæ ſimul ex Veteri Teſtamento perſonæ, ſcilicet Tobias, & Anna, qui fuerunt quaſi duo volatilia, inquit Interpres noſter, concordans textum illum Matth. 6. cum alio Tobiæ 1. Singulæ illæ beſtiolæ binæ, & binæ cum Tobiæ, & Annæ imaginibus volantes, totam vitæ ſuæ perfectionem in B. Petro deſignabant. De Tobia ſcribitur cap. 1. *Tobias ex Tribu, & Ciuitate Nephtalim, quæ eſt in ſuperioribus Galileæ ſupra Naaſon poſt viam, quæ ducit ad Occidentem, in ſiniſtro habent Ciuitatem Seph.* Ad id declarandum ſtatim ſubdit Interpres in ſerm. Dom. 15. poſt Trinitatem. Tobias interpretatur, bonus Domino. Nephtalim latitudo. Galilæa Rota. Naaſon augurium. Sephet lucens, vel pulchritudo.

Proceſſio papilionū præfigurabat B. Petri vitam perfectam.

1 *Tobias eſt quilibet Iuſtus, qui bonum,* quod

Iuſtus dicitur bonus Domino.

quod in se habet, non suum, sed Domini credit esse. Psal. 118. Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine. & Isaias 26. Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.

Est filius, & ciuis latitudinis, idest charitatis.

2 *Iste bonus Domino* dicitur esse de Tribu, & ciuitate Nephtalim. *Est enim filius, & ciuis latitudinis, idest charitatis*. Psal. 118. Latum mandatum tuum nimis. Christus testamentum condidit filiis suis. Hoc est, inquit, præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c. *Quod Iustus tamquam filius iure hæreditario possidet, & in ipso quasi in ciuitate habitat semper.* In hæreditate, inquit, Domini morabor, quia hæreditas mea præclara est mihi. *Et vbi est hæc Ciuitas?*

Est volatile ad superiora volans supra mundi rotã.

3 *In superioribus*, inquit, *Galileæ*, supra Naason. *Respice volatilia, ad superiora volans*. Ego (inquit Christus Ioannis 8.) de supernis sum, vos autem de deorsum estis. Quasi Rotam circuitis. *Rota dicta, eo quod ruat. De vitio in vitiũ & vos ruitis.* Ciuitas verò viri iusti boni Domino non in inferioribus, sed in superioribus est Galileæ, quia mundi Rotam superat, superiora quærit, & inferiora relinquit.

Est eius Ciuitas vbi superiora auguratur.

4 *Huiusmodi Ciuitas est supra Naason*, quæ superiora auguratur, idest cælestia contemplatur. Ecce quam egregie concordat historia cum Euangelio.

5 *Post viam, quæ ducit ad occidentem*, in sinistro habet Ciuitatem Sephet. Iustus retro relinquit viam spaciosam, quæ ducit ad occidentem, idest ad mortem. Psal. 34 *Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum*, &c. Peccatorum via in præsenti est tenebrosa mentis cæcitate, lubricosa iniquitatis perpetratione. In morte verò Angelus malus erit persequens, & impellens quousq; præcipitet in abyssum ignis ardentis. *Vir iustus habet in sinistro Ciuitatem Sephet, idest literæ, vel pulchritudinis*. Quia scientiam falsi nominis sinistram, & falsam deputat. Et mundanam Philosophiam, & pulchritudinem damnat. *Respice ergo volatilia.*

Symbola Tobiæ in B. Petro.

Ita concludit Interpres Tobiæ symbola in gratiam viri iusti nostri, scilicet B. Petri, qui præcipua iustitia, & sanctitate præditus volauit & ipse per Tobiam præfiguratus. Iam bonus Domino hic optimus vir ob integram cognitionem sui, qua ad perfectam cognitionem Dei ferebatur, & *à quo omne bonum optimum, & donum perfectum* ingenua summissione, humillimaq; gratitudine recognoscebat. Iam filius, & Ciuis Petrus hic latitudinis charitatis, qua in dies perfectionis vincula congeminabat, supra mundi Rotam mirabiliter eleuatus, mundi Rotam Paupertatis pedibus, quibus Regni Cælorum possessionem cæperat, conculcabat. Iam ibi ascendens Petrus, vbi eius Ciuitas superiora augurabatur, sursum corda habebat semper ad supernorum summum Dominum. Iam demum retro relinquens Petrus spatiosam peccatorum viam, quæ ducit ad mortem; eam viam constanter secutus est, quæ arcta est, & ducit ad vitam. Igitur in singulis papilionum binariis, processionaliter recto itinere pari lance libratis, parique motu, gressu, ac distantia conuolantibus, nimirum in Papilione, qui destrorsum volatu suo progrediebatur cum Tobiæ figura imago Beati Petri inerat.

Item & Annę Tobiæ coniugis.

Sed in alio papilione, sinistrorsum consodalem suum sequente religiosa quadam societate Anna volabat, & cum ea quoque B. Petrus sociali gressu ibat, præmonstrans etiam eius festum, in die Trinitatis Dominicæ celebrandum ob singularem, immutabilemque dilectionẽ in quocumque statu, ac rerum varietate positus erga Deum summum, vnum in substantia, & in Personis Trinum. Idipsũ habemus ex Interprete nostro, qui statim post Tobiam, hæc alia de eius consorte. Item, ait de Anna, quæ vt eodem libro cap. 3. dicitur, *perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, nec bibit, sed in oratione persistens, cum lachrymis deprecabatur Dominum*.

1 *Ecce Anna*, subdit, *quæ interpretatur gratia, quasi auis pennata ascendit ad superiora*. Sic vir iustus in superiori cœnaculo mentis suæ orat. Vnde Christus in mõte, Daniel in cœnaculo orat, Helisæus, & Helias habent cœnacula, & Christus in cœnaculo Pascha celebrat.

2 *Tribus diebus, & tribus noctibus*. In prosperitate, & aduersitate ad sanctam Trinitatem vir iustus preces porrigit.

Volandum mẽte ad Deũ cum ordine.

3 *Nota ordinem verborum*. In cœnaculum superius primò porrexit, non comedit, nec bibit, in oratione perstitit, lachrymas fudit. *Qui vult volare, debet hoc ordine procedere. Prius enim à terrenis debet animum eleuare, deinde corpus affligere, & in oratione persistere, & lachrymas fundere*. Respice ergo volatilia. Hæc fuit altera Interpretis conclusio super personam Annæ, vt tu etiam, quisquis es, respiceres papilionum processionem ad sepulturæ B. Petri locum binorum, & binorum volantium, & in quolibet binario illo admirando eundem Beatũ virum in volatu suo præfatum ordinem tenentem, simul cum Tobia, & Anna pio corde admirareris. Auctor Martyrol. agit de eo die Aug. 21.

PANEGIRICVS IV.

Eclypsis Solis in signo Martis.

Quintus, & Sextus Frater, ac Discipulus sub Lege Tertiariorum.

B. BRVNVS, & *B. BARTOLENSIS*, siue cum aliis Bartolensius, quorum meminit Vadingus citatus immediate post B. Petrum de colle sub num. 13. ad eundẽ annum 1221. Meminit etiam ibidem & aliorum suppresso nomine, vt superius dictum est. Apud Auctorem Martyrolog. die Decemb. 22. extat B. Brunus his verbis. In Italia B. Bruni à Colle Confessoris, Tertiarii, eximiæ sanctitatis viri. Vide auctores apud eum in comment. ad §. 2.

Nigra, ac fusca anima, quæ habitat in tabernaculis.

Brunus non est vox latina, sed Itala, deducta ab hoc vulgari verbo *Bruno*, quod propriè apud Latinos est *Fuscus*, *furuus*, scilicet haud in toto niger. Italicè *non del tutto nero*. Vnde diminutiuum fusculus, Italicè brunetto. Sub fusca in exteriori homine nomenclatura profitens *B. Bruna*, vel *Brunus* Legem, & Regulam in cinereo, ac humili Fratrum de Pœnitentia indumento fusca eius anima in interiori homine verè pęnitenti, clarissima, ac pulcherrima sanctitate nitebat, vt meritò dicere poterit cum Sponsa Cant. 1. *Nigra sum, fusca sum* (vertunt ali, inter quos Interpres noster) *sed formosa filiæ Hierusalem, &c.* Vult dicere, explicat idem Interpres, vt alibi transcripsimus: *O filiæ Hierusalem. idest virtutes Angelicæ, vel fideles animæ*. Nigra sum *cinere, & ieiunio, ieiunijs, & vigilijs exterius*. Nigra sum sicut tabernacula cedar, *quæ interpretatur mæror. Habito enim in tabernaculis. quæ de loco ad loca transferuntur, à quibus mites impugnat, & impugnantur, quia non habeo hic manentem Ciuitatem, sed futuram inquiro.*

Quomodo autem decoloretur a Sole Christo hæc anima.

Nolite considerere, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol. *Sol eclypsim, idest defectum patiens, omnia decolorat. Sic verus Sol Christus,* qui cognouit occasum suum, *eclypsim mortis in Cruce patiens, omnes colores, omnes varietates, omnes glorias fallaces, omnes honores decolorat. Ideo dicit anima pœnitentis*. Nigra sum, fusca sum, quia decolorauit me Sol. *Dum enim oculo fidei Deum meum, Sponsum meum, Iesum Christum in Cruce pendentem, clauis confixum, felle, & aceto potatum, Corona spinea coronatum video. Omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis pompa transitoria in pallorem vertitur, & à me nihil æstimatur.* Ita in serm. 2. Dom. 3. in Quadrag.

Idipsum dicere potuit B. Martolensis *anima*, similiter & ipsa cum anima Beati Bruni in illius societate *fusca*, ac furua. Quæ purgatissimo fidei oculo in Christũ suum mente, & corpore fixa, eiusq. Cruci cum eo confixa, fidei armaturã assumens in spiritali militia cõtra nequitiam Diaboli, Martolensis nomini, scilicet Mauortis, seu Martis, quem belli præsidem constituebat antiquitas, pulchrè alludebat. Militum arma maximè equestrium polito, fusco, ac perlucido ferro constant; ita pariter & arma spiritualia, in quibus anima nigrescens (decolorata à Iustitiæ Sole) nigrescenti, seu fusco ense armatur, vt aperto marte in hostes suos manus cõferat, eosque subiiciat. *Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos,* Cant. 3. Dicitur de lectuli Salomonis custodibus. Vbi Interpres noster depingens Martolensem nostrum, veluti præcipuum Martem, sub norma Fratrum de Pœnitentia, hæc habet satis luculenter. *Timores nocturni sunt carnis, & Diaboli suggestiones occultæ, propter quas vitandas, omnis, qui lectum veri Salomonis, idest conscientiam suam, in qua requiescit Christus, vult custodire; debet habere ensem mortificationis super femur, scilicet carnis.*

B. Martolẽsis vt miles Christi.

PANEGIRICVS V.

Apicula, in aduersarios perimpauida.

Septimus Frater, & Discipulus sub Lege Tertiariorum.

B. BARTHOLOMAEVS Baro, ex Aduocato, & Causidico in sæculo apud hanc Curiam Romanam; at dignior, & celebrior auctoritate, ac probitate aduocatus, & causidicus sub professione legis Franciscanæ de Pœnitentia. In hoc eodẽ anno 1222. (refert Vadingus sub num. 22 ex Mariano, sed Antoninus sequenti) cõuersum, & Tertii Ordinis habitum indutũ *Bartholomæum Baro*, olim Aduocatum Curiæ Romanæ, cuius turbas, & pericula vt fugeret, recessit, habitaturus inter Eugubium, & Massam Trabariam. Ob vitæ rectissimam normam, fama eius longe resonabat; ad quam allectus Franciscus hominem voluit inuisere. *Sanctum initum inter vtrumque colloquium, placuitque Bartholomæo, quam Franciscus præscripsit vitam volentibus in suis ædibus commorari, humiliter assumere.* Nouo suo Discipulo ob pietatem, & singularem rerum agendarum prudentiã, vir Dei tanto charitatis adhęsit affectu; vt socios ei dederit ex Fratribus,

Professio B. Bartholom. in Curia Romana, à qua recessit

Adhæret Frãcisco sub lege Tertiariorum

bus, qui illi cohabitarent, *auctoritatem insuper addit, alios ad Ordinem recipiendi, & girouagos eidem reconciliandi*. Hæc Marianus apud Vadingum citatum. Quæ deinde statim rescribit, recitatq; ex D. Antonino, in cuius enarratione nō ante videtur conuersus ad meliora Bartholomæus, quam Francisci prædicationi accessisset. Afferamus historiam ex 3. par. histor. tit. 24. cap. 7. §. 3. prout exscripsit eam Auctor Martyrologii die Ianuarii 30. addamusque eidem postillares appendiculas aliquot, seu commentariolos Doctoris nostri.

Anno Domini 1223. (vult dicere, vt apparet ex fine 1222.) fuit vir quidam in Italia, *Bartholomaus* nomine, qui audita fama B. Francisci circumquaque diffusa, ad eius prædicationem, Aduocationem eius deserens (*Aduocatus enim erat*) sub honesto habitu, & tertia Regula dignos pœnitentiæ fructus facere satagebat, &c. *Ad vbera portabimini, & super genua blandietur vobis*, Isaiæ 66. Vbi Interpres noster in serm. 2. Dom. 5. post Trinit. hęc subdit. Vbera dicta, eo quod humida sunt de humore lactis. *Nota, quod duo sunt vbera, Incarnationis, & Passionis. Primum fuit consolationis. Secundum reconciliationis. Pœnitentes nuper conuersi, quasi mamma tracti portantur ad vbera, vt lacte consolationis, vel Incarnationis consolentur; & sanguine, qui ab vbere in Monte Caluariæ lancea aperto exiuit, reconciliati, ad passionem animentur sustinendam. Super genua etiam paternæ benignitatis tamquam mater filio eis blandietur. Vt certissimè confidant, quia qui ista vbera eis propinat, peccati remissionem, & regni beatitudinem non negabit*. Hæc Interpres, ostendens etiam cum aliis verè Pœnitentibus sub Regula Pœnitentium Tertii Ordinis *B. Bartholomaum nostrum*, cui per Franciscum Deus super suæ paternæ benignitatis genua ab eius conuersione, vsque ad mortem, ceu mater filio magis ac magis (licet antea Dei seruitio, Curiā Romanam aufugens, se dedicarit, vt fert Marianus) blanditus est. Sic vtrumque vber ipsi abundè propinauit, vberrima vitæ sanctitate, nunc per cælestium consolationem, nunc per sufferentiam tribulationum ipsum impinguans. Quamobrē subdit Antoninus hæc alia, antecedentibus immediata, & iam paulò supra rescripta. *Tantam cum B. Francisco familiaritatem contraxerat, quod Sanctus recipiendi Fratres concesserat facultatem, &c.* In præfata Mariani apud Vadingum narratione iunctum est nomini Bartholomæi nostri, illud verbum Baro, quod in eo vel familiæ fortè extitit cognomētum, vel tituli.

Duo vbera, Incarnatio, & Passio Christi.

Blandisio Dei pœnitentibus.

Auctoritas recipiēdi fratres B. Bartholomæo à B. Franc. cōcessa.

Barones apud Latinos viros molles appellant Vocabularistæ, ex illo Ciceronis ad Atticum lib. 5. *Apud Petronem, & reliquos Barones te in maxima gratia posui*. De Epicureis loquitur (ait Dictionarista) quos Philosophorum nomine non dignatur. Etiam Italicè istud nomen *Barone* in vilipendium, & opprobrium (veluti personis valdè imis, siue conditione, siue exercitio, siue etiam moribus, licet aliquando ortu nobilibus, fortuna diuitibus proprium) solet pronunciari.

Barones pro viris mollibus, ac vilibus.

Post antiquum Dictionaristam P. Ioannes Ludouicus de Cerda in ornamento super idem Dictionarium, Barones, ait, pro viris fortibus quidam putant esse Latinum; citant locum Ciceronis, vt supra ad Atticum. Verum, subdit, cum de Epicureis, à quibus tantopere in philosophia dissentiunt, in hac Epistola loquatur, accipitur tamen hic eadem in significatione, qua Cicero tribus aliis in locis vsus est, nimirum pro tardo, stolido, stupido, hebete. Sic Epistola vltima lib. 9 *Ille Baro se putabat, totum vnum Cælum esset, an innumerabilia?* &c. Nomen hoc, *Baro*, in hac significatione, licet sit apud Ciceronem in singulari, Vocabularistæ tamen noui in plurali sub litera B. posuēt, scilicet Barones. Nihilominus isto eodem nomine viros conspicuos, vt Proceres, atque Heroes, Dynastas, Toparcas, locorum Dominos appellant Auctores. Vide Dictionaristam citatum in Ambrosium Calepinum apud indicem Italicum, verbo, *Barone*.

Item & pro proceribus, & heroibus.

Beatus Bartholomæus noster verè Baro, vt Discipulus Francisci, ac Frater de Pœnitentia nuncupandus ob probatissimam vitam, amore cuius quæ stulta sūt, quæ stolida, & vilia apud mundi Barones, elegit. Sic meritò Procerus, Heros, Præfectus, Dominus à B. Francisco in Ordine de Pœnitentia constitutus, ac declaratus, vt pro suo lubitu haberet facultatem recipiendi fratres, reconciliandique girouagos. *Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit*, &c. Matthæi 7. Quo loco subdit Interpres in serm. Dom. 8. post Trin. Dominus dictus, eo quod dominetur cunctæ creaturę, vel quod prępsuit domui, vel quia dans minans. *Dicere Domine, verè est, corde credere, ore confiteri, operibus contestari*. Nam vnum sine altero negare est. Quantascumque enim laudes lingua resonet, vita mala blasphemat. Clamant ad Dominum, cuius non sunt serui, cuius minas non timent. Vnde ipse dicit Isaiæ 21. *Ad me clamat ex Seir, Custos, qui*

Dominus vnde dictus.

de nocte, *Custos*, *qui de nocte*, &c.

Deus cur bis Dominus, & cur bis Custos dicatur,

Seir interpretatur hispidus, & significat *peccatorem*, spinis peccatorum hispidum, & diuitiarum spinis, & curarum obsitum. Et infra. In Matthæo dicitur bis *Domine*, in Isaia bis *Custos*. Ad significandum, quod ille, qui est Dominus, necesse est, quod sit Custos, vt domũ, cui præest, benè custodiat. Hoc nomen Dominus, bis dictum, Creatorem, & Iudicem compræhendit. In rerum creatione fuit Dominus, & in districti iudicii examine erit Dominus, reddens vnicuique, quod iustũ est. Sed inter duo extrema ponitur de nocte, quia formam serui accepit, vt seruos custodiret. Vnde Lucæ 6. dicitur. *Erat Iesus pernoctans in oratione*, non pro se, sed pro caterua, ad quam venerat liberandam, fuitque Custos in passione, &c. Hæc Interpres.

Cognomen Baro, quam bene B. Bartholom. nostro cõsonet

Baro noster factus Heros, ac Toparca, fortisque sui ipsius victor, ac Dominus (necnon & inclitus arbiter in rerum stultarum pro Christi electione, ad confusionem Sapientum, & maximè Aduocatorũ, & Curialium) benè didicit, quod non omnis, qui dicit, *Domine, Domine intrabit in Regnum Cœlorum*. Hinc Dei voluntatẽ facere resoluens, eique vt verus seruus seipsum subiiciens, verè in tota vita sua sciuit dicere bis, *Domine*, *Domine*, *cum credens corde*, *ore confitens*, *operibus contestans*. Benè sciuit clamare non de Sejr, sed de ordine Pœnitentium, *Custos, qui de nocte, Custos, qui de nocte*. Nam creans, seu efficiens, vt Dominus, ac Præfectus, constitutus à Diuo Frãcisco, nouos Fratres, & vt Dominus, & Præfectus indignos reiiciens, optimus seruus Dei, & Francisci famulus, cuius dignam vicẽ gerebat, in eo seruitio apparuit: ac pariter bis Dominus, & bis Custos tam in sui, quam in Ordine de Pœnitentia regimine, & custodia. Præfuit domui conscientiæ suæ, & præfuit domui Religionis suæ, quã profitebatur. Et sicut vt bis Dominus primò illi, deinde huic domui præfuit, ita vt bis Custos vtramque benè custodiuit.

Habebat in domo sua B. Barthol. dæmoniacũ quendam loquacissimũ.

Hic habebat Dæmoniacum (pergit Antoninus) in domo, qui quasi continuè loquebatur, &c. Vide id etiam apud Vadingum citatum. De quibus autem illa Dæmoniaci assidua allocutio fuerit, Antoninus reticet. Quia tamen B. Bbrtholomæus cunctas res suas pauperibus Christi, vt vir verè Euangelicus, atq; Patriarchę pauperis Francisci consortio dignus, quotidie effudebat, fortè vniuersa Diaboli verba ad id boni distractionem tendebant. Prima eius locutio ad Christum in desertum, vt Pœnitentium summum antesignanum, ac principem à Spiritu Sãcto ductum, illa fuit. *Si filius Dei es*, *dic vt lapides isti panes fiant*, Matth. 4. Quæ verba ita pulchrè interpretatur Doctor noster in serm. 3. in Dom. 1. Quadragesſ.

Prima Diaboli allocutio ad Christũ in deserto

Diabolus peccatori suadet, *vt lapides ædificiorum*, *& lapides ornamentorum*, *scilicet pretiosi lapides in panem conuertantur*, *idest in oblectamentum diuitum*, *& non in vsus pauperum*. Hæc diabolica suasio nihil valebat in domo B. Bartholomæi, quãuis continua per interiorem suggestionem fuisset. Sciebat enim, quod de primis lapidibus, scilicet ædificiorum sine intermissione loquitur, Abacuc 2. vt subdit Interpres ibidem. *Lapis de pariete clamabit*, *& lignum*, *quod inter iuncturas ædificiorum est*, *respondebit*. Clamabit, inquam, ait Interpres, pro pauperibus, in necessitatibus positis, apud Deum quærimoniam faciendo. Et ideo Eccl. 29. dicitur. *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum, & non abscondes illam sub lapide in perditionem*. Perde inquam, idest distribue. Vnde subdit. *Conclude eleemosinam in corde*, idest in sinu pauperis, *& hæc pro te exorabit*. Legerat quoque, audieratq; Bartholomæus de secundis lapidibus, scilicet ornamentorum, illud Ezechielis 26. vbi dicitur exprobatoriè, aduertit Interpres. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*. *Sardius*. *Topatius*, *& Iaspis*. *Chrisolithus*, *& Ionix*, *& Berillus*. *Sapphirus*, *Carbunculus*, *& Smaragdus*. *Aurum quoque opus decoris tui*. Et sequitur. *In multitudine negociationis tuæ repleta sunt interiora iniquitate, & peccasti*. Et verè peccasti, quia proximi necessitate non es emotus. Et post nonnulla alia ad idem propositum, ex Isaia 14. & 58. ex Thren. 4. & ex Iob 22. rediens ad Diaboli allocutionem, Christo effectam de lapidibus, vt eos in panes conuerteret, ita claudit. *Sic igitur dicit Diabolus peccatori*. Quæ vtique pluries dicens Bartholomæo, in Curia Romana cõmoranti, quando peccator erat, vanè deinde sæpe in Dæmoniaco illo suadere tentabat iam ad pœnitentiam solidè conuersus, Iustusque effectus, ac spiritus paupertate ditatus dispergens continuò pauperibus, vt eius iustitia in sæculum sæculi permaneret.

Lapides ædificiorum in fraudem pauperum exprobrari.

Item & lapides ornamentorum.

Vel dicamus melius. Ob quamdam pectoris inquietudinem, quam ipsi inferebat sanctitas Bartholomæi, adeo impatiens ad tacendum, procliuisque ad loquendum spiritus malus in Dæmoniaco illo experiebatur. *Ipsi parati suscitare Leuiathan*, Iob 3. Quod egregiè sic declarat Doctor noster in serm. 2. Dom. 3. in Quadrag. *Illi Leuiathan, idest Diabolũ suscitant*, *qui*

Dæmoniacus ille ideo tã loquax, quia à sanctitate Bartholom. inquietabatur.

Iusti similes Apibus contra Diabolũ

qui eum in sui cordis hospitio requiescere non permittunt. Sancti enim, subdit, debent facere *sicut Apes*, quæ (vt fertur) sedent inspicientes super foramina aluearioru̇. Si aliquod extraneum intrare contingat, ipsum inter se permanere non patiuntur; sed tamdiu insequuntur, quousque extra aluearia propellunt.

Apes dictæ, eo quod pedibus se alligēt, vel quod sine pedibus nascantur. Vnde dicuntur ab, *a*, quod est sine, & *pes*. *Et significant viros iustos*, qui pedibus charitatis, scilicet affectibus se abligant: non ex natura, de qua dicit Apostolus, *omnes nati sumus filij iræ*; sed ex sola gratia, illis data. Horum aluearia sunt corpora, quorum foramina sunt quinque sensus, & specialiter oculi, super quos sedere debent, & diligenter attēdere, ne aliquid extraneum, idest diabolicum influat, & si forte aliqua Diaboli suggestio, vel carnis delectatio per ista intrauerit, nullo modo, vel pacto ipsam patiantur inter se manere. *Quia mora trahit periculum.* & vt quidam dicunt. *Morosa cogitatio est peccatum mortale.* Cum enim ratio discernit, quod cogitatio tendit ad illicitum, & ipsam prout potest, non refrœnat, hæc morosa dicitur esse cogitatio. *Sed boni Christiani sicut Apes statim debent insurgere, & aculeis contritionis, & orationis insequi, & extra suorum corporum, & cordium aluearia propellere. Et sic sunt Iusti parati* Leuiathan suscitare, *ne in eis requiem inueniat*. Hæc fuit Doctoris nostri illius mirandi excursus conclusio, qua inter bonos Christianos eo magis Bartholomæum nostrum comprændit, quo vir iste peroptimus vitam perfectam lege, & exemplis profitebatur. Quanto sollicitior contra quamcumque diabolicam suggestionem, tanto paratior suscitare Leuiathan illum, qui in illius energumini corpore *non sinebat continuò loqui*, quia ob requiem, quam nō habebat, diu noctuque loquebatur.

Iustorũ aluearia sunt corpora, quorũ foramina quinq; sensus

Leuiathan suscitant, & irrequietum reddunt.

Cum autem B. Franciscus ad illud hospitium quadam die accederet, antequam multum appropinquaret, Dæmoniacus ille cæpit tacere, & per triduum continuò tacuit, &c. Ecce Diaboli loquacitas in taciturnitatem commutata, appropinquans hospitio Bartholomæi Franciscus. Cur, Diabole; præsēte Bartholomęo adeo frequenter loquax, præsentiens autem Francisci præsentiam tam citò obmutescis? Certè sicut maxima pristina tua loquacitas ibi sacramento non caruit, ita pariter neque hic tua tam repentina taciturnitas sine misterio erit. *Exibant Dæmonia à multis, clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui*, Lucæ 5. Cur id apud Christum, multam Dæmonum loquacitatem, clamoresque ab eius præsentia veritatis vi extortos, taciturnitate præpedientem? Respondet Interpres in serm. fer. 5. Dom. 3. Quadrag. *Tacere iubentur eiecta Dæmonia* propter tria.

Obmutuit dæmoniacus dum propè esset Franc.

Cur Christus iusserit, vt Dæmonia tacerent.

1 *Ad confutandum iniquos Pharisæos*, qui dicebant, eum in Belsebub Principe Dæmoniorum eiicere Dæmonia.

2 *Ad amouendum ipsorum fallaciam*, qui semper vera aliqua falsitate fermentabant.

3 *Ad dandum nobis exemplum*, quia ipse Dominus est superorum, & inferorũ, & noluit Dæmonum obsequium; nec per consequens nos debemus velle. Hæc Interpres. Dedit istud exemplum, reliquitque Francisco suo Legislatori Christus Legislator. Obsequuntur Dæmones viros seruos, sanctosque Dei, venerantur q; sæpe numero, à Deo ita constricti. Verum vbi videntur eorum actiones multa, & aperta veritate aliquando pollere, illis amplius insidias occultiores tendunt, vt validiores sint in decipiendo. Pedes Sathanæ subtiliores sunt pedibus vnius culicis, etsi nimium parui, ac penè inuisibilis. Sufficit ei, vt vnum solum pedem in Sanctorum mentem intromittat, quia haud valde difficile illi deinde erit, proiiciendi eos à sanctitate per superbiam, & vanamgloriam, eosque attrahendi in suum obsequium, vbi prius eis obsequi videbatur. Sanctos, & Dei seruos vt sui tortores ad hunc finem plerumque prædicat, & vt tales prædicent, turbas, & populos artificiosissima adulatione commouet.

Quam subtilis Dæmon ad decipiendum sanctos viros.

Talis Diaboli pes subtilitate est culicis pes, sed proprietate Lupi, vt aliàs tradidimus ex Interprete nostro in serm. Dominicæ 2. post Pascha. *Lupus*, ait, *quidquid pressit pede non viuit. Diabolus tamquam Lupus quidquid presserit pede superbiæ, occidit.* Vnde Dauid Psal. 35. huiusmodi pede præmi timens, orabat, dicens. Non veniat mihi pes superbiæ. *Sicut enim omnia membra pedi innituntur, sic omnia vitia superbiæ, quia ipsa est initium omnis peccati.* Hæc Interpres, qui etiam in serm. Dominicæ 5. in Passione, super illud *Dæmonium habes*, &c. hæc alia. Dæmonium dictum, inquit, quasi Daimonion, idest peritum, & rerum sciũ. Dæmon Græcè dicitur valdè sciens. Quando aliquis adulando, vel applaudendo dicit tibi, peritus es, & multa scis, tunc dicit tibi, *Dæmonium habes*. Et tu statim debes respondere. *Ego Dæmonium non habeo.* A me ipso nihil scio, nihil boni habeo, *sed honorifico Patrem meum.* Ipsi totum attribuo, ipsi gratias ago, à quo est

Pes Diaboli pedi Lupi similis.

est omnis sapientia, omnis peritia, & scientia. *Ego gloriam meam non quæro.* Hæc Interpres. Vbi deinde in serm. Dom. 3. Quadrag. de dæmoniaco muto, *Illud erat mutum,* explicat arcana, ita scribit. Vnde aduertendum, quod multis cameris Dæmon habet ingressum, vel habere potest ad domum conscientiæ nostræ, scilicet animæ. *Sed tamen numquam, nisi per vnum ostium potest eijci, & expelli, scilicet oris, seu confessionis.* Ingredi namque potest per omnes quinque fenestras sensuum, Ierem. 9. *Ascendit Mors per fenestras nostras.* Iterũ, quia in hoc atrio, siue castro sunt tres Thalami.

Multis cameris Dæmon ingreditur domum animæ.

Primus Thalamus Thesauri, & hic est *Memoria,* vbi collata beneficia debent reponi, quæ sunt thesauri, homini traditi.

In atrio hominis tres thalami.

Secundus Thalamus Consilij, & secreti scrutinij, & hic est interius, & ideo thalamus quieti cubiculi, *& hic est cor, vel conscientia.*

Tertius Thalamus Conuiuij, vbi solus Rex cum suis Principibus conuiuatur. *Et hic est Voluntas,* ad quam nullus, nisi solus Rex admitti debeat, & illos, quos vocare vellet. *Ibi namque sunt, vel debent esse dulcia fercula amoris, & charitatis.*

Ad hos, inquam, Thalamos Dæmon diuersis posticis ingreditur, quia thalamũ *Memoriæ per posticum ingratitudinis.* Thalamum interius *per posticum erroris.* Thalamum conuiuii per infinitos posticos; quia per minam ibi factam *superbiæ,* per *discordiam, susurrationem, & odium;* per fenestram alteram *vanæ gloriæ;* & per posticum *inuidiæ,* &c. & per infinitos quasi habet ingressus. Cum igitur tot possit habere ingressus, nonnisi per vnum solũ ostium potest expelli, *scilicet per loquelam, & ostium confessionis,* &c. Hæc Interpres.

Ad quos Dæmon diuersimodè ingredi solet

In viris sanctis, ac seruis Dei, Christũ, & Apostolos omni conatu imitantibus, quando datur Dæmoni ingressus ex fenestra vanæ gloriæ ad conuiuii thalamũ per minam superbiæ, vnde ipsa vanagloria oritur, is sanè ingressus admodum extimescendus. Nam quo illi talis ingressus facilior, eò egressus difficilior. Adeo enim sub ipsa sanctitate palliari solet, eique contemperari, vt tota sanctitas ibi appareat, vbi reuera culpa est, accusatione per confessionem promerita. Ideo Sanctissimus Interpres noster, omnium Diaboli viarum perdiligens, rarusque scrutator, vanægloriæ solum tactum per solum leuissimum verbum nedum ingressum plurimum pertimescens, clamare solebat cum Diuo Bernardo. *Verbum vanægloriæ noli me tangere.* Vide supra ex eadem Dom. citata de Passione in Dominicali. Et in Quaresimali super eandem Dom. in illud Christi ad Pharisæos, qui ipsum Dæmonium habere asserebant; *Ego non quæro gloriam meam:* Diabolus, ait, quæsiuit propriam gloriam, quæ fuit causa suæ ruinæ. Ergo omnis, qui habet Dæmonem, ab ipso habet propriam gloriam requirendam. *Sed ego propriam gloriam non quæro, quod patet, quia non curo de meis contumelijs, quas infertis; sed potius committo illas Deo Patri, qui quærit gloriam meam, & ad quem pertinet talia scelera iudicare, &c.*

Vanægloriæ ingressus quã periculosus in viris sanctis.

Gloria vana causa ruinæ Diaboli fuit

Obmutescat igitur Dæmon, vbi propè est Francisci aduentus; obmutescat, inquam; nam Franciscus Christo intimè adhærens, factus cum eo vnus spiritus à principio suæ conuersionis, incipiensque à contumeliis, & à contemptu sui ipsius, nonnisi Dei gloriam, & animarum salutem, triplexq. leuamen Ecclesiæ vniuersæ, iam sub Dæmonis pedes redactæ, perquirebat. Quare validè cum Satana contra omnem superbiam, & gloriam vanam dimicaturus, ipsa militiæ Christi arma assumpserat, vt propterea in Christi virtute Dæmoniacum illum loqui, iam ingenti pauore retentum, minimè sineret.

Obmutescere dæmonia cus ille debebat in aduentu Frãc.

Cum igitur propè esset Frãciscus Bartholomæi hospitio, statim Diabolus obmutuit, vt sic coactus ostenderet, quam similis fuerit Christo suo Franciscus, cui exemplum reliquerat, ne Dæmonum obsequia perquireret, qui vt Dæmones torqueret in Mundum venerat, ab illo, veluti Legatus suus vnicus, in opus totius fidei Romanæ restaurationis missus; & vt eorum tyrannidem ab Ecclesia sua penè collapsa remoueret. *Diabolus super omnia duo specialiter timet,* ait Interpres loco citato paulò infra, sequens metaphoram de Lupo, *Ignem scilicet charitatis, & Viam tritam humilitatis.* Hæc duo potissimum in Christo magis, quam Inferni ignis cruciabant Dæmonia. Hæc duo quoque præcipua constituebant Franciscum dignum trium legum Legislatorem, ac triplicem quoque legis Euangelicæ, & Ecclesiæ Reparatorem, veluti simulachrum quoddam præcipuum exemplari Christi conforme, siue typum prototypo suo persimilem. Super his ingenti pauore concussus Diabolus, præscius aduentus Francisci anticipato siluit, obmutuitque, ac per triduum continuè tacuit, vt habet Antonini historia. Id verò accidit, eo quia per triduum ibi mansit Franciscus. Neque tamen illud diabolici silentii triduum, præsente Francisco, suo caruit misterio. Nam sicut alibi scriptum est ex

Duo maximè in Frãc. excruciabãt Dæmones.

Per triduum tacuit Dæmon.

Inter.

Interprete nostro Dom. 1. post Epiphan. super illud Lucæ 2. post triduum inuenerunt illum (scilicet Iesum) in Templo, triduum istud tria significare potest.

1 Claudit aliud triduum respectu nostri, siquidem, *Est propriæ iniquitatis cognitio. Fraternæ necessitatis compassio. Diuinæ pietatis admiratio, & consideratio.*

Triduum mistice triplex.

2 Continet & ipsum aliud triduum respectu Christi, in Templo mentis viri iusti sedentis, ac post primum triduum inuenti. In tali Templo (ait Interpres noster) post tale triduum inuenitur Iesus Christus, & tu adde cum duplici alio triduo inuenitur. Subdit enim statim idem Interpres. Sed quid tibi facit? Certè tria. *Sedet in medio Doctorum. Audit. Interrogat.* Ecce primum triduum historiale. *In mente viri iusti sunt Doctores, idest mentis affectus, qui docent, quid cauendum, quid agendũ. In quorum medio Iesus sedet, cum mentem pacificat. In mente pacificata quiescit. Quiescens omnia suauiter disponit.* Ecce alterum triduum misticum.

Triduum Christi in templo animæ

3 Est de alio triduo item respectu nostri. Aliter exponi potest triduum, inquit. *Triduum est Pœnitentia,* quæ in tribus consistit, scilicet Contritione, Confessione, Satisfactione. De quo triduo Moyses Exod. 3. *Ibimus viam trium dierum, pergemus in solitudinibus, & sacrificabimus Domino Deo nostro.* Post hoc triduum Ioseph, & Maria, idest pœnitentes, spiritu Pauperes, & Humiles inuenient Iesum in Templo cælestis Hierusalem. *Hoc est, quod dicitur Gen. 11. quod Pincerna post triduum restitutus fuerit gradui pristino.*

Triduũ pœnitentiæ.

Hæc omnia tridua vnus Franciscus, trium Ordinum iam Institutor, triplexq; eorumdem Legislator, quomodo etiam & triplex Romanæ Ecclesiæ Reparator, gerebat mirabiliter. Ipso præsente, ac triplicem Ordinem, triplicemque Legem in Satanæ excidium præsentante, intra mẽtis eius templum Iesus sedebat in medio Doctorum, audiebat, interrogabat. Vnde non mirum, si ipse Iesus ex triduo, quo ibi cũ Francisco manserit, obmutescere illũ fecerit. Et quidẽ *funiculus triplex* sunt tres Ordines, quos instituit Franciscus, eorumque triplex lex ab eo scripta ad ligandum tripliciter Diabolum, eiusq; robur triplici, atque ingenti vi præpediẽdum, ablatis iam à Christi dextera tribus iræ suæ in peccatores fulminibus, à Patriarcha Dominico visis, & etiam à Beato Francisco, vt habet Diuus Vincentius Ferrerius, & alii apud Vadingum 1216. num. 15. Quæ omnia ex ipsa historia, quã adhuc persequimur, sic patere possũnt, teste ipso Antonino.

Cuncta hæc tridua quomodo in vno Frãcisco.

Post recessum, ait, *B. Francisci loquacitatem primam reassumpsit.* Adiuratus ergo Diabolus à dicto Bartholomæo, cur tacuisset per illud triduum? *Respondit. Ex quo applicuit B. Franciscus, ita religatus fuerat à Deo, quod vnum verbum proferre non potuisset.* Et Bartholomæus adiecit. Est ne ergo tantus hic Frater Franciscus, vt per eum sic pati potueris, & ligari? Cui ille. *Verè talis, & tanta est virtus, quod magnalia eius totus mundus cum admiratione cognoscet.* &c. Illud postremum verbum, *cognoscet,* haud præsentia, sed futura, ac succedanea magnalia, à Beato Francisco in toto terrarum orbe operãda, denotat. Sed vnde Diabolus, præscius excellentissimus super omnes Astrologos terræ, atq; notissimus vaticinator, eam futuritionem rerum mirabilium Francisci, in omni mundo diffundendarum adeo euidenter, ac firmiter coniectare poterat? Respondeo ex Interpretis nostri doctrina.

Recedente Fran statim Diabolus pristinã reassumpsit loquacitatem.

Tunc apparebit signũ filij hominis in Cælo, Matth. 24. *Super montem caliginosum leuate signum.* Isaiæ 13. Harum scripturarum concordantia apud Doctorem nostrum est huiusmodi in serm. Dom. infra octauã Epiph. Mons caliginosus est Diabolus. Mons per superbiam. Caliginosus per suggestionis caliginem, quam menti infert. *Super quem peccatores tunc signum leuant, cum eum Crucis virtute victum prædicant. Exaltant vocem, cum opportunè agunt, obsecrant, increpant. Leuant manum, quando quod prædicant voce, exercent opere, de quo signo Ezechiel 9.* Signa Thau super frontes virorum, gementium, & dolentium. *Isti soli signo Dominicæ Passionis non contradicunt, quia ipsum in fronte deferunt.* Qui sunt isti gementes, & dolentes, *nisi Pœnitentes, spiritu pauperes, qui in Cruce gloriantur, & super abominationibus, quæ fiunt in Mundo, dolent, & gemunt?* Hæc Interpres.

Mons caliginosus Diabolus est.

Quid signũ Thau super frontes virorum.

Noua, & insueta res fuit Francisci ad pœnitentiam conuersio; noua pariter, & insueta innumerorum sexus vtriusque, quos ipse Franciscus cõuerterat, constans ad pœnitentiam reductio: Hi omnes cum Duce Legislatore (in cuius fronte iam Thau signum aureis characteribus à principio suæ cõuersionis eo anno 1209. visũ fuerat) super Montem caliginosum superbiæ Diaboli, ipso Diabolo obstupescente, prædicabant Crucis virtute victũ. Et tamen plurimi antea ex illis, voce, & opere Crucis signum cum aliis communiter cõculcantes, se ipsos Diabolo veluti absoluto Principi perenni fœdere mancipasse ostenderant. Erat Fratrũ de pœnitentia professus Bartholomæus, & eius Hospitiũ Fratrũ de pœnitentia domiciliũ

Sub

Dæmonis vaticiniũ circa futura Fran. magnalia, vbi fundatũ

Subducatu ergo, & lege B. Francisci illinc Fratres Minores, istinc Sorores, Dominæq; pauperes, ac insuper Pœnitentium societas, & quotquot tunc istos Ordines profitebantur, non amplius vt antea fide mortua cum maiori Christianorum parte signo Dominicę Passionis contradicebant; immo in fronte eum spiritualiter deferebant. Ipsi verè gementes, & dolentes, ac spiritu pauperes, in Cruce gloriabantur, & super abominationibus, quæ adhuc generaliter fiebant in Mundo (& ad eas iam ab vniuerso Mundo eradicandas nouiter exorti) dolebant, & gemebant. Hæc tanta insueti remedii nouitas in Ecclesia, tunc quando veteri in vitio enutrita, ruinæ proxima erat, ad euidens vaticinium constrinxit Dæmoniacum, vt eiusdem remedii euidentiam, illiusque diuturnitatẽ, ob quam Francisci magnalia vsq; ad Mundi finem, per totum Orbẽ cognoscenda, & admirãda erant, assertiuè quodãmodo cõcluderet illo verbo, *cognoscet*, quod est futuri tẽporis pronũciatiuũ. Sed quæ sequuntur, meliori argumento idipsum patefaciunt ex altera expositione, facta ab eodem Dæmoniaco ad Bartholomæum, eum iterum de alia re ita sciscitantem.

Respondet denuò Bartholomæo Dæmoniacus.

Et numquid, inquit, *Bartholomæus vos de eius aduentu, ex quo tantus est* (iste Franciscus) *aliquid cognouistis*? Et Dæmon. *Non est multum tempus, quod Princeps noster nos omnes simul congregauit, & dixit, quod Pater misericordiarum Deus numquam sic Mundũ peccatis inuolui permisit, quin Mundo peccatis multum collapso semper aliquem miserit pro peccatoribus conuertendis.* Ad id arridet illa Interpretis nostri doctrina ex præcitata Dom. 3. Quadrag. in princip. *Neque enim*, ait, *istud est nouum; nihil enim sub Sole nouum, inquit Salomon. Iam enim præcesserunt in sæculis, quæ fuerunt ante nos, &c.* Sed Dæmoniacus hanc theoricam ostendit practicis exemplis, ita subdens. *Sicut misit Noë, Abraham; deinde Moysen; demum Christum, & Apostolos.*

Probat suũ responsum exemplis.

Quia igitur modo (subdit, minorem annectens propositionem) *humanum genus viam Christi, & Apostolorum reliquerat, & memoria Passionis eius à cordibus hominum quasi totaliter recesserat; ex multis argumentis clarum est, quod mittendus erat aliquis Reformator, &c.* His verbis tetigit Dæmon illas septem Dei misericordias, quas D. Bernardus apud Interpretem nostrum ex subuentione humani generis, in miserrimo criminum excidium lapsi in se ipsum transtulit, alii prodigi in seipso delineans formam. Septempliciter enim misereri debuerat humani generis Deus, cum perfectè reparans, sicut copiosè per filiũ suum redimerat, per illum reformatorem, ab ipso Redemptore mittendum. Vide ad finem serm. de filio prodigo in Sabbato Dom. 2. & applica ab vna persona ad omne humanum genus, vt infra. Num autem hunc Reformatorẽ, Redemptori simillimum, miserit tunc Deus, vel vicinus fuerit, iam ostendit Dæmon in conclusione, ex certissimis præmissis deducta, quod miserit, & quod aliud non poterat esse, nisi Franciscus.

Septies misertus est humani generis Redemptor per Franc. illius repar.

Cum autem, inquit, *viderimus istum Franciscum sic ardua virtutum cum tanto feruore ascendere, mundana contemnere, vitã Christi renouare, tantam congregationem hominum perfectorum post se trahere; quasi certitudinaliter existimauimus, quod ipse est, quem timebamus, pro Mundi reformatione mittendum. Et adiecit Dæmon, scilicet Princeps Dæmoniorum, quod Deo Patri, contra Mundum turbato, Christus promisit suam Passionem in puro homine renouare, per quam cordibus imprimeretur fidelium, à quibus videbatur penitus abolita. Hoc autem fuit* (subdit Antoninus) *biennio antequam Sãctus sacra stigmata recepisset.*

Coniectura Satanæ peruidens de sacris Stigmatibus biennio ante.

SECTIO PRIMA.

Dei Misericordia, quam erga humanum genus in Francisco, tripliciter Legislatore, ac triformiter Romanæ Ecclesiæ Reparatore intra hospitium B. Bartholomæi de Baro Dæmoniacus quidam testatus est, aliquanto expenditur, residuumque inceptæ historiæ profertur.

TOta natura humana intra ipsum Catholicæ Ecclesiæ gremium iterũ malè à Dæmonio (iam filiæ Chananeæ, quando Christus fundabat ipsam Ecclesiam, præfigurata) vexabatur tempore aduentus Francisci, ad eandem reparandam Ecclesiam missi. *Egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quã cum vidisset Sichen filius Emor Euei, Princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit*, Gen. 34. In qua historia Interpres noster concordans eam cum alia de filia Chananeæ, intelligensque moraliter pro Dina filia Liæ cuiuslibet peccatoris animam, hæc fatur in Dom. 2. Quadrages. De hac ergo dicitur. Egressa Dina, vt videret mulie-

Historia de Dina allegoricè, ac moraliter data reparãte Ecclesiã Francisco.

Mulieres quid præmonstrent.

mulieres regionis illius. *Mulieres temporalium pulchritudinem, abundantiam, vanitatem, & voluptatem huius Mundi significant.* Quæ ideo dicuntur mulieres, quia emolliunt, & effeminant mentes hominũ. Vnde dicitur 3. Reg. 11. quod mulieres auerterunt cor Salomonis. Pulchritudo enim, & abundantia temporalis infatuat cor sapientis. Ad has mulieres videndas infelix anima tunc egreditur, cum in tẽporalium abundantia, & pulchritudine delectatur, & sic infelici euenit, quod sequitur.

Diabolus stolidus à superbia.

Quam cum vidisset Sichem filius Emor Euei. *Sichem labor, Emor Asinus, Eueus ferus, vel pessimus interpretatur. Sichem, idest Diabolus, qui semper laborat, vt inique agat.* Iob 1. & 2. *Hic filius Emor Euei dicitur, quia stoliditate, & ferocitate superbiæ, de Angelo Diabolus, de filio gloriæ factus est filius mortis æternæ.* Hic dicitur Princeps terræ, idest illorum, qui terrena sapiunt.

Cur princeps terræ dictus.

Princeps (inquit Dominus Ioann. 12.) Mundi huius eiicietur foras. Iste dum infelicem animam, quæ causam, & iudicium (sic interpretatur Dina) pro peccatis suis deberet portare, per temporaliũ vanitates euagari conspicit, facit ei, quod sequitur. Adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginẽ, & conglutinata est anima eius cum ea. Nota singula verba.

Quatuor mala in anima, Diabolo per culpam inhærente.

1 *Diabolus animam adamat, cum ei peccatum suggerit.*

2 *Rapit, cum ipsa anima, suggestioni mente consentit.*

3 *Dormit, cum illa & virginitate priuat, cum præmeditatam malitiam ad extra in opus producit.*

4 *Anima eius conglutinatur cum ea, cum malæ consuetudinis glutino captiua, & ligata tenetur. Ecce quam malè filia mea à Dæmonio vexatur,* concludit Interpres, estque idipsum omnino, quod Ecclesia id flendo dicebat tempore S. Francisci, deplorans communem totius Christianitatis miseriam, à Principe huius Mundi tyrannicè vexata, & ab eo sic malè adamata ad raptum tam enormem, ac sacrilegum. Eiecit foras Diabolum, Mundi Principem, Christus in sua Redemptione, liberans ab eius manibus Dinam, scilicet naturam humanam, quam in noua Lege, & Ecclesia, ab originali culpa eã emens,

Franciscus reparator in excidium principismali.

Christianam fecit. Eiiciendus iterum erat per Franciscum in sua Reparatione, liberandaque ab eius manibus Dina, & in statum Christianitatis, quam profitebatur, cuique adeo monstruosè degener apparebat, reducenda. Verum sicut in opere Redemptionis multiplex Dei misericordia per Iesum Christum necessaria fuit, ita quoque & per Franciscum, Iesu Christi exemplar in opere Reparationis. Quare claudens Interpres noster clamoribus, & fletibus communibus Ecclesiæ, & particularibus vniuscuiusq; singillatim illum sermonem, tum Dinæ, tum quoque & filiæ Chananeæ historias, miranda concordantia ita finit.

Miserere ergo mei Domine, fili Dauid, quia filia mea malè à Demonio, à Sichem filio Emor Euei vexatur. Et Dominus eius misertus est, cuius misericordiæ non est numerus. Filiam, quæ à Dæmonio vexabatur, misericorditer liberauit. Vnde & sequitur in eadem historia. Genesi 34.

Duo gladii arripiendi sunt contra Diabolũ ad liberandum ab eius manibus animam

Arreptis duo Iacob filij, Simeon, & Leui, fratres Dinæ, gladijs suis, ingressi sunt Vrbem confidenter, interfectisque omnibus masculis, Emor, & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Simeon, qui interpretatur *audiens tristitiam*, significat *cordis contritionem*. Leui interpretatur *additio*, & significat *oris confessionem*, quæ debet addi cordis contritioni. Hi duo filii Iacob, idest Pœnitentis, & fratres Dinæ, idest ipsius Animæ, debent accipere *gladios diuini amoris, & timoris*, & interficere Diabolum, & ipsius superbiam, & omnia, quæ ad ipsum pertinent, idest peccatum, & circumstantias peccati. *Et sic sororem suam animam, in domo Diaboli captiua, & malæ consuetudinis catena ligatam poterunt liberare.* Hactenus Interpres, & quidem valde ad propositũ in re nostra, vbi adhuc currit sermo de Legislatore Francisco, Ordinem Pœnitẽtium instituente. Per ipsum enim Dominus generis humani misertus, cuius misericordiæ non est numerus, Christianitatem omnem, quæ a Dæmonio vexabatur, gladiis diuini amoris, & timoris, à Francisco, & eius fratribus, & filiis vibratis, misericorditer & septemplici misericordia liberauit. Tenens ordinem eundem Francisco Reparatore filio suo adoptiuo, quem tenuit cum Christo Redemptore filio suo naturali, iuxta parabolam adolescentis prodigi. Hanc dum sibi applicuit, & cuilibet peccatori Bernardus apud Doctorem nostrum citatum, nos omni generi humano, à Francisco reparato (prout ipsa omne genus humanum in persona eiusdem Prodigi literaliter præfigurabat) eam referimus, mutatis mutandis, & additis addendis.

Septem misericordiæ Dei per Franciscum, Ecclesiam reparantem.

Septem in me video misericordias Domini (ait genus humanum gratiam reparationis suæ à Francisco recognoscens) quas & vos ipsi mortales omnes facillimè inuenire potestis. In

Prima misericordia in dissimulãdis peccatis.

Prima Misericordia est, inquit, alloquens Deum suum, *quæ non potest explicari sermone, quam benigna, quam gratuita*. Ego peccabam, & tu Domine dissimulabas. Non continebam à sceleribus, & tu abstinebas à verberibus illis, quibus merebar in Infernum demergi. Prolongabam ego multiplicando iniquitatem vsque ad interitum, à tua vindicta iustè in me exequendum. Et tu Domine pietatem tuam prolongabas, præparans reparationis remedium. Hanc misericordiam tangit Euangelista in prima parte de filio, *qui partem petiit a patre, & recessit*. Vide continuationẽ peccatorum de vno in aliud.

2. Misericordia in liberatione à nouis peccatis.

Secunda Misericordia est, quod à multis alijs peccatis adhuc in [illegible] *immersum, ne tandem funditus perirem, liberauit me*. Quis enim nõ videat, quod sicut in multa cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, & tandem [illegible] nisi me omnipotentis Pietas ex merito Reparationis Francisci me [illegible] Fateor, & fateor, quia [illegible] adfuisset me per Franciscum [illegible] cecidisset in omni peccato Ecclesia mea, & periret. Hanc Misericordiam tangit, quando dicit, quod ille Prodigus *cupiebat saturari de siliquis porcorum, & nemo illi dabat*. Idest [illegible] non dabat, cuius centrum vbique, [illegible] circumferentia nusquam, quia non [illegible] hominis opportunitatem peccandi, quam optat, libenter tamen [illegible] Dæmon daret, qui te posuit ad porcos [illegible]. Per hos porcos, [illegible] [illegible] radices, & siliquas intelligit Interpres [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

3. Misericordia in vsitatã de peccatoribus.

Te[illegible] per Franciscum [illegible] Ordinibus, tribuit [illegible] (ipse Deus misericors ad hoc illum mittens) ceu *filius gratiæ* venit contra omne peccatum. Vt faceret mihi amara sub suaui pœnitentiæ iugo, quæ mala dulcia in pœnam æternam sub Diaboli tyrannide mihi erant. Hanc Misericordiam tangit Saluator, quando dicit, quod hic adolescens est ad se reuersus, & quod cepit intra se dicere, *Quanti mercenarij, &c.*

4. Misericordia in pœnitentibus suscipiendis.

Quarta misericordia est quod me [illegible] *misericorditer suscepit*, vt in eorum numero inueniretur, de quibus Psalm. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*. Testes sunt innumeri ex meis, alii sub Lege Fratrum Minorum. Alii in muliebri sexu sub Lege Sororum Pauperum. Alii sub Lege Fratrum Tertii Ordinis, & omnes singulari pœnitentia ad statum vitæ Apostolicæ vario modo accedentes. Hanc misericordiam tangit in hoc, quod dicit, *Patrem occurrisse filio*, cum adhuc esset procul & eum *amplexatum*, ad pacis *osculum* suscepisse.

5. Misericordia in accludendis recidiuis.

Quinta Misericordia, per quam, misso ad me Francisco, mihi, continendi deinceps emendatius, præstitit virtutem; vt non recidiuum ad destructionem pateret, & *esset nouissimus error peior priore*. Nam tunc cessabit reparatio Ecclesiæ, per Fraciscũ à Deo miserente effecta, cum cessabit Ecclesia ipsa, & ipse cessabo cum Ecclesia. Hanc misericordiam tangit in hoc, quod dicit adolescentẽ fuisse *calceatum Patris*, contra asperitatem viæ pœnitentiæ, vel calceatum, idest mortificatum desideriis, ne pes, iam lapsus, sordibus immergatur. Totum id præstat triplex Francisci lex, strictior pro Minoribus, mitior pro mulieribus, communior pro omnibus, vt [illegible] super faciem terræ, qui se abscõdat ab illis, ad asperitatem viæ pœnitẽtiæ christiana patientia amplectendam, & ad mortificanda carnis desideria; *quæ sua, non quæ sunt Christi*, in Christi legis consolationem, perquirunt.

6. [illegible] gratia promerendi

Sexta Misericordia est gratia promerendi in ecclesia, à Francisco reparata in adimpletione eorum, quæ Passioni Christi, [illegible] Redemptioni quoad executionẽ de[illegible]. Et hæc gratia significatur in *Annulo* [illegible], qui ponitur in manu, idest operibus applicatur; quod fit non propria nostra virtute; sed Dei gratia, quæ huiusmodi Annulum nobis dat.

7. Misericordia in munere bonæ conuersationis.

Septima Misericordia est munus bonæ conuersationis in Ordine, & sub Lege Pœnitentium. Melioris in Ordine, & sub Lege Pauperum Dominarum. Optimæ in Ordine, & sub Lege Fratrum Minorum. Hęc Misericordia posset adaptari ad vestem, vel ad vitulum. Quia in qualibet Francisci Ordine, atque instituto, vt vestis conuersaris inter lilia: vel vt Vitulus pasceris cum claritate, & munditia conscientiæ; & ibi est tua conuersatio Apostolus. *Conuersatio nostra in Cælis est*. Hæc Intepres ex mellifluo Bernardi ore, cui quæ addita sunt, vel ancta, aut mutata cognosci possunt ex ipso exemplari, quod ibi loco citato idem Interpres affert.

SECTIO

SECTIO SECVNDA:

Reliquus Discipulatus Francisci sub Instituto, ac Lege Tertij Ordinis de Pœnitentia breui concluditur.

PANEGIRICVS VI.

Desertum Paradisus.

Sub octauo numero in sanctissimo Fratrum, Sororumque de Pænitentia cœtu aggreganda.

B. VIRIDIANA, cui & habitum, & Regulam Tertiariorum tradidit immediatè ipse Sanctus Institutor, & Legislator.

In Viridianæ nostræ Viridario intra inaccessibile sui ipsius desertum tres plãtæ singularissimæ, vernantes, ac viridæ, floridæque iuxta *eius* Patriæ quoque nomenclaturam (ortum enim habuit apud Castrum Florentinum) extitere. Quinimmò vsque ad mortem benè seruatæ, & semper ad nouum incrementum excultæ, admiratæ sunt. Testatur Isaias cap. 41. *Ponam in desertum abietem, vlmum, & buxum*. Ob harum plantarum simbola cuiusuis animæ religiosæ Paradisus desertum dictũ est à Christo in parabola de oue perdita. Mentirer, nisi ex commentario Interpretis nostri hanc mirandam doctrinam prælibarim. (In B. Viridianæ Viridario tres plantæ val de singulares.)

1 *In Abiete*, ait (& iam alibi adnotaui) *signatur cælestis conuersatio*.

2 *In Vlmo, quæ vitem sustentat, proximi compassio*.

3 *In Buxo, quæ est pallidi coloris, mortificatio. His arboribus Desertum benedictionis, Paradisus sanctæ Religionis conseruatur*. Hæc Interpres. Vel dicamus aliter cum eodem.

Beatæ Viridianæ, Christi Sponsæ deuotissima anima inclitam, venustamque Susannæ sanctissimæ veteris Testamenti, castissimæque animæ imaginem ad viuũ exprimit. Docet Interpr. noster in serm. 2. Dom. 1. Quadrag. vbi præposita historia de Susanna Dan. 3. loquensque de oblatione, & lotione spirituali mistici sacrificii vniuscuiusque Christiani, per quod *Odoratus est Dominus odorem suauitatis*. Gen. 8. ita scribit. Igitur hanc oblationem, & lotionem præceperat Deus. *Hanc in figura Susanna Sancta illa seruauerat, quæ nouit castitatis præseruatiua, scilicet pænitentiam apponere, nisi prius præmissa lotione. Vbi attende, quod hæc Susanna deuotam animam nobis significat multiplici ratione, quadruplici tamen quantum ad præsens.* Hanc quadruplicem rationẽ ex textu Interpretis possumus per synopsim referre nunc ad nomen Susannæ, nunc ad eius ortum, & dotes, nunc ad ipsius matrimonium (istud ponit in primo loco Interpres) nunc demum ad ingressum Pomarii, vt lauaret se, &c. (Susanna, deuotæ animæ figura.)

1 *Susanna obtentus Lilij interpretatur* (est Anima) quæ scilicet optimè nitet candore puritatis, decore honestatis, honore sanctitatis, ad modum Lilii Cant. 7 *Sicut Lilium inter spinas* candet, redolet, & floret, sic & cætera. (Susannæ simbola in perdeuota B. Viridianæ anima.)

2 *Filia Helchiæ, idest à sancto proposito genita, quæ nihil præter sponsum desiderat habere*. Helchias pars Domini, vel vendicatus Domino dicitur. *Pars mea Dominus, dicit anima mea*. Threnor. 3. *Ego Dominus ero pars eorum*. Numer. 18. *Pulchra nimis*. tam in naturalibus, quam in gratuitis. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, Cant. 4. *Et timens Deum*, & ideo præcauebat omne malum, quia in timore declinat omnis à malo, vt dicitur in Psalm. &c. (Animæ pulchritudo qualis.)

3 *Vxor Ioachim*. *Quia desponsata generosa arrha Dominicali, vel subarrha, quia nata generosè*. Ioachim, idest Domino præparatus, vel Domini resurrectio signat Christum, quia ipse est, quem *Deus suscitauit à mortuis, solutis doloribus Inferni*. Et accipit vxorem animam, quam in fide desponsauit, vt ex illa filios, idest meritorum opera procrearet, quę notant gloriam, & hæreditatem cælestem. (Christus accipit in vxorem animã.)

4 *Et erat ei Pomarium. Videlicet Ecclesia militans, tamquam Paradisus voluptatis. Vicinum domui suæ, quia Ecclesia militans vicina est Ecclesiæ triumphanti*. Sed istud idem pomarium exponens superius per synedochen, loquens de summo studio animæ in seruanda pro solo sponso suo Christo venustate, cum honestate, ac pulchritudine, sic ait. *Hanc pulchritudinem cum honestate viro suo, cui illam dicauerat, studebat obseruare, & idcirco ingrediebatur Pomarium Pænitentiæ, vbi plantantur bona plantæ, & vnde extirpantur herbæ malæ, & inseruntur herbæ bonæ, & fructiferæ. In herbis imbecilles, in arboribus fortes ad pænitentiam intellige*. Intelligit etiam ibi per Pomarium prædicationem, & infra, vt mox dicetur, conscientiam propriam. Itaque apud ipsum Pomarium est quadruplex, hoc ordine. 1. est Pœnitentia. (In pomario pœnitentiæ, quæ bonæ plantæ, & quæ eius herbæ.) (Pomarium quadruplex)

2. Prædicatio. 3. Ecclesia militans. 4. Conscientia propria.

Hæc igitur Susanna, concludit Interpr. *ingressa est cum duabus puellis, vt lauaret se in Pomario*. Pomarium est conscientia propria, quæ debet esse Hortus conclusus. Vnde istud Pomarium, est Paradisus voluptatis. Nam in ipso ponit Deus hominem. Hæ duæ puellæ sunt duæ considerationes, quas debet habere anima secundum Bernardum. Debet enim in se cogitare, quam vilis sit in seipsa, & quam pretiosa in conspectu Domini.

Duæ considerationes animæ.

1 *Vilis est ex seipsa*, quia ad nihilum redacta, est enim orta peccatis, offuscata tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum.

2 *Licet vilis sit in seipsa*, est tamen magni pretii apud Deum, quia pretioso Christi pretio, & commercio redempta. Iob. 7. *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Vnde Bernardus. *Scio Domine, quia vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Et addit. *Quomodo Domine nihil sumus, si thesaurus tuus sumus?* Sic igitur (infert Interpres) cũ his duabus puellis, idest cum hac duplici consideratione ingredi *debet Susanna, idest anima pœnitens pomarium, idest conscientiam*, ad lauandum se per confessionem, & vngendum se per pœnitentiam contra æstũ vitiorum, & contra culparum incendium. Hucusque Interpres.

Anima quomodo vilis, & pretiosa.

B. Viridiana nostra, infans adhuc, gestans Susannæ simbola, ac nomine Viridarium, intra Pomarium Militantis Ecclesiæ ingressa est primò pomarium conscientiæ propriæ cum duabus puellis. Deinde in pomarium pœnitentiæ sub lege Tertiariorum Sancti Francisci ex pomario ipsius Sancti Viri prædicationis feliciter transiit. Inter Viridarium, & Pomarium id discriminis extat. Viridarium (*Italicè, Horto, Giardino*) est locus virentibus arboribus, herbisque amænus. Suet. in Tib. cap. 60. Pomariũ verò (quod Itali nuncupant *luogo doue sono molte piante di pomi*) locus est arboribus pomiferis consitus. Propert. lib. 3. & alii. In Viridiana nostra, Christi sponsa lectissima, nec Viridarium sine Pomario, nec Pomarium sine Viridario fuit tũm in suæ conscientiæ, tum in Ordinis Pœnitentiæ horto. Patet ex historia vitæ eius, quam Vadingus luculenter de more conscripsit ad annum illius obitus 1242. sub num. 22. Quamque deinde Auctor Martyrologii die Februarii 1. quando glorioso exitu, eius anima transuolauit ad sydera, ita arctiori stylo, relictis nonnullis, exscripsit.

B. Viridiana à sua infantia Dei viridarium

Quod discri men inter viridarium, & pomariũ.

B. Viridiana, ait, ab infantia sua cepit Deum timere, mundique illecebras deuitare. Intus ad carnem cilicio, & circulo ferreo accincta, ieiuniis, ac piis operibus se totam dedit; ægenisque pro Christo omnia erogabat. Tantus fuit eius deuotionis feruor, vt peregrinationem susceperit ad D. Iacobum in Compostella. Inde Romam ad limina Apostolorum, postea in patriam reuersa, à Seraphico Sancto Patre Francisco fuit recepta ad statũ Tertii Ordinis, in quo sanctissimè vixit, & mortua est anno 1242. apud Castrum Florentinum, vnde orta erat. Horam sui transitus præsciuit, *obijtque genibus flexis, erecto corpore, cancellatis bracbijs*. Sic in tali forma extincta dicebat Domino suo. *Mane astabo tibi*, simulque mortalibus prædicabat. Docet enim super hunc locum Interpres. *Mane, scilicet in ortu gratiæ; astabo tibi, rectus scilicet, & erectus*. Augustinus. *Me fecisti rectum, & erectum, vt solum tangerem pedibus terram, idest solũ necessaria quærere à terra*. Sic erecta in exanimato corpore Viridiana rectas esse semitas seruorum Dei ostendit. *Rectas facite semitas eius*. Isaiæ 26. *Semita iusti* (exponit Interpres paulò ante citatus) *recta est. Rectus callis ad ambulandum*. In eius glorioso fine campanæ inuisibiliter ex se se sonuerunt. Multis in vita, & post mortem claruit miraculis. Horum miraculorum aliqua præcipua, & circa eius vitam, antequam amplecteretur Regulam pœnitentium, atque nonnulla alia gesta, digna scitu apud Vadingum citatum.

Historia de B. Viridiana apud Martyrol. die Februar 1.

Annus eius obitus, & sui ortus locus.

Obiit genuflexa, & recto corpore.

PANEGIRICVS VII.

Septem folia, septiformiter solida, & nunquam casura.

Sub nono numero, & sub lege Tertij Ordinis de Pœnitentia.

B. IACOBA, Vidua Tertiaria, Discipula verò B. Francisci, ex quo ipsi se deuotissimè addixit, & Mater spiritualis Minorum effecta est ad annũ 1212. Erat Matrona Romana ex antiqua illa, illustrique *Septem Soliorum Familia*, cuius generis splendorem meritò variorum, magnorumque Reipublicæ tam ciuilis, quam ecclesiasticæ munerum, & honorũ Decus auxit. Tabidæ luis colluuione per totam Italiam non longe à B. Patris Francisci decessu fæuissimè grassante tantæ progeniei modo apud Romanos;

Illustris, ac perantiqua Septemsoliorũ familia Romana, extincta.

vel

vel tenuæ, vel nullæ extant reliquiæ. Extat æterna nihilominus B. Iacobæ memoria, & quia ipsa nomine, & re, *Iacoba* extitit, scilicet supplantatrix generosa illius muliebris mollitici (mulier à mollitie dicta, ait Interpres noster citatus Dom. 24. post Trinit.) quæ in omni ætate cuiusuis generis, ac professionis Heroum ferrea pectora supplantauit. Ex tam mascula supplantatione merito Romana quoque significatione Iacoba fuit, scilicet *excelsa, & tonans*; excelsa virtutibus, tonans virilitate Seraphica in vitiorum terrorem. Ipsa etiam sola generi suo proles inextincta, generisque ingenuum, ac perenne stemma. Carnali marito Vidua, sed spiritali inclita coniux, lectaque Virago, fœcundissima virtutum, & meritorum prolibus, quibus eius familia ex terrena facta est cælestis, vt statim dicemus.

B. Iacoba supra virilē sexum vitiorum muliebrum supplantatrix.

Ipsa sola suo generi proles inextincta.

Septenarius numerus, cuius misteria egregia, ac nobilissima apud sacræ scripturæ Interpretes innumera passim, apudque Doctorem nostrum nonnulla optima prognostica semper peperit in rebus spiritualibus. Illud modo ex eodem animaduertendum, quod cum sit vniuersitatis numerus, non secus ac numerus duodenarius, vniuersam viri iusti septem vitiorum capitalium hostis, vitam ob septiformem Dei gratiam, in ipso inhabitantem, iure merito compræhendit. *Septenarius numerus* (ait serm. 2. in Dom. 2 Quadrages.) *referatur ad totam vitam, ternarius ad fidem*. Et serm. 1. de Apostolis docet, *Septem proprietates nubis accomodans esse contra septem peccata mortalia*. In ipso quoque septenario numero inuenio cum tota B. Iacobæ vita, maximè postquam se totam sacrauit Francisco, locupletissimam eius fœcunditatem, cuius mascula proles in septem filiis Iob præfiguratur apud Interpretem nostrum Dom. 13. post Trinit. *Quilibet vir iustus*, inquit, *dum pœnitentiæ operibus intendit, dum in dulcedine cōtemplationis se suspendit, tunc verè est Iob*, idest vir simplex, rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, habens septem filios, & tres filias. *Septem filij viri iusti sunt septem beatitudines, tres filiæ, tres partes pœnitentiæ*, &c. Subiiciamus modò Genealogiā spiritualem in persona B. Iacobæ, dum eius mentem animo suo iusto spiritu gratiæ Dei fœcundo, coniugatam effingimus.

Septenarius numerus totam viri iusti amplectitur vitam.

Quomodo vir iustus Iob assimilandus.

BEATÆ IACOBÆ
DE SEPTEMSOLIIS

Genus spirituale filijs septem, & filiabus tribus, atque nepotibus ex his perenniter ingenuum.

Spiritus bonus, & rectus. Huic Consors B. Iacobæ bona Voluntas.

Vide Doct. nostrum Dom. 6. post Trin.

Proles masculæ septem Beatitudines, secundum textum Matth. cap. 5. & D. Gregorij doctrinam super Iob apud Inter. nostrū.

1 *Pauper spiritus*, qui ad nulla alta se erigit, sed ea, quæ timoris sunt, & humilitatis excolit.

2 *Mitis mutus* sine mentis asperitate, atque amaritudine, sincerus, ac simplex, & in persecutionibus patiens.

3 *Lugens, & plorans*, qui sub eminentia honorum merens incedit, sacrificium Domino contriti cordis interius offerens.

4 *Esuriens, & sitiens Iustitiam*, cuius vestis in nulla parte immunda peccato relicta est, & sic Iustitiæ suæ diadema est.

5 *Misericors*, qui vndique oculis suis alienam miseriam, vt subueniat, circumspicit.

6 *Mundus corde*, qui nec videre vult concupiscibilia, nec videndo, ea sequi; nec si qua illicita aliquando cogitat, peruenire illa vsque ad opera, non permittit.

7 *Pacificus* vtroque homine, qui sub vero Domino famulum se conspicit, ideo per cordis altitudinem se super famulos non extollit.

Connubium spiritualis spiritus boni, ac recti cū bona B. Iacobæ voluntate, eiusque mira fœcunditas.

Has Proles masculas reliquit Voluntas B. Iacobæ, spiritui suo bono, ac recto nupta. Et quia ipsa paupertate spiritus ditissima erat; mitis, & mansueta; esuriens, & sitiens iustitiam; misericors, & pia in pauperes; munda corde, & corpore; pacifica, & modesta; idcirco istas beatas proles à memoria hominum nunquam excidendas reliquit. Tritum est enim illud axioma, *Filij matrizant*.

Septem proles masculæ à bona voluntate Iacobæ genitæ.

Proles

Proles fœminæ tres partes Pœnitentiæ, quinque filijs fœcundæ.

Tres proles fęminæ.

1 Proles *Contritio* est, quæ ob perfectum dolorem conscientia mundatur.

2 Proles *Confessio*, quæ ore explicat, quidquid vt virus expellit.

3 Proles *Satisfactio*, quæ dum pœnæ subiicitur, suos hostes pœnæ subiicit.

Hæ tres filiæ, quæ constituunt pœnitẽtem, taliter sub dono Dei ipsum fœcundât, vt quinque filiis masculis cum multa gloria, ceu inclitus Parens, Principi Iudæorum Matathiæ persimilis, fruatur. Docet namque idem Interpres noster in serm.Dom.19.post Trin. hæc pulchra super illud 1.Machabæorum 2.Surrexit Mathatias, & ascendit in montem Modin,& habebat filios quinque, qui sunt (addit Interpres) Iudas,Simon,Ionathas,Ioanna, & Eleazarus. *Mathathias*, sequitur, *interpretatur Donum Dei, & significat Pœnitentem, qui dono Dei a peccato resurgit, & in montem Modin, qui interpretatur Iudicium, ascendit*. Dicit Augustinus. Ascende tribunal mentis tuæ sic ratio iudicans, conscientia accusans, timor carnifex, dolor crucians, locum testium obtineant opera. *Hinc est mons Modin, in quo qui sedet, verè a peccato surrexit. Huic Mathathiæ, idest Pœnitenti, sunt quinque filij, scilicet Iudas, confitens interpretatur. Simon, obedientia. Ionathas, columba, Ioanna, gratia. Eleazarus, Dei auxilium. Huiuscemodi Pœnitentis sunt filij, cui datur donum Dei, ex quo hæc omnia procedunt.*

Mathathias est symbolũ pęnitentis.

Filii quinque pœnitentis filiarum

Filij filiarum Animæ Iustæ, quæ sunt partes Pœnitentiæ.

1 *Iudas* mundat templum, quia Confessio mentem à vitiis purgat.

2 *Simon* ædificat, quia ad hoc obedientia laborat, vt ædificium boni operis in altum crescat.

3 *Ionathas* renouat, quia sancta non desistit renouare, quod columbina simplicitate ædificauit, quod calliditas antiqui hostis quotidie destruit,& in primo homine destruxit.

Hi velutine potes ex tribus filiabus B. Iacobæ pęnitentiæ.

4 *Ioanna* ornat faciem templi coronis aureis, quia SpiritusSācti gratia pura intentione opera nostra decorat.

5 *Eleazarus* protegit, & conseruat; additurque vt quintus frater, quia ea omnia nihil proficiunt, nisi adsit Dei auxilium. *Dei enim auxilio augumentantur, augumentata conseruantur, conseruata pœnitentem conseruant, & vita æternæ præmijs ornant.* Hæc ille.

Felix ergo B.Iacoba nostra, tanta, ac tali prole, nepotibus diuite, in statu viduali, & in casto discipulatu Francisci locuplex, ac fœcunda. Ipsa in septẽ beatis filiis iam & septem vicibus extitit beata. Et in tribus filiabus per quinque nepotes percelebris.

Quomodo fuit in nepotibus B. Iacoba.

Nam per *Iudam primum Nepotem*, à vitiis omnibus se crebra confessione purgauit. Per *Simonem*, obedientia Seraphicæ creuit. Per *Ionatham*, columbina simplicitate, si quæ in ea destructa erant, renouauit. Per *Ioannam*, Angelicum in Dei gratia adepta est decorem. Per *Eleazarum vltimum nepotem*, sine quo prædecessores nihil valerent, augumentata in Dei auxilio conseruauit, quæ nunc in Cælis vitæ æternæ præmiis ornantur.

Ex præfatis septem beatis filiis constituit sibi B.Iacoba *Septem folia*, vt in genere, ac familia sua spirituali longè omni carnali familia nobiliori, de septem pariter foliis, nunquam è mortalium reminiscentia casuris, cognominaretur. Ad id facit Doctoris nostri digna interpretatio, iam alibi allata, super illud Prouer.4. *Rex, qui sedet in solio, dissipat omne malum intuitu suo.* Interpretatio eius in sermone Dom.12.post Trinit. *Solium dictum, quasi solidum. Cum Rex, idest cor hominis sedet in solio, idest in soliditate constantiæ, tunc dissipat omne malum, idest omnem corporis malitiam, intuitu suo, idest discretione sua.* Hic Rex, habet quinque speciales Ministros, quinque videlicet sensus, ex quibus duo sunt viciniores, & specialiores ei, aures scilicet, & lingua. Per aures audit exteriora. Per linguam promit interiora. Si aures sordibus obturantur, & cordis lingua ligatur, quid Rex, quid cor faciet? Destructum est eius Regnum, quia Ministri, per quos Regni negotia, secreti consilia, iura regalia agebantur, sunt destructi. Quid ergo agendum? Vnum solum consilium restat, scilicet vt ad Iesum surdum, & mutum ducas, & eum roges, vt imponat ei manum *Rex est hominis spiritus, aures obedientia, lingua confessio*, &c. Reliqua ad virtutum obedientiæ spectantia, vide ibi,& aliam interpretationem in Dom.5. post Trinit. quam infra posuimus ad annum 1222.sect.4.vbi de B.Gregorio.

Genus de Septemsoliis spirituale.

Rex misticus in solio quis.

Quinq; sẽsus regni mistici ministri.

Rex est hominis spiritus.

Rex iste, spiritus nuncupatus, in spiritali B.Iacobæ Regno benè rexit quinque ministris suis Regnum, seditque feliciter vsq; ad finem in *soliditate constantiæ*, de virtute in virtutem progrediens. Istud eius spiritale solium septiformiter ob septem filios suos præfatos, beatè eminuit in terris,

ris, nunc verò gloriosè eminet in Cælis. Quilibet enim filius suus constituit ei vnum solidissimum, ac beatum solium.

Primus filius solium suum peculiare constituit *in constanti paupertate spiritus*, ob quam hæreditatem Cælorum Regnũ suam effecit. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.

Secundus filius in mutæ *mansuetudinis* firmitate, sine qua ad possessionem terrę viuentium minimè admitteretur. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Septem filii spirituales, septem solia numquã casura in Beata Iacoba constituerũt

Tertius filius in immota *cordis munditia*, ob quam ad Dei visionem eius animam introduxit. Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt.

Quartus filius in marmorea, ac *trifermi* Pace cum Deo, cum hominibus, ac cum seipsa, in cuius adeptione dignitatẽ, ac titulum filiationis Dei perenniter acquisiuit. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Quintus filius, in stabili *esurie, & siti Iustitiæ*, qua modo inexplicabili beatæ gloriæ saturitate in illa mensa, vbi Deus ipse administrat suis, sine redio abunde perficitur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Sextus filius, in solida *misericordia*, propter quam specialiter eluxit, vt statim dicemus, & hic in terris beatè viuens, & illic in Cælis beata effecta, consummatam misericordiam consequuta est. Beati pacifici, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Septimus filius, in perseueranti *luctu, & ploratu*, quo multas consolationes etiam in ipsis tribulationibus, quas passa est propter iustitiam, Dei [illegible] est. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Et [illegible] Regnum* Cælorum fecit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.*

Omnium ista Septem soliorum B. Iacobę constructio, eò celebrior [illegible], quò è veritate historica pluribus [illegible] claritate erumpet. Scribunt [illegible] per synopsim in hunc modum apud auctorem Martyrologii die Februarii 8.

Breuis historia de B. Iacoba.

Hæc, inquiunt, incredibili Seraphici Patris sanctitate, & admirabili pœnitentia ducta, ex summa erga eum deuotione, non solum ipsum, sed & omnes fratres eius, Romam aduentantes familiariter, vel apud se, vel alterum ex duobus filiis Romanis Senatoribus recipiebat hospitio. Sanis victum, & vestitum, infirmis pharmaca, & quæcumque medicinalia velut materno amore ministrabat. Et vt vno verbo dicam, nihil pauperibus Fratribus aliquando deerat, quod generosę, & deuotæ Matronæ aliqualiter suppeteret.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, Eccl. 4. Cuius interpretatio apud Doctorem nostrum Dom. 10. post Trin. Bene dicit, ait, ne defraudes, cum fraus sit in aliena re, iuxta illud. *Aliena rapere conuincitur, qui sibi vltra necessaria retinet. Eleemosyna dicitur ab Eli, quod est Deus, & Moys, quod est aqua. Inde eleemosyna quasi Dei aqua. Vel quod Eleos Græcè, Misericordia Latinè.* Igitur B. Iacoba ab omni fraude libera, ob liberalitatem erga pauperes, Dei aqua, scilicet sapientiæ salutaris [illegible] superfudi, & cœlica misericordiæ formositate decorari. Hoc vltimum explicat [illegible] Interpres, vbi de septem candelabris aureis, quæ ad septem, Prælato Ecclesiæ necessaria, referens, & hæc septẽ cum septem Ecclesiis Apocalypsis concordans, Ecclesiæ Sardicæ Misericordiam circa pauperes, quæ in quinto loco ab eo ponitur, respondere, ita demonstrat in serm. Dom. 2. post Pascha. *Sardis principium pulchritudinis, hæc est circa pauperes misericordiã, quæ lepram auaritiæ expellit, & animam pulchram reddit.* Pulcherrima vtique inter pernobiles omnes sui temporis muliebres animas, anima B. Iacobæ, lepræ auaritiæ supplantatricis, quanto eius misericordia erga pauperes Minores in ipsa catempestate peregrina, eminens, & [illegible] non solum in hac Vrbe Roma, sed in toto etiam terrarum Orbe vnica.

Commundatur ex eleemosinarum largitione.

Eius anima qui pulchra & decora ex misericordia.

Hanc, spectabilem Deo, Angelis, & hominibus Heroinam, quam in vita ardentissime, & castissime merito dilexerat Sanctus Pater Franciscus, in morte per epistolam aduocare resoluit. Sic paucis diebus antequam extremum ipse clauderet diem, certus iam ex Dei reuelatione ei transitum imminere, mortemque præ foribus stare, nobilissimam hanc Matronam præmonendam [illegible] dicauit. [illegible] quæ exequiis erant necessaria, ab eadem postularet. Vt cuius in vita deuotionem, & liberalitatem expertus fuerat, grata eiusdem præsentia morientem solaretur, & castum eiusdem amorem in sepulturæ obsequio, & orationum suffragiis etiam mortuus sentiret.

Franc. moriens eã resoluit euocare per epistolam

[illegible] autem remansit Epistola, [illegible] calamo parcere iussit, quia [illegible] reuelatum, quomodo Domina Iacoba veniebat, & omnia secum deferebat, prout ipse desiderabat. Quod rei probauit euentus; nam post modicum enim duobus filiis Senatoribus, magnaque comitiua aduenit, narrauitque, qualiter Angelus Domini

Prohibet Scribæ, ne vlterius traheret calamũ, & quare

sibi

sibi oranti apparuit, & omnia, quæ Seraphicus Pater scribere voluit, ei indicauit.

Nullam præter hanc (quam vir Dei nō D.Iacobam, sed *Fratrem Iacobum*, propter vitæ probitatem, & sanctimoniam vocabat) intra Monasterii septa admisit; illamque ex eius licentia ad lectum in quo iacebat, Fratres perduxerunt. Quæ statim ad pedes, sacris Stigmatibus consignatos, sedens, vt altera Magdalena, rigando lachrymis præ deuotione, magnam consolationem accepit: & ei donec huic miseræ vitæ vale dixit, humiliter ibidem inseruiuit. Stare Magdalenæ iuxta pedes Iesu, in domo Simonis comedentis, explicat Interpres noster fer. 5. in Passione, postquam dixerit pedes corporis mistici Ecclesiæ eam sustentantes esse religiosos. *Stare ergo iuxta pedes, est,* inquit, *operibus, vel pauperibus adhærere, vel se eis piè exhibere*. Vtrumque præstitit Beata Iacoba Patriarchæ Pauperum, pedibus eius tota perfusa lachrymis innixa; consciaq; iam eos pedes plagis, & clauis diuinitus consignatos omnem Ecclesiæ molem per suos Fratres Minores, vsque ad Mundi interitum sustentaturos. Illi namque erant pedes, qui Francisci corpus, quod Lateranensi Ecclesiæ, ne præceps iret, tergora à principio sui Ordinis, scripta iam primò Minorum lege, apposuerat, per duos integros annos fortiter sustentarant.

B. Iacoba ad pedes Franc. morientis.

Qualia huius actionis arcana.

Accipe aliud arcanum. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui.* Thren. 1. Quod ita exponit Doctor noster serm. in Cœna Domini. Qui mundus est per vitam bonam, non indiget, nisi vt pedes lauet, & est mundus totus, quod fit per finalem pœnitentiam. *Duo autem pedes sunt euasio pœnæ, & adeptio gloriæ, ad quæ promerenda in fine, duo sunt necessaria. In finali ægritudine patientia ipsius ægritudinis, qua commutatur pœna Purgatorij; & perfectio Charitatis, quæ foras mittit timorem, qua acquiritur gloria regni*. Hæc est ergo, concludit, duplex ablutio pedum, licet heu multi in fine conficiant lateres ex luto, & palea pedibus suis. Qui tamquam palea leuiter ad quemlibet sensum doloris mouentur per impatientiam; & timorē Dei, in amorem sui commutantes, vel in amorem parentum, magis mouentur erga se, vel erga parentes per compassionem, erga Deum per amorem. Hæc Interpres.

Quid duo pedes mistice

Sedens ergo B. Iacoba ad pedes Francisci, Christi plagis, & clauis perforatos ingentem pœnitentiam illius (vita mundissimi, & vt piè creditur, sanctificati in vtero matris suæ) igne diuino succensa interius, plorans exterius, contemplabatur. In iisdem quoque pedibus euasionem pœnæ, & adeptionem gloriæ, sicut Christus ipse ore suo Francisco promiserat, alta mente cognouit. Hæc namque duo Francisco pro comperto esse debere, ex eo habebat, quia in ipso incredibilem patientiam in illa extrema ægritudine, & super omnem etiam credulitatem charitatis feruorem obstupescens cernebat. Dixi obstupescens; cernebat quippe, illud idem Patientiæ, & Charitatis spectaculum se suis oculis obiici, quod describit Bonauentura cap. 14. vitæ Francisci, loquentè de patientia Francisci in infirmitatibus, & transitu mortis. *Vt autem* (ait in principio) *viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia verè in patientia consummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauiter, vt vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore*. Idipsum tradunt Patres, potissimum D. Thomas de dolore Christi patientis ad Crucem. *Ad hoc tandem*, sequitur, *per varias, & diuturnas, ac continuas ægritudines deductus est, vt consumptis iam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret. Cumque duris corporis augeretur doloribus illas suas angustias, non pœnarum censebat nomine, sed sororum esse vocandas. Videbatur propterea Fratribus, quod quasi alterum Iob viderent, cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul & vigor mentis, &c.* Vide nonnulla alia, quæ hic desunt, in Legenda ab eodem Auctore conscripta, & à nobis supra exscripta, ac verbatim tradita.

Rarū patientiæ, & charitatis spectaculum ante oculos Beatæ Iacobæ exhibitum.

B. Franc. velut nouus Iob in suis pœnis.

Post obitum B. Patris Sancti Francisci elegit hæc eius digna filia, ac Fratrum Minorum Mater in eadem Ecclesia, vbi ille incorruptum sui corporis tabernaculum deposuerat, sepeliri. Clara est adhuc eius sepulchri memoria in Minorum Cōuentualium Templo Assisii in ipso Ecclesiæ muro prope suggestum. Sanctissimè obiit anno 1239. qui erat Religionis trigesimus. Obitus Beati Francisci decimustertius. Vide auctores apud Arturum loco citato, qui in textu Catalogi Beatorum Franciscanorum sexto Idus Februarii, istud Elogium breui charactere de Beata Iacoba nostra consignauit.

Sepultura B. Iacobæ.

Eius obitus annus.

De ea Arturus die Februar. 8.

Aſſiſij in Vmbria B. Iacobæ á Septem ſolijs, Viduæ Tertiariæ, quæ genere, & virtutibus nobiliſſima, necnon à Seraphico P. S. Franciſco de rebus cæleſtibus edocta, ſplendidioribus ſanctitatis radijs in Orbe refulſit.

Pauca alia ſcripſimus de tam celebri, ac Sancta Heroina in priori Hierarch. noſtra Tomo.

PANEGIRICVS VIII.

Libanus coronatus.

Communis iſte Panegiricus quatuor Beatis Tertii Ordinis Heroibus, nimirum

B. ALBERTO Comiti Montis Acuti.

B. GERARDO de Villa Magna.

B. IOANNI de Graccio, Equiti.

B. ROLANDO, ſiue Rolandiuo, vulgo Orlando, Montis Aluerniæ Domino.

Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano. Veni coronaberis, Canticor. 4. Quem textum ita declarat Interpres noſter Dom. 3. poſt Epiphan. *Ideſt veni de Libano mundanæ vanitatis falſo candore.* Apocal. Qui audit, dicat, veni. Qui audit, *ſcilicet ſibilum auræ tenuis in mente per internam inſpirationem, debet dicere peccatori, veni per contritionem.* Vnde Iſaia. Si quæritis, quærite, conuertimini, & venite, &c. *Vanitas mūdana ſub falſo candore.*

Audierunt hunc auræ tenuis, ac ſuauis ſibilum quatuor incliti viri ex ore Franciſci, atque ad eum acceſſerunt, venientes de Libano mundanæ vanitatis ad coronā auream, ex ipſo auro, quo conſtat ipſa anima, gratia Dei exornata, vt dicit Interpres, fabrefactam. Acceſſerunt, inquā, ad Franciſcum, à quo legem, & inſtitutū Tertii Ordinis de pœnitentia acceperunt. Hi, quibus præſens Panegiricus communis erit, ſunt vt ſequitur.

Decimus *B. Albertus*, Montis Acuti in Tuſcia Comes, cui Dux vitæ Seraphicę in ſtadio ipſe vir Seraphicus B. Franciſcus. Libanus Mons in Monte Acuto, cui dominabatur, relictus ab eo per affectum ſub groſsitie veſtis cinereæ, acuit adeo ſe ipſum, vt per foramen acus eius Camelus ingreſſus ſit ad perfectionis manſionem. *Pœnitentia acuit Camelum, vt intraret foramen acus.*

Vndecimus *B. Gerardus* de Villa magna in Tuſcia, quæ ad ſibilum Seraphicū auræ tenuis verbi Dei, quod per Tuſciam diſſeminabat Franc. etſi Eques, vt alii ſcribunt, minimè reſpondit, *Villam emi, habe me excuſatum*, ſed contra, Villam magnam, cui mihi patria, incolo, & vt vir magnus euadam, paruus effectus in Ordine Tertiariorum, magni Regni Cælorum fieri patronus exopto. *Magnus fit qui paruus fit.*

Duodecimus *B. Ioannes* de Graccio, vir nobilis, Equeſque, vt & nonnulli dicunt, qui non ſolum meruit videre Franciſcum ſæpius prædicantem, mirabilia patrantē, Euangelium nocte Natiuitatis cantantē, verum etiam Chriſtum infantem illa eadem nocte tenerrimè amplexantem. *Quam felix hic Heros.*

Decimus tertius *B. Rolandus*, qui & Rolandinus, Italicè Orlandus, Montis Aluerniæ Dominus, qui ipſum Montem donauit Franciſco, & cum Monte ſeipſum, & totam domum ſuam, &c. Sic veniens de Monte Libano ad Montem Pœnitentiæ, coronari meruit immortalitatis corona. *A monte Libano hic venit ad montē pœnitentiæ.*

Martyrologium Franciſcanum agit de B. Alberto die 25. Nouemb. De B. Gerardo die 13. Maii. De B. Ioanne die 2. Nouemb. De B. Rolando die 30. Iunii. Ipſe autem hos inſignes viros tranſtuli ad tom. 2. vbi cum aliis tribus Legibus, ſcilicet prima, & ſecunda Fratrum Minorum reſcribēdæ quoque Leges Tertiariorum, nimirum illa, quam edidit S. Franciſcus pro Tertiariis ſæcularibus, & illa, quam pro Tertiariis regularibus dedit Leo X. Summus Pontifex, quamque ſoli Tertiarii Vltramontani obſeruant, non autem Itali, quam priorem profitentur. *Vbi de his Heroibus agat Martyr.*

PANEGIRICVS IX.

Circeum, germinans Roſam.

Decimusquartus Frater ſub Lege de Pœnitentia, genere clarus, ſed profeſſione, & exemplaritate clarior.

D. MATTHEVS de Rubeis Vrſinus, Princeps Romanus, Vrbis Caietæ in Regno Neapolitano Dynaſta, ſeu Marchio. His Heros ponendus meritò ſub an. 1222. in quo plures ex enarratis tempore anteceſſit, quāuis haud merito, vt propterea *Quis hic Eques genere, patria, ac dignitate.*

hunc locum ei assignandum cõsultò putauimus. Fuisse autem *Mattheum ex Tertio Ordine Franciscano*, atque ob hanc maxime rem incomparabili felicitate præditũ super omnem aliam felicitatem, quam temporalis fortunæ communiter nuncupant, habemus ex verbis filii sui Ioannis prædicti, iam in sede Petri Nicolai III. *Sedit Nicolaus*, repeto denuò quæ scripsi in tomo 2. Hierarchiæ fol. 74. *annos duos, menses octo, dies octo gloriari solitus, se Patrem habuisse Filium Tertij Ordinis Sancti Francisci, scilicet Mattheum Vrsinum Beato Francisco familiarissimum*. Vide Vadingum ad annnm 1227. num. 6. tom. 1. Verũ quam felicissimus exemplo suo euaserit hic Heros, Tertiæ Regulæ Beati Francisci professus, iuuat plurimum in præsentiarum, ceu in suo proprio loco, rescribere ex eodem Vadingo ad ann. 1222.

De quo gloriari solitus Nicolaus 3. in Matthæo parente suo.

Initiatio Domini Matthei Vrsini, prophetia de Pontificatu Nicolai III. & tria arcana in tam inclito Tertiario.

Assisio, vbi ex Regni Neapolitani regressu appulerat, Romam veniens, Franciscus anno 1222. familiaritatem, & amicitiam iniit cum nobili Viro Mattheo de Rubeis, antiquæ, & potentis Familiæ Principum Vrsinorum magnate. Inuitatus ab eo ad prandium, dum vltra assuetam horam expectaret Herois aduentum, darenturque esculenta de more pauperibus, qui statim à meridie ad nobilis viri ianuam conueniebant, quotidie eleemosynas accepturi: *Franciscus se illis cautè immiscuit, stipemque recepit*.

Domus Matthæi Vrsini domus pauperum.

Scripturaliter, ac poeticè commendans Interpres noster eleemosynæ prærogatiuas quam maximas, multa primo modo scribit de ea, inter quæ illud perpendendum, quod exponit super cap. Ecclesiastici 17. & 19. vbi legitur: *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso. Et gratiam hominis quasi pupillam conseruat*. Priorem propositionem ita exponit in serm. Dom. 2. Aduentus. Eleemosyna dicitur *sacculus*, quia quod in ea reponitur, postmodum in vita æterna inuenitur. Ideo Ecclesiastes 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas* (idest pauperes, qui ostiatim transeunt de loco ad locum). Et post multa tempora (idest in die iudicii) *inuenies illum*, idest retributionem pro illo. Matth. 25. *Esuriui*, &c. Peregrinus es, ó homo, hunc sacculum in tuę peregrinationis via porta, vt cum sero ad hospitium veneris, panem, quo reficiaris, in eo inuenire possis.

Eleemosina cur sacculus dicta sit.

Posteriorem deinde propositionem declarat in hunc modum. *Eleemosyna etiam gratiam quasi pupillam conseruat* propter acumen visus. Corium, quod est super pupillam, valde tenue est. Propter salutẽ oculi creatæ fuerunt palpebræ. Et omne animal claudit oculum, vt nociua non cadant super illum extrinsecus. Et hoc non solum ex voluntate, sed etiam ex natura. Et homo claudit oculos multoties, quoniam est tenuis cutis plus omnibus animalibus. Auis, quæ claudit oculos, non claudit, nisi per palpebram inferiorem: *Sicut igitur palpebra pupillam cooperiendo conseruat, sic eleemosyna conseruat gratiam, quæ est quasi pupilla animæ, per quam videt*. Sub palpebra eleemosynæ venerabilis Herois Matthæi Vrsini, cui & sacculus quoque illa erat, cum pupilla gratiæ, animæ suæ cariore, pupilla oculorum Dei iam tunc reperiebatur, scilicet Franciscus, quem etiam & filium gratiæ vocat Bonauentura. Hinc haud mirum si citò accidit, quod his verbis subdit Annalista. *Ipso hoc tempore demum rediens* Matthæus, statim interrogauit, quid actũ de *Fratre Francisco*. Quo non apparente, iurauit se non pransurum, *nisi Franciscum haberet commensalem*. Dum itaque domestici eum vndequaque inuestigarent, ex fenestra prospiciens ipse Matthæus, pauperibus in atrio assidentem detexit. *Lotis itaque manibus, descendit, & propè Dei virũ sedit in terra, dicens. Frater Francisce, quia tu non vis prandere mecum, ego prandebo tecum, quod & fecit, piè exhilaratus; videns se annoueratum pauperibus Christi*.

Cur etiam pupillæ conseruatrix.

Dei gratia est animæ pupilla.

Mirus amor Matthæi erga Franc.

Mira eius pietas, & humilitas

Obstupesce, qui hæc legis, audis, spectas super tam rarum, inclitumque spectaculum, in quo summus totius Ecclesiæ eleemosynarius, nimirum Franciscus, cuius spiritali eleemosyna reparanda erat totius Christianitatis fames, iacens in terra cum suo eleemosynario, Matthæo Vrsino inter eosdem pauperes, quos pane suo ipse pascebat, poterat hic Dominus dicere: *Propter miseriam inopum, & gemitus pauperum nunc exurgam* vsque ad apicem Christiani nominis, æternitati consecrandi. Cui respondens digna acclamatione ipsa eleemosyna, ita statim (immortalis famæ tuba cælitus personante) poeticè cecinit Lingua Interpretis nostri, in ore Francisci sui tunc posita.

Rarũ Christianæ exemplaritatis spectaculum.

Extinguit Pietas districti Iudicis iras.
Liberat, & mundat dantem. Redimitque, tuetur.
Postulat, acquirit: & proficit, & benedicit,
Sanat, iustificat. Saluatq; resuscitat, armat,
Fœcũdat, purgat. Cõseruat, deinde coronat.
Expugnat, roborat. Illuminat, ãpliat, vngit.

Istud

Effectus eleemos. xxii. Istud exasticon, dignè cantatum ab Eleemosyna in præfato spectaculo, habes, lector, lib. 1. concordantiæ moralis §. 78. de commendatione eleemosynæ, & eius effectibus, quos sub nu. 22. refert Interpr.

Audiens verò, subdit Annalista, inceptum tertium pro sæcularibus, & coniugatis institutum, petiit ab eo Matthæus, sibi donari vestem, & instrui in exercendis pietatis officiis. *Tanti viri authoritas magnam addidit nouo sodalitio venerationem. Et ad eius exemplum plures se eidem adscripserunt.* Sic Flos Roseus, Vrsinæ Genti ex vetustissima origine proprius, suauitatis odore totũ impleuit orbẽ: quo etiã odore tractus & ipse Franciscus, per eũ ita odoratus est Dominus florem illũ, vt meruerit Matthæus à profetico viri sancti ore, pura locutionis Lilia Rosæ suæ iungente, ea audire, quæ in residuo historiæ ita referuntur.

Matthæus fit Tertiarius;

Fuit huic Heroi filius paruulus, nomine Ioannes, quem Francisco tulit, vt benediceretur. *Accepto in vlnas, vir sanctus benedixit, & patri prædixit suæ familiæ summam gloriam infantulum aducturum. Summumque Ecclesiæ Pontificem futurum.* Deinde vultum ad puerum conuertens, tamquam multæ rationis capacem, seriò, & blandè allocutus est, rogauitque, vt suæ Religioni vellet esse propitius. Deinde reddens patri filium, inquit. *Non erit nostri sodalitij frater, sed Protector. Non erit filius, sed pater; sub cuius vmbra nostri viuent, & latabuntur. Multa contemplor bona nostra in infantulo, & in paruulis manibus magna nobis recondita beneficia.*

Ioanni Vrsino prædixit Franc. Pontificatum.

Allocutio Francisci ad Ioan. infantulum.

Ad hæc vaticinia pater obstupuit; & gauisus est, sed tunc magis quando completa perspexit, & filium in Petri Cathedram constitutum, Nicolaum III. renunciatum. Qui qualia, & quanta in Minores effunderit beneficia, sub eius Pontificatu constat. Vsque ad illud tempus pater conseruauit verbum Francisci in corde suo, nec vlli detexit, donec & vidit opere completũ. Hucusque Vadingus ibi. Itaq; viuebat adhuc Matthæus, quando anno Dom. 1263. expostulauit D. Bonaueutura in Tertium Ordinis Protectorem Ioannẽ Cardinalem Vrsinum eius filium. Viuebat etiam ad annum 1277. quo idem Sũmus Pontifex creatus est, & quando gloriatus est talis, ac tantus Pontifex, se patrem habuisse S. Francisci filium in Tertiariorũ Ordine, in quo, vix ab eo amplexo, statim declaratus est Math. tam maximi filii (in cuius cor gratiam lachrymarum allocutio illa Francisci, cui gratia lachrymarum genuina, ex tunc in infantia tradidit) promeritus parens.

Vaticinia Francisci de Ioan. Vrsino omnia adimpleta.

Tria arcana nunc breui animaduertẽda in isto felicissimo Confratre, ac Tertii Ordinis de Pœnitentia sub ipso Institutore, ac Legislatore alumno. Primum est circa interpretationem eius nominis. Secũdum circa animal, quod eius agnomen in verbis continet. Tertium circa schema, quod in eius stemmate communiter profertur.

1 *Matthæus* hebraicè idem est latinè ac *Donatus*. Donatus à Domino, vel Domini hoc nomen Matathias, Matthæi nomini persimile interpretatur Doctor noster, loquens de Sancto Patre Francisco in serm. 2. Dom. 1. Quadrag. vt aliàs pluries aduotatum est. *Qui dat omnibus affluenter*, est Deus Pater luminum, à quo omne donum optimum, & perfectum, tum naturæ, tum fortunæ, tum gratiæ descendit. Multa nobilissima dona (ait Doctor noster serm. in Cœnæ Domini) dat nobis Deus, sicut dicit Beatus Augustin. *Dedit*, inquit, *Deus homini animam cum potentijs. Corpus cum membris. Mundum cũ elementis. Fidem cum sacramentis. Artem cũ documentis. Seipsum cum tormentis, &c.* Donatus Mundo Princeps Matthæus noster Vrsinus à Deo, & à natura, ex ipso sui ortus nobilissimum donum extitit, quia à nobilissima stirpe Romana exortus, de qua stirpe, eiusque prærogatiuis, maximo genio, ingentique pietate erga tres Francisci Ordines in Hierarchia nostra tom. 2 actum sufficienter. Matthæus ergo nobilissimè donatus in sua Familia, & vt talis declaratus in baptismate per nomen sibi impositum, intra fidei christianæ, & aliorum Sacramentorum donaria, gratiosum quodam, mirificumque donum dedit primò Matathiæ nostro Frãcisco, à Domino donato, deinde Petro Apostolo, à Christo in suum Vicarium constituto. Dedit Francisco egregium illud donum, vt eius Ordinem protegeret; dedit postea illud Petro, vt sibi succederet, & Romanam Ecclesiam regeret. Nomen huiusce doni, primum Francisco dati *Ioannes*, cuius excellens gratia in Cardinalitia dignitate non tam purpura, quam charitate, maximè erga Minores, rubebat, dignus sanè in Vrsina Gente, vel vt cardo Ecclesię, vel vt caput Eccles. & Cælestini III. ex eius progenie exorti, imitatione æmulus. At datus hic Ioãnes Petro, dum Ord. protegebat, vocatum est nomen eius *Nicolaus*, de quo satis loco citato in Hierarchia. Verum & vt donum, Francisco factum, & vt donum Petro datum, ab ipso Frãcisco profetatus est Ioannes, vt ibidem demonstratum est.

Matthæus hebraicè donatus.

Sex nobilissima dona confert nobis Deus.

Donũ Matthæi Franc. & Petro Nicolaus 3.

Cuncta huius Principis preconia temporalia,

poralia, quæ quidem plurima fuerunt, nihil profectò visa sunt oculis, puritate virginea clarissimis Beatissimi filii sui Nicolai Papæ, vt nuper detulimus ex Vadingo, vbi Parentem, ac genitorem suum haud vt virum inter innumeros Familiæ Vrsinæ Heroes præcipuum intuitus est, sed vt filium Sancti Francisci in habitu Fratrum Tertiariorum de Pœnitentia. Sub isto etenim habitu *declaratus Matthæus, vt donatus Deo* à Francisco, ostendit discrimen inter donorum terrenorũ, & donorum cælestium fructus, illos, & hos septenos, atque sub duplici septenarii hierogliphico demonstratus, cum hac differentia, quod septenaria diuersimoda sunt, non in re, sed aliunde; siue vt aiunt Scholastici, non in substantia, sed in accidentibus. Horum omnium intelligentia pendet seorsim ex miranda Interpretis nostri doctrina, super illud Lucæ 11. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se*. Ad cuius declarationem hæc affert in serm. 2. Dom. 3. Quadrag.

Matthæi gloria vnde.

Isti septem spiritus sunt septem boues, seu vaccæ illæ, de quibus Gen. 41. in historia de Ioseph. Quæ erant deformes, & confectæ macie, quæ deuorauerant septem alias, quarum mira species, & hebetudo corporis erat.

Septẽ dona Spiritus S. sub triplici septenario explicata

Item isti sunt septem spicæ percussæ vredine, deuorantes septem aliarum plenitudinem, & formositatem. Et sunt septem anni sterilitatis nimiæ, cuius magnitudo septem annorum abundantiam consumpsit. Septem boues pulchræ, & crassæ nimis, & septem spicæ plenæ, & formosæ, & septem anni fertilitatis magnæ, septem significant Spiritus Sancti dona, de quibus Isaia 11. Hæc dona dicuntur.

7. Boues pulchræ, & crassæ.

1 *Boues pulchræ, & crassæ* propter morum plenitudinem, & virtutum fœcunditatem, quas illi, super quem requiescunt, conferunt.

7. Spicæ plenæ, & formosæ

2 *Spicæ plenæ, & formosæ* propter fidẽ Christi, qui fuit granum frumenti per plenitudinem, & geminæ dilectionis Dei, & proximi maturitatem.

7. Anni fertilitatis magnæ.

3 *Dicuntur etiam hæc dona Spiritus anni fertilitatis magnæ*, quia in huiusmodi peregrinationis septenario mentem, super quam requiescunt dona septiformis gratiæ, abundãtia fertilitatis magnæ faciunt abundare. Hæc ibi Interpres, qui statim sub religioso suspirio per interiectionem dolentis, tria alia septenaria, præfatis ex diametro opposita subdit, his verbis.

Tria alia Septenaria aduersus præfata.

Sed heu septem vaccæ deformes, & macilentes; septem spicæ percussæ vredine; septem anni sterilitatis nimiæ; *septem spiritus immundi nequiores* domum vacantem, & ornatam intrant, & septem spiritus dona deuorant, *& sic fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. Et ideò dicuntur nequiores ab effectu, quia nequiorem reddunt hominem, quam prius fuerat. Et nota, quod isti *septem spiritus nequiores dicuntur septem vaccæ deformes, & macilentæ* propter similitudinis, & imaginis Dei deformitatem, & charitatis, quæ est pinguedo animæ, defectionem. *Spicæ percussæ vredine*, quæ est fœtor rei adustæ propter criminũ fœtorem, *septem anni sterilitatis nimiæ* propter boni operis sterilitatem, *quæ mala omnia miseræ menti inferunt, quam miserabiliter detinent occupatam*. Hactenus ibi Interpres.

Qui nequiores spiritus, & quibus cõparati.

Quæ dixit Daniel, explicans somnium Pharaonis, Regi magno, ac ditissimo pronunciauit. Dona enim temporalia, donis septem Spiritus Sancti ex seipsis haudquaquam inimica sunt, licet valdè potentia experiantur, vt quam facilius eorum possessorẽ eo septiformi dono expolient, in septem vaccarum crassitudinis, & pulchritudinis, ob septem vaccas macilentas, ac deformes consumptionẽ. In septem spicarum plenitudinis, & formositatis ob septem spicas vredine percussas deuorationem. In septem annorũ fertilitatis magnæ ob septem annos sterilitatis nimiæ, obliterationem. Cum quodlibet huiuscemodi septenario septẽ spiritus nequiores secum defert immũdus spiritus. Quomodo autem hæc contingant ex donis, & bonis fortunæ, paulò ante explicuit Doctor noster sub figura Regis Manasses, quem Princeps, & exercitus Regis Assiriorum cęperunt, & victũ catenis, atque compedibus, duxerunt eũ in Babilonem, 2. Paralipom. 33.

Bona tẽporalia, donis Spiritus S. ex se contraria nõ sunt, sed occasionaliter.

Manasses, ait, *interpretatur oblitus, & significat peccatorem, qui Dei & præceptorũ eius, prosperis succedentibus, obliuiscitur*. Gen. 40. dicitur, quod succedentibus prosperis Præpositus Pincernarum oblitus est Interpretis sui. *Interpres noster est Christus, qui nobis viam æternam interpretatur. Cuius obliuiscimur, cum prosperis transitorijs subleuamur. Temporalia enim faciunt in obliuionem venire*. Et tunc ab *Assirijs*, qui interpretantur *dirigentes, idest Dæmonibus*, qui tentationis sagittas ab arcu malitiæ dirigunt, vt animam interficiant, *capimur* in consensu mentis, & catenis malæ operationis, atque compedibus malæ consuetudinis *vincimur*, & sic in *Babilonem*, idest excæcatæ mentis confusionem *ducimur*.

Hæc septenaria, adeo efsera ex bonis temporalibus facilè erumpunt.

4 mala ex bonis temporalibus.

Sed quia, subdit, maior est Dei misericordia, quam quæuis peccatoris malitia, ideo peccator tacere d.bet, sicut fecit Ma-

Manasses; de quo subditur ibidem. *Orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè.* Sic peccator, illa quatuor debet opponere quatuor supradictis.

4. Bona aduersus quatuor illa mala.

1 *Debet orare Dominum*, vt se de manu Dæmonum liberaret.

2 *Agere pœnitentiam*, vt catenis malæ operationis dissoluatur.

3 *Ipsum deprecari*, vt compedes malę consuetudinis confringat.

4 *Obsecrare intentè*, vt se de excœcatę mentis confusione eripiat. Et Deus misericors, cuius misericordiæ non est numerus, faciat, quod sequitur.

Exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Hierusalem in Regnum suum. Et Manasses cognouit, quod Dominus ipse esset Deus. Idest, quod peccatoris, & contriti, & humiliati orationem exaudit. Et reduxit eum Hierusalem, &c. *Quæ est ista Hierusalem, nisi gratiæ infusio. Peccatorum remissio. Dei, & peccatoris reconciliatio? In qua est pacis visio, in qua regnat qui de carcere, & catenis (vt dicitur) egressus est ad Regnum?* Et in hoc potest cognoscere, quod Dominus ipse est Deus, qui eum liberauit, & ab eo immundum spiritum exire fecit. Hæc Interpres, ex cuius doctrina clarè patet, quod societas, ac lex Fratrum, & Sororum de Pœnitentia contra quatuor prædicta (ad quæ dum inducunt bona temporalia, introducunt ineuitabiliter immundum spiritum aduersus omnia Spiritus Sancti dona) instituta sit à Beato Francisco. Quæ lex dum sufficiens est ad spoliandum quemlibet ab inordinato affectu bonorum temporalium (imò ad id intrinsecè ordinata est, licet non ad spoliandum ab illorum effectu) equidem profitentibus, & obseruantibus eam, etsi Proceribus magnis, Principibus, Regibus, Cæsaribus, illã felicitatem parit, quæ ad dona Spiritus Sancti cor dirigit, quamq; merito Romanus Pontifex Nicolaus III. publicè testatus est in parente suo Matthæo Vrsino, & de quo tantum gloriabatur, reticens in ipso quamcumque aliã temporaneam felicitatem, quamuis hæc in viro illo pluribus de causis multimoda.

Quid Hierusalem misticè.

Lex Tertii Ord. de pœnit. spoliat non effectu, sed affectu à bonis temporalibus.

Sic declarauit Parentem suum bonum Villicum Dei, non autem iniquitatis, ac per consequens diffamatione promeritũ. *Villicus propriè dictus*, exponit Interpres noster Dom. 9. post Trinit. *Villæ custos, sed ponitur hic pro Oeconomo, idest dispensatore, qui vniuersam substantiam domus dispensat.* Iste Villicus, ait, quemlibet hominem significat, cui Dominus commisit triplicia dona, scilicet *Naturalia, Gratuita, & Temporalia.* Sed infelix duo prima dissipat, mortaliter peccando. Hæc ille. Vbi autem lex Tertiariorum profitetur, atque benè obseruatur, omnes Fratres nec duo priora dona dissipant, nec tertium malè expendunt, vel congregant. Ac proinde eius villicatio sicut omni laude digna, ita pariter & bona eius omnia optima fama promerita.

Villicus vnde dictus, & quid misticè.

Vrsinorum agnomentum longè accessisse stirpi, quæ ipsi multo ante Rosa, florum Regina, gentilitium stemma proprissimum, monumenta produnt. Accessit illi, ni fallor, ex robore corporis, immanem Vrsum insueta strenuitate prostrante. Vrsus cognationem, affinitatemque haud vulgarem habere potest cum Rosa, ex qua Apes fabricant mellea, ad quæ Vrsi tantò insatiabiliter inhiant, quãtò gulosè, & impudicè ad ea, quibus delectantur. *Tamquam Vrsi*, ait Interpres noster, loquens de Præsulibus relaxatis, *quia gulosi, & luxuriosi fugiunt ad mel, idest dulcedinem temporalium.* Ita Dom. 4. post Trinitatem.

Vrsinorum agnom. post stemma gentilitium Rosæ

Vrsi cũ Rosa societas, ex qua apes mel fabricãt

Plurimi ex Vrsinorum Prosapia vi bellica sub Rosæ Gentilitio inter Principes suos, & Reges suos, illos sanguine, & stirpe, hos affinitate, & sacramento, eminẽtes profectò aduersus Leones Ecclesiæ, ac Reipublicæ. Sed fortiores illis quotquot ad Apum, sugentium mel è Rosis, quibus regales virtutes assimilandæ, *operationes*, (quæ teste Doctore nostro in die Pentecostes, *Spiritui Sancto appropriatæ sunt*) cælica fame cucurrerunt. Hi profectò aduersus Vrsos vitiorum, de quibus Interpres vbi supra Dom. 4. Trinit. Mille Vrsos armantes, auspicante sibi Rosa, quæ Italicè, ac transpositiuè est *Orsa*, scilicet *Vrsa* Latinè, seipsos in illorum Triumpho diuinitus vicerunt. Horum æmulus Princeps Matthæus, institutum Tertiariorum cum magna eius gloria profitens, ab ipso Legislatore habitu, & Regula sibi traditis. Pœnitens animo, & professione hic Heros, benè cognouit, verum esse illud Apostoli 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt.* Percepit hæc Matthæus, Donatus in Discipulatu Sancti Francisci, in Pœnitentium Confraternitate, inhians cum Vrso suo spiritali ad mellea, & ad odorifera mandragoræ poma, scilicet ad opera iustorum aduersus carnales Vrsos, *qui militant aduersus animas.* Vnde explicat Doctor noster illud, *Animalis homo, &c.* loco citato, in hunc modum. Animalia cum animalibus, cœci cum cœcis in foueam cadunt. Hi cum gustauerint Mandragoras, moriuntur. *Mandragora est herba aromatica.*

Proceres multi ex Vrsinorum familia.

Matthæus Vrsinus Tertiariu. percepit ea, quæ spiritus Dei sunt.

Mádragoræ poma, opera iustorum significant.

matica. Poma eius sunt optimi odoris, in similitudinem pomi naturalis. Significant operà Iustorum, quorum vitæ odore Vrsi rugientes moriuntur. Quibus, vt ait Apost. 1. Corinth. 2. aliis autem odor mortis in mortem. De his Mandragoris Cantic. 7. ait Sponsa. *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris.* In portis Ecclesiæ dant Sancti odorem bonæ vitæ. Hactenus Interpr. imaginem Matthæi Vrsini (De eius Rosa in Hierarchia citata) in suæ doctrinæ speculo repræsentans. *Mandragora*, alio nomine *Circeum* vocatur. Ipsa in Principe Matthæo Vrsino misticè germinasse Rosam ex dictis hic, & in citata Hierarchia liquidò patet.

Mandragora alio nomine vocatur Circeum.

CAPVT V.

Annus 1222. in quo dum Parisÿs initiatur Alexander de Hales, dũ Interpres noster mittitur Vercellas ad Scholam Areopagicam, vt Theologiæ Misticæ studio incumberet, postea in Galliæ, atque Italiæ præcipua loca, vt doceret, totus Discipulatus Francisci sub lege Minorum clauditur.

I*N omnem terram exiuit sonus eorum.* Psalm. 18. Eorum scilicet, qui ad Ecclesiæ Christianæ fundationem, relictis omnibus, sequuti sunt Christum. Quorũ cunctorum primi duodecim Apostoli nuncupati, cæteri sub auspicatissimo numero septuaginta duo dicti sunt Discipuli. Horum omnium sonus in omnem terram exiuit. Explicat Interpres noster, cuius *Benedicta Lingua* sub hoc anno cognosci cæpit, ac per eam eius spiritus verè Angelicus, verè Apostolicus, ita scribens in serm. 2. de Apostolis. *Tria sunt, quorum sonus procul auditur. Tonitruũ. Tuba, & Campana. Quia ergo vox Apostolorum, & Euangelistarum talis fuit*, meritò in omnem terram exiuit sonus eorum. *Tonitruum ergo fuit eorum prædicatio, quantum ad malos. Tuba, quoad bonos. Campana, quoad vtrosque.*

Tria sunt, quorũ sonus procul auditur.

Quotquot constituerunt numerum XII. sociorum, & filiorum Francisci in fundatione Ecclesiæ Franciscanæ, & in professione, & propagatione eius Legis, cælitus inspiratæ, ac reuelatæ ad reparationem Ecclesiæ, & Legis Christi, in toto Orbe diffusæ, & vbiq; quoque deformatæ; vita fuerunt Apostoli, prædicatione Euangelistæ. Quare debebant quoque esse cum illis *Tonitrua, Tubæ, & Campanæ*, vt in omnem pariter terram sonus eorũ exiret, & in fines Orbis terræ verba ipsorum audirentur. Explicemus breui cum eodem Interprete nostro hanc veritatẽ, quæ huiusce anni tempestate Tonitruorũ, Tubarum, & Campanarum sonum hinc inde cum nouo, ingentique fructu per Franciscum, & eius socios, & discipulos diffudit: Legis, ac Regulæ Fratrum Minorum vexillo multis in Domibus, Cœnobiis, ac Prouinciis iam explicato.

Tonitrua, Tubæ, & Cãpanæ fuerũt discip. Frãc.

De primo (ait Interpres, qui in Ordine nostro præcipuum, ac peregrinum extitit Tonitruum, singularis Tuba, vnica Campana) Psalm. 26. *Vox tonitrui tui in rota*, idest, inquit, *in circuitu Mundi*, quia in fines orbis terræ verba eorum. Hinc Marci 3. vocantur Apostoli *filÿ tonitrui*. Hinc tonitruum quasi vox viua pulsauit, quando delectationem Mundi vertit in insipiditatem. Hæc ibi, tacitè describens in primis Apostolicum virum Franciscum, cuius Tonitrui vox vtiq; in Rota, & ipse quoque Tonitrui filius. Qui sub hoc anno in Regno nostro Neapolitano plurima obtinuit domicilia; ibique tonitruũ, quasi vox viua pulsans, delectationem Mundi in corda multorum vertit in insipiditatem.

Vox tonitrui in rota B. Fran. & eorum discip. prædicatio.

Circa Tonitruum notentur quatuor (subdit Interpres immediatè) præcedit enim, idest prius apparet coruscatio, sequitur tonitruum, deinde fulgur, postremo pluuia. Hinc notatur processus Apostolorum erga malos. Debet enim præcedere

Quatuor notanda in tonitruo naturali, & allegorico.

1 *Coruscatio blandæ admonitionis*, vt resipiscant.

2 *Tonitruum increpationis*, nisi se emendent.

3 *Fulmen asperæ comminationis, & excommunicationis, & vindictarum*, si contemnunt.

4 *Pluuia compassionis*, vt executionem vindictæ inferentes, ipsi condoleant. Hæc Interpres, qui omnia illa quatuor probat exemplis, *vt exemplo Christi*, Matth. 18. vbi de correptione fraterna. Christi inquam blandè ibi coruscantis, formidolosè tonantis, indignãter fulminantis, & compassiuè pluentis. At quis adeò inter Ecclesiæ Diuos, iã in illius reparationẽ à Deo electus, egregium Christi simulacrũ vita, & prædicatione vnquam extitit ceu Franciscus? *Et exemplo Pauli*, qui coruscabat inter Apostolos, quando dicebat 2. Corinth. 13. *Oramus Deum, vt nihil faciatis mali*. Tonabat ibidem, dicens. *Præ-*

B. Fran. tonitruũ vt Christus, & Apostolus Paulus

dixi, & prædico ijs, qui ante peccauerunt, &c. quia si venero iterum, non parcam. Fulminabat, quando tradidit Satanæ fornicatorẽ Corinthium, 1. Corinth. 5. Post hæc omnia pluebat, 2. Corinth. 12. *Lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam:* Quis tam exactè in seipso vnquam expressit ea Legis Christi, & eius Ecclesiæ reparandæ tempestate zelum, & morem Apostoli Pauli, ad Mundi conuersionem missus, idoneusque effectus, vt à dextera Pauli in Ecclesiæ, atque sui ordinis hostes, ensem acciperet, illique Crucem traderet, veluti Franciscus?

Tonitruum etiam vt Apostolus Petrus.

Et exemplo Petri, Apostolorum Principis, coruscantis, Actuum Apost. 3. Tonantis ibidem. Fulminantis, Act. 5. Pluentis, Actor. 8. Quis ita sollicitus, solersque Petri imitator, ita Petri pedibus subiectus (quemadmodum & Petrus Christi pedibus) in vitæ, & gestorum Petri constans reparator, vt Franciscus, qui materialem Petri Ecclesiam, dum ad opus totius Ecclesiæ reparationis se accingebat, miserè collapsam, primus restaurauit?

Sic etiam & omnes disci-puli Franc.

Hæc quatuor in Francisci Tonitruo, omnes penè eius Discipuli, qui in ipso præcipua Christi, Pauli, & Petri tonitrua videbãtur, strenuissima in semetipsos imitatione transtulerunt. Nam Francisci exemplo eorum tonitruorum *vox in rota* fuit, idest in circuitu Mundi, quia in fines orbis terræ verba eorum. Apostolici hi viri, Christi tonitrui, & Francisci filii cum essent in conuersione malorum: *Coruscabant* per blandam admonitionem; vt peccatores resipiscerent. *Tonabant* per asperam comminationem, & increpationem, nisi se emendarent. *Fulminabant* per Dei vindictam, eam annunciantes, si contemnerent. Demum *Pluebant* per compassionem, condolentes, tum super eorũ scelera, tum super Dei iracundiam, in ipsos dirè completam.

Hi etiã fuerunt & cum eodem tubæ Apostolicæ.

Item Tuba Christi cum Christifero Francisco, & Magistro, & Legislatore fuerunt, bonos excitando. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem.* Num. 10. Vbi statim subdit Interpres. *Duas tubas dicit propter consummationem charitatis, vnde discipuli duo, & duo ire iubentur,* Lucæ 10. Hæc vltima Interpretis singularia sunt valdè, ad indigitandum duos vltimos Discipulos Francisci ex septuaginta octo, quibus totus numerus ex subiecto anno 1222. complendus est. Harum Tubarum (sequitur Interpres) vsus est triplex, scilicet conuocare ad bellum contra vitiá. Inuitare ad epulas, nimirum ad refectionem virtutum. Et ad solemnitatem, idest desiderium cęlestium gaudiorum. Ad hæc tria inuitabant Apostoli bonos.

Harũ tubarum vsus triplex.

1 *Ad Bellum inuitabat Apostolus* Ephesi 6. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, &c. In omnibus sumentes scutum fidei.

2 *Ad Epulas, enumerans* 12. *fructus spirituales, quibus anima refici debet,* Galat. 5. Fructus autem spiritus charitas, &c.

3 *Ad solemnitatem, idest desiderium gaudiorum cælestium*. Roman. 8. Non sunt condignæ passiones, &c. Tuba in hunc eundem modum fuit, & quidem valde peculiaris, ac diuina Franciscus, *vir Catholicus, & totus Apostolicus.* Tuba pariter ab ipso edocti eius duodecim Apostoli, eiusque supra numerum septuaginta duo fuerunt, & alii. Fuerunt pariter & cum eodem, & per eundem Campanæ.

Fuerunt etiã Apostoli, & cũ illis Frãc. & eius discipuli cãpanæ

Campanæ etiam (pergit Interpres) *comparantur Apostoli propter tria, propter factionem, proprietatem, & officium, idest vsũ.* De primo, Campana vt fiat, metallum de profundis terræ visceribus primò extrahitur. Secundò, igne fornacis liquefactum purgatur, & conflatur. Tertiò, liquefactum formæ modulis adaptatur. Sic Apostoli, & Euangelistæ extracti sunt

1 *De terrenis actibus*. Lucas de officio artis Medicæ. Paulus de profundo vitiorum, idest ex vtero Synagogæ, sicut metallum de ventre terræ. Galat. 1.

2 *Igne doctrina Christi, & charitatis sunt purgati*. Malach. 3. Sedebit conflans, &c. Quoniam Dominus docebat eos. poterant dicere illud Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Et Ioan. 15. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.

3 *Moduli formam receperunt*, 1. Petri 2 Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, *idest modulum*, 1. Corinth. 5. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Hactenus Interpres noster, apud quem cætera de proprietatibus, & vsu Campanæ.

Minorũ progressus hoc anno.

Hoc eodem anno Franciscus ex vna parte apud nostrates Neapolitanos, eius verò discipuli ex altera post peragrata alia regna occidentalia, ad Germanos, & Teutones, ex quibus ingens totius Europæ venter conflatur; item & ad Suecos, aliasq; Regiones Aquilonares cũ incredibili progressu. Cũcti prædicatione, & vita Apostolica, *vt Tonitruum*, quantũ ad malos, coruscabant, tonabant, fulminabant, pluebant. *Vt Tuba* quoad bonos conuocabant ad bellum contra vitia. Inuitabant ad epulas, vt eorum animam cibarent refectione virtutum. Vocabant ad solemnitatem, omnium desideriorum

ad

ad gaudia cælestia accedendo. Demum quoad vtrosq; assimilabantur *Campanæ*, cuius vltima proprietas apud Interpretē nostrum sic se habet. *Sonus campanæ dum de aquis resultat, dulcior efficitur, sic cum de aquis sacræ scripturæ prædicatio accipitur, non de fabulis, dulcis est auribus Dei.* Ezech. 3. Annunciabis eis ex me. Psalm. Vox Domini super aquas. Et post. Vox Domini in virtute. *Quia prædicatio virtuosa est, & magnifica, quæ de aquis sacræ scripturæ elicitur.*

Vltima campanæ proprietas, præ ceteralias,

Prædicatio virtuosa profectò fuit, quia Apostolica, & Euangelica postremorum duorum Discipulorum Francisci numerū 78. complentium. In altero illorum sine voce fuit, quia in statu Laicali, & tamen mille linguis, quibus egregiores virtutes solent in profundo silentii multū loqui, atque exemplis mouere, & persuadere, mirum in modum ex illius tonitruo, tuba, & campana exiuit sonus, iam eius sanctitatis fama per totum terrarum orbem diffusa. In altero verò, & voce, & operatione Tonitrui, Tubæ, & Campanæ ad exteras nationes (qui tum in nostra 13. annorum, quam prior hic tomus amplectitur chronologia, tum circa prolixitatem prioris Legis Fratrum Minorum erit postremus) Apostolica arcana, atque Euangelica symbola explicauit. De vtroque sub præiacto anno iuxta ordinem Vadinghi nunc breui agendū.

Quæ prædicatio virtuosa, ac fructuosa,

PANEGIRICVS XXXXIII.

Princeps, Seraphici Cordis Hospes.

Septuagesimus septimus Discipulus ex numero LXXVII.

B. BENEVENVTVS Eugubinus, professione Laicus, à Francisco receptus in Ordine post illius regressum à Regno Neapolitano ad Vmbrias. Huius celebris Minoritæ synopsis historica, simul cum commentariolis Doctoris nostri, hæc est apud Auctorem Martyrologii, qui ex Vadingo, & aliis eam breui transcripsit. *Nobilis Eques fuit B. Beneuenutus, qui spretis Mundi illecebris, Seraphico Patri Francisco toto nixu adhæsit. Amplexus, ac professus Minorum legem, Laicorum statum tenuit, cū literas penitus ignoraret.* Sic alta edoctus sapientia, Humilitatis suæ multiplex dedit indicium, &c.

Miles, & Eques nobilis erat Beatus iste in sæculo.

Quippe, qui benè veniens à statu sæculari, ac nobili, ad statum regulari Fratrum Minorum (quorum vitam ignobilitas, contemptusque Apostolicus ad salutem necessarius constituunt) inter suæ humilitatis indicia, illud principio innotuit, quo totum mundanorum ordinem subuertens, palam fecit, se magnum esse factum ex paruulo. *Paruulus est*, asserit Interpres noster, *qui appetit terrena. Magnus qui æterna.* Ita in serm. Dom. 14. post Trin. Bonus item certè nostri Beneuenuti aduentus sub S. Francisci ductu, à quo Minorum lex in humilium Fratrum statu ipsi tradita. Nam & ad implementum suę professionis *videns requiem, quod esset bona, accubauit in terminis cum Isachar.* Gen. 40. Sed quare in terminis accubauit, & non potius inter terminos? Quia *In* præpositio est, quæ separari, & componi potest; *Inter* verò, cum sit extra compositionem, mediū quidem importat, quod positum inter extrema, ex eis vtrimque participat. *Duo sunt termini* (ait Interpr. noster in ser. Dom. infra oct. Natiuitatis, vt aliàs dictum) *ingressus scilicet, & egressus vitæ nostræ. In his accubat, idest requiescit Paupertas.* Isachar, subdit, interpretatur Merces, *& significat Paupertatem, quæ omnia temporalia abijcit, vt mercedem æternitatis recipere possit.* Considerat enim, sequitur, Pauperrimum hominis ingressum, & vilissimum eius egressum. Et ideo non vult accubare inter terminos, vt audiat sicut dicitur Iudicum 5. *sibilos gregum*, idest suauem suggestionem Dæmonum. *Inter terminos habitat, vel accubat, qui ingressum, & egressum vitæ suæ non attendit, sed in carnis voluptate, & mundi vanitate requiescit.* Hæc Interpres, loquens de humilitate in statu pauperum.

Cōtemptus apostolicus constituit vitam regularem in ord. potissimum S. Franc.

In terminis Isacar à Minoribus accubandum.

Humilitas in statu pauperum quid considerat, vt requiescat;

Sed melius in serm. 2. Dom. 3. post Pascha, illis verbis. Cor primum inter omnia membra formatur. In corde humilitas notatur, in quo ipsa primariè capit hospitium. Vnde Dominus Matth. 17. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Hæc inter cæteras virtutes prius debet formari, quia ipsa est forma deformata informans, &c. Reliqua vide ibi vsque ad illa verba, Si humilitas corrumpitur, cæterarum virtutum fabrica dissipatur. Gregor. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi puluerem in ventum portat, &c. Item cum fores essent clausæ, &c.* Ioann. 20. vbi ita Interpres in die sancto Paschæ. *Fores sunt quinque sensus corporis, quos claudere debemus seris diuini amoris, & timoris, ne contingat in eis, quod dicit Paulus* Act. 20. Scio, quod post discessum meum intrabunt ad vos Lupi rapaces, non parcentes gregi. *Paulus interpretatur humilis. cum humilitas discedit à corde, Lupi rapaces, idest desideria carnalia intrāt per fores quinque*

Primū humilitatis hospitium est cor.

Fores quinque claudendæ, ne cor intrent Lupi rapaces.

quæ sensuum, gregem simplicium cogitationum deuorantes, &c.

Pergit deinde historia. De mãdato Magistri sui Francisci ad seruiẽdum leprosis accessit, illisque veluti Christo charitatiuè ministrauit, &c. Et meritò quidem, quia Christus, quem leprosum nuncupari oracula testãtur prophetica, ob lepram spiritualem, ob quam venit in Mundum, passus est, & crucifixus. *Vnde Beneuenutus* in illa corporali lepra hanc medicans, idcirco tanta charitate seruiebat, ministrabatque leprosis, ac si ipsi Christo inseruiret, ac ministraret, sedulus extans, valdeque in cunctis solicitus. *Leprosi mundantur*, Math. 11. dicitur Reg. 2. cap. 5. *quod Naaman erat vir magnus, & diues, sed leprosus*. Quia (subdit Interpres Dom. 2. Aduent.) vbi diuitiarum, & deliciarum affluentia, ibi luxuriæ lepra, &c. Sed magis ad propositum prout generalior super illud. *Et cum ingrederetur Iesus in quodam Castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi*, Lucæ 17. Nam ibi in serm. Dom. 14. post Trinitatẽ, exponens allegoricè, & moraliter, in quinque lepræ speciebus, & in quinque locis eiusdem decem genera criminum, iuxta numerum decem leprosorum, ita primo modo loquitur.

Lepra spiritualis quæ,

Alia allegorica in toto humano genere.

Allegoricè Mundus Castellum est, in quem cum Christus est ingressus, *occurrerunt ei decem viri leprosi*, per quos humanum genus intelligitur, *quia contra Decalogum peccauerat, quod nec Deum, nec proximum diligebat*. Et ideo lepra infelicitatis, & iniquitatis respersum erat. Ideò clamabat, *Iesu præceptor miserere nostri*. Salutem vocauit, & misericordiam postulauit genus humanum, & Dominus vtrumque fecit. Sanguine enim Redemptionis, & aqua Baptismi illud mundauit ab omni lepra infelicitatis, & iniquitatis. De lepra morali, ait, quinque sunt genera, scilicet coloris candidi, lucidi, obscuri, rufi, & pallidi; & quinque loca; sed in serm. 1. fer. 3. Quadrag. in fine reperies ex Diuo Gregorio septem loca lepræ materialis, & moralis. Lepra, subdit, in capite, in barba, in corporis cute, in veste, & in domo. Quid autem ista significent, videamus.

Alia moralis, cuius quinque sũt genera, & quinq. loca.

Candida lepra est hipocrisis, & simulatio religionis. *Obscura*, est immunditia fornicationis. *Rufa*, rapina, & vsura. *Pallida*, inuidia alienæ felicitatis. Argumenta, quibus hæc probat, vide ibi cum aliis quoque, sequentibus quinque locis lepræ, de quibus ait. *Lepra in capite* est immunditia in cogitatione. *Lepra in barba* est iniquitas in manifestatione. *Lepra in cute* est inhonestas in conuersatione. *Lepra in veste* est dissensio in fide Christi, vel imprudentia in virtutum operatione, vel executione. *Lepra in domo* est discordia in congregatione, &c. Dum adeò exactè Seraphica flagrans charitate B. Beneuenutus in leprosorum se gerebat seruitio, contemplabatur in illorum lepra materiali lepram moralem omnium peccatorum Mundi, & ad ingentem, sedulamque Christi curam rapiebatur, qui vt cunctis indefesè, nec labori, nec vitæ parcens, inseruiret leprosis, lepra criminum communiter affectis, annis triginta tres formam serui accepit, imo omnium leprosorum, in quorum miseriam, vt optimus medicus compassiuis præcordiis se transformauerat. Quare ore proprio testabatur, quod *non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*; gnarus, *quod medicus*, (sunt verba Chrisologi) *qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poterit conferre sanitatem*. Concordat, licet sub aliis verbis Interpr. noster Dom. 15. post Trin. super illud Eccl. 3. *Altissimus creauit de terra medicinam*; & Interpres. *Altissimus, qui est Christus, de terra, idest de carne sua, creauit medicinam, scilicet humanitatis, qua sanauit humanum genus, &c.* Ipse igitur Christus fuit Medicus, & medicina, & ipsa sua humanitatis medicina omnium lepram expressit, portans eam, factus sub forma serui cum infirmis infirmus, cum leprosis leprosus, vt sciret eam curare, & ægrotis sanitatem conferre. Sed ad textum historiæ.

Sedula Christi cura in curanda humani generis lepra.

Medicũ debet infirmari cum infirmo quem curare assũpsit

Obedientiæ culmen sic ascẽdere conatus est, vt ad omnia Prælatorum iussa, impiger, & sine mora pareret, &c. *Ne coneris contra fluuium*, idest voluntatem Prælati, *sed humilia caput*, Eccles. 6. *Et lingua eucharis in bono homine abundabit*. Lingua eucharis, idest bonæ gratiæ abundabit in bono scilicet subdito, vt dicat cum Iob 14. *Vocabis me, & ego respondebo tibi*. Vocanti respondet, qui sibi præcipienti ex animo obedit. Hæc apud Doctorem nostrum in serm. Dom. intra octauam Natiuitatis. Quæ benè optimè nomini, & professioni circa impigram solertiam, maximè in obediendo Prælato suo, B. Beneuenuti respondent. Abundat bona gratia in obedientia, quia *Obedientia, vt dicit Gregorius* (ait Interpr. Dom. 3 post Pascha) *cæteras virtutes sibi inserit, insertasque custodit*. Abundans idcircò bona gratia in Beneuenuti obedientis virtute, ac iuremerito extitit; nam ad illius virtutis culmen ob ligamen, & custodiam aliarum virtutum, ipsum summe extulit. Culmen obedientiæ est illud *sedile aureum*, quod tenentes cum duæ manus in throno

Obedientiæ culmen ex bonæ gratię abundantia.

Obedientia est sedile aureum Salomonis.

throno Salomonis historia lib. Regum narrat. Denotat enim apud Interpretem nostrum, iuxta misticam intelligentiam obedientiæ religiosæ eminentiam. *Sedile*, inquit, *est obedientia, quam tenent hinc inde duæ manus, idest memoria Dominicæ Passionis, & recordatio propriæ fragilitatis, & iniquitatis*. Iuxta duas manus, subdit, stant duo Leones, *spes scilicet, & timor*, spes iuxta manum Dominicæ Passionis, *cuius exemplo libenter obedit, per quam sperat habere, quod credit*. Iuxta manum, idest recordationẽ propriæ iniquitatis stat Leo timoris, *minans periculum, si non obedit, æternæ mortis*. Hæc ille. Reliqua gesta, & omnia egregia adeò breui in hoc Beato Viro, atque tantò admiratione digna, quantò operatione diuina, sub perfectissimo sex paragraphorum numero perstringam, additis quoque Interpretis nostri postillationibus.

Patiẽtiæ impauiditas in aduersis.

1 *In suis infirmitatibus, quibus à Domino fuit probatus, patientia enituit*. Hæc est illa dilecta Heroum prærogatiua, quæ in Gigante Christo, teste Interprete nostro serm. imperfecto de facie Domini in certamine positi *terroribus perstitit aduersa, non fuit flagellis attonita, nec conuicijs consternata*.

Paupertatis magnanimitas.

2 *Sanctissimæ Paupertatis amator, vix extrema victus, & vestitus requirebat, &c.* Hæc est illa magnorum procerum, militumque in Christi aula insuperabilis fortitudo, quæ ideò Regni Cælorum dominatur, quia eius vim, quam patitur, incredibili robore, ac violentia expugnat. Ob hanc Interpres Lazarum pauperrimum assimilat Dauidi, Epuloni autem ditissimo Saul Regem, eo ditiorem, in sermone Dom. 1. post Trinit. *Tulit hastam Dauid, & scyphum aquæ, quæ erant ad caput Saul, &c.* 1. Regum 26. *Dauid*, inquit, *significat Lazarum, qui in tanta aduersitatis angustia fortis fuit. Saul diuitem, qui bonis sibi à Deo commissis abusus fuit*. Dauid Sauli, subdit, abstulit hastam, idest potentias diuitiarũ, & scyphum aquæ, idest voluptates gulæ; & Lazarus transiuit de angustia ad quietem, &c.

Silentii, ac pietatis prærogatiuæ ex virtute modestiæ.

3 *Silentij cultor. Pietatis visceribus super afflictos affluebat, &c. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, Philipp. 4. Vbi Interpres in serm. Dom. 3. Aduent. Modestia dicta; eo quod modum teneat in omnibus. Nota, quod modestia est in duobus maximè, scilicet in pace mentis, & honestate corporis, de quibus Isai. 32 *Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum*. Opus iustitiæ, *idest illorum, qui sunt iam per gratiam iustificati*, est pax. Fundamentum totius boni operis ponunt in pace mentis. Et sic cultus, idest exterior actus, & habitus est silentium. Cum homo interior quiescit in pacis domo; homo exterior sedet in quodam honestatis, & securitatis silentio, secum taliter quiescenti, & habitanti securitas erit in sempiternum. Hæc Interpres in eo loco, vbi ex modestia Euangelica silentii interioris, & exterioris hominis, pietatisque erga proximum educit cultum. Pietas enim in vnione amplectens Deum, & creaturas, nihil aliud est, nisi debitus cultus erga Deum, patriam, & parentes. Esse eam quoque honestam opinionem, testatur Cicero pro domo. Colendam ob ingenuum, quod infert nomen, scribit in somnio Scipionis illis verbis. *Cole pietatẽ, quæ cum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patriam maxima est*.

Quid pietas generaliter.

De accusato Villico iniquitatis in Euang. Lucæ 16. ait Interpres noster in serm. Dom 9. post Trin. *Hæc accusatio fit*, vt dicit Glossa, *quando non exercet opus pietatis erga illos, quibus debuit, &c.* Debitum Fratrum Minorum circa pietatẽ docuit Franciscus suis, inter quos eluxit *B. Beneuenutus* noster, cuius viscera adeò piè super afflictos affluebant. Sic erat totus pietas, & totus misericordia erat, iuxta doctinam Interpretis nostri Dom. 4. post Trinit. *Misericors*, ait, *à compatiendo alienæ miseriæ est dictus. Hinc & appellata est misericordia, eo quod cor miserum faciat, dolendo alienam miseriam, &c.* At felicissima profectò hæc miseria, quæ dũ præcordia Beneuenuti nostri super afflictos effudebat, Dei bonitatem, eiusque pietatem, ac misericordiam imitabatur, quæ vt sequitur Interpres ibidem, *est speciosa, spatiosa, & pretiosa, licet in Deo*, inquit, *sine cordis miseria sit*.

Totus pietas erat, totus misericordia B. Beneuenutus.

4 *Orationi, & contemplationi sic fuit deditus, vt vsque ad horam tertiam in publicum nullatenus exiret; ne occupatione aliqua perfectas delicias minus pateretur, aut mutari, &c.* Sicut magnitudo capitis (ait Interpres Dom. 3. post Pascha, loquens de infantibus) maior est aliis membris, *sic gratia contemplationis est sublimior, quia Deo, quem contemplatur, vicinior*. Sed heu, subdit, quanti infantes, idest mente instabiles magnitudinem huius capitis conati sunt ferre; sed longo tempore non potuerunt portare propter sui magnitudinem. Solus Abraham Gen. 22. idest vir iustus, *cum puero*, idest mentis puritate *ascendit in montem vitæ contemplatiuæ*. *Pueri autem remanserunt in valle delectationis mundanæ*. *Expectantes cum asino*, idest asinina tarditate, &c. Non ita se gessit

Orationis, contemplationis assiduitas indefessa

gessit Beneuenutus noster, deditus iam contemplationi incredibili strenuitate vsque ad finem vitæ.

5 *Cumque culinæ officium exerceret; tādiu semel in Ecclesia perstitit, vt nihil pro Fratrum prandio paratum haberet. Sed coquinam ingressus, cernit omnia Angelico famulatu esse parata, &c. Homo quidam fecit cœnam magnam*, Lucæ 14. Vbi Interpres Dom. 2. post Trinit. in principio. *Nota, quod duplex est cœna, Pœnitentiæ scilicet, & Gloriæ; & sine prima non venitur ad secundam*. De prima 1. Regum 1. *Anna lactauit filium suum, &c.* Anna interpretatur gratia mea, *& gratiam Spiritus Sancti significat, quæ duobus vberibus, gratia scilicet præueniente, & subsequente pœnitentem lactat, donec à lacte concupiscentiæ carnalis, & mundanæ vanitatis omninò amoueat*. Hæc ille.

Cœnā pœnitentiæ, in qua pœnitēs cibatur à Deo lacte

In hac cœna à principio ingressus Ordinis, & professionis suæ, & deinceps, & semper cum augumento à lacte concupiscentiæ carnalis, & mundanæ vanitatis amouit illustrem virum Beneuenutum Gratia Spiritus Sancti. Quare haud mirū (maximè vbi sæpè sæpius repetebat esum cœnæ sacramentalis pœnitentiæ, & sacramenti panis Christi) si tempore siue prandii, siue cœnæ, vel ab ipso parandæ, vel sumendæ, repeterit illud Numer. 21. *Anima mea nauseat super cibo isto leuissimo*. At minimè nuncupabat cibum leuissimū illum, super quem nauseabat Israel, significabatque cibum diuinum, ad quem insatiabiliter inhiabat Beneuenutus, sed illū cibum, ad quem anhelant viri irreligiosi, cæleste manna rerum cælestium, spiritualium, & diuinorum fastidientes. *Illis cibus diuinus generabat fastidium* (explicat moraliter Interpres Dom. in Passione) *quod illis veniebat de secretario peccatorum*.

In hac cœna perassiduus Beneuenutus

Et Num. 11. ait, commemorant septē. Carnem, *idest gulam*. Pisces, *idest lasciuiam, quæ ex gula sequitur, quia homo, qui delicatè viuit, postmodum natare cupit in concupiscentijs carnalibus*. Pepones, *idest vanam gloriam*. Cucumeres *frigidos, idest inuidiam*. Allia, *quæ inflant, idest iram*. Cepas, *quæ fructificant in omni loco, idest auaritiam, quæ ardet*. Porros, *idest accidiam*. Qui igitur, infert, talibus stimulantur, illi dulcedinem verbi Dei non percipiunt, &c. Talibus minimè stimulatus, imò in totalem obliuionem eorum redactus Beneuenutus, & prout præfatorum vitiorum extabant nō solum symbola, verum etiam & fomes ad vomitum, fastiditus.

Analogia inter cibos carnales, & morales, ac criminosos.

Hinc die illo in Ecclesia in cœna magna sacramentalis pœnitentiæ omnium ciborum carnalium oblitus, eo quia in ea opipare, ac valde delicatè, & sine ex-pletione famis epulabatur. Nec comedebat solus, sed cum Christo, accumbente simul cum eo tota Trinitate, & obsequentibus Angelis. Vnde Interpres noster in serm. de multiplici cœna Domini, describens triplicem cœnam magnā, primamq; faciens eam, quam Christus cum Apostolis suis celebrauit, ita scribit de altera cœna. *Secunda cœna dicitur conuersio peccatoris, quæ dicitur cœna magna, quia ibi sunt magnæ epulæ, felix sapientia, magna lætitia. Magnæ epulæ*, sequitur, sunt magnæ consolationes. Nam ob multitudinem dolorū in corde peccatoris cōsolatur Dominus lætitia magna. *Felix societas* est Christi, qui est ibi sponsus cum sponsa, hoc est cum anima: imo tota Trinitas, Ioann. 14 *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eū faciemus, &c. Magna lætitia*, scilicet ipsorū Angelorum, Lucæ 15. *Gaudium est Angelis in Cœlo super vnò peccatore.* Erat tunc conuersus professione Beneuenutus, & conuersus peccator, licet iustissimus seruus Dei, & Discipulus Francisci. Etiam tunc in illa confessione multa cum accusatione sui, cum dolore, contritione, lachrymis, veluti si inter omnes peccatores maximus ipse peccator extiterit, gratia, haud prima, sed augumentatrice sacramentali vberem refectionem gustauit. Postea bona gratia Eucharistiæ saginatus duplicem magnam cœnam spiritalem; extra se raptus per extraordinariam contemplationem cum Christo suo, cum tota Trinitate, cum magna Angelorum lętitia celebrauit.

Cęna magna in cęnaculo pęnitentis.

Adhuc epulans in illa duplici cœna; ibique extatica suauitate suspensus, ex vna intrauit affectu mentis in aliam magnam cœnam, quam tertiam facit Interpres loco citato, & esse ait in futuro. Intrauit, inquam; ad futuram magnam illā cœnam, vbi (teste ipso Interprete in ser. 2 Dom. 1. Quadrag.) *Homo introduci debet à spiritu sapientiæ per cōtemplationem cœlestiū.* Quia dum epulabatur Beneuenutus cum Christo suo, qui est Patris sapientia; Christus ipse eius interiorem hominem alloquens, dicebat illi cum Bernardo supra Cant. apud Interpretem citatum ibidem. *Festinemus, fili, festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suauiorem, ad vberiorem, & fertiliorem agrum. Festinemus, vt habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio.* Vnde fruuntur, sequitur, nec fastidiunt, qui frui magis sitiunt. Ibi comedent omnes, qui quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, idest toto tempore præsentis vitæ tam in prosperis, quam in aduersis cum Helia vsq; ad montem Dei ambulauerunt: etsi obdormierint ali-

Cęna magna cælestis, vbi anima affectu estaticè intrat.

quando per accidiam, dum tamen surrexerint, & fecerint pœnitentiam, & sustinuerint tentationes, quia ita dixi ego Dominus, qui fidelis sum in omnibus verbis meis, Lucæ 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis regnum, &c.* Septem sunt, pergit, propter quæ prandium placet inuitatis, scilicet seruitoris nobilitas, ferculorum ordinatio, conuiuarum honestas; vultus hilaritas, inuitantis auctoritas, loci amenitas, & mensæ fœcunditas. Primum notatur per *Ego*. Secundum per *dispono*. Tertium per *vobis*. Quartum *sicut disposuit mibi*. Quintum per *Pater meus*. Sextum per *Regnum*. Septimum per *vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo.* Hæc Christus alloquens interiorẽ Beneuenuti hominem ore Bernardi sui mellifluo, & *Benedicta* dilecti sui de Padua, & Interpretis nostri Antonii *Lingua*.

Septem sũt, per quæ prãdium placet

Epulans ergo vir beatus in duplici cœna prædicta cum Christo suo, assistente tota Trinitate, & obsequentibus Angelis, confabulansque cum ipso iam extra se posito, & omni libertate tunc priuato, quomodo poterat recordari de cibis materialibus, quos Fratribus, licet ex officio, ac merito obedientiæ, præparare debebat? Obliuio Dei est regio longinqua, vt docet Interpres de filio prodigo, & ex temporalibus facillimè oritur, vt supra ex eodem diximus. Epularum, & ciborum venter Deus est, huiusce Dei falsi, & Idoli omninò serui veri Dei obliuiscuntur. Illorum fercula panis lachrymarum, eorumque huiusccemodi obliuio regio aliquando adeo longinqua est, quam longinqua est distantia inter Cælum, & Terram; inter Creatorem, & creaturam; inter Paradisum, & Infernum. Venter Deus est, & est quoque exactor gulæ, quo clamorosior, eo magis tyrannicus. Ipsi subiici serui Dei non compatiuntur. Iob 3. *Vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris.* Vbi Interpres noster serm. in Dom. Septuag. *Exactor est venter, qui quotidie gulæ tributum cum clamore exigit. Sed hunc pœnitens non audit, quia ei non ad voluptatem, sed necessitatem tantum obedit.* Vinctus igitur Beneuenutus sine molestia, imò cum maxima delectatione in mensa Dei sui, haud mirum, si non audiret vocem, tam proprii, quam fratrum exactoris. Sed eius Angelus Custos, qui erat & ipse vnus ex obsequentibus Angelis, audiuit illum exactorem, suppleuitq; ad omnia, prout ipse reperit cum ingenti cordis sui hilaritate.

Obliuio Dei veri est regio longinqua.

Venter exactor gulæ clamorosus.

5 *Honestatis autem adeo fulsit virtute, vt nec verbo, nec facto, aut signo quidquam in eo fuerit reprahensione dignum, &c.* Hæc honestas in homine religioso est altera modestiæ pars, vt diximus supra cum Interprete nostro num. ; Ex quiete pacis, & tranquillitatis mentis Dei domus in interiori homine constituitur. Ex hac deinde oritur hominis exterioris sedes silentii, quæ honestate & securitate constat. *Cum homo interior*, &c. vt supra. Hinc experiuntur viri inhonesti omni pace spoliati, verbis, & factis, & signis immodesti. Frontosi, detractores, otio, & ventri dediti. Loquaces, circulatores, quorũ vnus solus aliquando sufficit, vt omnem cõmunitatẽ subuertat. *Felix Beneuenutus noster*, qui tanta præditus honestate, eam Seraphicam, egregiamque sanctitatem in eo palam faciebat; qua tandem decessit circa annum 1232. apud Cornetum in Apulia Prouinciæ Sancti Angeli, & ob quam signis stupendis claruit. In ea Prouincia summo honore colitur, cuius miracula per Bullam Apostolicam à Gregorio Papa IX. 1236. directam ab Episcopis Melphitano, & Venusino sunt collecta, examinata, & authenticata; & interim concessum à Pontifice, vt in tribus viciniis Episcopatibus celebretur festum, de eoque diuinum recitaretur officium. Vide Martyrologium nostrum die Iunii 27. & quos citat auctores, inter quos Vadingum 1222. num. 21. & 1232. num. 18. & 19. ex Marian. lib. 2. cap. 9.

Obitus Beati Beneuenuti, Locus sepulturæ; miracula; festũ

PANEGIRICVS XXXXIV.

Bos Apostolicus, Seraphicè alatus, & iugatus.

LXXVIII. Euangelici Legislatoris Discipulus.

B. GREGORIVS, natione Lombardus, prædicatione verò Apostolica, & Tonitruum, & Tuba, & Campana Gregi Christi extitit, iuxta præallegatam Interpretis nostri doctrinam in exordio eiusdẽ anni 1222. Fuisse hunc beatũ, sanctum, ac doctum virum, sociũ S. Franc. scimus; verum vtrum ipse Franciscus eum vocauerit è sæculo, receperitque ad Ordinem, & quando illum receperit, prorsus ignoramus. Quod etiam obdubitari potest de B. Electo Martyre, & socio pariter eiusdẽ Sancti Patris; & de nonnullis aliis ex allatis. B. Electum in Africa occisum, vbi missum cum B. Aegidio à Viro Sancto, ponit Vadingum sub anno sui martyrii 1219. ad num. 35. Eiusque encomium ita concludit. *Felix adolescens feliciter incepit, felicius*

Vtrum receptus à Beato Frãcisco, licet ipsi socius.

felicius consummauit; & occultum asperæ vitæ martyrium (portauit enim vsque ad mortem super nudam carnem loricam) felicissimè publico conclusit. Itaque addito etiã nostræ numerationi B. Electo, tota summa septem supra septuaginta duos Discipulos, præter duodecim primos, complecteretur. Cur autem sub anno 1222. cum Vadingo, & aliis B. Gregorium posuerimus, ex subiectis apparebit.

Eadẽ difficultas de B. Electo.

Ordo, & Lex Minorum celeri cursu, mirandoque incremento per nostri Occidentis plagas anno illo 1222. diffudebatur, vt mox plenius explicabimus. Contigit interim, vnum Seraphici sodalitii Patrem, Lombardum origine, nomine verò Gregorium, qui aliquandiu cum Parente Francisco vitam religiosam duxerat, in Boicarum Ciuitatem, seu Bellicasiorum in extremis penè Normanniæ finibus antiquissimam vsque penetrare. Huius doctissimi, eloquentissimi, atque sanctissimi viri concionibus mirificè delectati, ac Monasticæ conuersationis exẽplis capti Ciues illi fuerunt. In hunc modum virum Apostolicum, ad exemplum Legislatoris sui Francisci ibi se ostendit *Gregorius*, quia sub iugo Minoricæ Legis Bos fuit cum Apostolis Christi, vt docet Interpres noster serm. 8. de Apostolis. Bos inquam extitit Gregorius, non verò Vnicornis. *Bos* (ait interpr.) *duo cornua habet, sic Apostoli doctrinam, & vitam. Vnde Vnicornis est Prædicator, cum alterum tantum defert. Et hoc cornu debent Prædicatores, & venatores animarum clamare, idest doctrina bona in prædicatione, quæ sæpe parum prodest, nisi aderit alterum cornu, scilicet bona vita.*

Ad Normãnos mittitur

Mistieus bos apostolicus, fuit sub iugo legis Minorum.

Quamobrem cum talis extiterit in sua prædicatione Gregorius, haud mirum equidem, si præfati Ciues Conuentum in finibus suis coniunctis animis fratribus, vt in posterum moram penes se haberent erigere decreuerint anno 1220. sicut fert Arturus die Iulii 30. Hunc Conuentum expletum asserit Vadingus sub ann. 1222. sub quo ob hanc causam agit de B. Gregorio. Itaque Bouis munus, laboribus externis se etiã occupans inclitus hic Dei preco, apostolica cura adimplebat. *Bos patienter, & perseueranter vsque ad vesperã iugum portat, & tunc soluitur ad pascua. Sic Apostoli præsentem vitam habuerunt in patientia, & mortem in desiderio. Item Apostoli* (infert Interpres loco citato) *fuerunt per totam vitam in labore, & post mortem in requie.* Ita se exactè gerens Apostolus noster Minoritica, monitum Sapientis exequebatur, Prouerb. 28. *Qui operatur terrã suam, saturabitur panibus, qui autem sectatur otium, replebitur agestate.* Vbi Interpr. Dom. 9. post Trin. Panibus gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro saturabitur, qui scilicet exercet terram corporis sui in bonis operibus. Qui verò sectatur otium, idest voluntatem corporis, mortis æternæ egestate replebitur. Hæc ibi: & hæc quoque alia in serm. 3. Quadrag.

In Vrbe Boicarũ construit cęnobium.

Sic Bos apostolicus laboriosus.

Omnium (inquit Bernardus) tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium sentina, otium est. Vnde 1. Reg. dicitur, quod *Amalecitæ impetum fecerunt à parte australi in Sicelech, & percusserunt Sicelech, & succenderunt eam igne, & captiuas duxerunt mulieres ex ea, à minimo vsque ad magnum.* Amalech interpretatur lingentes sanguinem: & significat Dæmones, qui sanguinem animarum, idest compunctionem lacrymarum lingere, & deuorare cupiunt. Isti à parte Australi Sicelech inuadunt. Auster est ventus tepidus, de quo Iob 8. *Considerate semitas Theman, itinera Sabba.* Theman interpretatur *Auster tepidus.* Hæc est fluxa, & otiosa conuersatio viuendi, per quam tentat Diabolus. Nam cum spiritus immundus domum inuenerit remissam, & otio vacantem, intrat in eam. Vnde quia Dauid, vt dicitur 2. Reg. 11. remansit in Hierusalem, & non processit ad bellum, marcens otio, punitur adulterii vitio. *Sabba* interpretatur *rethe, vel captiua*, & significat obligationem culpæ. Quæ se benè tepiditati, & otiositati coniungit. Nam qui non distincto iudicio, sed dissolutis, & remissis gressibus vadit, & fluxis actibus implicatur, ad ea, quæ Dei sunt, impeditur.

Et nunquam otiosus, otiũ namq valde nociuum est

Spiritus immundus in otiosis quã validus.

Sicelech ergo (concludit interpr.) interpretatur *adductio vocis defecata*, idest anima, quæ, non balbutiendo, sed rectè loquendo, debet annunciare peccatum suum, à parte Australi, *idest à tepiditate, & otiositate suæ vitæ, à malignis spiritibus capitur, & igne iniquitatis succenditur, & quidquid virtutis est intra animã, à minimo vsq; ad magnum captiuatur.* Hæc Interpr. Ostendens è regione monitum Prouerbi. præ. allegatum, & à Beato Gregorio nostro prædicatione, & operatione, & vtraque vita, scilicet contemplatiua, & actiua feruenter, & actuosè adimpletum. Nunquã captus religiosus ille à Dæmone per otiositatẽ, sed semper ipse captor, & triũphator Dæmonũ, perfectè operans, & sine intermissione spiritu, & corpore laborans in terra sua: vt propterea meruerit *saturari panibus gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Nã sanctissimè obiit in Cõu. supradicto Bellicasiorũ, & in ingressu Capituli sepulturæ locũ accepit. Cuius Epitaphium his quinq; versic. minus licet elegãtiorib. illo tamen sæculo vsitatis, consignatum fuit.

A parte australi, hoc est otiositate capitur anima.

Obitus Beati Gregorii, ac sepultura apud Boicas.

Hic

Hic sub tuba inferius Sancti Francisci Socius,
Iacet Frater Gregorius, Natione Lombardus.
Parcat ei Altissimus.

Vtrum fuerit prouinciæ Franciæ Minister.

Extat hoc Epitaphium apud eundem Vadingum loco cit.sub num.37.Hunc facilè crediderim, addit Arturus, fuisse Prouinciæ Franciæ Ministrum Prouincialem, ad quem scripsit Helias Generalis epistolam de morte S. Francisci 1226. num.45.apud ipsum Vadingum,cui Odo Abbas S.Dionisii in Francia dedit locum, & domum retro Ecclesiam Sancti Petri pro Conuentu ædificando apud Dionysopolim anno 1231. 7.Kalendas Nouembris, teste Doublaro lib. 2. Hist. Regalis Abbatis S.Dionysii cap.24.Hæc ille.

Caluinistæ Cœnobium Minorũ D. Gregorii euerterunt.

Cœnobium omne illud Normãdicum apud Boicas, quo seruus Christi, ac verus Francisci Discipulus, socius, & imitator obdormiuit in Domino, funditus euersum fuit vnà cum tota structura, & mole Ecclesiæ, vbi pulcherrima erant Principum, & magnorum Heroum mausolea, igne, & ferro à Caluinistis deuastatum anno 1561. *Nota* (inquit Interpres noster,qui hæresis rabiem pluries in persona propria expertus erat) *quod, sicut corpus humanum constat ex quatuor elementis, igne, aere, terra, aqua. Ignis viget in oculis. Aer in ore. Aqua in lumbis. Terra in pedibus, & manibus. Sic in corpore peccatoris,peccato seruientis. Ignis viget in oculis per curiositatem. Aer in ore per loquacitatem. Aqua in lumbis per luxuriam. Terra in manibus, & pedibus per crudelitatem.* Ita serm. Dom.iii Quinquag. Hisce quatuor constare totum corpus peccati hæresis, maximè Caluinianæ aduersus Ecclesiam Romanam, & Franciscanam, quæ veluti eius assidua reparatrix, ad illius pedes humillimè ancillatur, ex infra dicendis in posteriori Tomo patebit.

Peccati hæresis Caluinianæ, corpus misticũ.

Alios Discipulos præter memoratos habuisse Franciscum,simul & socios suos carissimos, & imitatores strenuissimos, legimus apud Scriptores. Inter eos connumerandus B.Lucidus, de quo Martyrolog.die 10. Aprilis; sed quia nescimus vtrum ipse immediatè ad se vocauerit, ideo eos reliquimus.

CAPVT VI.

In triplici B. Francisci, tripliciter Legislatoris Euangelici, ac triformiter Romanæ Ecclesiæ Reparatoris Apostolici, Discipulatu tria admodum præcipua mirabilia Dei gratia operata est.

QVotquot potuimus Francisci Discipulos sub tribus Ordinibus, ac legibus ab ipso institutis, latisque repe. perire, omnes ferè tanta ex tribus præcipuè capitibus, præter alia haud pauca digni sunt admiratione, quanta & iis, quos Legislator Christus ex se immediatè vocans, conuertensque, ad proprium sodalitium admisit. Congruum enim erat, ac valde decens, vt istinc principio opus Reparationis Ecclesiæ, operi Redemptionis Mundi assimilaretur.Et quidem.

1 Miranda prorsus in omnibus penè Sociis, ac Discipulis Francisci, siue sub lege Minorum, siue sub lege Pauperum Dominarum, siue sub lege Tertii Ordinis de Pœnitentia repentina eorum mutatio, & vberrimus in breuissimo temporis spatio cumulus sanctitatis. Omnes fermè repentè sancti, perfectissimique euasisse Euangelii, iuxta legem sibi datam, sectatores, priuilegium vtique in Ecclesia secundum existimandum est post illud primum, quod solum Christi Discipulis concessum legimus.

Mirabilis in Franc.discipulis repentina mutatio.

2 Illud,illud etiã singulare Dei donũ, & peculiarissimè quoque Apostolicum, quodque & maiorem in modum hominũ sibi vendicat administrationem, vt relictis Mundi oblectamentis, carnisq;blanditiis, spretis etiam patrio genere, cunctisque sibi charis, parua, vel nulla interposita mora, ad ciborum, non tam parsimoniam, quam penuriam, ad nuditatem, & ægestatem, ad summam corporis macerationem perferendam adeò libenter omnes deflexerint, vt nec ad delicias, nec ad epulas vocati,velocius properarent.

Mirabilis celer, constansque contemptus omniũ.

3 Illud pensitandum; Christum nec viros

Mirabile; quod penè cúcti idiotæ fuerint

viros doctos ad suum, nec ad Franciscanum elegisse Collegium, cũ penè cuncti, & maximè priores duodecim viri, simplices, & idiotæ extiterunt, omni humanæ creaturæ subiecti propter Deum; sic fassus est Franciscus in extremo vitæ suæ, condens suum testamentum. *Et eramus*, ait, *idiotæ, & subditi omnibus*. Hoc mirum, triformiter commonstratum in doctrinæ Interpretis nostri speculo nunc breui contuendum.

Primum habemus ex doni Dei natura in vocatione Samaritanæ, cui dicens Iesus, *Si scires donum Dei*, &c. *reliquit statim mulier hidriam suam*, Ioan.4. Vbi Interpr. ostendit primò in persona Christi, siue Frãcisci efficacem vocationem omnium credentium, maximè verò Discipulorum, cum quibus vel Christus suam fundauit Ecclesiam, vel Franciscus suã, vt in Christo illam reparasset. Deindè intelligit pro Samaritana personam peccatricem, à Deo vocatam, & absque interposita mora conuersam, ac statim dignam effectã, vt sanctæ vitæ exemplo, & prædicationis efficacia alios vocaret, & conuerteret ad Deũ. Verba eius sunt ista. *Si scires donum Dei*, quam sit virtuosum ad stabiliendum cõtra fragilitatem, quam alligans, Quam efficax ad eripiendum contra difficultatem. Copiosum ad subueniendum omnibus misericorditer, quia nullum deserit, nisi desperantem, vel ad eum non accedentem. Tu, inquam, si hoc scires, & quis est ille, qui te vocat, tam pius, tam largus, quod non poterit se negare, quia dedit fontem, dabit stillam gratiæ; dedit namque totum seipsum. Tu, inquam, si scires, petiuisses ab eo. &c. Et ideo dicit, acquiesce mihi, vade, voca virum tuum ad me. Voca ad me intellectum tuum, voca cor tuum; quære ipsum diligenter, & veni ad me.

Tres in donis Dei proprietates.

Sed quid respondit miserabilis peccator? *Virum*, inquit, *non habeo*. Verè non, quia cor meum dereliquit me, ait Psalm. 39. imò verius teipsum dereliquisti. Prouerb.7. *Non est vir in domo sua, abyt via longissima*, scilicet quæ appropinquat Inferno. In hoc igitur verè dixisti, quia non habeo virum. *Quinque enim viros habuisti* (scilicet quinque sensus) *sed vade, voca virum, relinque hidriam concupiscentiæ, aquam vanitatis, funem peccatorum*, quibus hauris, *& ingredere Ciuitatem* mentis tuæ, vel Ciuitatem pœnitentiæ, & tunc tibi dabo aquam viuam. Sicut certè fecit huic mulieri, quæ reliquit hidriam peccati, & diuina gratia mediãte, intrauit Ciuitatem, idest propriam conscientiam, vel consortium Ecclesiæ, à qua per peccatum segregabatur. *Prædicauit Christum*, *scilicet vita exemplari, & eius exemplo multi de illa Ciuitate crediderunt*. Hæc Interpres, graphicè describens modum vocationis Dei, responsionem mentalem peccatoris vocati, & conuersionem eiusdem haud tardam cum sanctitatis profectu.

Vir mistice pro intellectu. Quinq. viri pro quinque sensibus

Confirmatur idipsum, & simul ostenditur alterum mirabile in persona Francisci, & in eius Discipulis. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu*, &c. Matth.4. Moraliter hic explicat Interpres, vt alias dictum, septem deserta, sumitque ea ex sacra scriptura. 1. Cælum. 2. Cor hominum. 3. Pœnitentia. 4. Religio. 5. Crux Christi. 6. Mundus. 7. Infernus est.

Septem deserta moraliter.

Septem etiam sunt dona Spiritus Sancti, quorum quodlibet in suum peculiare desertum deberet nos introducere, statim declarat, reassumensque thema principale, ostendit pariter Spiritus Sancti naturam circa eos, quos ipse ad ardua vocat, conuertit, stabiles reddit, fortesque aduersus hostes. *Ductus igitur Iesus*, idest homo, inquit, salutem suam sitiens, *in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo*. Chrisostomus. *Si post Baptismum sustines tentationes, non terrearis, etenim non propter aliud accepisti spiritum, non vt vaces, sed vt prælieris*. Ita Interpres. Sed aduertendum, non loqui de Baptismate Ecclesiæ, post quod non statim infantes, nisi transacto cum infantia septennio tentationibus, illum ad culpam inducentibus, subiacere potest. Loquitur ergo de Baptismate Religiosorum in professione nouæ vitæ, ad perfectionem Apostolicam tendentis.

Spiritus Dei accipitur ad præliandum

Notat insuper Chrisostomus homil.6. sequitur Interpres. *Quod spiritus, quem citò homo apprehendit, ipsum non permittit vltatenus otiosum, quia ipsum reuerti ad pugnam excitat contra hostes*. Vnde, ait, hæc est differentia secundum ipsum inter filios Dei, & filios Diaboli, quoniam filii Diaboli non exeunt ad eum vt tententur, sed potius è conuersò. Sed ad filios Dei Dæmon venire non potest, ideo contra Diabolum Christus ipse processit. Aduertendum, quod vbi Matthæus dicit *ductus est*, Lucas ponit, *agitabatur*; Marcus verò, *compulit eum spiritus*, ad designandũ opera Trinitatis. Aliter, & moraliter, Expulsio ad calamitatẽ pertinet, Isaiæ 26. *Domine in angustia quæsierunt te, in tribulatione murmuris, doctrina tua eis*, idest in afflictione, quæ cogit hominem clamare. Oseæ 6. *In tribulatione sua manè consurgent ad me*. Mane, *idest citò agi, ad spiritum pertinet, quem Dominus inspirat homini*. Ad Rom.8. *Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*.

Citò agi, ad spiritũ Dei pertinet.

Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Hæc Interpres ibi.

Citò egit idem spiritus cũ Fran. & eius soc.

Citò egit Spiritus Sanctus eum Francisco illiterato, ac ter alloquens de Cruce eum Christus, filium effecit suũ in spiritu (haud amplius timoris de non amittẽdis sæculi, ac sensuum commodis, sed libertatis, de eis liberè contemnendis, ac conculcadis) citoque eum virum Apostolicum constituit, ipsum in deserto Religionis, ac Legis Fratrum Minorum introducens. Citò effecit, inquam, filium suum, & perfectum virum fecit, & peregrina sanctitate cumulauit, vt procedens aduersus hostem, fieret statim pater multorum, qui breui etiam eandem Apostolicã gratiam, *quæ tarda molimina nescit*, consequi apud eum mererentur.

Citò agi ad spiritum pertinet, quem Dominus inspirat homini. Subita extans mutatio in Francisco; celerrima sanctitas mirandus rerum caducarum contemptus, singularis austeritas vitæ, penuria in omnibus, qui eum deinde secuti sunt quoad posse sunt quoque in his imitati.

Septem dona Spiritus Sancti ad septẽ deserta, de quibus Interpres citatus; cum sine vlla mora Franciscum introducerent, ad eadem quoque Franciscus suos statim introduxit.

Spiritus sciẽtiæ debet hominẽ in mũdi desertum introducere

1 *In desertum* debet homo duci *à spiritu scientiæ*, vt scilicet videat quomodo oporteat eum cautè ambulare in medio nauis prauæ, & peruersæ, Ephes. 6. *Videte quomodo cautè ambuletis; nam quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israel*, Ezech. 13. Et benè quasi vulpes, quia omnia, quæ sunt in mundo *tibi fraudulenter prophetant*, *videlicet caro falsas delicias; Mundus altas, siue densas potentias; Oculus vanas diuitias*. Intra hoc Mundi desertum, quod apud Doctorem nostrum sextum est, compleuit Franciscus in vita sæculari tres ætates, scilicet, infantiam, pueritiam, adolescentiam, & quartam; scilicet iuuentutem vsq; ad annũ quartum. Nam in priori eius conuersione (quę non adeò perfecta extitit, sicut posterior) peruenerat ad annum 25. natus est enim anno Christi 1181. primumque conuersus est anno 1206. Spiritus Sanctus per donum scientiæ, statim accepto Baptismate, vel melius statim post expletum annum infantiæ septimum, etsi in vanitatibus indecenter nutritus præuenit eum miseratione peculiari, purumque, virginemque seruauit, fecitque eum cautè ambulare aduersus falsas carnis delicias, Mũdi potentias, vanasq; oculorum diuitias. Sic Bonauentura in principio vitæ eius, vt alias pluries scripsimus & scripturi sumus.

Ab eius infantia præuenit Spiritus S Franc. in mundi deserto.

Ad alia sex deserta ductus fuit continuò Franciscus post vitam sæcularem hoc modo, & ordine.

Quomodo introductus in desertum cordis sui.

2 *In desertum cordis sui* duxit Franciscum sine mora *spiritus intellectus* per fixã peccatorum considerationem, & discussionem. Sic dicitur homo intelligere, quasi intus legere. Hierem. 2. *Vide vias tuas in conualle*, idest, in culpabili deiectione tui. *Scito quid feceris*, scilicet per diligentem discussionem; *Et intus in corde tuo*, & in *libro conscientiæ tuæ omnem vide iustitiam, quam tibi conscripsisti*. Psal. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; Vide huius dicti figuram Genes. 2.

Et in desertũ pęnitẽtiæ

3 *In desertum pœnitentiæ* duxit Franciscum *spiritus consilij*, quia pœnitentia de Sacerdotis consilio est habenda. Math. 8. *Ite, & ostendite vos Sacerdotibus*, & Num. 10. &c. Is spiritus consilii (ex quo Summus Sacerdos Christus Franciscum siue dormientem prima vice eum vocans, siue vigilantem postea de Cruce ter eum monens, eique Domus suæ reparationem mandans) totaliter idipsum duxit in hoc tertium desertum, vt non solũ secretè ad pedes Confessoris sui eum induxerit, verũ etiam, vt publicos latrones, sicarios, scelenatos, cuiuslibet criminis reos, factus iam vir perfectus, sibi anteponeret.

Item in desertũ inferni

4 *In desertum Inferni* duxit Franciscũ *spiritus timoris Domini*, semper enim considerauit, quod ibi, Math. 22. *erit fletus, & stridor dentium*. Sic semper contremuit pauore, dicens cum Psalm. *Timor*, scilicet animi, *& tremor*, scilicet cordis *venerunt super me*, audiens Deum cum Malach. 1. *Posui montes eius*, idest superbiam Rectorum, *& vanam fiduciam in solitudinem, & hæreditatem eius*, idest portionem eius *in Draconem deserti*.

Item in desertum Crucis, & istud Franc peculiarissimum.

5 *In desertum Crucis* duxit Frãciscum *spiritus pietatis*, & compassionis; nam ipsum potissimum inuitabat Thren. 1. *O vos omnes, qui transitis per viam*, &c. Franciscus eum erat omnes saluandi per opus reparationis, absque Cruce haud efficiendum, sicut nec sine Cruce opus redemptionis effectum. Ipsum alloquens cum Psalmista. *Respice in faciem Christi tui*. Christum respexit in Cruce, totus pietate, ac compassione liquescens. Sic Christus Cruci affixus nunc ei in statu sęculari apparens, nunc eum orantem, & adhuc in sæculo è Cruce lignea respiciens apud Assisium intra D. Damiani Ecclesiam ruinis subiectam, nunc ter Legislator effectus super Aluernæ montem è Cruce Seraphica ad ipsum accedens ita respexit, vt ipsum solum & viuam Crucem,

& viuum

& viuum Crucifixum constitueret.

Item in desertũ Cæli.

6 *In desertum Cæli* duxit Franciscum *spiritus sapientiæ* per contemplationem Cælestium, vt figuratum est Exodi 3. vbi dicitur, *quod Moyses minabat oues*, idest sensus, & sinceras cogitationes *ad interiora deserti*, idest ad contemplationem gaudiorum Paradisi, *ibique vidit Diuinam apparitionem, ibi audiuit supernam allocutionẽ, ibique accepit sui populi diuinam liberationẽ.* Hæc Interpres, quæ pulchrè quadrant Francisco, dum illis duobus annis è sua prima conuersione, iam detractus per spiritum scientiæ à deserto sæculi, in quo, etsi *flos iuuenum* dictus, nunquam tamen deceptus per lethalem culpam à falsis Prophetis, scilicet à Mundo, à Carne, ab oculis. Positusque in quinque aliis desertis, nimirum cordis sui per spiritum intellectus. Pœnitentiæ per spiritum consilii. Inferni per spiritũ timoris. Crucis Christi per spiritum pietatis, ac demum mox in deserto Cæli per spiritum sapientię, vt veluti alter Moyses esset Legislator, & Reparator populi Christiani.

Item demũ in desertum Religionis.

7 *In desertum Religionis* ductus est Franciscus *per spiritum fortitudinis*. Istud desertum, quod nos vltimum posuimus cõmodius in hac serie, in serie Doctoris nostri quartum est. Commorans Franciscus in præfatis desertis (in quæ citò ductus fuit, citò cumulum sanctitatis adeptus est, citò à commodis temporalibus ad incommoda omnimoda, ab vno ad aliud extremum transiens, hilari facie peruenit, fixitque pedes) ex desertis pœnitentiæ, ac Cæli per prædicationẽ, quãuis vir simplex, & idiota, & nũquam Sacerdos ordine, tamẽ fieri incepit statim Pater, & sic Sacerdos, & filius Pastoris Christi. Figuratus proinde in Heliab filiũ Raquel, ad quem dixit Moyses Numer. 10. *Veni nobiscum, & noli nos relinquere, tu enim nosti in quibus locis per desertum Castra ponere debeamus, & eris ductor noster.* Vbi Interpres loquens de quarto deserto pœnitentiæ, ita exponit. *Heliab interpretatur Diuina Paternitas, & Sacerdotem meritò præfigurat, qui Pater est spiritualis. Raguel verò Pastor, est enim Sacerdos Pater populi, sed filius illius Pastoris, qui dicit Io. 10.* Ego sum Pastor bonus. Ad hunc spectat ducere populum per desertum pœnitentiæ, & designare loca, vbi populus castra, idest stationes debeat collocare, *puta superbi in Valle humilitatis, desperati in monte fiduciæ, lasciui in loco aspero, & austero, & sic de alijs.* Huc usque Interpres, qui statim loquens de deserto Religionis, descendensque pariter tum ad personam Francisci, qui ea omnia, vt Pastor, & rector tunc perfectè

Franc. in desertum pęnitentiæ vt pater, & sacerdos, & filius & pastor, & dux.

adimpleuit, tum ad suos discipulos, ab eo conuersos, & ad omnia deserta, in quibus ipse morabatur, mirabiliter introductos, ipsum, & suos bis mirabiles patefecit, iuxta duplex illud mirabile, quod explicatum est supra.

Quartum desertum, inquit, *idest Religionis professio, ardua vita aggreditur*; Ideo talibus professoribus dictum est; *Estote fortes in bello, nam nemo mittens manum ad aratrum, &c.* De hoc deserto 1. Machab. 2. *Exclamauit Matathias voce magna in Ciuitate, dicens, Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, veniat post me. Et fugit ipse, & filij eius in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in Ciuitate. Tunc descendebant multi, quærentes iudicium, & iustitiam in desertum, & sederunt ibi ipsi, & filij, & mulieres, & pecora eorum.* Matathias interpretatur donatus, vel donum, & signat hominem iustum, & religiosum, *specialiter tamen Religionis fundatorẽ, vt B. Franciscũ.* Talis namque ex speciali Dei dono datus est Christianis ad liberandum eos de manibus inimicorum. Vnde Humilis Frãciscus intellexit se ad hoc missum à Deo, vt animas lucraretur, quas Diabolus conabatur auferre. *Propter quod ipse tanquam alter Matathias destruxit aras mundanæ vanitatis, in quibus peccatores dæmonibus immolabant. Circumcidit per renouationem ad vitæ veritatem, & puritatem illos, qui habebant præputium peccatorum. Legem insuper abolitam operibus instaurauit.*

Velut alter Matathias fugit Franc. in desertum Religionis.

Hic igitur *Matathias virum Religiosum* significat, qui habebat filios quinque, *idest sensus*, quos, Mundum fugiens, ad montem perfectionis euangelicæ secum duxit. Reliquit in Ciuitate huius Mundi, *quæ iniquitate, ac contradictione plena est*, omnia, quæ videbatur temporaliter possidere. Hunc igitur tamquam iustum, & robustum *Pastorem, & Principem multi sequuntur, descendentes per humilitatem vitæ, statuentes testamentum, quod in mortis, idest in abdicatione temporalium, & abnegatione propria voluntatis, ex quibus homo moritur, suum firmantes propositum, in desertum, idest in Religionem quærentes iudicium, scilicet Mundi, Corporis, & Mentis facere, & iustitiam, & vita consequi perfectionem.* Hactenus Interpres.

Discipulatus Franc. in illius sequela quid egerit.

Vadingus ad ann. 1210. loquens de primis duodecim Discipulis apostolicis Francisci, primum mirum in ipsis explicat sub nu. 4. ex D. Hieronymo epist. ad Paulinum, & Gregor. par. 3. Pastor. cap. 29. Inquit enim ille: *Subitus calor longum vicit teporem.* Iste verò ait *fit plerumque gratior Deo subito amore ardens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia.*

Mira celeritas discipulorũ Franc. ipsum sequẽtium.

Effectus hi sunt singularis Dei gratiæ, & specialis auxilii. *Erexit quidem frequenter* (Origenes lib. 1. de vocat. gent. cap. 4.) *potens, & misericors Deus singulares, ac mirabiles istos suæ operationis effectus quibusdã mentibus, non expectata profectorum mora, statim ingentia dona dantur*. De secundo miro paulò infra sub eodem num. subdit. Sed qui vocauit Apostolos Ecclesiæ ad Ecclesiæ structuram, hos attraxit ad eiusdem reparationem. Et sicut illi *continuò relictis retibus secuti sunt Christum*, ita hi spretis vniuersis, repentè adhæserunt Francisco. Illi statim vt audierunt vocem inuitantis, ipso per gratiam operante interius, cuius vox tonabat exterius dicto, *citius ad vnius iussionis vocem secuti sunt*; hi nullam in sequendo moram fecerunt, non dilationes temporis quæsierunt, verbo potentis iussionis sub cordis intimo permoti. *Tali inquit Caietanus attractioni interni spiritus nullus vnquam restitit, nullus etiam resistet vnquam, quia efficit voluntarium sectatorem operarium martyrem*. Ita in cap. 4. Matth. Denique ad tertium mirum adducit Chrisostomum, cuius sententiam iam superius & nos itẽ adduximus. Quomodo autem possit quilibet ad vtrumque istud mirum sine mora peruenire, discimus à Bonauent. in tertia par. Stimuli amoris ad cap. 3. cui titulus. *Quod homo in breui potest esse perfectus*.

Cur discipulatũ rudem, idiotamque elegerint Christus, & Franc.

Tertium denique mirum declarat Vadingus duabus rationibus, altera vniuersaliori, altera plus præcipua. Ea autem (ait) communis ratio in hoc affertur, vt mirabilis Mundi conuersio verè peculiari stupore plena videretur sub indoctis Magistris non artificiosa, nec humana sub literatis, nec *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* tribueretur, quod soli diuinæ debebatur virtuti. Porrò altera hæc est, quod bonorum, & simplicium sincera corda, & candidus animus præfert Deus verbosæ Doctorum prudentiæ, & faustosæ iactantiæ. Hæc ille, cui addo duo ex Interprete nostro. Primum est super illud, *Diliges Dominum Deum tuum, &c. Ex omnibus viribus tuis*. Nota (inquit Dom. 13. post Trin.) quod sũt tres virtutes animæ, scilicet, Rationalis, Concupiscibilis, Irascibilis. *Rationali bona à malis discernimus. Irascibili mala detestantur. Concupiscibili ipsa bona desideramus. Prudentia humana trahit rationalem, voluptas carnis concupiscibilem, vana gloria irascibilem. Isti sunt tres amici Iob cap. 2.* Eliphaz contemptus Domini interpretatur. Themanites auster, & significat prudentiam humanam, quæ de austro calido, id est mundi cupiditate prouenit, *quia filij huius sæculi prudentiores*

Tres virtutes animæ in bonũ trahit ad malũ prudẽtia carnis

sunt, hæc sapientiam Domini contemnit, ideo oppressa contemnitur. Isaiæ 33. *Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris*. Secundum est, quod Franciscus ob hanc rẽ pluries verbosam docti, ac literati Heliæ prudentiam, faustamque iactantiam, carnis concupiscentiam, vanamque gloriam cum irascibili sibi pertrahentem, obiurgauit. Atque Interpres noster, cui mores Heliæ notissimi, graphicè super suggesta descripsit; in maledicta, atque elata Luciferi cornua, cinere, & cilicio contecta suam benedictam acuens linguã super Daniel 8. vbi sic Propheta. *Vidi Arietem, cornibus ventilantem contra Occidentem, contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, nec liberari de manu eius, fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est*. Explicatio Interpretis, vt alibi dictum est serm. 2. Dom. 3. in Quadragesima, est huiusmodi.

Aries misticè pro spiritu superbiæ.

Aries iste spiritum superbiæ significat, qui cornibus elationis ventilat contra Occidentem, Aquilonem, & Meridiem. In Occidente intelliguntur *Pauperes, & Minores, in quibus defecit calor superbiæ, & potentiæ*. In Aquilone, *æquales, in quibus Diabolus* inquit, Sedem meam ponam ad Aquilonẽ, & ero similis, *idest æqualis Altissimo*, Isaiæ 14. In Meridie, *maiores, in quibus feruet calor dignitatis, & potentiæ*.

Aries ergo cornutus, idest cornuta superbia spiritus ventilat contra Occidentem, scilicet conculcat pauperes, & Minores. Et contra Aquilonem, quia contemnit æquales. Et contra Meridiem, quia subsannat, & deridet Maiores. *Et omnes*, inqui, *bestiæ non poterant resistere ei, nec liberari de manu eius*.

Superbia sub cinere, & cilicio Luciferiana vtq.

O cornuta superbia quis de manibus tuis poterit liberari, cum Luciferum signaculum similitudinis, cuius operimentum, vt dicit Ezech. 28. Fuit omnis lapis pretiosus, *in tantæ elationis altitudinem eleuasti? Cælestis es natione, & ideo mentes cælestium inhabitare consueuisti; latens sub cinere, & cilicio*. Ab istius bestiæ cornibus Dauid Propheta liberari, & saluari desiderabat, cum dicebat Psal. 21. *Salua me ex ore Leonis, & à cornibus Vnicornium humilitatem meam*. In Vnicorne superbia singularis intelligitur, quia superbus singulariter vult præeminere. Vnde Lucanus. *Omnisque potestas impatiens consortis erit*. Hæc Interpr. Literati Heliæ in Francisci, & suorum sequacium humilitatem aduersi, mores, & nouitates ad viuum repræsentans. Suos ergo elegit Franciscus Discipulos, haud doctos, & eruditos, vt citò docti, & eruditi in ea Christi schola Apostolicè euaderent

derent, in qua mundani Doctores necesse est, vt dediscant. *Elegit eos* (ait Chrisostomus hom.7.in cap.4. Math. in principio, loquens de Christo, suos Discipulos ad se vocante) *non quasi Apostolos, sed quia Apostoli poterant fieri. Sicut Artifex, si viderit gemmas pretiosas, & non dolatas, elegit illas, non quod sint, sed quod fieri possunt. Habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit.* Eodem modo se gessit cum suo Francisco Ecclesiæ reparatore, vt & taliter inde se gereret erga suos Discipulos ab ipso deligendos, doceret. Vt autem per ipsum eos dolaret continuò se expedit; *nam citò agi ad spiritum pertinet.* Citò perdidit Lucifer in sua intumescente sapiẽtia nouem illas gemmas pretiosas, quibus statim in creatione operimentum illius à Deo ornatũ fuit, & de quibus Ezech.cap.28. Significabant (ait Interpres) nouem ordines Angelorum, quibus præsidebat, & non sine quorum magna parte, ingentique ruina cecidit, quosque amisit in ea parte, quæ in Cælo remanserat. Citò quoque quas indolatas in ornamentum, & decorem aurei vestimenti Ecclesiæ, quod tunc valde deterioratum, ac deturpatum apparebat, quas elegit Christus gemmas per Franciscum, quem suæ similitudinis signaculum efficere destinarat, & in sede Luciferi eleuare, cõplanauit, expoliuit, & perfecit; & Apostolos effecit eos, ac perfectionibus Angelorum admirandum in modum exornauit. *Citò agi ad spiritum pertinet.*

Christus quos elegit viros indoctos, & idiotas, Apostolos effecit.

Pariter eos quos per Franciscus elegit ad Ecclesię reparatio nem.

Vtrum autem recipiendi ad Ordinem nobiles, literati, adolescentes? Iam responsum est ex Vadingo ad ann.1219. vbi de Comitiis generalibus, quæ de Storeis nuncupantur.

Cunctæ hæ gemmæ in cap.9. immediatè huic de iure annectendæ sub stemmate saphirino cum Interprete nostro, dignæ profectò apparebunt. Nam sub eo idonei inuenti sunt (præter sextum Iudæ Ischariothi persimilem) ferè omnes, quorum numerum, ac nomina siue nota, siue ignota dedimus suis locis per modum Elenchi, iuxtà distributionem annorum, in quibus conuertit eos, vocauitq; Franciscus, appositis simul panegiricorum titulis, seu argumentis.

CAPVT VII.

Admiranda prioris Legis Minorum, annis tredecim perdurãtis in sua diffusione, amplitudine, ac fæcunditate celeritas, breui Chronologia sub varijs stemmatibus perstringitur.

Textus Historiæ D. Bonau.

Multi etiam deuotione compuncti, & perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur, qui quotidianis succrescentes profectibus vsq; ad fines Orbis Terræ CELERITER peruenerunt, faciebat namque SANCTA PAVPERTAS, quam solam deferebant, pro sumptibus ipsos ad omnem obedientiam promptos. Robustos ad labores, & ad itinera expeditos.

Omnis celeritas in Minorib. ad mũdum breui adimplendũ nonnisi ex paupertate.

Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant vbique, nullo pauore suspensi; nulla cura distracti, tamquam qui absque mentis turbatione viuebant, & sine sollicitudine diem crastinum, & serotinum hospitium expectabant.

Quã magna in cunctis de Dei promdẽtia fiducia.

Multa quidem in diuersis partibus eis inferebantur conuitia, tãquam personis despicabilibus, & ignotis. Verũ amor Euangelij Christi adeò ipsos patientes effecerat, vt quærerent potius ibi esse, vbi persecutiones paterentur in corpore, quã vbi cognita sanctitate ipsorũ mundano possent gloriari fauore. Ipsa quoq; rerum penuria superabundans eis videbatur vbertas, dum iuxta consilium Sapientis Eccl.29 pro magno ipsi minimum complacebat.

Quam mirũ in eis Euangelii amor in perquirẽdas persecutiones.

Ita Seraphicus Historicus cap.4. Vitæ, & Legẽdę S. Franc. in corpore, superius datus.

Ex paupertate oriebantur in Minoribus aliæ celeritatis causæ.

OPtimè quidem ad illud aduerbium *Celeriter* circa diffusionem per vniuersum, veteremque illius tempestatis Orbem (nondum Orbe nouo detecto) legis, & pusilli Gregis Minorum, plures causas addit Bonauentura. Illarum tamen prior, ac Princeps, quæ est totius Minoris legis basis, ac fundamentum, est *Sancta Paupertas*, ex qua aliæ causæ necessariò subsequuntur. Nimirũ promptitudo ad obediendum, fortitudo ad labores, expeditio ad itinera, omnimoda terrenarum rerum priuatio, ob quam sine duobus oneribus pergrauibus, quæ sunt *amor* ad temporalia, *timor* perdendi temporalia, sub onere leui Christi, & Francisci legum succedebat ea illis vbique securitas, qua victa quacumque mora, vbique etiam pernici gressu volabant, *nullo pauore suspensi, nulla cura distracti.* Ingruebant passim in eos persecutiones, ærumnæque haud paucæ; sed quia ob amorem Euangelii, quod in lege, quam profitebantur, veluti fontem deferebant, virtutis patientiæ eis incrementa præstabant, eoq; plus velociores illos efficiebant ad illas ipsas hilariter perquirendas, quò plus eis terribilia obstacula, ne vlterius progrederentur, sese satagebant offerre.

Spiritus S. vehemẽs, velox, sonorus, scilicet celeriter docens

Cum amore Euangelii amoris legem in lege Minorum habebant antiqui illi Minoritæ. Amoris, inquam, legem habebant, quia tota Seraphica erat, & à Sãcto Spiritu, qui totus ignis est, inspirata, & reuelata. *Factus est repentè de Cœlo sonus tamquã aduenientis Spiritus vehementis*, &c. Act.1. Vbi Interpres in die sancto Pentecostes. *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, secundum illud Psalm.*45. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, *Cũ sono venit, qui suos venerat docere*, &c. Eodẽ modo venit è Cœlo lex ignea Minorum. Venit namque ex vehementi igne Spiritus Sancti, vt statim repleret orbem terrarum. Venit quoque cum sono, quia docuit Franciscum, & suos *nescire tarda molimina* ad opus reparationis Ecclesiæ ignitis peruolans Paupertatis Apostolicæ, atque Euangelicæ pennis.

Vbertas illorum in penuria impetuoso gressu eos impellebat.

Illa deinde in Minoritis illis rerum penuria, quam lex Minorum præcipiebat, dum fiebat illis vbertas superabundans, quid aliud erat, nisi accrescens gratiarum cælestium imber, quo maiori impetu, ac cursu absque vllo repaculo, veluti perplenus torrens, Regula, & Religio Minorum miranda celeritate, euertens hæreses, schismata, impietates, idolatriã, totum orbem implerent? Omnis hęc imago ex textu historico Bonauent. transcripta, in qua reduci possent simul cunctæ prærogatiuæ legis Fratrum Minorum (has singillatim paulo infra ponimus) cum celeri illius diffusione solo aduerbio illo *celeriter*, à Seraphico historico explicata, relucet in doctrinæ Interpretis nostri Speculo super illud Hier. 10. *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Quã scripturam expendens Interpres, addit simul illud Christi ad suos Discipulos, & Apostolos, *Respicite volatilia Cœli*, Math.6 Sicque loquens de viris religiosis, contemplationi, & actioni per vtramque vitam addictis, & quomodo in vtraque possint seorsim veloces esse sine retardatione, subdit illud exemplum.

Quædam aues, inquit, habent longos pedes, & volant extensis pedibus ad posterius. Et sunt quædam aues, quæ habent pedes curtos, & crura curta, & cum volant, constringunt eos ad ventrem, vt non prohibeant eas volare, & à volatu eas breuitas, seu curtitas pedum non prohibet. Duo sunt modi Contemplatiuorum, sunt enim quidam, qui aliorum curam gerunt, & ipsis se impendunt. Et sunt quidam alii, qui nec aliorum, nec sui curam gerunt; sed à suis necessariis se subtrahunt, illi longos, isti curtos habent pedes. Illi dum orationi intendunt, in contemplatione volant, pedes, idest affectus, quibus proximi necessitatem sustentant, ad posterius extendunt, ne eorũ volatus impediatur. O frater, cum seruis fratri, extende pedes tuos ante te, impende ei te totum; cum verò intendis Deo, extende ad posterius pedes, vt liber sit tuus volatus. Posteriorum oblitus seruitii, & beneficii, quod impendisti, vel impensurus es, imaginationes in oratione depone. Ibi enim solent occurrere & animum contemplantis impedire valde. Isti verò, qui curtos habent pedes, qui nec aliis, nec sibi intendunt, pedes ad ventrẽ, idest affectus breues, & curtos ad mẽtem constringunt, se ad se recolligunt, *vt mens in vno collecta, facilius possit auolare, & inuerberato lumine in aureo Splendore mentis oculos figere*, &c.

Virorum cõtemplatiuorum, & actiuorũ volatu.

Qui volat ad Deũ per contemplationẽ extendat ad posterius affectũ pedes.

Contẽplationi addicti habeant, dum volant, curtos pedes.

Tota hæc Interpretis nostri descriptio, in qua duæ vitæ, Contemplatiua, atque actiua sub exemplis materialibus apparent, in Paupertate spiritus fundatur. Natura enim huius virtutis est, se nudandi, atque spoliandi ab omni affectu, quo siue agat, siue contempletur eius promptitudo, atque celeritas retardari nõ possit. Sic legimus de D. Bernardo in eius vita, quod vbi proximorum res tractabat, tam sollicitè, atque expeditè in eos, & adeò totus occuparetur, vt sui ipsius ignorans, &

quasi

quasi rerum diuinarum videretur oblitus. Vbi contra Deo vacabat, adeo se totum illi impenderet, vt veluti numquã aliquid aliud antea, vel egisset, vel deinde acturus esset. Ex tam inclita, & singulari paupertate spiritus, iam vnica in Francisco, ac suis sectatoribus, & nondum in Ecclesia ab aliquo Ordine practicata, quia & affectu, & effectu prima extitit in Ecclesia, oriebantur in ipso, & in suis cæteræ velocitatis causæ in dilatatione sui Instituti, quas paulò ante cum Bonauentura memorauimus.

Singularitas paupertatis spiritus in Frāc. & suis vnde.

Subiectę sectiones seorsim sua stemmata, seu insignia explicabunt. *Per arma, seu insignia noscuntur Principes mundani,* ait Interpres noster ad finem serm. feriæ 2. hebdom. 1. in Quadrages. Etiam suis Principibus Ecclesia, Ordinesque arma, ac stemmata propria attribuunt. Sic & ipse primis illis Minoritis, sub vexillo Aquilæ magnæ Francisci militantibus, celeriterq; lege, & instituto Franciscano totum Orbem adimplentibus, sua quoque insignia, ex eiusdem Interpret. nostri doctrina modò prælibata attribuam.

SECTIO I.

Sub Stemmate Aquilæ magnarum alarum.

Ad triplex, ac Vocale Crucifixi mandatum statim obediens Frãciscus, accinxit se, vt tamquam Aquila grandis magnarum alarum, à suis Minoribus sequenda, totum circumdaret Orbem. Eumque tum lege, atque instituto Minorum, tum doctrina, prædicatione, pietate, atque exemplis Apostolicis celeriter adimpleret.

VBi celeri volatui, tam vitæ contẽplatiuæ, quam actiuæ ob pedes vtrosque, in singulis curtos, annectit Interpres citatus, fortitudinem, ac firmitudinem oculorum, vt qui sic volãt, inquit, *possint quoque irreuerberato lumine diuinum Solem intueri*, tangit planè proprietatem Aquilæ, quæ tum volatu celerrima est, tum intuitu in ardentem Solis sphæram, fortissima, ac firmissima. Quare vt ordine Chronologico sub similitudine Aquilæ (sub qua etiam apparuisse Franciscum post mortẽ Fratri Leoni legitur in Chronicis) possimus breui tredecim annorum tractum percludere, ipsius Francisci, ac suorum volatum in suæ legis, & Ordinis in toto Orbe diffusionem, ac propagationem, Iob, & Bonauentura nunc in medium afferendi. Inquit Iob cap. 39. exprimens absolutum Dei imperiũ erga creaturas, ab ipso Deo, personam suam interrogante, ita significatum. *Numquid ad præceptum tuum euolabitur Aquila?* Inquit subindè Bonauentura, loquens de Christo, Franciscum de Cruce alloquente. Quoniam seruus Altissimi Doctorem non habebat aliquem in huiusmodi, nisi Christum, addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditandũ in agro deambulabat iuxta Ecclesiam S. Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, & in eam, instigante se spiritu, causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumq; lachrimosis oculis intenderet in Dominicam Crucem, Vocẽ de ipsa Cruce dilapsam ad eum corporeis audiuit auribus ter dicentem. FRANCISCE, VADE, ET REPARA DOMVM MEAM, QVAE, VT CERNIS, TOTA DESTRVITVR. Tremefactus Frãciscus, cum esset in Ecclesia solus, stupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens Diuini virtutem eloquii, mentis alienatur excessu. In se tandem reuersus, ad obediendum se parat, & totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Ecclesia reparanda; licet principaliter intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisiuit. Sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, & ipse postmodum Fratribus reuelauit. Surrexit proinde, signo Crucis se muniens, &c. Ita Bonauent. cap. 2. cui titulus *De perfecta conuersione Franc. ad Deum, & de reparatione trium Ecclesiarum.*

Proponitur 13. an. chronologia, quã veluti Aquila Franc. percurrit in suę legis diffusionem.

Christus ter præcipit de Cruce Frãcisco oranti, suæ Ecclesiæ reparationem.

Dum surgit Franciscus sine vlla mora, vt post triplicem trium domorum materialium reparationem, ad triplicem per tres ordines, ac leges reparationem spiritalem legis Dei, & Domus Dei, quæ est Ecclesia, intenderet, sequamur & nos eius gressum, seu potius celerrimum volatum. Sequamur, inquam, Franciscum, sese ad instar Aquilæ ad Christi mandatum eleuantem. Verum prius aduertendum est ex Interprete nostro in ser. Dom. 10. post Trinit. vbi ex tribus Domus spiritualis constructionem, & consistentiam patefaciens, sic ait. *Nota, quod Domus ex tribus consistit,*

Tria construunt domum spiritualem.

consistit, scilicet fundamento, parietibus, & tecto. In fundamento notatur humilitas. In parietibus virtutum congeries. In tecto charitas. Hæc ille. Tota destruebatur domus Dei, teste ipso Deo; nam eius fundamenta mortalibus concussionibus variis vndique modis percutiebat superbia. Eius parietes crudeliora, ac potentiora vitia omni ex parte incessabiliter inuadebant. Eius tectum grandium tam sæcularium, quam ecclesiasticorum canitas, impietas, cordium, operumque impuritas, conscientiarum malignitas, ficta fides, odium in Deum, & in proximum iam lacerum, & vbique penè excisum reddiderant.

Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila? Haud quidem ad præceptum hominis simplicis, sed ad præceptum hominis, & Dei in Cruce pendentis, eleuata est Aquila cinerea magnarum alarum, cum ter Francisco, vt celeriter per se, & per fratres, & socios suos circuiret totum Orbem, eumque lege sua, & ordine suo innumerabili Minoritarum cœtu, multis Prouinciis, quamplurimis cœnobiis impleret, vt sic totam Ecclesiam vbique collapsam, vbique pariter repararet. *Ad præceptum Dei* (ait Interpres noster in Dom. 14 post Trinitatem ex D Gregor.) *eleuatur Aquila, cum iussionibus diuinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita, in supernis nidum ponit, quia habitationem mentis suæ in abiecta, & infima conuersatione non constituit.* In petris manet, &c. Hic per petras intelligit secundo Interpres cum eodem Gregorio, cælestes potestates, & sic subdit. *Dum ergo Sanctus* (adde tu Franciscus) *perennem Angelorũ gloriam præstolatur, estque in hoc Mundo hospes, illa appetendo, quæ aspicit, iam in sublimibus figitur.* Hucusque Interpres. Fixa Aquila Seraphica Legislatoris Francisci in sublimibus, irreuerberato lumine Solẽ Christum firmiter, constanterque respiciebat, & in eo omnium Angelorum gloriam. Inter plurimas illorum beatorum spirituum proprietates, quibus subitò, vix arrepta perfectionis semita, perexcelluit admiraculũ, prima fuit celeritas maxima in suis per totum terrarum Orbem pauco temporis interuallo diffundendis, ac propagandis legibus, & ordinibus, sed potissimum ordine, ac lege Minorum.

Quomodo ad præceptũ Dei volauit vt Aquila Franc.

Angeli sub petrarũ simbolo.

I Surgens sola adhuc ista Aquila; vt celerior euaderet anno illo 1208. à quo desumunt prima Ordinis Minorum fundamenta multi ex nostratibus, tria oua, imitans Aquilæ proprietatem, seu tres filios posuit in nidum suorum fratrum. *Nota* (explicat Interpres ibidem) *quod tria oua, vel tres filij Aquilæ sunt tres amores viri iusti, scilicet amor Dei, proximi, & sui. Quem tertium omninò à nido suæ conscientiæ debet expellere. Priuatus enim amor sui valdè impedit amorem Dei, & proximi, & ideo omninò abyciendus est.* In hoc duplici amore, nimirum Dei, & proximi; duplici velocitate, ac celeritate insignitus est Aquilinus Francisci volatus, eo quod à nullo alio aduerso amore præpeditus.

Tria oua, seu filii Aquilæ, hoc est viri iusti, sunt tres amores.

Decem fructus spiritus princeps est *Charitas*, teste Apostolo, veluti aliorum caput, & origo. Hæc Theologica virtus nouem pennas Francisci volatui præstabat, quot sunt Angelorum Ordines, quorum omnium celeritatem vario modo pro suo modulo participabat. *Charitas*, dum alatum eũ efficiebat alis suis ipsa

1 Connectebat *Gaudium*, quo omnes diligebat, pro omnibus maximè gaudens in Domino. Ipsa

2 Connectebat *Pacem*, & pacem veram, quam veraciter habebat cum illo, qui est *Princeps Pacis*, quemque veraciter diligebat. Ipsa

3 Connectebat *Longanimitatem*, ob quam in bono opere perseueranter manens, continuo feruebat desiderio. Ipsa

Charitas debet Franc. alas nouem.

4 Connectebat *Benignitatem*, quia diligebat, cui opitulabatur, semper tenerrima seruans præcordia. Ipsa

5 Connectebat *Bonitatem*, ob quam bonus diligendo peculiari integritate efficiebatur. Ipsa

6 Connectebat *Fidem*, quæ in ipso salubriter fideli effectu pro dilectione operabatur. Ipsa

7 Connectebat *Mansuetudinem* vtiliter sub dilectionis moderamine. per Ipsa

8 Connectebat *Continentiam* illam cordis, & corporis, de qua Interpres noster in Dominica secunda Aduent. super Thren. 4. Ipsa demum

9 Connectebat *Castitatem* virginalẽ, qua erga dilectum suum Christum, ob quam continebatur, firmabaturque in vtraque puritate gressu Seraphico.

II Hinc Anno 1209. sequenti, tribus sociis vix acquisitis, pergit celeriter Frãciscus prædicaturus in Aemiliam, & Marchiam Anconitanam. In tribus illis sociis, quibus primò illicò exiuit extra Vmbriæ fines, tres Orbis partes, quæ tunc Cosmographicæ erant, scilicet Europa, Asia, Africa, significabantur. Tum quia à prædicatione euangelica Francisci, & suorum ad tria inuitandę erant, quemadmodum ad tria quoque inuitabat tuba veteris Testamenti, scilicet ad bellum, ad epulum, & ad festum. *Sic tuba confessionis* (subdit Interpres Dom. 3. post Trinit.) *vocat ad bellum dæmonum; Diabolus enim con-*

Missio triũm sociorũ Frãcisci cũ ipso Franc.

contemptus per confessionem, surgit in scandalum. Ad epulam pœnitentiæ, & ad festum gloriæ. Tum quia breui cursu ab instituto Seraphico forent eædem tres Orbis partes, & cum eo Catholica fides in melius redacta, adimplendæ. Ternarium enim numerum ad fidem referri, docet Interpr. in ferm. 2. Dom. 4. in Quadrag.

Franc. certior fit à Deo de suorũ delictorum remissionè, ac sui ord. dilatatione.

III Anno eodem complens Franciscus senarium Discipulorum numerum, quadam die (refert Bonau. cap. 3.) dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret, Sancti Spiritus in eo superueniente lætitia, *Certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum*. Raptus deindè supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ circa se, & filios suos futura erant, luculenter aspexit. Post hoc reuersus ad Fratres: *Confortamini, ait, charissimi, & gaudete in Domino, nec quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea, vel vestra simplicitas; quoniam sicut mihi à Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere, suaque benedictionis gratia multipliciter dilatabitur*.

Hæc multiplex dilatatio haud in longum protracta est, immò sicut à suis primordiis cælitus reuelata, ita ex tunc etiã celeriter ad miraculum effecta. Quamobrem statim, vt septimus socius adhæsit Francisco, adeo in sua mentis celeritate velox, ac magnanimus euasit, vt refert idem Bonauentura ibidem immediatè. Eodem quoque tempore quodam alio bono viro Religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta peruenit. Tunc pius Pater omnes ad se filios conuocauit, & plura eis de Regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporisque castigatione pronuncians, propositum suum de mittendo illos in quatuor partes Orbis aperuit. *Iam enim*, subdit, *sterilis, & paupercula simplicitas Sancti Patris pepererat septem filios, & desiderabat vniuersitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino parturire. Ite, inquit dulcis Pater ad filios, annunciantes hominibus pacem, prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, &c.* vt supra alibi. Et paulò post. *Tunc & ipse sciens se datum alijs in exemplum, vt prius faceret, quam doceret, cum vno versus vnam Orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum Crucis, tribus alijs Mundi partibus deputatis*.

2. Missio sex socior. Frãc. ad tres mundi partes, & ipse cum vno socio tãtum ad alteram pergens.

Octo Minores cæperunt opus reparationis, quot exiere ex arca Noemica

Ex hoc pusilli gregis tam pauco numero, atque societate octo exierunt, vt Ecclesiæ reparationi initia aliqualia præstarent, nimirum Franciscus, & septem socii eius. Tot pariter exierunt ex Archa Noe, vt Orbem vniuersum, vniuersaliter à diluuio euersum, incredibili celeritate, ac multiplicatione restaurarent.

In octo illorum Minorum alarum pennis Paupertatis sanitas deferens Spiritus Sancti gratia, tarda molimina penitus ignorabat. *Septenarium numerum ad totam vitam refert* Interpres noster loco citato Dom. 2. Quadrag. Item & ad requiem animæ ob sui perfectionem, in ferm. Sabbati ante Dom. 2. Quadrag. vbi etiam corporum resurrectionem sub numero octonario comprehendit. Inquit enim, loquens de annis quindecim vitæ Regis Ezechiæ. Additis quindecim annis vitæ sunt requies animæ. *Per septenarium enim, qui est numerus perfectus, significatur requies animæ, & per octonarium resurrectio corporum, quia Christus primitiæ resurgentium resurrexit die octauo, vt docet Augustinus ad Bonifacium quæst. 54.* Completo numerò septenario discipulorum, animarum requiem, laboriosissimo criminum iugo per pœnitentiam excusso, statim Franciscus ardentissimè concupiuit.

In numero septenario requies animæ. In octonario corporum resurrectio.

Exiens tamen & ipse simul cum illis septem, complensque in illa Missione octauum numerum, quid aliud Ecclesiæ annunciabat, nisi quod per suum institutum, vsque ad Mundi finem duraturum, eam fidei reparationem, & resurrectionẽ (iam ipsa fides sine operibus bonis extincta, atque mortua) omni Reipublicæ Christianæ celeriter daturus erat, & in multis infidelibus radicitus fundaturus, sine qua resurrectio corporum nõ erit ad reparationem, & ad vitam, sed ad laborem, & ad mortem. Quare haud mirum, si adeo breui sex illi, antequam Franciscus condidisset Minorum legem, peragrarint Tusciæ partes, statimque etiam, quasi per instans insperatò ad Sanctum Patrem, eos videre peroptantem, diuinitus reuersi sint, vt ipse Seraphicus historicus ibidem refert.

IV Hoc eodem tempore, anno scilicet 1209. scripsisse suis legem, eique ab Innocentio III. confirmationem obtinuisse, adstipulatur sententiæ aliorum Breuiarium Romanum illis verbis. *Romam venit anno 1209. vt sui Ordinis Regula ab Apostolica Sede confirmaretur*. Ex quo tempore interponuntur anni 13. vsque ad annum 1223. quando cessauit prima Regula quoad eius prolixitatem, seu quantitatem; non autem quoad substantiam, in cuius epitome, siue compendio additum est eminens præceptum de Cardinale Protectore, à Sancta Sede expetendo, quia

Lex Franc. hoc ãno scripta, & approbata iuxta Breuiarium Romanum.

anno

anno 1217. annis octo, vel septem post scriptam, & approbatam primam Regulam petiit primum, & obtinuit Franciscus à Romano Pontifice Cardinalem Vgolinum in Protectorem.

Hoc anno scripsit legẽ Minoribus: Franc. iuxta alios.

V Anno eodem 1209. breui excreuit Discipulorum numerus, peruenitque ad duodenarium. Quorum vndecim, vt habet Vadingus (ipse puto, omnibus duodecim ex ipso textu Bonauent. sicut in primo libro adnotaui) tradidit legem, in Sācta Maria de Portiuncula vndecim scriptam. Itaque in primo anno suæ perfectæ conuersionis, qui erat Christi 1208. tres Ecclesias reparauit Franciscus. In anno secundo, scilicet 1209. cum tribus sociis primam Missionem Apostolicam, quam sibi Christus è Cruce immediatè præceperat, incepit, circuitque Aemiliæ plagam, & Marchiæ Anconitanæ Prouinciã. Cum septem alteram Missionem aggressus est, & cum animo conuertendi totum Mundum. Cum vndecim Discipulis excrescens eius societas, effectus est Euangelicus Legislator. Cum iisdem tertiam Missionem Romam versus assumpsit, acquisiuitque in itinere duodecimum Discipulum, cum quo etiam veniens in Vrbẽ, Regulæ approbationem à Christi Vicario Innocentio III. obtinuit. Quanta in vno homunciolo, despecto, paupercu lo, à domo paterna excluso, simplici, indocto, omni terreno fauore expoliato in duorum annorum spatium celeritas circa negotium reparationis Ecclesiæ, lege, & instituto Minorum principaliter effecturæ!

Hoc ãno lex Minorum approbata est.

VI Anno 1210. post approbatam Regulam creuit Minorum societas, additis aliis Discipulis, ac per totam Vallem Spoletanam Minorum numerus, & prædicatio non sine ingenti fructu dilatata est.

VII Anno 1211. creuit valde breui sociorum numerus, volauitque ad Florentinos, Pisanos, & ad plura Tusciæ Oppida, in quibus locis extruxit Franciscus domicilia.

VIII Anno 1212. scilicet per huius etiam anni partem Hetruriæ hęrens Franciscus in Oppidis Sarthiani, & Citonii, domicilia, & socios acquisiuit. Nauigaturus Syriam ex affectu martyrii, venit prius Romam, vbi B. Zachariam suo aggregauit sodalitio. In Marchia Anconitana discipulum habuit Beatum Pacificũ. Detentus à Syriaco in itinere, reuertitur in Tusciam. B. Egidius eius tertius Apostolus, obtenta ab eo licentia, peregrinatur ad Compostellam. Et ecce habitus, & lex Minorum in admirando vno profes-

B. Egidius Compostellam versus,

sore, & professione Laicus (qui & vniuersorum nostrorum, imò & cunctorum contemplatiuorum felix antesignanus, & asceticæ scholæ fundator, vt in 1. tomo Hierarchiæ facie 2. dictum) prima vice pœnitentiæ spectandæ, & vitæ Apostolicę insignia patefaciens, ad extremas Hispaniæ plagas. Hoc anno institutus etiam Ordo Sanctæ Claræ, cuius lex à Francisco lata, sicut valde legi Minorum conformis extitit, ita pariformi celeritate dilatata, ac propagata est in Ecclesia.

IX Anno 1213. Transiens Franciscus Appenninum, prædones quosdam ad pęnitentiam conuertit, Montem accepit Aluerniæ à Comite Orlando. Per Lombardiam, Pedemontium, & Galliã traiecit in Hispaniam. Inde transiturus Marrochium, Martirii accensus desiderio. In Hispania Regem Alphonsum IX. allocutus, eius bona venia suis præparauit habitacula. Vbi autem Banauent. cap. 7. Legendæ describit Franciscum Martyrij triumphum secunda vice magis ac magis sitientem, iam prima vice anno sexto suæ conuersionis ad Syriam iter intentantẽ, frustratum, velocissimum cũ demonstrans supra vires naturales, vt videre potes vbi de Francisci conceptione cap. 1. sect. 2. textus secundi.

Franc. in Hisp. cum Rege Alphõso

X Anno 1214. Acquisitis in Hispania domiciliis, iter intendit Franciscus in Marrochium. Infirmitate præpeditus visitauit Sancti Iacobi corpus. Ad cuius limina, monitus ab Angelo suum institutum vbique propagandum, ex reuelato cælitus thesauro, domum Compostellæ ædificauit. Illinc socios misit alias extruendas. Transiit inde in Lusitaniam, reuersus in Castellam, vtriusque tam veteris, quam nouæ potiores partes percurrit. Nauarreos, Aragonenses, Catalanos inuisit; vbique multa acquirens habitacula, & operans miracula. Per Galliam in Italiam rediens, apud montem Pessulanum prçsignauit locum, à suis habitandum.

Lex, & ordo Minorum in Hispania domiciliis

Ad Lusitanos, & Castellanos.

In Gallia designat locum apud montẽ Pessulanum.

XI Anno 1215. Regressus in Italiam per Pedemontanos, descendit per Aluerniam in Marchiam Anconitanam, cuius præcipua Oppida, Vrbesque percurrens, multos suæ aggregauit sodalitati, pluraque acquisiuit domicilia. Venit ad Concilium magnum Lateranense, in quo Pontifex Innocentius III. denuò eius institutum probauit, & iam approbatum declarauit. B. Egidius hoc anno perlustrauit Hierosolymorum, Montis Gargani in Apulia, & alia pia loca. Hunc virum simplicem sub lege Minorum veluti tertium in Francisci discipulatu Coapostolum ibi, Ortus haud absque admiratione cernit

Diffusio leg. & ord. Min. ad prouinc. Italiæ.

B. Egidius perlustrat loca Terræ Sanctæ.

cernit in Asia, vbi Christus *oriens ex alto* cum suis Apostolis Ecclesiæ fundamina iecit, quibus ipsemet primus lapis, cementum eius caro, aqua proprius sanguis.

Ionę simulacrũ gerebat, ad Ionæ figurã, ceu ad suum prototypũ festinans vir simplex Egidius, volansq; ad eum vt columba, iam paupertate Apostolica more Apostolorum leuissimus, iuxta Interpretis nostri doctrinam in serm. de Apostolis, iam Christi simplicitate decorus. *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*. Sicut enim fuit Ionas in ventre Cæti, sic erit Filius hominis in ventre terræ, &c. Matth. 12. Vbi Interpres noster quasi describens illius tempestatis Palestinæ habitatores, atque Egidii viri simplicis, & Apostolici ibidem lustrationem, necnon & pœnitentiæ prædicationem, sic explicat. Generatio mala *per inuidiam, & nequitiam.* Et adultera, per *Idolatriam*. Ionas, *idest Columba signat cor hominis, in quo debet esse simplicitas columbina*. Psal. 50. *Cor mundum crea in me &c*, Niniue *germen pulchritudinis, pulchrum* (Misticus Ionas Franc. & prænũcians, ac præueniens.) *animum præfigurat, de qua Cant.* 4. Tota pulchra es amica mea. *Hoc animæ canitur iustæ, sed peccatum fœdat, ideo ad eam mittitur Ionas per diuinam inspirationem ad cor scilicet hominis, vt ipsi interitum nunciet, si non agat pœnitentiam*. Hæc Interpres. (Possessionis locorũ Terræ S.à Frat. Min. habitãdæ præsagiũ) Ad cor terræ Palestinorum, vbi Ionas Christus occisus tribus diebus, & tribus noctibus iacens, inde gloriosus, ac triumphans resurrexit; datum Ionæ Apostolici signum in fratre Egidio. Qui columbæ simplicissimæ, veluti pręnuncius, & præcursor Francisci, Ionæ Christi simillimi, extitit, necnon & veluti peculiare præsagium illorum locorum possessionis, quam cælestis Christi simplicitas sanguine suo acquirens, Francisci simplicitati Christi plagis, & clauis confodiendæ, ne in totum hostiliter in excidium abiret, destinarat.

SECTIO II.

Sub stemmate Saphirino.

Annus 1216. celeritati Francisci Legislatoris, eiusque sectatorum pluribus de causis admodum propitius, maximè ob suas solemnissimas, atque expeditissimas Missiones per varia Mundi climata.

IN isto anno, qui erat legis approbatę Minorum, & eorum Ordinis sextus, conuocans Franciscus vndique Fratres ad Comitia Generalia, eos ad vniuersas Europæ Prouincias, institutis vbique Rectoribus, destinauit. In partibus Cismontanis sex Prouinciis sex Ministros Prouinciales elegit, præfixitque Prouinciarum distributio ex Mariano apud Vadingum eodem anno vna cum suis superioribus sic ordinatur.

I *Prouincia Lombardiæ*, cui institutus Minister Frater Ioannes de Strachia, qui quanto carnis, ac sæculi prudentior apprimè instructus, atque nimis in se confidens videri voluit, tanto B. Francisco visus ineptus, ac propterea amotus ab illo munere Apostolico. Huic namque muneri columbina simplicitas simul cum serpentis cautione, quæ in viris perfectis apud Mundum stultitia est, videtur necessaria omnimodè. De ea Interpres noster aliàs pluribus in locis, potissimum in serm. de Apostolis super illud Christi ad Discipulos suos. *Estote ergo prudentes sicut serpentes*, &c. (Prima Prouinciarum Cismontanarum distributio)

II *Prouincia Marchiæ Anconitanæ* in Picæno, cui Minister adscriptus ille Frater Benedictus de Aretio, qui conceptus in vtero Apostolicæ perfectionis verbi Dei prædicationis Francisci semine, & in lege Minorum editus, & educatus; *Benedictus fructus* adeò Francisco gratus effectus est, eique in mensa spirituali familiaris, vt miserit illum ad Græcos, & Antiochenos, apud quos dignos fructus pœnitentiæ larga Dei benedictione produceret.

III *Prouincia Calabriæ*, ad quam missus Frater Daniel Tuscus, qui Ordinem incredibili celeritate ibidem propagauit. In nomine, in operibus, & in verbis vnus Daniel expertus est inclitus hic Minorita. Nam iudicium Dei, quod nominaliter deferebat eo modo illis in oris faciẽ- (Daniel interpretatur Dei iudiciũ. Danieli Proph. & Danieli Franciscano valde cõcordum.)

do, ac docendo solida veritate quousque eo moratus est, patefecit, quo detulit intrepidè Daniel Propheta, indicens illud Nabuchdonosor Regis, cū sic alloquens capit. 4. *Fœnum vt bos comedes, & rore Cœli perfunderis; septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod Dominus excelsus sit super Regnum hominum*. Nisi hoc iudicium Daniel Franciscanus exprimeret, nec legem, nec institutum, quod profitebatur in publicum Ecclesiæ bonum propagare potuisset. Etenim ita scribit Interpres serm.2.Dom.1. in Quadrag. In quibus verbis, ait, Sanctus ille Daniel inducit in isto tempore (loquitur de tempore Quadragesimæ) quemlibet peccatorem.

1 *Ad delendam maculam carnis, quam commisit*, Fœnum, inquit, vt bos comedes. Isaiæ 4. dicitur, *quod omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri*. Et paulò post. *Igitur fœnum vt bos comedes*, idest delectationem comissorum carnaliū operum spirituale suscipiens nutrimentum. Vnde benè dicitur Matth.14. quod Deus præcepit turbæ discumbere super fœnum.

2 *Ad reuocandam gratiam lucis, quam perdidit*, Et ideo dicitur rore Cæli perfunderis, Isaiæ 26. *Ros lucis ros tuus*. Ros scilicet *Diuinæ gratiæ humectantis, illustrantis, fœcundantis, & dulcorantis internam mentem*, Gen.37. In rore Cæli desuper erit benedictio tua.

Artes libera les moraliter. 3 *Ad resumenda opera artis, quam amisit*; ideò dicit septem quoque tempora mutabuntur super te. *Per siquidem septem tempora artes liberales intelligo. Liberales, inquio, ab effectu, non illas, quæ liberales communiter nuncupantur, sed illas, quæ liberare habent hominem à seruitute peccati, & eum propriæ tradere libertati*. Quæ vtique licet possint vniuersitatem perfectorum operū designare, in Vniuersitatis numero signatorum, & in septenario; signant tamen specialiter septem opera misericordiæ. Atque ad literam tempus illud, tempus scilicet vernale, quod nunc imminet, deputatur, siue ad septem dicitur aptum fore; sicut enim sunt septem horæ priuilegiatæ, quæ ad imminens nunc concurrunt, vt dictum est supra; sic istud tempus ad septem opera est singulariter aptum. Hactenus Interpres, describens in Daniele nostro illud iudicium Dei, quod patefecit peccatoribus, eiusque prædicationis fructum, ob quem legem, & Ordinem Minorum celeriter propagauit. (Septē horæ priuilegiatę)

Et aduertendum, quod Daniel Propheta electus fuit à Deo, vt ænea fronte eius iudicia Principibus, & Regibus, & populis, & proselitis constanter, & fortiter pronunciaret, nullum formidans vitæ discrimen, ac propterea in lacum leonum immissus. Ita pariter & noster Daniel, qui ob eandem causam tempore apto pro fide Romana ad dimicandum à Francisco missus, Marrochii in Africa Martir occubuit. Vnde idem Interpres noster, loquens de Christo, qui est Caput Martyrū, à Spiritu Sancto in deserto ducto, addit statim ibidem, explicans prædictum tempus. *Est enim tempus istud Principibus aptum ad dimicandum*. Ad literam enim istud tempus, quo (vt dicitur 2.Reg.11.) solent Reges ad bella procedere, *vt Rex noster Christus prius Baptismate veluti armis cælestibus præmunitus à Spiritu Sancto ductus est hodie in campum certaminis in desertum, vt scilicet à Diabolo vbique obtenta victoria, hostem prosterneret*. Hæc ille. (Tempus belli spiritualis)

Desertum esse quamlibet benè ordinatam Religionem, docet in eadem Dom.1 Interpres, exponens misticè Christi desertum, septemqne prodiens deserta ex sacra Scriptura, vt paulò ante adnotauimus. Igitur dimicans Daniel cum Diabolo, siue propugnando Ordinem in partibus Calabriæ, siue propagando orthodoxam fidē in Regno Marrochii, de Rege Miramolino cum aliis sociis (quibus ipse Rex obtruncauit capita, vt pretiosior, & nobilior fieret eorum mors) sanguinis effusione triumphauit, iam extans ob professatam legem Fratrum Minorum intra Minorum Ordinis desertum, ibi à Spiritu Sancto ductus per Francisci prædicationem. (Vicit Daniel Regem Miramolinū intra desertum Religionis.)

IV *Prouincia Apuliæ*, cuius Ministri, à Francisco instituti memoria deperdita est, licet in Dei esse benedictione minimè dubitandum.

V *Prouincia Terræ laboris*, ad quam regendam electus est Fr. Augustinus de Assisio, tantis auctus virtutibus, ac meritis, vt capitis totius corporis Ordinis, quod erat Franciscus, mereretur fieri pars nobilior, scilicet, oculus, docente Interprete nostro serm. fer.4. Dom.4. in Quadrag. *Inter partes hominis caput excellit, inter autem partes capitis, oculus est nobilior*. Quamobrem factus totus oculus tempore suæ mortis, ipsi soli sub præfulgidæ stellæ specie, Francisci anima ad Cælum celeriter euecta, ostensa est; cuius lumen statim oculatissimus eius spiritus è corpore solutus sequi promeruit. Vide Bonau. In legenda, & superius, vbi de B. Augustino ad ann.1210. num.6. (Pars nobilior capitis est oculus.)

VI *Prouincia Tusciæ* Fratri Heliæ Cortonensi commissa est, qui postea bis vicē Francisci in vita vt eius Vicarius gerens, bisque vt Minister generalis ipsi succedens

dens post mortem, in vtroque munere haud pastoris, sed Mercenarii exercuit regimen, curās plus sua per vanamgloriā, & appetitum dominandi, quā quæ erant Iesu Christi, ad Dei gloriam, & ad legis, & Ordinis Francisci sub altissima, atque apostolica Paupertate augmentum. Haud pauca adnotata sunt de viro isto ex doctrina Interpretis nostri circa eius dotes, & mores, & postrema pœnitentia, vbi de Francisci discipulatu ad annum 1211. num. 4. & alibi etiam in Hierarchia. Sed addamus modò istud aliud.

Is vir benè incepit in Religione, vt subditus, malè rexit, vt superior, at non malè periit, quia verè pœnitens, & iuxta reuelationem Francisci, cælitus sibi effectam saluus. Horum florum in campo Ecclesiæ genus rarum admodum; vnum ver plenum nunquam potuit conficere, licet magnum, assiduumque spei florem in cordibus magnorum peccatorum producere, ne detur locus desperationi, sæpè numero potentissimè valuit. In historia mulieris Thecuitis, ingressæ ad Dauid Regem, vt veniam Absaloni figuratis verbis impetraret, & habetur 2. Reg. 14. Spei, benè circumstantionatæ tempore mortis Heliæ, vernantis ad miraculum, ideam depinxit Interpres noster in serm. Do. 3. post Trin. Audiamus quæso in illius mulieris vocibus anima Heliæ pœnitentis, magna fiducia consolidata, ac roborata, ac per eam ad Regem Christum antequā exiret de ergastulo carnis, ingressa, vt caderet contrita, & humiliata ante pedes eius, atque eum adoraret.

Mulier Thecuitis pro anima Heliæ in extrema pœnitentia;

Sed principio dandum istud aliud cōmentariolum ex ipso Interprete. *Rex noster Christus*, inquit, *qui regit gentes in virga ferrea, idest inflexibili iustitia. Ad hunc ingreditur anima per spem, cadit coram eo per humilitatem, & adorat per fidem, & dicit.* Serua me Rex, heu mulier vidua ego sum. *Heu dicit, quia dolet de peccato; mulier, quia mollis, & fragilis; vidua, quia ab omni humano solatio destituta. Et ideo serua me, Rex, dolentem, fragilem, & destitutam. Serua me, quia serua tua sum. Serua, quia vir meus mortuus est. Vir animæ pœnitentis fuit mundus, qui tunc ei moritur, cum ipsa mundo moritur. Vnde dicit cum Apostolo Gal. 6.* Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Hæc Interpres, & multum equidem ad rem circa obitum Heliæ, in vera pœnitētia constituti. Nam si *Helias* interpretatur *Deus*, *Dominus*, *Heli oblatio*. Helias quoque noster sui ipsius, & mundi Dominus, relinquens seipsum, & mundum per professionem legis, & Ordinis Fratrū Minorum; Dei, & Domini sacrificium, & oblatio factus est. Incidit postea in sui ipsius, & mundi seruitutem, se subiiciens ambitioni, immò ipsi mundo adhærens, & ancillans eius anima, fœdè, ac turpiter illi coniugata, facta est cum eo vna caro. Vbi verò Helias iterum in extremo vitæ suæ mundi, & sui ipsius effectus est Dominus, & Domini oblatio, & sacrificium per pœnitentiam, eius anima ingressa est per spem ad Regē Christum, iam viduata à mundo, iam destituta ob mortem Federici II. Imperatoris ab omni auxilio humano. Sic denuò ei mundus crucifixus, & mortuus, & ipsa in Crucifixo ob merita Patris Francisci viuificata, transiit feliciter ad eum, vidua à mundo, destituta ab hominibus, vt in Cælis noua, atque æterna connubia diuinis cumulata fauoribus cum Christo celebraret.

Heliæ, & Heli interpretatio.

Auspicatissimus demum extitit idem hic annus 1216. legi, & Religioni Minorum ob aliquot Apostolicas Missiones, in præfatis Comitiis expeditas, cunctasque magna celeritate affectas, tum ex se, tum ex operum consequutione. Quarum postrema, quæ fuit quarta, etsi alii, suos retrocedere cogentes, impediuere; postea tamen, quamuis non eodem anno, vberem effectum sortita est, iam expeditior post aliquantulam retardationē euadens. Exhibeo omnium synopsim, præsignādo omnes cum explicato legis Minorum vexillo, ad earum declarandam celeritatem, peculiari stemmate ex lapide saphirino his literis Apostolicis inscripto. *Nostra conuersatio in Cælis.* Desumptum est hoc stemma ex Doctoris nostri Commentario super cap. Tobiæ 13. de quatuor Portarū Hierusalem gēmis, quas alibi etiā dedimus sub alio proposito. Possem iisdē gemmis quatuor has Missiones comparare, dum in illis quatuor Ordines Militantis Ecclesiæ intelligit Interpres, nimirum Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, immò vnicuique Missioni quatuor gemmas posse coniunctim tribuere. Quippe ex vnoquoque Ordine, qui missi fuerunt, Viri Apostolici erant, Martyres desiderio cuncti, & duo ex priori Missione Martyres etiam effectu. Confessores fide omnes, Virgines haud pauci, & vniuersi castitate Seraphica, quæ æquiualet puritati virginali, præcellebant.

Auspicatus quoque iste annus 1216. ex quatuor missionibus.

Quatuor huius anni missiones sub vno stemmate Saphirino.

Verum vt sub vno stemmate cunctas præsignemus Missiones; demus omnibus priorem gemmam in textu Tobiæ memoratam, quæ dicitur SAPHIRVS. Inquit enim Interpres in serm. Dom. 1. post Epiph. *Saphirus, Cælo sereno similis Apostolos significat, qui terrenis contemptis meruerunt dicere.* Nostra conuersatio in Cælis est.

Saphiri simbola apostolica, ac religiosa.

est. Et paulò infra iuxta sensum moralẽ, *Moraliter*, inquit, *in Saphiro contemptus visibilium, & contemplatio inuisibilium.* Tales cum essent Minoritæ in illis quatuor Apostolicis Missionibus, cur non admiranda omnium celeritas, quinimmò & non omnes ipsius celeritatis nomine nuncupãdi, veluti ipsamet celeritas reapse effecti? In nouo illo Minorum Apostolatu, pro Ecclesia reparanda instituto omnes ad exemplum Aquilæ magnæ Parentis Francisci veluti cælestes ciues mẽte, & conuersatione videbantur. Quare pari animo calcando, ac præcurrendo terrena, nihil extabat siue contumeliosũ, siue deliciosum, quod illorum volatui se opponere auderet. Et eò maximè, quia volatui omnium obedientiæ volatus addebatur, docente Interprete nostro alibi dato ex Dom. 2. Aduent. *Vera obedientia est humilis, deuota, festina, iucunda, perseuerãs. Humilitas* Apostolica omne obstaculum superbiæ rumpit. *Deuotio* Seraphica de tepiditatis tarditate triumphat. *Festinatio*, charitate Dei accensa, in seipsa celeriter euadit. *Iucunditas* religiosa expeditissima in operando experitur. *Perseuerantia* magnanima arduorum aggressione in superbiæ interitum, in tepiditatis excidium, in celeritatis iuuamen omne tempus deuorat, atque vno instanti ipsam concludens ac terminat, æternam coronam adipiscitur. Omnes in qualibet missione ibant vt aues, quæ Turtures dicuntur, & pulli Columbarum, de quibus Leuit. 1. scilicet *De auibus holocausti oblatio fuerit Domino Deo, de Turturibus, & pullis Columbarum*, quod sic expendit Interpres serm. Dom. 1. post Epiphan. *Tunc oblatio fit de auibus, cum vir iustus pennatus virtutibus, quæ in Turture, & Columba propter castitatem, & simplicitatem, & gemitum pœnitentiæ designatur, proficit de virtute in virtutem: Quia caput ad collum, os ad axillas tunc retorquet, cum quod ore prædicat, opere exercet*, &c. Vide reliqua apud ipsum in postillam illius sententiæ textualis, cuius postrema verba. *Adolebit super Altare.*

Vera obediẽtia quisformis est.

Pennæ iusti sunt virtutes.

PRIMA HVIVS ANNI MISSIO ad Hispaniam nouem Apostolicis Viris conflata, & omnes Sanctissimi, & ad legem Maumeticã inibi euertendam aptissimi.

Tot Apostolicos Missionarios, ac beatos Viros habuit hæc prima Missio, quot Beatorum Spirituũ Ordines habet Cælum. In moribus enim Angeli erant, licet officio Apostoli; & vt Angeli Seraphico Antistiti subiecti, volabant: & vt Apostoli leues erant in iniunctum sibi ministerium. Quilibet ipsorum sub Patriarchæ Frãcisci lege Hierarchicus erat, quia cum esset vnus, nouem Ordinum Angelorum dotes in multis participabat iuxta doctrinam Interpretis nostri, alias expensam. Primus omnium, & primogenitus Patris Francisci

I B. BERNARDVS ille de Quintanalle, ad cuius agnomen alludit illud Ioann. Bapt. *Omnis vallis implebitur.* Luc. 3 Hoc est, quod dicit Isaias 66. (addit Interpres Dom. 4. Aduent.) *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Vallis est humilitas mentis*, de qua Hier. 2. *Vide vias tuas in conualle*, idest cognosce peccata tua in duplici humilitate. Humilitas ostẽdit seipsum. Vnde Isai. 19. *Cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptij Dominum in die illa*, scilicet in celeritate humilitatis. Aegypti, idest tenebrosi superbi cognoscent Dominum, & è conuersò, & seipsos. Augustinus, *Da mihi Domine cognoscere te, & me.* Hæc Interpres, demonstrans veram humilitatem in illius vallis symbolo, quod & paupertatis vexillum est, vt docet Interpres Dom. 2. Aduent. & cũ illo pro se elegit Christus, vt Redemptor omnium in cunctis expeditus, ac celerrimus, sicut super cunctos humillimus, formam serui, & peccatoris, & pauperis accipiens, vt in eius humilitatis claritate superba gentilitas seipsam cognosceret, Christianamque humilitatem ex se celerrimã amplecteretur. Deinde Francisco suo, ceu omnium Reparatori, sibi simillimo communicare complacuit, moxque primogenito Francisci, ad sui, & illius imitationem. In hunc modum *Bernardus vallis erat* plus re, quam agnomine, *super montem posita*, ad quam ducens alios, superbis mortalibus ad pœnitentiã vocatis, tam sua, quam sociorum humilitas, apostolica, ac celerrima exemplariter claruit in viæ veritatis, & vitæ Christi cognitionem.

Mistica agnominis Quintaualle allusio,

Vexillũ proprium Christi humilitas celerrima,

Sed quid exprimit illa vox, *Quinta*, cũ Bernardi *Valle* coniuncta? Vis scire quid exprimat? accipe ex sapientissimo Interprete nostro, dicente in serm. Dominicæ Septuagesimæ. *In quinque sensus delectatio refrenanda intelligitur.* Verum nisi hi quinque sensus vallem humilitatis intrarent, nullo modo eorum irregulata, culpabilisque delectatio refrenari posset. *Si fortior illo superueniens vicerit illum, vniuersa arma illius aufert*, *Luca* 6. Matthæus posuit *vasa* pro armis. Vbi Interpr. valdè egregiè. *Arma*, ait, *vel vasa, vt dicit Matthæus, sunt quinque sensus corporis, quibus*

Intrẽt quinque sensus vallem humilitatis, vt ibi refrenentur.

bus quasi quibusdam armis cæteris impugnat Diabolus; & *in quibus quasi quibusdam vasis venenum elationis mortiferum portat,* & *alijs propinat*. Superuenit ergo, subdit, humilitas à Christo, qui dicit Matth. *Discite a me, quia mitis sum,* & *humilis corde*, & intrat in domum fortis, in atrium cordis, in quo habitat superbia, & ipsum deuincit, & *foras expellit venenum elationis theriaca humilitatis*, qua expulsa, *omnia arma eius, in quibus confidebat* humilitas aufert, vt de cætero nihil altum, nihil vitiosum appareat in sensibus corporis, sed *humilitatis insignia vbique se repræsentent*. Hæc ille, apud quem aduertendum illud verbum, *nihil vitiosum*, quod respondet aliis ab eo paulò supra positis, intelligens in figura Dauid occidentis prius Leonem, & postea Vrsum, virtutem humilitatis, & ita inquiens in Dom. 3. Quadragesi. *Et nota, quod prius Leonē,* & *postea Vrsum se dixit interfecisse, quia nemo luxuriam in se ipso potest mortificare, nisi prius spiritum superbiæ è cordis sui atrio laborauit expellere*.

Humilitatis insignia victa ab ea superbia in domo fortis.

II *B. BERNARDVS de Humenalis*, nomine, professione, & perfectione prædicto Bernardo consimilis. Qui etiam Seraphicus, & Apostolicus vir in cognomento, quod & humanum, & humanitatē dum sonat, aliquanto agnomini *Quintanalle* respondet.

III *B. BERNARDVS* alter, cui agnomen *de Morania*, alter, quia morabatur cum primo, & secundo Bernardo in humilitatis valle, Leone quoque, & Vrso cum Dauid ab eo, sicut à prædictis interfectis.

IV *B. ZACCHARIAS*, patria *Romanus*, & pro Romana fide pectore Apostolico robustissimus Minorita. Haud quidem simplici nominis sono *Domini memoriam* gerebat Zaccharias, alias nec in memoria Francisci fuisset, nec in memoria Domini, quæ erat in Francisco, vt postea in memoria æterna esset, ceu vir iustus, qui fide viuens, pro ipsa fide vitam propriam voluntariæ morti exponebat. *Memoria Domini*, quæ ipse erat (iam nunquam suæ professionis immemor) illam eandem memoriam aliunde ipsi tribuit, qua recordatus est Iacob Gen. 35. *Erigens tabernaculum iuxta turrem gregis*. Explicat enim Interpres noster serm. in die Sancto Paschæ.

Vide alia de Zaccharia lib. 1 de Discipulatu Frāc. ad an. 1212, num. 1

In Turre humilitas, in Grege pura simplicitas. Iacob ergo, idest vir iustus, erigit tabernaculum suæ vitæ, in quo militat, cuius vita militia est super terram. Circa turrem gregis, quia in humilitate est, quæ mater est puræ simplicitatis, & *constans existit. Et nota, quod iuxta turrem,* & *non in turre, quia vir iustus dum viuit, minus de se sentit, quam sit*. Hucusque Interpres, tangens memoriam Domini in Zaccharia viro iusto, in memoria æterna Domini posito, & ipse totus memoria in Domino factus circa ea, quæ de quolibet iusto explicauit Interpres.

Tabernaculum humilitas iuxta turrē gregis

V *B. CLEMENS Tuschus* inter hos nouem Minoritas nūcupatione Clemens, sed moribus clementissimus.

Est Clemens lenis, mitis, mansuetus: differt à placido, quod clemens sit circa rectè agentes, placidus circa delinquentes. Et clementis est nullis lædere, placidi arridere omnibus. *Clemens animo, placidus vultu est*. Terent. in Ad. Ex lenitate, mititate, mansuetudine, ac placiditate confecta in Clemente nostro clementia, illud planè omnibus videbatur pigmentarii vnguentum, quod ex Interprete nostro in die Sancto Pentec. alibi explicauimus, constatque *ex prima Myrra*, quæ est deuotio mentis, quam primò nobis eligere debemus. *Ex Cinamomo*, quod est cinerei coloris, & memoriam mortis denotat. *Ex Calamo*, ob melodiam confessionis. *Ex Casia*, quæ fides est. *Ex oleo* de oliuetis, in quo misericordia cordis intelligitur. *Ex his quinque* (subdit Interpr.) *debemus facere sanctum vnguentum, nos sanctificans opere pietatis, idest Spiritus Sancti compositum*. Qui Clemens est non tantum nomine, sed opere quoque, & opere, non natura, sed habitu, & electione; & electione, non vt simplex Christianus, sed vt Religiosus simul, hic vtique aptus est ad munus Apostolicum exequendum, sicut fuit noster Clemens, de quo Martyrolog. Franc. die Augusti 5. Hic verè lenis, mitis, mansuetus, placidus completissimè tenendus. Talis namque fuit ob deuotionem mentis, ob mortis memoriam, ob melodiam confessionis, ob fidem catholicam, ob cordis misericordiam.

Clementia sub sancti vnguenti simbolo.

Clemētia religiosa ex quinque cōposita.

1 *Mentis deuotio* vtrumque hominem componens, clementem efficit animum, ex quo statim exterius vultus placiditas, qua rapimur in Deum, & proximum, redundat;

Ex mentis deuotione.

2 *Mortis memoria* ipsam superbiam euertit, & Leones transformat in agnos.

Ex mortis memoria.

3 *Confessionis melodia* si propriorum criminum erit ex linito pectore, quod antea efferum in ipsum Deum reddiderant crimina, dulce melos promit, Dei pectus, ne in vindictam erumpat liniens. Si verò Euangelii confessio erit, ouium mansuetudinem suauiter personat, aiente Christo. *Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos*.

Ex confessionis melodia.

Fides

Ex fide Christiana.

Fides Christiana nisi sua genuina simplicitate ab eius exordio mitis fuisset in persecutionibus vsque ad martyrium, tirannos, ac barbaros nec sciuisset vnquã conuertere, vt eam amplecterentur. Nec valuisset eos terrere, vt in ea mirabili formidine cælitus concussi, obstupescerent. *Mitis est, quem mentis asperitas, vel amaritudo non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruit patienter*. Dictum est alias ex Interprete nostro serm. Dom. 12. post Trinit.

Ex cordis misericordia sex alis pennata.

5 *Cordis misericordiâ* cum sex aliis pennis quam celerrimè volat, exemplo Gruũ ad plurima acquisitione necessaria virorum clementium exercitia ex Doctore nostro impellit. Sic enim docet in Dom. 4. post Trinit. explicata prius historia de Gruibus, claudens suam similitudinem. *Simus enim misericordes sicut Grues. Vt in excelsa vitæ specula positi, nobis, & alijs prouideamus. Viam nescientibus ducatum præbeamus. Voce prædicationis pigros, & tepidos castigemus* (fortè in originali instigemus) *Alternatim labori succedamus. Infirmos, & debiles, ne in via deficiant, expectemus. In Excubijs Domini per orationem, & contemplationem vigilemus, Domini paupertatem, & humilitatem, & ipsius passionis amaritudinem quasi quibusdam delicijs apprahendamus*. Etsi aliquid in mundo subrepere voluerit, statim clamemus. *Vespertilonem, idest cæcam mundi vanitatem super omnia fugiamus*. Hæc Interpres, quæ nullus profectò verè misericors concipi posset, nisi verè Clemens esset, scilicet mitis, placidus, mansuetus, lenis, benignus, & vndique suauis, atque odore virtutum diffusus ad proximum, & quia mente deuotus, & quia mortis memor, & quia confessione melodicus, & quia fide sincerus.

Cordis misericordia ad nouem cogit misericordē

Benincasæ agnomen explicatur moraliter.

VI *B. BENINCASA de Tuderto*, de quo apud Martyrolog. die Septemb. 16. *Benincasa* Italicè est *bene in domo* Latinè, & est etiam bene in casa Latina locutio. Vox enim hæc *Casa*, extat apud Latinos, estque Domus rustica. *Ptolomæo peregranti Aegyptum cibarius in casa panis datus est*, inquit Cicer. in Tuscul. Et Virgil. 2. Eclog. *Atque humiles habitare casas*. Vtrum verò istud nomen sexto huic Missionario impositum sibi cognomen antea fuerat, vel necne, adhuc ignoro. Illud, quod nunc scio iuxta misticam Doctoris nostri interpretationem, ita se habet super illa verba Christi. *Domus mea domus orationis vocabitur. Felix illa domus* (explicat Doctor, loquens de domo spirituali, quæ est conscientia viri iusti, ac religiosi) *in qua reperiuntur ista sex*; sed ista sex, cum explicata sint in primo libro, & alibi etiã, addamus sequentia, antecedentibus immediata. *In hac domo*, inquit, *Christus, facit vnanimes habitare rationem, & sensualitatem, vt sensualitas rationi, & ratio suo superiori, scilicet Deo, sit obediens*. Inexplicabile adeò est quidem hoc vniuscuiusq; casæ bonum, vt statui primæ innocentiæ æquipararetur.

Duo habitatores in conscientiæ domo à Deo constituta.

Per istud siquidem bonum, quod in casam conscientiæ religiosæ ingressum habuit, ita ordinantur omnia, teste Augustino, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestiisque communia. Atque idipsum, quod excellit in homine, idest mens, & ratio subiiciatur potiori, quod est ipsa veritas vnigenitus Filius Dei; nec enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se subiiciat. Et hæc est pax, quæ datur hominibus bonæ voluntatis. Hæc vita, cui cõnumerari perfectissimè suspiretis. Vide eundem August. lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 2. & 3. Paucis verbis idem prorsus idicauit Interpres, subdens statim cum Psalm. 47. *Ipse*, scilicet Christus, *dabit virtutem, ne prospera eleuent, & fortitudinem, ne aduersa deijciant, plebi suæ*. Ex qua virtute, & fortitudine bonum casæ conscientiæ religiosæ ea cuncta ordinat, quæ attulit Augustinus, vt patet. Vnde necessariò sequitur, quod valde deplorabilis erit huiusmodi boni amissio, ob quã quælibet casa, seu domus Dei fit, teste ipso Christo, *Spelunca latronum*. Hominis conscientia (addit Interpres ibidem) fit latronum spelunca, cum euenit ei, quod dicit Isai. 13. Vide ibi, & pro nunc scito, quod benè admodum congruit nomen Benincasa Tudertino nostro, cuius conscientia nisi optima reperta esset, & vita, quam profitebatur, digna ad illud tam arduum munus exequendum, nequaquam cum aliis à Parente Francisco delectus fuisset.

Sine casæ bono, quã mala, atque infelix casa omnis.

VII *B. GVALTERIVS*. Si omnes huiusce prioris Missionis viri sanctissimi extiterunt, vt ferunt historici, & cum eis Annalista noster: ergo felix Sanctissimus *Gualterius* septimo loco in hoc ordine positus. Septimus Ordo Beatorum Spirituum (iuxta mentem Doctoris nostri, qui in schola Areopagica vix ingressus, vt studeret, factus est Magister, ad ipsũ suum docendũ Præceptorem aptissimus) continet Thronos, ascendendo ab infima ad supremam Hierarchiam, in qua tres Ordines ponit, scilicet, Thronos, Cherubim, Seraphim. Descendendo verò in septimo loco ponit Virtutes, quæ priores sunt Archangelis, & hi Angelis in infima

Locus septimus in Gualterio quid auspicatur.

Hierar-

Hierarchia. Interpretatio Doctoris super Thronorum significatum ita explicatur in serm. Dom. 21. post Trinit. *Throni sumus, cum nos in nobis humiliamus, & nosmetipsos iudicamus. Vnde Psal.* 71. Deus iudiciũ tuum Regi da. *Regi, idest viro iusto, Deus dat iudicium suum, vt seipsum ipse iudicet, ne Deus inueniat in eo quod condemnet.* Si nos (inquit Apost. 1. Corinth.) diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Hæc Interpres. Qui vt muneri suo Apostolico, quod exercebat, in reparationem Ecclesiæ iam missus à Beato Francisco ad plures Italiæ, ac Franciæ Regiones, idoneus esset, hanc præcipuam à Deo suo suspirabat gratiam, illis verbis immediatis. *O Deus, mihi da tuum iudicium, vt de tuo faciam meum, & faciendo meum, euadam tuum. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis.* Sed vbi antea Ordinis *Virtutum*, in septimo loco descendendo repertarum declararat simbola, dixerat breui, *in Virtutibus vita sancta miracula designantur.* Sanctissimus vir Gualterius vtroq; modo hoc septimo loco dignus proculdubio inuentus est, vt in ea Missione & ipse Dei Thronus, & Virtus dici possit cum aliis sanctissimis viris consociis suis. Tangit hunc beatum virum Vadingus sub eodem anno, & alibi.

Dei iudiciũ quare expetandum.

VIII B. IOANNES ignoti nominis, Sacerdos. Verè hic *Gratia Dei*, & nomine Martyris reapse notissimus, quo pacto & Sacerdotis ordine amplius promeritus. Tum quia addidit ordini spiritale Pontificis, ac Sacerdotis officium, quod ex Interprete nostro supra declarauimus, præcipuè illis verbis serm. 2. Dom. in Passione ad finem. *Sic spiritualis Pontifex, & Sacerdos homo efficitur, semetipsum Deo offerendo.* Tum quia, vt fieret tripliciter Sacerdos, nimirum professione, ordinatione, & martyrio, liberè obtulit morti vitam propriam pro Christi fide.

Hic quia fuit martir, tripliciter sacerdos extitit.

IV B. PETRVS, professione Laicus, qui & ipse gratia Dei cum Ioãne, & cum eodem, si non ter, saltem bis Sacerdos; fuit enim illi & in martyrio consocius. Et ipse Ioannes fuit cum suo Petro petra firmissima, Martyr cũ eo occubens ad annum Christi 1238. Valentiæ, vbi ambo simul cęperunt multis miraculis clarescere. Doctissima quidem Petri huius in statu laicali rudis simplicitas, alta sapiens eius in professione humilitas, vbi pro vita animæ vitam corporis exemplo suo docuit proiiciendam, pro nihilo habendã. Vitam animæ hinc nuncupo fidem Christi, sic enim me docens Magister meus in serm. Dom. 4. post Pascha. *Vita*, ait, *animæ fides. Per fidem, inquit Apostolus Ephes.* 3. *Christum habitare in cordibus vestris.* Ob hanc fidem sanguine, & vita corporali ab istis tam strenuis commilitonibus, Ioanne, & Petro defensa, factum est deinde fidei habitaculum ipsum Regium Palatiũ, ex quo antea exularat fides, & in quo duę hæ Franciscanæ victimæ mortis sententiã acceperunt, qua lætanter, ac gratanter accepta, mox in platea Ciuitatis veluti duo volatilia occisa sunt, testante Christo in serm. de Regiis nuptiis Matth. 22. *Altilia mea occisa sunt.* Vbi pulchrè Interpres Dom. 20. post Trinit. *Altilia dicuntur ab alendo, & significant viros perfectos interna charitate (nutritos) qui penna contemplationis superna petunt. Hi dicuntur occisi, quia per mortem carnis iam in requie sunt positi.*

Hic verè & martir cum Ioanne, sed bis sacerdos

Hi duo martires altilia occisa dicendi

Per mortem etiam carnis horum duorum Altilium, à Rege Valentiæ occisorũ, intrauit postea Rex ipse ad Regias Christi nuptias, in suamet Aula Apostolico apparatu celebratas. Legimus enim, hosmet anno 1220. iterum in Hispaniam alligatos, Valentiam Christi fidem Mauris eius Accolis prædicaturos, iuxta Sancti Patris Francisci mandatum tendisse. Verum vbi *Turolium* Aragoniæ Vrbem applicuere, ibi ob maximum illius populi affectum extructis duabus ex vili materia cellulis, cum plurimo animarum fructu prædicationibus, & orationibus incumbẽtes, post decennium Valentiæ peruenerũt Vrbem, magna animi constantia, magnoque fidei zelo, & martyrii desiderio inflammati, in Mahumeticam legem publicè inuecti ex *Azoti*, aliis *Zeitaabuezeit*, Valentiæ Rege mandato post iniuriarum, carcerumque opprobria, post admiratam eorum ad minas, & ad munera constantiam, in Platea decollari mandauit anno Christi 1231. 29. Augusti. Illorum Reliquiæ, demptis capitibus à Christianis, ibidem sepultæ, postea ad prædictam Vrbem Turolium per Iacobum I. Aragoniæ Regem translatæ fuerunt anno 1238. vbi cepeũt miraculis quamplurimis clarescere.

Occisi Valẽtiæ à Rege Azoto.

Ipse Rex Azotus facti pœnitens, ex maximo Christianorum persecutore non solum Christianorum fautor effectus est, verum Christi fidem amplexatus, baptizatus est, immò Regno abrenuncians, & sæculo, Palatium Regale, vbi præfati Martyres scripturam mortis exceperunt, liberrimè obtulit Fratribus, vt ex eo, & in eo Fratrum Minorum cœnobium fieret anno 1238. ob cuius conuersionem domus illa Satanæ, quæ antea dici poterat spelunca latronum (Mauri enim ad rapinam assueti, regna, & ditiones exterorum sedulo latrocinabantur, ac potiebantur) & domus conscientiæ regalis, quæ antea immun-

Rex Azotus fit Christianus, & eius palatium cœnobium Minorum.

immundorum affectuum lupanar erat, facta est domus Dei, & Angelorum, & orationis. Sic non amplius aliquid in illo ædificio, in Franciscanum domicilium deducto, labefactans, & iam deficientibus sæcularibus machinis, suis innotuit plane quanta egregiarum virtutum firmitas intus erat tam in illorum Religiosorum spiritualium fabricis, quam etiam in constructione nouæ mansionis animæ Regis, iam per Baptisma Dei habitaculum mirabiliter effecta. Vide hanc historiam fusè apud Vadingum in tom. 1. Ann. quã etiam ex pluribus aliis Scriptoribus affert Martyrol. die Augusti 29.

SECTIO III.

Ad eundem Annum 1216. Sub Stemmate Heliæ Prophetę, tres Ministros habentis.

Sub quo trium aliarum Missionum celeritas synopticè profertur;

Tres ministros habuit Helias.

IN aliis tribus Apostolicis Missionibus vias suas celerrimè currentem Heliam illum misticum intueor, immò & in quolibet ex Missionariis, quorum numerus vnum explebat ferè centenarium, de quo Interpres noster in serm. 4. de Martyribus ita scribit. *Helias tres Ministros legitur habuisse. Coruos, qui deferebant ei panem, & carnẽ, mane, & vespeei, 3. Reg. 7. Item Mulierem Sareptanam, quæ non habebat nisi parum farinæ in hydria, & parum olei in lecytho, vnde fecit panem subcinericium. Item Angelum 3. Reg. 9. qui obtulit panem subcinericium & vas aquæ.*

Coruos, qui denotant eleemosinarios

1 *Per Coruos* significantur diuites huius Mundi, qui etsi nigri sunt exterius per curam temporalium, tamen clamant *Cras, Cras,* idest de eleemosinis suis retributionem expectant in futuro; thesaurizantes sibi in Cęlo, & facientes sibi amicos de mammona iniquitatis. Sic crocitabat ille bonus Coruus Iacob Gen. 30. *Respondebit mihi cras iustitia mea.* Hi pascere debent Heliam, idest Christum in pauperibus pane, & carnibus, mane, & vespere. In quo notatur, *quod eleemosina debet esse bona, & pinguis, & frequens.* Vnde Zacheus Luc. 19. Ecce dimidium bonorum meorum, &c.

Mulierẽ Sareptanam, quæ carnis simbolũ est.

2 *Per Mulierem* Sareptanam intelligitur caro propter fomitem cõcupiscentiæ, interpretatur enim *incendium*. Hæc ministrare debet Christi panem subcinericiũ, cum oleo, idest austeritatem pœnitentiæ cum hilaritate, vtrunque enim ministrari debere Domino, docet Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua*. In ieiunio enim austeritas, in vnctione hilaritas significatur.

Angelũ, qui puritatẽ conscientiæ denotat.

3 *Per Angelum* intelligitur puritas conscientiæ, quæ ministrat Deo panem subcinericium, & vas aquæ, idest dolorẽ contritionis, & deuotionem charitatis. Hactenus Interpres, & ad rem nostram haud ineptè, vt in cõclusione apparebit.

Secunda Missio ad Galligures.

In secunda ergo illius prioris Capituli Generalis de præfato anno 1616. Missione destinati fuerunt ad Galligures, seu Prouinciales Galliæ Narbonensis triginta sex Viri Apostolici, sed horum quatuor tantum innotuerunt nomina. Fuerunt enim,

I *B. IOANNES Bonellus* de Florentia, Prouinciæ Minister, cognomine diminutiuo Bonellus, sed reuera, iuxta naturam vitæ perfectæ, quæ in dies proficit, integra causa cum quotidiano augumento Bonus.

Omnes hos beatos viros habes parũ superius partim ex Vadingo.

II *B. MONALDVS*, & ipse quoque de Florentia, atque sui Compatriotæ bonitatis singularis æmulus; fideque, Religione, virtutum, ac meritorum feracitate, necnon promptitudine ad ardua floridus.

III *B. CHRISTOPHORVS* de Romandiola, dupliciter Atlas, quia dupliciter Archetypum Mundum (de quo Interpres noster, quadruplicem mundum distinguens) scilicet Christum nominaliter, & spiritualiter ferebat. Vide supra lib. 1. vbi locuti sumus de Francisco, Lateranensem Ecclesiam, ne rueret, substinente.

IV *B. IOANNES de Penna,* Picœnus, qui alis gratiæ Dei pennatus, iuxta Interpretis nostri doctrinam paulò ante duplici sensu explicata, volabat cum aliis ad Apostolicum munus quam celerrimè explendum.

Eorũm simbolũ in quatuor ventis.

In his quatuor sanctissimis Minoritis, illos quatuor ventos habes, lector, quos bina interpretatione explicat Doctor noster super illa verba Ezech. 37. *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, vt requiescant.* Vbi Interpr. valde ad propositum nostrum serm. in die Sãcto Pent. Quatuor venti quatuor mundi partes sunt. *Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies.*

In

I *In Oriente* Christi Incarnatio, vel recordatio miserabilis ingressus.

2 *In Occidente* Christi Passio, vel memoria lamentabilis egressus.

3 *In Aquilone* Christi tentatio, vel consideratio infelicis status.

4 *In Meridie* Spiritus Sancti Missio, vel cognitio nostri reatus.

Ab his quatuor venit Spiritus Sanctus, & insufflat flatu gratiæ super interfectos gladio culpæ, vt reuiuiscant vita pœnitentiæ.

Iisdem quatuor ventis ob celeritatem promptitudinis ad seruiendum Deo, & Francisco assimilabantur proculdubio quatuor huius secundæ Missionis viri, qui ex triginta sex Missionariis nobis solummodo innotuerunt. Promptitudo enim obediendi cum sit actus voluntatis, in sua deliberatione omnem corpoream velocitatem superat. Detulisse hos quoq; prædicta quatuor iuxta misticum Interpretis intellectum, ita certum est, sicut certum, quod ad illud Apostolicum munus delegerit eos Franciscus. Igitur ab his quatuor, veluti à quatuor ventis venit Spiritus Sanctus, attulitque cũ Christi Incarnatione miserabilis ingressum recordationem. Cum Christi Passione lamentabilis egressus memoriam. Cum Christi tentatione infelici status recordationẽ. Cum sui ipsius missione, nostri reatus cognitionem. Qui mirè etiam, ac perabundè insufflauit flatu gratiæ super innumeros, spiritualiter gladio culpæ interfectos, vt reuiuiscerent vita penitentiæ, sicut in illis populis multimodè probauere profectus, & adhuc Seraphica Historia commemorat.

Hæc quatuor detulerunt cuncti ex illa missione.

Tertia Missio ad Galliam Belgicam.

In tertia Missione ad Galliam Belgicam, ac Parisiorum (hanc delectam plagam sibi reseruauerat inclitus Legislator, sed detentus à Cardinali Vgolino, destitit ab incepto itinere) tres egregii Fratres, ac Socii electi fuerunt.

I *B. PACIFICVS* Picenus, Poeta laureatus, & Rex versuum antonomasticè in eo sæculo dictus; in Poesi enim excellens erat. Sed tota huius mirandi viri in Ordine Minorum melodia, factus Vates Seraphicus, Cycnusque Apostolicus, fidei confessio, de qua paulò ante cum Doctore nostro. Ad quam etiam omnium egregiarum virtutum concentus harmonicè concurrebat.

Vide hos tres supra inter 78. discipulos Frãcisci.

II *B. ANGELVS Pisanus*, nomine, & virtute obedientiæ *Angelus*. Consiliorũ Euangelicorum custodia *Archangelus*. Vitæ sanctæ mirabilitate *Virtus*. Coercitione malignarum cogitationum *Principatus*. Oculorum *Potestas*. Linguæ *Dominatio*. Humilitate, seipsum iudicando *Thronus*. Plenitudine charitatis, quæ triplex est, sui Dei, & proximi *Cherubim*. Igne compunctionis *Seraphim*. Hæ sunt tres supernorum Spirituum Hierarchiæ, quas pluries ex Interprete nostro misticè ordinauimus.

Hierarchia omnis cælestis moraliter.

III *B. ALBERTVS* item Pisanus, de quo superius in Discipulatu Francisci cũ aliis quinque. Dum in hac Missione magnus hic Minorita ternarium numerum conficit, & cum eo tres missos consocios veluti vnum corpus insuperabili concordia compactum reddidit, tria simul remedia, quæ reliquerat suis Christus aduersus tria communissima vitia (ob quæ tribus armatam fulminibus Christi dexterã in mundi interitum viderat Franciscus) ostendit. *Omne quod est in mundo*, docet Interpretis postilla ex 1. Ioann. 2. *est concupiscentia carnis*; ecce labor. *Et concupiscentia oculorum*, idest auaritia, ecce concussio. *Et superbia vitæ*, ecce seruitus Diaboli dura. Et post pauca alia, subdit. Contra ista tria Dominus apponit remedia.

1 *Vita innocentiæ* contra carnis laborem.

2 *Spiritus paupertatem* contra auaritiæ concussionem, vel negociationem.

3 *Sui sanguinis passionem, vel effusionẽ* contra superbiæ sublimitatem. Ita in serm. Dom. 16. post Trin. Hæc proculdubio tria remedia, prædicatione, professione, atque obseruantia deferebant mirabiles tres hi Missionarii, Pacificus, Angelus, & Albertus, vitæ innocentia carnis laborem, spiritus paupertate auaritiæ concussionem, sanguinis Christi effusione superbiæ sublimitatem vnanimiter inuadentes, magnanimiter impugnantes, concorditer destruentes.

Eorũm ternarius numerus trium remediorum simbolũ contra tria vitia.

Quarta Missio ad vtramque Germaniam. Et aliæ septem alibi ad annos sequentes.

In quarta Missione ad Germaniam Superiorem, & Inferiorem sexaginta extiterunt Missinarii, quorum caput, & Antesignanus *B. IOANNES de Penna*, alter à memorato. Sed numquid tanti viri penna cum sociorum omnium alis omninò depressa ab illis populis, iam cum aliis pulsus, & hæc Missio inanis omninò reddita?

Cur inanis reddita hæc Missio.

dita? Nequaquam. Dormiens Iona in naui, ventus magnus magnam mouit tempestatem, *& nauis periclitabatur conteri*. Quid simile legitur in Act. 27. Concordant hæc duo pelagi discrimina, ac pericula cum historia Marci 4. de naui Apostolorum, *quæ in medio mari agitabatur fluctibus*, & Christus in illius puppi super ceruical multo sopore dormiebat. Quod explicans mistice Interpres in serm. Dom. 4. post Epiph. sic ait. *Christi dormitio fidei torpor. Puppis vita nostræ finis. Ceruical mollities carnis. Torpor in carnis mollitie. Cum caro nostra delicijs mollescit, fides Christi in nobis torpescit. Et sic anima puppi oculos claudit, quia delicijs intenta suæ vitæ miserabilem exitum non considerat. Sequitur.* Accesserunt, & suscitauerunt eum Discipuli, dicentes. Salua nos perimus. *Sine dubio perit, in quo fides dormit: Accessu ergo deuotionis, & clamore confessionis, & manu sanctæ operationis debet Dominus Iesus suscitari.* Hæc ille, & valde lepidè, vt video, circa Discipulos Francisci, qui ad hunc finem dumtaxat accesserunt ad Germanos, vt suscitarent Christum, cuius legis, & religionis Christianæ reparationem per suscitantem fidem exequi debebant. At Dæmon ratione linguæ Italicæ, vt affert Gõzaga, quam non intelligebat natio illa, & ob vitæ, & indumenti nouitatem, nouũ ventum suscitauit contra Missionarios illos, verè Apostolicos, quos si expellere tunc potuit, non tamen impedire valuit, quin postea maiori animo, ac celeritate redirent, vt patebit ad ann. 1221.

Quid Christi in nauis vitæ nostræ puppi dormitio.

In his alijs tribus Missionibus cum centenario Minoritarum numero, vno tantum deficiente, currentem, volantemque Heliam Christũ, vt supra tetigimus, habemus. Ob centenarii numeri misterium clarebat in omnibus vitæ, & doctrinæ Euangelicæ perfectio. *In centenario, qui numerus est perfectus, doctrina euangelica denotatur*, docet Interpres. Sed defecit in vno, quia haud tanta erat in Discipulis huius doctrinæ perfectio, quanta erat in Francisco eorum Magistro, ac Legislatore Euangelico, qui eos mittebat. Currebat cum illis Helias Christus, & in illis tres Ministros habebat; Coruos, Mulierem Sareptanam, & Angelum.

Numerus centenarius pro doctrina euangelica.

1 *Coruos*, quia iuxta monitum legis, quam profitebãtur, omnia, quę habebant in sæculo, Pauperi Christo in Christi pauperibus administrauerant.

2 *Mulierem Sarept*, quia vt hilares datores austerrimæ pœnitentiæ totaliter consecrati, subcinericium panem, cinereo sacco induti, ministrabant Domino,

Helia Christus in his missionariis currebat.

3 *Angelum*, quia conscientiæ puritatẽ itidem ipsi Christo administrabant. Primum fecerunt in conuersione. Secundum, & tertium exequebantur in ipsa Missione, in qua & vt hilares, & vt Angeli ob celeritatem, ea, quæ quærebant, non erant sua, sed Iesu Christi.

Alias septem Missiones tetigimus puncto 4. cap. 4. libri 6.

SECTIO IV.

Sub stemmate Gigantis.

Sex Seraphim alis impigrè currentis ad annum 1220.

CÆteros annos supradictos immediatos, nimirum 1217. 1218. 1219. quibus itidem per alias missiones, quarum septem contingerunt anno 1219. apparet celeritas, & diffusio legis, & instituti Minorum, iam superius in cap. 4. posuimus. Alios verò annos, scilicet 1220 1221. & 1222. in ordine tantum ad discipulatum Francisci (non autem ad suæ legis, & instituti celerem per Orbem progressum, quem modò sub iisdem annis perstringimus) dedimus in cap. 5. sequenti.

Ad annum igitur 1220. in quo etiam ad Comitia Generalia illicò Fratres conuenerunt in festo Sancti Michaelis Archangeli, admiranda prorsus hæc diffusio, ac propagatio, quã synopticè adhuc prosequimur, existimanda est, & hoc præcipuè propter quatuor.

1 Ob Legislatorem Franciscum, qui reuocatus per socios ad Occidentem, denuò inuisit Soldanum, cuius totali conuersioni, ac Baptismati socii eius ab ipso Patriarcha illic hac ratione relictis, sollicitè inualuerunt. Venetias appellens idẽ Vir Sanctus, Patauium, Bergomum, Lacũ Banacensem, Cremonam, aliasque Lombardiæ vltra, citraque Padum, venit Bononiam, vbique cum suæ legis, & instituti augumento, aggregatis viris præcipuis suo sodalitio ex studio Bononiensi. Hos dedimus supra post cap. 4.

Francisci celeritas ad Oriente ad Occidentẽ.

Dum vides Franciscum, adeò breui ab Oriente ad Occidentem translatum, & in Occidente plurimas eodem anno circumeuntem Vrbes, velim præ oculis eum habeas, vt Gigantis Christi sequentem celeritatem, simul cum eo ad opus reparandæ Ecclesiæ impigro cursu, & animo applicatum. Docet enim Interpr. noster

Dom. 5.

Christi Gigantis cursũ à quibus sequendus.

Dom. 5. post Trin. *Christus Gigans gemmæ substantiæ cursor leuis explicans vias suas, exultauit ad currendum negotium, pro quo venerat, perficiendum. Qui vult ergo sequi eum, necesse est, vt omnia relinquat, deponat, & postponat, quia currentem sequi non potest oneratus.* Hæc ibi Interpres. Et in serm. Dom. 11. post. Trinit. super illud Isaiæ 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim*, intelligẽs in illo vno Seraph Christum, sex alas tribuit illi cum eodem Isaia illis verbis. *Vocabitur nomen eius Admirabilis. Consiliarius. Deus. Fortis. Pater futuri sæculi. Princeps pacis.* Hisce Seraphicis alis volabat Seraphicus Legislator in opus reparationis, quibus volauerat Deus Homo in opus Redemptionis. Imò ipse Deus volabat in Francisco, quod in ipso Deo ob Deũ, & eius legem, & Ecclesiam primus *admirabilis* extitit in munere reparationis in signis, & prodigiis. Primus *Consiliarius* ad amplectendam illam legem, & vitam, quæ prima excellebat in toto Orbe. Primus inter eos, ad quos ipse Deus *ego dixi Dei estis*, quia primus, & adhuc non habet secundum, qui per quinque cruenta stigmata, & quatuor perduros clauos Christo assimilaretur. Primus *fortis* in aggrediendũ arduissimum Reparationis Ecclesiæ negotium. Primus *Pater*, & Patriarcha futuri sæculi, qui tres leges, & Ordines instituit. Primus *Princeps* illius pacis, cum qua incepit pœnitentiæ prædicationem, cum qua semper locutus est, cum qua tandem vt Princeps pacis in pacis Christi reparationem, defectu cuius periclitabatur Christianitas, de quocũq; spiritali bello, imò & de ipsa morte feliciter triumphans, summa pace decessit.

Ipsi sex alis Christi Christum suũ sequebatur Franciscus.

Vndecima Minorum Frat. Missio Franciscanã legem versus Africam explicans, quinque suos Apostolos, quos anno antecedenti Martyrij sitis pennatos reddiderat, hic annus 1220. sãguine laureatos inspexit.

II Adnotatur præfata celeritas ob Missionem illam celeberrimam ad Africanos in Regno Marrochii anno antecedenti 1219. executioni mandatam. Verũ Sancti Martyres, & Apostolici Missionarii illi sub numero quinario simul, & à Rege Miramolino in Vrbe Marrochii occisi, iterum hoc anno post Beatum Martyrẽ Electum, qui ponendus est ad annũ 1219. ampliori purpura cinerea legis Minorum insignia explicuerunt. Ante completionem vnius anni expediuerunt sese à tam longo, ac perdifficili itinere, & tamen pedes vsque ad extremam Europæ plagam, quæ est Lusitania, illud effecerũt hi strenui viri ab omnibus penè ignoti, à cunctis despecti, & expulsi. Mox à Lusitania reliquum iter per mare, nunc à Portugallia ad Marrochium, nunc Marrochio ad Christianorum oras, nunc ab iis iterum ad Marrochium, vbi tandem capite plexi sunt, compleuerunt. Leues erant pedes, celerrimi, & sine mora, sine loculis, sine sacculis, sine cura de victu, de hospitio, de equis, & famulis, sine vllo dissidio, atque impedimento pro expensarum optimorum ciborum solutione in Tabernis, & in locandis domibus.

Cinerea legis Minorũ insignia martirii purpura rutilãtia.

Ingenti profecto huiusce missionis celeritate completa.

Quilibet ipsorũ erat duo homines, scilicet interior homo erat, & homo exterior erat. Homo interior ambulabat pedibus animæ, qui sunt affectus, quorum motus est velut instantaneus. Homo exterior pedibus corporis sequebatur eundem animæ motum, & quoad poterat, nullo oneratus grauamine, illum in sua celeritate imitabatur. Eorum nomina, de quibus enucleatius in 1. tomo Hierarchiæ. S. Martyr Petrus. S. Mart. Accursius. S. Mart. Adiutus. S. Mart. Otho. Quot vulnera in Christi, & Francisci corpore, tot pariter & hæ victimæ Franciscanæ, pro Christo vulnerato mactatæ, ad legũ Christi, & Francisci, Christi vulneribus confossi, exaltationem, & propagationem.

Quilibet erat duo homines.

Professio legis Minorum tanto in sui diffusione velocior est, quantò suos Minores dici, & esse effectu, & affectu sine rerum temporalium onere strictè precipit. Quamobrẽ ex se ista professio quasi naturaliter reddit suos animo, & corpore alatos, atque expeditissimos, vt properent, festinentque ad id (ruptis quibuslibet repaculis) ad quod lex eadem constringit, & primum est, & principale, nimirum ad opus reparationis Ecclesiæ. Cum autem hoc reparationis opus operi Redemptionis maximam preseferat similitudinem, necessariò cohibet suos, vt cum Francisco Christi morem quoad posse per totam vitam imitentur. Morem Christi in negotio Redemptionis explicat ipsemet Redemptor illis paucis verbis Psalm. 61. *Cucurri in siti.* Vbi Interpr. noster in serm. Dom. 1. Aduẽt. ita scribit. *In quanta sollicitudine triginta tribus annis propter opus suum perficiendum fuerit Dominus semper, satis apertè Euangelium protestatur.* Vnde Psalm. Cucurri in siti. *Tanto enim desiderio currebat ad Crucem, quasi in fornacem, vt ibi consolidaret opus suum, atq;* conju-

Celeritas in Minoritis ad repar. Eccl. eiu naturalis est.

Mos Christi sequendus à Minoritis in opere reparationis Ecclesiæ.

consummaret; quod Pilato non respondebat, ne fortè nostræ salutis negotium impediretur.

Quid simile ostenderunt quinque Martyres nostri, dum Rex Miramolinus principio eos fecit remitti ad terras Christianorum, vt habetur in Chronicis. Nam vix ibi appulsi, ne opus reparationis Ecclesiæ, à sanguine etiam Fratrum Minorũ iuxta legem sibi traditam perficiendum, impediretur, statim liberè, ac spontè ibidem redierunt, & Missionem, & Martirium nondum expleto anno vno cõsummauerunt. Hic cursus ad sitim martyrii pro communi bono Ecclesiæ fit medium excellens ad excellentissimum premium. Oritur potissimum ex lege Minorum, dũ fouet suos ad aliam vehementissimam impulsionem, quam Interpres noster super illud Ecclesiastici 4. *De carcere, catenisque interdum quis egreditur ad Regnum*; ita pulchrè explicat, loquens ad rem de vno Martyre in serm. 1. *Quia igitur Sancti corpus suum carcerem reputant, ideo vigiliis, & abstinentijs ipsum domant, & macerant, vt citius exeat incarceratus spiritus, scientes, quod exitus eius erit ad liberationem, & gloriam.* Nulla lex, siue Regula intra Ordines Mendicantium, siue non mendicantium sic mandat suis apostolicam hanc vigiliarum, ieiuniorum, macerationis corporis curam, sicut lex Minorum, in qua præcepta multa extant sub mortali circa tales mortificationes. Quare non mirum si strenui eius obseruatores, vt Christi, & Francisci veri imitatores, vbi eam ad literam obseruant, eosque charitas Christi vrget, se offert ipsis occasio discriminis, ærumnarũ, famis, sitis, mortis pro Romana fide, cursum ad moriendum, vt sitibundi citò arripiunt, ab illa siti veluti impatientes prouocati, quã ardenter cupiunt, *& citius exeat incarceratus spiritus*, scientes &c.

Cum viri sãcti corpus suum adeò malè tractãt

III Ostenditur hoc quoque anno admiranda celeritas legis, & instituti Fratr. Minorũ ob ad idẽ transitum auspicatissimi Doctoris, & Interpretis nostri Fernandi de Lisbona ex illustri prosapia Bogliones, de qua aliàs latinè, ac italicè poesi, ac soluta oratione plura tradidi. Qui mirè conceptus anno 1196. sub Celestino Tertio Vrsino, & sub eodem natus, & iam vnigenitus in domo sua factus, & per annos quindecim sanctè in sæculo educatus, Clericorumque Regularium Sancti Augustini Ordinem annis vndecim multa cum laude professus, hoc deinde anno 1220. quinque Martirum Marrochii triumphum æmulatus, Minorum legem, & institutum amplexus est. Totam Interpretis nostri imaginem à sua conceptione vsque ad mortem, in eius doctrinæ speculo tum historicè, tum allegoricè relucentem, italicè iam delineaui. Extat opus inter MS. mea, licet exemplari malè scripto, nõdum benè distincto obscurè in suis locis signato, neque ad totalem perfectionem redacto. Gesta D. Antonii, quia omnia diuina (maximè ex quo statim ex peculiarissimo Dei consilio, & inspiratione, nulli tempori subiecta ab vno ordine transiit ad alium ob vehementissimum martirii desiderium) omnia quoque pro dilatatione legis Minorum, quam defendit acerrimè, ac propagauit celerrimè, & pro fidei Catholicæ reparatione solo vno decennio, quod compleuit inter Minores, & cum eo ætatẽ annorum 36. conclusa sunt. Annos 26. habebat, quando vix ingressus Minorum Ordinem ab Africa, vbi se transtulit, vt Christi martir euaderet, ea celeritate venit ad estremas Italię plagas intra paucos menses, quam Deus præstitit naui, vbi ascenderat, eamque incredibili, atque continua impulit tempestate, vt sine vlla mora ad Siculos perueniret.

S. Ant. de Padua hoc anno professus est legẽ Minorum.

In suæ doctrinæ speculo èlucet ipsa eius imago.

Gestorũ D. Antonii de Padua mira pro reparanda, propagandaq. cũ Minorũ lege Ecclesia, celeritas.

Anno integro in Romandiola apud Eremum Fratrum Minorum Sancti Pauli maxima abstinentia, corporisque maceratione contemplationi vacauit. Annos duos expleuit in schola Vercellensi, vbi in illo percelebri discipulatu Magister euasit, ad summmet docendum Magistrũ aptissimus. Itaque cursu annorum septẽ factus est in desertis Ordinis Fratrum Minorum, & Ecclesiæ Catholicæ hortus voluptatis in vita, & post mortem; & nunquam deserti solitudo, vt ipse explicat Dom. 3. in Quadrages. Disputauit in tali hortu voluptatis, vt nouus Christi Salomon aduersus peccatores, & Tirannos prædicatione, aduersus sapientes huius mundi, qui non Christi, sed sua vndique quærebant, & aduersus hæreticos disputauit professione. Illos Apostoli Pauli ense conuixit, & conuertit, hos Augustini sui malleo percussit, & sanauit. Disputauit, inquio, vt nouus Christi Salomon super tria ligna Paradisi, quæ moraliter in suo spiritali Paradiso vestita floribus, onerata fructibus eminebant. Nam disputauit super lignum, quo vescebatur Adam, super lignum vitæ, & super lignum scientiæ boni, & mali. *Ista tria ligna* (exponit ipse Dom. 5. post Trinit.) *sunt tres virtutes, Memoria, Voluntas, & Ratio. Fructus memoriæ est Dei delectatio, fructus Voluntatis operatio boni, fructus rationis, boni, & mali distinctio, &c.* Vide reliqua ibi, nam ex eis tota imago vitæ, & mortis ipsius egregiè erumpit.

Ipse in desertis Ordinis, & Ecclesiæ paradisus, in quo disputauit super tria ligna.

Totum

Ipse totius codicis Biblici, quem mente retinebat, archa & armariú.

Totum Bibliorum Codicem veteris, & noui Testamenti memoriter adeo conseruabat Antonius, vt omnem Sacram Scripturam integrè restituere posset, si ab Ecclesia deperderetur; teste Vadingo sub hoc anno 1220. Hinc meritò ARCA TESTAMENTI nuncupatus est à Gregorio Nono, dum hic Romæ coram eo, & omnium Purpuratorum, Prælatorum, ac Principum Romanorum aula sermocinaretur. Quare siue legendo super Cathedras, siue prędicando super Pergama, siue canendo in Choro, siue domesticè loquendo, multiplex erat in eius memoria de Deo delectatio. Operatio deinde bona in eius voluntate tales edidit sibi, Ordini Minorum, & Ecclesiæ fructus in tam breui tempore, quales genuini sunt Spiritus Sancti gratiæ erga præcipuos, & valde singulares Ecclesiæ viros. *Nescit tarda milimina Spiritus Sancti gratia*, ait ipse cum Diuo Ambrosio, loquente de Virgine. Fructus insuper rationis in Antonio ostēdunt eius dicta, & facta, & cuncta mirabilia, & adhuc per quatuor secula, & amplius assiduis, diurnisque miraculis comprobata.

Recitans nocturnas horas apparuit illi Iesus infantulus.

Ex hisce fructibus, qui & simul flores Liliorum erant in virgineo eius candore, allectus Iesus, qui sic est flos, quod cum hoc simul & fructus (teste eodem Anton. fer.4.Dom.1. Quadrages) sub infantuli specie supra eius librum nocte se posuit, dum nocturnas horas ille recitabat. Eandem hanc historiam ipse postea allegoricè tradidit scriptis suis pluribus in locis, cum Francisci paupertate ditatus, & Minorum humilitate maceratus, ob has maximè post illud triduum, de quo alibi diximus ex eius serm. in Domin. 1. post Epiphan. Iesum in manibus adhuc viuens portare valuit, & post mortem, etiam in picturis, siue sculpturis, veluti indeficientem miraculorum, & gratiarum fontem per totum Orbem gestare. Ait namque Dom.infra oct.Natiuit. *Ipsum Iesum paupertas in humeris portat. Humilitas verò ad pectus, & in brachijs*. Sed relictis multis aliis locis specialiorem locum existimo illũ, in quo sic tenerrimè loquitur Cant.6 *Descendit dilectus meus in hortum suum, vt colligat lilia. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*. Quod ita exponit in fer.Dom. 12.post Trin.(& nos alibi tradidimus) ac si semetipsum viuissimo veluti icone exprimeret. *Hortus dictus eo quod semper ibi aliquid oriatur, nam cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Hortus est anima viri iusti, quæ continuè fructificat, & nunquam sine fructu est. Ad hunc dilectus descendit, cum Dei filius ipsi gratiam infundit, in cuius interiori, & exteriori munditia requieuit*. Ego (dicit anima viri iusti) sum appropriata dilecto meo, & ipse mihi. Vnde Psal. *Dominus pars hereditatis mea. Ipse mea hæreditas, & ego eius*.

Iesu requies eius spiritualis paradisus.

In eo Christi mons ob antonomasticam sáctitatem.

In hoc horto, ac Paradiso deliciarum dum *Antonius antonomasticè Sanctus* nuncupatur, eminet eius sanctitas, excelletq; iure meritò, circuens velocissimè lege, & instituto Minorum veluti alata penè Europam cunctam: facta est tam magna sanctitas ob tantam eminentiam, atque excellentiam mons ille, de quo Ioann.6. *Subijt in mōtem Iesus, & ibi sedebat*. Omnia enim, quæ encomiasticè affert de eodem monte Interpres, reperiuntur in ipso, in quo subiit Iesus, & sedit, & transformauit se in figuram gloriosissimi pueri, & fecit ipsum campum victoriæ aduersum Satanam, & docuit vitæ perfectionem, & aperuit scholam sapientiæ, ostendens quoque eminentiam vitæ. Et patefecit se vt speculum charitati erga genus humanum, quotidianis gratiis indigens, & constituit aulam refectionis ad subleuandam Ecclesiæ ægestatem. Et erexit schalam ascensionis, suorum iam deuotorum Dux tutissimus effectus. Verba enim eius propè finem serm.Domin. ita se habent. *Ascende ergo ad montem istum pretiosum, & admirandum, quem Christus fecit*.

Ibi campus victoriæ.

1 *Campum victoriæ* Matth.4. nam ibi victus est Dæmon, & sic vitæ perfectionem docet.

Schola sapientiæ.

2 *Schola sapientiæ*, Matth.5. quia ibi docebat, & sic est eminentia vitæ.

Speculũ charitatis.

3 *Speculum charitatis*, quia ibi transfiguratus, Matth.6.

Aula refectionis

4 *Aulam refectionis* fecit in scabellum, quando Cælos ascendit.

Schala ascēsionis.

5 *Schalam ascensionis*, &c. *Ad hunc ascendere non possumus, nisi Christus præcedat nos, quia sine me nihil potestis facere*. Sed ad quartam huius anni 1220. celeritatis legis, & instituti Minorum causam, relicta Interpretis nostri celeritate, cuius mentio dum me recreat, rapit, reficit, reddit alium, quamuis nihil aliud sim, nisi res putrida, stomacosa tabedo, neq; vt canibus iaciar aptus, neque vt ipsis sterquiliniis proiiciar dignus. Reddit inquam alium, quia in eius sanctitatis monte ita Iesus manet, moraturque sicut in monte Olíueti, ex quo miracula tam crebra veniunt. Ipse ait fer.5.Hebdom.1. Quad. *Demoratus est in montibus, quia in culmine virtutis, & perfectionis; sed demoratur nunc in mōte vberrimo misericordiæ suæ; in monte scilicet Olíueti, in monte, vbi fluenta gratiarum scaturiunt*.

Demum

Aliæ huius anni apostolicæ missiones.

IV Demum apparet hoc anno legis, & instituti Minorum celeritas ob alias missiones ad Gallos, Anglos, Belgas, & Hispanos, pro quorum circa nomina missorum notitia dum remitto lectorem Vadingo, hic solum patefaciam missionariorum celeritatem sub peculiari stemmate mulieris illius parturientis, & aquilinis alatæ pennis, quam vidit, & descripsit Ioannes Apoc. cap. 12. & de qua ita moraliter Interpres noster in serm. Dom. 1. Quadrag. *Mulier hæc est anima, quæ debet esse fœcunda, & sedula, & gratiosa*, Prou. 11. Mulier gratiosa inuenit requiem.

Quartũ stēma, Mulier alata Apocalipsea.

Hæc clamat parturiens, dum ingemiscit pro culpa commissa ad gratiam. Isai. 26. *Ad faciem tuam Domine* (quam scilicet ad nos clementer vertis Psal. Ostende faciem tuam, & salui erimus) *concepimus* per voluntatem, & quasi *parturiuimus* per delectationem, *& peperimus* spiritum saluti; spiritum videlicet timoris, qui est initium sapientiæ; vnde benè dicitur hic, quia peperit masculum, quia timorem sanctum, & perfectum.

Draco iste deuorare cupiens, est ille, de quo 1. Petri 5. *Aduersarius vester Diabolus* &c. sed rapitur vsque ad Deum *filius per tempus*, idest vsque ad diuinam protectionem, & defensionem.

Cur huius mulieris alæ aquilinæ.

Mulieri dantur duæ alæ, scilicet ieiuniũ, quo corpus superleuatur, ne anima deprimat, & oratio, qua mens, siue anima ascendit in Deum. *Hæ duæ alæ vocantur Aquilæ* propter sublimitatẽ perfectionis. Iob 39. *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila?* Et propter agilitatem incessionis, & propter extẽsionem dilectionis. Deuter. 31. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos expandit alas suas* &c.

Dicuntur quandoque eius alæ columbinæ.

Dicuntur quoq; alæ Columbæ propter puritatem. Psalm. *Quis dabit mihi pennas sicut Columbæ?* Item propter donum Spiritus Sancti, cui propter duo Columba consecratur. Hæc Interpres, ex quibus plures causas colligimus, cur adeò celeres extiterint primi illi Discipuli, ac veri imitatores Sancti Patris Francisci, qui in diffusione suæ legis, & instituti vt Aquila grandis magnarum alarum visus est, & admiratus in suis missionibus, & missionariis, qui tam citò omnem Mundum adimplerunt, mores informarunt, fidem propagarunt, Ecclesiam eparant.

Quilibet ipsorum animo erat prędicta Mulier Apocalipsea, sicut quilibet ipsorũ indefessus, acerrimusque suæ legis, quam profitebatur, obseruator erat. Singulorum mens ad sanctam æmulationem P. Francisci fœcunda, semper sedula, & gratiosa, semper quoque parturiebat, quia semper ingemiscebat pro culpa commissa ad gratiam. Partus eius à Deo protectus, ac defensus aduersus Satanæ molimina, sicut dabat cunctis spiritum salutis, ac timoris Domini; ita veluti cælestis pedagogus *docebat eos omnem veritatem, non humanis sapientiæ verbis*, sed more Apostolico, vt apostolicè saperent quæ oportet sapere, ab illis, qui euangelicè viuunt, & vitam apostolicam profitentur. Sancti Spiritus afflatus in omnium alis, & Aquilinis, & Columbinis simul, omnium accelerabat volatum. Omnium vita tota ieiunium assiduum erat, tota oratio, puritas, simplicitas ad instar vitæ Frãcisci, ac proinde tota celeritas, tot pennis, alisque conferta.

Missionarii illi Minoritæ vt aquilæ, & vt columbæ in muliere apocalipsea volabant.

SECTIO V.

Sub Amoris Diuini Stemmate.

Ad Annum 1221. in quo legis Minorum vexillum nunc Apostolicam plurimorum suorum magnanimitatem, nunc septenam Martyrij aureolam miro triumpho explicat.

Apostolicus Fratrum Minorum cursus legem explicans Seraphicã, nulla difficultas vnquam eum præpedit, quin ab ipsius exordiis in suis per orbem terrarum missionibus reparationis totius Ecclesiæ opus intrepidè, ac celerrimè prosequeretur.

Duo amores cælestis, & terrenus.

In hoc vno, ac solo anno duos amores, scilicet terrenum, & cælestem, ambos cursu velocissimos sed alterum (quia alatus est, & non cœcus, sicut est alter) longe altero velociorem, nunc breui persequemur. Amor terrenus, innumeras animas cuiusuis status, & sexus, ne dicam cunctas, eo tempore fornicarias constituerat, & ad publicum lupanar exposuerat. Ipse, ipse erat, qui ad totalem Ecclesiæ interitum incredibili festinatione volabat, quia ipse profecto tunc erat, de quo Interpres noster, qui illo sæculo aduersus eum exierat, in serm. Dom. 23. post Trin. super illud, *Abeuntes Pharisæi*, &c. Matth. 22. Sed quò abierunt? perquirit Interpr. & statim sic respondet. Vxor fornicaria dicit Oseæ 2. *Vadam post amatores multos, qui dant mihi panes, & aquas meas, & lanam meam, & linum meum, & oleum meum, & potum meum.* Vxor fornicaria est quælibet anima,

Mulier fornicaria spiritualiter.

anima, spiritualiter fornicans, quæ post amatares suos vadit, cum carnis sensibus obedit.

Quid mistice panis.

1 *Per panem* intelligitur delectatio, & prosperitas sæcularis. Iob 33. *Abhominabilis fiet ei in vita sua panis.*

Aqua

2 *Per aquam* luxuria. Iob 4. *Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.*

Lana

3 *Per lanam* innocentia in superficie. Vnde Leuit. 13. *Quod albor in cute lepra est.*

Linum

4 *Per linum* subtilitas decipiēdi. Isaiæ 9. *Confundentur qui operabantur linum, plectentes, & texentes subtilia.* Vnde dicitur, quod linum molle sit, & leue.

Oleum

5 *Per oleum* adulatio. Psal. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Ecce quod Pharisæi abierunt, sed consilium inierunt. Hæc Interpres de Anima Pharisæorum, nimirum vtriusque sexus, & status personarum, à Deo, & ab Ecclesia, siue per fidem mortuam, siue per schismata, & hæreses diuisarum, fornicariatum simul, & abeuntiū post amatores suos, hoc est ad *panem* delectationis, & prosperitatis sæculi. Ad *aquam* spurcissimam sacrilegæ impudicitiæ. Ad *lanam* simulatæ innocentię, quæ lepra est valdè nocua, ac præiudicialis. Ad *linum* subtilitatis in decipiendo. Ad *oleum* adulationis, quod nunc super illam aquam effusum, nūc super illam lanam conspersum, & super illud linum vt lucerent, sollicitabat suos ad consilium aduersus Iesum, eius Ecclesiam, vt demum rueret iteratis ictibus percutientes. Vel aliter expressius, & breuius, licet parum diuersè, ex Dom. sequenti 24. in qua Interpres cunctas illius temporis amplectitur corruptelas. *Vadam post amatores meos*, &c. Amatores, ait, sunt Dæmones, vel affectus carnales, per quos vadit anima, quando eis consensit. Qui dant ei panes, & aquā, & aquam, & lanam, & linum, & oleum, & potum, &c. *In panibus gloria temporalis pompa significantur. In aquis luxuria, & gula. In lana hipocrisis, & fallacia. In lino pecuniæ amor. In oleo adulationis nitor. In potu dignitatis ardor.*

Ad hæc celerrimè, ac præcipitosè vadit anima fornicaria.

Quid est ire post amatores.

Ex his omnis mundi vanitas conflatur, ad quam dum anima fornicaria haud abit simpliciter, sed currit, sed volat, & vt cæca volat, terrenorum amorem, quem dicunt Cupidinem in suo scuto, seu vexillo explicans pro stemmate. Hanc eandem vanitatem, & eius damnationem describens Ioann. in Apoc. cap. 17. sub specie mulieris, ac meretricis magnæ, cū qua fornicati sunt Reges terræ, sedentes super bestiam coccineam, &c. ad cuius poculum aureum, plenum abhominatione, & immunditia, turmatim populi festinabant, ita Interpres noster exponit, ac simul suspirat, & plorat. *Quicumque hoc poculo potatur, sitiet iterum, & vtinam non arderet cum purpurato illo Epulone in æternum. Heu heu omnes ferè video currere ad potandum de hoc poculo.* Hier. 2. Cursor leuis explicans vias suas. Onager assuetus in solitudine in desiderio animæ suæ, sed attraxit ventum amoris sui. *Sicut ventus, ore aperto attractus, non extinguit sitim, sed magis accendit: sic dignitatis vanitas aliquando potatorem suum ipsa siti interficit.* Hactenus Interpres, apud quem meditanda quidem, ac maturè pendenda illa coniunctio; *Cursoris leuis cum onagro in solitudine.* Onager est Asinus siluester. Varro 2. de re rust. cap. 6. *Asinorum duo genera, vnū ferum, quos vocant onagros, alterum mansuetum.* Amori terreno, in pueri forma depicto, habenti ad tergora pennas, arcum, & sagittas in manibus, oculosq; velatos, vtrumque genus asinorum adiungi potest, alterum ferum, quia in suos amatores crudelissimum est, alterum mansuetum, quia stoliditate maxima, nimirum asinina (quam Interpres Dæmoni quoq; attribuit) suos afficit.

Vt cursores leues, & vt onagri siluestres currūt homines ad mundi vanitatem.

Amoris terreni imagini duplex asinorū genus coniungēdū.

Hic amor, eò crudelior, quo in sua stoliditate mansuetior, atque insensibilior, quamuis à Dei vindicta, vt in Ecclesiæ lapsum liberè festinaret, permittebatur, eius tamen pietas amatem cælestium aduersus eum destinauit, *misericordia motus*, ne sponsa sua periret.

Verum vt posset omnimodè de illo quam celerrimè triumphare, nam ille celerrimè quoque de animarum pernicie ob victorias multas triumphabat, tradidit Franciscus legem, à suis Minoribus profitendam. Isti namq; ex vi professionis, & in secūdo Baptismate, & ex ligamine multorum præceptorum, gloriæ temporalis, pompæ, luxuriæ, & gulæ, hipocrisi, & fallaciæ, pecuniæ, adulationi, dignitati, ac cunctis terrenis bonis renunciantes, sub velociori amoris Dei cursu ac volatu aptissimi forent, ad omnem vincendam difficultatem, & in celerem amoris terreni interitum, qui tam celeriter Christianam Rempublicam vndique depopulabatur.

Amor diuinus ad amoris terreni interitū totus ordinatus.

Angelus Domini descendit de Cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum, Matth. 28. quod sic explicat Interpr. alibi datus ex serm. in die Sancto Paschæ. *Angelus est gratia Spiritus Sancti, quæ lapidem ab ostio monumenti remouet, fragilitatem confortat, omnem asperitatem mollificat, & omnem amaritudinem sui amoris balsamo dulci-*

dulcificat. Equus (inquit Salomon Prou. 21. *idest bona voluntas)* paratur ad diem belli, & Dominus salutem tribuit; *Quia Amanti nil difficile.* Hucusque Interpres.

Cur celerrimus in rebus suis.

Sed cur amanti Deum nil difficile? Respondeo, quia Diuinus amor in creaturis volat, vt videns obiecta, quæ diligit, non autem vt cœcus, sicut est terrenus amor. Propterea totus celeritas est, totus oculus inter ipsas difficultates, quæ plerumque, amore proprio, ac carnali interposito, insuperabiles videntur. Præceptum de amando Deo, Apostolis, ac Viris Apostolicis à Christo intimatum, ex nouem nobis innotescit, iuxta Interpretis nostri doctrinam. Quatuor considerantur in seipsis, quinque per comparationẽ ad totidem, quæ reperiuntur in Deo, nos summè amante, ac diligente. Præcepit Dominus amorem, ait serm. 6. de Apost. super illud Ioann. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem,*

Amor Dei tributum de omnibus.

1 *Vt dilectio sit tributum de omnibus bonis, quæ nobis tradidit Deus,* Deuter. 20. Roman. 13. Qui hoc debitum non negat Deo, dignus est omnibus creditis, Malach. 1.

Est onus leue, & ideo promtissimus

2 *Ne possit aliquis excusari;* hoc enim est onus leue, ac iugum suaue. Matth. 20. & Deuter. 13. In promptu enim est Deum diligere, & amando adire. *Si enim amor tuus donandus est,* non poteris eum melius collocare, quam in Deo, qui omni amore est dignissimus, & amantem se semper redamat. *Si est vendendus,* multo pretio emet eum, qui sanguine suo propter eum vos emit, 1. Corinth. 6. & 1. Petri 1. *Præterea si venalis,* regnum promittit, & vitam, & cætera. Psal. *Si vi auferendus est;* ipse quasi improbus amator instat precibus, minis, muneribus, promissis. *Leue ergo est hoc debitum,* quia potest persolui ex omnibus, quę videt homo, & sentit, si ex omnibus creaturis, quas videt, accenditur cor ad amorem Creatoris.

Ex omnibus potest solui.

3 *Propter humilitatis nostræ compendiũ;* quia omnia bona nostra possumus facere, si amamus. Inuidia enim sola ab omnibus aliena bonis se separat. Eccles. 22. *Mittens lapidem in volatilia, deijciet illa; sic qui conuiciatur amico, dissoluit amicitiam.* In volatilia, idest in bona opera, lapidem, idest inuidiam. Sed amor est Accipiter, quem nulla præda nobilis effugit, sed omnia pede amoris capit. Iosue 1. *Omnis locus, quem calcauit pes vester,* idest affectus, *vester erit.*

Vtilitatis nostræ cõpendium est amor.

4 *Quia hoc mandato impleto, omnia implentur.* Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Matth. 21. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Dicit ergo. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem,* reddendo mihi, vt diligatis me, *sicut dilexi vos.* Dilexit autem nos Deus quinque modis. *Primo prædestinando,* Malach. 1. Rom. 8. Ephes. 5. *Secundo per Incarnationẽ nos redimendo.* Ephes. 2. Apocal. 1. Ioan. 10. & 15. *Tertio gratiam apponendo, & à peccatis iustificando.* Rom. 5. Oseæ 14. *Quarto misericorditer castigando.* Apocal. 3. Ezechiel 16. *Quinto hæreditatem æternam conferendo.* Psal. 8. Hierem. 31. Ioan. 13. Baruc. 3. Iob 7. *Quia ergo sic Dominus dilexit nos, diligamus eum inuicem his quinque modis.*

Deus nos quinque modis dilexit.

Et nos etiã quinque modis debemus Deum diligere.

1 Modo, quando prædestinando, Deũ diligimus, dum per fidem, spem, & charitatem ipsum nobis eligimus, Deut. 26. *Elegisti Dominum hodie, vt sit tibi Deus,* & sic ei per amorem inhæremus, nunc quidem expectatione, tandem autem re, & spe, *scilicet prædestinationem suam complebit in nobis.*

2 Modo ipsum diligimus, *si sicut ipse pro nobis exinaniuit seipsum, formam serui accipiens, sic pro ipso humiliemur.* Sic enim sicut pro nobis passus est, nos ipsi deuoti compatiamur, vt dicamus cum Dauid 2. Reg. 1. *Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis.* Conquerenti Thren. 3. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthij, & fellis.* Respondeamus. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea,* Et cum Sponsa Cant. 1. *Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

3 Modo ipsi quasi gratiam apponimus, & reponimus, *Dum de omnibus gratuitis donis, quæ nobis dedit, ei gratiam referimus, & ei totum attribuimus.* 1. Cor. 15. & 2. Corinth. 14.

4 Modo, si disciplinam Domini accipimus. Prou. 3. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abycias.*

Domini hæreditas nos ipsi sumus.

5 Modo, si nos quasi hæreditatẽ Domino tribuamus. *Verè enim beatus est populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi.* Ierem. 2. Te siquidem quasi hæreditatem pretiosam charè emit in Cruce. August. *Tanti te emit, vt te solus possideret, &c. Coluit te sarculo prædicationis, rigauit sudore, & sanguine, & lachrimis.* Ier. 2. & Isai 5.

Dum ergo amori diuino, ac cælesti in viris Apostolicis illud idẽ onus est, quod sunt volatilibus pennæ, oportebat vtiq; vt omnis in ipso sub leuissimo pondere celeritas in asininæ amoris humani, ac terreni tarditatis perniciem ex iugo illo originem traheret, quod ob suam dulcedinem impigros redderet amantes ad subueniendam quamcitius Ecclesiam, iam sub mole vani amoris miserrimè

pres-

Cuncta in missionariis nostris celeritas in Dei amore.

pressam. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, si tantus est omnis diuini amoris fons, & origo, haud mirum si tanta pariter celeritate ob tantam peruolans suauitatem, in Minoritis illis, Seraphicā Francisci Aquilam sequentibus, diuinus amor præditus esset, & pro cōmuni bono Ecclesiæ, pro quo illi mittebantur, in totale amoris terreni excidium inhiaret. Sub huius Apostolici amoris stemmate omnis eorum dilectio tributum de omnibus bonis, quæ illis tradiderat Deus, extitit. Omnis eorum amor in Deo collocatus erat, eratque in ipsis omnis vtilitatis compendium, omniumque mandatorum Dei adimpletio. Ipse quoque in quinque prædictis modis dilectionis Dei erat vnus, & erat quinque; *nam amor non est, nisi ad vnum, teste Philosopho*; imò teste ipso omnis christianæ philosodhiæ Magistro, suos Discipulos, & Apostolos alloquente: *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ*. Est etiam ad quinque illos modos, quos ex Interprete memorauimus, & ob quos *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*.

Stemma amoris diuini pluribus in locis, & modis hoc anno per Minores explicatum.

Explicato ergo Diuini Amoris stēmate (cui inscriptio *Celeritas*, cuius signifer Legislator Franciscus) per Fratres Minores ad ann. 1221. nunc ipsum in Sāctæ Mariæ de Portiuncula Cœnobiolo erectū cerno. Nunc ad Germanos delatum admiror. Nunc ad Vrbis septæ Mauros (eptem Martyrum sanguine consecratum) veneror. Nunc demum vt nouum quemdam *horoscopum, oriui D. Bonauentura auspicatissimum*, & vsque ad benigniora gratiarum Dei sydera, inter quæ extat liber vitæ, subleuatum intueor, & amplector.

Terreni Amoris Fratris Eliæ celeritati celeritas Diuini Amoris Fr. Antonii de Lisbona ex diametro opposita.

Vide sup. suo proprio loco.

IN isto Anno celebrata sunt Assisii quarta vice à Legislatore Francisco Comitia Generalia ob mortem B. Petri Catanei Vicarii Generalis, in cuius locū ex speciali Dei voluntate elegit secundo Franciscus Fratrem Heliam, licet sibi Aduersarium, & toti Ordini valde noxium.

Sed numquid amor dominandi in hoc Fratre Helia, terrenæ, aulicæq; prudentiæ amatore potuit tantillum præualere, aut viuente, aut defuncto Francisco, ne diuini amoris celeritas iterum & vehementius, & magnanimius opus aggrederetur ad omnem quantumuis apud Germanos, & vbique terrarum explanandam difficultatem? Non vtique, propterea quod secunda vice in isto anno reiterata Missio ad Theuthones plurimis de causis mirabilis reddita est.

Missio verò illa ad Mauros Ceptæ, anno antecedenti expedita hoc anno septem victimas obtulit Christo. Ast primū animaduertendum altissimum, atque imperscrutabile Dei Consilium, quippe tunc Legislator Franciscus ex peculiari ipsius Dei mandato, ad quem super illud negotium in oratione recurrerat, sufficere resoluit in locum B Petri Catanei Fratrem Heliam, Fratribus, & Discipulis cōquærentibus; cum ipse Deus immediatè ordinauit S. Antonium de Padua (iam paulò ante ex Africa in Italiam, tempestate nauim, in quam ascenderat, cogente, appulsum) illis Comitiis, atque electioni interesse, licet tunc aduenam, atq; ignotum, postea verò notissimum Heliæ ob Seraphicæ legis zelum aduersarium.

Comitiis generalib. huius anni interfuit B. Antonius de Padua.

Sub cinere, & cilicio Fratr. Heliæ amor proprius ac vanus, adeo Ecclesiæ reparationi aduersus, adhuc contegebatur, nec adeo patenter seipsum prodiebat, licet B. Franciscus eum præuiderat, suisque Discipulis reuelauerat. Inceperat iam in viro illo quadruplici cœcitate talis amor affici, sicut inceperat ipsi placere abbundantia, ac pretiositas cibi, & potus, & vestium, honor præeminentiæ, praua consuetudo, menti Francisci penè in cunctis peraduersa, ac domum splendor potentiæ, ac nobilitatis, haud propriæ, sed alienæ, cuius tandem adminiculis ita cœcè, ac miserè lapsus est.

Sub cinere, & cilicio fr. Heliæ amor dominandi quadrupliciter cæcus.

Hanc quadruplicem cœcitatem ex Interprete nostro aliàs expressius prælibauimus, vbi agit de cœco nato in fer. 4. Dominicæ 4. in Quadrag. Symbola huiusce cœci amoris, qui tunc adeo cœcè in Fratre Helia apparebat, erat Arbor, de qua idem Interpres in serm. Dom. infra oct. Natiuit. Ille Coruus, quem ipsemet explicat in serm. 2. Dom. 3. post Pascha: & Heliæ, tum insatiabilem dominandi cupidinem, tum veram eius pœnitentiam de qua nos aliàs, ad viuum repræsentantis. Sic cœcus amor dominandi in Helia totus flagrabat, ac festinabat, vt celeritatem Diuini Amoris in Francisco impediret, omnemque aditum, ne vlterius progrederetur, præcluderet.

Arbor procera, sub qua ædificabat coruus, amoris terreni insignia.

Sub cinere verò, ac cilicio *Fr. Antonij*, tunc de Lisbona, postea de Padua, cui socius, & comes B. Philippinus Castelanus laicus, adolescens, amor diuinus, qua-

Amoris diuini in Antonio simboli.

druplicitet oculatus in amoris terreni Fratris Heliæ intentum, duas arbores, super quas nidificabant, pullificabantque hirundines, pro suo hierogliphico contegebat. Patet ex eius doctrina in sermone Dom. 12. post Trinit. & Dom. 1. Aduentus. & fer. 4. Hebdom. 4. in Quadr.

In priori loco amor diuinus in ipso Cypressus erat, in posteriori loco Cedrus, in postremo Hirundo nidificans. Ait enim.

Cipressus Amoris diuini hieroglip.

Primò super Ecclesi. 50. Cypressus in altum se extollit. *Cypressus dicta eo quod caput eius in rotunditate diuini amoris surgit, & in altitudinem contemplationis se extollit.*

Cedrus pro sancta conuersat.

Secundò super Isai. 32. Gloria Libani à te venit. *Gloria Libani est castitas corporis*, de qua gloriatur anima Ecclesi. 24. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano*, quæ interpretatur candidatio. *Cedrus suo odore fugat serpentes*. In Libano igitur, idest in corpore casto anima exaltatur quasi Cedrus, quia odore sanctæ conuersationis fugat serpentes dæmoniacæ suggestionis, & concupiscentiæ carnalis. De hoc etiam Isaiæ 4. Super omnem gloriam protectio. Vbi gloria castitatis, ibi protectio diuinę miserationis, omnia opera conseruantis.

vir iustus Hirundo, nidificans, & pullificans.

Tertiò super Tobiam, ab Hirundinibus excœcatum. Nota, inquit, quod *Hirundines Sanctos significant*, quorum conuersatio non est terrena, sed cælestis, Psalm. 118. *Volucres Cœli, & pisces maris, qui,* &c. Hirundo in aere pascitur, sic iustus, vnde ait. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Item *volat per desiderium supernorum, nidũ facit* de luto nidũ, & in tali nido pullificat. Idest opera vitæ facit; opera scilicet humilitatis, dũ se tenet in terminis propriis. Et benè nidificat, sed non in nemore huius mundi, vel in horto lasciuiæ, sed in domo conscientiæ, vel in tecto charitatis.

Diuinus D. Antonii Amor terrenum Fr. Heliæ amorem prostrauit.

Stercora, quæ ab eis abiiciuntur, sunt diuitiæ, quæ tales à Sanctis reputantur, ad Philip. 4. *Omnia arbitratus sum vt stercora*, &c. quæ nisi sint calida, non excœcant, *quia nisi cum ardore diligantur, non offendunt*. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere, Psal. 61. *Et tunc supple non nocebunt*, Hactenus Interpres. Diuini amoris in seipso trimembre exprimens hierogliphicum ex Cypresso, & Cedro, & Hirundinum nido, eo modo, quo supra exposuit, compactum.

Breuis volatus terreni Fr. Heliæ amoris, iam quadruplicitet cœci, multa percurrit, ac molitus est, ad multa variè inhians, ac turpi ambitu incendens. Qui demum sub specie Corui super arbores Quercus nidificauit, ac pullulauit. At in Antonio volans diuinus amor veluti Hirundo, Coruo celerior, nidificansque, pullulansque super arbores Cipresinam, ac Cedrinam, Coruinum Heliæ volatum repressit, amoremque diuinum cum lege Francisci coram Romano Põtifice Gregorio Nono in libertatem posuit. *Subsannatio, & derisio ijs, qui in circuitu nostro sunt*. Psalm. 78. *Illudebat ei Helias* 3. *Reg.* 18. *qui ascendens Dominus, vel robustus Dominator interpretatur*; addit Doctor noster serm. Dom. in Quinquag. loquens de spirituali traditione Christi in manibus inimicorum suorum. Helias coram ipso Gregorio Nono subsannauit, & illusit Antonio, eumque contempsit, seipsum patefaciens vt Dominum, in apice Generalatus iam ascẽsum, & vt nouum dominatorem. Nam illum mentiri circa ea, quæ in ipsum iustè, ac zelanter obiecerat præsente Christi Vicario, testantur historiæ. Sed Antonius Seraphica, atque Apostolica humilitate planè floridus, altior amoris alis ascendens, inclito robore munitus, dominantem, ascendentemque Heliæ superbiam, vimque, sectatores Francisci opprimentem validè præpedit, expugnauitque.

Coram Gregorio ix. ipsum funditus expugnauit.

Tertiadecima, & quintadecima Missio ad Germanos.

In qua Diuinus Amor cuncta terreni illius Nationis amoris molimina breuiter tandem aggressione validiori suppeditauit.

AMoris sæcularis lex, quæ vndique tendit ad destructionem virtutum, ad tria suos sub triplici, ac vili grauamine obligat, præmitque, ita sibi præcipiente eius Principe, qui est Diabolus. Docet enim Interpres noster in serm. Dom. 6. post Pascha, *In huius exilij miseria*, ait, *sunt tria mala*, *scilicet Angustia crucians*. *Culpa mortificans*. *Vanitas decipiens*. Cum angustia cruciãte asinina mundani amoris natura ligat sub dementiæ iugo bouem, & asinum. Cum culpa mortificante tenet sub poplite vt verus carnifex animum suffocatum. Cum vanitate decipiente falsus euadit Propheta ad suorum perniciem. Percurramus singula cum Interprete nostro ibidem.

Amor sæculi, cui princeps Diabolus, tribus malè tractat suos.

1 *De angustia cruciante* dicitur Exod. 1.

Quod

Angustia cruciante.

quod Pharao proposuit filiis Israel ad Magistros operū, vt affligerēt eos oneribus, ædificarentque Vrbes tabernaculorū Pharaoni, Phiton, & Ramasses. *Sic Diabolus nomine tenus Christianis proponit Magistros operum, idest Dæmones cuilibet vitio deputatos, qui affligerent eos oneribus peccatorum*. Vnde ipsi dicunt Thren. 3. Ceruicibus minabamur, & lassis non dabatur requies, Aegitpo dedimus manum, & Assiriis vt saturaremur pane. *Babilonij, idest Dæmones, homini, quem captiuum ducunt, ceruici onera grauia imponunt, & tamquam bouem, vel asinum per funem ad collum ligant, minando trahunt, & lasso nullam requiē dant, dum peccato in peccatum præcipitant. Heu quanta dementia in via lassari, & viam nolle finire!* Hæc ibi Interpres, & nōnulla alia valde egregia.

Culpa mortificante.

2 *De culpa mortificante* dicitur Gen. 35. quod mortua est Rachel, & sepulta in via, quæ ducit Effratam, *quæ interpretatur fructifera. Et significat abundantiam temporalium, qua infelix anima suffocatur, & sepulta mole malæ consuetudinis premitur.* Vnde diues interpretatus, quia hic sepultus fuit in deliciis, postea sepultus fuit in pœnis inferni.

3 *De vanitate decipiente* dicitur 3. Reg. 13. quod Propheta senex fefellit virum Dei, & reduxit eum secum in domū suam, & comedit panem, & bibit aquam, sequitur. Occidit eum Leo in via, nec Leo læsit Asinum stantem iuxta cadauer. *Propheta senex est Mundi vanitas, quæ semper falsa prophetat.* Thren. 2. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta. *Prophetæ nostri sunt Mundi vanitas, & carnis voluptas, quæ si viderint vos Mundum contemnere, carnem affligere, statim prophetant vobis ægestatem, & infirmitatem, &c.* Vide reliqua alibi superius, & sequentia in textu Interpretis.

Qui prophetæ falsi mistice.

Tria amoris diuini bona contra tria amoris terreni mala

E regione autem Diuini amoris lex, tota Euangelica est, & in lege Fratrum Minorum Euangelica, & Seraphica, in trium terreni amoris malorum eradicationem, tria bona ordinauit, de quibus Christus Ioann. 15. illis verbis. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, &c. *Tria sunt, Spiritus, Paraclitus, Veritas*, ait Interpres ibidem.

Paraclitus contra angustiam inuiātem.

1 *Paraclitus consolatur nos in angustia tribulationis.* Isai. 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non comburreris, & flamma non nocebit tibi. *Nota ista quatuor. Aqua. Flumina. Ignis. Flamma. In aquis gula, & luxuria designantur. In fluminibus prosperitas mundana. In igne aduersitatis angustia. In flamma diabolicæ persecutionis malitia.* Dicit ergo cū transieris per aquas, &c. *Mentem, quam Spiritus Sanctus igne charitatis consolidauit, nec aquæ gulæ, & luxuriæ, nec prosperitatis mundanæ flumina dissoluere possunt.* Cant. 8. Aquæ multæ nec potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *Quia vt dicitur ibidem*, Lampades eius lampades ignis, atq; flammarum. *Et mentem etiā, quam spiritus inflammat, nec ignis aduersitatis, nec flamma diabolicæ persecutionis consumere potest. Ipse enim Spiritus Sanctus, vt dicitur Daniel 3.* Excutit flammam ignis de fornace, & facit medium fornacis quasi ventum roris flantem.

2 *Misit Spiritum contra culpam, vt viuificaret animam.* Vnde Gen. 2. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. *Spiraculum vitæ est Spiritus Sancti gratia, quam cū Deus spirat in faciem animæ, proculdubio animam de mortua ad vitam reuiuiscit.*

Spiritus cōtra culpam mortificantē

3 Hinc etiam dicitur *Spiritus veritatis contra Mundi vanitatem, quam ipsa veritas expellit.* Vnde Ioel 2. Filiæ Sion exultate, &c. Vide Interpretem omnia in hac sententia ita per sinopsim reducentem. *Sed Dominus contra hæc mala supradicta, scilicet, angustiam, culpam, vanitatem misit Paraclitum contra angustiam. Spiritum contra culpam. Veritatis contra vanitatem.* Hæc ibi, quæ ad tria reducta, scilicet ad angustiam cruciantem, ad culpam mortificātem, ad vanitatem decipientem, hisce tribus terrenus amor Ecclesiam Romanā ad interitum impellebat, Deumque illius criminum vindicem aduersus totā Christianitatem constituebat. Igitur in eius reparatione congruum omnimodè erat iterum mittere Paraclitum Spiritum Veritatis, illuminantem Francisci mentem, ascendentem eius præcordia, docentemque eum illam legem, quæ tota spiritus esset, tota Seraphica charitas, tota Diuinus amor, in totalem terreni amoris interitum.

Spiritus veritatis cōtra vanitatē decipientem.

Hanc legē profitentes Apostolici Missionarii iter denuò aggressi sunt, tertiamdecimam Missionem in ordinem ad alias præfatas conficientes, vt apud Germanos vbi nondum intrauerant, imò prima vice expulsi fuerant, licet non tertia, Diuini amoris insigne in terreni amoris excidium explicarent. Eorum Dux, & Antesignanus, qui alios socios conquisiuit, atq; delegit, & omnes probatissimos viros,

Iterū missi ad Germanos Minores

Beatus Cæsarius de Spira, spiritu, & sapientia cælesti repletus. Germanus natione, ac germen sanctum in vinea Do-

mini. Primus iam Germaniæ Minister per B.Franciscum constitutus, qui quã strenue obedientiam Sancti Patris, ac Patriarchæ Francisci in illis partibus adimpleuerit, quam proficuè, ac celeriter legem, & Ordinem propagauerit, quamque citò ex tali prærogatiua tota ferè Teutonia instituto Seraphico plena extiterit, nostratum scripta demonstrant. Hic est ille vir inclitus *Cæsarius*, cuius calamo tam prima, quam secunda Regula à Francisco concredita zelo Apostolico pro illius obseruantia, pro qua tandem in vinculis obiit miraculis clarus, maximè flagrauit. Hic inquam ille est, qui quotquot habuit sequaces (horum *Congregatio* ab eo *Cæsariana* nuncupata est) tot pariter magnanimitate spiritus aduersus ambitionis, & relaxationis Fratris Heliæ spiritum Cæsares effecit. Inter quos Interpres noster claruit maximè, etsi adhuc in Ordine tenellus. Ipse namque sub Ducatu Cæsaris sui Cæsariani titulo gaudens, spiransque pro legis zelo diuinos focos, verè complantatus, & consepultus in horto Sponsi, in quo Sponsus ipse fuit sepultus; nam verè mundum contemnebat, vti postea factis ostendit, prout docuit, & prædicauit Dominica 6. post Pascha. Vbi etiam hæc alia circa eius fugam, ne incideret in manus Heliæ, ad pedes Romani Pontificis Gregorii IX. in odium relaxatæ vitæ illius, de quo pluries dictum. *Et quia*, ait, *ex contemptu Mundi nascitur odium peccati, ideo addit Apostolus*, similitudinem mortis eius. *Vbi mortis Christi similitudo, ibi etiam peccati abominatio. Vnde Cant.*8. Fuge dilecte mi. &c. *Ecce Mundi contemptus.* Item Ioan.6. Cum vellent rapere Iesum in Regem, fugit in montem. *Qui cum quæreretur ad mortem, quærentibus obuiam iuit.* Fuge ergo dilecte mi. Dicitur Exod. 2. quod Pharao quærebat occidere Moysen, qui fugiens de conspectu eius, moratus in terra Madian. *Et tu fuge, quia Diabolus quærit te interficere, & habita in terra Madian, quæ interpretatur Dei iudicium, vt terram tuam indices, & sede iuxta puteum humilitatis, vt haurias aquam in vitam æternam.* Hęc ibi Interp. eius fugæ cõgrua profectò

Gesta, & encomia B.Cæsarei de Spira

Ab ipso reformati Cæsariani, inter quos præcipuus sectator ac zelator in Fr. Heliã D.Antonius de Padua.

Beati Cæsarii, cuius felicitas vtique ineffabilis (habens in sequacem suum imperterritum virum, tam sanctum sectatorem, tam generosum, ac legis Minorum professorem, tam inclitum Antonium de Padua) commilitones, ac socii lectissimi, vt ferunt.

Socii B.Cæsarii ad missionem Germanicam.

1 B. Fr. Ioannes de Plano Carpinis, Latini, & Lombardici idiomatis preco Dei eximius.

2 B.Fr.Barnaba Germanus, qui cum suo socio etiam in Lombardico idiomate valde callebat.

3 B.Fr.Thomas de Zelchio, vel Celano. Hic antiquam legendam S.Francisci postea conscripsit.

5 Beati Fratres Ioseph de Treuisio, & Abraham Hungarus.

6 B.Senon, aliis Simon Tuscus, filius Comitissæ de Colazone, miraculis Spoleti clarus, de quo in primo libro.

Reliqui Beatissimi, ac religiosissimi Fratres, ac socii ad numerum denarium, præter illos, quorum memoria apud Dominum, *Conradus* Teutonicus Clericus. *Petrus* de Camerino Sacerdos. *Iacobus*, & *Gualterius* Sacerdotes. *Palmerius*, & *Iordanus* Diaconi. Et inter deuotos, & Sanctos Laicos, *Benedictus* de Iolato Theutonicus. *Henricus. Siluerius. Constantius*, & alii, quorum nomina ignorantur. Fuerunt tamen (ait Vadingus num.6. ad eundem ann.) eorum in vniuersum *duodecim Clerici, & quindecim Laici*. Felix, ac festinus huiusce celeberrimæ Missionis exitus, victis quibusque Diaboli, Mundi, atque amoris proprii moliminibus apud eundem Vadingum legi potest.

Fuerunt omnes 12. clerici, & 15. laici.

Quartadecima Missio intra Germaniã habuit à B.Cæsario expeditionem. Etenim hoc eodẽ anno ipsemet B.Cæsarius, qui & primus Theutoniæ Minister celebrauit primum Capitulum Augustæ cum Fratribus fermè 31. & inde per diuersas Germaniæ oras distribuit. Fratrem *Ioannem de Plano Carpinis*, & Fratrem *Barnabã* Concionatores præmisit Herbipolim, qui inde Moguntiam, Vuormatiam, Spiram, & Coloniam petierunt, vbi sermonibus ad populum habitis multos ad pœnitentiam conuerterunt, & Fratribus subsequentibus commoda domicilia præpararunt. Ablegauit tunc etiam B. Cæsarius Minister Fratrem *Iordanum* cum duobus sociis *Abrahamo, & Constantino* fratribus, Salisburgum, qui Archiepiscopo loci acceptissimi venerunt. Item tres alios cum Fratre *Iosepho* misit Ratisbonam, vbi manserunt vsque ad ann. 1229. & exinde ceperunt extruere in eadem Vrbe insigne Monasterium. Frater interim Cæsarius præcedentium vestigia paulatim subsequutus, verbo, & opere eos confortare, & consolari non destitit. Qui eodem adhuc anno Herbipolim deueniens, recepit ibidem iuuenem quẽdam egregium, literis optimè instructũ, *Hartmodum* nomine in ipso S. Andreæ Apostoli festo, cuius & nomine insignitus, *Hartmodi* appellatione Fratribus Italicis incognita, *Andreas* deinceps vocitabatur. Qui non multò post ad Sacerdotium euectus, fa-

Distributio huius missionis à B.Cæsario effecta.

Ipsius B.Cæsarii sedula lustratio per Germanos ad legis Minorum propagatione.

cundus

cundus euasit Prædicator, Custosque Saxoniæ est constitutus. Recepit ibidem alium quempiam *Rodingerum*, qui postea Guardianus Heberstadensis, denique Magister spiritualis disciplinæ S. Elisabeth effectus est; cui deinde successit Magister Conradus Marpurgēsis fidelissimus sanctæ istius moderator; similiter ibidem quemdam fratrem Laicum habitu donauit nomine *Rodulphum*.

Ipse recepit fr. Rodingerum, qui fuit S. Elisabethæ confessarius.

Hoc eodem anno conceditur à Christo, intercedente Virgine Matre, in eadem Virginis Annunciatæ domo *Indulgentia Portiunculæ*, in tota Ecclesia vnica, ac propterea vni legi Minorū, ab ipso Christo immediatè reuelatæ intra eandem Virginis Annunciatæ domum, sua singularitas respondens.

Hoc anno concessa à Christo indulgentia Portiunculæ.

Septem aliæ victimæ Frācisci ad Mauritanos in Vrbe Septæ ceciderunt, tinxeruntque iterum sacra sanguinis purpura legis Minorum vexillum. Nomina eorum *S. Martyr. Angelus. S. Mart. Samuel. S. Mart. Donulus. S. Mart. Leo. S. Mart. Hugolinus. S. Mart. Nicolaus*. Vide singulos explicatius in 1. Tomo Hierarchiæ, nec te pigeat modo sub omniū numero, qui pluribus ex causis & ipse suis sacramentis confertus est, septem sportas meditari, de quibus Marc. 8. *Et sustulerunt quod superauerat septem sportas*, postquam in ea multitudine, quæ cum Christo in deserto cum esset, nec haberet quod manducaret, cuncti manducauerunt, & paucis panibus, & pisciculis abundè saturati sunt. In illis namque sportis septem ita pulchrè interpres noster serm. Dom. 8. post Trin. *Septē sportæ viros iustos, S. Spiritus septiformi gratia repletos significant. Fiunt enim sportæ de iuncis, & palmarum folijs. Iuncus nascitur super aquas, dictus eo quod radicibus iunctis hæreat. Palma victoriæ datur. Sancti quoque ne ab humore æternitatis arescant; in ipso fonte vitæ se collocant, & æterna retributionis palmam expectant. Vel septem sportæ sunt septem Primitiuæ Ecclesiæ, quas Dominus septiformis gratiæ inscriptione repleuit*. Hæc Interpres. Septem nostri Martyres Septæ in Primitiua Ecclesia Minorum vti aliæ quinque, septem primitiæ fuere; cum nonnisi annus vnus inter illorum, horumque Martyrium transierit. Palma deinde victoriæ Martyribus ceu ipsis propria solet dari.

Septē sportæ pro viris iustis,

Et pro septem primitiuis Ecclesiis

Annis 1222. & 1223.

Quin Lex Minorum sub Capreæ, Hinnulique Ceruorum stemmate celerrimè per Orbem diffunderetur, ac propagaretur, habens in suorum Missionariorum pennis Euangelicæ legis, & Apostolicæ vitæ sanctitatem, nullum obstaculum præualuit.

F*Vge dilecte mi, & assimilare Capreæ, hinnuloque Ceruorum super montes aromatum*, Cant. 8. Interpretatio Doctoris nostri super hunc textum hæc est in serm. Dom. 6. post Trin. Caprea dicta quasi ardua capiens, acutum hebet visum, ad alta nititur. Hinnuli filii Ceruorum ab innuere dicti, quia ad nutum matris absconduntur. *Per ista duo Christus Deus Homo significatur*. In Caprea eius Diuinitas. In Hinnulo eius humanitas, quæ ad nutum matris suæ negotium, quod iam inceperat duodennis, vsq; ad triginta annos distulit. *Et venit cum illis in Nazareth, & erat subditus illis*. Assimilare ergo dilecte mi huic hinnulo, vt in similitudinem mortis eius complantatus, valeas ascendere super montes aromatum. *Montes aromatum sunt excellentiæ virtutum*. Hæc Interpres.

Christus Deus homo cur hinnulus capreæ.

Sub stemmate huius Capreæ, hinnuliq; Ceruorū, Capreas Minores fieri, hinnulosque Ceruorum esse ex lege, quam professi sunt, tenētur. Cum enim eorum lex vitam Euangelicam, Apostolicamque eis præscribat, præcipiatque, necessarium est, vt imitatione ad Christum Deum, & hominem Capreæ sint, hinnulique Ceruorum, quibus celeritas genuina est, vt verè Minores sint. Minoribus enim proprium est ardua capessere, acutum habere visū, ad alta niti, atque statim ad nutum legis, quæ eos peperit Christo, & ad nutum Matris Ecclesiæ negotium reparationis Ecclesiæ, cui hæc omnia necessaria sunt, quodque vix emissa professione inceperant, indefesso pectore vsque ad mortem, ad montes aromatum, scilicet ad excellentes virtutes inhiantes, veloci cursu peragere, & prosequi.

Hinnuli capreæ tenētur esse Minores.

Visne Lector sub tali stemmate Legislatorem Seraphicum, legisque ab eius latæ professionis per totam Europam ad ann. 1222. vnico intuitu statim cernere, accipe illius argumentum ex Annalista nostro in hac synopsi. Perrecturus Franciscus,

Franc. gesta sub an. 1222.

ciscus, inquit, in Regnum Neapolitanũ, *inuisit Specum S. Benedicti, conuestitque dumetum, in quo Sacer ille Patriarcha se volutauit in Rosetum.* Caietæ, Capræ, Pennæ, & vbique per Regnum Neapolitanum mirabilia operatus, plurima obtinuit domicilia. Reuersus in Vmbriam admittit in societatem Beneuenutum Eugubinum. In Germania, Suetia Regnis Aquilonaribus magnum agit Ordo progressũ. *Parisijs initiatur Alexander Alensis, & Sanctus Antonius ad Presbyterium assumptus, Bononiæ primum sacrum facit. Missus deinde Vercellas vt studeret, demum in Galliæ, & Italiæ præcipua loca, vt doceret.* Pontifex Ordinem gratis afficit, & multiplicantur vbique Monasteria. Hæc Annalista, qui pergens deinde

Ord. & leg. Minor. celer progressus per regna aquilonaria.

Ad annum 1223. finitam ostendit in sua tantummodo prolixitate primam legem, sed compendiatam in secunda, atq; in suamet celeritate mirabiliorẽ, quemadmodum in sua abbreuiatione, iuxta Dei reuelationẽ prodigiosiorẽ, vt videbimus in sequenti tomo. Celeritas legis ad ann. 1222. per eius continuam diffusionem, maximè ad Germanos, & vlterius habes ex prædicto Annalista, qui sub num. 24. ita scribit. Circa finem huius anni *ad nidiculum suum S. Mariæ Angelorum redijt vir Sanctus, vt post tot laboriosos discursus, & disseminatum longè latèque Dei verbum, non sine sui Ordinis incremento, & proximorum salute sibi seriò intenderet.* Præter iam relata nihil est memorabile, quod ab illo hoc anno factum referamus; plura tamen ab eo in exteras regiones missi laude, & narratione digna perfecerunt. De Fratribus Germaniæ ad ea, quæ superiori retulimus anno subtexit meus ille auctor Balduinus de BrunsuuiKo quæ sequuntur.

Euentus de anno 1223.

Anno 1222. Frater Cæsarius Minister plurimis iam receptis Fratribus tam clericis, quam laicis Capitulum Prouinciale Vuormatiæ cum Fratribus de Ciuitatibus vicinioribus instituit, & quia tanta Sacerdotum præmebatur penuria, vt necesse esset vnum nouitium Sacerdotẽ per alternas vices nunc Spiræ, nunc Vuormatiæ in solemnitatibus sacrum facere Fratribus, eorumque confessiones excipere, promouit tunc tres Fratres ad Sacerdotium, Palmerium, Abrahamum Vngarũ, & Andræam Germanũ, antea Hartmoni nomine gaudentem; breui etiam Fratrem Iordanum de Yane Vallis Spoletanæ: Fratrem verò Thomam de Celano Moguntinensis, Vuormatiensis, & Coloniensis Conuentuum Custodem fecit.

B. Cæsar. de Spira ingẽs sedulitas in legis Minor. propagatione.

Eodem annò videns Frater Cæsarius (qui erat vir profundæ contemplationis, & maximus Euangelicæ paupertatis zelator, & tanti apud Fratres, vt ipsum post Sanctum Franciscum sanctissimum venerarentur) Ordinẽ in Germania felicibus auspiciis, & solidis iam niti fundamentis, instituto Vicario Fr. Thoma, tunc vnico Custode, non tam tędio, quam B. Franciscum visendi, cæterorum Vallis Spoletanæ Fratrum desiderio captus. Adiuncto sibi Fratre Simone de Colazone, viro nobili cum aliis quibusdam, rediit ad Sanctum Franciscum, & ab eo est dulcissimè receptus.

Diffusio legis Seraphicæ ex Germania ad alia regna.

Per hæc tempora ingressi Prædicatores, & Minores in Suetiam, multiplicato numero, religiosissimos viros miserunt ad alia Regna Aquilonaria, qui gloriosis, & sanctis exhortationibus, ac mirabili vitæ sinceritate gentes Aquilonares in Dei obedientiã, pura fide instruxerunt, & beatis moribus, ac exemplis, religiosaq; pietate conseruarunt, vt author est Ioannes Magnus Gotus in sua historia Ecclesię Metropolitanę Vpsalen. cuius Archiepiscopus fuit, & Sedis Apostolicæ Legatus, ex quo etiam Laurentii octaui eiusdem Sedis Archiepiscopi, ex Ordine Minorum assumpti, præclaram vitam, & memorabilia facta alibi.

Pergit deinde ad illam obstupendam celeritatem, qua ductus iam Alexander de Ales ad summum Magistralem gradũ, mox deinde ad infimum statum Fratrum Minorum, nulla interposita mora, statim relictis omnibus pertransiit. Rem narrat in hunc modum. Sub hoc anno Alexandri Alensis (sic cognominati ab Hales Monasterio in Anglia, Comitatus Claudiocestrensis, vbi adolescens fuit educatus) in ingressum in Ordinem Minorum referunt Ioannes Lelandus, & Nicolaus Triuetus. Apud Anglos humanioribus optimè instructus, Philosophiæ, & Theologiæ studuit apud Parisienses, tam feliciter, vt supremam inter eos sacræ Doctrinæ Cathedram ascendit, in qua moderanda summa cum sua laude; & discipulorum vtilitate omnibus fuit admirationi. Quid autem mouerit hominem, vt tanto spreto gradu, & sui æstimatione, pauperculi, nedum adeo celebris instituti duris, & humilibus se voluerit legibus subiicere, non adeo mihi compertum, nisi eam, quam non meretur ipsa fabella fidem, adhibeam iis, qui plus æquo tribuerunt prisco narratui. Ii porrò sunt Antonius Marian. Ioãnes Birseus, & alii, qui afferunt rationem solemnis in celebri viro mutationis.

De Alexandro Alensi Minorita.

Eam inquiunt erga Beatissimam Mariam concepit deuotionem, vt instauerit,

Quã seruẽs, ac peculiaris eius deuotio ad Deiparã.

aut

aut etiam vouerit, nihil denegare, quod eius interposito nomine peteretur. Id scitum à fœmina quadam, dictum item Cisterciensibus, vt propter hanc fidem datã peterent, sui vellet fieri instituti. Illis accedentibus ad Magistri ædes, vt rem hanc sibi summè honorificam; ob Virginis Mariæ reuerentiam postularent, magna irrepsit obliuio, vt nihilominus meminerint, quam huius. Mulier iudicans suam præmonitionem, & consilium ob cõtemptum reiectum, Prædicatores adiit, vt suo magno lucro, & honori, quod Cistercienses neglexerunt, efficerent. Illi verò læti abeuntes, communem Magistrum salutarunt, & de rebus seriis alloquentes, vt vrbanè, & quæsita opportunitate commodius in suam petitionem subiungerẽt, rem distulerunt in colloquii finem, ne præponè, & nimis inconsultò, & ex abrupto viderentur rem grauissimam proponere. At superuenit quidam ex Minoritis, qui ostiatim panem mendicabat, & quod illi multa præuia consideratione explicare statuerunt, hic ex abrupto cælitus motus rogauit. Reuerende, inquit, inquit, Magister, magnum, & celebre nomen apud omnes obtinuisti pietatis, & doctrinæ nomen, & res sæculi tibi satis secundæ. *Porrò obsecro te per amorem Beatæ Mariæ Virginis, vt seriò, & impensè consideres, vtrum ad æternitatis fœlicitatem consultius tibi sit sæcularem vitam agere, an Christi Crucem in pauperculo hoc nostro instituto perferre.* Obstupuerunt Prædicatores ad præreptam sibi de tanto homine lucrãdo occasionem. Et Magister quidem, immò condidit, & fuit pectore verba sibi dicta tamquam per Dei nuncium, & protinus cogitauit de mutando vitæ genere, & amando Franciscano.

Ob amorem ad Virginẽ lucratus à Minoribus;

Sed ecce è regione in celerem Alexandri, tanta magnanimitate cælitus donati mutationem *ventus vehemens, è regione deserti irruens, concutiensque quatuor angulos domus, vt filios suos opprimeret.* Iob 1. Inquit enim Interpres noster Domin. 2. in Quadrag. *Ventus vehemens à regione deserti est repentina suggestio Diaboli, qui aliquãdo ita fortiter ex improuisò irruit, quod quatuor angulos domus, idest quatuor principales virtutes animæ viri iusti à fundamentis excutit, & aliquando in mortale peccatum corruere facit, vt sic filij Iob, idest opera, vel affectus viri iusti moriantur.* Hæ Interpres. Verum hæc celeritas in Alexandri excidium etsi præualere potuit ad concutiendum eum, non tamen valuit ad expugnandum, quia subitò Dei gratia se opposuit, ne caderet victus, sed potius surgeret ad victoriam. Patet ex subiecta historia.

Celeritati Alensis in assumpta Minorum lege celerrimè aduersatur Satan;

Veteranus, & emeritus in scholastica disciplina Magister cum fuerit Alexãder, in regulari tyrocinio non leues sensit difficultates, & internas molestias, propter quas de regressu ad sæculum exuto paupere habitu cogitabat. Sed ita fluctuanti absens corpore Franciscus apparuit in spiritu, finxitque se poderosam, & grauẽ Crucem ligneam portantem, cacumen cuiusdam procliui montis ascensurum. Dum in ascensu pondere grauaretur, & gemeret sub sarcina, visus est Magister sibi occurrisse, suamque opem obtulisse. Indignanter, & stomacabundus Franciscus hominem retulit, subiungens. *Recede misselle, non audes, nec vales leuem, & portatu faciliorem Crucem ex primo refectam gestare, & ligneam portabis hanc onerosam?* Visione hac vir prudens sapientior effectus, facilè illa dura tentamenta profligauit, nec alia circa hanc materiam deinceps admisit. Et meritò quidem, quia teste Interprete nostro loc. cit. *Vir iustus cum audit suggestiones Diaboli, statim debet corruere in oratione, quia hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium.*

Cogitat Alexander regressum ad sæculum.

Apparet illi Franciscus.

Vicit tentatorem Diabolum.

Percurrit deinde Annalista noster alia circa Interpretis nostri personam, qui subitò, spreta omni humana maturitate, in suis consiliis, ac deliberationibus cõfundi solita, omni quouis tempore contempto ex singulari Dei impulsu, relicta prima lege, quam profitebatur, legem Minorum amplexus est. Quam citius, vix accepta, ac professa lege hac Apostolica, alas accepit columbinas ad velocissimos perfectionis Apostolicæ progressus, tum sui ipsius, tum totius Ordinis, immò totius Ecclesiæ Romanæ, quam annis decem velociorem reddidit, ampliaremque in rebus fidei, deuictis obstaculis plurimis, & quam maximis, illam notabiliter retardantibus, ac diminuentibus. Sic Antonius Dei dilectus, vt Dei dilecti imitaretur celeritatem in duplici velocitate, scilicet videndi meliora, & currendi ad magis ardua, ad vocem illam cælestem, *Fuge dilecte mi, super montes aromatum,* statim ibi aufugit, & Capreæ, hinnuloque Ceruorum assimilari perfectione studuit.

Celeritas Antonii de Padua in gestis suis.

Sic factus est *Terra Zabulon,* Isaiæ 11. quæ (vt ipse exponit in Dom. 4. Aduent.) interpretatur *Habitaculum fortitudinis. Quem enim inhabitat gratia, fortitudine constantia corroborat.* Hinc haud mirum, si quanto celerior Dei gratia semper in eo apparuit à principio suæ conuersionis ab vna

Ad propagationem velocem, & multam legis Christi, & Franc. terra zabulon effectus.

vna lege ad aliam vsque ad eius obitum, tanto fortior, ac constantior ibi sine mora pedes habuit, aggressusque est res arduissimas, vbi pro Lege Euangelica, ac Franciscana, nullum vnquam pertimescens vitæ discrimen, lingua, & calamo diiudicandum esset.

Hactenus de Legis Minorum celeritate. Nunc autem ad illius prærogatiuas, seu excellentias transeundum.

CAPVT VIII.

Prioris Minorum Fratrum Legis, antequam in compendium redigeretur, & Lex secunda Seraphici Moysis anno 1223. nuncuparetur, Prærogatiuæ mirabiles sub terno genere explicantur, vt nuncupari possint Textuales Historicæ Misticæ.

Decies Fräc. in suo testaméto mémorat Minorũ legem.

Legem, quam sibi, ac suis Fratribus condidit, decies memorat Franciscus in Testaméto, quod transiens ex hoc Mundo ad Deum, reliquit; sed primo loco eam vocat *Sancti Euangelij formam*, non à se inuentam, non ab hominibus sibi traditam, sed ab Altissimo reuelatam, cui tam ipse, quam sui Minores omnem vitam conformare tenerentur. Ibique etiam *Vitam* ipsam appellat. Infra deinde in aliis locis nouem vicibus *Regulam* eam nominat. Ponamus quoad primum eius formalia verba. *Postquam Dominus dedit mihi de Fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere; sed ipse Altissimus reuelauit mihi, quod ego deberem viuere secundum formam Sancti Euangelij. Et ego paucis verbis & simplicibus feci scribi; & Dominus Papa confirmauit mihi; Et illi, qui veniebant ad recipiendam vitam istam, omnia, quæ habere poterant, dabant &c.* Iuxta hanc verborum Sancti Francisci seriem ponendæ principio excellentiæ, seu prærogatiuæ illæ, quę altioris generis nuncupandę sunt, eo quia ex ipsis Legislatoris verbis, & attestatione erumpunt. Reliquæ verò alterius generis dicendæ erunt, quia aliunde, scilicet ex historica traditione, ac mistcio intellectu deriuant. Hoc ipso penè modo videtur processisse Bellarm. lib. 1. de Romano Pontif. Petri prærogatiuas circa eius primatum in omni Ecclesia declarans. Nam alias ipse collegit ex sacris literis, alias verò ex variorum Authorum scriptis. Ac per consequens ad duplex genus cunctas reduxit, quorum primum altius profectò est, atque eminentius secundo. De vtroque consulere potest Lector Librũ nostrum, agentem de Principatu Sacerdotali, ad Alexandrum VII. idiomate Italico conscriptum. Addidimus tamen nos tertium genus prærogatiuarum, scilicet misticum, nec aliunde illud desumptum est, nisi ab ore ipsius Legislatoris, vt in fine patebit.

Primum vocat eam Sancti Euägelii formam, & vitam.

SECTIO I.

Primum Prærogatiuarum Textualium genus, in quo

PRIMA PREROGATIVA.

Præludijs quibusdam iuxta quinque diuinas apparitiones Francisci Legislationem anticipantes, eius excellentiam intrant.

In quinta Apparitione post eius Resurrectionem apparuit Christus decẽ Discipulis, in vnum congregatis ianuis clausis. *Cum enim Discipuli* (ait Interpres in die Sancto Paschæ) *idest affectus rationis in vno ad vnum congregantur, & ianuæ quinque sensuum à vanitate clauduntur, tunc verè menti apparet gratia Spiritus Sancti.* Hæc Interpres, quæ Francisco euenere, ex quo incepit renunciare sæculo, claudere ianuas sensuum vanitatibus, & mundo, in quibus nutritus, & educatus, licet nunquam maculatus, qui à Dei miseratione præuentus, tunc siquidem apparitiones sibi factæ plurimæ, & cunctæ peregrinæ, & singulares.

Quinta apparitio Christi post resurrect. mistiné explicatur.

1 Apparuit illi Dei clementia post illud insigne charitatis exemplum, quo pauperem, & penè nudatum Militem stirpe generosum, seipsum nudans, vestiuit. *Nocte sequenti* (ait Bonau. cap. 3. Vitæ S. Franc.) *cum se sopori dedisset, palatium spatiosum, ac magnum cum militaribus armis Crucis Christi signaculo insignitis Clementia sibi diuina monstrauit, vt misericordiam pro summi Regis amore pauperi exhibitam militi præostenderet, compensandam esse mercedem; vnde cum quæreret, cuius essent illa omnia; sua fore, militumque suorum, superna fuit assertione responsum.*

Prima appparitio diuina Franc. facta in somnis.

2 Appa-

2 Apparitio euenit ei postquam nõdum gnarus ad perscrutanda diuina misteria militiam intenderet sæcularem, ad Terræ Sanctæ expeditionem. Cumque (subdit Bonau.) paulò post iter aggressus,iuisset, vsque ad proximam Ciuitatẽ, audiuit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem. Francisce, quis potest melius facere tibi? Dominus, an seruus, diues, an pauper? Cui cum Franciscus respondisset, quod tam Dominus, quam diues, intulit statim. Cur ergo relinquis pro seruo Dominum, pro paupere homine diuitem Deum? *Et Franciscus: Quid me vis facere Domine? Et Dominus ad eum. Reuertere in terram tuam, quia visio, quam vidisti, spiritualem præfigurat effectum, non humana, sed diuina dispositione complendum.*

Secunda dũ militiam sæcularem meditatur

3 Apparitio contigit Francisco vbi se iam à tumultu sæculi retraxit. Adhuc tamen qualiter id agere (pergit Bonau.) ignorabat, nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio à mũdi contemptu sumit initium; Christi militia sit à sui ipsius victoria inchoanda. Quodam itaque die, dum equitaret per planitiem, quæ subiicit Ciuitati Assisii, *Leprosum quemdam habuit obuium, cuius inopinatus occursus ei non paruum incussit horrorem.* Recurrens autem ad perfectionis, mente iam conceptæ propositum, & recolens, quod seipsum oporteret primũ deuincere, si vellet effici Christi miles, ad deosculandum eum equo lapsus occurrit. *Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportauit.* Statim autem equum ascendens, & se circumquaque conuersus,cum campus pateret vndique liber, leprosum illũ minimè vidit. *Admiratione itaque repletus, & gaudio, laudes cæpit Domino decantare deuotè,proponens ex hoc semper ad maiora conscendere.*

Tertia vbi se à tumultu sæculi retraxerat, Christus apparuit ei sub specie leprosi.

In hac tertia apparitione Christi sub specie leprosi ob genus humanũ(ita pene in sua per Franciscum reparatione leprosum, sicut in sua per Christum Redemptione) misteriis plena extant, extensio Christi manus ad manum Francisci in receptione pecuniæ, & extensio faciei eiusdem ad os Francisci,vt ab eo oscularetur. Ab eleemosina Francisci erga militem præfatum incæperunt præludia de institutione Ordinis Minorum, huiusque Legislationis. In milite accepit Christus à Francisco vestimenta. In leproso pecuniam. Et in sua lege illud eleemosinæ sacrificium, quo cum crucifixo Christo ob Christi redemptionis adimpletionem crucifiguntur Minores. Quomodo etiam ob Ecclesiæ reparationem omnibus renunciantes se affligunt, totum id obseruantes, quod in sua Regula profitentur. At relictis quampluribus arcanis de manu extenta, & de accepta pecunia, quæ possem hic quippe ex nostro Interprete afferre,sufficiat id solum de osculo. *Osculetur me osculo oris sui,* Cant.1.6.Vbi Interpres: *Osculum hoc fœdus perpetuæ pacis,dum enim motus animæ, & sensualitatis sunt ordinati inter se, & saporem suũ infundit Deus animæ, tunc est animæ perfectio.*

Quid Dei osculum mistitè primò.

Item Lucæ 15. *Occurrens pater cecidit super collum filij, & osculatus est eum.* Osculum pacis, subdit Interpres, significat gratiam recõciliationis, &c. Conceperat Christum mente Franciscus, iam factus Pater,& Mater Christi spiritualis eo modo, quo docet etiam cum vniuersa Patrũ doctrina Interpres noster. Apparuit illi hunc filium sub ignota forma, qui accipiens ab eo cum pecunia osculum,perenne fœdus cum ipso contraxit ob perfectissimam pacem, ad quam vtrumque hominem in eo reduxit, vt ad vlteriora progrediens, aptus, & idoneus fieret ad illam diuinæ reconciliationis gratiam, quam erga genus humanum, vt triformiter repararetur,ab ipso, tripliciter Legislatore, ipso mediante elargienda erat. Hinc sequitur Bonau.Solitaria proinde loca quærebat amica mæroribus, in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet,post longam precum instantiam, à Domino meruit exaudiri. Quare contigit ei

Quid secundò.

4 Apparitio,in qua apparuit ei *Christus Iesus veluti Cruci affixus, ad cuius conspectum liquefacta est anima eius, & memoria Passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, vt ab illa hora cum Christi crucifixio veniret in mentem,vix posset à lachrymis, & gemitibus exterius contineri, sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem vitæ.* Ita Bonau. vbi de prima conuersione Francisci adhuc in habitu sæculari, cum esset annorum 25. nam post annos duos contigit secunda, antequam deponeret vestem sæcularem.

Hæc quarta apparitio euenit Francisco in solitudine.

5 Apparuit Francisco Dominus,cum omninò omnes Discipulos suos misticos, nimirum affectus rationis in vno ad vnũ perfectè congregasset, & sensuum ostia clausisset. Tunc inquam, apparuit ei Dominus in Cruce, obiiciens eius ocolis haud personam viuam, sed imaginem depictam, illique,vti Dominus mandans, & imperans, ter sensibiliter ei locutus est illis verbis: *Vade, Francisce,& repara,*&c. Post hæc Domini, imperantis è Throno

Post hanc 5. apparitionẽ incępit Frã. habere discipulos.

Crucis verba *dedit* statim ipse Francisco *de Fratribus*. Nam victo iam seipso inter publica patriæ,& patris ignominia,reparatisq. tribus Ecclesiis materialibus,incepit mox sub rudi, ac vna tunica, reiectis pera,pecunia, baculo, calceamentis, habere Fratres, & Discipulos.

Dedit mihi. de Fratribus. Cum his verbis visio facta Ioann. Apoc.1. de Christo habente in dextera stellas septem, valde respondet. *Et habebat in dextera sua septem stellas*. Vbi Interpres Dom.2.post Pascha. *Idest septem Spiritus Sancti gratias, quas habebat in dextera. De thesauro enim suæ magnificentiâ dat gratias cui vult, & quomodo vult, & quando vult, &c. Dare* doni deriuatiuum est, *Donum* græcè dorium vocatur, quia manibus datur. Meritò ergo dona Spiritus Sancti in dextra Domini manu sunt veluti stellæ. Septem fuerunt primi Fratres, ac Discipuli, quos dedit Dominus Francisco. Franciscus quoque sex misit in tres Mundi partes, & ipse cum vno eorum pergit ad quartam. Sic Bonau.in cap.3. illis verbis. *Iam sterilis, & paupercula simplicitas Sancti Patris pepererat septem filios, & desiderabat vniuersitatem fidelium,ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino parturire. Misit ergo eos prædicare pœnitentiam, &c.*

Septē stellæ in Christi dextera pro septiformi gratia.

In his septem, septem stellæ dexteræ Christi erant, & in illis septem stellis, cuius numerus vniuersitatem denotat,teste Doctore nostro ex D. Augustino, vt aliàs dictum est, erant quoque omnes aliæ subsequentes stellæ sociorum, & Discipulorum Francisci, quos ipse conuertit, suscepitque. Has stellas dedit Francisco Christi dextera, *Dedit mihi Dominus de Fratribus*, vt primam excellentiam, siue prærogatiuam Legis Minorum (quæ veluti nouum Cælum in veteri Ecclesiæ terra, ab ipso Francisco gratia reparationis renouanda, nouis stellis exornandum, nouisque influxibus ditandum statim exoriri debebat) præmonstraret.

Septē primi discip. Frāc. septē stellæ Christi dexteræ erant.

Secunda Prærogatiua.

Medium omne, & modum quemuis humanum à Lege Minorum penitus excludens.

NEmo ostendebat mihi quid deberē facere. *Animalis homo non percipit ea,quæ spiritus Dei sunt*,1.Corinth.2.quod ita explicat Interpres noster. *In his nulla forma virtutum, sed fomes peccatorum, &c.* Hæc animalitas in quolibet homine duos supponit homines, alterum externum, internum alterum. Illum sensibus constantem, hunc verò mente:ille pars superior etiam nuncupatur, inferior autem homo exterior. Animalis homo vtroque homine, & vtraque parte simul carere nequaquam potest, aliter haud homo, & animal simul esset, sed animal tantum, ac sola bestia.

Forma virtutum vlla,sed fomes peccatorum in homine animali.

Huic animalitati humanæ *dedit pro tēpore* (ait Interpres fer.6. Hebd.3. in Quadrag.ex D.Augustino) *quinque viros,idest quinque sensus, & hoc quando non potest ratione vti. Cum autem rationis incipit esse capax, tunc regitur à sapiente, idest à mente, & hic est legitimus vir, aut ab errore, & hic non est vir eius*. Hæc ibi Interpres.

Animali homini sunt pro tēpore quinque viri.

Ab errore omnis animalis homo frequenter ducitur, quoties autumat percipere quæ spiritus Dei sunt, & supra captū hominis à Dei spiritu, qui dat cui vult, quando vult, & quomodo vult; immediatè elargita. Ordinauerat Deus, tradideratque legem Decalogi populo suo per manus Moysis serui sui, cui etiam modum, & media ipse ad eius obseruantiam patefecerat, vt simul cum his populo daret. Errabant tamen Scribæ,& Pharisæi, Doctores, legis periti, & sapientes Pontifices, & Sacerdotes circa illorum modum. & circa alia media humana, ac præcepta,quatenus eis addebant,vel onera grauia, & importabilia, quæ ipsi digito amouere nolebant, vel aliqua signa in signum maximæ temeritatis. Erant hæc signa præter alia dilatatio phylacteriarū, fimbriarumque magnificatio. Amor primorū accubitorum in cœnis, primarumque Cathedrarum in Sinagogis. Salutationes in foro,atque aliorum reuerentia, qua vocarentur Rabbi. *Quinquies errabant culpabiliter*, aduertit Interpres noster super illa verba Saluatoris, *Alligant autem onera grauia, & importabilia, &c.* Math.23. vbi docet Christus,ait serm.fer.3.Dom.2. Quadrages. declinare quid verè ab istis Pro-

Signa arrogantiæ in hebręorum magistris.

Prophetis quantum ad quinque, &c. Et infra concludens ista quinque. *Hæc autem omnia erant signa arrogantiæ, & superbiæ, quæ occupauerant ipsorum corda*. Ita ibi.

Ex hoc intelligimus planè, *quod animalis homo dum non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt*, vbi vult ipse ex se percipere, interpretari, eisque aliquid addere, quod potius aduersatiuum, quam declaratiuũ est (seu dispositiuum, aut impulsiuum ad illorum intelligentiam, atque reuerentiã, & obseruantiam) si per modum legis se habet, errat, fallit, atque in apertam arrogantiam se incidisse declarat. Quandoquidem *In his nulla forma virtutum, sed fomes errorum est, atque culparum*. Id sæpè contigit Fratri Heliæ, qui præsumebat ostendere Francisco, quid deberet facere post acceptam à Deo legem, & quantum ad trium votorum substantiam, & quantum ad modum, & ad media circa illorũ obseruantiam per præcepta, consilia, admonitiones, correptiones, libertates. Diximus enim supra lib. 4. cap. 4. vbi de tertio Eueutu Francisci, in eius aduentu ad Vrbem Romam, Fratrum Minorum Regulam & quantum ad eius substantiam, & quantum ad eius modum, & media, fuisse à Deo immediatè Francisco reuelatam.

Heliæ præsumptio post reuelatam à Deo Franc. legem.

Quod autẽ addidit ei B. Cæsarius ex sẽtentiis Euangelicis, & ex eiusdem Legislatoris mandato, ad ornatum tantum pertinuit, licet postea in eius compendio vna cum sua prolixitate circa sententias Euangelicas, & Capitum distinctionem ab ipso Cæsario fortè excogitatam ablatum fuit iuxta aliam reuelationem Francisco cælitus effectam, vt suo loco dicemus. Itaque totum id, quod à principio in ea posuit Franciscus, & quod postea clausit in eius Compendio, addens ibi præceptum eminens de petendo aliquem S.R.E. Cardinalem in Protectorem) fuit ipsi diuinitus reuelatum. Id autem solum duo continet, vnum est essentia, ac substantia votorum, quod in qualibet Religione reperitur; aliud dicitur modus, hisque media continet, quæ præcepta, & consilia sunt, quibus ad eorundem obseruantiam Apostolicè inducuntur Fratres Minores. Vtrumque ex præcipua Dei reuelatione accepit Franciscus; adeo vt nihil humanum in ea contineatur, nihil ex prudentia humana excogitatum. Asseruit idem Legislator mortis suæ tempore, testati sunt eius socii, sicut ab ore eius acceperant, & à quibus accepit deinde Bonauentura. Qui loquens de Regula Fratrum Minorum & quãtum ad eius essentiam, & quantum ad eius modum circa illius obseruantiam, secundum vitæ Apostolicæ formam (quam essentiam, & quẽ modum Summorum Pontificum, siue Doctorum glossæ, Constitutiones Ordinis, illis conformes in illos, qui haud sincerè Regulam vel exposuere, vel audent exponere, declarauerunt, vt scilicet sine glossa aduersatiua obseruetur) duo refert in vita, & legenda S. Francisci cap. 4. Primum, *Quam Regulam, &c.* Secundum, *ad cuius, scilicet, Regulæ obseruantiam*. Vide vtrumque apud ipsum, & in principio Tomi sequentis.

Regulæ S. Franc. essentia sunt vota, modus, & media, præcepta, & consilia.

Omnia Deus reuelauit Franc.

Fatetur idipsum Bonau. de se ipso, vt paulò infra.

In doctrinæ, ac Legis Euangelicæ splẽdore Christus Author ipsius, & Sol iustitiæ dum lucet, illos eosdem radios, quos in Francisci Legislatione, quæ nihil aliud est, teste ipso Legislatore, nisi medulla Euangelica, diffundit. *Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis obcæcat oculos*. Ecclesiast. 43. Iuxta Interpretis nostri explanationem ex Dom. 11. post Trinit. in hac sententia talis se habet Christus vt Sol in lege, ac Regula Minorum, qualis in Codice Euangelico, ac propterea & quantum ad substantiam, & quantum ad modum lex Minorum tota lux cælestis est, omnem terrenam lucem excedens. Quod ita probatur.

Regula Minorum tota lux euangelica est.

1 *Sol est Christus* (ait Interpres) *qui habitat lucem inhabitabilem, & inaccessibilem, cuius luci omnis lux tenebræ, cuius iustitia omnis Sanctorum iustitia comparata, est sicut pannus mestruatæ, &c.* Et in lege Minorum Christus sic quoque apparet, dum è sua conditione, ac traditione omne quod ponitur, ipse posuit. Omne, quod aliis præcipitur, suum est. Omnem terrenam lucem vertit in tenebras. Omnem humanam iustitiam in pãnum menstruatæ commutat.

2 *Huius lucis* (subdit Interpres) *quatuor equi sunt quatuor Euãgelistæ. Matthæus fuit quasi equus splendens*, cui attribuitur facies hominis, quia de homine exorsus est scribere. Liber Generationis, &c. *Marcus equus calens*, cui attribuitur facies Leonis, qui calidæ est naturæ. Sic enim ait, Vox clamantis in deserto. *Ioannes ardens*, cui facies Aquilæ, eo quod irreuerberatis oculis tamquam Aquila semper seipsum eleuatus prospexit Solem, cum ait. In Principio erat Verbum. *Lucas tepescens*, cui facies Vituli attribuitur, qui in sacrificio occiditur, quod Lucas præcipuè exequitur. Hæc Interpres alludens ad quatuor naturas Solis, ob quas cum quatuor equis solet depingi, *Quia dum* oritur

Quatuor Euangelistæ veluti quatuor equi Solis iustitiæ Christi.

oritur splendens est. Cum ascendit pallens. Quando est in medio ardens. Cum declinat ad occasum tepescens, &c.

Veluti fons in riuulis legis Min. continentur

Ipsi quatuor Euangelistæ veluti fons in suis riuiculis necessariò in lege Euangelica prout Minoribus traditur continentur. Nam si Christus Sol ipsis equitans in Euangelio, quod commune est cũctis Christianis, quatuor effectus iuxta prædictas quatuor naturas peccatoribus parit; parit quoq; eosdem maiori vi, vti pepererat in Apostolis, quoties in lege Minorum se prodit illis, qui eam profitentur. Inquit enim Interpres. *Iste Sol cum peccatori oritur, fit splendens in peccati cognitione. Calens in ipsius dolore. Ardens in satisfactionis feruore. Tepescens in vitiorum mortificatione.* Ad hæc statim Interpres concordantiam sententiæ propriæ addit.

3 *Tripliciter Sol exurens montes, &c.* Quod sic exponit, vt alias rescriptum est. *Mons dictus, quia non habet motum. Montes sunt huius sæculi superbi.* Psalm. Montes sicut cera fluxerũt à facie Domini. *Quod fit cum ipsos exurit tripliciter, scilicet. Contritione, Confessione, Satisfactione. Hac vstione orabat exuri Propheta, dicens.* Vre renes meos, & cor meum. *Cor vritur contritione. Lingua Confessione. Renes Satisfactione, &c.* Vstio hæc triplex, ex Sole Christo proueniens in lege Fratrum Minorum, dum veluti in curru igneo, cui equi ignei graditur, vt superius demonstratum est, non tantum christiana est, ac religiosa, sed Apostolica, atque Seraphica. Ipsa cunctam mundi superbiam radicitus exurens, adeo in cinerem conuertit, vt propterea suos Apostolicæ humilitatis cinere vestiat.

Sol Christus tripliciter exurit mõtes

Potissimũ in Minorũ lege

4 *Sequitur*, pergit Interpres, radios igneos exufflans. *Radij Solis*, ait, *sunt Paupertas, Patientia, Obedientia Christi. Quot exempla, quot salutis verba nobis dedit, tot radios igneos, quibus accenderemur ipsius amore, nobis ex se sufflauit, de quibus subditur.* Refulgens radiis suis, obcæcat oculos, *quia radijs paupertatis, & humilitatis obcæcantur superbi, vt non videntes videant. Est enim tamquam collyrium oculum infirmum perturbans, & quasi excæcans, sed postea clarificans, & illuminans, &c.* Hactenus Interpres, & quidem satis in rem nostram lepidus, ac proprius.

Radii Solis Christi quatuor.

Ab his quomodo obcæcentur peccatores.

Hæc quadripartita radiorum claritas in lege Euangelica à Deo per Iesũ Christum filium eius & quantum ad essentiã, & quantum ad modum, & media dependet. Pariter & in Regula, ac lege Fratrũ Minorum, quæ nihil aliud est, nisi Sancti Euangelii obseruantia, vbi essentialia sunt tria vota, ex Consiliis Euangelicis desumpta. Media sunt multa præcepta sub mortali. Modus sunt plura consilia, quæ dicuntur monitiones, correptiones, libertates, quæ cuncta in Euangelio continentur, & à Christo immediatè reuelata sunt per Franciscum. Quare magna Dei prouidẽtia deinde factum est, vt quæ Christus, præmonitrans Francisco suæ prioris legis compendium, in tot partes, scilicet quatuor (quarum cuilibet paria capita æqualiter tribueret) distribuendum ordinauit, quot tam naturas, quam etiam radios Solis Christi Interpres noster distinxit.

Quadruplex claritas in lege euangelica, ac Fr. Minorum.

Vnde Bonau. in principio expositionis Cap. 1. super illa verba. Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangeliũ obseruare; Ita scribit. *Hic subditur confirmata veritatis narratio, quæ rubriciis duodecim discernitur, qui sunt duodecim durissimi lapides, de quibus dicit Iosue* 4. Quod duodecim electi viri acceperunt de alueo Iordanis, vbi steterunt Sacerdotũ pedes, duodecim lapides, ponentes in loco Castrorum, vbi illa nocte deberent figere tentoria. *Hoc est dicere, quod Fratres Minores tamquam viri, à Domino vero Iosue electi, volentes pertransire Iordanem, & festinare ad terram promissionis, eligant sibi duodecim durissimos lapides, idest duodecim capitula Regulæ, Euangelica, & Apostolica sententia confirmata, de loco, vbi steterunt pedes Sacerdotum, hoc est ad imitationem duodecim Apostolorum.* Tres primæ rubricæ, subdit, radios recipiunt Orientis. Tres aliæ sequentes, pericula excludunt Aquilonis. Tres, tertio loco positæ obuiant malis ab Occasu. Tres vltimæ, Australibus deliciis sunt refectæ. Vt sic Ciuitas in quadro posita, ornata duodecim portis, scilicet duodecim Apostolicis margaritis; non timeat potentis insultũ, pauperum, & sapientum industria communita. Triũm autem primo positarum, idest Orientalium rubricarum. *Prima summariè Religionem instituit. Secunda ad eam venientes recipit. Tertia receptos interius, & exterius instruit disciplina, &c.* Hæc Bonauentura, in posteriori Tomo plenius explicandus.

Cur lex Minorũ vt compendiata in 12. rubricas diuisa.

Rubricæ in 4. partes distinctæ.

Est lex Min. ciuitas in quadro posita.

Haud ergo mirum, si Seraphicus Legislator in extremo vitæ testatur, *Neminem ostendisse sibi quid deberet facere circa legis traditionem postquam Dominus ipsi de Fratribus dederit.* Id enim totum ab ipso Christo, qui ex se immediatè Franciscum delegerat in reparationis Ecclesiæ opus, pluribus ex causis operi Redemptionis assimi-

assimilandum, Reparatori suo reuelandum erat, non autem illi ab homine demonstrandum.

Hinc toties post reuelatam, ac traditā legem monet suos Fratres Franciscus, vt ea sine glossa intelligatur. Hinc etiam experientia postea multoties demonstrauit, quomodo humana Commentaria, expositiones, declarationes circa essetiā, & circa modum, & media talis Regulæ, passim se habuerint. Nunc haud paucæ apertè aberrantes à germana illorum intelligentia, nunc parum consentaneæ apparentes, ob quam causam coacti sunt plures Romani Pontifices germaniorem eorum, sincerioremque aperire sententiā, non vt adderent eis glossas in Legislatoris mentis, ac intentionis præiudicium, sed vt aliorum glossas, menti Francisci parum consonas è medio tollerent. Id ipsum sæpè contigit sacræ paginæ expositoribus. Dicamus ergo cum Interprete nostro, quod idcirco *animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt in Regula S. Francisci, quia in his nulla forma virtutū, sed tantum fomes peccatorum*, vt supra.

Vnde exortæ in Regula Minorum tot glossæ.

In hac lege, diuinitus reuelata Sol Iustitiæ Christus tunc *excæcat oculos per modum collyrij radijs paupertatis, & humilitatis, & patientiæ, & obedientiæ* cum sæculares eam profitentur, *quia sic sanat, & illuminat*. Tunc verò excœcat, non vt sanet, & illuminet, sed vt execret, & improperet, cum videntes eam, non vt videant vident; intelligentes, non vt intelligant intelligunt, quia aut malè eam interpretantur, aut malignè calumniant, aut mala obseruantia conculcant. Multorum cœcitas oritur plerumque ex radio paupertatis, sine qua tota lux legis Minorum penitus tenebrescit. In lege Francisci sēper incepit malum à læsione paupertatis. Profitentes eam ad literam sine vlla Summorum Pontificum dispensatione, vt in paupertatis radiis non obcœcentur, ita in eam obtutus dirigant, sicut direxit Bonauentura, qui scribens super cap. 6. Regulæ circa vsum rerum, hanc subiecit de paupertate quæstionem.

Sol Christus in lege Min. quando excęcat ad bonū, & quando ad malū.

In radiis paupertatis plurimi excęcantur.

Quæstiuncula D. Bonauent. circa vsum rerum.

Sed quæritur: ex quo Fratres tantum habent vsum rerum, possunt ne habere vsum quarumcumque rerum.

Disputatio de paupertate Minorū.

Et videtur quod sic, quia teste Gregorio lib 10. Moral. cap. 17. *Census non est in culpa; sed affectus*: ergo sufficit habere affectionem liberam, nec est vis de rebus, siue sint magnæ, siue sint paruæ. Item *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, Gen. 1.* Bonū autem additum bono auget ipsum: ergo carentia diuitiarum nihil facit ad profectum. Item nonne multi Sancti leguntur in vtroque Testamento in diuitiis abbundasse?

Respondeo ad quæstionem, quod cum Fratres sint professores Altissimæ Paupertatis, oportet, quod omnia, quæ in eorum vsum veniunt, habeant vt est possibile, *Paupertatem, Vilitatem, & Asperitatem. Quæ tria Paupertatem Altissimam naturaliter consequuntur.* E contra, diuites habent affluentiam, gloriam, & apparentiam, & consolationem, quæ possunt diuitiis comparari. Quia ergo Paupertas, in quantum est contraria diuitiis, caret his tribus, si caret diuitiis, necesse est, vt Paupertas Altissima, vt est possibile, careat his tribus in summo.

Tria naturaliter altissimam consequuntur paupertatem.

Non ergo competit viris pauperibus habere magnas arcas, vel sumptuosa ædificia, aut quæcumque similia, non vasa ornata, non cellaria vinaria, non promptuaria instaurata, sed vt omnia quātum patitur fragilitas ad paupertatis strictissimam regulam reducantur; ideo addit. *Sed tamquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo*.

Et ad dictum Gregorii dicendum. Fateor quidem, quod *Census non est in culpa* essentialiter, nec causaliter, sed occasionaliter, quia affluentia habita, allicit animum possidentis. Vnde Bernardus in declarat. super Ecce nos reliquimus omnia. *Hæc est ratio non habendarum diuitiarū præcipuè, quia sine amore vix, aut numquam haberi possunt*. Vnde Poeta:

Census est in culpa occasionaliter.

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Ad tertium dicendum, quod aliqui Sancti fuerunt diuites, sed paucissimi. Vnde diuitiæ in singulari numero, & cum conditione commendantur à Sapiente Ecclesi. 3. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula*; sed pluraliter damnantur à Christo Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram*. Illis tamen omnibus Christus infinitè præponitur, qui se exhibuit Doctorem paupertatis verbo pariter, & exemplo. *Quod autem melius elegit, magis est eligendum.* Hactenus Bonauentura in illa breui de altissima Fratrum Minorum Paupertate; sed illorum maximè, qui ad literam sine vlla Papali dispensatione, aut priuilegio eam obseruare profitentur.

Diuitiæ in singulari numero cū conditione cōmendantur.

Hi siquidem plurimum cauere debent, ne

ne cœci fiant, ac cœcorum duces ante ipsos altissimæ paupertatis radios, dum sub aliquo colore, vel quia non emunt, nec emere faciunt à benefactoribus, sed potius benefactores sponte, & eleemosinaliter exhibent totum id, quod necessarium est ad ea efficienda, quibus simpliciter vtimur; vel quia operarii cum fratres nostri sint, sine vlla expensione illa faciunt, v.g Claustra, Domicilia, Templa, Altaria, Choros, libros chorales, & similia valde polite nõnunquã fabrefacta, passimque lapidibus, statuis, picturis, & similibus magnificè effecta. *Non enim competit viris pauperibus*, qui Regulam haud dispensatam, & priuilegiatam obseruare vouent, sed puram, & vt aiunt ad literam, *habere magnas arcas, &c.*

Caueant Reformati nostri à cõmuni excœcatione ante Reg. radios.

Sit ergo radius Seraphicæ Paupertatis in eorum oculis veluti collyrium ad maiorem eorum clarificationem, & illuminationem, sitque in vtroque homine talis, vt scilicet Paupertas in effectu Paupertati in affectu correspondeat, quæ nisi seipso, ac propria voluntate Religiosum expoliet, valde diues remanet, factus suæ voluntatis, quæ omnem thesaurum superat, locupletissimus. Monstruosa vtique res paupertas exterior, & interiores diuitiæ, quæ expoliant animos virtutibus, vt aliàs diximus ex Interprete nostro. Pereunt virtutes, perditur meritum, etsi labores multi, vbi superior subditorum voluntatum non potest esse patronus, sed subditi haud pauci fauoribus alienis innixi opprimunt superiorum potestatem, vexant, eosque cum ordine confundunt. Cunctis præcipit Sanctus Legislator cap. 6. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo, &c.* Vbi Seraphicus expositor. Hoc quidem rectè, quia dicit Seneca. *Tutissimè viueretur si tollerentur duo verba, meum, & tuum. Planum est his temporibus summum facere tumultum in Ecclesia, &c.* At vita tuta non est, salus nostra infeliciter claudicat, si relictis omnibus, nos nondũ reliquimus. Laborat in domibus Lector, Concionator, Confessarius, Sacerdos, Cõuersus, at dum sit proprietarius loci, vel rei, atq; multi inde student retinere superiorem, ne possit eum à loco, vel à re remouere, eius labor non erit ad meritum, sed ad mœrorem. *Simon frater vester scio, quod vir humilis est,* dixit filiis suis Matathias, Machab. 2. Vbi Interpres Dom. 19. post Trin. *Simon ædificat, quia ad hoc obedientia laborat, vt ædificium boni operis in altum crescat, &c.*

Propria voluntas magnus thesaurus est.

Labor cum propria voluntate est sine merito

Dum caret merito, mœrore non caret.

Tertia Prærogatiua.

Legislationis Franciscanæ diuinam cõtinens reuelationem, radijs duodecim diuinitus præuentam, cunctamq; humanam industriam omninò ab ea eliminans.

SEd ipse Altissimus reuelauit mihi, &c. Vox ista monosillaba, *sed*, ab ore Seraphici Legislatoris in extremo vitæ positi procedens, coniunctio est discretiua; diuidit enim Deum ab homine, atque vias, & cogitationes Domini, à viis, & cogitationibus hominis alias esse, ac dissimiles ostendit illud, *Non sunt viæ meæ viæ vestræ, nec cogitationes meæ cogitationes vestræ.* Qua de re postquam in verbis antecedentibus omnem humanam sapientiam, ac prudentiam in suæ legis institutione excluderit, dicens; *Nemo ostendit mihi quid deberem facere*, oportuit, vt sequentem propositionem augens orationem inferret. *Sed ipse Altissimus, &c.* Quam loquendi formã tenuit longè ante Apostolus Paulus cap. 1. ad Galatas, illis verbis. *Notum facio vobis, fratres, Euangelium meum, quod euangelizatum est in me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.*

Sed, vox monosillaba quid importet.

Addamus modò coniunctioni, sed cum Interprete nostro istud aduerbiale, *sicut*; quod licet ex sua natura similitudinem importet, interdum tamen non res similes, sed aduersas, & planè contrarias denotat, & planè in priori membro ponuntur. *Causam, quam non noueram, diligenter inuestigabam,* Iob 29. Vbi Interpres fer. 3. Hebdom. 4. in Quadrag. *Sicut amor Dei non est nunquam sine luce cognitionis, est enim ignis inflammans, & illuminans, sic amor Mundi nunquam est sine cæcitate. Est enim ignis conformis igni infernali, qui inflammat, sed est tenebrosus, & sine claritate. Et ideo qui amori diuino non adhærent, non possunt iudicium discernere, sed iudicant solum secundum faciem, quam assumunt, scilicet peccati; facies peccatorum sumitis.* Hæc ibi Interpres.

Et quid sicut illi adiũctum.

Cognitionis lux amoris Dei in Francisco à Patre luminum descendens, à primis discretionis annis contra culpam, quæ est odium Dei, incepit, semperq; augens ei charismatum dona vsque ad finem vitæ continuauit. Refert D. Bonauentura in cap. 1. 2. & 3. legẽdæ plurimos huiusce

lucis

lucis radios adhuc Fräcisco absconditos cum inter vanos adhuc fuerit hominum filios, antequam Fräciscus Legislator efficeretur. Duodecim nos in præsentiarum deligimus, per quos ad illam lucis cognitionem gloria Dei extulit seruum suum, ob quam illam legē sibi meruit reuelari, quæ valida ac potens esset, Christi legem, & eius Ecclesiam reparare.

Nutritio, & educatio Franc.

I RADIVS amoris Dei ipsi Francisco adhuc occultus. *Iuuenili ætate nutritus in vanis*, & post aliqualem literarum notitiā lucratiuis negociis mercationum deputatus, superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia post carnis petulātiam abiit, nec inter cupidos mercatores, quāuis intentus ad lucrum, sperauit in pecunia, & thesauris.

Eius erga pauperes miseratio.

II RADIVS in eius præcordiis ab infantia insitus, qui & causa prioris. *Inerat namque iuuenis Francisci præcordijs diuinitus indita* quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleuerat, vt iam Euāgelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maximè si Diuinum allegaret amorem.

Pœnitētia de de repulso paupere.

III RADIVS clarior proditur dum retinetur, calidior vbi tepescit. *Cum autem semel negociationis intētus* tumultibus, pauperem quemdam, pro amore Dei petentē eleemosinam, præter morem solitum vacuum repulisset, statim ad cor reuersus, cucurrit post ipsum, & eleemosina illi clementer impensa, *promisit Domino Deo, quod nunquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret.* Quod vsque ad mortem indefessa pietate obseruans, copioso in Deum deuotionis, & gratiæ incremento promeruit. Aiebat enim post, cum iam perfectè Christum indueret, quod etiam existens in habitu sæculari vocem Diuini expressiuam amoris audire vix vnquam sine cordis immutatione valebat.

Indoles ad plurima egregia.

IV RADIVS in plures igniculos erumpens, iam varia indolis, ac dotum claritudine circumfusus. *Porrò mansuetudinis lenitas cum elegantia morum. Patientia, & tractabilitas supra humanum modum. Munificentia largitas vltra suppetentiam facultatē.* Quibus bonæ indolis adolescens certis florere videbatur indiciis, *quadam videbantur esse prælubia*, quod copiosior super eum foret in posterū diuinæ benedictionis abundantia diffundenda.

Ei à simplici ciue præstita reuerentia.

V RADIVS per alium diuinum radium simplicis hominis mentem perlustrantem miro splendore detectus. *Quidam sanè Vir Assisij valde simplex, vt creditur eruditus à Deo*, cum aliquando per Ciuitatem eum obuiaret Franciscus, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, asserens, omni fore Franciscum reuerentia dignum. Vtpotè qui erat in proximo magna facturus, & ab hoc ab vniuersitate fidelium magnificè honorandus.

VI RADIVS sub ignorantiæ nebula, mox rumpenda, ac dissipanda. *Ignorabat autem adhuc Fräciscus circa se consilium Dei*, pro eo, quod cum iussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari cælestia, nec assueuerat degustare diuina.

Ignorantia eius circa se de Dei consilio.

VII RADIVS, Sancti Spiritus vnctioni coaptans Francisci animam. *Et quia spirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini*, & immutatio dexteræ Excelsi, diutinis languoribus ipsius corpus affligens, vt coaptaret animum ad Sancti Spiritus vnctionem.

Erud tio in schola tribulationis.

VIII RADIVS gemino lumine clarescens ad miraculum, veluti omnis Francisci in tota eius vita claritudinis prænuncius. *Cumque resumptis corporis viribus sibi vestimenta decentia more solito præparasset*, obuium habuit militem quemdam, generosum quidem, pauperem, & malè vestitum. Cuius pauperiem pio misertus affectu, illum protinus se exuto vestiuit, *vt simul in vno geminum impleret pietatis officium, quo & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam releuaret.* Hic radius origo fuit omnium aliorum succedentium in tota Francisci vita annis 45. conclusa, vt supra demonstratum est. Alii radii haud pauci, ac mirabiles in statu sæculari apud Bonauent. ibidem. Radii verò in statu eius perfectę conuersionis in principio, vsque ad mutationem habitus, ac deinceps ad latione Legis apud eundem partim in cap. 1. residuo, partim in cap. 3. vsque ad medium. Illorum aliquot ita se habent in cap. 2. præfato.

Compassio maxima erga generosum, ac pauperē militē.

IX RADIVS omnes mundanæ sapientiæ obscurans radios. Absconditus, quia verè diuinus. Detectus, quia verè cælestis. Radius à nulla spurcitia maculatus, à nulla vi confringendus, à nulla iniuria mutandus. Demonstrans Bonau. iuuenem Franciscum accinctum ad primæ Ecclesię de mādato Christi reparationem, adhuc in statu sæculari, eumq; in occulta quadam fouea diebus aliquibus delitescentem, iam antea quæsitum à patre, & parentibus ob oblatam Sacerdoti pecuniā, & ibi

Magnanimitas insueta dum exit à caua, vt se prodiat ad ludibria, ac verbera.

& ibi ad Deum lacrimantem, vt à manibus persequentium liberaretur, subdit statim sic. *Igitur excessiua quadam repletus lætitia, capit de pusillanimitatis ignauia semetipsum arguere*. Relictaq; fouea, & abiecto pauore, versus Ciuitatem Assisii iter aggressus est. *Quem cum Ciues cernerent facie squallidum, & mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent à sensu, luto platearũ, ac lapidibus impetebant; & tamquam insano, & dementi clamorosis vocibus insultabant*. Famulus autem Domini nulla fractus, aut mutatus iniuria, vt surdus in omnibus pertransibat.

Fortitudo heroica in tirannidem patris.

X RADIVS eò inextinctior, quò videtur extinctus. Nullam patiens eclypsim, quamuis vt totali subiaceret elypsi horribiliter inuasus. *Cumque clamorem huiusmodi Pater audisset, statim accurrens, non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum, omni miseratione subtracta, pertractum domi, primò verbis, deindè verberibus, ac vinculis angit*. Ipse autem ad exequendum Domino quod cœperat, promptior ex hoc, & validior reddebatur, recolens illud Matthæi 5. *Beati qui persecutionem patiuntur, &c.*

Constantia inflexibilis maternas vincens lachrimas.

XI RADIVS, quo in sua perardenti luce solidior, eò in densiores tenebras vehementior. Quæritur, vt perdatur. At ipse prodit se, vt tenebras perdat. *Post modicum verò tempus Patre à patria discedente, Mater eius factum mariti non approbans. & inflexibilem filij constantiam emolliri posse non sperans, à vinculis absolutum, abire permisit*. At ipse gratias omnipotẽti Deo referens, ad locum in quo prius fuerat, est reuersus. Rediens autem Pater, & eum non inueniens domi, conuiciis illatis vxori, fremens currit ad locum, vt si eum reuocare non posset, saltem de Prouincia effugaret. *Franciscus verò confortatus à Deo, obuiam vltrò se obtulit Patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula, & verbera eius*, insuper & contestans, se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum, &c.

Contemptio rerũ omniũ non habens parem iam coram patre nudata.

XII RADIVS quemdam spiritalem Zodiacum Solis Cilicini, ac feruidi amoris Dei, Deo, Angelis, & hominibus veluti in nouo spectaculo obstupescentibus, mirandum in modum in Francisco concludit. *Tentabat deinde Pater carnis FILIVM GRATIAE, pecunia iam nudatum ducere coram Episcopo Ciuitatis*, vt ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ad quod faciendum, se promptum exhibuit *Verus Paupertatis amator*. Perueniensque coram Episcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit; *Sed continuò depositis omnibus vestimentis, restituit ea Patri. Inuentus est autem tunc Vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex mirando feruore spiritu ebrium*, reiectis etiam fęmoralibus, totus corã omnibus denudatur, dicens Patri. Vsque modo vocaui te Patrem in terris, amodo autem securè dicere possum, *Pater noster, qui es in Cælis*, apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei fiduciam collocaui.

Hoc cernens Episcopus, & admirans tam excedentem in Viro Dei feruorem, protinus exurrexit, *& inter brachia sua illũ cum fletu recolligens, vti erat vir pius, & bonus, pallio, quo erat amictus, operuit*, prę-cipiens suis, vt aliquid sibi darent, ad mẽbra corporis contegenda. *Oblatus est autem ei mantellus pauper, & vilis cuiusdam agricolæ seruientis Episcopi*. Quem ipse gratanter suscipiens, cum cęmento, quod sibi occurrit, ad modum Crucis manu propria consignauit. *Operimentũ formans ex eo Crucifixi hominis, & pauperis seminudi. Sic igitur seruus Regis altissimi nudus relictus est, vt nudum sequeretur Crucifixum Dominum, quem amabat. Sic vtique Cruce munitus, vt animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio exiret. Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relicta, securus, & liber secretum solitudinis petijt, vt solus, & silens superna audiret allocutionis arcanum, &c.*

Quod primò induit nudatum Franc. inter brach. Episc. Assis. ipsius Epis. palliũ fuit.

Mox eo deposito, agricolæ mãtellũ, quem ipse sibi accõmodauit in vestem.

Sic petijt se cretum solitudinis.

Lumina innumera ex hoc arcano amoris Dei in Francisco orta sunt vsque dum audito in Euangelio Christo Domino, Discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuente in viuendo Euangelicam, solutisque proinde calceamentis de pedibus, sine baculo, pera reiecta, pecunia execrata, vnaque contentus tunica, relicta corrigia, sumptaque pro cingulo fune, *omnem sollicitudinem cordis apposuit qualiter audita perficeret, & Apostolicæ rectitudinis Regulæ per omnia se cooptaret*. Hæc radiosa, ac luminosa in Francisco coaptatio in primæ eius prædicationis splendorem erumpens, ad amoris Dei cognitionem cępit alios allicere vsque ad numerum duodenarium. Qui iuxta prædictorum duodecim radiorum enumerationem, & aliorum plurimorum, luce cognitionis Dei refertorum (numerus enim duodenarius est numerus vniuersitatis) tot pariter Discipulos, & socios Fratres dedit Francisco, vt eis legem daret, & ipse Legislator constitueretur.

Deinde se coaptauit apostolicæ rectitudinis regulæ.

Hinc haud mirũ, si iam ad talis, tantęq; legis receptionẽ idoneus factus est Franciscus ob tãtorũ radiorum illustrationẽ.

Nam

Nam dicit Gregorius in Moralibus apud Doctorem nostrum serm. 2. Dom. 3. in Quadrag. in princip. *Lucis nomine nonnunquam iustitia designatur. Tantum igitur de luce quilibet participat, quantum ab iniquitate recedit, Deo innititur, & vnitur. Nihil enim aliud est iniustitia, nisi à Deo recessus. Quia igitur homo quilibet deserendo peccatū Deo adhæret, idcirco talis lux poterit rationabiliter nuncupari, maximè si fiat operatio ad oppositum, à quo discessit.* Hæc ibi Doctor. Tota sæcularis Francisci vita, etiam inter ipsas Mundi vanitates, & mercaturæ lucra, tota ad oppositum peccati extitit; ac per consequens tota iustitia fuit, tota lux in Domino, vt docet Interpres ex D. Paulo. Tota diuini amoris radiis circumfusa, quorum duodecim quoque fructus lucis diuinæ fuerunt, de quibus idem Interpres cum eodem Paulo loco citato ad finem sermonis. Quod si ea ita præcipua non esset, nequaquam Bonau. in Prologo scripsisset, quæ aliàs attulimus ab illis verbis. In ipsum namque, &c. vsque ad illa alia in fine paragraphi; *Rationabiliter cōprobatur venisse in spiritu, & virtute Eliæ.*

Lucerna accensa in mare Asphalt supernatat, extincta statim mergitur.

Nemo hominum poterat ei ostendere quid deberet facere, etsi eximia sanctitate, ac multa doctrina polleret. Sed cur nemo hominum? Audiamus Interpretem nostrum, qui loquens fer. 6. Dom. 1. in Quadrag. de Mare *Asphalti*, tria aduertit ex Isidoro, quorum tertium ita apud ipsum. *Tertio, quia lucerna accensa supernatat ibi, extincta verò statim mergitur. Sic cor peccatoris splendorem sapientiæ, & notitiæ non potest sibi imprimere; sed solum tenebras fraudis, aut malitiæ. Quot sunt Mundi sapientes, qui sciunt inuenire versutias infinitas, & tamen de diuina notitia nihil sciunt?* Quotquot sapientes illius temporis reperiebantur in Ecclesia Christiana, ruinæ, & etiam reparationi propinquissima, ita se habebant omnimodè, sicut tempore suæ fundationis, quando nullus repertus fuit inter Hebræorū Doctores, qui ostendere posset Christo, à Deo missus, quid deberet facere, postquam Deus ipse illi de Fratribus dederat. Omnis enim sanctitas, omnis sapientia in comparatione Christi, atque eorum, quæ ex ipso dependent, peccatum est, atque ignorantia, vt Interpres noster pluribus in locis philosophatur. Erat Christus lucerna accensa, ac supernatans in mare huius mundi, alii sapientes Iudæorum, quamuis supponeremus omnes sanctissimos, erant lucernæ extinctæ. Christus ergo reuelatus vt Redempto, reuelatam legem tradere suis debebat, & hac reuelata lege Ecclesiam suam fundare, mundum redimere. Ita etiam Christus ipse, qui immediatè reuelauerat Franciscum, vt esset reparator Ecclesiæ suæ, reuelare ipsi debebat & legem, qua posset reparationis opus exequutioni demandare. *Sed ipse Altissimus reuelauit mihi.*

Christus vt Redemptor reuelatus, & reuelata eius lex.

Ita & Franciscus, & eius lex.

Et meritò quidem: nam ex illis duodecim Amoris Dei in Francisco radiis, quibus ad rerum diuinarum cognitionem eleuabatur, & totus videbatur lux, quatuor illas dispositiones, varias, necessarias, vel saltem opportunas ad diuinas reuelationes contineri planum est.

1 *Vocant mentis quietem, ac tranquillitatem.* Nam omnibus quidem, ait Basil. Proemio in Isaiam, adest Spiritus Sāctus, *verum in suis, qui puri sunt affectibus vim peculiarem ostendit.* Sic Angeli apparentes in scripturis, & varia oracula annunciantes, veluti viam præmuniunt, dum timorem eximunt, eaque ratione animum eorum, quibus reuelant sua misteria, præparant.

Reuelationes diuinæ quibus folli. tæ sint patefieri.

2 *Abstractionem animæ à sensibus, & sensibilibus rebus per crebram orationem, & meditationem.* Non potest enim anima cum limitatæ sit virtutis simul intendere rebus terrenis, & diuinis. Vide August. lib. 10. de Trinit. cap. 4. Hinc & Patriarchæ, morti vicini potissimum prophetauere, cum iam à curis essent separati, vt constat de Iacob Genes. 49. de Moyse Deut. 33. Et Eliseus Dei oraculū postulaturus, Psaltem vocauit 4. Reg. 3. Atque ad hoc plurimum facit fuga voluptatum. Ita Moyses in ieiunio quadraginta dierū se preparauit, vt acciperet Dei oracula in Sina, Exod. 34. Item solitudo, quam idcirco plures viri Sancti intrarunt, vt diuinis vacarent.

3 *Vitæ sanctitatem.* Hæc non semper est necessaria, cum Saul 1. Reg. 15. Balaam Num. 22. Caiphas Ioann. 11. Prophetias, reuelationes acceperint, atque pronunciarint, atque in die Iudicii dicent nonnulli Matth. 7. *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus?* Attamen vt donum illud continuum sit, & velut habituale, omninò requiritur, vt constat exemplis illorū, qui in scriptura celebrantur, quique cathalogo Sanctorū in Martyrologio ascribuntur. Quippe vitæ sanctitas mentem eleuat, & ad illustrationes accipiendas disponit. Cumque viri similes integerrimi, magni, dona prophetiæ excelsi mittuntur ad docendum, & ammonefaciendum, melius id præstabunt, si tam vita, quam voce sonant.

Sanctitas in prophetia haud semper necessaria, si habitualiter non datur.

4 *Humilitatem nuncupant.* Hæc virtus, ob quam tot radios amoris Dei adeptus est Franciscus, cum animum com-

plet, atque deficit, tunc incipit dilatari dilectione, & eleuari spiritu. Sicque *substernit mentem Deo*, vt demonstrat ex Gregorio pluribus in locis Interp. noster. Eaque ratione Sancti veteres Anachoretæ alioqui Sancti propheticum spiritum adepti sunt. Hæc quatuor paucis verbis egregiè docuit Interpres noster super illud Psal. 115. *Beati immaculati in via.* Vbi sic. *Prius inquirenda est bona vita, quam doctrina. Quia improbitate cæcatus oculus mentis, & caligante sibi iniquitate, misteria profunda inuenire nequit. Vnde postquam dixit,* Beati immaculati in via, *subiungit*. Beati qui scrutantur testimonia eius. Hanc bonam vitam inquirens Franciscus, hancq; reperiens radiis amoris Dei præfatis, oculis mentis illustrari meruit, sicq; vita immaculatus in breui redditus, illustratusque diuinitus, mentis quietem, ac tranquillitatem adeptus est. Abstractionem animæ à sensibus, ac sensibilibus, orationis, ac meditationis gratiam peculiarem ad miraculũ. Vitæ sanctitatem, sanctitati vitæ Christi conformem. Humilitatem adeò peregrinã, vt ea nonnisi soli Christo, ac soli Francisco penè cõueniat. Huiusce immaculatæ vitæ inquisitor sollicitissimus prius effectus, eam doctrinam deinde meruit sibi à Deo reuelari, quæ postea in lege Minorum doceret totum Mũdum quo modo, ac medio scrutanda testimonia sub Apostolica vita.

Qui immaculati in via ad profunda inuenienda misteria.

Est reuelatio idem, quod inspiratio quædam diuina rerum à nobis distantiũ, immobili veritate, & certitudine eas denuncians. Conuenit etiam Prophetia, quæ nihil aliud est, quam Diuina reuelatio earumdem rerum. Græci, ac LXX. Interpretes visionem vocant, & verbum. Visionem quidem Prophetiam auditam; verbum verò visam, vel ostensam. Quamuis visio Græcis *orasis*, vel *oraca*. Hebræis *Roe* sit propriè Prophetia, quæ mentis oculo spiritali intuetur obiectum propheticum, ipsi à Deo repræsentatum, siue vigilanti, siue in somnis. Fit autem diuina reuelatio iis plerisque monitis, quibus prophetia, cuius gradus, & modus apud D. Thomam 2.2. q.174. art. 3. Reuelatio vox est composita à velo, quæ contrariã significationem habet; nam *reuelo* idem importat, quod *detego, aperio, denudo.*

Quid reuelatio, & quando cõueniat cum prophetia.

Hinc quia per illuminationem, siue imaginariam, siue intellectualem (vtroq; enim modo contingere potest) incerta, & abscondita reperiũtur, & innotescunt, id per reuelationem fieri dicitur. Quomodo Christus Petro dicebat post insignem illam confessionem. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Vbi agunt Scriptores de somniis, modum reuelationis per somnia explicant. Vbi de prophetia aliâs reuelationum species, ac differentias. Vbi de diuinatione, siue diuina cognitione, tam reuelationes diuinas, tam alias impropriè dictas, quæ potius ad imposturas, atque Ethnicorum auguria, & omina pertinent.

Species, & differentias reualationũ quæres apud scriptores sacros.

Ibi etiam habes varias reuelationes: Vtputa. Alterius vitæ bonum, malorumue. Beatitudinis gloriæ cælestis. Purgatorii, & Inferni pœnam. Sanitatis, depulsionis morborum, periculi, incommodi euitandi. Fœcunditatis, conceptus, mortis propriæ, alienæ, Imperii, Principatus acquirendi. Imperii, Regni successionis. Vrbis condendæ. Victoriæ bellicæ. Auxilii cuiusuis contra hostes. Liberationis à variis malis. Belli externi. Cladis bellicæ. Excidii Imperiorum, Regionum, &c. Vrbium oppugnationis ruinæ.

Reuelationum inspiratio nulli loco alligatur, nec tempori, vt exemplis earum doceri quam optimè potest. Tamen eas frequenter à Deo fieri iuxta flumina, aut aquas, notauit S. Hieronymus in cap. 10. Danielis. Ezechiel iuxta fluuium Chobar vidit visionem Dei, cap 1. & 3. Daniel iuxta Tigrim præclaram visionẽ habuit, cap. 10. Et Hebræi in captiuitate Babilonica egressi Ciuitatem iuxta flumina Babilonis sedebant orantes, & meditantes. Etiam Ioanni, Christum baptizanti de Christo facta est reuelatio, Ioan. 1. Tradunt quoque Hebræi spiritum propheticum amare flumina. Et Authores prophani finxerunt, Musas in fluminibus habitare.

Passim reuelationes Dei iuxta flumina, & aquas in veteri testamento.

In Veteri Testamento Reuelationum prærogatiuis excelluerunt varii Patriarchæ, & Prophetæ. Qui omnes diuinarum inspirationum beneficiis à Deo cumulati leguntur, quorumque scripta indubitatam fidem perhibent. In nouo Apostolorum Princeps, etiam ante missum Spiritum Sanctum, reuelationem de Christi Diuinitate accepit, Matth. 16. Atque eadem mediante gentium conuersionem cognouit, Act. 10. Denique missum ad se Angelum, qui eum liberauerat de manu Herodis, & ex carcere eduxerat, ibidem cap. 12. Mendacium insuper Ananiæ, & Saphyræ super defraudato pretio agri, ibi cap. 5. Quid Ioannem Apostolum, & Euangelistam? Quid gentium Doctorem dicam, cui Angelus Sathanæ datus, vt eũ colaphizaret, ne magnitudo reuelationũ eum extolleret, 2. Cor. 12.? Vnde constat eum insuetas, easque frequentes habuisse reuelationes, iisque quasi assuetum fuisse. Hinc fuit Liber Apocalypsis diuinitus

Qui ibi reuelationibus excelluerint

Qui autem in nouo testamento inter Apostolos.

nitus traditus, qui liber nihil aliud est, quam continua, sibique succedens reuelatio, vt quam nomen ipsum importat, & libri argumentum perloquitur.

Qui deinde inter viros sanctitate celebres.

Fuerunt etiam alii, quos Deus cælesti hoc lumine illustrauit, quorumque scripta ab Ecclesia approbata sunt. Fuerunt autem in numero Sanctarum Mulierum. Talis fuit *Sancta Angela* Virgo Ordinis Carmelitarum, Regis Poloniæ filia, quæ scripsit Librum Reuelationum ante annos quadringentos. Talis *S. Birgitta* Vidua, sed ista longe antiquior S. Gertrudis, Pipini Ducis Brabantiæ filia, anno *664*. Reuelationes quoque suas collegit. Hac recentior sub Gregorio XI. circa ann.1360. quo tempore S.Birgitta viuebat, fuit *S.Catharina Senensis*, & ipsa reuelationibus illustris. Reuelans Altissimus Francisco, dono, ac spiritu Prophetiæ maximè ditato Minorum legem in Virginis Domo (de qua infra in prærogatiuis secundi generis) non apud fluuios, vel aquas, eiusdemque deinde compendium intra scissuram petræ, in morte Christi confractæ; ad totius Imperii Monarchici Ecclesiæ reparationem respexit. Non poterat enim sine hac lege reparari Christianus Orbis. Et sicut oportuit, ob excellētiam operis, vt ipse Christus, è Cruce Franciscum ter alloquens, mandaret ei reparationis negotium immediatè, ita pariter necessum fuit, vt ipsemet quoque ex se immediatè, vt excellentiæ operis excellentia legis ad illud met exequendum negotium responderet, eam Francisco reuelaret.

Testimoniū Bonau. de se ipso.

Vnde Bonau. in fine Epist. ad Magistrū innominatum Opusc. de tribus quæstionibus. Nec te moueat, inquit, quod Fratres fuerunt in principio simplices, & illiterati, imò magis debet hoc in te fidem Ordinis confirmare. *Fateor coram Deo, quod hoc est, quod me fecit vitam B. Francisci eligere, quod non fuit per hominum prudentiam inuentam, sed per Christum.* Et quia opera Christi non deficiunt, ostenditur hoc opus fuisse Diuinum, dum ad consortium virorum simplicium etiā sapientes non sunt dedignati descendere. Attendentes illud Apostoli 1.Corinth.3. *Si quis est inter vos sapiens, stultus fiat, vt sit sapiens.* Rogo, carissime, vt non nimis abundes in sensu tuo, nec credas, te prudentiorem, nec meliorem omnibus, quos Deus ad statum istum vocauit; etsi vocauerit te, non recuses. Vale in Domino. IPSE ALTISSIMVS REVELAVIT MIHI.

Quarta Prærogatiua.

Lex Minorum altissima, prout ab Altissimo reuelata.

Humillimæ pœnitentiæ imago.

D*Escende à me* (verba sunt Domini ad Iacob, in Aegyptum descendentem cap.45. Genes. *ne moreris, & habitabis in terra Iessem, erisque iuxta me, &c.* Et sequitur cap. 46. Profectus est Israel cum omnibus, quæ habebat, & venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo Patris sui Isaac, audiuit eum per visionem nocte, vocantem, & dicentem sibi. *Iacob, Iacob, Ego sum fortissimus Deus Patris tui, noli timere.* Descende in Aegyptum, quia in gentem magnam te faciam ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem. Ioseph quoque ponet manum suam super oculos tuos, &c. Describens Interpres noster super hunc textum omnem figuram humilis pœnitentiæ, & illius maximè, quæ in Francisco excelluit, octo rebus tamquam totidem coloribus ipsam efformat in serm.2. Dom. Quadrages. Ponit namque

Motus, seu nutus virtuosus descēdit per humilitatem.

1 *Motum, seu nutum virtuosum*, quia *descende*; non dicit *cade*, quia est præcipitium; sed descende, *nam si per superbiam, & per diuinum contemptum ascendisti, per humilitatem, & satisfactionem descende.* Primò mente, & humilitate. Secundò carne, & austeritate, *Sede in puluere*, quod puluis es cogita, &c. *Sede in terra*, idest quiesce aspectu propriæ miseriæ.

Signum luminosum ad Deum quid

2 *Signum* luminosū, *ad me.* Matth.11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Modus studiosus nescit moram.

3 *Modum* studiosum. *Ne moreris in terra Iessen.* Nota, quod quando via est periculosa, non est mora adhibenda. O quot predones! quot homicidæ! ideo non moreris 2. Reg. 21. *Non moreris hac nocte in campestribus*, idest in spatiosa via Mundi, quæ lata est; sed absque dilatione transgredere, 4.Reg.4. *Mina, & propera, ne moram facias in eundo.*

Locus fructuosus conscientia.

4 *Locum* fructuosum. *Et habitabis in terra Iessen*, quæ terra *compluta*, idest conscientia, stillicidio gratiæ irrigata, & fecundata, & ideo propinquo plasmationi. Leuit.16.& Deuter.28.

Gradus gratiosos nobilitas vera.

5 *Gradum* gratiosum, *erisque iuxta me.* Magna nobilitas stare iuxta Regem Regum. Vnde Dauid gerens typum hominis iusti, dicebat 1.Regum 20. *Ego ex more sedere soleo iuxta Regem, &c.*

Debitum iudicium per cordis simplicitatem.

6 *Debitum iudicium*, quod est inferendum, & ideo sequitur, *Profectus est Israel*, scilicet qui Deum videre procurat, desiderat, & affectat. *Cum omnibus, quæ habebat*, quia cum cogitatione, corde, & mente, & animo. Non enim oportet homines in duas partes claudicare. Si quæritis quærite in toto corde. Sap. 1. *In simplicitate quærite illum, &c.* in simplicitate, non in duplicitate, &c.

Solidum cōsilium cur in nocte quærendum.

7 *Solidum consilium*, quod est perquirendum, & ideo dicit, *quod audiuit per visionem noctè*. Pœnitentia aperit auditū, & visum, &c. Nocte surgit, & dicit, quia secreta est diuina inspiratio, & audit dicentem sibi, Iacob, Iacob. *Ex nomine vocat eum, quia pœnitentem ex nomine Deus nouit. Iacob supplantator dicitur, quia debet hostes superare in duobus, videlicet in corrigendo in se præterita, & præcauendo futura.* Noli timere, sed descende in Aegyptum. Noli timere Iacob, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo. *Ego sum fortissimus Deus. In gentem magnam faciam te tibi*, idest in affectione, & morte. Ibi pro peccatis proles meritorum multiplicatur, & mutatur, & gignitur. Gen. 12. *Descendit Aarabam in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi*. In Aegypto fuerunt oues, & boues, & asinæ, & asini, & cameli, & serui, & famulæ. *Et ego descendam tecum, &c.* Semper Dominus est cum pœnitente.

Proles meritorum per gentem magnam.

8 *Placidum deliniмen*, quod est consequendum: *quia Ioseph ponet manus super oculos tuos*; quoniam scilicet mens peccatoris illuminatur, &c. Tob. 11. Act. 9. Apoc. 7. Hæc Interpres.

Placidū delinimen lumen mentis.

Ista octo in humillima Francisci pœnitentia præcelsè vtique, atque superlatiuè eminuerunt, vt à principio suæ conuersionis vsque ad finem vitæ eius cum maximo stupore omnium patuere. In motu, seu nutu virtuoso à Mundi superbia profundè descendit Franciscus. Eam namque ferè ab infantia supplantauit; sed postea in vita regulari ad nihilum redegit mente, & humilitate, carne, & austeritate: sedens in puluere, & in cinere, quem sæpenumero mixtum cibis comedebat. Sedens pariter & in terra per quietem ad aspectum propriæ miseriæ. Hinc in hoc motu, & nutu tanto in profundiorem descensum peruenit, quanto altius ascendit super astra Cæli, iam similis anima, & corpore Altissimo effectus, atque ad sedem primi Angeli assumptus. Vide Bonau cap. 7. quod est de Francisci humilitate.

Excellit Franc. in motu, seu nutu virtuoso.

In signo luminoso quis melius signum inaccessibilis luminis Dei tetigit sicut Franciscus, sequens pœnitens, & humilis, & mansuetus Christum suum, dicentem sibi, & docente in eius schola illā lectionē, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & ibi Discipulum, & Magistrum ipsum faciente?

Excellit in signo luminoso.

In modo studioso, *ne moreris*, adeo celeriter cuncta sui ipsius, vt Reparatoris Domus Dei ad illam vocem Christi Crucifixi, eum proprio nomine appellantis; *Vade, Francisce, & repara domum meam, quæ labitur*, quod celerrimus admiraculū euasit, instituens tres Ordines cursu annorum duodecim, eiusque leges tribuens, ac totum Mundum breuissimo tempore adimplens.

Excellit in modo studioso.

In loco fructuoso gratia diuina irrigauit Francisci conscientiam ineffabili, ac nimis peregrina fœcunditate, aliàs quomodo ipse sufficeret ad suffocandas spinas, & tribulos, seu melius, ad restituendum in voluptatis Paradisum Ecclesiæ hortum, iam totum veluti in campum vndique spinosum, ac tribulis plenum, redactum.

Excellit in loco fructuoso.

In gradu gratioso, per quē Franciscus solus meruit in cœtu Sāctorum plus eleuari ad nobilitatem ob approximationē in terris ad Regem Regum Christum, factus sibi anima, & corpore simillimus; necnon in Cælis per vicinitatem ad Spiritum Sanctum, occupans primam sedem primi Angeli, qui Princeps erat nouem Ordinum Angelorum, ac proinde caput etiam prioris Ordinis supremæ Hierarchiæ, nimirum Seraphinorum, Personæ Spiritus Sancti immediatorum, vt docet D. Thomas, pluries datus.

Excelluit in gradu gratioso, & in hoc vere solus.

In debito iudicio procurans videre Deum, desiderans, & affectans ardore ita incomparabili, vt idcirco haud mirū sit, si in Monte visionis, scilicet in Aluerna, ipsum facie ad faciem videre meruerit, & manu propria illius, quem clarè intuitus est, sacris stigmatibus cōsignari.

Excelluit in debito iudicio.

Demum excelluit Franciscus in solido consilio perquirēdi, diu noctuque semper meliore, atque egregiore, & in placido deliniminis, quod semper à Deo acceperat per nouum lumen, semper eius oculos (quos in ipso charitas cæcos effecerat circa proximi crimina multis modis, & in propria extimatione se maximum peccatorem supra cunctos scelestissimos excæcatum profitebatur) illustrans.

Excelluit in solido consilio, & in placido linimine.

Vbi autem Deus dixit Iacob, & in figura Francisco. *Ego sum fortissimus Deus patris tui*, per illum superlatiuum *fortissimus*, indicare voluit superlatiuam Francisci humillimi, ac pęnitentis fortitudinē, quam, vt esset in gentem magnam, accepit à Deo suo in motu, seu nutu vir-

Quare Deus non fortem, sed fortissimum se illi dixerit.

virtuoso. In signo luminoso. In modo studioso. In loco fructuoso. In gradu gratioso. In debito iudicio. In solido consilio, & in placido linimine, de quibus supra. Pari modo coniectamus circa Reg. Francisci, quam Deus altissimus, vt esset & ipsa altissima in Ecclesia, reuelauit.

Ipse Altissimus reuelauit mihi, &c. Non dixit *Deus*, non *Dominus*, non *Christus*, vbi testatur Franciscus suæ Regulæ reuelationem, cælitus sibi effectam; sed dixit *Altissimus*. Altus, altior, altissimus sunt tria nomina, quorum primum nuncupant Latini adiectiuum, secundum comparatiuum, tertium superlatiuum, eo quot aliis superferatur, vt ipsis non solũ maius, verum etiam maximum. Qui altus est, seu sublimis, tenet locum, inferiorem eo, quẽ tenet, qui altior est, seu sublimior. Qui autem altissimus est, seu sublimissimus, loco, & gradu alto, & altiori sublimior est. In ordinibus Beatorum Spirituum prima Hierarchia suprema est, secunda, media, tertia infima. In qualibet etiam datur ista supremitas, mediocritas, infimitas, quia in qualibet sunt tres ordines, quorũ infimus altus est, medius altior, supremus altissimus. At Deus ita solus nuncupatur Altissimus, vt nec intra se, nec extra se habeat sub se altiorem, qui possit dici Deus, nec altum, qui esset etiam Deus, sed ipse ob suam infinitatem est intra se semper altissimus in tribus Personis, atque extra se ob infinitam distantiam à rebus creatis, sibi soli est altus, altior, altissimus. Omnia quippe extra ipsum, & ab ipso creata, cum nihil sint, ob prædictam infinitam ab eo distantiã, nullum gradum respectu illius habere possunt. Vt autem ostenderet Franciscus altissimam esse Regulam suam, cælitus sibi reuelatam, meritò dixit, *Altissimus reuelauit mihi*.

Tres gradus altitudinis

In qualibet cæli hierarchia reperiuntur.

Cur Franc. dixerit reuelasse sibi regulam altissimũ.

De altissima huius Regulæ sublimitate scribens Bonauent. in opusculo illo, cui titulus *Determinationes quæstionum Regulæ S. Francisci, quæst. 12.* sic se habet.

An de qualibet Religione possit quis transire ad Religionem S. Francisci.

Ad hoc sine præiudicio melioris sententiæ respondeo, quod sic, vbi sine scandalo aliorum potest fieri. Propter quod maximè prohibetur nobis de quibusdam Religiosis non recipiendis, cum scandalum tale sit maius malum, quam aliorum receptio sit bonum. Cum enim tria illa principalia omnis Religionis, scilicet *Obedientia, Castitas, & Paupertas in Regula ista sint quasi altiora*, & strictiora, quam in aliis Ordinibus, & Religionibus, sicut patet *in Regula ista*, constat, quod secundum hoc Religio ista altior sit, & strictior aliis Ordinibus. Et ideo de qualibet Religione possunt securè ad istam intrare, *dummodo non ex leuitate, sed ex spiritu Dei ducti*. Nam etsi aliqua sit quibusdam corporalibus exercitationibus strictior, vt abstinentia carnium, & silentio, & officio ecclesiastico, & similibus, quæ tamen ex sublimiorum *Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis* virtute facilè recompensantur, sicut modicum põdus auri in pretio præualet magno ponderi argenti, vel alterius metalli. *Corporalis enim exercitatio ad modicum vtilis est* 1. Tim. 4.

Vota essentialia in reg. Minorũ altissima sunt

Reg. aliqua, etsi in aliquibus strictior haud propterea altior.

Hucusque Bonau. ad illam quæstionem 12. in qua dum altiorem Ordinem, & Regulam Minorum nũcupat cæteris Ordinibus, & Regulis in Ecclesia idem est, ac si altissimam eam super illos, & has superlatiua nuncupatione assereret. Probatur ex opusculo de gradibus Virtutũ, vbi distinguens gradus Obedientiæ, quã primo loco in sua Regula profitentur Minores ad exemplum Christi per vitam Euangelicam, ita scribit cap. 9. num. 4. Item *altus gradus est obedientiæ* implere verbum Prælati propter Deum. *Altior* implere nutum. *Altissimus* implere voluntatem, sicut dixit Christus, *Non veni facere volantatem, &c.* Ioan. 6. Et iterum, *Si fieri potest transeat, &c.* Marc. 4.

Tres gradus obedientiæ.

De Paupertate, quæ in Regula Minorum secundum locum tenet, vt nexus Obedientiæ, & Castitatis, à quo altissima vocatur, sic infert Bonau. ibidem cap. 8. num. vltimo. *In alto gradu* est, qui nihil habet proprium in speciali, sicut multi Religiosi. *In altiori*, qui nihil habet proprium in communi ad annum, vel ad longum tempus, sicut pauci Religiosi. *In altissimo* est, qui nihil habet proprium in communi, nec ad septimanam, vel ad diem, vt *Fratres Minores*. De Castitate ita cap. 4. num. 3. Item *altus gradus* Castitatis est esse castum per munditiam carnis. *Altior* per munditiam mentis, quia per impudicitiam maculatur corpus, & anima, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 6. *Altissimus* per imitationem exempli castitatis Christi. Hæc ibi Bonau. quæ altissima esse in Regula Minorũ, qui ex vi professionis tenentur se conformare Francisco, & Christo, patet etiam in expositione eiusdem Regulæ, alibi data.

Tres gradus paupertatis, quorum altissimus est Fr. Minorũ.

Tres gradus castitatis.

Quæstio verò 13. Bonauent. prædictæ immediata ita breui proponitur, atque enucleatur.

An

An de Religione S. Francisci post factam in ea professionem possit quis transire ad aliam.

Respondeo, saluo meliori iudicio, Non, nisi per dispensationem Sedis Apostolicæ, cum hoc expressè in ipsa Regula cap. 2. prohibeatur ibi, *Nullo modo licebit eis, &c. Nam cum non inueniatur altior Regula, vel strictior, seu æqualis*, patet, quod non licet cuiquam per seipsum ad inferiorem Ordinem transire. *Omnes, qui vident, incipient illudere ei, dicentes; quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare*, Lucæ 14. Hactenus Bonau.

Nulla alia reg. præcellit reg. fratr. Minorum.

Recipi non posse alterius Religionis professum, nisi ad arctiorem, ac strictiorem transeat, ne sic retro respiciat postquam ad aratrum manum misit, expressè prohibet Tridēt. sess. 25. de Regul. cap. 10. & est communis Doctorum sententia. Quæ autem Religio aliis austeritate, atq; obseruantia præcellat, difficilis est resolutio ob sententiarum diuersitatem, ob quam etsi non tantam suo tempore, quia nec tanti erant in Ecclesia Ordines, respondens tamen Bonau. ad vtramq; præiactam quæstionem, ibi vsus est illis verbis, *sine præiudicio melioris sententiæ*, hic verò illis aliis, *saluo meliori iudicio*.

Non possūt regulares nisi ad arctiorem religionē transire.

Carthusiani putant suam. Minimi apud Peirinum num. 55. putant suam omnium strictissimam, ob vitam quadragesimalē. Nostri cum Bonau. cit. & (teste Sanctorio nostro cap. 2. stat. 1. §. 8. vbi alios scriptores adducit) in quæst. 18. super Regulā, & cap. 2. illius (licet in his duob. locis haud ita expressè, sicut maxima dexteritate, ac modestia) tenent perfectiorem omnium Religionum esse Minoricam, ob meliora, & perfectiora media, quæ habet ad consequendam perfectionem Euangelicam. Nec licere nostris, qui verè Regulam obseruant, transire ad alios Ordines, etiam Carthusianum. Nam Martinus IV. concedens aliis transitum ad Carthusianos, non intendit de Minoribus, suam Regulam obseruantibus, sed de illis, qui suo tempore obseruantes non erant. Et P. Ludouicus Parisius allegat Innocentiū VIII. prohibentem quibuslibet Ordinibus receptionem Fratrum Obseruantium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tam recipientibus, quam receptis; derogatque priuilegiis in contrarium, vt idem P. Cyprianus loco citato refert. Patres Societatis qua ratione eam præferant Religioni Seraphicæ, & consequenter alia, legendus Auctor Martyrolog. in additionibus pag. 622. à num. 70. & infra: multa enim scitu digna ad huius rei elucidationem adducit, quorum plura alibi adnotauimus.

Quæ religio in Ecclesia perfectior.

Non licet nostratibus ad alios Ordines transire

In altissima Fratr. Minorū Regula modicū esse in generali per respectū ad magnum esse in particulari aliarum Regularum, siue scripto magnum, siue accidentibus, illud idem est, de quo superius Bonau. *Modicum pondus auri in pretio prævalet magno ponderi argenti, vel alterius metalli.* Potest aliquis Sanctus in fidei Christi virtute maioritate operum opera Christi excedere, iuxta illud ipsius Christi. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Sed hæc maioritas siue extensiua, siue intensiua quandam accidentariam prærogatiuam in ipso argueret, non autem essentialem. Quemadmodum docet D. Thomas de aliis Sāctis, qui in aliquibus per accidens excedunt Apostolos, non autem per se. Quid simile (ni fallor) interponitur inter Regulas aliorum Ordinum, & Regulam S. Francisci, cum qua alias Regulas æquiparari non posse quātum ad formam per correspondentiam ad Sanctum Euangelium, ab Altissimo Francisco immediatè reuelatam, non autem ab homine traditam, certè putarim, quod non. Nam hæc forma astringit suos ad vitam Apostolicam, & ad conformitatem vitæ Christi, ad quam princeps professor, scilicet Franc. altissimè peruenit.

Modicū esse in reg. Minorum modicū auri est.

Maioritas alia secundū quid, alia per se.

Quæ maioritas esset, si aliqua esset Regularum alior. Ord. supra regulā Minorum,

Item altitudo superlatiua Regulæ Minorū desumēda est ab altissimo fine, propter quem fuit ab Altissimo Deo reuelata. Cum autem finis altissimè peculiarissimus extiterit reparatio Ecclesiæ Romanæ, quā nulli alio prius ex se immediatè, ac imperatiuè, terq; ore proprio Christus commiserat, nisi Francisco: & cum hæc reparatio Redēptioni respondere quoad posse debuisset, congruum quidem videbatur, vt sicut in opere Redemptionis lex Euangelica prima esset omnimodè supra omnes leges tam regulares, quam Ecclesiasticas, ita etiam in opere Reparationis lex Franciscana altissimè ab Altissimo reuelari respectu omnium legum Ordinum, siue Monachorum, siue Regularium Institutorū. Ad quæstionem illam 18. cit.

Altissima Minor. reg. ob altissimū finē reuelata

In quibus bona Religio cognoscatur, & vna melior altera iudicetur.

Adducentur quinque Signa.

Respondens enim breui ad illā D. Bonauentura, adducit omnia ad quinque signa. Sæpè, ait, in vno, & in aliquibus præcellit

cellit vnus Ordo alterũ, vt iste in labore, alter in silentio, alius in abstinentia, & similibus. Sed generaliter in istis agnoscitur quis sit melior. Vnde

Primũ signũ bonæ relig.

Primum. Si in studio omnis virtutis, vt communiter personæ illius Ordinis feruentius, & frequentius exercentur, *maximè charitatis, & humilitatis, & internæ deuotionis*, est signum bonum præexcellentiæ, & perfectionis.

2. Signum

Secundum. Si omnia vitia, & scandala odio habent, & sollicitè cauent, & occasiones peccatorum amputant, & extirpant, & munditiam diligunt, & conseruant.

3. Signum

Tertium est. Si boni apud eos diliguntur, & fouentur, & despectis aliis in regimine animarum soli assumuntur, & per eos maximè gubernatur Ordo. *Qui negligit modica, paulatim deridet*, Eccl. 19.

4. Signum

Quartum. Si à sæculari frequentia se subtrahunt, & honores fugiunt, diuitias non ambiunt, & conformari huic sæculo, tam in moribus, quam factis, seu qualibet apparentia erubescunt.

5. Signum

Quintum. Si damnum, & iniurias illatas, ac despectiones tacitè sufferunt, nec per querimonias vindicare se cupiũt, sed Deum omniũ inspectorem attendunt, qui suos, cum vult, potest defendere. Cũ verò expedire eis nouerit, permittit eos pro altiori præmio tribulari, & patienter ferunt, donec placuerit Deo aliter ordinare. *Quæ ista signa plenius habent Religiones, meliores sunt. Et quæ minus, sunt minus bonæ. Et quæ nihil, nihil sunt. Qui etiam singulariter in se habet, bonus est, etiam si alij communiter non habent*. Hæc fuit conclusio Doctoris Seraphici in illa perbreui quæstione, in qua etsi nulla specialis mẽtio de Ordine, & Regula Minorum, ac propterea eius communis resolutio ad Minores expresse minimè referenda, tacitè tamen ex quinque signis præfatis ad eos respicere videtur. Minores enim ex vi professionis tenentur communiter, & vniuersaliter supra cæteros Apostolorum vitam sequi, & exemplis Christi inhærere. Si aliqua esset excellentior prærogatiua in aliquo Ordine, ac Regula monastica, seu regulari, quæ non esset in Ordine, & Regula Fratrum Minorum, saltem æquiualenter, & cum maiori conditione (quod certè difficile est, vt patet ex exẽplo Bonau. supra allato de modico auri supra argenti magnitudinem) non posset tamen per se, & cõmuniter Ordinis, & Regulæ Fratrum Minorum altissimam præeminentiam tantillum diminuere. Dicat ergo Seraphicus Legislator ex hac parte, non altus, non altior Deus, sed *ipse Altissimus reuelauit mihi, quod deberem viuere secundum formam Sancti Euangelij*.

Relig. quæ plenius hæc signa habet, melior cæteris erit.

Reg. Min. ad hæc quinque signa obligat suos

Quinta Prærogatiua

Minorum Legem secundum Legis Euangelicæ formam iuxta Dei reuelationem sexies ostendit, iurique Diuino accessum præbet.

1 Forma pro Figura, seu Facie.
2 Forma pro Effigie.
3 Forma pro specie.
4 Forma pro Pulchritudine, seu Decore.
5 Forma pro Regula.
6 Forma pro Anima.

QVod ego deberem viuere secundum forma S. Euangelij. Id Altissimũ reuelante Franc. Franciscus ore suo testatur. *Vos amici mei estis si feceritis, &c.* Ioan. 15. Tria, ait Interpres serm. 7. de Apostolis, in quibus consistit perfecta dilectio, in præsenti Capitulo assignantur.

1 *Est mandatorum amici adimpletio*; Vnde subditur: Si feceritis ea, quæ præcipio vobis. In tribus cõsistit perfecta discipulorũ Christi dilectio.

2 *Est consiliorum reuelatio*; Vnde additur: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. *Sunt autem octo Consilia Dei, quæ in veteri testamento ignota erant, donec ea Christus amicis suis reuelaret*. Matthæi 5. Beati pauperes, &c. Beati qui lugent, &c. *Hæc autem secreta ignorabat Mũdus, & adhuc ignorant mundani*, Matth. 11. Confiteor tibi Pater Domine Cæli, & terrę, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Octo consilia Dei octo beatitudines

3 *Est animæ ad mortem pro amico traditio*. Vnde maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, Ierem. 12. *Animam autem suam pro amico ponit, qui corpus suum laboribus, & tribulationibus gaudenter exponit. Qui iniurias sibi factas ex corde dimittit*. Ita ibi Interpres, omnem ferè structurã, atq. argmentum legis Minorum excellenter indigitans. In tali siquidem lege, quæ præcepit Deus Christianis communiter per decem mandata Decalogi, & per alia præcepta Apostolica, atque Ecclesiastica, haud communi viuendi forma Minoritę adimplere tenentur, *sed secundum formam Sancti Euangelij* sub tribus votis, plurimisque præceptis, & consiliis iuxta vitam Apostolicam; quæ tamen in ipsis quoad præcepta, & quoad paupertatem secundũ

Quid est animam pro amicis ponere.

affe-

affectum, & effectum obligatior videtur, dum ea omnia sub mortali obseruare ex vi professionis constringuntur.

Reuelatio consiliorum Dei potest dici Minor. lex.

Hinc *tota lex Minorum reuelatio consiliorum Dei potest dici*, tum quoad obligationem præceptorum, quæ ex consiliis in præcepta ibi transierunt; tum quoad illud tempus, quando Christiani adeo Dei legis obliuiscebantur, vt neque amplius curarint, eam cum tota Ecclesia generali excidio iam de proximo reduxisse. Item cuncta, quæ profitentur Fratres Minores siue vota, siue præcepta, siue consilia, peculiarissima sunt inter omnes Ordines Regulares, ad corpus suum laboribus, atque afflictionibus gaudenter, & sine vlla intermissione domandum austeritate, ac paupertate vestium, fatigatione in itineribus, pedestrim & sine calceamentis efficiendis, paruitate victus, grossitie ciborum, omnimoda rerum mobilium, vel immobilium, pecuniarum, ac commodi, in amplitudine, ac splendore domorum, domiciliorum, supellectilium priuatione. Assiduitate, atque incredibili præssione ieiuniorum, ob quæ quinque Quadragesimæ remanent illis sub consilio, duæ sub præcepto, altera communis cum omnibus Christianis, altera à vigilia omnium Sanctorum vsque ad Natale Domini ipsis solis inscripta. Ad vigilias, ac tempora Ecclesiæ obligantur cum omnibus Christi fidelibus; sed ad ieiunia feriæ sextæ ita hoc mandatum solos ipsos complectitur, vt in die Natalis Domini non possint cũ illis conuenire, iuxta immemorabilem Ordinis consuetudinẽ. In his, & aliis permultis laboribus, & afflictionibus, & tribulationibus, ex cæteris mãdatis exortis, tenentr Minores lætanter gaudere, iniuriasque sibi factas maiori vinculo dilectionis, Apostolorum more, ex corde dimittere.

Quidquid in ea cõtinetur apostolicam sapit mortificationem.

Ex quo Minores intrant Ordinem, Ordinis legem, & cum hac vitam Apostolicã profitentur, citò vestiuntur cinere, in quem resoluuntur mortui, triumphatque Mors. Quia statim pro mortuis habentur, ac valde idonei ad eum seruandũ ignem, quo amici Christi sub perfecta Apostolorum, ac triplici dilectionis forma ob mandatorum amici impletionem, & ob consiliorum reuelationis obseruantiã, atq, animæ suæ pro amico positionẽ ardent. Vnde Interpres noster loquens de pœnitentiæ sacramentalis igne, assimilansque eum igni naturali; qui, ait, frigida calefacit, dura mollificat, mollia indurat, alta humiliat, & incuruat, quem si quis seruare voluerit, sub cinere reseruet; hæc subdit, *Confessionis, & satisfactionis Lingua ardet, frigidos igne amoris calefacit. Dura corda mollificat compunctione. Mollia, idest lasciua indurat sancti propositi firmitate. Alta, idest superba humiliat, & incinerat propriæ fragilitatis, & iniquitatis recordatione. Sic tali cinere talis ignis continuè potest conseruari.*

Cur vestis Minorũ cinerea.

Quatuor in sacramentalis pœnitentiæ igne proprietates.

Ardens, atq; Seraphica Francisci Lingua dum confitetur, altissimum Dei verbum sibi reuelasse legem, *vt deberet viuere secundum formam Sancti Euangelij*, testatur etiam, idem verbum aperuisse sibi vilibus indumentis, ex asperrima, & grossa materia tota lanea, ac cinereo colore per totum conspersa confectis, ipsum, ac suos vestiri debere. Explicant Minores in vestium incineratione propriæ humilitatis, atque iniquitatis recordationis hieroglyphicum, vt sub tali cinere illum ignem conseruare possint, quem cum Interprete diximus, & sine quo vita, quam profitentur, secundum formam Sancti Euangelii nequaquam erit. Etenim huiusmodi ignis priuationem Christus, Euangelicæ legis, & legis Minorum auctor, illam perfectam, ac triplicem dilectionem, quã principiò à suis Apostolis exegerat, in ipsis Apostolis imitari renuentibus acriter exprobrabit.

Viuere secundum formam Sancti Euangelij. In his quatuor dictionibus extremarũ prior, *Vitam*, posterior verò, *Sanctum Euangelium explicat*. Sed mediarum dictionum altera *Aduerbium* est, non autem propositio, vel coniunctio. Altera verò est *dictio substantiua*. Ergo *secundum formam* idẽ sonat, ac *iuxta formam*. Sed *iuxta* si propositio est, semper separat, sicque significat, *apud*, vel *propè*, licet aliquando significet *simul, coniunctim*. Quando verò est *aduerbium*, significat *æquè, similiter, eodem modo*. Formã deinde humanarum literarum professores variam constituunt, atque multiplicem. Nunc enim ipsam dicunt *figurã*, siue *faciem* vniuscuiusque. Nunc sic absolutè *Pulchritudinem*. Nunc per translationẽ ad incorporea *Effigiem*. Nunc frequẽter apud Rethores *Speciem*. Nunc demum, aut *Regulam* cum Seruio super 6. Aeneidos, aut *modum* cum Virgilio 1. Georgicor. Est item forma vocabulum medium, quod modo cum laude, modo cum vituperio exprimitur. Sic simplicem, vel vitiosam, vel illaudatam formam dicimus pro deformitate.

Forma multiplex est secundum Latinos.

Verum Scholastici, ac Philosophi cõmuniter illam rem appellant formam maximè substantialem, quæ iunctim cum sua materia efficit vnum compositum, illudque ponit in actu, illique dat esse, vt, exempli gratia, est in animali ratione capaci

Forma iuxta scholasticos dialecticos.

capaci, *Anima*. Forma ergo, de qua nunc loquitur Legislator noster, dum vitam Fratrum Minorum (sic Christo Francisco reuelante, sic Francisco in instituta lege præcipiente) vitæ Euangelicæ de iure conformat, tum iuxta multifariam Latinorum acceptionem, tum etiã iuxta Philosophorum sensum Euãgelii forma est, vt ex subiectis patebit.

I

Forma pro figura, seu facie.

Forma euãgelii est Minoribus figura, seu facies

PEr figuram, seu faciem cognoscitur vita Minorum *secundum formam S. Euangelij, per faciem enim cognoscimur*, inquit Interpres noster. Qui etiam super illa verba Matth. 17. *Resplenduit facies eius sicut Sol, &c.* ita scribit, vt alias adnotatum. *Huic figuræ te quasi mollem ceram exhibe*. Et paulò infra. *In anteriori capitis, quod dicitur facies hominis, sunt tres sensus, ordinatissima via, & dispositione ordinati. Visus, olfactus, & gustus. Similiter in facie nostræ animæ sunt tres sensus spirituales, summi Artificis sapientia recto ordine dispositi. Visus scilicet fidei. Olfactus discretionis. Gustus contemplationis*. Et ad finem illius periodi loquẽs Interp. de propria sua, & de Minorum Fratrum vita secundum figurã, & faciem Christi, in quam Franciscus adeò perfectè vitam suam, Euangelio conformatam, meruit transformari, & transfigurari, ita monet. *Resplendeat & facies animæ nostræ sicut Sol, vt quod videmus fide, clarescat in opere. Et bonum, quod discernimus intus virtute discretionis, foris exequamur in actionis puritate. Et quod gustamus de Dei contemplatione, calore ferueat in proximi dilectione.* Sine hisce tribus sensibus nostra figura, & facies non amplius resplendens vt Sol, sed vt nox tenebrescens, cęcutiens in operibus fidei, sine olfactu circa actionum puritatem, sine gustu de Dei contemplatione per feruorem amoris, & charitatis erga proximũ, formæ Sancti Euangelii dum nullo modo apponitur, omnimodè opponitur.

In facie animæ tres sensus.
Visus fidei.
Olfactus discretionis.
Gustus contẽplationis.

II.

Forma pro Pulchritudine, ac Decore.

Forma sãcti Euang. Minorum pulchritudo.

PVlchritudo in præsentiarum sine decore esse nequibit. *Quàm pulchra es, & quã decora carissima*, Cant. 7. Vbi Interp. sicut aliàs. *Primum est exterior corporis pulchritudo, & honesta conuersatio, quæ notatur ibi*. Quam pulchra es. *Secundum morum, & virtutum interior plenitudo*. ibi, quam decora. *Decor enim dicitur, quia decus cordis*. Et inferius ad illud Psal. 25. Dilexi decorem domus tuæ, id est, ait, *Cordis. Decor Domus in tribus, quando munda, ornata, luminosa. Est ergo domus munda à peccatis per conscientiæ puritatem. Ornata per virtutum pulchritudinem. Clara per humilitatem, quæ cæteras virtutes conseruat, & illustrat. Superbus enim excæcatur; sed humilis se cognoscit*. Hæc ibi Interpres, omnem pulchritudinem, atque decorem vitæ Fratrum Minorum, secundum formam Sancti Euangelii viuentium ex vi professionis, ostendens.

Decor domus triplex.

Difformis proculdubio erit in nobis vita illa, quæ dum in gestis suis Euangelicam formam profitetur, caret deinde tum honestate in conuersatione, quia parum honesta experitur, tum interiori morum, & virtutum plenitudine, quia malè occupata, ac proinde domus conscientiæ immunda effecta, inornata, obscura, iam puritate conscientiæ priuata, iam vitiorum turpitudine affecta, iam superbiæ caligine repleta.

III.

Forma pro Effigie.

Quid effigies apud Latinos.

EFfigies ex idiomate Græco signum importat. Est autẽ signum ad alterius similitudinẽ, veramue imaginem factum. Plinius lib. 10. cap. 44. *Effigies humanitatis, & probitatis Patris filius*, apud Cicer. 3. de finibus. Est ergo effigies similitudinis signum, est rei alicuius imago. Interpres noster Dom. 13. post Trin. super illud Ecclesiast. 36. *Innoua signa, & immuta mirabilia, glorifica manum, & brachium dextrum, excita furorem, & effunde iram*, hæc scribit. *Signum est quando in hoc, quod videtur, aliud intelligitur, dictum, quod aliud significet*. Primus Adam, subdit, de terra virgine factus est, in quo significabatur, quod secundus Adam de benedicta terra Maria Virgine erat nasciturus. Et paulò infra. Excita furorem, & effunde iram *in Diabolum in tua Passione, &c.*

Quid signũ ex Interprete nostro.

Est igitur lex S. Francisci supra hominem lata, *Nemo ostendebat mihi quid deberem facere*. A Christo reuelata, *Sed ipse Altissimus reuelauit mihi*. Est informatiua, figuratiua, effigiatiua secundum imaginem, & similitudinem vitæ Euangelicæ, & Apostolicæ, ad imaginem, & similitudinem vitæ Christi, & Apostolorum. Quare in sua excellentia valde eminet, iuxta Interpretis nostri doctrinam, quæ ita se habet supra illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua* loco cit. Dom. 13. post Trinit. *Mens est pars animæ quædam, per quam omnis ratio, intelligentiaque percipitur. Mens vocata, eo quod emineat in anima,*

Mens ita dicitur, quia eminet in anima.

ma, vel quod meminit. Mens enim est non anima, sed quod excedit in anima. Pars animæ præstantior, à qua procedit intelligentia. Vnde & ipse homo secundum mentem Dei imago dicitur. Hæc ille, ex quibus intelligimus, quod sicut in homine idcirco mens eminet, quia in ea imago, & similitudo Dei reperitur, id, quod etiam egregiè explicat in Dom.23.post Trinit. ita in omnium fidelium cœtu, in quo anima fides est, Lex Minorum cum sit imago Sācti Euangelii, peregrina quadam eminentia decoratur.

In fide, quę est anima Ecclesiæ, lex Min. eminet vt mons.

Hinc haud mirum, si iuxta aliam Doctoris nostri interpretationem, *signum* est eadem lex. Per eam namque Franciscus ex benedicta B. Mariæ Virginis terra in domo Virginis, vbi reuelata ei Lex, ortus, vt esset Legislator (filio suo puritate, sanctitate, humilitate, passione, plagis persimilis, atq; dextrum Christi Brachium, glorificans eius manum) innouauit signa, immutauit mirabilia, magnumque excitauit in Sathanam furorem, effuditque iram in illum, vbi opus reparationis in illius operum destructionem, assumpsit, atque perfecit.

IV.

Forma pro Specie.

Species plu ribus modis accepta.

SPecies est itidem *forma Euangelij* Minoribus. Hæc quoq; vox dum formæ, ac pulchritudini, & effigiei, sicut & imagini à Latinis attribuitur, etiam ab iisdem sumitur pro apparentia, ac simulatione alicuius rei. In Topicis in diuisione formarum, quæ Græci *Ideas* appellant, nostri *Species* appellant. Quandoque species in plurali numero sumitur pro *aromaticis speciebus Arabicis*, peregrinisque apud Macrob. lib. vlt. Saturn. sicut dicitur *Vicus speciarius.* Sed species vt definitur à Dialecticis in scolis *est quæ dicitur de pluribus differētibus numero.* Homo est *species*, quoniā de Socrate, Platone, & de aliis, non specie, sed numero differentibus prædicatur. Ob eam rationem ita appellata, quod multorum collectio vna quasi visione comprąhendatur. A specie deriuatur *specialis*, scilicet peculiaris, singularis.

Quæ sunt specialia, seu peculiaria in lege Min.

Istud speciale, ac singulare sicut præcipuum est in specie, & forma legis Minorum ad informandam vitam iuxta Sancti Euangelii obseruantiam, ita in ea maximè exclusa omni specie, seu apparētia, aut simulatione Pharisæorum, Christi exaltatur humilitas. Apostolica eminet simplicitas, quæ columbina est, vt demonstrat Interpres noster in sermone de Apost. Et in serm.2.Dom.3. in Quadrag. loquens de specie, seu apparentia sanctitatis, illis verbis: *Sūt etiam quædam animalia, quæ habent cornua declinantia in anterius vt Vnicornes, per quæ significatur superbia hipocritarum, qui simulatione religionis palliant suam superbiam,* de quibus Ecclesiast. 19. *Est qui nequiter se humiliat.* Speciale admodum, præcipuumque Francisco extitit, hosce Vnicornes in Fratre Helia sæpenumero verbo, & exemplo exprobrare, vt in Chronicis legitur. Speciale item, præcipuumque est in legis Minorū specie, Macrobii species peregrinis aromatibus spiritaliter redolere.

Species in plurali pro aromatibus.

Hæc aromata sunt eadem misticè cum illis, quæ Sanctæ Mulieres emerunt, *vt venientes vngerent Iesum*, Matth.16. Denotant enim quinque iuxta quinque illa aromata, de quibus Exod. 25. & 30. Sume tibi aromata, primam Myrrham electam. Cinnamomum. Calamum. Casiam, & Oleum de oliuetis, facies vnctionis oleum, vnguentum, &c.

Quinq. aromata in lege Min.

1 *In prima Myrrha* (explicat Interpres alibi datus ex serm. in die S. Paschæ) *Deuotio mentis*, quam primò nobis debemus eligere. — 1. Deuotio mentis

2 *In Cinamomo*, quod est cinerei coloris, *Memoria mortis*. — 2. Memoria mortis

3 *In Calamo melodia Confessionis.* — 3. Melodia confessionis.

4 *In Casia*, quæ habet esse in locis aquosis, & in altum surgit, *Fides*, quæ in aquis Baptismi nutritur, & in altum surgit. — 4. Fides.

5 *In Oleo de oliuetis misericordia cordis intelligitur, &c.* — 5. Misericordia cordis.

Hæ species aromaticæ per formam, & speciem legis Francisci redolent in vita Minorum, dum secundum formam Sācti Euangelii viuunt. Has species emerunt sanctæ illæ tres Mulieres, hisque Euangelicæ illæ fęminæ dignæ factæ sunt prorsus, vt officia pietati; Christo Iesu præberent. Tres fuerunt numero, nomine similes, persona, & agnomine discretæ. Tres animę virtutes in eis designabantur, vt ait Interpres. *In Maria Magdalena Mētis humilitas. In Maria Iacobi Mundi contemptus. In Maria Salomæ Patris iucunditas.* Vide ibi explicationem, quam nos etiam alibi attulimus. In rei veritate quid aliud est tota Minorum Fratrum vita, Sancto Euangelio conformata, nisi Humilitas mentis, & corporis, nisi Mundi contemptus, nisi Patris iucunditas? Et quid aliud redolet in hisce tribus virtutibus, nisi *Mentis deuotio, Mortis memoria, Confessionis melodia. Alta fides. Eminens misericordia?*

En his quinque aromatis misticè lex Minorū aggregata.

Ad totalem harum virtutum integritatem, atque aggregationem sicut plura

indi-

indiuidua, ad vnam efficiendam speciem concurrunt, ita ad formam Euangelii, secundum quam tenentur viuere Minores, conueniunt (præter tria vota, cunctis Ordinibus Regularium communia) præcepta triformiter distincta, & consilia quadriformiter disterminata. Et quia (teste Philosopho) *species sunt sicut numeri*, & ex numeris harmonica instrumentorum, vocum, seu virtutum resultat cōsonantia; Pariter ex præceptis, & consiliis, in quibus tria vota eminent, illud organum in vita Minorum, secundum formam Sancti Euangelii viuentium, cōflatur, de quo Interpres noster Dom. 11 post Trin. *Vita viri iusti*, ait, *comparatur organo musicæ, quod est verbum prædicationis Dominicæ, vel melodia bonæ famæ, consonans sanctæ vitæ. Ex tali vita procedit memoria odorifera, mentes audientiū indulcans, in auribus suauiter resonans*. Hæc Interpr. redolentes, ac resonantes virtutum Apostolicarum species in Fratrum Minorum vita (formæ Sancti Euangelii odorosè, atque armonicè respondente) pulchrè describens.

Vita viri iusti organo comparatur

V.

Forma pro Regula.

R*Egula* est insuper Sancti Euāgelii forma Minorum vitæ. sub isto nomine nouē vicibus Legislationem suam *Regulam* nuncupauit in Testamento suo Franciscus. Et hoc propter duo. Primum, quia Lex Minorum ac si constitueret nouam quandam Vrbem Hierusalem, nouē quoque portæ sunt in ea, in qua vita Euangelica obligat Minores varietate votorum, ac præceptorum, ad varietatē quoque virtutum, ac meritorum. In priori porta habent imitatione Angelos. In secunda Patriarchas. In tertia Prophetas. In quarta Virginem Mariam, peculiarissimam eorum Matrem, ac Patronam. In quinta seipsos vt veros Apostolos professione constituunt. In sexta aut patiendo, aut desiderando, aut effundendo sanguinem Martyres sunt. In septima, vel pro seipsis digniori inperio, vel pro aliis dignitate Prælati. In octaua boni subditi. In nona porta, porta Vallis appellata, *per quam Humilitas significatur*, ait Interpres, humillimi apparent.

Regul. Min. mistica Hierusalem habens portas duodecim.

Hanc eandem explicationem misticè affert Interpres, loquens de nouem portis materialis Hierusalem Dom. 1. post Epiph. Secundum: idcirco S. Legislator nouem vicibus Minorum Legem in suo Testamento memorauit, quia in professoribus, & obseruatoribus talis Regulæ nouem ordines Angelorum, de quibus idē Interpres noster Dom. 22. post Trinit. vt pluries dictum est, propriissimè reperiuntur iuxta formam Hierarchicam, vt latius dicetur tract. 1. in Tomo sequenti.

Est pariter iuxta formā Hierarchicā Regula.

Regula ergo est forma Euangelica, secundum quam Fratres Minores viuere tenentur. Et hac quoque nuncupatione appellauit Legem, sibi à Christo reuelatā, & à se Minoribus datam Franciscus, ita incipiens. *Regula, & vita istorum Fratrum hæc est, scilicet viuere in Obedientia, & in Castitate, & sine proprio, & Domini nostri Iesu Christi doctrina, & vestigia sequi*. Ita in capite 1. primæ Regulæ. In eius postea abbreuiatione ita exorditus est. *Regula Minorum Fratrum hæc est, scilicet Domini Nostri Iesu Christi Sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate*. Ibi vota primum sunt posita ante doctrinam, & vestigia Christi, & inter vota Obedientiæ, & Paupertatis medium locum tenet Castitas. Hic verò post Sancti Euangelii formam extant tria vota præfata, in quorum medio veluti nexus inter Obedientiam, & Castitatem ponitur Paupertas.

Inceptio primæ, & secūdæ regulæ S. Franc.

Igitur Regula, & forma Sancti Euangelii idem sunt, quia nempe Regula, & vita Minorum Fratrum forma est iuxta doctrinam, & vestigia Christi: & obseruantia Sancti Euangelii est. *Faciamus hic tria Tabernacula*, Matth. 17. *Indica mihi, si habes intelligentiam, quis posuit mensuras terræ, si nosti, & quis tetendit super eam lineam*, Iob 34. Vbi Benedicta Interpretis nostri Lingua ex D. Gregorii ore (iuxta Colu. lib. 3. cap. 13. de re rustica, loquentem de norma, qua lineæ in sulcis efficiendis reguntur) ita pulchrè in serm. 2. Dom. 2. Quadrag. *Super hanc, scilicet cordis nostri terram, linea tenditur, quando electæ vnicuique animæ, ad sumendam viuendi Regulam, Patrum præcedentium exempla monstrantur, vt ex illorum operibus, & vita consideret quid in actibus suis seruet*. Ex hac igitur auctoritate Gregorii (subdit Interpres) colligitur, *quod actus nostri sunt Patrum præcedentium vita, & operibus regulandi, si errare nolumus*.

Regula rectè viuendi est linea extensa super cordis terrā

Verum quia & illi, inquit, ab alia inobliquabili Regula fuerunt directi, scilicet Dei, idcircò si quis vellet perfectè in suis operibus regulari, primam regulā deberet aspicere. *Hæc autem prima Regula Deus est, &c.* Exod. 25. *Inspice, & fac tibi secundum exemplar, quod in monte monstratum est*. Loquebatur autem de constructione Tabernaculi Sanctuarii, de quo ibidem præmiserat. *Facient mihi filÿ Israel Sanctuarium, & habitabo in medio eorum*.

Prima reg. est Deus.

Ad eius exemplar Petrus tria cōstruxit Tabernacula.

Quia igitur Petrus Tabernaculum triplex ibi ædificare voluit, idcirco Dominus ipse dixit. Inspice, & fac secundum exemplar. In Monte, inquam, isto, in quo Christus transfiguratus est, *In qua transfiguratione datur tibi forma, & regula prefatū Tabernaculum construendi. Vnde & Petrus visa forma*, dixit, *Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus tria Tabernacula, Tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Hucvsque Interpres, qui misticam huiusce triplicis Tabernaculi intelligentiam explicans in Quaresimali super Dom. 2. Quadrag. ita scribit ex Diuo Augustino. *Vide, ò Petre, quam profundè locutus es, nam Deo tria sunt tabernacula facienda, vnum in memoria, & hic est tabernaculū legis Moysi. Aliud in intelligentia, & hic est Helias Propheta. Tertium per voluntatem, & amorem, & hic est triplex tabernaculum, vt sibi præparet totam animam per desiderium. Totam mentem per deuotionem. Totum cor per amorem.* Hæc ibi Interpres, vbi etiam ista Tabernacula demonstrat figurata per tres Ciuitates, Deuter. 19.

Quid mistice tria hæc tabernacula.

Ex his patet manifestè, quam regulam seruatus sit Franciscus, vt suæ Legis, & Regulæ Legislator, & Regulator (vti appellat eum Pisanus) in Monte Apostolicæ perfectionis ascenderet. Inspiciens enim in illius editionem exemplar, quod sibi reuelatum fuerat, cupiensque ipsi reuelanti per exactam, perfectamque Euangelii obseruantiam quoad posse conformari supra cunctorum Patrū exempla, in illum proinde transfigurari meruit, ac transformari interius, exteriusq; supra Montem Aluerniæ, vbi *impressa sunt ei* (verba sunt Bonauent. ad finem cap. 4. Legendæ) *Stigmata Domini Iesu digito Dei viui, tamquam Bullam Summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ, & commendationem authoris.* Id accidit post abbreuiationem eius Regulæ, vt fusè in tomo posteriori (in quo noua, atque admiranda arcana, & à nemine, vt puto, adhuc patefacta prodient) explicabimus. Regulās igitur primò seipsum Franc. ad formā primæ Regulæ, quæ est Deus, quæq; in forma Euangelii perfectè extat, tria Petri super montem excelsum Apostolicæ, atq; Euangelicæ vitæ construxit tabernacula, ad quorum constructionem, vt eius veri sectatores sedulò incumberent, legem suam sub nomine *Regulæ* inscripsit, veluti reuelatam Sācti Euangelii formam, secundum quam ipse sibi iam primum *præparauerat totam animam per desiderium. Totam mentem per deuotionem. Totum cor per amorem.*

Ad summā regulā aspiciebat Frāc. dum Sūmus Artifex ipsi regulam reuelaret.

Vide quæso, Lector, ex præfata Interpretis nostri doctrina, illas Bonauenturæ responsiones ad eam quæstionem in Fratres Minores obiectam; *Cur tot existentibus Sanctis, & approbatis Ordinibus, nouam Regulam facere voluerit S. Franciscus?* Responsio in opusculo, cui titulus, *Determinationes quæstionum circa Regulam S. Francisci*, ita se habet. *Ad illud tibi respondeo. Quod Pater Sanctus Franciscus, spiritu Dei plenus, & zelo charitatis Dei, & proximi, totus ignitus, triplici desiderio flagrabat*, videlicet,

Quā ingens ignis diuinus, quo ardebat Frāc.

1 *Vt posset esse imitator Christi in omni perfectione virtutum.*

2 *Vt totus posset adhærere Deo per assiduæ contemplationis eius gustum.*

3 *Vt multos posset lucrari Deo, & saluare animas, pro quibus Christus voluit crucifigi, & mori.*

Et quia, subdit, non suffecit ei, vt ista in propria persona tantum ageret, voluit instituere Ordinem, vt multos cooperatores haberet, non solum in præsenti, sed etiam in futuro, qui & sanctitatis eius imitatores existerent, & alios Deo plurimos lucrarentur.

Ordines autem, quos ipse S. Franciscus inuenit in Ecclesia, aliqua prædictorum habebat, *vt Religiosi Cœnobitæ*, qui in studio virtutum Christi imitantur vestigia. *Eremitæ*, qui contemplationi diuinæ frequenter vacant. *Et Clerici* rectores plebium, qui animarum curam habentes ex officio, lucris animarum omni vigilantia intendere debent.

Quos Ordines Franc. in Ecclesia inuenit.

Et quia hæc tria simul inuenit in nullo Ordine, Spiritu Sancto ductus, *Nouam condidit Regulam, & nouum Ordinem instituit.* Quo in possessione Euangelicorum Cosiliorum, obedientiæ videlicet, & castitatis, & abdicatione proprietatis Christi vestigia sequeretur. *Et in officio Prædicationis, & Confessionis animarum lucra vtiliter quæreret. Et in altissimæ paupertatis mendicitate libertatem spiritus retinens, contemplationis supernæ apprehenderet vtilitatem.*

Tria in aliis Ordinibus dispersa in suo Ordine iunxit Frāc.

Nam etsi actionis exterioris occupatio aliquoties interrumpat otium cōtemplandi, ipsa tamen libertas cordis, nullis sollicitudinibus temporalium distracta, spiritualis vocationis magnam præstat studiosis opportunitatem, vt orando, legendo, meditando, & contemplando. Plus enim obest ad deuotionis puritatem assequendam strepitus temporalium curarum, quam exercitatio virtuosarum actionum, quia curarum importunitas in otio corporis generat mentis inquietitudinem.

Mendicitas maximè confert libertati cordis.

Boni autem operis fidelis exercitatio con-

Mixtio vitæ actiuæ,& cõtemplatiuæ, diuina est.

conscientiam quietat, & impinguando eleuat ad superna, sicut qui laborat in præparatione conuiuii, in quo quietus iucundè epulatur. Inde & Dominus per diem occupabatur in doctrina populi, & ægrotantium curatione, in noctibus orationibus in Monte vacabat, sicut ait Lucas 21. *Erat autem diebus docens in Templo, noctibus verò exiens morabatur in mõte Oliueti.* Et Psal.41.dicit. *In die mandauit Dominus misericordiam suam,& nocte canticum eius*.

Cur noluerit Franc. esse suos Minores curæ animarũ adstrictos.

Noluit S. Franciscus esse Fratres suos adstrictos ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex liberæ charitatis affectu, & vt meritum expectarent de fructu salutis aliorum,& periculum euitarent de perditione eorum, *participes in lucro, indemnes in detrimento, vt alios extraherent de naufragio, seu incendij periculo, ipsi tuti constantes in solido, non periclitentur cum pereuntibus in peccato.* Hactenus Bonauentura, admodum doctrinæ Interpretis nostri fauens, eamque seraphicè explanans. Etenim Regula ipsa, quam secundum formã S.Euangelii à Christo Frãc.acceperat, direxit illum, vt cõstructis cum Petro tribus Tabernaculis memoratis, iam tripliciter ipsi Christi exemplari suo conformatus tria prædicta in aliis Ordinibus, quos in Ecclesia repererat dispersa, in suo Ordine miro modo coniungeret.

VI.
Forma pro Anima.

In vita Fr. Min.professio vt materia se habet, regula verò vt forma.

Vita hominis resultat ex his,quibus homo suum habet esse, videlicet ex corpore tanquam ex parte altera longe ignobiliori, quam Philosophi nuncupant Materiam, & ex anima, admodum corpore nobiliore,quam partem formalem, seu formam appellant. Vita Minorum Fratrum ex duobus pariter erumpit, nimirum ex eorum professione, quæ ipsis materia est, & ex eorũ Regula, quæ ipsis forma est, ac forma non quælibet, sed Euangelica; nec ab homine inuenta, sed à Christo data, & reuelata. Quemadmodum in hominis contigit composito, in quo forma, quæ est anima, rationis capax, Deo, & Angelis in pluribus simillima, à potentia materiæ nequaquam educitur, sed venit à rerum omnium Conditore per creationem ex nihilo. *Assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum*, Zachar.12. Quẽ textum ita interpretatur Doctor noster in serm.Dom.5.post Trin. *Vita pœnitentiũ dicitur virga decora. Virga, quia sub disciplina rigore posita. Decora, quia lachrymis ab omni lepra peccati mundata. Vita carnalium dicitur funiculus, quia peccatorum funibus constricta*. Hæc Interpres. Virga dicitur propriè *Vimen*, *Bacillum* tenue, vel aliud quiduis, quod ad ligandum, verberandumque vtimur. Cicero pro C.Rabitio. Virga censoria prouerbialiter dicitur pro superciliosa iudicandi authoritate, à Romanorum nimirum Magistratu sumpta translatione, penes quem authoritas erat de Ciuium moribus iudicandi, equitemque equo, & Senatorem ordine suo priuandi. Hæc quidem authoritas erat Virga directionis, ac veluti regula, qua Magistratus in iudiciis suis vtebatur, iuxta illud Psalm. *Virga directionis, virga regni tui*.

Cur vita pœnitentiũ dicatur virga decora

Virgæ acceptio triplex.

Hinc non solum *regula* accipitur pro *norma*, qua lineæ regulantur apud Col. lib.3. cit. ac translatè pro breui rerum præceptione apud Cicer.4.Acad. vbi sic. *Hanc Regulam esse totius Philosophiæ constitutiuam veri, falsi, cogniti, incogniti*: Verũ etiam aliquando ponitur pro *baculo*, quo aliquid rectum tenetur, Col.lib.19. *Qui baculus etsi ex flexione virga fiat, postea tamen eo aliquid regulari*. Igitur in hac acceptione vita pœnitentium, maximè Fratrum Minorum, nihil aliud erit, nisi virga decora, iuxta præfatam Interpretis nostri explicationem. Dum vita est Christiana, Fides ipsi anima est. Dum verò vita Franciscana est, ipsi anima virga Euangelica est, scilicet illamet Regula, quam profitetur, & qua principaliter viuit *secundum formam Sancti Euangelij*.

Reg. etiam pro virga

Idem Interpres super illud Hierem. 1. *Virgam vigilantem ego video*. Tribus modis loquitur de Christo.

Virga vnde sic dicta, & quare Christi simbolũ.

1 *Virga à viriditate, vel virtute, vel quod ex ea viri regãt, sic dicta, significat Christum, qui est Dei virtus*, qui secus decursus aquarum, idest abbundantia gratiarum plantatus, viridis, idest ab omni peccato immunis permansit; quia de seipso dicit Lucæ 23. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Cui dixit Pater: *Reges eos in virga ferrea*, idest inflexibili iustitia.

Christus virga vigilans.

2 *Vel Christus dicitur Virga vigilans*, pro eo, quod sicut fur de nocte vigilans. Virga, in qua est vncinus, res de domo dormientium extrahendo, furatur, *sic Christus virga suæ humanitatis, & vncino suæ Crucis animas Diabolo est furatus*. Vnde dixit Ioan. 12. *Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum*.

Christus virga nucea cur dicẽdus.

3 *Christus dicitur virga nucea, vel amigdalina*. Nota, quod in nuce, vel amigdala est nucleus dulcis, testa solida, cortex amarus. In nucleo dulci signatur Christi diuinitas. In testa solida eius anima,

ma. In cortice amaro eius caro, quæ amaritudinem sustinuit passionis. Hic vigilauit super verbo Patris, vt faceret illud. Vnde dicit, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Hæc Interpres. Christus dum extat in Regula Minorum vt Author summus, & vt eā reuelans, & inspirans suo Legislatori Francisco; Extat etiam, vt *Virga viridis*, eam semper in Dei virtute fauens, & ab omni defectu aduersus hostes immunem reddens.

In lege Min. vt virga viridis.

Extat vt *Virga ferrea*, eam inflexibilem reddens in sua iustitia, ac sanctitate vsq; ad Mundi finem, quamuis Satan eam flectere, ac rumpere multimodè satagat.

Vt virga ferrea.

Extat vt *Virga vigilans*, quia quod verè reuelauit in ea Francisco, per Franciscum prædicauit, facto compleuit, & ostēdit in opus reparationis.

Vt virga vigilans dupliciter.

Extat vt *Virga item vigilans*, quia in suo Legislatore Francisco sibi humilitate, ac conformitate simillimo, animas Diabolo innumeras est furatus.

Extat demum vt *Virga nucea*, &c. nam per eam suo Francisco reuelauit diuinitatem, propter opus illud in reparatione Ecclesiæ assumendum, quod opus non poterat facere, *nisi Deus*. Sic reddidit eam suis professoribus in suo nucleo dulcissima. Reddidit eam solidam, vt veluti anima sua vitam Minorum perenniter animaret, eam reddendo in suis obseruatoribus *Viridem, Inflexibilem, Vigilantem*, & Christi vitę conformem. Reddidit amaram, vt sic verè esset virga pœnitentiæ, ad vitæ Christi patientis alacri magnanimitate amaritudinem sustinendam.

Vt virga nucea.

Hisce etiam modis in vita Christiani hominis anima, quæ fides est, dum formata est, est quoque Virga viridis. Virga vigilans. Virga ferrea. Virga nucea. Ast in Fratrum Minorum vita fides ipsa per eorum Regulam excellētiori modo anima est, quia anima Christi est, dum forma Euangelica est. *Regula, & vita istorū Fratrum* (incepit Franciscus) quia nec Regula sine vita, nec vita sine Regula in lege Minorum erit. Ergo quod est forma, siue anima in vita humana, est Regula in vita Minorum.

Fides formata, virga quadriformis.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, &c. Sic respondit Christus cuidam legis perito, indicans illi primum mandatum in lege. Vbi Interpres loquens de mente, prout animæ vnita, ac cum ea vna res est, subdit statim. *Pro efficientijs causarum diuersa nomina sortita est anima. Dum viuificat corpus anima est. Dum vult animus. Dum scit mens est. Dum rectum indicat, ratio est. Dum spirat, spiritus est. Dum aliquid sentit, sensus est.* Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua; *Vt quidquid meministi, scis, & intelligis, ad dilectionem Dei referas, &c.*

Vna est anima, sed multiplex officiis.

Pari modo asserendum in proposito, dum Regulam Minorum formam, & animam vitæ Minorum dicimus cum Francisco; qui incipiens à digniori, vti est Anima, quæ dignior est in vita hominis, pariter & à Regula incepit. Nam dum eius professores viuificat, veluti *Anima* illis est. Dum vult, vt iuxta formā Sancti Euāgelii viuant, *Animus* dici potest. Dum scit eos dirigere ad sublimissimum perfectionis apicem, *Mens* haud incongruè nuncupanda. Dum rectum iudicat, ad Christi exemplar, exempla Patrum excedens, *Ratio* fit, haud humana, sed diuina. Dum spirat per tot votorum, præceptorum, consiliorumque fistulas, eo redolet *Spiritu*, qui ipsam Francisco inspirauerat, reuelaueratque. Dum sentit quidquid continet, vt à suis sentiatur, *Sensus* est, seris diuini amoris, & timoris latronibus clausus, vt ex Interprete nostro in serm. Dom. 1. post Pascha alibi diximus. Vel sensus est quatenus constituit quemlibet eius professorum, atq; obseruatorū sui ipsius *Principem*, ad quem accedens Iesus, imperat, vt recedant tibicines, & turbam tumultuantem. Ita Interpr. super historiam Matth. 9. in serm. Dom. 24. post Trinit. ad illud, Cum ergo venisset in domo cuiusdam Principis, &c. *Princeps*, ait, *est quilibet homo, qui sibi debet principari, cuius domus est conscientia eius. In ea tunc venit Dominus, cum ei gratiam infundit, vt culpam suam cognoscat, & cognoscendo erubescat.* Et cum vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, &c. *Cum Iesu gratia hominis conscientiam visitat, tunc sensuum delectationi, & cogitationum tumultui imperat, vt recedant. Imperat enim ventis, idest vanitati sensuum, & mari, idest fluctuationi cogitationum, & obediunt ei.* Hæc ibi, sed vbi melius imperitat Christus aduersus sensualitatem, nisi in Regula, & vita Minorum?

Ita & regula, & vita Minorum.

Quis princeps in suæ conscientiæ domo.

Vel tertio sensus est Minorum Regula, dum illorum vita anima est, non amplius sæcularis, sed regularis, non amplius mundana, sed claustralis, non amplius temporalis, terrena sapiens, sed cælestis apostolica profitens. Quidquid enim per eam sentit eius verus professor, illa quinque in se patefacit, de quibus Interpres Dominica 3. in Quadrages. *Apparebit siquidem in eius oculis humilitas, & simplicitas. In ore regnabit veritas, & benignitas. Ab auribus remouebitur omnis detractio, & adulatio. In manibus puritas, & pie-*

Tertio reg. Min. dicitur sensus informans minorum vitam.

& pietas. In pedibus reperietur maturitas. *Regula, & vita Fratrum Minorum.* Mors est priuatio vitæ, ergo Legislator Franciscus eam vitam, cui forma, & anima esset obseruatio Euãgelica, instituere debebat; quæ ad reparandam vitam Ecclesiæ, quæ est fides, multiplici morti, ipsam vitam totius Ecclesiæ destruere satagenti, opponeretur. Tria fulmina vidit Franciscus in Christi dextera, quibus accinctus erat in cinerem redigere Orbem, ob tres mortes principaliores trium capitalium vitiorum, vnde cæteræ mortes in excidium omnimodæ vitæ Ecclesiæ necessario eruperant. *Primum fulmen* in superbos, impetu quodam irreparabili cadere debebat. Superbia enim cum sit priuatio humilitatis, in qua Christiana fides posuerat fundamentum, mors eius dicenda est. *Secundum fulmen* in lasciuos dirigebatur. Lasciuia enim est priuatio puritatis, & castimoniæ, ac per consequens eius mors est in perniciem fidei, cuius oculi columbarum. *Tertium fulmen* in auaros dirissimè ardebat. Auaritia namque priuat illa liberalitate, cui dum mors fit, Apostolicam libertatem, & per hanc Euangelicam paupertatem interimit, fitque *omnium malorum radix*.

Vita Fr. Min. cui anima regula, contra plures mortes à Deo electa.

Tria vitia capitalia tres mortes principales sunt.

Ex hac triplici morte eruperant illis temporibus aliæ mortes, nimirum *Mors catholicæ fidei*, ob eius priuationem in multis hæresibus, quæ tunc vigebat. *Mors vnitatis, & concordiæ* inter Principes, Reges, Ecclesiasticos, ob multa schismata, quæ extabant. *Mors libertatis Reipublicæ Christianæ, & Ecclesiasticæ*, ob nonnullorũ Magnatum tyrannides. *Mors demum aliarum virtutum*, ac bonorum morum ob alia vitia, ac corruptelas, quæ Dei vindictam in interitum Ecclesiæ prouocabant.

Ex illis aliæ mortes in excidium Ecclesiæ.

Cum ergo statuisset Christus ad precũ suæ Matris instantiam, reparare Ecclesiã suam per Franciscum aduersus prædictas mortes, conueniebat profectò, vt eam vitam in eas euertendas institueret, dans illi veluti animam legem, *& Regulam secundum formam Sancti Euangelij*, quæ validior esset, ne in discrimine cum illis succumberet. Alias opus reparationis operi fundationis, ac redemptionis minimè respõdisset, nec proinde perfectum esset, neque Deo profectò ex se immediatè illi ordinanti, instituenti, reuelanti dignum.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montẽ excelsum valde, &c. Mat. 9. Vbi Interpres noster aliàs datus. Hi tres Apostoli, ait, & speciales socii Iesu Christi, *tres animæ nostræ significant vires*, sine quibus nemo potest ascendere ad mõtem luminis, idest *ad excellentiam sanctæ conuersationis.* Petrus interpretatur *agnoscens*. Iacobus *supplantator.* Ioannes *gratia*. Assumpsit ergo Iesus &c.

Tres virtutes animæ ad montem luminis ascẽdunt.

1 Assume & tu qui credis, & speras salutem à Isu, *Petrum*, scilicet *tui peccati notitiam*, quod consistit plerumque in tribus. In cordis scilicet superbia. In carnis lasciuia. In Mundi auaritia.

Notitia peccati, quod in tribus plerũque cõsistit.

2 Assume *Iacobum, idest supplantatorem istorum vitiorum*. Vt sub planta rationis conteras tui spiritus nequitiam, & superbiam. Tuæ carnis mortifices lasciuiam, & fallacis Mundi reprimas vanitatem.

Trium vitiorum supplantatio.

3 Assume *& Ioannem, idest Domini gratiam*, quæ stat ad ostium, & pulsat, vt te illuminet ad cognoscendum mala, quæ fecisti, vt te conseruet in bono, quod inuenisti. Hæc Interpres, qui statim subdens illud 1. Regum 10. *Cum veneris ad quercum Thabor*, ità hæc tria, scilicet, *Quercum, Thabor, & Montem*, pulchrè coniungit, & iuxta propositum suum commentatur. Quercus, Thabor, & Mons significant sanctæ vitæ excellentiam, quæ benè dicitur, Quercus, Thabor, & Mons. *Quercus, quia perstans, & inflexibilis, per finalem perseuerantiam. Mons, quia alta, & sublimis, per Dei contemplationem. Thabor, quia interpretatur lumen veniens, per boni exempli illuminationem. In sancta vita excellentia hæc tria requiruntur. Vt sit constans in se, contemplans ad Deum, illuminans ad proximum.* Hæc Interpres, quæ respondent multa cum gratia ad illud carmen de Francisco (in sanctæ vitæ excellentia ipsa constantia constantiore, magno cõtemplantiũ Deum Magistro, nouoque proximorum lumine) in Hymno primarum Vesperarum sub copdis 3. & 4.

Domini gratia, quæ stat ad ostium pulsans.

In sanctæ vitæ excellentia tria requiruntur.

Assumptus cum Apostolis
In Monte noui luminis,
In paupertatis prædijs,
Christo Franciscus intulit.
Fac tria Tabernacula
Votum secutus Simonis,
Quem huius non deseruit
Numen, vel omen Nominis.

Assumptus Franciscus à Christo cum Apostolis Petro, Iacobo, & Ioanne ad Montem luminis, idest excellentiam sanctæ conuersationis, factusque ibi ex Domini gratia, gratiæ filius (sic vocauit ipsum D. Bonauentura paulò ante) omniumque vitiorũ inclitus supplantator, vt idoneus fieret Legislator, cui lex ab ipso Christo reuelaretur, modò valdè, valdè equidẽm singulari, quod de nullo alio fermè adhuc legitur, adeptus est *sui peccati notitiam*.

In sui peccati notitia quam excellens supra alios sanctos Franc.

Ipse

Mira sui ipsius in Fran. annihilatio

Ipse namque in ipsam vitæ Apostolicæ excellentiam, imò vitæ Christi Cimbam euectus, latrones publicos, sicarios, publicanos, ac scelestos, impuros, & criminosos homines incredibili, altoque sui animi sensu, suique ipsius inaudita annihilatione, sibi adeò firmiter anteponebat, vt quod de se profunda quadam, atque ab aliis viris perfectis impersuasibili veritate sentiebat, nisi ipsemet declararet, id profectò vel parum solidè dicere, vel fictè asserere crederetur. Quare haud mirum, si in eo resurgens *Christi humilitas*, funditus corruere visa est superbia, christianę humilitatis interfectrix. Resurgens *Virginea Castitas*, munditiæ Christi simillima (vt cum carne Christi in vtroque homine mereretur postea plagari, ac crucifigi, quam castitatem perimerat in toto Orbe lasciuia) *lasciuia* interitum indixit. Resurgens religiosa, piaque *liberalitas* è tumulo impietatis, in quo eam sepelierat *auaritia*, hoc monstruosum vitium in cinerem redactum est. Hinc porrò retenta, præpeditaque trium fluminum dexteræ Christi executione, ędificatisq; à Francisco in *Monte noui luminis* Christo suo *tribus Tabernaculis* (de his cum Interprete nostro paulò ante) quem Deus tanta idoneitate ditarat, *vt nouus homo esset in Mundo, & noua præcepta*, & consilia secūdum formam Euangelicam *daret Mundo*, constituit etiam nouum Legislatorem, eique statuit nouam legem reuelare, quæ esset Regula, & vita Fratrum Minorum, iuxta suum proprium exemplar, quod in eodem noui luminis Monte illi monstrauerat.

Ex morte trium vitiorū per Fran. & eius legem omniū aliorum scelerū interitus, atque vitalis Ecclesiæ resurrectio.

Verum nec aliam voluit esse hanc Regulam, nisi formam Sancti Euangelii, nec aliam hanc formam, nisi animam vitæ Fratrum Minorum, suæ vitæ conformem. Nec aliam hanc vitam, nisi ipsius Legislatoris aduersus mortem vitiorum capitalium superbiæ, lasciuiæ, auaritiæ. His namque vitiis extinctis, sicut in interitum necesse esset, vt irēt hæreses, schismata, tyrannides, crimina, corruptelæ, ita pariter & Ecclesia, communi lapsui propinquissima, cum Christi, & Apostolorum humilitate, puritate, liberalitate, fide Catholica, libertate Seraphica, bonis moribus in Francisco, & eius sequacibus, & cum omnibus ab eo, & ab his Christo conuersis in nouam quasi vitam veluti è sepulchro resurgere. Ex hisce sex modis veluti totidem alis, numero, ac proprietate Seraphicis quarta hæc Legis Minorū excellentia vsque ad diuinum ius eleuatur, ipsumque aliquo pacto intrat. Est profectò ista Lex tota Euangelica, nec quidquam habet, quod in sacro codice non præscribatur, aut clarius inueniatur. Ostendit B. Cæsarius de Spira dū ad præceptum Institutoris è regione vniuscuiusque periodi locum exposuerit ex libris Euangelicis: & B. Aluarus lib. 2. de Planctu Eccles. cap. 59. 60. &c. Vnde Emmanuel Roder. tom. 1. quæst. Reg. quæst. 4. artic. 1. neque sine optima ductus ratione opinatus est, Minorum legem esse de iure diuino, quod ita demonstrat. Certum est apud Theologos, quos refert Corduba lib. 1. quæst. quæst. 44. pag. 162. & 163. qui de specialibus reuelationibus dixerunt, vim, ac diuinum robur eas habere, modo sint approbatæ, ad obligandum sub lethalis noxæ ligamine. Imò plures, & præstantissimi Theologi, de quorum numero est Vega, Catherinus, & alii intrepide affirmant, speciales Sanctorum reuelationes approbatas deuincere, ad credendum sub pœna hæresis. At verò nō est dubitandum, B. Franciscum expressam habuisse Dei reuelationem de Minorum Religione instituenda, cum non semel, sed ter Christus, Cruci affixus, eidem alta, ac sensibili voce præceperit, *Frācisce, vade, repara domum meam; nam tota, vt cernis, labitur*. Ita Bonau. cit. cap. 2. legēdæ. Hoc autem præceptum diuinū haud fuit datum Seraphico viro de vouenda, sed de instituenda Minorum Religione, vt Ecclesiam, peccatorum pondere pressam, & iam propemodum labentem, assiduis virtutum sui, ac suorum excitamentis, instauraret. Cuius rei certior factus, tum peculiari visione Innocentius III, teste Breuiario Romano ex Bonauētura, tum per Seraphicum Patrem, legem, ac institutum Minorum approbauit viuæ vocis oraculo, Pontificatus sui anno 13. Christi verò 1209. Hancque approbationem ratam deinde habuit in Concilio Lateranensi 1215. Postea literis Apostolicis confirmauit Honorius III.

Lex Minor. quomodo eleuata ad diuinum ius.

Reuelationes SS. ab Eccl. approbatæ, sub pœna hæresis credēdæ.

Cum ergo constet, B. Franciscum authenticam reuelationem diuinā habuisse, & præceptum expressum, à Christo Domino impositum, & à Sede Apostolica approbatum, vti ex D. Bonauentura, & Ecclesiastico Officio colligitur, valde probabilior colligere possumus, Religionem, & Legem Minorum iure diuino esse institutam. Neque desunt pro roboranda hac sententia Summorum Pontificum testimonia. Nicolaus III. *Hæc est apud Deū, & Patrem munda, & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per eius filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & demum per Spiritum Sanctum Francisco inspirata, quasi totius continet testimo-*

Præceptum Christi ad Franc. de reparanda Eccles. ab Eccles. approbatur.

Pōtifices nostram sententiā probātes

stimo-

stimonium Trinitatis. In quibus verbis sententia nostra magnopere comprobatur. Cum totius Trinitatis testimoniũ sit authentica. Idem docet Clemens V. iuxta Concilium Viennense Clem. Exiui, &c. dicens. *Hanc Religionem esse vitæ cælestis formam.* Eandem veritatem testatur Leo Decimus in Bulla Vnionis, quæ incipit, *Ite & vos*, in qua apertè ait: *Hanc Minorum Religionem esse Vineam, ab æterno Patre plantatam.* Ob id dixit Summus Pontifex, quod meritò istam Religionem suam appellat Deus. Ergo si Deus peculiari ratione istam Religionem vocat suam, non immeritò colligimus iure diuino ab eo esse cōditã. Ac proinde nulla potestas est in terra, quæ hoc sacrum, ac diuinum Institutum possit licitè conuellere, & extirpare. Et sic Regula Minorum indicat nobis hanc probabilem veritatem. Omnia enim ad perfectiorem vitam spectantia, & iam ab altissimo reuelata, atque aliena à quacumque sancti viri industria (vt idem Bonauentura fatetur) in eiusdem Regulæ abbreuiatione, ex capitibus 23. ad num. 12. redacta, plenariè continētur. Et sic meritò in primo capite vocatur Vita iuxta formam Euangelicam. Sicut enim vita naturalis in anima, & corpore consistit, in quo non omnia membra sunt æqualia, & tamen seruant inter se mirum quemdam ordinem, ita Minorum Religiosorum vita ipsius Regulæ Euangelicę conformatur, & cooptatur, in cuius corpore membrorum varietas cũ multo ordine apparet, & cum multo etiam ordine modo Apostolico, vndiq; Hierarchicocōstituitur, vt sic mira soliditate firmetur.

Quare Reg. Minorũ appelletur vita.

Quomodo autem intelligendus sit Rodericus, etsi ex se aliquanto declaretur, scribit Vadingus tom. 1. Annal ann. 1223. num. 14. vbi addidit clausulam illam clariorem, *Dummodo id intellexerit,* ait, *quatenus Religio, & Regula Minorum Euangelica est, & ex Euangelio cōcinnata. Sine cuius iniuria non possit condemnari, vt* (teste Bonauentura cap. 3. vitæ Francisci) *doctè monstrauit Innocentio III. magna authoritatis, & doctrina Cardinalis Ioannes à Sancto Paulo, &c.* Attamen, subdit, quatenus peculiaris sodalitii norma viuendi, & à Pontificibus approbata, ab eisdem fine dubio posset reprobari, dum iusta causa subesset: Et quæ hucusque semita facta est salutis, vniuersis sectatoribus fieret in offendiculum. Profectò experientia in hoc vsque tempus docuit, veris, & sinceris huius Regulæ professoribus eam secundum ipsius Sancti Institutoris elogiũ *Librum esse vitæ. Spem salutis. Arrham gloriæ. Medullam Euangelij. Viam Crucis. Statum perfectionis. Clauem Paradisi. Pactum fœderis æterni, &c.* Numerus verè Euangelicus iuxta Interpretem nostrum, ob paritatem ad VIII. Beatitudinum numerum.

Explicat Vadingus, Roderici, & aliorum sequacium sētentiam.

Sexta Prærogatiua

In Regula, & vita Min. sicut ob formam Euangelicam excellit, ita pariter ob scripturã paucam, simplicē, ac rudem.

ET *ego paucis verbis, & simplicibus feci scribi.* *Et*, copula est. *Ego*, pronomen est demonstratiuũ. Coniungens Franc. antedictam suæ legis prærogatiuã cum hac sequenti, seipsum demonstrat vt immediatum Legislatorem, qui reuelatam à Christo sibi Legem, hanc eandē suis ipse Minoribus tradiderat.

Ego sum, qui eduxi vos de terra Aegypti, & de domo seruitutis, Exodi 20. super quem locum *In Aegypto*, ait Interpres, *quamdiu sumus, muscæ vndique volant, & de facili ora intrant. Tamen quia ibi Aegyptij satiare non possunt, non ibi, sed in Ecclesia, & extra Aegyptum aperiendum est os.* Hæc ibi. Extra hunc Aegyptum aperuit os suum Franciscus, cui dixerat Christus. *Ego sum, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis.* Aperuit, inquam, Franciscus à principio suæ perfectæ conuersionis os suum, vt prædicaret pœnitentiam, & vnde incepit Christi Præcursor, & mox ipse Christus, iaciens fundamenta Ecclesiæ, & redimens humanum genus, ipse quoq; Franciscus incepit, vt his fundamētis tergora apponeret, ne illorum moles corrueret, quinimò & ipsam in pristinum statum releuaret.

Quid est esse in Aegipto, & extra Aegiptum.

Aperuit deinde os suum Franciscus, vt per *nouam legem* doceret suos, imò & totũ mundum, in ea ignorantia sepultum, de qua Philosophus, *Omnis peccans est ignorans.* Vnde Interpres superius adductus. *Cor peccatoris splendorem sapientiæ, & notitiæ non potest sibi imprimere, sed solum tenebras fraudis, & malitiæ.*

Peccatũ nocenti ignorantia est.

Aperuit demum os suum Franciscus in extremo vitæ suæ, & vbi demonstrans personam propriam, ab illo pronomine exorditus est, *Ego*, idem penè loquendi modum emphaticè expressit filiis, & consociis suis præsentibus, & absentibus, quē dixit Dominus Israelitis: *Ego sum qui eduxi vos de terra Aegypti, &c.* Quasi diceret cum Deo, & in Deo. Ego ipse Franciscus ille sum, qui ab illo eodem Aegypto vos eduxi cum Christo, & in Christo, tradens vobis eam legem, quam Christus mihi tradiderat, à quo ipse Christus me eduxit, vt vestrũ me constitueret Legislatorem, vosque extra Aegyptum ponerem,

Francisci in extremo vitæ allocutio ad suos.

ubi aperiendum est os, & spiritus Apostolicæ libertatis attrahendus.

Legis Minorū vexillū, oliuæ arboris stemmate signandum.

Ego posui vos extra Aegyptū sub traditæ legis vexillo, vberrimæ oliuæ stemmate consignato. Vnumquemque enim vestrum extra hunc Aegyptum in Ordine Fratrum Minorum illammet oliuam ego effeci, de qua Ierem. 30. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum*. Nam in hunc locum filius meus dilectus Antonius de Lisbona, quem ob sanctam eius vitā, ob sapientiā singularem, ob mirandā Theologiam, eius Sacerdotio dignam, vt Episcopum veneratus sum, ac propterea Episcopus meus à me appellatus, ita vobis, ac toti Ecclesiæ, maximè Fratrum Minorum, prædicauerat. Per quæ notantur quatuor bona, quæ ex misericordia sua confert nobis Dominus. Bona videlicet Naturæ, Gloriæ, Fortunæ, & Gratiæ.

Bonum naturæ in oliua speciosa.

1 Per hoc enim, quod dicit *speciosam*, notatur *bonum naturæ*. Homo enim inter creaturas præcipuè speciosus est, & animę species dignissima. *Primum ergo bonum*, quod fecit nobis Deus, quod fecit nos homines, non bruta, non lapides, &c.

Bonū gratiæ in fructifera

2 Per hoc, quod dicit, *Fructiferam*, notatur *bonum gratiæ*, quādo vocauit nos per gratiam, ad faciendum dignos fructus pœnitentiæ.

Bonū fortunæ in vbere

3 Per hoc, quod dicit, *Vberem*, notatur *vbertas fortunæ*, sub bonorum temporalium, quam nobis quotidie confert, licet pauperes simus. *Nihil habentes, & omnia possidentes*, 1. Corinth. 6.

Bonū gloriæ in pulchra.

4 Per hoc, quod dicit, *Pulchram*, significatur *bonum gloriæ*, qua nihil pulchrius. Vnde pulcher dicitur quasi *polcher*, idest *pluries salutandus*, scilicet salutatione, qua salutauit seruum suum in gloria. *Euge serue bone, & fidelis*, Matth. 25. de Beato Augustino dicitur, *quod cum seruis fidelibus salutauit eum Dominus*. Hæc Interpres ostendens nobis Franciscum in illo pronomine. *Ego*, veluti dicentem suis Fratribus in extremo vitæ, demonstrans latæ legis prærogatiuas, obseruantiam commendans, eosque benedicens. *Ego eduxi vos extra Aegyptum* sub istius legis vexillo, quo mihi, & vobis ducatum Christus præstitit, feci que, vt quilibet vestrum se verè demonstraret oliuam speciosam in bonis naturæ, fructiferam in bonis gratię, vberem in bonis fortunæ, pulchram in bonis illius gloriæ, quæ pax summa est, perennis misericordia, in qua bellum nullum, miseria nulla. *Nam quicumque hanc Regulam sequuti sunt, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei*.

Ob quadruplex istud bonū, quadruplices gratiæ à Minorib. potissimū agēdę.

Si ergo vnumquemque vestrum Ego in Christo talem in Minorum professione effeci, qualem prius ipse Christus me fecit, profectò *dignum est, & æquum, & salutare*, vt ob traditam mihi, & vobis legem, cum benedicta præfati Episcopi mei Lingua pro quadruplici bono misericordiæ quadruplices Deo referamus gratias. *Dignum*, inquam, *pro bono naturæ quia dignissimā creaturam nos fecit. Iustum pro bono gratiæ, quia nos iustificauit. Equum pro bono fortunæ, quia in necessarijs quibuslibet Regni nos æquauit: salutare, quia salutationem, & salutem æternam nobis promisit.* Columba reuersa, quadruplicem ramum oliuæ in ore debet referre, quæ per ingratitudinem fuerat auersa à Christo. Vnde quater eam reuocat, dicens. Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis, Reuertere, reuertere, &c.* Hæc ex ore Interpretis.

Paucitas in verbis regi Franc. nec essaria admodum, vti & vita apostolica Franc.

Ego paucis verbis. Pronomini, *Ego*, nisi paucitatē in verbis, ex apostolica magnanimi cordis sui paucitate proruptis coniungeret Franciscus, Franciscus minimè esset; cui tantò propriissima paucitas in cunctis, quæ Christi humilitatem saperēt, quantò ipsa vita, nouo Ecclesiæ per nouam legem Reparatori necessaria, vt vitæ fundatori Ecclesiæ, ac Redemptori omnium assimilaretur. Hinc ad finem Testamenti omnia concludens Sanctus Pater, suosque filios omnes benedicens, talia verba tenerrimè, atque humillimè expressit, qualia, vt Fratres omnes singulis sextis feriis, in quibus alta voce è suggesto Lector Regulam, & Testamentum legit, reuerenter auscultent, statim omnes communiter surgunt, caput detegunt, ac profundè interrupta commestione sese inclinant. *Et quicumque*, ait, *hæc obseruauerit, in Cælo repleatur benedictione Altissimi Patris cælestis, & in terra repleatur benedictione dilecti filij sui cum Sanctissimo Spiritu Paraclyto, & omnibus Virtutibus Cælorum, & omnibus Sanctis. Quibus ego Fr. Franciscus paruulus vester, & seruus, quantumcumque possum confirmo vobis intus, & foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.*

Reuerentia Min. ad regulam dum legitur in communi mensa.

Paruis parua decent. Paruitati Francisci paruitas verborum in scribenda Regula oportebat. Etenim vt ipse verè magnos suos Minores more Apostolorū efficeret exortatione, & exemplo, docuit Prædicatores suos, *vt sint examinata; & casta eorum eloquia, ad vtilitatem, & ædificationem populi, annunciando eis pœnam, & gloriam cum breuitate sermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.*

Et Isaia paruulus filius datus, & natus est nobis, *vt suos faceret magnos*, addit Interpres ex D. Bernardo. *Paucis ergo verbis* fecit scribere suam, sibi à Christo reuelatam legem Franciscus. Vbi animaduertendum, quod in hac sua Regula, quod

breui

Breuitatem primæ reg. fortè capitulis, & scriptura ampliauit B.Cæsarius.

breui fecit scribere Franciscus, tradidit deinde B.Cæsario Spirensi, viro Germano, ac docto, vt Sancti Euangelii sententiis adornaret, sicut alibi diximus, & infra quoque in abbreuiata Regula dicemus. Illud, quod breuibus verbis fecit scribere ab vno ex vndecim primis Discipulis in domo Virginis Franciscus, paruulus atque pauperculus Legislator, illud idem quantum ad materiam, rudibus, ac paucis verbis traditam proculdubio extitit, quod Christus reuelauerat, quodque Domino Innocentio Papæ III. præsentauit, vt approbaret, prout benignè Pontifex ille approbauit.

Vtrum autem in tot capita, nimirum 23. eam Franciscus effecerit, distinxeritque, in quot maiores nostri illam deinde nobis tradidere, ex quibus postremò Vadingus eam mutuauit, & rescripsit, nõ video posse assertiuè responderi. Nam cum breuis fuerit, ac sine B.Cæsarii ornamento haud multum quantitate scripturæ ab illius abbreuiatione distans, verisimiliter mihi persuadeo, quod fortè ipsemet B. Cæsarius, de cuius sanctitate, & doctrina plurimum, nec quidem immeritò confidebat Franciscus, eam capitulis, ac sententiis amplíauerit.

Num totum Psalterium ediderit Dauid Rex.

Quid simile discutiunt Psalmorum Interpretes circa totius Psalterii auctorem, num scilicet fuerit solus Dauid Rex, aut simul & alii præter ipsum. Qui negant cũ D.Hieronymo, quem sequutus Lyranus, hi non omnes Psalmos composuisse Dauidem opinantur. Responsio pro ipsis Britonis nostri in replica Glossæ contra Burgensem saluat quoque Augustini sententiam, cui maximè adhæret sententia inhæret. Cum igitur, ait, Dauid literaturã non habens ignorauerit colores rethoricos, & artificiales ornatus, verisimile videtur, quod Dauid receptas, & intellectas propheticas illustrationes, *dederit filis Core, & alys prout illos, aut alios apud se habebat, materiam dictaminis, qui tamquam in huiusmodi artibus periti ex materia sic ministrata composuerunt carmen, & hymnum, & psalmum*. Sicque Dauid propter administrationem materiæ ex reuelationibus diuinis sibi factis post Spiritũ Sanctum est author omnium Psalmorum principalis, sic puto opinionem Sancti Augustini. Hæc Britonus valdè profectò verisimiliter.

Sententia negatiua roboratur.

Ego paucis verbis feci scribi. Sic abbreuiauit verbum Dei in lege Minorum Franciscus, sic paucis verbis, quemadmodum Christus ipsi reuelauerat mirum in modum (quem modum nondum à sæculis aliquis adhuc audierat, viderat, vt propterea ceu valde nouum, & insuetum Curia Romana cum principio reprobauerit) totum penè Euangelium inclusit, legi fecit, mandari, & obseruari. *Misit digitos in auriculam* surdi cuiusdam, qui & mutus erat, vt cum sanaret Christus, Matth. 7. *Digiti dicti* (interpretatur Doctor noster in serm. Dom. 12. Trinit.) *quia decenter iuncti existant*. Primus dicitur *Pollex*, eo quod inter cæteros pollet. Secundus *Salutans, seu Index, & demonstratorius*. Tertius *Medius*. Quartus *Annularis*, quia in ipso annulus geritur; Idem & *Medicinalis*, eo quod trita collyria à Medicis ipso colliguntur. Quintus *Auricularis*, eo quod aures scalbitaus. In manu Christi in Verbi incarnati fuerunt isti quinque digiti. Pollex fuit in *Conceptione*. Salutans, vel demonstratorius in *Natiuitate*. Medius in *Prædicatione*. Medicus *in virtutum operatione*. Auricularis *in hodierno miraculo*.

Quinq; manus Christi digiti quid mistice.

1 *Pollex* cæteris breuior, qui virtute præpollet, *humilitatem* signat filii Dei, qui se abbreuiauit in vtero Virginis. *Ante pedes curuabit virtutem suam*, Eccles. 38. In pedibus Humanitas, in virtute Diuinitas designatur. Ante pedes ergo humanitatis curuauit, idest *humiliauit virtutem diuinitatis*.

Pollex eius humillima conceptio.

2 *Salutaris*. In Natiuitate Angelus *salutem* quasi digito denunciauit, dicens Lucæ 2 *Et hoc vobis signum, &c.*

Index natiuitas, toti mundo salutaris.

3 *Medius fuit in Prædicatione*, Cælorũ Regnum annuncians. Medius dicitur à modo, hoc est à mensura. Et ipse secundum virium capacitatem vnicuiq; verbũ vitæ annunciauit, & mensurabat.

Medius prædicatio discretissima.

4 *Medicus in Virtutum operatione*, de quo Eccles. 30. *Honora Medicum propter necessitatem*.

Medicus operatio salubérrima.

5 *Auricularis*. *In aure obedientia*. Et ipse obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. *Istis quinque digitis humani generis surditatem sanauit Dominus*. Ita concludit Interpres, nec è sua conclusione excludit Franciscũ, adeo Christo simillimum, qui *Manus dextra Christi* fuit in opus reparationis Ecclesiæ, in quo iterum per hanc Manum suam vniuersam generis humani sanauit surditatem. Si enim volumus verum fateri, nonne ac si veluti denuo per modum valde peculiarẽ *conciperetur* in Francisco Christus, se in ipso ostendit *Pollicem* ob suammet illi communicatam Humilitatem; & veluti denuò *nasceretur* se ostendit *Indicem*, salutem, totius Christianitatis restauratricem, denunciantem per illum eundem Angelum, qui annunciauerat Matri, Frãciscum in stabulo parturiendũ? Sic postea

Auricularis obedientia summa.

Fran. manus dextra Christi in opus repar. Eccl. cum quinq; iisdem digitis.

suæ prædicationis *Medium* ostendit Frāciscum suum Christus. *Medicum* in miraculorum operatione. *Auricularem* ob consummatam illius obedientiam de restauranda Ecclesia, factus & ipse obediens vsque ad mortem Crucis. Nā annis duobus in ea Franciscus sui corporis pependit Cruce, quam manibus propriis Christus Fabri filius in Aluerniæ monte fabricauerat.

Verbū Dei vt pollex in lege Franc. abbreuiatū.

Paucis verbis paruulus Franciscus paruulum Dei filium, Verbum Dei Patris clausit in sua lege, eo quia in ipsamet paucitate verborum Verbi incarnati humilitatem sibi communicatam semper inspicerent Minores, eamque cum tanto Legislatore imitarentur. Hinc vt paruitas verborum in lege Francisci *Pollici* Verbi Dei, abbreuiati in vtero Virginis responderet, & eadem quoque verborum, & pollicis paruitas nomini illorum, quibus tradenda erat lex, & cum ea totam Christi manum, sine qua inceptum reparationis opus vnquam proculdubio ad effectū redactum esset; *Minores* nuncupari voluit Fratres, & socios suos Franciscus. Paucitas enim in verbis, & Minoritas in nominibus nonnisi sinonimè differunt. Lex ergo Francisci pauca verbis, quia in Verbo abbreuiato reuelata; pauca nomine, quia Minoribus scripta, fit *Pollex Manus Christi, ob humilitatem Christi.* Paucis versiculis explanata, ac Minoribus data, fit ipsis Minoribus idonea, vt nomine, & re minoritati, qua ipsi nuncupantur, quāque in tam breui norma profitentur, respondeant, & sic verè cum humillimo Legislatore Manus Christi Pollex euaderent.

In ea etiam vt Index, vt Medius, vt Medicus, vt Auricularis

Fit pariter *Index* Manus Christi Lex Francisci, quia annunciat tutam suis obseruatoribus (imò & per illos toti mundo) salutem. Fit *Medius*, quia vnicuique *Verbum vitæ* proponit. Fit *Medicus* tum ob pharmaca potentissima ad curandam animam vniuscuiusque quacumque detentam infirmitate, tum ob multimoda per suos professores, & maximè per Interpretem nostrum patrata miracula. Fit demum Francisci lex *Auricularis Manus Christi*, quia peculiari Christi Obedientia iugati, per eam dicendi sunt Minores pedibus S. Ecclesiæ, Christi Sponsæ subiecti. Qui facti obedientes vsque ad mortem, *& mortem Crucis*, cum Reparatore Ecclesiæ Francisco, & per Franciscum, cum omnium Redemptore per totam vitam crucifiguntur.

Et simplicibus verbis, &c. Aequum quidē fuit, vt paucitati scripturæ verba adderet Franciscus, exprimentia illius simplicitatem; hoc est rudem scribendi, & loquendi modum, vt ab omnibus, scilicet à doctis, & rudibus, & imperitis viris, sagacibus, & simplicibus illa Lex caperetur, quæ pro salute omnium reuelata fuerat, scripta, & tradita. Nisi simplicibus verbis exarata ista Lex esset, non esset equidem *iuxta formam Sancti Euangelij*. Euangelii enim, imò & totius Codicis Biblici scriptura dicimus substātiuè iuxta Philosophos id, quod nullo modo compositum est, nec in plures partes diuisum. Item *verum*, *& sincerum* (sicut è contrario duplex pro vafro, ac fallaci) aliquando nuncupamus. Marcus Cicero lib. 11. *Trebatio nostro magnas ago gratias, quod suum erga me animum simplicem, atque amicum aperuit. Simplex homo* idem est, ac purus, apertus, nihil simulatum habens, Italicè, *Leale. Cum simplici homine simpliciter agerem, nec magnoperè contenderem.* Cic. 4. Acad. *Anni simplices* sunt anni rudes, & doli nondum capaces, cuiusmodi sunt in pueritia, aut prima adolescentia, quibus etiam *simplex Toga*, & pura, quæ *prætexta* dicebatur, sumi solebat. Est & *simplex cibus*, purus, non affectatus, aut aliquo condimento corruptus, vel compositus.

Lex Minorū simplicibus verbis reuelata, ac tradita, sicut codex Biblicus.

Simplex quid nomine importet, quidue significatione.

Cūctis hisce iam modis accipi possunt verba, quibus Franciscus suam Regulam sibi à Christo reuelatam scribere fecit. *Paucis verbis*, ait, idest humilibus, & *simplicibus*, idest rudibus *scribi feci*. In vtrisq; verbis gloriari oportuit in Christi Cruce, quam tunc maximè in extremo vitę ferebat, ac per vtraque ita exclamare, *Christo iam confixus sum Cruci. In paucis, atque humilibus accusator simplicitate gloriari potest*, aiebat Quintilianus lib. 5. cap. 7. Gloriatur & meritò Legislator Franciscus in hac sua prima lege, in tot capita distincta, quo penè sunt apud Hebræos iuxta numerum literarum elementariū alphabeti Hebraici libri canonici Veteris Testamenti, in vno tantum minores, & in ipsa enumeratione nec secramentis carētes. Simplicibus, ac rudibus verbis, simplicia quoque media, ac rustica (vt ita dicā) dedit, in re rustica propria, in re autē mistica nonnisi Apostolica. Declaremus sacramentum ex Interprete nostro, qui simul proponens literaliter, ac postillans moraliter illud rude verbum Dei ad Ezechielem 4. quod sex genera seminum memorat, ita scribit Dom. 2. in Quadrages. *Et tu fili hominis sume tibi.*

Cunctis modis simplicitas in Fran. lege.

1 *Frumentum*, quod moritur, cum in terra proiicitur, in quo *nostra voluntatis mortificatio*.

Voluntatis mortificatio

2 *Lentem*, quæ est minima, & pauci valoris,

Cōsideratio humanæ infirmitatis

valoris, in qua consideratio *nostræ infirmitatis*.

Exercitium vitæ actiuæ

3 *Milium*, quod frequenti indiget cura, in quo *exercitium vitæ actiuæ*.

Rigor disciplinæ.

4 *Hordeum*, quod tenacem habet paleam, in quo *rigor disciplinæ*.

Virtus abstinentiæ.

5 *Fabam*, quæ est cibus abstinentiũ, in qua *virtus abstinentiæ*.

Cõtẽplatio cælestis gloriæ.

6 *Viciam*, quæ in altum tendit, in qua *contemplatio cælestis gloriæ*. *Ista ergo sumamus, & mittamus in vas nostrum, & faciamus panes, vt possimus secedere in partes Tyri*. Hæc Interpres, quę respondent illis verbis Euangelii Matth. 15. *Egressus Iesus secessit in partes Tyri, &c.* Quæque sic paulò ante declarauerat. *Tyrus* angustia interpretatur. Pœnitens egressus de mundi cupiditate, secedit in partes Tyri, idest angustiæ. *Et nota, quod duplex est angustia. Prima, quam habet pro peccatis, quæ commisit. Secunda, quam sustinet ex triplici tempestate, Diaboli, Mundi, & Carnis.*

Duplex angustia in pœnitente

De prima Iob 6. *Quod prius nolebat tangere anima mea, nunc &c.* Pœnitenti enim præ angustia contritionis, quam sustinet pro peccatis, vigiliarum instantia, lachrymarum abundantia, ieiuniorum frequentia *sunt quasi quidam cibi delicatissimi*, quos prius quam rediret ad pœnitentiam anima, idest sensualitas eius, temporalibus satiata tangere abhorrebat. Vnde Prouerb. 27. *Anima saturata calcabit fauũ*. Hactenus Interpres de prima angustia. Secundam mox explicat ibi immediatè Interpres.

Cibi delicatissimi pęnitentium rustici.

In agro Legis Minorum, paruulo quantitate scripturæ, pauperculo, quinimò totaliter nudato elegantia verborum, hacque solum nuditate perdiuite, nulla alia semina continere, atque exhibere potest, nisi prædicta sex, quæ ad rusticos pertinent. Tum quoad opus culturæ, tum quoad ipsorum cibum. Cibi verò quotquot ex his seminibus, è rudi cultura Regulæ Francisci collectis, siue forment pro se Minores, siue aliis, quos inuitant ad pœnitentiam præparent, nonnisi Apostolici, atque Euangelici de iure sunt, ac propterea delicatissimi.

Hi cibi ex agro legis Minor. colliguntur.

Idem Spiritus Sanctus, qui reuelauit Francisco Reparationis Legem, ipse iam reuelauerat totam Sacram Scripturam, vt suos misticos cibos, seu panes administraret. *Sacra pagina (vt ait Vgo) reuelata, & per sanctos viros (vt ait B. Petrus) administrata, dicit, Saluatorem nostrum panem multiplicem exhibere*. Ita Interpres noster serm. in Cœna Dom. vt aliàs explicauimus. Hæc autem sacra Pagina in suis latinis editionibus duo continet *Testamenta*, Vetus, & Nouum. Latinas autem editiones Testamenti veteris ex Græca versione LXX. & Testamenti noui ex Græco fonte propè innumerabiles fuisse ante tempus Hieronymi, testatur B. Augustinus lib. 2. doctrinæ Christi cap. 11. Quod etiam docet S. Hieronymus Præfatione in Iosue illis verbis. *Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices, cum vnusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit quod eis visum est*. Viget hodie mos huiusmodi inter Doctores Acatholicos, talium Patrum vestigia sectantes.

In sac. scrip. rudi, ac simplicè multiplices panes

Versiones in sacra script. innumeræ.

Nihilominus tamen vna erat communior, quæ vetus, & vulgata editio dicebatur, vt patet ex B. Gregorio præfatione in lib. Moralium cap. 5. & ex B. Hieronymo in cap. 14. & 49. Isaiæ, & alibi; & hæc videtur esse illa Itala interpretatio, quam B. Augustinus lib. 2. Doctrinę Christi cap. 16. omnibus aliis Latinis anteponit, sic aiens. *In ipsis interpretationibus, Itala cæteris præfertur. Nam est verborum tenacior cum perspicacitate sententiæ*.

Vulgata editio vna erat, & cõmunior

Itala omnibus melior.

S. Hieronymus bis Testamentum vetus in Latinum conuertit. Primum ex Græco, idest ex versione LXX. & rursus ex Hebræo. Hæc mox cępit à quibusdam Ecclesiis recipi, & publicè legi, vt patet ex Epist. 10. Augustini ad Hieronymum. Ita tamen, vt etiam alia editio antiqua non contemneretur. Vide B. Gregor. in epist. ante præfationem in lib. Moral. c. 5. Post tempora autem Gregorii videntur omnes latinæ editiones euanuisse præter vnam illam, quam nunc veterem, & vulgatam vocamus. Nouum Testamentum non conuertit D. Hieronymus de Græco in Latinum; sed solum emendauit à multis erroribus, qui vitio librariorum irrepserant. B. Augustinus videtur testari cap. 10. à Hieronymo fuisse conuersum, non emendatum. Verum Hieronymus dubium hoc soluit in epist. 89. ad Augustinum, quæ est 11. inter epist. Augustini. *Si me*, inquit, *in noui Testamenti emendatione suscipis*. De Autore vulgatæ editionis, quã modo habemus, non parua est quæstio, sit ne illa antiqua, quæ erat ante Hieronymum, an verò ipsius Hieronymi, an mixta ex vtroque. Quod attinet ad vetus Testamentum, duo resoluit Bellarminus tom. 1. Controu. lib. 2. cap. 9. alterum vt certum, alterum vt probabile.

Bina D. Hieron. testam. veteris conuersio.

Sed nũ ipse in latinum nouum transtulerit testamentum

1 Certum est apud ipsum, vt asserit in secunda propositione, Psalterium nostræ vulgatæ editionis latinæ non esse, neque illud, quod ex Hebræo, neq; illud, quod ex versione LXX. Interpret. transtulit Hieronymus; sed illud, quod ipse emendauit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani Martyris.

Psalteriũ à quo translatum, & emẽdatum.

Hæc

Hæc ibi Bellarminus. Clerus Romanus in Basilica Vaticana Principis Apostolorum vtitur Psalterio iuxta traditionem antiquiorem, quam postea nobis dedit emendatam Hieronymus. Et D. Bonau. super 3. cap. Regulæ abbreuiatæ, vbi præcipitur in principio, *Clerici faciant diuinū officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto psalterio, ex quo habere poterunt breuiaria*, ita exponit. Officium in maiori parte à S. Gregorio, & aliis Sanctis institutum, excepto Psalterio (quia Ecclesia Romana vtitur alia translatione Psalterii, quam communiter habeatur) vel verius aliter emendato.

Item & libri sapi. Ecclesiast. Machabæorū

2 Probabile deinde est apud eundem Bellarm. ibidem in 3. propositione, libros Sapientiæ, & Ecclesiastici, & Machabæorum nos non habere ex versione Hieronymi, sed ex antiqua traditione, cuius Author ignoratur. Ad hæc addit statim 4 propositionem, quæ talis est. Reliqua omnia ex Hieronymi versione ex Hebræo habemus in editione vulgata. Vide probationes Authoris ibidem.

Quæ ex D. Hieron. habemus.

Quod demum attinet ad nouum Testamentum, resoluit in priori positione Bellarminus in principio capitis præfati, in hunc modum. Testamentum nouum latinum editionis vulgatæ ex antiqua versione habemus, quam tamen Beatus Hieronymus emendauit. Probat valdissimis argumentis, quę poterit, lector apud ipsum videre,

A quo vulgata testam. noui editio,

Inter res miras illa vtique in sacris libris haud infima videtur, quæ apparet in eorum phrasi, stilo, elocutione, verbis in quocumque idiomate, à principio edito prout inspirato à Deo, siue Græco, siue Chaldæo, ac Siriaco, & in quacumque traditione, seu emendatione, siue Græca, siue Latina, & à viris doctis, eloquentia, ac eruditione literarum apprimè præditis data. Totus Bibliorum Codex, cui *Author* summus, omniūq; Scriptorū perillustrium Magister *Spiritus Sanctus*, scriptura simplicissimus, rudis, impolitus admodum, vulgaris, & idiotismis perabundans. Adeo vt spreuerit inter quamplurimos alios viros, quos Demostenis, ac Ciceronis eruditio abundè docuerat, rapueratque in dies elocutionis decor, paulò antequam conuerteretur Augustinus, qui tamen postea conuersus est, vix aperto Codice Biblico, & nōnisi à verbis D. Pauli ad Rom. 13. quæ primò sibi occurrerunt, dixeruntque.

Miranda in codice biblico ruditas, ac simplicitas.

Hæc cōuertit eruditissimum Augustinum

Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus. Non in contentionibus; & ebrietatibus; Non in cubilibus, & impudicitijs, sed induimini Dominum Iesum Christum. Vbi Interpres noster super illa verba in principio. *Nox præcessit, dies autem, &c.* ita scribit: *Sicut Aurora est initium diei, & finis noctis, sic contritio finis peccati, & initium pœnitentiæ, &c.*

Nox mistica, ac recedens,

Apostolicus ille Textus, eo venerabilior, quo simplicior, ac sincerior, rudiorque, tenebricoso in vanæ sapientiæ, & turpis lasciuię caligine, Augustini intellectui nox erat propter superficiem sermonis, ipsi antea interius perobscuri, quoniam ob nimiam ineloquentiam spreti. Voluit tamen Deus ostendere obcœcatissimo Augustino, cuius calamus, ac lingua cunctos sui temporis viros doctissimos iam terruerat, quod stulta, & contemptibilia in sapientium mundi cōfusionem, etiam in scriptis, & scriptoribus suis semper elegerit. Hinc miro quodam modo cum ipso se gerens, tandem resoluit, vt nonnisi ipsa, abs se contempta scriptura eius obscurissimæ Menti, eò nocte ignorantiæ circa sacrorum Bibliorum arcana magis sepultæ, quo sibi vanus Oratorū, ac Philosophorū literaturę dies magis detectus, illam perfectissimè pareret *Auroram*, nempè *contritionem, qua fieret et totalis finis peccati, & initium pœnitentiæ*, nunquam *finiendum*. Eiusque postmodum Mens in perscrutanda infinita lumina intra nebulosiores, rudioresque sacræ paginæ characteres, vt noua quadam *Aurora*, nondum antea obseruata progrederetur ad illustrandam Ecclesiam. Pulchresceret vt *Luna* ad eam in tenebris illuminandam. Elegeretur vt *Sol*, ad perennissimum, & veluti fontem inexaustum totius Theologiæ diem illi præstandum. Poneretur vt *Acies* inexpugnabilis, atque ingens confertumque Armamentarium: illa ad eam tutandam aduersus falsorum dogmatū irruptiones, illud vt arma vberrimè præstaret militiæ Ecclesiasticæ aduersus cuiusuis generis hostes. Quo pacto deinde multa cum ratione Cælestium Spirituum mentes in Augustini, insueto illo modo conuersi, ingenii sublimitate, ac subtilitate ita obstupescerent. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?*

Conuersio Augustini à quā per ruditatē codicis biblici insueta, eo toti Ecclesiæ perenniter proficua

Miranti Ptolomæo Regi, cur Diuinorum librorum nulli, neque Historici, neque Poetæ meminissent. Demetrius Balereus respondit, vt ex Aristæo referunt Iosephus lib. 12. antiquit. cap. 2. & Euseb. lib. 8. præparat. Euangel. cap. 1. Diuinam hanc scripturam esse, atque à Deo ipso datam; propterea si qui prophanorum homi-

Cur nullus antiquorum historicorū, poetarumq; diuinorū librorum meminerit,

hominum eam attingere voluerunt, eos à Deo percussos, continuò resilisse. Affirmauitque, Theopompum quemdam, quod aliquid diuinorum voluminũ græca oratione ornare voluerat, subitò mentis quadam agitatione diuinitùs immissa vehementer perturbatum, ab incepto opere coactum esse desistere. Vide Bellar. loco cit. lib. 1. cap. 2. & alibi, vbi ostendit sacros libros aliquando ab incendio miraculosè liberatos, ac simul animaduerte, quàm magni Deus fecerit rudem, ac simplicem sacrorum librorum enarrationem, superficie vilem, & imam, medulla altam, ac pretiosam, quamque parui perpolitam eruditorum virorum, maximè mundanorum elocutionem. Natura ipsa magis horrida prospectu super Montes, vbi aurarias condens fodinas, nullam potest admittere culturam. Montes siue natura, siue arte, speciosi, ac fertiles aurum fodinum dare nequeunt, quantumuis prædictos spernent, ac subsannent. Legimus in cap. 1. Daniel. quod *Rex Babilonis præceperat Aphanes Eunuchorũ Principi, vt introduceret de semine Regio, &c.* Vbi Interpres noster fer. 5. hebdom. 2. in Quadrag. *Rex Babilonis Dæmon*, qui est Rex confusionis, *Aphanes securitas gratiæ, idest præsumptio de diuina misericordia, & hic est Princeps Eunuchorum*, volentium opera misericordiæ producere. Huic igitur mãdat Rex, vt introducat de semine Regio, scilicet superbiæ, & vanæ gloriæ mundanæ, & tyrannorum, *pueros, qui in hoc mundo pueriliter viuunt*, & nutriuntur de mensa Regis, scilicet de vino mundanæ concupiscentiæ, & de cibis, idest operibus prauis, *vt eruditi lingua mundana, & sapientia stulta, & reprobata huius sæculi, possint stare coram Rege, idest se Dæmonis obsequijs mancipare*. Hæc ibi Interpres.

Theopõpus castigatur, aliquid in sacris libris exornare volens.

Dæmon rex Babilonis.

Coram tali rege stat sæculi sapiẽtia

Quam elegit Deus in suis vtriusque Testaméti libris phrasim, inspirauit quoque Francisco in sua conscribenda Lege, vt tam in medulla, quàm in cortice tota prorsus Euangelica esset. Simplicem, ac rudem illorum, huiusque approbans scriptorum, reprobauit simul Doctorum virorum huius sæculi, in scribendo, aut eloquendo cultum, ob quem maximè possunt stare coram Regibus, & Principibus, ac de eorum mensę cibis pasci, ac nutriri. *Sancta quippe rusticitas* (scripsit Hieronymus ad Paulinum de omnibus diuinæ historiæ libris) *solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiã Christi, tantum nocet si destruentibus non resisteret, &c.* Imò vrbanitas parum pia in vita, multum elegans in sermone, opponitur sanctæ rusticitati, quæ tantum in factis, & in verbis, non autem in vera sapientia rusticitas est, de qua loquitur Hieronymus, & sine qua Scriptores sacrorum librorum ea vrbanitate, eaque eloquentia Ecclesiæ destructoribus minimè restitissent. Subdit Hieron. postquam de nonnullis scriptoribus veteris Testamenti locutus est. *Nisi fortè*, ait, *rusticum Petrum, rusticum dicimus Ioannem, quorum vterque dicere poterat, & sic imperitus sermone, non tamen scientia*. Et paulò post. *Hoc doctus Plato nesciuit, hoc Demosthenes eloquens ignorauit*. Perdam, inquit, sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo, &c.

Sancta rusticitas in sacris legibus destruentib. Ecclesiã resistit.

Quadruplex est Hortus, ait Interpres Dom. 20. post Trin. Nucum, Pomorum, Vinearum, Aromatum. Septem sunt dona Spiritus Sancti. Anima iusti.

Hortus quadrupliciter misticus.

1 *Per spiritum timoris fit Hortus nucũ*, quæ in se habet tria. Amaritudinem in corio, vel pelle. Duritiem in testà. Suauitatem in nucleo. Hortus nucum est pœnitentia, quæ habet amaritudinem in carne. Duritiem tribulationis in mentis longanimitate. Suauitatem spiritualis lætitiæ in præmii expectatione.

Nucũ, cuius introductio per spiritũ timoris Domini.

2 *Per spiritum scientiæ, & pietatis fit Hortus pomorum*, quæ habent dulcedinem misericordiæ.

Pomorum, cuius introductio per spiritũ scientiæ, & pietatis.

3 *Per spiritum consilij, & fortitudinis fit Hortus vinearum*, habens fructus Charitatis.

vineatũ, vbi introducit spiritus consilii, & fortitudinis.

4 *Per spiritum sapientiæ, & intellectus fit Hortus aromatum*, emittens odorem in Portis.

Aromatũ, in quo introducit spiritus sapientiæ, & intellectus.

Anima vitæ Fratrum Minorum nihil aliud est, nisi forma Sancti Euangelii, qua constat eorum Regula, & sicut tam digna vita Seraphica est, ita pariter & huius vitæ Anima Seraphica nuncupãda. Hæc Anima deinde verè ceu quadruplex Hortus præfatus in Campo Ecclesiæ nouiter germinauit, in quem per septem dona Spiritus Sancti descendit Deus. Hęc *Hortus Nucum*, quia vndique pęnitentiã docet. *Hortus Pomorum*, quia tota in dulcedine misericordiæ suauitas est. *Hortus Vinearum*, quia suos colonos viros Seraphicos efficit, vt charitate, & amore Dei super cæteros feruecant. *Hortus Aromatum*, quia eius Minores Sanctam sanctę vitæ rusticitatem sub lege, simplicibus, ac rudibus verbis conscripta profitentes, dicere possunt cum Apostolo 2. Corinth. 2. *Deo autem gratias, qui semper triumphat per nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quia Christi bonus odor sumus Deo in ijs, qui salui fiunt, & in ijs, qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ* in

Anima Seraphica vitæ Minorum is hortus quadruplex.

in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.

In Hortis naturalibus sine rusticorum cultura, nec nuces darent fructus, nec arbores poma, nec vineæ vuas, nec terra produceret aromata. Pariter in spiritualibus, ac legalibus Hortis, in quibus pœnitentialis vita nequaquam exterius, interiusque nucea sine sancta inurbanitatis, & imperitiæ rusticitate, ac ruditate (vt sic fieret simul Hortus pomorum, Hortus vinearum, Hortus aromatum) siue in ædificatione Ecclesiæ, siue in eius reparatione esse potest. *Sancta quippe Rusticitas,* &c. Dicat ergo humillimus Legislator Franciscus, rusticum Apostolorū seruans morem in sua conscribenda, ac tradenda lege *iuxta formam Sancti Euangelij. Et ego paucis, & simplicibus verbis feci scribi.* Exhibeatque simul in pauco, & pauperculo Regulæ suæ agro inter rudium verborum sulcos sex memorata seminum grana, & cum illis quadruplicem Hortum, iuxta Episcopi sui, & Interpretis nostri doctrinam.

Sancta rusticitas necessaria in Horto Min.

Septima Prærogatiua.

Fratrum Minorum Legem multa cum ratione vnicam in Dei Ecclesia constituens.

Dominus quot modis accipiatur.

ET *Dominus Papa confirmauit mihi.* In his quatuor Legislatoris nostri verbis, seu dictionibus, prima est illa, *Dominus*, quam vbi ad Romanum Pontificem, ac Christi Vicarium retulit, haud sanè grauabo Lectorem, si ex textu Euangelico, iuxta Intepretis mei intellectum eam modò explicabo.

Qui verè Domine dicit Christo.

Non omnis, qui dicit Domine, Domine intraibit in Regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris, Matth. cap. 7. Dominus dictus (explicat Interpres) eo quod dominetur cunctæ creaturæ, vel quod præsit domui, vel quia dans minas. *Dicere Domine verè, est corde credere, ore confiteri, operibus contestari. Nam vnum sine altero negare est. Quantascumque enim laudes lingua resonat, vita mala blasphemat. Clamant ad Dominum, cuius non sunt serui, cuius minas non timent.* Hæc ibi Interpres.

Papa, Pater, Pastor, & Pappas quo modo conueniant.

Quod hic dixit Francisci Legislatoris Episcopus, ac primus Theologiæ in Ordine professor, ab ipso Legislatore institutus, expressit planè ipsemet Legislator de Christi Vicario in suæ Regulæ confirmatione, dicens, *Et Dominus Papa confirmauit mihi. Papam, & Patrem* multimodè inter se conuenire alibi docuimus. Papa in Sede Petri summus Ecclesiæ Pastor cū Petro est; & Pastor à pascendo denominatur. Sic quoque Pater est. Sic Papa, & Pappas, quæ vox accipitur pro Patre, siue pro eo, qui puerum alit. Iuuenal. Sat. 6.

Timidus prægustat pocula Pappas.

Nomen Papa in Romano Pontifi. tribus respōdet.

Est autem nomen venerationis à Syracusiis tractus. Quomodo Interpres noster aliàs datus ex fer. 4. Dom. 3. Quadrages. distinguit triplicem Patrem, nimirum Spiritualem, Pastoralem, & Temporalem. In priori acceptione ponit Deum. In posteriori Papam, vel Dominum. In postrema illum, qui nos generat. Pari modo Summus Pontifex, Episcopusque Romanus est Princeps, Papa, & Dominus, cum sit Christi Vicarius. Qui in Orbe orthodoxo cunctæ creaturæ dominatur. Qui præest toti domui Ecclesiæ. Qui dum cēsuris minatur, terret & ipse populos, Principes, Reges, Cæsares, Monarchas. Itaq; Romanus Pontifex tripliciter est Papa. Est namque *Papa*, scilicet Pater, & Pastor, cunctis dominans. Est *Papa*, quia in tota Ecclesiæ domo summè præsidet. Est item *Papa*, quia dat minas, vt proinde cum eo stet necessariò illa admirantis interiectio *Papè*; habet enim in se affectū verbi, *miror, vt Papè, quod video!* Terent. in Eun. *Papè hæc imperat ipsam Thaidem!*

Peculiari quodam impulsu dixit Franc. Dominus papa.

Vbi ergo Franciscus Papam Innocentium III. *Dominum* in hoc loco dixit, verè tale nomen pronunciauit. Verè Dominū dixit, & quodam peculiari impulsu dixit, *quia corde credebat Papa, quem ore confitebatur, operibus contestabatur.* Dignus præterea, vt vnico quodam modo introiret Cælorum Regnum, tum Ecclesiæ militantis, Veluti vnicus Legislator, vnico, & nouo Legislatori Christo simillimus, nouam, & vnicam tradens legem, quæ idonea esset ad opus reparandæ Ecclesię. Tum Ecclesiæ Triumphantis, vbi super Thronum illum, vnde Angelicæ Monarchiæ Princeps ob suam superbiam corruerat, seraphicis humilitatis alis eleuaretur.

Bis posuit nomen Dominus, & Papa in exordio reg. suę Franc.

Dominus Papa. In exordio illius primę Regulæ (quod postea, eam reformans, inclusit in cap. 12. posuitque loco Innocentii Honorium, qui eandem, sed abbreuiatam, Bulla sua confirmauit Regulam) bis expressit vocem hanc in obliquo, *Domino*, Franciscus, bisque addidit etiam in obliquo, *Papa*. Idemque fecit per aliud obliquum, quod datiuum nuncupant Grammaticastres. Eius verba

hæc

hæc fuere: *Hac est vita, quam Fr. Franciscus petijt sibi concedi, & confirmari à Domino Papa Innocentio, & concessit, & confirmauit eam sibi, & suis Fratribus habitis, & futuris. Frater Franciscus, & quicumque erit Caput istius Religionis promittit obedientiam*, & *reuerentiam Domino Innocentio Papæ, & eius successoribus obedire*. Hanc in lege sua præcipiens, sicuti ipsemet Franciscus mirabiliter adimplebat obedientiam, ac reuerentiam Apostolicæ Sedi, adeo deinde vnicam apud suã ipsammet legem in Ecclesia constituit, vt in cap. 12 abbreuiatæ legis inserens eminens de petendo ab eadem Apostolica Sede à Generalibus Ministris Cardinale Protectore mandatum (quod aliquẽ aliorum Ordinũ Institutorẽ ante ipsũ nõ legimus fecisse, ita Christi ore penè dictante) ista alia præceperit. *Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant a Domino Papa vnũ de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Protector, &c.*

Præceptũ de obedientia Minorũ ad Sedẽ Apostolicã eminens, & in sola Franc. lege.

Bis ergo hoc nomine, *Domino*, vsus est Franciscus, loquens de Domino Papa in prima Regula, eique ex voto obedientiã, ac reuerentiam promittens. Postea in secunda ex mandato subiectionem ad eius pedes annectens. Bino illi nomini, exprimenti Christi Vicarii Dominium, quod totum à Deo est, imò & diuinum, debet hæc vox, *Custos*, in proposito nostro de iure respondere. Docet Interp. noster, alibi datus ex Dom. 8. Trin. coniungens textui Matth. præallegato alium textum Isaiæ ex cap. 21. Eius argumentum, & ratio argumenti ita se habet. *In Matthæo, ait, dicitur bis Domine. In Isaia bis Custos. Ad significandum, quod ille, qui est Dominus, necesse est, quod sit Custos, vt domum, cui præest, benè custodiat, &c.*

Deus bis Dominus, & bis Custos simul.

Huic doctrinæ quadrat Seraphica Bonauenturæ explicatio, ad cuius clariorẽ intellectum doctè addidit Pisanus commentarium suum, huic vnicæ, ac valde singulari excellentiæ, & prærogatiuæ legis Minorum, de qua nunc agimus, respondentem. Suppositis (ait super primũ caput Regulæ) & iactis fundamentis Euangelicæ perfectionis, ac nomine imposito Fratribus suis, quia *Minores*, consequenter primum Euangelii consilium, scilicet *Obedientiam* recipiendo. Cui Frater *vt Minor*, & *humilis* sic subiectus, & obedientiam debeat exhibere, B. Franciscus suo subdit eloquio, & exemplo, dicens. *Fr. Franciscus promittit obedientiam*, in iniunctis, ac præcipiendis. *Et reuerentiam* in exequendis, & perficiendis. Cui inquit? *Domino Papæ, Vicario Iesu Christi in terris*. Extra de Translat. cap. Quanto

Obedientia promissa à Franc. includit Pont. & Card. in sede vacante.

Honor. III. tunc residenti in Sede Romana. *Et non solum ipsi Honorio Papæ præfata fecit, sed eam promisit eius successoribus canonicè intrantibus, & Ecclesiæ. Idest Dominis Cardinalibus, qui vicem gerunt Papæ sede vacante*. Hæc ibi Pisanus, qui statim deducit, ostenditque necessariò binã in lege Minorum excellentiam. Alteram ex perenni subiectione ad Papam, vt Dominũ sub voto, cui in lege abbreuiata additũ est præceptum. Quæ quidem duplex subiectio cuilibet subiectioni de communi iure de iure valde peculiari, atq; eximio eminet supra cæteros Ordines. Alterum ex præcipua protectione, ac tutela Papæ, vt Custodis, & Patris circa talem Ordinem ob talem, ac tantam subiectionem.

Quibus apparet (subdit) *quod Beatus Franciscus Ordinem non pro tempore, sed pro perpetuo Papæ subiecit: Quia fides Ecclesiæ non debet deficere; quare nec aliquis verus successor Petri. Quo apparet, quod nulla Regula sic subiecit suum Ordinem; sicut Ordo Minorum est subiectus Domino Papæ. Quare de nullo alio Ordine, considerata subiectione, ita debet esse cura Domino Papæ, & Ecclesiæ, sicut de isto. Nec sic foueri per Ecclesiam. Vt sapiens Architectus B. Franciscus Ordinem suum Ecclesiæ Romanæ supposuit, & recommendauit. In cuius signum voluit, vt Fratres peterent vnum de Cardinalibus, vt essent semper subditi. & subiecti pedibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*. Hectenus Pisanus.

Vnica debet esse paterna Sedis Apos. tutela erga Minores.

Confirmauit mihi. *Vnica est Columba mea, vna est perfecta genitricis suæ electa*; *Cant.* Columba vtique vnica, quæ & Spiritus Sancti symbolum est, *Lex Minorum*, à Spiritu Sancto inspirata, atque ab Altissimo reuelata *dicenda est*. Vitam etenim informans ceu anima iuxta Sancti Euangelii formam, adeo simplex, & sine vlla repræhensibili compositione apparet, vt tota Apostolica sit. Christus ipse monuit suos Apostolos Matth. 10. *Estote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ*. De serpentina Apostolicorum virorum prudentia iam alibi dictum est cum Interprete nostro serm. 1. de Apost. Atque etiam, ni fallor, de columbina eorum simplicitate, quæ sic se habet apud ipsũ. *Simplicitas Columbæ triplex est*.

Lex Minor. Columba vnica in Ecclesia.

1 *Simplicitas, quod alienos pullos pascit vt suos*. Sic Apostoli æqualiter omnibus pastum verbi Dei proponebant. *Græcis, & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum*. Rom. 1. & Thessalon. 2. *Factus sum in medio vestri sicut si nutrix foueat paruulos suos, ita desiderans vos cupidè. Volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed animas nostras, quoniam cha-*

Triplex Columbæ simplicitas triplici Apostolorũ prærogatiuæ propriissima

rissimi nobis facti estis. Loquitur ad modũ Columbæ, subdit Interpres, quæ se euiscerat pascendo pullos.

2 *Simplicitas. Quod ibi nidificat, vnde frequentius auferuntur pulli*. Sic dum fructus animarum, quas fouerunt Apostoli à Pseudoapostolis destruebatur, illuc residebant, vt iterum nidificarent, & fructificarent. 1. Cor. 4. Hinc dicebat Christus Ioann. 11. *Eamus in Iudæam iterum*, & dixerunt ei Discipuli. *Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Hoc est contra Prædicatores, qui tantum libenter vadunt, vbi honorificè recipiuntur.

Vbi eũdum ab Apostoli co Dei præcone.

3 *Simplicitas Columbæ est, quod laqueũ non cauet, vt sibi, & suis escam acquirat*. Sic Apostoli in vincula, & carceres ire non timebant, dummodo lucrum animarum referrent. Vnde Apostolus etiam cum esset in vinculis prædicabat. Quia 2. Timoth. 2. *Verbum Dei non est alligatum in me*. & Act. 21. *Non solum alligari, sed etiam mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu*. *Nota* (concludit Interpres loquens toti Ecclesiæ, potissimum verò ad suos Minores) *quomodo hæc triplex simplicitas nobis conuenit*.

Meritò dicit *nobis* Interpres, demonstrans Confratres suos. Nam dum eorum vita Apostolica ex forma Sancti Euangelii animam recipit, triplicem Columbæ simplicitatem Apostolis genuinam necessariò profitentur. Vnde multa cum ratione lex eorum volans vt Columba in Ecclesia ob eandem triplicem simplicitatem, ad quam suos obligat, alias excellentes Columbæ proprietates illis, vt in omnibus Apostolorum vitæ eos conformaret, simbolicè communicat. Quare Romanus Pontifex Gregorius IX. qui primus fuit in declarandam Regulã post illius abbreuiationem, in principio ita scribit, alloquens suos Minores. *Quo elõgati à sæculo vt Columbæ pennis assumptis in secessum contemplationis supra vos altius eleuastis. Et conspectius peccatorum iacula præuidetis. Et plura, per quæ conspicitis, salutis impediri profectum, cordis vestri oculus perscrutatur. Vnde quæ tecta sunt alijs quandoque in conscientijs vestris spiritus manifestat, &c.*

Triplicẽ Apostolorum Colũbæ simplicitatem profitentur Minores.

Huic Columbinæ singularitati legis Fratrum Minorum, quæ aliunde quoque multimodè vnica effecta est ab Altissimo, eam reuelante per immissum in Frãcisci Mente cælestis Columbæ Spiritus Sancti afflatũ, dignum fuit, vt responderet Vicarii Christi confirmatio, quæ quãtum ad huiusce priuilegii prioritatem, vnica quoque extitisset.

Vnum dicimus vel quia est principium numeri, vel quia est quid singulare, aut solum, vti exempli gratia Phœnix est vnica auis. Ante Francisci Regulam quatuor principaliores aliorum Ordinum Regulæ numerabantur, plurimæ deinde post Frãciscanam. Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus (refert Bellarminus lib. 2 de Monachis cap. 5. de origine Religionum) instituerunt suos Ordines, nec vllam leguntur à Pontifice approbationem quæsiuisse; propterea quod nondum extaret Ius Ecclesiasticum id præcipiens, &c. Condendi autem noui iuris occasionem declarat idem Auctor statim, vbi etiam demonstrat, quare ante omnes alios petierint confirmationem suorum Ordinum, & Regularum Franciscus, & Dominicus à Sede Apostolica. Et quare nouum Ius paulò post per Concil. Generale Lateranense conditum. Prima igitur, quam confirmauerit in toto Orbe Ecclesia per duplex Christi Vicarii oraculum, tum primò per se, consistorialiter sedentẽ, tum postea in prædicto Concilio Lateranensi, fuit Minorum Regula. Hã icoco quinto (post alias quatuor, quas reperit Franciscus, è quibus vnam amplecti elegit, ac profiteri D. Dominicus, nimirum illam S. Augustini) nostrates ponunt. Igitur vnica, & simplicis ex hac quoque parte (multis alijs prætermissis, quas deinde Pontificia diplomata expresserunt) facta est Minorum Regula veluti vnica Columba, & sicut princeps, & prima, vt meritò Phœnix omnium aliarum Regularum nũcupari possit. Sed circa hanc singularitatem adeo vnicam, habes Lector, quæ superius posita sunt lib. 4. euentu 8. Hactenus de Prærogatiuis primi generis, ex verbis ipsius Legislatoris desumptis.

Reg. Min. in Ecclesia primum a Sede Apost. bis approbata viuo vocis oraculo.

Reg. Min. in Ecclesia vt Phœnix.

†

SECTIO

SECTIO II.

Secundum Prærogatiuarum genus in Lege Minorum Historicum est. Tertium Misticum. In illo genere continentur decem Prærogatiuæ; in hoc verò octo.

Prima Prærogatiua Historica

Desumenda est ex loco, in quo reuelata, scripta, ac tradita Minorum Lex.

ENarratis prioris generis ex verbis Legislatoris Francisci Regulæ Minorum prærogatiuis, nunc ad illas deueniendum, quas secundi generis nuncupamus, eo quod aliunde eas desumpsimus. Prima igitur Prærogatiua desumenda est ex loco, in quo Minorum legem famulo suo Francisco ipse Altissimus reuelauit.

Hic locus sacratus erat, prout etiam de facto sacratus est, *Virgini, ab Angelo Gabriele Annunciatæ*, & ob id Sanctæ Mariæ de Angelo, siue de Angelis dictus, quemadmodum in primo capite libri primi adnotauimus. In isto loco, *vnicæ Columbæ* dicato (præsertim *ob singulare Iustitiæ originalis priuilegium*, sine quo nec Virgo annunciata ab Angelo esset, nec Christi fieret Genitrix) cum Lege sua, & Legislatore suo Ordo Minorum incepit.

Locus 1. Regulæ Min. S.M de Angelis.

Ex isto loco, veluti ex vnicæ Columbæ nidiculo *vnica* Francisci *Columba*, nimirum Regula, & Lex celerrimo volatu, vt breui totum Orbem circundaret (Columbæ Spiritus Sancti præferens pennas) prima vice exiuit, & in Aquilam magnarum alarum se transformauit.

Reuelationes, sicut diximus in 3. Prærogatiua, vt plurimum apud flumina, & aquas à Deo antiquitus effectæ. Sed in Testamento nouo, in quo recedentibus veteribus, noua facta sunt omnia, is Dei mos cessauit, vt patet. *Descendit Spiritus Sanctus, qui est lex Amoris, in Apostolos, in igne apparens. Lex in Monte Syna, Spiritus Sanctus in Monte Syon. Lex in sublimi Montis loco. Spiritus Sanctus in Cœnaculo*. Ita Interpres noster in die Sancto Pentecostes. Igitur Lex amoris in lege gratiæ, scilicet Euangelicæ, Monti, & Cœnaculo (seu Domui, vt ait Textus Sacer Act. 2. quam cum ibi sedentibus impleuit) innotuit, columbinis peruolans alis. Tam in Monte Syon, quam in Domo Cœnaculi Maria erat & secundum præsentiam corpoream, & secundum pulcherrimam, atque inde propriissimam, ac penè diuinam formam.

Lex Amoris in monte, & cœnaculo datur.

B. Virgo in Cœnaculo in die pentec.

Lex in sublimi Montis loco. Ponamus modò in Monte Sion Montem Thabor, vt in vtroque Virginem Mariam, ab Angelo annunciatã (prout electam, & purã, gratiarumque coaceruatione cumulatã à primo suæ conceptionis instanti) reperire possimus. *Thabor interpretatur Electio, Puritas. Sion aceruus*. Igitur Mons Sion in Monte Thabor est, dum Mons Thabor peridonea Virginis adumbratio est. Probo totum id ex Doctoris, & Interpretis mei Commentariolis.

Montium Thabor, & Sion simbola

Duxit illos in Montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, Matth. 17. Ibi Interpres concionem habens, præsente quadam Congregatione, quã fuisse Seruitarũ, cuius primus Author Gerardus Episc. Morisenæ, & huic inclitus æmulus B. Philippus Florentinus) ostendit infra in illius medietate cõcionis, quæ reperitur in alio exemplari, Venetiis impresso anno Dom. 1575. apud Antonium Bertanum in octauo per Fratrem Raphaelẽ Maffæum Venetum, Theologum Seruitarum, in Sab. Dom. 1. Quadrag. par. 2. sermonis. Recentiores ferunt *Sacrum Seruorum Ordinem D. Mariæ* à septem nobilissimis viris Florentinis in Monte Senario propè Florentiam, Phæsulanæ Diœcesis ex B. Mariæ Virginis monitu fundamentum mirabiliter cæpisse. Qui Eremitico more diu deductus, mirabilius postmodum à B. Philippo Florentino, sanctitate, & nobilitate celeberrimo, sub Diui Augustini Regula, ann. Dom. 1233. biennio post obitum Interpretis nostri sub Gregorio IX. propagatus. Decessisse B. Philippum miraculis illustrem 1285. refert Cõtinuator Annalium Baronii ad Tom. 14. Sed ad verba Interpretis, ita ibi loquentis, secundum quod ait B. Gregorius 33. lib. Moralium cap. 14. vbiq; nobis occurrit superna medicina, quia & dedit homini præcepta, ne peccaret, & tamen peccati dedit remedia, ne desperaret. Et licet nobis remedia quamplurima contulerit; illud tamen, quod habemus de Virgine gloriosa, est inter cætera singulare. *Quia peccator erubescere poterat apparere coram Domino, idcircò huius sacræ Virginis, cuius est hodie Congregatio, opportunum remedium præparauit, sicut verba proposita præstantur, cum dicit*, Duxit illos, &c.

Mons Thabor pro B. Virg Annũciata.

Ordo Seruorum B.M. à quo fundatus, quando, & vbi.

Actus magnæ confidẽtiæ B. Virgo.

Gradus summæ pietatis & affluentiæ.

In quibus vtique verbis nobis ostenditur *Actus magnæ confidentiæ*, quia videlicet Saluator ad salutis remedium nos induxit. Duxit illos. *Statuitur situs, siue gradus summæ pietatis, & affluentiæ*, scilicet Virgo Maria, per Montem figurata. In Montem excelsum. *Exponitur Gustus miræ patientiæ*. Quia Deus transformauit seipsum *in hoc Monte, scilicet B. Virgine, vt peccatoribus humiliter se conformet*. Et transfiguratus est ante eos. Ponamus enim, quod Dei filius in hoc monte fuerit transfiguratus, quando formam serui accepit, vt dicit Apostolus. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, &c.* Tamen Deus transfiguratur cõtinuè in conspectu peccatorum. *Quando scilicet ille, qui in se contra peccatores concitatur furore, in hoc monte efficitur mansuetus*.

Gustus miræ patiẽtiæ.

In monte Virg. Annũciatæ transfiguratus est Deus, formã serui accipiens.

Nota, subdit, B. Virgo est Mons, quia sicut Montes sunt superius luminosi. Inferius spaciosi. Interius onerosi. Exterius pascuosi, Sic B. Virgo fuit.

Puritas originalis virg.

1 *Superius luminosa Puritate*, quam cum Angnlis participat.

Charitas materialis.

2 *Inferius spaciosa Charitate*, qua tantum ad humanum genus afficitur.

Pietas aduocatrix.

3 *Interius onerosa Pietate*, quæ continuè scaturit in eius corde.

Sanctitas pascuosa.

4 *Exterius pascuosa sanctitate, qua ibi poteris pasci omni fructu virtutum, omni flore honestatis, & reuerentiæ.* Hucusque Interp. loquens de Deo, cuius prior inter homines transfiguratio extitit in Virgine Annunciata ab Angelo, vt esset eius Mater, eique serui formam ex suis visceribus daret. Ex qua priori transfiguratione orta deinde illa continua, quam statim, veluti illius effectum posuit Interpr. At valde perpendenda sunt quatuor sequentia de Virgine iuxta quatuor Montium proprietates.

Mons Virginis, in Annunciatione tum gratia accidentali, tum quoque & substantiali, vt aiunt Theologi, plenæ ab Angelo salutatæ, ex tunc verè *spaciosus* maternali charitate ob gratiam illam accidentalem erga humanum genus effectus est, ex quo Dei Verbum, quod charitas est, ab instanti infusionis animæ ad corpus, à meritis filii ne originis maculã contraheret præuenta, mente conceperat. Sic meruit deinde vt salutaretur ab Angelo ceu gratia substantiali Verbi incarnati plena: & priorẽ gratiam originis in hac posteriori ipsemet Nuncius præsupponeret. Non prius pietate Aduocatæ interius onerosus, exterius pascuosus sanctitate hic Mons euasit, quam superius Puritate, quam cum Angelis participauerat, fieret luminosus. Verum hac Puritate luminosus minimè fieret in ea iste Mons, nisi ab instanti suæ Conceptionis luminosus originaliter esset. Nam aliàs cum Angelis nequaquam in puritate participaret Angelorum Regina, quotiens in ea non fuisset Deus, sicut fuit in Angelis, condens scilicet illius animã, illamque infundens corpori, & simul illam largiens ei gratiam, quam in ipsa conditione naturæ, teste Augustino, largitus est Angelis, longè prædestinationis, & electionis merito Mariæ inferioribus. Si Mariæ Anima post lapsum pura extitisset, non participaret suam cum Angelis puritatem, sed cum Ieremia, & cum Ioanne Baptista, & in hunc modum prius misertima subdita Dæmonum, quã felicissima Angelorum Regina necessariò diceretur.

Gradus quatuor in Annunc. Virg. Monte ob puritatem originalem.

Gratia accidentalis originalis iustitiæ, gratiæ substantiali incarnationis filii in matre Virg. præsupposita.

Primum ergo gradum, quem fecit Interpres noster, ascẽdens in Montem Thabor Virginis Annunciatæ, ab eius originali puritate incepit, veluti ab origine omnium gratiarum plenitudinis, ob quã salutauit eam Gabriel, dicens, *Aue gratia plena*. Secutus est antiquorum Patrum Græcorum, Latinorumque, Sacræ Scripturæ inhærentium vestigia: imò ipsius Angeli Gabrielis sequutus est tramitem. Hic namque Angelus vbi primò apparuit, ingressus Domum Virginis, statim incepit ab illis verbis. *Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, &c.* Quot protulit dictiones Angelus in ista salutatione, tot fermè præmesit argumenta, vt demonstrant recẽtiores pro Immaculatæ Virginis puritate, quam cum Angelis, non autem cum Hieremia, & Ioanne Baptista, participauerat.

Primùs gradus in Virg. Annunc. Mõte puritas originalis.

Sequutus est etiam Interpres noster B. Franciscum, Parentem atque Legislatorem suum, qui ad vnum Angeli verbũ, Aue, ipse iam *Seraph* effectus, aliud *Aue*, addidit, quo ipsum verticem Montis Puritatis Virginis ascendens, eam ex consequenti salutauit primò, vt *Dominam Sanctam*. Secundò *vt Reginam Sanctissimã*. Tertiò, *vt Dei Genitricem Mariam*. Quartò, *vt perpetuam Virginem, electã à Sanctissimo Patre de Cælo, quam consecrauit iam Sanctissimo Filio, & dilecto, à Spiritu Sãcto Paraclyto, in qua est, & fuit omnis plenitudo gratia, & omnia bona.* Deinde sic statim post primum illud *Aue*, sub quo inseruit quatuor encomia præfata (quorum princeps, vt aliorum sequentium caput, & scaturigo Sanctum Virginis Dominium, ab omni prorsus seruitute cuiusuis culpæ liberum ob puritatem originalem) tria alia Aue tribus aliis encomiis addidit, vt ter etiam sine *Væ*, scilicet labis originalis,

Testatus est eãdem gratiam originalem in Virgine Legisl. Franc.

ginalis, & actualis, & huius duplicis, hoc est mortalis, & venialis, eam ostenderet. *Aue eius Palatium. Aue Tabernaculum eius. Aue Mater eius.* Vide eandem sententiam aliter explicatam in cap. 6. 1. Tom. Hierarch. fol. 81.

Pariter & D. Dominicus cũ omni Ordine suo in deuotione Rosarii,

Hunc verticem Montis Puritatis Virginis non ascendit solus sine consodali suo Dominico Franciscus. Nam sicut cũ eo in opus Reparationis Ecclesiæ à Beatissima Virgine designatus, ita quoque in opere confitendæ, ac defendendæ eiusdem puritatis cum eo stare prorsus debebat, prout de facto stetit sub tutela Virginis Rosarii, ab eo, & à Discipulis, ac filiis suis quindecim vicibus (totidem ab illis primò, deindè ab omni Orbe Christiano *Aue* Angelico repetito) salutatæ; Ordinem suum, atque institutum suum exordiens, atque illi inconcussa iaciens fundamenta.

Ex vna parte in tali ascensu Antesignanum suum, inclitumque Patriarcham Dominicum sequuti sunt posteri quamplurimi. Nec D. Thomas Angelicæ scholæ fundator, ac Princeps, Angelicæque Puritati conceptæ Virginis ante lapsum supra Puritatem Virginalem, & aliam in creaturis quamcumque additissimus, ab hac sequela excludẽdus. In postremo ætatis suæ cum esset Sanctus Doctor prouectæ ætatis, & profundioris sapientiæ, scripsisse tum quatuor libros super Magistrum sententiarum, tum Continuum, seu Glossam continuam super quatuor Euangelistas, quam alii deinde Catenam auream intitularunt, illud probat Pater Paulus Serlogus in Cant. antel. 11. sect. 3. istud in confesso est apud omnes. Et Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis sæculo 13. ad ann. 1265. inter opera 17. quæ inscribit D. Thomæ sub numero 15. post tres tomos summæ, quos ponit ad numeros 10. 11. & 12. ponit Catenam auream. In priori opere super Magistrum Sententiarum ad quæst. 1. lib. 1. dist. 44. art. 3. ad 3. idque post conscriptam summam (quam in iuuentute eum scripsisse idem Serlogus ibidem asserit) *apertè testatus est Angelicus Magister Puritatem originalem Matris Dei.* In altero deinde opere super Angelicam Salutationem Gabrielis Archangeli ad Virginẽ inter alias Sanctorum Patrum sententias, quas affert ibi, extant præcipuè duæ. Altera Diui Hieronymi super illud, *Gratia plena,* quam Franciscani in eorum Breuiario meritò adducunt ad primam lectionem 2. Noct. diei festi Concept. Immac. Altera sententia est Auctoris Græci, qui est Geometer in Catena Græcorum Patrũ super

D. Thomas post editam summã scripsit super libros Sententiarum, & Catenam auream.

Puritas originalis virg. in cat. aurea D. Thomæ.

illud. *Benedicta tu in mulieribus.* Vbi sic. *Vna scilicet, præ cunctis mulieribus, vt etiam benedicantur in te mulieres, sicut Mares in filio, ac magis vtrique in vtrisque. Velut per vnam Fœminam, & vnum Marem peccatum simul, & tristitia intrauit, sic & nunc per vnam, & per vnum benedictio reuersa est, & lætitia, & ad Angelos est profusa.* Hucusque Græcus Auctor, ex quo apertè inferri potest, quod sicut oportuit, vt per vnũ Marem, sine omni culpa ex natura immunem maledictio, & tristitia communissima Adami, in benedictionem, & lætitiam per opus Redemptionis conuerteretur; ita etiam conueniens erat, vt per vnam Fœminam, illi Matrem, & consociam, & ex gratia ab omni macula liberam, ne talis benedictio, ac lætitia videretur in aliquo claudicare, illud magnum opus benedictionis, & lætitiæ, cuius excidii pars Eua extiterat, veluti vtriq; comcume succederet.

Patet ex duobus argum.

Ex alia parte Franciscani cum B. Ioanne Scoto Francisci vestigia indefatigato pede ad sũmitatis Montis Virginis ascẽsum, tenuerunt. Ad horum instantias plurimas, repetitas preces, sedulamque, neque vnquam lassam, territamque pietatem apud Christianos, & Ecclesiasticos Principes, his efficaciter rogantibus, sua diplomata, ac decreta fauorabilia dederunt Romani Pontifices, Concilia Oecumenica, præsertim Tridentinum. Quamobrem innumeri deinde tum scholæ mediæ professores, tum ex aliis Ordinibus, & Congregationibus, e Clero, & ex sæculo Doctores, & Scriptores Franciscum, suosque alumnos impigro gressu sequuti sunt. Tandem omni hæsitatione, ac lite è medio sublata, Ecclesia omnis sequuta est sub D N. Alexandro VII. qui è *sex Montibus* descendens, *Stella clarissima sibi duce*, ibidem cum Francisco, & Alumnis suis pedes fixit, quam citius omni Christiano Orbi concessurus, quod in Monarchia Cæsarea sub Innocentio X. concessum fuit pro celebratione festi de præcepto, cum sua vigilia Immaculatæ Virginis sine communi labe conceptæ. Quod itidem Festum idem Pontifex Innocentius concessit Monarchiæ Hispanicæ. Quæ modò sub Alexandro VII. Sacra Rituum Congregatione annuente, Festum cum sua octaua celebrat, prout celebrat Franciscana Ecclesia.

Minores ad primũ gradum puritatis Virg. secuti sunt D. Franc.

Vlt. Decret. Alexandr. 7. pro Immac. Virg. Conc.

Quæ autem annectit statim Interpres noster in præcitato sermone de eadem Virgine, Montem Sion cum Monte Thabor coniungens, ac de Congregatione Seruorum Virginis, hæc sunt. *Nec stes in omni loco circa Regionem, sed in Monte saluũ*

Mons Sion cum monte Thabor in Virg.

te

te fac, Gen. 19. Fac secundum exemplar, quod tibi in Monte monstratum est, Exod. 25. Nota, quod licet iste Mons sit excelsus, ad illum tamen non possumus nisi per scalam humilitatis ascendere. Per loca humilia ibat cautè, & ordinatè, &c. Qui confidit in Domino sicut Mons Sion, Psal. 124. Montes in circuitu eiu, &c. Hucusque Interpres in exemplari Ioãnis de Haie Minoritæ Lugduni, positumque in Dominicali pro sermone 1. Dom. 2. Quadrag. sed alia medietas extat apud Maffæum memoratum.

Per scalam humilit. ad Virg. ascendendum.

Lex ergo Amoris, tradita *in Monte Sion* dum præmonstrabat in fundatione Ecclesiæ Legem Amoris, reuelandam Francisco, & ab eo tradendam suis Minoribus in reparatione eiusdem Ecclesię: *Mons Sion* præfigurabat locum, vbi talis lex reuelari, scribi, ac tradi debebat. Hic autem locus conueniens admodum erat, vt dicatus esset B. Virgini, ab Angelo Annunciatæ, ac sine labe originalis culpæ prædicatæ, & quam meritò cum Monte Thabor, vbi Christus se transfigurauerat, & cum Monte Sion, vbi Amoris Lex tradita est, Interpres noster assimilauit. Ad mistici huius Mõtis, puritate originali in superiori parte perlucidi, celsitudinẽ ille quidẽ per scalam humilitatis ascẽdere debebat (vt idoneus esset ad Christi Ecclesiam, quam ipse cum Matre fundauerat, ac per Matris preces reparanda erat) qui humillimo Christo, humillimæque Matri Christi vestigia Apostolico gressu sequutus esset, atque eandem humilitatẽ perfectè consequutus. Talis profectò extitit Franciscus, peregrina humilitate in cœtu Sanctorum inclitus. Ergo, vt Franciscus in vertice Montis Thabor, ac Mõtis Sion Virginis Annunciatæ, Puritate originali, teste ipso Angelo annunciante, præfulgido Regulam suam (quam Christus ibidem illi reuelauit, vt inde tota esset lex amoris Seraphici) consociis, ac coapostolis suis daret, conueniens certò fuit, admodumque consentaneum.

Conueniens erat, vt lex Min. in domo Virg. Annunc. reuelaretur, & scriberetur.

Hinc idem Interpres noster in serm. 1. de Transfiguratione loquens de claritate faciei Christi, supra Montem Thabor transfigurati, sic ait. *Diuina cognitio nihil est aliud, quam directio animarum. Quia igitur ita est, idcirco poterit quis Deum tanto limpidius contemplari, quanto magis ad superiora erectus, & à terrenis fuerit elongatus, &c.* Probat id in primis Interp. eo exemplo, quod nunc in præsenti Decembris mense de anno 1664. ostendunt Mathematici, atque Astronomi in hac Vrbe Roma. Die S. Catherinæ Virg. & Mart. vt referunt, apparuit ad horam noctis nonam inter Virginem, & Capricornum supra Orbem Lunæ Cometes valdè barbatus, siue caudatus, ac propterea, vt dicunt, portentosus, vti adhuc cernitur. Meliores in Vrbe circa Stellarum contemplationem Philosophi totum Montis Auri forum, ac Tarpeiæ arcis, nunc Aræ Cæli Capitolini, vna cum multis ex nobilibus noctu implent, vt possint melius, & commodius huiusce Cometis adeò insueti granditudinem, altitudinem, motũ, splendorem, magnis admodum, longisq; conspicillis (Italicè *Occhialoni*) obseruare, indeque sua prognostica edicere. Quæ breui dixit Tacitus de Mathematicis sui temporis, hæc sunt. *Genus hominum* (ita eos nuncupat) *Potentibus infidum, sperantibus autem fallax*. Paulò post hoc eodem anno apparuit alius Cometes, licet haud tantæ magnitudinis, nec adeo prospectu terrificus, quia fortè priore altior. Cometesque, & Stellæ crinitæ, vel barbatæ, quò partes eorũ subtiliores, aut tenniores sunt, & deorsum profluunt; vel caudatæ, si longius eædem partes protenduntur, producunt effectus naturales suæ causæ respondentes, quæ causæ exalatio terræ est, calida, & sicca, crassa, pinguis, facilisque ad inflammationem, procliuis, ac proinde nonnisi nociua.

Diuina cognitio, animarum directio est.

Comètes de anno 1664.

Cometes sũ per naturã sua maligni, ac noxii.

Igitur circa obseruationem Cometarũ hoc dicant liberè Mathematici, ne sint *potentibus infidi, ac sperantibus fallaces*, quod scilicet semper huiusmodi Stellæ malæ sunt, semper ærumnosæ. Materia namque eorum extincta, vbi cadit, spargiturue ceu venenum quodam admodũ læthale, ac mortiferum inficit climata, terram, frugesque, corrumpit aerem, suscitat morbos, parit siccitatem, excitat tempestates, terræmotus, mortes repentinas, & plura alia incommoda mortalibus cuiusuis status præmonstrat. Vide Episcopum Vulturaliensem Simonem Maiolum Meteor. coll. 1.

Id dicant Astronomi ne sint fallaces.

De iudicio Patrum Theologorum sacræ Paginæ se conformantium circa Cometes, nihil aliud in præsenti occurrit. Scio haud paulò post obiisse quatuor magnos Principes, vix inspecto Comete illo portentoso de anno 1618. & 1619. Matthiam Imper. Paulum V. Philippum III. & Magnũ Florentiæ Ducem Cosmum: & multos alios tragicos euentus subsecutos esse; vt testis est nupera calamitas, quæ Bohemiã, Hungariam, & alias Germaniæ partes afflixit. Adde circa duos Cometes nostros memoratos hoc anno 1665. durantes adhuc obiisse Mãtuæ Ducẽ Carolum II. relicto hærede. Archiducem Austriæ Oenipontanum Sigismundum Frãciscum de mense Iulio iam sponsum

Cometes de anno 1618. & ibi quam infaustus.

Prin-

Principis Palatinæ Annæ Emiliæ, ob cuius decessum valdè celerrimum extincta linea Austriaca in Tyroli: & Philippum IV. Hispaniarum Monarcham de mense Septembri die 17. Stigmatum Sancti Francisci misterio dicata, cuius Princeps successor Carolus, puerulus, ætate annorum quatuor. Quare vaticinium illud, quod Philippus obiret sine hærede, abiit in fumum vt fabulosum. Obiit etiã Regina Franc. Phil.IV. Soror Sed quia similia, ac peiora euenta solent frequentius contingere, nullo antea præmonstrãte Comete, quod pro comperto de Cometis tenendũ, solum ad ipsorum naturã, cuius effectus nõnisi mali esse possunt, referẽdum. Sed relictam semitã resumamus.

Domus Tyrolis Austriaca extincta.

Igitur Interpr. noster probans intentũ suum circa præfatum argumentum de diuina cognitione, mox subnectit. Quod autem hoc sit verum, inquit, docet nos

1 Exemplum naturale, sicut enim sapientes Mundi, quando volebant perscrutari dispositionem Cælestium motus astrorum, & etiam Planetarum, montes ascendebant altissimos, ex quibus tam clarius, quam latius aspiciebant cælestia. Clarius quidem, quia illis aspicientibus nec ascendebant nebulæ, nec venti. Latius verò nam terra eos non impediebat, quin possent videre liberè circumquamq; Sic certè qui vult cælestia mentaliter inspicere, debet Montem Contemplationis ascendere, ad quem nebulæ phantasiarũ ascendere nequeunt, nec venti tentationum, nec etiam turbines humanæ sollicitudinis, quæ mentes habent inuoluere. non etiam terrena affectio se opponit, quæ solet aspectus latitudinem impedire. Hæc Interpr. in illa probatione per exẽplum naturale, quod statim ita corroborat ratione doctrinali.

Olim Astronomi mõtes altiss. ascendebant.

2 *Ad hoc idem, ait, est Saluatoris doctrina in Euangelio hodierno, vbi Christus volens suis discipulis claritatem suæ Maiestatis ostendere, eos in montem excelsum duxit, qui mentis ecstasim præfigurat.* Ita ibi. Itaque apud ipsum idem Mons Thabor Annunciatę Virginis, superius luminosus Puritate originali, mentis extasim explicat simbola. Quia nec sine hac extasi Virgo, iam extra se posita in eo priuilegio, in quo & in gloria concepta, iuxta nonnullorum sententiam. Nec sine vtraque Annunciata, nec extasis ista, vbi extra seipsum posuit se Christus in actu Transfigurationis, sine Virgine, in qua idem Christus se transfigurauit, vt loquitur Interpres, *Formam serui accipiens*. Diuina ergo cognitio in Francisco ob reuelatam sibi legem, ibi directio animarum iuxta formam Sancti Euangelii in eiusdem Euangelii restaurationem euadit, vbi in Domo Virginis Annunciatæ Montis Thabor, & Montis Sion mistica insignia eminent.

Quid extasis in Virginis Cõceptione

Montis Thabor ob transfiguratum in ipsa Virgine Christum, tum ex vnione humanæ naturæ cum diuina in vna Persona, tum ex reuelata in totale fulcimentum Ecclesiæ Francisci legem, ob quam Deus formam Iudicis mutauit in formã Patris, & ex Leone terrifico factus est Agnus mitissimus. Sic Lex lata correspondit loco, vbi reuelata. Locus verò Monti Thabor ob Virginem, cui dicatus erat, de qua supra Interpres illis verbis, *Deus transfiguratur continue, &c.* Sed tu adde, maximè eo tempore, quando, intercedente Virgine, per ipsam Virginem, & in Domo ipsius Virginis, sine labe conceptæ, prout ab Angelo annunciatæ iuxta Montis Thabor interpretationem prædictam, diuina lex Minorum reuelata fuit, ac lata, ne amplius Christus in forma indignatissimi Iudicis contra vniuersum Orbem persisteret, sed relicta ea, mansuetissimi Pastoris formã erga gregem suum reassumeret.

Mons Thabor Virgo Annunciata in Ecclesia Portiunculę ob reuelatã Franc. legẽ.

Montis Sion ob coaceruationem gratiarum, ab ore Angeli Virgini prænunciatam, in qua si defuisset iustitiæ originalis gratia, talis coaceruatio manca vtique extitisset, imò nec vnquam fuisset in Ecclesia. Cant.7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Sed quando huiuscemodi Virginis venter, his liliis vallatus, nisi quando iuxta annunciata, & allegata ab Angelo, tandem respondit. *Ecce Ancilla Domini, &c.* Audiamus Interpretem, alibi datum ex Dom. 3. Quadrag. & intra Virginis ventrem Montem Sion, cuius interpretatio, vt diximus, *Coaceruatio*, admiremur. Venter gloriosę Virginis, inquit, fuit sicut aceruus tritici vallatus liliis. Aceruus, quia in eo aceruatæ fuerunt omnes prærogatiuæ meritorum, & præmiorum. *Tritici*, quia in eo quasi in Cellario industria veri Ioseph repositum fuit *triticum, ne tota Aegiptus fame periret. Triticum dictum, eo quod purissimum borreo conditur*, vel quia granum eius commolitur, & teritur. *Album interius, & rubicundum exterius*. Iesum Christum significat, qui in Cellario Beati Ventris gloriosæ Virginis nouem mensibus fuit reconditus. Quia in mola Crucis pro nobis fuit attritus. *Candidus* vitæ innocentia. *Rubicundus* sanguinis effusione. Hic beatus venter fuit vallatus liliis. *Lilium* dictum, quasi lacteum, B. Virginis propter sui candorem Virginitatem significat, cuius vterus fuit vallatus, idest

Itẽ & *Mons* Sion ob coaceruationẽ gratiarum in Virgine sine labe conceptæ.

Cur venter Virg. vallatus liliis, atque aceruus tritici.

valle

Lilium duplicis virginitatis hieroglyphicũ.

valle humilitatis munitus liliis, scilicet vtriusque Virginitatis interioris, & exterioris. Vnde D. Augustinus. *Deus vnigenitus cum conciperetur, virginitatem carnis accepit in Virgine. Et cum nasceretur, integritatem Virginitatis seruauit in Matre.* Hæc Interpres, qui nisi in tanta coaceruatione prærogatiuarum, meritorum, & præmiorum intellexisset etiam priuilegiũ de immunitate à culpa originis ante lapsum, sed illud exclusisset, minimè dixisset, *Omnes prærogatiuæ meritorum, & præmiorum.* Defecisset enim talis immunitas, prærogatiua, & excellentia, defectu cuius Christi Mater, & omnium Patrona Præcursorem Christi, Christi, & Matris Christi seruũ minimè ex hac parte excelleret.

Sub tutela Virg. sine labe conceptę reuelata, & scripta Minorum lex.

In Domo ergo Virginis Annunciatæ cum Monte Thabor Mons pariter Sion bino simbolo originalis Matris Dei puritas eminebat. Ibi non sine afflatu peculiari, singularique prærogatiua eam legem, vt ab Altissimo media Virgine reuelatam, cælitus accepit, scripsitque solis vndecim Discipulis, tradiditque postea duodecim vt confirmatam à Sede Apostolica Franciscus. Hanc postmodũ sub ipsius Virginis ab omni Labe immunis tutela, ipsa Apostolica Sede fauente, veluti in Ecclesia dignitate inter cęteras exaltatam, robore in hostes communitam Romani Pontifices in corpore iuris inseruerunt. *Lex in sublimi Montis loco.*

Domus Virginis Portiũculæ cũ cœnaculo Hierusalem conformitas.

Spiritus Sanctus in Cœnaculo, quod in Domo, vbi Christi Discipuli, quibus pręsidebat B. Virgo, congregati erant, existebat. Patrona illius Domus, vbi lex amoris per Spiritum Sanctum reuelata fuit, & vnde exiuit adeo celeriter, vt Orbem terrarum impleret, ipsamet Virgo, & quoad præeminentiã, & quoad regimen spirituale, & quoad tutelam erat proculdubio ex communi Sanctorum Patrum sententia. Correspondentiam inter illam domum Cenaculi, & inter hanc, de qua modò scribimus secundum misticum sensum, & intellectum, & sub titulo Virginis Annunciatæ (vtraque legis amoris, afflatusque Sancti Spiritus domiciliũ effecta) habemus pulchra comparatione ex Interprete nostro. *Cum enim appropinquasset Iesus Hierosolimis* ad palmarum triumphum, vt habetur apud Matth. 21. Marc. 11. Luc. 9. ita ipse describit eius iter Dominica in Ramis. Nota, ait, quod hanc viam Christus cum Hierosolimas venit, fecit.

1 *Venit Bethaniam*, quæ est domus obedientiæ, *idest B. Mariæ*, quæ voci Angelicæ obediuit, ideo Filium Dei suscipere meruit.

Christi iter ad Hierusalem in triũpho palmarum pro mysterio Incarnationis in vtero Virg.

2 *De Bethania in Betphage*, quæ interpretatur domus Buccæ. Hæc fuit *ipsius prædicatio.* Ad hoc enim carnem accepit à Virgine; vt postea veniret ad prædicationem.

3 *De Betphage venit ad Montem Oliueti*, idest Misericordiæ. Oleos enim interpretatur *Misericordia*. Mons Olueti significat *excellentiam miraculorum*, quæ misericors, & benignus Iesus cœcis, leprosis, dæmoniacis, & mortuis misericorditer conferebat.

4 *De Monte Olueti venit Hierosolymam, negotium nostræ salutis, pro quo venerat, completurus, humanum genus per quinque ferè millia annorum captiuum, suo sanguine de manu Diaboli redempturus.* Hæc ibi Interpres. Nihil prædictorum Dei Filius, nisi prius Domum Virginis Annunciatæ, illius Obedientia allectus, intrasset, vt fieret filius hominis, efficere potuisset; quia sic ab æterno dispositum erat. Igitur lex amoris iuxta afflatum Spiritus Sancti in humani generis redemptione, & Ecclesiæ in lege gratiæ fundatione per Christi misericordiam, & prędicationem, per eius miraculorum excellentiam, per negotii nostræ salutis adimpletionem in Domo Virginis, prout in Ciuitate Nazareth Annunciatæ ab Angelo, originem habuit. Et postea in Vrbe Hierosolima è domo eiusdem Virginis, prout Præfectæ, ac Magistræ Apostolorum, vniuersam profusionem habuit, vt in toto Orbe diffunderetur, ac totum Orbem impleret.

Legis amoris origo, & diffusio per Virg.

Pariter & lex Minorũ per eandem

Quia verò circa reparationem Ecclesiæ in totius humani generis auxilium, par erat, vt lex Minorum legi Apostolorum, & Legislator Franciscus Legislatori Christo peculiari quadam prærogatiua assimilaretur, mira Dei prouidentia ordinatum est, vt in Domo Virginis Annunciatæ constitutus Franciscus, vbi lex amoris Dei, & Virginis in lege Minorum, veluti in sublimi Montis Mariani loco; ac Spiritus Sanctus veluti in Cœnaculo Domus Virginis, Apostolorum Patronæ reuelaretur, ac scriberetur. Et vt ex illa Domo, ceu ex Bethania, Crucifixi obedientiam exequuturus veniret Hierosolimam cum tali lege, idest in Ecclesia militanti, totus repletus Spiritu Sancto Frãciscus, negocium nostrę reparationis, pro quo venerat, completurus. Suam incipiens prædicationem à themate eodem, à quo incæpit Præcursor Christi, & dehinc Christus ipse, & sub eadem ferè Christi ætate. Moxque ostenderet cum Dei misericordia in diuinæ vindictæ extinctionem miraculorum excellentiam, atque illam amoris legem, quam in Virginis

Domo

Domo incæperat, ex qua post diffusionē eiusdem legis per omnem Hierusalem militantem, nouam quandam aliam Hierosolimam paulò ante quam cælestem Hierusalem ostenderet, ascendit.

Minorū Lex in sacris Frācisci stigmatibus, prout in Bulla confirmationis legitur.

Hæc fuit *illa visio pacis*, qua supra Aluerniæ Montem videns Christum Franciscus sub specie Seraph, cuius aspectus totus pacificus extitit, vt ait Bonauent. ibi quandam consummationem recepit humanæ reparationis negocium, quatenus *Bulla sanguinea* ab ipso Christo confirmata fuit eadem lex Minorum, sicut loquitur Bonauentura, vt nunquam deficeret, sed perenniter nouis semper accrementis duraret, annis duobus in viua Legislatoris carne quinque plagis, ac quatuor clauis in illa Bulla vnica in Ecclesia, ac prodigiis plena purpurascens. Deinde statim in emortuo corpore, è quo in eadē Annunciatæ Virginis domo Legislatoris anima egressa, & in domo Dei mansionem, sedemque primi Angeli restaurans per Virginem, incorrupta mirabilior, & quasi glorificata, prout hucusque cernitur, remanens.

Hinc Bonauent. superius citatus lib. 1. cap. 1. circumstantia 2. & alibi, loquens de Ecclesia Portiunculæ sub titulo Annunciatæ, hæc pauca, multa comprehendentia, & ad propositum nostrum valdè consentanea iecit in principio cap. 3. vitę S. Francisci. *In Ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente seruo ipsius Francisco, & apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratia, & veritatis continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur Aduocata ipsius, meritis Matris misericordia concepit, ac peperit spiritum Euangelicæ veritatis.*

Conceptio veritatis verbi incarnati in Virg. Annunciata, & in eiusdem domo veritatis legis Seraphicæ.

Ecce in Domo Virginis Franciscus, vt Euangelicæ veritatis conceptor intuitu meritorum Virginis, quam annuncians Gabriel, concepit *Verbum, plenum gratiæ, & veritatis*. Itaque conceptio veritatis substantialis, in Virginis Portiunculæ domo figura, & titulo expressa, conceptioni veritatis Euangelicæ virtute Altissimi, ipsammet Annunciatam Virginē obumbrantis, menti Francisci reuelatæ pulcherrima analogia respondet. Hæc in Minorum lege, diuinitus concepta, cælesti afflatu lata, ac tradita ante Papalem confirmationem. Sed post illam pergit denuò Seraphicus Historicus, vt iam id etiam superius loco citato rescripsimus, cap. 4. immediato. *Post hac*, ait, *pusilli gregis Pastor Franciscus ad Sanctam Mariā de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum superna gratia praeunte deduxit, vt vbi meritis Matris Domini Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius susciperet illic auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus Præco, &c.*

E Virg. Ann. nunc domo egressa Min. l x, ac puritatis origi. nalis Virg. propugnatores.

Initium ergo Legis Fratrum Minorum in Domo Virginis Annunciatæ ob prædictas rationes meritò extitit. Meritò vtrinque progressus illic quoque Spiritu Sancto assistente, vt eo impleret Orbem terrarum, impetu quodam amoris Dei emersit, incrementum in dies sumpsit. Quia tutela Puritatis Matris Dei erga eum semper secundis euentibus creuit, quemadmodum Puritas illius (ex qua postea cætera bona Virginis, & Mundi ipso Angelico Prænuncio incipiente ab, Aue, ita attestante) postea vsque ad hanc diem per Franciscanos, cunctis profligatis oppositionibus, feliciter progressa est. Plantatis iam hodie, ac firmatis supra sex Montium verticibus *duabus* à superstite Pontifice Alexandro VII. *columnis* cum illa inscriptione. *Non plus vltra*, scilicet circa lites, & dissensiones, sed circa concepta à Franciscanis, atque à cunctis Ecclesiæ, & Christianitatis Principibus, ac populis quamcitius, *Plus vltra*, vbi tandem sistendum. Sed transeamus ad nostrum Plus vltra circa aliarum huius secundi generis Prærogatiuarum synopsim.

Non plus vltra, & plus vltra circa Concept. B. Virg.

SECTIO III.

Cæteræ Prærogatiuæ, quarum nouem historicæ ad secundum genus. octo verò ad tertium genus spectant, nunc breui enucleandæ.

II. PRAEROGATIVA HISTORICA.

Aetas Frāc. in condenda Minor. lege ætati Christi legem Euangelicā exordientis respondet.

Excellenter eminet in ætate Legislatoris Francisci annis ætati Christi, qui incepit prædicationem, ac Discipulos habere iam ætatem annorum triginta penè attingens, sicut demonstratum est in priori circūstantia, quam cum aliis tribus lib. 1. cap. 1. enucleauimus. Iuxta Breuiarium Romanum, qui ponit confirmationem Legis Minorum, ab Innocentio III. factam 1209. habebat tunc Franciscus, cuius ortus ad ann. 1181. annos 28. iuxta alios, quos sequitur Vadingus, 29. sed iuxta nonnullos, qui ponunt præfatam confirmationem sub anno 1211. imò & alii sub anno sequenti 1212. erat annorum vel 30. vel 31. Et quidem sicut decuit, vt Lex Minorum

Legi Euangelicæ, ad fundationem Ecclesiæ latæ, illa verò lata ad reparationem, responderet; sic quoque vt ab ea in Francisci ætate illa inceperit, à qua in Christo Lex Euangelica incæpit, & Legislator, reparans Ecclesiam, Legislatori, fundantis Ecclesiam, in sua condenda lege, annos adæquaret.

III. PRAEROGATIVA.

Item respõdet & tempori.

Potest desumi ex tempore iuxta tertiã circunstantiam, loco citato explicatam. Nam excellit quoque ex hac parte Minorum lex, dum eius institutionis tempus pro vniuersa Christianitate reparanda cum tempore, quo Christus Euangelicam legem in humani generis redemptionem promulgauit, valdè correspondet.

IV. PRAEROGATIVA.

Item & Discipulatui.

Ex quarta circumstantia, ibidem conscripta, & ipsa pariter erumpit ob Discipulorum numerum, multis arcanis confertum, quibus Lex Minorũ tradita fuit. Qui numerus nõ solum tum arithmeticè numero etiam Apostolorum Christi, quibus dedit legem Christus respondet, tum significatiuè ob vniuersitatem reparandorum, sed etiam geometricè, tam secundum quantitatem materialem, quam moralem, & meritoriam iuxta Apostolorum perfectionem. Turba Fratrum duodena Francisci, Turbæ Fratrum duodenæ Christi in nouo reparandæ Ecclesiæ Apostolatu persimilis, vt suis locis Chronologicè demonstratum est. Sic disponitur in Collegio Seraphico iuxta seriẽ Vadinghi,

Duodecim Discipuli, cum quibus Romam venit Franciscus ad ann. iuxta Breuiarium Roman. 1209. in quo Ordo incæpit. Et Legis Minorum approbationem à Romano Pont. Opt. Max. Innocentio III. ex peculiari nutu Dei impetrauit.

1 B. Bernardus de Quintaualle, nobilis Assisias.
2 B. Petrus Cathaneus, Ecclesiæ Cathedralis Assisias Canonicus, sed non Sacerdos. Hic secundus Vicarius Generalis S. Francisci post Fratrem Heliam.
3 B. Aegidius Assisias, professione Laicus, inclitusque nostrorum Conuersorum Antesignanus. — Vide lib. 1. sub nomine societatum,
4 B. Sabbatinus Assisias.
5 B. Moricus, seu Mauritius Vrbeuetanus, ex Cruciferorum Ordine.
6 Fr. Ioannes Capella, Iudæ Ischarioti valde similis, in cuius locum B. Gulielmus Anglus suffectus est.
7 B. Philippus Longus, Oppidanus de Valle Reatina.
8 B. Constantius, alias Ioannes de Sancto Constantio, Comitatus Assisii,
9 B. Barbarus Assisias.
10 B. Bernardus de Viridante.
11 B. Siluester Assisias, primus Sacerdos in sæculo. Hisce vndecim Discipulis scripsit, tradiditque Legem Frãciscus, anno vel 1208. vel 1209.
12 B. Angelus Tancredus Vrbis Reate, cuius vocatio ad annum 1209. quo Romam venit cum duodecim Apostolis suis Franciscus, & approbationem Legis obtinuit, iuxta Breuiarium Romanum, cui & ipse cum Miranda subscribo. Nam iuxta alios apud Vading. & fortè exactius vt ipse sentit, nec repugnat Breu. Romano approbatio Legis cõtigit an. Christi 1210 Alii ad ann. 1211. Hi duodecim Apostolici Minoritę sunt duodecim Leunculi illi Throni Salomonis, quos ex Interprete nostro ad finem libri 2. memorauimus. — Vide paulò ante circa aduent Fan. iuxta Breu. Roman. quę adnotaui.

Discipuli alij circiter septuaginta octo post duodecim numeratos. Quorum xij. ad ann. 1210 post approbatam legem extant.

1 B. Leo Assisias.
2 B. Ruffinus Assisias.
3 B. Masseus Assisias.
4 B. Iuniperus.
5 B. Illuminatus Reatinus. — Vide horũ gesta in suis panegiricis.
6 B. Angelus Assisias.
7 B. Stephanus.
8 B. Leonardus Assisias.
9 B. Iacobus Assisias.
10 B. Theobaldus.
11 B. Simon Assisias.
12 B. Simon de Collazzono.

V. PRAEROGATIVA.

Patet ex tot Euentibus, quorum alii ante huius reuelatæ Legis à Sede Apostolica approbationem, alii deinceps, quot in Cælis sunt Angelorum Ordines. Summa Lege, ac Regula vndequaque rectissi-

ctiſſima, atque infallibili Beati Spiritus viuunt. Tota eorum Lex Hierarchica eſt, ad cuius imitationem Hierarchiam Eccleſiaſticam, Lege Euangelica regēda, fundauit Chriſtus, Supremus Hierarchicans. Doctrina Interpretis noſtri eſt, vt alibi dictum eſt ſerm. Domin. 21. quod *à Rege Regum totius creaturæ Domino Ieſu Chriſto, qui Angelis in Cælo, & hominibus in mundo praeſt, quilibet fidelis nominatur Regulus, pro eo quod quandam repræſentationem Cæleſtium Ordinum in ſe habeat*. Tota Eccleſia Chriſtiana conſtat ex quolibet fideli, & per conſequens tam in ſeipſa, quam in vnoquoque pariter fidelium Hierarchica eſt ad ſimilitudinem nouem Cæleſtium Ordinum, vt mox demonſtrat idem Interpres, ex quo etiam nos alias. Nouem euentus præcitati ſi ante approbationem legis Minoricæ conſiderentur, ſunt numero VI. ſi poſtea ſunt III.

Quilibet fidelis poteſt dici regulus.

1 Euentus inter ſex primos ex loco, qui dicebatur ſpeculum, vbi primū Franciſcus ad pedes Romani Pontificis fuit introductus, patefit.

2 Euētus ex altiſſimæ palmæ apparitione, ad pedes Pontificis in eodem Speculi loco effecta.

3 Euentus ex maxima nonnullorum S.R.E. Cardinalium, qui approbationem legis Minorum impedire conabantur, oppoſitione.

Vide per extenſum hos euentus in 3. Tract.

4 Euentus ex Conſiſtoriali, ac fauorabili Ioannis de Columna Cardinalis, & Epiſcopi Sabinenſis aduocatione.

5 Euentus circa monitum Pontificis ad Franciſcum, vt pro negotio approbationis ſuæ Regulæ oraret, verſatur.

6 Euentus circa Innocentii Papę III. viſionem de Franciſco, Lateranum, ne in interitum iret, ſuſtinente.

7 Euentus, qui inter tres poſt approbatam legem primus eſt, circa parabolicum Franciſci ad Pontificem reſponſum, quod in ſua iam peracta oratione Altiſſimus ſibi inſpirauerat.

8 Euentus circa Regulæ approbationem, & nonnulla alia.

9 Euentus circa ea, quæ contingerunt poſt approbatam Regulam Franciſco, & ſociis à Pontifice paterna dignatione ſpiritualibus fauoribus affectis.

In iſto nouem euentuum numero veluti in quodam mirando exemplari Hierarchicam excellētiam ob legem cælitus Franciſco inſpiratam, cælituſque Chriſti Vicario præmonſtratam, in Conſiſtorio efficaciter defenſam, ſub Apoſtolica parabola explicatam, nec ſine Dei nutu cōfirmatam, Fratribus Minoribus tradendam, vt idonei fierent ad reparandam Eccleſiaſticam Hierarchiā, præmonſtrata fuit. Patet ex Bonauentura in expoſit. cap. 1. Reg. vt iam alibi tetigimus, & infra in ſequenti tomo fusè explicabitur.

Horum nouem euētuū arcanum.

VI. PRAEROGATIVA.

valdè digna fit ex numero cæterorum Diſcipulorum, quos ipſe Franciſcus ad Chriſtum conuertit, & in ordine admiſit. Hic namque numerus valde ſimilis eſt numero 72. Diſcipulorum Chriſti, ſanctitate vitæ, ſignis, & prodigiis ante, & poſt mortem Franciſci in cunctis conſpicuus. Ex qua prærogatiua lata lex in ſe, & in ſuis profeſſoribus incomparabile nomen breui adipiſci promeruit. Eorum numerus in ſex tantum 72. Diſcipulis Chriſti excedit. Vide omnium panegiricos, ac geſta ſuis locis lib. 5. per totum, & hic eos tantum ſcito eorum nomina ſecundum temporum rationem.

Cæteri diſcip. ſupra 12 ad num. 78.

Diſcipuli ad ann. 1211. ſub numero quatuordecim, quorum tres fuerunt Generales Miniſtri.

1 B. Ioannes de Laudibus.
2 B. Humilis Peruſinus.
3 B. Guido Cortonenſis.
4 Fr. Helias Etruſcus bis Vicarius Generalis ante Franciſci obitum, biſque poſt mortem eius Generalis Miniſter.
5 B. Vitus ignotæ Patriæ.
6 B. Benedictus Aretinus.
7 B. Ioannes Parens, Generalis Miniſter, Florentinus.
8 B. Ioannes Bonelli, Florentinus.
9 B. Monaldus Florentinus.
10 B. Ioſeph Florentinus.
11 B. Michael de Albertis, item Florentinus.
12 B. Angelus, ſiue Agnellus, Piſanus.
13 B. Albertus Piſanus, & hic quoque Generalis Miniſter.
14 S. Petrus Martyr Marrochii.

Horum omnium geſta ſuis locis panegiricè explicata

Diſcipuli ad ann. 1212. quando incepit Ordo D. Claræ ſub numero quaternario.

1 B. Zacharias, Romanus.
2 B. Gullielmus, Anglus.
3 B. Pacificus, Picenus.
4 B. Anonymus, Mediolanenſis.

Legi Euangelicæ, ad fundationem Ecclesiæ latæ, illa verò lata ad reparationem, responderet; sic quoque vt ab ea in Francisci ætate illa inceperit, à qua in Christo Lex Euangelica incæpit, & Legislator, reparans Ecclesiam, Legislatori, fundantis Ecclesiam, in sua condenda lege, annos adæquaret.

III. PRAEROGATIVA.

Item respôdet & tempori.

Potest desumi ex tempore iuxta tertiã circunstantiam, loco citato explicatam. Nam excellit quoque ex hac parte Minorum lex, dum eius institutionis tempus pro vniuersa Christianitate reparanda cum tempore, quo Christus Euangelicam legem in humani generis redemptionem promulgauit, valdè correspondet.

IV. PRAEROGATIVA.

Item & Discipulatui.

Ex quarta circumstantia, ibidem conscripta, & ipsa pariter erumpit ob Discipulorum numerum, multis arcanis confertum, quibus Lex Minorũ tradita fuit. Qui numerus nõ solum cum arithmeticè numero etiam Apostolorum Christi, quibus dedit legem Christus respondet, tum significatiuè ob vniuersitatem reparandorum, sed etiam geometricè, tam secundum quantitatem materialem, quam moralem, & meritoriam iuxta Apostolorum perfectionem. Turba Fratrum duodena Francisci, Turbæ Fratrum duodenæ Christi in nouo reparandæ Ecclesiæ Apostolatu persimilis, vt suis locis Chronologicè demonstratum est. Sic disponitur in Collegio Seraphico iuxta seriẽ Vadinghi,

Duodecim Discipuli, cum quibus Romam venit Franciscus ad ann. iuxta Breuiarium Roman. 1209. in quo Ordo incæpit. Et Legis Minorum approbationem à Romano Pont. Opt. Max. Innocentio III. ex peculiari nutu Dei impetrauit.

1 B. Bernardus de Quintaualle, nobilis Assisias.
2 B. Petrus Cathaneus, Ecclesiæ Cathedralis Assisias Canonicus, sed non Sacerdos. Hic secundus Vicarius Generalis S. Francisci post Fratrem Heliam.
3 B. Aegidius Assisias, professione Laicus, inclitusque nostrorum Conuersorum Antesignanus.

Vide lib. 1. sub nomine societatum,

4 B. Sabbatinus Assisias.
5 B. Moricus, seu Mauritius Vrbeuetanus, ex Cruciferorum Ordine.
6 Fr. Ioannes Capella, Iudæ Ischarioti valde similis, in cuius locum B. Gulielmus Anglus suffectus est.
7 B. Philippus Longus, Oppidanus de Valle Reatina.
8 B. Constantius, alias Ioannes de Sancto Constantio, Comitatus Assisii,
9 B. Barbarus Assisias.
10 B. Bernardus de Viridante.
11 B. Siluester Assisias, primus Sacerdos in sæculo. Hisce vndecim Discipulis scripsit, tradiditque Legem Frãciscus, anno vel 1208. vel 1209.
12 B. Angelus Tancredus Vrbis Reate, cuius vocatio ad annum 1209. quo Romam venit cum duodecim Apostolis suis Franciscus, & approbationem Legis obtinuit, iuxta Breuiarium Romanum, cui & ipse cum Miranda subscribo. Nam iuxta alios apud Vading. & fortè exactius vt ipse sentit, nec repugnat Breu. Romano approbatio Legis cõtigit an. Christi 1210 Alii ad ann. 1211. Hi duodecim Apostolici Minoritę sunt duodecim Leunculi illi Throni Salomonis, quos ex Interprete nostro ad finem libri 2. memorauimus.

Vide paulò ante circa aduent. Fan. iuxta Breu. Roman. quę adnotaui.

Discipuli alij circiter septuaginta octo post duodecim numeratos. Quorum xij. ad ann. 1210 post approbatam legem extant.

1 B. Leo Assisias.
2 B. Ruffinus Assisias.
3 B. Masseus Assisias.
4 B. Iuniperus.
5 B. Illuminatus Reatinus.
6 B. Angelus Assisias.
7 B. Stephanus.
8 B. Leonardus Assisias.
9 B. Iacobus Assisias.
10 B. Theobaldus.
11 B. Simon Assisias.
12 B. Simon de Collazzono.

Vide horũ gesta in suis panegiricis.

V. PRAEROGATIVA.

Patet ex tot Euentibus, quorum alii ante huius reuelatæ Legis à Sede Apostolica approbationem, alii deinceps, quot in Cælis sunt Angelorum Ordines. Summa Lege, ac Regula vndequaque re-

ctissi-

ctissima, atque infallibili Beati Spiritus viuunt. Tota eorum Lex Hierarchica est, ad cuius imitationem Hierarchiam Ecclesiasticam, Lege Euangelica regēda, fundauit Christus, Supremus Hierarchicans. Doctrina Interpretis nostri est, vt alibi dictum est serm. Domin. 21. quod *à Rege Regum totius creaturæ Domino Iesu Christo, qui Angelis in Cælo, & hominibus in mundo præest, quilibet fidelis nominatur Regulus, pro eo quod quandam repræsentationem Cælestium Ordinum in se habeat*. Tota Ecclesia Christiana constat ex quolibet fideli, & per consequens tam in seipsa, quam in vnoquoque pariter fidelium Hierarchica est ad similitudinem nouem Cælestium Ordinum, vt mox demonstrat idem Interpres, ex quo etiam nos alias. Nouem euentus præcitati si ante approbationem legis Minoricæ considerentur, sunt numero VI. si postea sunt III.

Quilibet fidelis potest dici regulus.

1 Euentus inter sex primos ex loco, qui dicebatur speculum, vbi primū Franciscus ad pedes Romani Pontificis fuit introductus, patefit.

2 Euētus ex altissimæ palmæ apparitione, ad pedes Pontificis in eodem Speculi loco effecta.

3 Euentus ex maxima nonnullorum S.R.E. Cardinalium, qui approbationem legis Minorum impedire conabantur, oppositione.

Vide per extensum hos euentus in 2. Tract.

4 Euentus ex Consistoriali, ac fauorabili Ioannis de Columna Cardinalis, & Episcopi Sabinensis aduocatione.

5 Euentus circa monitum Pontificis ad Franciscum, vt pro negotio approbationis suæ Regulæ oraret, versatur.

6 Euentus circa Innocentii Papæ III. visionem de Francisco, Lateranum, ne in interitum iret, sustinente.

7 Euentus, qui inter tres post approbatam legem primus est, circa parabolicum Francisci ad Pontificem responsum, quod in sua iam peracta oratione Altissimus sibi inspirauerat.

8 Euentus circa Regulæ approbationem, & nonnulla alia.

9 Euentus circa ea, quæ contingerunt post approbatam Regulam Francisco, & sociis à Pontifice paterna dignatione spiritualibus fauoribus affectis.

In isto nouem euentuum numero veluti in quodam mirando exemplari Hierarchicam excellētiam ob legem cælitus Francisco inspiratam, cælitusque Christi Vicario præmonstratam, in Consistorio efficaciter defensam, sub Apostolica parabola explicatam, nec sine Dei nutu cōfirmatam, Fratribus Minoribus tradendam, vt idonei fierent ad reparandam Ecclesiasticam Hierarchiā, præmonstrata fuit. Patet ex Bonauentura in exposit. cap. 1. Reg. vt iam alibi tetigimus, & infra in sequenti tomo fusè explicabitur.

Horum nouem euētuū arcanum.

VI. PRAEROGATIVA.

valdè digna fit ex numero cæterorum Discipulorum, quos ipse Franciscus ad Christum conuertit, & in ordine admisit. Hic namque numerus valde similis est numero 72. Discipulorum Christi, sanctitate vitæ, signis, & prodigiis ante, & post mortem Francisci in cunctis conspicuus. Ex qua prærogatiua lata lex in se, & in suis professoribus incomparabile nomen breui adipisci promeruit. Eorum numerus in sex tantum 72. Discipulis Christi excedit. Vide omnium panegiricos, ac gesta suis locis lib. 5. per totum, & hic eos tantum scito eorum nomina secundum temporum rationem.

Cæteri discip. supra 12 ad num. 78.

Discipuli ad ann. 1211. sub numero quatuordecim, quorum tres fuerunt Generales Ministri.

1 B. Ioannes de Laudibus.
2 B. Humilis Perusinus.
3 B. Guido Cortonensis.
4 Fr. Helias Etruscus bis Vicarius Generalis ante Francisci obitum, bisque post mortem eius Generalis Minister.
5 B. Vitus ignotæ Patriæ.
6 B. Benedictus Aretinus.
7 B. Ioannes Parens, Generalis Minister, Florentinus.
8 B. Ioannes Bonelli, Florentinus.
9 B. Monaldus Florentinus.
10 B. Ioseph Florentinus.
11 B. Michael de Albertis, item Florentinus.
12 B. Angelus, siue Agnellus, Pisanus.
13 B. Albertus Pisanus, & hic quoque Generalis Minister.
14 S. Petrus Martyr Marrochii.

Horum omnium gesta suis locis panegiricè explicata

Discipuli ad ann. 1212. quando incepit Ordo D. Claræ sub numero quaternario.

1 B. Zacharias, Romanus.
2 B. Gullielmus, Anglus.
3 B. Pacificus, Picenus.
4 B. Anonymus, Mediolanensis.

Discipuli ad ann. 1213. sub numero binario.

1 B. Bernardus Narniensis.
2 B. Angelus de Burgo.

De horum quoque gestis actum est.

Discipuli ad ann. 1214. sub eodem numero binario.

1 B. Anonymus Compostellanus.
2 B. Petrus Compater.

Discipuli ad ann. 1215. sub numero triginta quinque.

1 B Ioannes simplex.
2 B. Rainerius Marchianus.
3 B. Rigerius item Picenus.
30 BB. Anonymi simul recepti.
34 B. Item Anonymus.
35 B. Anonymus Tyrunculus.

Discipuli ad ann. 1220. sub numero senario.

Horum panegirici explicati sunt.

1 Pellegrinus à Fellerono, Picenus.
2 B Beneuenutus Mantuanus.
3 B. Rigerius item Picenus.
4 B Nicolaus de Epulis, Bononiensis.
5 B. Bonizius, item Bononiensis.
6 B. Guillelmus de Placentia.

Discipuli ad ann. 1222. sunt tantum duo.

1 B. Beneuenutus Eugubinus.
2 B. Gregorius Lombardus.

Omnium summa intra annos duodecim ex 1. Tom. Annal. Vading. septuaginta octo. Alios post compendiatam legẽ non reperimus, vel quia deperditi, vel quia elargita facultate, ac commissa cura recipiendi Fratres Ministris Prouincialibus ad ann. 1216. quam antea non habebant, vt ipse Vadingus aduertit, & Franciscus Sacris Stigmatibus confossus, si qui ipsi accessetint; vt in sodalitium ascriberentur, eos ad Ministros Prouinciales miserit, quibus de iure iuxta mandatum Regulæ id munus spectabat. Quos hic enumerauimus omnes ipse Frãciscus conuertit, eiq; tradidit legem, licet de nonnullis posset dubitari, & sic ad 78. totus ille numerus reduci. Vide quæ adnotauimus in cap. 4. lib. 6. sect. 1.

In Comitiis generalibus de Storeis 500. fuerũt recepti ad Ord. Vide ad an. 1219.

VII. PRAEROGATIVA.

Ex eo sumenda, quod primi ex S.R.E. Cardinalbus, quos meruit principio lex Minorum habere, alterum affectu, & aduocatione, alterum effectu, & munere in Protectores singularissimos, fuerunt duo incliti Præsules, non tam dignitate sanguinis, quam excellentia morum conspicui. Prior fuit Ioannes Cardinalis de Columna, Princeps Romanus, *cælesti spiritu inflammatus*. vt ait Bonauentura, cuius fauore, atque tutela lex Minorum Apostolicam approbationem obtinuit. Secundus percelebris Vgolinus, ex Comitibus Signiæ, à Sancto Legislatore expostulatus fuit, postea Gregorius IX. qui S. Franciscum, à quo in illa dignitate prophetatus, canonizauit. De vtroque sufficienter actum est tract. 2. Hierarchiæ, vbi de Cardinalibus Protectoribus.

Primus *Columna sua* haud gentilitia dignitate, sed constantia animi sui apostolici, dum mistice preferebat duas illas Columnas, in Templo Salomonis præcipuas (de quibus alias cum Interprete nostro, ad Cardinalem de Columna superstitem in literis nuncupatoriis tom. 1. Hierarchiæ) ad fundamina legis Minorum maxima pietate, pro euangelica veritate strenuè dimicante, concurrit. Secundus verò *Aquila sua tesserata* stemmati Comitum Signiæ propria; sed in illo Præsule *Aquilam magnarum alarum*, vt ferunt scripturæ, explicatque Interpres noster, præmonstrans, ne post fundatam legem in eam hostes ad excidium præualerent, sedula protectione ex officio peculiaria, ac primaria præstitit iuuamina.

Stirps Columnensis Romana.

Stirps Comitũ Signiæ

VIII. PRAEROGATIVA.

Est, quod sub ista prima Regula, ac lege, ipse Euãgelicus Legislator quatuor Capitula generalia celebrauit, inter quæ illud, *de Storeis nuncupatum*, pluribus de causis hucusq; supra omnia alia eminet. Quod nullum alium habuit hæc Regula Generalem totius Ordinis, cui lata fuit, nisi ipsum Legislatorem, ab Innocentio III. immediatè creatum, atque ad Diaconalem dignitatem euectum. B. enim Petrus Cataneus Assisias, & Frat. Helias Cortonensis ab Ostaria, ille semel, hic bis, Vicarii tantùm S. Francisci extiterunt, non autem Ministri Generales.

Nullũ aliũ habuit 1. lex Franc. in Generalem Mi nist. nisi ipsum Legisl.

IX. PRAE-

IX. PRAEROGATIVA.

Maximè elucet ex mirabili illa celeritate, qua ita breui lex Minorum in toto terrarum Orbe, totam Ecclesiam Franciscano instituto impleuit. In *Rotis* suis Euangelicis, atque Apostolicis, quibus eius *Currus* tam celeriter circuit Mundū, volabat Spiritus S. qui nullo ligatur tempore; sed de hoc alibi cum Interpr. nostro.

X. PRAEROGATIVA.

Ex quinque hæc vltima prærogatiua eminet.

Quam, relictis multis aliis, vltimam in hoc secundo genere constituimus, ex eo eminet primò, quia sub ista priori Regula Sanctus Institutor vixit annis tredecim, semperque creuit eius obseruantia. Legislator simul, & legis adimpletor, proficiens admiraculum, atq; nunquam in nullo permittens, vt eius Apostolica authoritas tātillū minueretur. Secundò, quia hæc prior Regula meruit excellere in Martirio plurimorum professorum, quorum beatam mortem ad nos transtulit historica veritas per tempus imperscriptum, tradiditque meritò ad pium cultum. Inter hos extant primi Martires Ordinis ad numerum xii. ab Ecclesia declarati, quorum quinque Marrochii occisi sunt annò 1220. alii verò septem in Vrbe Ceptæ anno sequenti immediato. Tertiò, primi duodecim viri, quibus incepit opus reparationis Franciscus, scripsitque legem, omnes fuerunt perfectione, professione, prædicatione Apostoli, licet uullus fuerit Martir. Hanc tamen gratiam seruauit Deus aliis duodecim ex consequentibus consociis, ostenditque pariter, quod sicut in primitiua Ecclesia fundans legem Euangelicā Christus, quos sub duodenario numero elegit, Apostolos habere voluit, & Martires, ita hanc prærogatiuam legi Minorum minimè denegabat in duodecim Francisci Coapostolis, illis duodecimis primis cōsociis, & cum illis etiam ad fundationē, & diffusionem legis per totum Orbem destinatis. Quamobrem ex hac etiam parte declarauit Christus, quod in rei veritate lex Fratrum Minorum in Ecclesia Franciscana, quia tota Euangelica, & Apostolica erat, eiusq; Legislator Christo Legislatori simillimus, opus fundationis, & redēptionis Ecclesiæ, operi reparationis, ob quod Altissimus talem legē Francisco reuelauerat, simile erat. Quartò, Franciscus faciens eam legem paucis verbis, & simplicibus scribi, tradensque suis, & Pontifici, & Concilio Lateranensi, vt semel, & iterum Apostolica Sedes eam confirmaret symbola admodum paria cum lege Euangelica referebat.

Tota hæc sinopsis fusè elaborata est suis locis.

Sub huius primæ legis obseruantia D. Anton. de Padua, & B. Alexander de Ales.

Demum sub huius primæ Regulæ professione. & perfectione, & obseruantia duo maximi in Ordine Minorum Heroes veniunt, qui & in ipso primi Theologiæ professores; ex quorum Academiis insignes Discipuli, sanctitate, & doctrina præfulgidi exierunt. Hi fuere D. Antonius de Lisbona, postea de Padua Interpres noster, & B. Alexander de Ales; ille ab anno 1220. vsque ad ann. 1223. Iste ad ann. 1222. ille eam amplexans, & profitens Conimbriæ. Iste Parisiis.

Omittimus alia quamplurima, quæ ad hanc postremam excellentiā huius prioris Regulæ spectare possent: eo vel maximè, quia in substantia tota inclusa est in secunda Regula, de qua in tomo sequenti, & solum deleta est coaceruatio sententiarum Euangelicarum, & Capitulorum quantitas ad medietatem redacta, additumque præceptum eminens de petendo à S.R.E. vnum Cardinalem Protectorem. Item in ipsa compendiosiorem reddita, mutata phrasis, ac restituta ad suam simplicitatem, meliori forma constructa, clarior, lenior, ac lepidior facta, iuxta stilum Italicum Latinum, qui vt testatus est Augustinus citatus in quinta prærogatiua primi generis, *Cæteris perfectior, nam est verborum tenacior cum perspicacitate sententia.*

Octo mysticæ Legislationis Minorum prærogatiuæ, ab ore ipsius Legislatoris expressæ cum octo Beatitudinibus iuxta doctrinam Interpretis nostri harmonicè concordant.

Octo prærogatiuæ paucis verbis expressit, ac declarauit in sua lege Frãciscus.

SVper Montem prædicauit Dominus; vt refert Matth. cap. 5. Octo Euangelicas Beatitudines. Ex Monte quoque Apostolicæ excellentiæ, atque Euangelicæ perfectionis octo misticas prærogatiuas altissima sermonis breuitate (vt attulimus in fine quintæ prærogatiuæ, sed hic explicãdas transtulimus) patefecit Franciscus in sua Euangelica Legislatione conclusas. In singulis Redemptoris Mundi Beatitudinibus plurima continentur arcana, vt ex Commentariis Sanctorum Patrum patet. Pariter & in Prærogatiuis, quas ore suo Seraphico Reparator Ecclesiæ mysticè explicauit. Multã enim habent cum illis affinitatem, cum quibus hanc efformant harmoniam ex Interprete nostro, cuius ordinem sequemur, etsi alius sit ab Euangelico, quem nõ seruat ipse, vt argumento suo se accommodet.

In libro vitæ Regulæ Franc quod primò legitur, est paupertas.

I *Beati pauperes spiritu*, dixit primum Christus in suo Euangelio. *Liber vitæ* dixit etiam primum Franciscus, de Regula sua Euangelica sermonem faciens. In hoc *Libro vitæ* explicatur potissimum illa Paupertas altissimo loquendi modo, vt basis, ac lapis fundamentalis totius molis Minoricæ Legislationis. Ibique de ea sic dicitur iuxta doctrinam Interpretis nostri. *Hac Beatitudo habet duas partes, rerum scilicet abdicationem, & spiritus contritionem. Vt etiam bonus se inutilem, & cæteris reputet inferiorem. Pauperes spiritus ad nulla alia se erigunt, sed ea, quæ timoris, & veræ humilitatis sunt excolunt, &c.* Sine hac scriptura, ac lectione, à Minoribus opere complenda, eorum Regula haud vitæ liber esset, sed liber mortis, vt clarum est.

Spes salutis, regula Fran. per suorum mansuetudinem.

II *Beati Mites*, dixit secũdò Christus, & Franciscus *spes salutis* item secundò locutus est. *Mitis est* (inquit Interpres) *quem mentis asperitas, vel amaritudo non afficit; sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruit patienter. Vnde mitis dicitur quasi mutus, illatæ iniuriæ non respondens, &c.* At spes salutis, quæ est pes, vt alibi docet Interpres, *progrediendi ad Dominum*, nonne causa potissima est, obmutescendi ad illatas iniurias, sine quarum toleranria vanè vtiq. (præsertim ab Apostolicis viris) speratur salus.

Arrha gloriæ, sed per luctum, & fletum Euãgelicum.

III *Beati qui lugent*, dixit tertiò Christus; Franciscus verò *Arrha gloriæ*. Iob 16. *Facies mea intumuit à fletu; & palpebræ meæ caligauerunt.* Et cap. 3. *mærens incedebam*. Ibi Gregorius, subdit Interpres, *vir Sanctus eleuatus rebus, & honoribus, mærens incedebat. Quia etsi hunc Prælatum hominibus gloria potestatis ostendebat, interius tamen mærore suo sacrificium contriti cordis offerebat, &c.* Istud sacrificiũ, quod adeò proprium, & assiduum esse debet Minoribus, ne solo nomine Minores appellitentur, multam habet similitudinem cũ sacrificio incruento Eucharistiæ. Vnde monstratũ cælitus fuit Francisco in abbreuiatione Regulæ suæ, vt micas, nimirum sententias Euangelicas, ibi esorbitanter multiplicatas, ad paruæ Hostiæ formam redigeret, sicut sequenti libro tom. 2. declarabitur. Cum autem Eucharistia nuncupetur *futuræ gloriæ pignus*, & Fratres Minores, ex fletu, & luctu Beati, quotidianum offerant sacrificium Deo, meritò equidem eius lex, quam profitentur (& virtute cuius istud tam frequens offerunt sacrificium, atque in illius oblatione ipsi sunt Sacerdotes, & hostiæ, & altare) *Arrha gloriæ* dicta est ab eorum Parente.

Sic enim sit sacrificium, in quo est gloriæ pignus.

Medulla Euangelii per cordis munditiam.

IV *Beati mundo corde*, dixit Christus, Franciscus autem *Medulla Euangelij*, Interpres cum Iob, & D. Gregorio citatis. *Non tantum, ait, vsque ad inquinationem ignis luxuriæ maculat; sed vsque ad perditionem deuorat; & omnia eradit genimina, idest animæ bonas operationes.* Hæc sola prærogatiua, in ordine quarta in Minorum lege dum medullam continet Euangelii, cõsequenter talem medullam omnes octo simul Beatitudines intrant. Verum quotiens eius professores *Beati mundo corde* non sunt, destruunt hanc medullam Euãgelicam vsque ad perditionem, omnesq; perdunt Beatitudines, idest animæ bonas operationes. Vt ergo eorum lex medulla sit Euangelica, sint & ipsi mundo corde, vt Euangelium docet, ipsos in Apostolis alloquentes.

Via Crucis per regni carnis euersionem.

V *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiã, &c.* dixit Christus, Franciscus *Via Crucis* dixit, & harmonicè dixit. Interpres annectens hanc iustitiæ esuriem cum illa alia beatitudine, Beati qui lugent: *Hæc duo, ait, euertunt regnum carnis, quod duas prouincias habet, gulam, & luxuriam*. Sed de his alibi. Et paulò infra de hac quinta beatitudine, quæ dicitur, esuries, & sitis

contra

contra gulam, Iob cap.5. *In vastitate, & fame ridebis*, ideſt in abſtinentia delectaberis, *& beſtias terræ non formidabis*, ideſt petulantiam carnis, &c. Ablata hac carnis petulantia è medio, prout præcipit lex Minorum, quæ vndique famem, & ſitim (abſtinendi ſcilicet ab illicitis, & aliquando etiam à licitis per cuncta ieiunia ſpiritualia, & per innumera corporalia) ſpirat Apoſtolicam, & cum hac tota iuſtitia Euangelica eſt. *Via Crucis* tuta, & libera fit, vt non poſsit beſtias terræ formidare. Nec ſine via Crucis Beati eſſe poſſunt eſurientes, & ſitientes iuſtitiam, cum talis eſuries, & talis ſitis via Crucis, & Crux ſit, ex qua tota beatitudo Franciſci erumpebat per illa verba ſibi propria, *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Incedens per viam Crucis (in eſuriei, & ſitis Cruce cum Chriſto crucifixus) per hanc Crucis viam peruenit ad Chriſtum ſub mira, ac Seraphica ſpecie crucifixum, qui propria manu in Cruce corporis Frãciſci ipſum Franciſcum confixit, ac ſuæ crucifixionis triumphi vnicum Capitolium effecit.

Ipſa carnis expugnatio, via Crucis eſt, & Crux, & gloria Crucis

VI *Beati Miſericordes, &c.* dixit Chriſtus, *Status perfectionis*, dixit aliunde Frãciſcus, & Chriſto ſuo concinniſsimè reſpondit. *Vera miſericordia* (explicat Interpres) *omnem repulſat malitiam quoad proximum. Vera enim miſericordia eſt, quæ miſerias alienas ſuas facit per compaſſionem. Et miſericors, qui eſt miſerorum cor. Quæ eſt manifeſtè contra inuidos, & iracundos, &c.* Remota iſta miſericordia, nõ ſolum perfectionis ſtatus corruit à fundamentis, ſed tota lex Chriſtiana, quæ à duobus amoribus pendet, ab amore Dei, & ab amore proximi. Hæc dependentia, & colligatio horum duorum amorum reciproca adeo intrinſecè eſt, & ita ſe habet, vt nec amor Dei ſine amore proximi ſtare poſſit, nec amor proximi ſine amore Dei. Quilibet ergo ſtatus circa obſeruantiam Euangelii ſine miſericordia prædicta imperfectionis ſtatus ſit, adàs immiſericordes in ſtatu perfectionis eſſent.

Status perfectionis per veram miſericordiam.

VII *Beati Pacifici*, dixit ſeptimo loco Chriſtus; nam duo loca, ſcilicet 4. & 5. alium ordinem ſeruant in argumento Interpretis. Franciſcus dixit etiam ſeptimo loco, *Clauis Paradiſi*.

VIII *Beati qui perſecutionem patiuntur*, dixit poſtremò Chriſtus: Franciſcus verò *Pactum fœderis æterni*. Explicans Interpres ſimul has duas vltimas Beatitudines, ſimul illis quoque iunctas demonſtrat duas vltimas prærogatiuas miſticas Reg. Legiſlationis Franciſci. Ponamus eius verba formalia. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, ſcilicet per pacem, poſtillat Interpres, & tu adde. Ecce optima Beatitudo, quæ in lege Minorum clauis Paradiſi eſt. Et *Perſecutionis tolerantiam*, annectit Interpres, & tu annecte quoque. Ecce Pactum fœderis æterni, quod in Apoſtolica perſecutionis tolerantia fundatur in Minorũ lege, in qua vita Apoſtolica profitetur. Sed ad ſequentia Interpretis. Qui ergo, ſubdit, veram pacem habet in ſe per ſanctam conſcientiam, ad Deum per ſinceram dilectionem, ad proximum per omnimodam innocentiam; & inſuper patitur à proximis, quos ſic amat: & infirmitates à Deo miſſas gaudenter recipit, & acceptat à ſeipſo pœnitentiæ auſteritatẽ, quam ſibi ſponte ſua iniungit: Talis proculdubio violenter rapit Regnum Dei. *Scilicet qui omnimodam pacem habet interius, & perſecutionem omnimodam tolerat exterius, talis poteſt dicere*, In pace amaritudo amariſſima. Regula Minorum per vtramq; pacem vim faciens Regno Cœlorum in bello, in quo quilibet Frater Minor de ſeipſo primum debet triumphare, clauem Regni Paradiſi adipiſcitur, qua claue ex ſe ſibi aperit Paradiſi oſtium, ex ſe ingreſſum præbet iuxta *pactum fœderis æterni*. Hoc autem pactum rediens ad caput octo Beatitudinum, & vſque ad ſeipſum veniens in *altiſſima Minorum Paupertatis* beatitudine inuenitur per *vitæ librum*. *Mitibus* ſe præbet per tutam *ſalutis ſpem*. *Lugentibus per arrham gloriæ. Mundis corde per Euangelij medullã. Eſurientibus, & ſitientibus iuſtitiam per Crucis viam. Miſericordibus per perfectionis ſtatum. Pacificis per Paradiſi clauem. Patientibus* per ſeipſum *fœderis æterni pactum*.

Clauis paradiſi. Pactum fœderis æterni per duplicem pacem.

In quo vera pax cõſiſtat.

Peroratio authoris omnia reducentis ad vltimam prærogatiuam.

Pręnumeratas hic prępogatiuas reſcripſimus ex Vadingo ſuperius ad finẽ quintæ prærogatiuæ ſectionis antecedentis. Piſanus lib.1.fruct.9. pro ſecunda parte refert eas, & qua intentione, ac propoſito ipſas loquutus ſit Euangelicus Legiſlator. Ponamus eius verba. Sed qualis ſit Regula, inquit, Fratrum Minorum, ipſe B. Franciſcus declarat, dicendo. *Ipſam eſſe librum vitæ. Spem ſalutis. Arrham gloriæ. Medullam Euangelij. Viam Crucis. Statum perfectionis. Clauem Paradiſi. Pactum æterni fœderis.* Obſeruantiam ipſius *dicebat eſſe obſeruantiam Sancti Euangelij*. Quare volebat hanc ab omnibus ſciri, & ab omnibus haberi. *In collocutionibus volebat Fratres contra tædium de ipſa conferre ſæpè, & in memoriam præſtiti iuramenti cum interiori homine de ipſa ſæpius confabulari.* Docuit ipſam præ oculis ſemper portari in commonitionem, & memoriam vitæ agen-

agendæ, & debitæ obseruantiæ regularis. Et quod plus est, *voluit, & docuit Fratres cum ea mori debere*.

Vbi hæc loquutus est Franciscus pro suæ Regulæ prærogatiuis, siue à principio eam sibi reuelatam ab Altissimo contestans, siue postea ipsemet, eodem Altissimo afflante, publicans, commendansque, *In medio Ecclesiæ aperuit os eius*, Psalm. 18. Nam eius os idem Altissimus effecerat. Quare haud mirum si, vt cunctæ legis Minorum prærogatiuæ magis, ac magis eminerent, talem huius legis scripturam, qualia excellentiæ legis Euãgelicæ Euangelistarum scripta reddiderunt. De his scriptis ait Interpres noster serm.1.de Euangelistis super cit. Textum, *In medio Ecclesiæ, &c. Dicit ergo*, inquit, *in medio, quod autem est in medio, ab omnibus videtur, & auditur. Ergo Euangelista os in medio aperuerunt, quia Euangelistarum scripta præ cæteris ab omnibus recipi meruerunt, &c.* Ita pariter & scriptura formæ legis Euangelicæ, in lege Minorum contentę à toto Mundo recipi meruit. *Ipse Altissimus reuelauit mihi, quod deberem viuere secundum formam Sancti Euangelij, &c.*

Scripta euãgelica ab omnibus recipienda.

Pariter & Regula Minorum.

Sequens Tractatus omnem vitam, & gesta præcipua Euangelici Legislatoris Francisci vsque ad annum 1223. in quo primam Minorum lex in secunda per compendium redacta est, complectens, in cunctis ferè, vt vir primitiuus, & nouus homo ille Seraphicus apparebit. Vt sic exinde inferri possit, iure meritò missum esse à Christo, terque ipsi ab eo mandatũ esset ore suo proprio, vt iret, & Domũ suam collabentem triformiter repararet.

SANCTE FRANCISCE, RESERA TE NOBIS, ET NOS RECREA.



TRA-

TRACTATVS IV.

SANCTVS PATER FRANCISCVS.

Ter Legislator Euangelicus, ac Triformis Legis Euangelicæ, ac Religionis Christianæ Reparator.

In vita ante ortum, & post ortum, in morte, & post mortem Fermè in cunctis Primitiuus, ac nouus.

CVIVS VITA QVADRIFORMIS.

Sæcularis mensibus nouem. Christiana ann. 25. Eremitica ann. 2. Religiosa ann. 18.

Ab anno 1181. in quo conceptus, & natus, ad annum 1226. in quo in Cęlum translatus.

QVOD TEMPORIS INTERVALLVM

Octo Romanos Pontifices, in Ecclesiastica Republica Summos complectitur,

Nimirum

Alexandr.III. Lucium III. Vrbanum III. Gregor. VIII Clementem III. Innocentium III. Honorium III. Gregorium IX.

Nouem verò Imperatores, in sæculari Republica Principes. Quinque Occidentales apud Latinos.

Federicum I. Ænobarbum. Henricum IV. Philippum. Othonem IV. Federicum II.

Nouem autem Orientales ad Græcos.

Alexium Connenum. Andronicum Connenum. Isaacium Angelum. Alexium Angelũ. Balduinũ Belgam. Henricum. Petrum. Robertum. Balduinum II. Latinorum vltimum.

In vtraq; hac Republica, his Proceribus tũc successiuè subiecta, Orientalis, Occidentalisque Ecclesia tanto Legislatore, ac Reparatore, Triformiter nouo, ne in interitum iret, extremè indigebat.

LIBER VIII.

Sanctus Pater, ac Patriarcha Franciscus. Italus. Vmber. Assisias.

Ante ortum, exitumque è Matris suæ Picæ vtero ad maxima illa primitiua, ac noua ab Authore naturæ, & gratiæ ordinatus fuit, quem tam nouo Legislatori, nouoque Euangelij, & Ecclesiæ Romanæ Reparatori, in omnium Redemptorem omni similitudine, puro homini possibili, interius, exteriusque nouiter transformando, æqua, ac congrua videbantur.

Textus Seraphici Historici.

Franciscus igitur, seruus, & amicus Altissimi, Ordinis Minorum Fratrum Institutor, & Dux. Paupertatis Professor. Pœnitentiæ forma. Veritatis Præco. Sanctitatis Speculum. *Et totius Euangelicæ perfectionis exemplar.* Superna preuentus gratia, ordinato progressu ab infimis peruenit ad summa. Hunc virum mirabilem, vtpotè Paupertate prædiuitem. Humilitate sublimem. Mortificatione viuidum. Simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem, &c.

Franc. totius Euangelicæ perfectionis exemplar.

Cap. 15. Legendæ S. Franc. de Canonizatione, & translatione ipsius.

DVM hæc audis *ore Bonauent.* & veluti cuncta in Francisco primitiua, ac noua admiraris, velim audias quoque, ad mirerisq; ipsũ Franciscum *benedicta* Episcopi sui, & Interpretis nostri *Lingua* sic dilectum suum cum Sponsa Cant. 7. alloquentem. *Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi.* Explicat enim dulce epitalamium Interpres in hunc modum in serm. Dom. 21. post Trinit. Dicitur in naturalibus, quod in Indiæ partibus sunt quidam Populi, *qui nulla indigent esca, sed tantum viuunt odore pomorum siluestrium.* Longiusque pergentes, eadem poma in præsidio deferunt, vt eorum olfactu alantur. *Odor pomorum vita animæ est. Poma sunt Incarnatio, & Passio Iesu Christi,* de quibus Cãt. 7 Poma noua, & vetera, &c. *Poma noua* ex Virgine filii Dei Natiuitas, & Paupertas. Nouæ Stellæ missio. Miraculorum operatio. *Poma vetera* fuerunt sputa, alapæ, acetum, Claui, & Lancea, *quæ nos ab antiqua vetustate spoliauerunt.* Quia vetus homo noster crucifixus est cum eo. Qui ergo vult viuere, odore istorum pomorũ viuat, & in suæ peregrinationis exilio, ne in vita deficiat, ista poma secum deferat, vt eorum olfactu alatur. Hæc ibi Interpres, in quo animaduertendum, quod cum omnia prædicta nouem poma noua prorsus fuerint in Christo, in cunctis nouo, & qui omnia noua in seipso potissimum fecit, iuxta illud *Nouum fecit Dominus super terram, mulier circumdabit virum;* quæ modo nuncupat vetera Interpres, non prout in se fuerunt, ita ea nuncupat, sed prout *nos ab antiqua vetustate spoliauerunt,* & in noua Ecclesia nos pariter nouos, iam antea in veteri Adam sepultos reddiderunt. Dum hæc poma cuncta noua in se reapse extitere, fuerunt quoque & primitiua. Quod modo nouũ appellamus in Francisco, ita appellamus sicut eum appellauit Bonauentura, nouo Stigmatum prodigio adiunctum, sic dicens in Legenda Minori in festo Stigm. *Igitur nouus homo Franciscus, nouo, & stupendo*

Odore pomorum alũtur in India quidam populi.

Poma noua in Christo quatuor, vetera quinq;

Omnia tamẽ in ipso in se noua, nõ autem respectu nostri.

pendo miraculo claruit, retroactis sæculis non concesso. Vult dicere, ita fuit nouus homo in Ecclesia reparanda inter puras creaturas Franciscus, sicut nouum fuit in ipso Sacrorum Stigmatum miraculum. Ac per consequens non secus ac illud miraculum, quod retroactis sæculis nulli alio, qui Franciscum in hoc antecesserit Dei gratia concesserat; nouus fuit Franciscus, prout nouus adhuc est in Sanctorum cœtu.

Ita nouus Franc. sicut nouum in ipso stigmatũ miraculum.

Et aduertendum quoque, quod Seraphicus Doctor cum nouo esse Francisci, ac nouitate priuilegii, illi soli concesso, addit pariter stuporem, atque claritatem miraculi, illis verbis, *Nouo, & stupendo miraculo claruit*. Tria hæc in vna re, scilicet nouitas, stupor, claritas, discrimen habent. Sed ibi meritò simul coniunxit Bonauentura; nam sæpenumero non solum quod insolitum est, ac mirum, nouũ nuncupare solemus, verum etiam, quod primò clarere incipit. Virgil. 3. Ecl.

Pollio & ipse fecit noua carmina.

Idẽ. *Quis furor iste nouus?*

Noui quoque homines dicuntur, qui per seipsos clari esse incipiunt, & Magistratus in Ciuitate assequi Cic. Fab. lib. 5. Ep. *Adeptus es, quod non multi homines noui*.

Nouus, primitius, & primitiuus idem sunt.

Quomodo autem noua simul, ac primitiua sub acceptione, de qua nunc scribimus, eadem sint, sciendum, primitias, primitium, ac primitiuum apud Latinos Interpretes ita distingui. *Primitiæ*, aiunt, sunt primi fructus, ex agro percepti, qui Deo offeruntur. Prisci enim Romani (teste Plinio lib. 18. cap. 2.) non gustabant vina, aut nouas fruges priusquam Sacerdotes primitias libassent.

Primitiæ quæ, & quot modis.

1 *Primitiæ vitis resecare*, idest prima flagella, habes apud Columel. lib. 4. cap. 10.

2 *Primitias operum* habes apud Statium 4. Theb.

Tu bellis, tu pace ferens de more frequẽtes Primitias operum.

3 *Primitias armorum* habes quoq; apud eundem 11. Theb. apud quem etiãhabes,

4 *Primitias lachrymarum*, 6. Theb. 5.

Primitius, a, um, quod in aliqua re primum est, denotat. Ouid. 12. Metam. *Primitium torrem*.

Primitiuus, ua, uum, illud declinant Latini, quod aliunde non habet originem. Vnde *primitiua verba* ea dicuntur, quæ per se inuenta sunt, & non aliunde deriuata.

Igitur quidquid nouum, primitium, & primitiuum sub eadem significatione in Legislatore Euangelico, ac Reparatore Ecclesię nunc dicimus, ab eo singulare in ipso facimus, vt non aliunde principaliter deriuatum dicamus, nisi à Christo, à B. Virgine, ab Apostolis. Ita vt quæ in Ecclesia, vt redempta, ceu insolita, inaudita, & noua nũc excogitamus in Francisco, siue Minorũ Ecclesiã, triformiter vnã fundante, siue Ecclesiam Romanam reparante, illis pro exemplaribus Christũ, B. Virginem, & Apostolos constituimus. Sed in Ecclesia, vt reparanda, ipsum Franciscum ita nouum, primitium, & primitiuum efficimus, vt ipsum solum omnium exemplar asseramus. Exemplum, & exemplar nonnunquam confunduntur à Latinis. Festus tamen distinguit *Exemplar* ab exemplo; vt exemplum sit illud, quod nobis proponimus, vt sequamur, aut vitemus. Exemplar ex quo simile faciamus.

In Ecclesia vt reparãda nouus, & primitiuus solus Franc.

Franciscus quod sibi proposuit, vt exẽplum principale, ad ipsum sequendum, fuit Christus, qui & ipsi extitit exemplar, ex quo adeò simillimũ actibus suis in se efformauit Christum, vt meritò Pisanus librum suum peregregium Conformitatum composuerit, quem principio in arboris formam suis imaginibus hinc inde disterminatum præsentauit, vt fatetur ad finem prologi primi; atque vt talem efformari posse, docet in secundo prologo. Quos in ipso arbore distribuit ramos, sunt vtrinque 10. omnesque simul 20. Quos distribuit fructus sunt quoque vtrinque pares, nam destrorsum sunt 40. sinistrorsum totidem, quatuor per singulos ramos, vt compleant numerum 80. Quas denique pari numero distribuit Conformitates sunt 40. ex vtroque latere 20. Radix in hoc arbore vna. Trunci. vnde exeunt rami ex eodem stipite decem. Partium omnium inscriptiones ita seorsim rudi epigraphen sub hoc titulo adduci possunt.

Christus, in cunctis primitiuus exẽplum, & exẽplar Franc.

Liber cõformitatum Pisani ad instar Arboris

EXEMPLUM ARBORIS CONFORMITATUM B.Bartholomei Pisani, pro Francisco, cum Christo suo, atque in Christo suo intimè primitiuo.

Conformitates xx.

Rami x. Fruc.xl.

Iesus mittens Apostolos.
Franciscus vir iuuatur.
Iesus transcendens Angelos.
Franciscus sublimatur.

Iesus genus eripitur.
Franciscus constipatur.
Iesus corpus intruditur.
Franciscus tumulatur.

Iesus cum suis comedens.
Franciscus æmulatur.
Iesus deuotos imbuens.
Franciscus fabulatur.

Iesus vita spectabilis.
Franciscus operatur.
Iesus candor signabilis.
Franciscus indagator.

Iesu Dæmon expellitur.
Franciscus effugatur.
Iesu aqua conuertitur.
Franciscus commutator.

Iesus submissus omnibus.
Franciscus minoratur.
Iesus Propheta lucidus.
Franciscus radiatur.

Iesus signis mirificus.
Franciscus diuulgatur.
Iesus Pastor sollicitus.
Franciscus animatur.

Iesus Legem dat populis.
Franciscus regulator.
Iesus Doctor mirabilis.
Franciscus Prædicator.

Iesus paruus insequitur.
Franciscus agitatur.
Iesus abiectus cernitur.
Franciscus separatur.

Iesus Prophetis cognitus.
Franciscus declaratur.
Iesus emissus cælitus.
Franciscus destinatur.

Conformitates xx.

Rami x. Fruc.xl.

Iesus saluans mœstissimos.
Francisco mors fugatur.
Iesus ditans dignissimos.
Francisco cuncta dantur.

Iesu decor attenditur.
Franciscus venustatur.
Iesus Ductor suscipitur.
Franciscus euocatur.

Iesus Crucem suscipiens.
Franciscus consignatur.
Iesus vita deficiens.
Franciscus euocatur.

Iesus Rex venerabilis.
Franciscus excitator.
Iesus Dux formidabilis.
Franciscus detestator.

Iesus orans inspicitur.
Franciscus exorator.
Iesu turba reficitur.
Franciscus ministrator.

Iesus vacans laboribus.
Franciscus imitator.
Iesus pacem dat fructibus.
Franciscus solidatur.

Iesus stola clarificus.
Franciscus subleuatur.
Iesus inops, & modicus.
Franciscus fœderatur.

Iesus mandans Discipulis.
Franciscus destinatur.
Iesus loquens humillimis.
Franciscus reseratur.

Iesus Hosti exponitur.
Franciscus molestatur.
Iesum cœtus persequitur.
Franciscus fecundatur.

Iesus lætè progenitus.
Franciscus vir lætatur.
Iesus Magis exhibitus.
Franciscus amplexatur.

Franciscus sequens dogmata
Supremi Creatoris,

Tibi impressa sunt Stigmata
Christi Saluatoris.

Ita ipse Auctor coformitatum designat hanc arborem in prologis 1. & 2. operis sui.

Dabo quam citius seorsim, si superis placuerit, hanc arborem ære incisam.

In hac arbore Christus Iesus se habet Francisco suo, Minorum, Clarissarũ, Tertiariorumque institutori, ac Legislatori, necnon & Ecclesiæ suæ Reparatori, veluti supremum exemplar, nouum prorsus; velutiq; eminens Regula vndiq; primitiua, eo modo, quo docet Interpres noster in serm. 2. de Transfiguratione Domini ex D. Gregorio, ita scribens. Ex hac ergo auctoritate Gregorii colligitur, quod actus nostri sunt Patrum præcedentium vita, & operibus regulandi, si errare nolumus.

Prima regula actuũ nostrorũ Deus.

Verum quia & illi ab alia inobliquabili Regula fuerunt directi, scilicet Dei, idcirco si quis vellet perfectè in suis operibus regulari, primam Regulam deberet inspicere. Hæc autem prima Regula Deus est, Exod. 25. *Respice, & fac tibi secundum exemplar, quod tibi in Monte monstratum est*. Hæc Interpres, loquens de quolibet viro sancto in genere, tacitè verò de Franc. in specie. Franciscus quippe respiciens in actibus, & operibus suis Patrum, & Patriarcharum præcedentium vtriusque Testamenti vitam, & gesta, non solum impigrè studuit, seipsum illis regulare, verum etiam illorum exemplis sistere noluit, quin animosior, ac magnanimior vlterius progrederetur ad eum perfectionis apicem, in quo constituens pro sua Regula Deum, in ipsum totaliter transformari totis viribus, nihil ad id intentatum relinquens, incubuit. Sic in tali Regula, summa, prima, semper noua habens pro exemplari Christum, ipse exemplar effectus est in Ecclesia veluti nouus homo cum Christo, & cum ipso, & in ipso primitiuus, in Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum imitatione minimè acquiescens, sed in illam perueniens, qua ferè primus esset, nec haberet sequētē, cunctis posteris factus exēplar, iā supra cunctos exēplari Christo cōformatus. Hāc veritatem voluit patefacere Seraphicus Historicus in præfatis verbis textualibus, in quibus meritò nuncupat Franciscum *Totius Euangelicæ perfectionis exemplar*.

Sub hac Regula Franc. exemplar effectus.

Vnde habemus, quod in Francisco omnia poma, noua, & vetera, de quibus supra, fuerunt primitiua, ac recentia, quia Christi *Natiuitas*, ad quam ordinata illius conceptio, Natiuitati Francisci, ad id modo quodam peculiari concepti, antiqua trophæa nouiter explicauit. Eius *Paupertas* altissima euasit, habens Altissimum Deum pro Regula, ad quam voto, ac præceptis astrictum quempiam alium peruenisse, non possumus compertè asserere. *Noua Stellæ missio*, ad reperiendum in stabulo cum Ecclesiæ Reparatore omnium Redemptorē, in Francisco (qui vt noua stella missus est, teste Bonauent. in prologo, & vt talis post obitum in Cælum euectus, teste eodem cap. 14.) penè renouata est, sed sub nubecula peregrini egeni, Angeli scilicet Domini, qui nunciaret Francisci Matri, in partus doloribus valde commoranti, vitamque periclitanti, puerum suum haud in palatio, sed in præsepio parturiendum. *Miraculorum operatio* in Francisco, Christum imitatione, ac prædicatione circumferente, nouo vtique Diuinæ Omnipotentiæ miraculo, in signis, & prodigiis mirabili, vt canit Ecclesia Seraphica, iterum per claruit in Orbe sicut Christi, & Apostolorum tempore.

Poma noua, & vetera Christi quo modo in Franc. omnia primitiua.

Franc. seu stella in ortu, & in obitu.

Item poma Christi vetera, non in se (quia in se noua, peregrina, & primitiua) sed aliunde, vt diximus, etsi non effectu in Francisco, in affectu tamen, ac desiderio adeo profectò noua extiterunt, in humilitate adeo peregrina, in austeritate vitæ adeo peculiaria, & in sui ipsius annihilatione adeo nondum à sæculo audita, vt propterea anima, & corpore in illum visibiliter, ac sensibiliter transformari meruerit, qui etsi in ipso seipsum sicut interius ita quoque exterius sputis conspurcatum, alapis percussum, aceto potatum, tamen clauis, & lancea confossum, ac quinque vulneribus perforatum vtroque modo. Sic per Franciscum noua faciens omnia, à vetustate scelerũ, in qua Ecclesia penè corruerat, liberauit humanum genus, eum reparando, ac restaurando. Sine odore horum pomorum, nouorum, & veterum, & tam in nouis pomis, quam in veteribus nouo, ac primo nec poterat Mundus redemptione per Christum, nec poterat Ecclesia reparatione per Franciscum viuificari.

Noua eius in Christum passum transformatio.

CAPVT

CAPVT I.

Franciscus intra pia Matris suæ viscera conceptus. Et primus conceptus, qui primus fermè in cunctis existens, ipse solum primitus eligeretur, vt terna Legislatione Christi Legem, & Ecclesiam triformiter repararet. Primusq; esset Saluatori Mundi anima, & corpore simillimus.

QVos enumerat fructus spiritus Apostolus veluti egregia primitiua in horto Ecclesiæ, numero includit duodenario, & eodemmet ordine, quo postillariter sic explicat Interpres noster in serm. Dom. 14. post Trinit. *Fructus autem spiritus*

Duodecim fructus spiritus.

1 *Charitas*, quam Augustinus vocat votum ad perfruendum Deum propter ipsum,& se proximum propter Deum.

2 *Gaudium*, idest puritas conscientiæ.

3 *Pax*, quæ est tranquillitas,& libertas, à pacto dicta.

4 *Patientia*, quæ tribus modis exercetur. Quædam enim sustinemus à Deo, vt flagella. Quædam ab aduersario, vt tentamenta. Quædam à proximo,vt persecutiones,damna, contumelias. Contra quos omnes modos vigilare debemus,ne ad excessum murmurationis contra flagella opificis proruamur. Ne ad consensum delicti seducamur. Ne ad mali perturbationem protrahamur. Ne hoc agentes retribui nobis præsentia bona requiramus.

Patientia tribus modis exercẽda

5 *Longanimitas* spectationis.

6 *Bonitas*, idest dulcedo animi.

7 *Benignitas*,idest largitas rerum. *Benignus*, quia ad faciendum benè est positus. Vel *bene ignitus* est dictus.

Benignus vnde dictus,

8 *Mansuetudo* etiam nulli iniuriam irrogat. *Mansuetus dictus manu assuetus.*

Et vnde mãsuetus.

9 *Fides*, qua veraciter credimus illud, quod nequaquam videre valemus.

10 *Modestia*, quæ mensuram in dictis, vel factis seruat.

11 *Continentia*, quæ ab illicitis abstinet.

12 *Castitas*, quæ rectè vtitur licito.

Anima profert hos fructus,& comedit.

Hi sũt duodecim fructus spiritus Apostolici iuxta Interpretis nostri elucidationem. Primitiæ, primitia, ac primitiua operum, rerumque spiritualium eò in propria,atque genuina bonitate optima profectò erunt, quò ex illa procedunt planta, ex qua iidem fructus generantur, atqui ab illà comeduntur anima, in qua suus ipsemet spiritus tales fructus protulit, profertque in dies. Hinc idem Interpres his paucis verbis concludit suam paraphrasim. *Beata arbor, quæ tales fructus parturit. Beata anima illa, quæ eos comedit, &c.* Beatus ergo summus Patens Franciscus ad hoc conceptus, natus, educatus, sæculatis, regularis, viuus, defunctus, vt in cunctis hisce fructibus primitiuus esset, ac nouus. Ipse namque semper vt singulariter nouus, & primus *Charitatis* voto summè flagrauit. *Gaudio* puritatis conscientiæ summè hilaris extitit.*Pace* tranquillitatis, ac libertatis Apostolicè summè excelluit. *Patientia* triformi meruit ipse solus fieri triplex Legislator,necnon & triformis Ecclesiæ Reparator. *Longanimitate* spectationis virtute Constantiæ eminuit ad miraculum. *Bonitate* per animi dulcedinem belluina pectora singulariter cicurauit. *Benignitate* ad benefaciendum toti Christianæ Reipublicæ ipse solus inuentus est primus,qui ter eã à totali excidio erueret. *Mansuetudine* Christum ipsum mansuetorum Principem in se nouiter circumtulit. *Fide* operibus Apostolicis formata, fidei Catholicæ ipse prius ternã reparationẽ præstitit. *Modestia*, sei-psũ mensurans omnis modestiæ mensura, sine qua vita Apostolica caret anima,toti Mundo orthodoxo euasit. *Continentia* circa illicita ipsa cælestia in admirationem traxit etiam in vita sæculari, etsi in vanitatibus nutritus, & ad mercaturæ exercitia immersus, vt infra demonstrabitur. *Castitate* virginali Liliorum, Rosarumque odore Ecclesiæ hortum præcipua diffusione repleuit.

In hisce 12. fructus semper primitiuus Franc.

Modestia vitæ apostolicæ anima est.

Prisci Scriptores, tum sacri, tum prophani, vitæ hominis tempora, quas nuncupant ætates, diuersimodè partiti sunt. Communiter tamen numero septenario eas ferè cuncti (nonnullis tantum exceptis) & etiam Interpres noster,qui numerum septenarium ad totam vitam hominis refert, concluserunt. Sequuti in hoc Platonem, quem citat Hieronym. lib:7. contra Pelagium. Quare cum Aetas generale nomen sit, vnde & sex Mundi ætates, de quibus Biblici Interpretes, nihilominus humanam vitam iuxta septem, quos percurrit gradus,septiformem constituunt Platonici, cui prior forma *Infantia*. Secunda *Pueritia*. Tertia *Adolescentia*. Quarta *Iuuentus*. Quinta *Virilitas*. Sexta *Senectus*. Septima *Decrepitas*.Infantię tribuunt annos 7. Pueritiæ 14. Adolescentiæ

Vitæ humanæ periodi, siue ætates.

Platonici in septem diuidunt.

tiæ 22. Iuuentuti 35. Virilitati 42. Senectuti 67. Decrepitati reliquum vitæ. Sic vita humana anno ætatis 8. terminat infantiam, & incipit pueritiam. Anno 15. terminat pueritiam, & incipit adolescentiam. Anno 23. terminat adolescentiam, & incipit iuuentutem. Anno 36. terminat iuuentutem, & incipit virilitatem. Anno 43. terminat virilitatem, & incipit senectutem. Anno demum 68. terminat senectutem, & incipit decrepitatem, quæ ipsimet vitæ terminus est, & finis. Iuxta hasce periodos Homo anno ætatis suæ 8. nō est amplius infās, sed exordio puer. Anno 15. nō est amplius puer, sed adolescēs. Anno 23. non est amplius adolescens, sed iuuenis. Anno 36. non est amplius iuuenis, sed vir. Anno 43. non est amplius vir, sed senex. Anno denique 68. non est amplius senex, sed decrepitus.

Pulcra declaratio.

Varro quinque ætatis gradus in vita humana æqualiter partitur, & vnicuique, præterquam extremæ, annos 15. attribuit. Quare apud ipsum, qui annos 15. attigerit, puer est. Qui 30. adolescens. Qui 45. senior. Qui vlterius inde progreditur vsq; ad finem vitæ, omninò senex erit.

Galenus in quatuor.

Galenus ætates quatuor solummodo in proposito memorat, videlicet iuuenum, vigentium, mediorum, & senium.

Aulus Gell. ad tres.

Aulus Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 28. ad numerum ternarium hasce ætates reduci demonstrat. *Tibero*, ait, *lib. 1. Histor. scribit Seruium Tullium Regem pueros existimasse, qui minores essent annis 17. atque inde milites scripsisse, eosque ad annum 46. iuniores, & supra illos seniores appellarit.*

Pythag. in quatuor iuxta 4. anni tēpora.

Pythagoras referens, conformansque ad quatuor anni tempora, quæ sunt Ver, Aestas, Autumnus, Hiems, humanam vitam, eam quadriformem effecit, diuidens ipsam in quatuor ætates, nimirum in Pueritiam, Adolescentiam, Virilitatem, Senectutem. Tribuens vnicuique annos viginti. Homo apud ipsum annum 20. attingens, puer est. Annum deinde 40. est adolescens. Annum 60. est vir. Annum 80. est senex.

D. Gregor. in quinque tandem diuidit.

Partitio D. Gregorii Papæ lib. 11. Moral. cap. 25. receptissima est; habet namque dignum certè cum apposita declaratione quinarium. Incipiensque ab infantia, ad senectutem postremum gradum claudit. Hominis ætas, inquit, *Infantia* est, cum etsi innocenter viuat, nescit tamen suam innocentiam, quam habet. Sequitur *Pueritia*, in qua non valet dicere, quod vult. Succedit huic *Adolescentia*, quæ prima est ætas in operatione, quam sequitur *Iuuentus*, scilicet apta fortitudini: & postmodum *Senectus* etiam per tempus congrua maturitati. Hæc Gregorius iuxta naturalem Philosophiam.

Esse humanæ vitæ in conceptione in ventre matris incipit.

Certum est vitam, hominis principium habere in ventre Matris suæ, in quo incipit esse, ac viuere per conceptionē, quando fœtus anima rationali informatur. Eius mansio ibi, antequam hanc lucem aspiceret, nouem menses ordinario cursu amplectitur. Salomonem autem eò commoraſſe decem menses, fatetur ipsemet cap. 7. Sapientiæ, cuius sententiam cap. sequenti rescribemus. Vbi Liranus noster. *Aliqui pueri nascuntur in mense septimo, & aliqui in nono, & aliqui in decimo, & isti sunt magis vitales, de quibus fuit Salomon.* Glosa autem ordinaria applicans ad Christum, misticum Salomonem, ita ait. Decimo verò mense post conceptionem natiuitatis ipsius à Christianis celebratur, & ab oct. Cal. Aprilis, quo conceptus creditur, vsque ad oct. Cal. Ianuarii, quā do natus creditur, vel traditur, 276. dies numerantur, idest nouem menses, & sex dies. Itaque sententia Euangelica, quæ 40. & 6. annis templum corporis sui ædificatum, à Iudæis prædixit esse soluendū, per senarii multiplicationem perfectionem Incarnationis ostendit. Quia 276. quadragies sex senarium habent. Vnde patet, quia sicut perfectus Deus, ita & perfectus Homo est Iesus Christus. Hęc Gloss.

Salomon in ventre matris decem mensibus cō morauit.

Christus vero 9. & dieb. 6. nascens 10 mense à cōceptione.

In hoc 4. tractatu, ac libro 10. agendum de omnibus primitiuis Legislatoris nostri Francisci tam in tota eius vita, siue intra, siue extra vterum, siue sæculari, siue regulari; & hæc eius vita in suos periodos partienda antequā ad alia eius primitiua in morte, & post mortem deueniatur. Hinc operæ pretium duxi ab eius conceptione in vtero matris suæ incipere, cuius vita adhuc ibi, vbi exordia recepit, clausa primum gradum faciens, menses suos percurrit. Quos si addas vitæ ipsius, extra vterum annos 45. complentis, ad initia senectutis solummodo peruenisse, ex prima sententia Platonicorū liquet. Sic in eius modico septiformi relicta medietate senectutis, & inclusis mensibus nouem, quos expleuit in matris vtero, aliam periodos septē sub nomine septem dierum eam excurrisse reperimus.

A conceptione placet autori Franc. vitam incipere.

Modicum, & iam non videbitis me, &c. dixit Iesus discipulis suis Ioann. 16. post quam resurrectionem. Nota (subdit Interpres serm. Dom. 3. post Pascha) quod hic septies ponitur *modicum*, ad significandum, quod vita nostra, quæ circumuoluitur *septem diebus*, est modica. Vnde Iacob 4. *Vita nostra vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Hæc ibi Interpres, qui septiformi, siue septemplici

Franc. vita modicum septiforme.

plici modico (ore Christi suis pronunciato, & in sua quoque apostolica vita à Iacobo Apostolo incluso) dum hanc eãdem viam addit, nihil aliud exprimere etiam præter sensum literalem misticè intendit, nisi virtutem illam Apostolicã, quæ in sua modicitate sub numero septenario tum Apostolicam perfectionem, tum vniuersam cæterarum virtutum amplitudinem ita perstringit, sicut vtramq; solidè, ac durabiliter fundat, sustinet, custodit. Hæc est humilitatis virtus, ob quã modicus effectus Franciscus, & plus quam modicus, imò nihilum animo circa res suas, se in ipsam in septiformi gratia Spiritus Sancti meruit humilitatem transformare, factus triformiter Legislator, tripliciter Ecclesiæ Reparator. Meruit inquã septiformiter fieri Apostolus, septiformiterque euadere Seraphicus, septiformiter Christo conformari. Hæc in ipso vitæ humilis, Apostolicæ, Seraphicę, Christiferæ septiformitas in conceptione radicaliter incepit quantũ ad esse naturę. Super hoc esse deinde idoneo tempore Dei gratia sua miracula, atque primitiua admirandum in modum coaduhauit, peregrinamque omnium penè mirabilium suorum, quæ suo Reparatori ab æterno destinauerat, erexit molem.

Hæc in ipso modici septiformitas quadruplex.

SECTIO I.

Corpusculi Francisci in vtero Matris suæ Dominæ Picæ conceptio, ac configuratio naturalis, ab Authore naturæ præcipuis inspectionibus, atque influxibus, in ordine ad futuram, gratuitamque illius conceptionem, ac configurationem, nouiter efformata est.

Mens x. moratus est Salomom in ventre Matris.

IN *ventre Matris meæ figuratus sum caro;* & decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conueniente, &c. Sap. 7. Ex Interpretis nostri doctrina circa corpusculi fœtus masculini efformationem omnimodam, conceptumq; carnis perfectum in matris vtero habemus situm, modum existendi, configurationẽ, membrorumque nomina, ac distinctionẽ, & his similia, cunctaque per suas temporis periodos à quadragesimo die, quando incepit motus. Nam alter sexus, scilicet fœmina nonagesima prima die palpitat. Scribit ipse hæc omnia tam philosophicè, quam misticè in serm. 2. Dom. 3. post Pascha, ibique mulieris, prægnantis tum maris, tum fœminæ, conditiones affert, ac proprietates, hasque tum naturaliter ex parte corporis grauescentis, tum moraliter ex parte animæ, cuius aluum Spiritus Sanctus impregnat, suis hinc inde paralellis explicat. Inquiens itaque Franciscus cum Salomone, Rege Ierusalem, & cum Christo mistico Salomone, vtriusque similitudinem in multis exprimens, *In ventre matris figuratus sum caro,* integrã sui corpusculi conceptionem indigitat ante animæ creationem, & infusionem, quæ in vltimo instanti totalis organizationis carnis contigit. Hanc tamen figurationem ita describit Episcopus suus, & Interpres noster loco citato. *Et omnia membra recipiunt prius terminos, & signa, deinde colores, duritiem, & mollitiem subtiliter. Quoniam signator prius signat, deinde ponit colores super illa signa, quousque compleat opus suum.*

Cõfiguratio carnis concepti fœtus in vtero matris

Mater S. Francisci erat mulier nobilis, Assisias, etsi ignotæ sobolis, seu genealogiæ, cui nomen *Domina Pica*. Pica Latinè, & Italicè etiam apud nonnullos (nam apud alios *Gazza*) quamuis fœmininum videatur à *picus Pica*, longè tamen diuersæ significationis est. *Picus* auis est exigua aduncis vnguibus, Marti sacra, vnde & Martium cognominauerunt. Romani veteres vocabant, quos Græci Gryphas, belluas quadrupedes, auritasq; visu, & forma terribiles, corpore Leonino, rostro, alis, pedibus Aquilis similes. Habitare in Hiperboreis Montibus in Africa Scythica feruntur, vbi aurum nasci perhibetur. Plaut. Aul. *Picos diuitijs, qui aureos montes colunt, ego solus scripsero.* Plinius tamen lib. 10. cap. 40. fabulosa existimat, quæcumque de Gryphibus commemorantur. Fuit & *Picus* Rex Latinorum, Fauni Pater, Latini Regis Auus, auguriorum peritissimus, ob id ita nuncupatus, quoniam primus hac aue vsus est in auspiciis. Ouid. 13. Metam.

Nomen matris B. Frãc. Pica.

Discrepat Pica à Picu, qui Martis auis est, & aliquando Griphus.

Pica verò auis est à Pico admodum discriminatissima, magnitudo Columbæ. Alis vario colore, & præsertim cæruleo colore depictis, humana imitans verba. Martial. lib. 24.

Pica auis nota, cuius genus duplex.

Pica loquax, certa Dominũ te voce saluto.
Si me non videas, esse negabis auem.

In has aues fabulantur Poetæ mutatas esse Pieridas, scilicet nouem Musas, indeque illis pristinam loquacitatem, humanæque linguæ studium remansisse. Ouid. 6. Metam. Est & alterum Picæ genus, quod Plinius testatur sua ætate ab

In Picas mutatæ Pierides.

Appen-

Pica Franc. mater dupliciter concipiens.

Appennino Romam versus cerni cæpisse, longa insigne cauda, & à Romanis variã appellatam fuisse. Quomodo autem hęc per analogiam referri possint ad Dominam Picam circa conceptum suum, de quo nunc scribimus, inferius dicemus in textu 4. Grauescens ergo Pica nostra in conceptu corpusculi D. Francisci Primogeniti, anima fortè ipsius grauida quoq; reperiebatur eo modo, quo declarat Interpres noster vbi supra. Congruum sanè videbatur, vt in gratia tunc esset Mater illa, ex qua *gratiæ filius* (sic nuncupat Franciscum Bonau. cap. 2. legendę) post nouem mensium in vtero gestationẽ, vt gratię reparationis totius Ecclesię pręcipuus esset, idoneusque mediator, nasciturus erat. Itaque vbi naturaliter delicatum, ac nobile Picæ corpus conceptu Seraphico *aggrauari incepit, effecta est super eius oculos illa obscuritas, quæ in quibusdam citò apparet post decem dies, & in quibusdam tardius. Postea contigit ei debilitas appetitus, quando embryoni, idest fœtui in vtero inceperunt pili oriri in capite*. His pariter tam egregiæ, felicisque, piissimæ, atque honestissimæ mulieris anima, spiritualiter prægnans afficiebatur, Deo eam à læthali culpa vsque ad partum forsan reseruante, ob tam peregrinum fœtum, è suis visceribus in commune totius Ecclesiæ bonum effundendum, & gratiæ nomine in baptismate, scilicet *Ioannes*, qui Præcursoris Christi similitudinem præseferret, ab ea exornandum. Declarat Interpres huiusmodi impregnationem spiritualem (quam modò animæ Picæ nostræ in actu cõcipiendi Francisci corpusculum applicamus) & ita scribit. Mulier est anima. Spiritus Sancti gratia est quasi vir, ipsam imprægnans filio benedictionis, idest proposito bonæ voluntatis, & spiritu salutaris. Vnde Isaiæ 26. *A facie tua, Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus*. Ex hac explicatione subinfert statim Interpres tres proprietates huiusmodi animæ, filium benedictionis à facie Domini, siue ab eius spiritu concipientis.

Mulieris pręgnantis affectiones.

Grauidatio spiritualis concipit bene dictionis filium.

Tres prægnantis animæ proprietates.

1 Ait. *Post eius impregnationem aggrauatur anima*, quia pro peccatis affligitur.

2 *Visus caligine hebetatur*, quia splendore tẽporalium offuscatur. Vnde Iob 3 *Obtenebrentur stellæ* (idest mundanæ gloriæ) *caligine eius*, scilicet pœnitentiæ.

3 *In impragnatione accidit debilitas, & fastidium appetitus*. Quia anima postquam gratia Dei grauidatur, fit ad malum debilis, priora vitia fastidit. Vnde Sponsa Cant. 5. *Nunciate dilecto, quia amore languco*. Homo languidus debilis est, & vitia anteacta fastidit.

Pica Franc. mater ex pietate, & honestate maximè commendata.

Ex pietate, & honestate commendant scriptores nostri Francisci Matrem, Dominam Picam. Hinc alto consilio factum est, vt pia, atque honestissima viscera (Dei gratia in anima parentis misericorditer, ac piissimè perseuerans, vt patebit ex Pisano, eam circa filii sui conceptionem meditante, quem notabimus libro sequenti ad finem sect. primæ) nouum pietatis, atque honestatis prodigium mererentur concipere. Trahens hasce cum diuini amoris quasi exordiis dotes ab iisdem visceribus deinde fœtus. Quod videtur tangere Bonau. cap. 1. de conuersione Francisci in habitu sæculari, sic dicens. *Inerat namque iuuenis Francisci præcordiis diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleuerat, vt iam Euangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maximè si diuinum allegaret amorem, &c.*

Eius grauidatio spiritualis influit in fœtũ corporeum.

Pietas hęc in præcordiis Francisci idcirco indita sibi diuinitus dicitur à Seraphico Doctore, vt aliquo pacto eã referat pietati maternæ, quæ concipiens in gratia per prædictam imprægnationem spiritualem carnalem Filium, conceptus animæ suæ, quem filium benedictionis nuncupat Interpres, supernaturalis erat, atque diuinus. Isque influens in conceptum corporeum, ex tunc in illius præcordiis miserationem, ac pietatem maternam inseruit, quæ crescens deinde ab eius infantia, signum patens fuit, quod è matris vtero secum illã traxerit, aiente Iob cap. 31. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris mea egressa est mecum*. In quibus verbis secunda propositio ita iuncta est primæ, sicut maternus vterus infantię immediatus est. Quamobrem demonstrans Bonau. quod pietas, ac miseratio, quæ in Francisci præcordiis inerat, & ab eius infantia iam secum creuerat, tacitè quoque ostendit, eam secum ab vtero piissimæ Picæ matris suæ egressã fuisse, subscribens non solum Iobi, sed axiomati illo, *Partus sequitur ventrem*.

Pietas materna in Franc. præcordiis insita.

Porrò attendamus mirandũ naturæ artificiũ in figuratione corpusculi Francisci super carnem adhuc informem, quam Græci *Embryonem* nuncupant. Est siquidẽ Embryo fœtus in vtero conceptus antequam lineamenta suæ speciei accipiat, quod ferè solet accidere circa quadragesimum secundum à conceptu diem. Ordo autem in huiusmodi formatione explicatur ab Interprete nostro loco cit.

Embryo quid apud Græcos.

in hunc modum. *Cor primum ante cætera formatur,*& membra inferiora formantur antequam exteriora. Et distinguitur prius pars superior, quæ est à pectore sursum, & est maior in respectu. Pars inferior est minor.

Ordo naturę in membris concepti fętus procreãdis.

Necessariò hoc membrum *Cor* debet creari ante alia; quoniam est principium motus, & est membrum habens magnum dominium, quia ex ipso vita procedit. Et cor positum est in loco superiori, & anteriori, eo quod nobilius est ordinatum in loco nobiliori naturaliter. *Cor* inter omnia membra interiora solum non potest pati dolorem, nec infirmitatem magnam. Et hoc certum, quia quando corrumpitur principium, in nullo adiuuat residua membra.

Cor primò formatur in embryone

Alia membra recipiunt virtutem *à Corde*. Cor autem non recipit ex eis. Hæc Interpres, qui paulo infra ita subinfert. Propter creationem ergo cordis creatur pars superior corporis. Vnde in creatione Embryonis apparent caput, & oculi. Quod verò est sub vmbilico, vt crus, & coxa, apparent valde parum; quoniam pars inferior non est, nisi propter partem superiorem: Debet ergo in corde esse principium sensuum, & omnes vires animales, & propter hoc creatur prius. Et propter calorem cordis, & exitum venarum ex eo posuit natura membrum frigidum ex opposito cordis, scilicet cerebrum. Et propter hoc creatur caput in generatione post creationem cordis.

Cur cor prius creetur.

Secundò formatur caput post cordis creationem.

Magnitudo autem capitis est maior magnitudine aliorum membrorum, quoniam cerebrum est magnum, & humidum ex prima creatione. Vnde infantes non possunt ferre caput longo tempore propter pondus cerebri. Et omnia membra, subdit Interpres, recipiunt prius &c. vt supra, vbi de configuratione supradicta in principio, & de tempore huiusmodi configurationis. Si corpusculum in marem figuretur, color melior est grauidis, & pronior parturitio vteri. Concepta fœmina gestantis vultum pallore inficit; crura quoque impedit languida tarditate. In vtroque sexu cum capilli generantur &c. Quatuor ergo iuxta hanc doctrinam principaliter concurrunt, vbi natura figurans carnem in ventre matris, fœtum, seu conceptum corporeum mirabiliter condit. Scilicet cor, caput, distinctio partium, superioris, & inferioris, quarum illa prior, postea vero hæc gignitur, & cum hac distinctione terminorum, & signorum, colorum mollitiei, ac duritiei receptio Item quarto discrimen inter generationem maris, & fęminę cum alijs ibi ab Interprete explicatis. Quæ omnia cursu dierum 40. in maribus perficiuntur.

Tertiò distinguiuitur pars superior ab inferiore

Quartò singula membra perficiũtur.

Hæc dum ipse in Dominæ Picæ aluo circa conceptum corporalem Francisci perpondo, eò consultius naturæ studium peculiare admodum super eorum efformationem, naturæ Auctore singulariter influente, coniecto, quo illorum symbola, nouiter, ac primitiuè explicata in spiritali Francisci conceptu, Dei gratia suo tempore accuratissimè patefecit. Non me fallit, dum id mihi præstat Interpres, qui ex præfata conceptione, & signatione naturali deducens mysticam ideam gratiæ Dei, in Francisco nouiter imprimenda, quæ scribit loco cit. paulo infra, conceptum conceptui conformans, seorsim subijcimus.

Textus Interpretis I.

Cor primùm inter omnia membra formatur, *tum in naturali, tum in spirituali Francisci Conceptione.*

1. IN corde *Humilitas* notatur, in quo ipsa principale eligit hospitium. Vnde Dominus Matth. 2. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Hæc inter cæteras virtutes prius debet formari, quia ipsa est forma, deformata informans. Nam ipsa est principium motus totius bonæ operationis, magnum habens dominium inter cæteras virtutes, quia Mater, & radix omnium virtutum. Vnde Eccl. 9. *melior est canis viuus Leone mortuo.* Vbi dicit Gloss. Melior est humilis publicanus superbo Phariseo, qui quanto se plus humiliauit, tanto magis exaltatus fuit. Bernardus *Quo profundius fundamentum humilitatis iacies, eo ædificium altius consurget.*

Cor in conceptione hominis spiritualis est Humilitas.

2. Humilitas cæteris virtutibus nobilior, quæ sua nobilitate ignobilia, & inhonesta humiliter sustinet, in loco superiori, idest oculis, & in anteriori idest gestu corporis principaliter debet ordinari: Vnde de humili publicano dicitur Lucæ 18. *Non audebat ad Cœlos oculos leuare.*

Humilitatis nobilitas supra alias virtutes.

3. Et sicut cor non potest pati dolorem, vel infirmitatem: sic vera Humilitas *istud non potest pati, scilicet dolere de illata iniuria, nec de alterius prosperitate infirmari*: & hoc rectum est, quia si humilitas corrumpitur, cæterarum virtutum fabrica dissipatur. Gregor. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi puluerem in ventum portat &c.*

Humilitas nec dolet, nec infirmatur.

Peregrinis proculdubio vsus est auctor na-

naturæ influentijs, vbi applicauit naturæ opus, ad effermandum primo in conceptu corpusculi Francisci cor illud, quod peregrinis quoque dispositionibus, & affectibus, gratia Dei iam fecundatum, ac supra hominem positum, sibi deinde efformare principio debebat in conceptu hominis spiritualis Humilitatis Cor. Si licet mensurare naturalem felicitatem cordis Francisci, ex quo primum esse recepit in matris suæ vtero, ex felicitate supranaturali cordis humilitatis suæ, dicere oportebit, illam prorsus vnicam, ac primitiuam extitisse. Nam de humilitate Francisci scribens Bonauentura cap. 6. *Omnium* ait *virtutum Custos, & decor Humilitas copiosa Virum Dei vbertate repleuerat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator; cum in veritate speculum esset, & splendor omnimodæ sanctitatis.* Super hanc studuit ædificare seipsum, vt sapiens Architectus fundamentum præiaciens, quod à Christo didicerat. Dicebat, propter hoc filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse, vt tam exemplo, quam verbo Dominus, & Magister Humilitatem doceret. Hæc Bonau. quorum singulas periodos aduertas, velim, lector.

Vberrima in corde Fran. Humilitas.

Cordis vbertas est, ex qua omnis vitæ, & motus principium. Animæ quoque vbertas est, qua homo ratiocinatur, sentit, vegetat. Ex hac gemina vbertate humanum opificium fit veluti quodam speculum, in quo cum Dei imagine, & similitudine naturæ miraculum admiratur. Igitur cor, & anima in Francisco erat Humilitas, quæ ipsum veluti speculum omnis sanctitatis constituens, nulla erat in eo pars, quæ tali corde, talique anima non viueret; sicut nulla erat quoque pars, quæ sancta non esset. Fracto enim speculo, in qualibet parte vis speculi remanet. Et sicut fundamentum vitæ naturalis cor est, & anima, ita pariter in vita spirituali Francisci Humilitas cor erat, & anima, & forma erat, quæ dabat ei vitam, esse, ac motum, eratque tota in toto Francisco, & tota in qualibet parte Francisci, & vtrumque Francisci hominem interius, exteriusque viuificabat. Viuificabat, inquam, & ita, & taliter, vt ipsum in seipsam transformans humilitatis formam (ex qua eum appellat Bonau. ibidem) seipsa mirabiliter effecerit. Omnem structuram, quam vt prudens architectus in ipsa humilitate præiacuit, ita didicit à Christo Franciscus, vt nonnisi soli Christo, & eius Matri, transcendens omnium sanctorum ordines, ipse solus assimilari, & magis, ac magis appropinquari meruerit. Quod patere potest ex nonnullis exēplis, quæ ibidē affert Bonau. inter quæ hæc duo nunc sufficere possunt veluti duo polares cardines totius rei, licet ferè cuncta alibi superius lib. 4. euentu 9. sect. 1 rescripta sint, sed tamen ad aliud propositum.

Qualis quantaq; vbertatis humilitatis in Franc. diffusio.

Totum eius esse, viuere, & operari humilitas erat.

Primum exemplum ad publicum Christi in Cruce super Caluariæ montem spectaculum, nec non et Matris Christi ad pedes filij iuxta Crucem ducit nos, dum ita eum proponit loco citato Bonau. Vt autem se cæteris despicabilem redderet Dei famulus, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus. Accidit semel, vt in infirmitate grauatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis vtcumque resumptis, verus sui contemptor ad propriæ carnis animatus opprobrium: *Non est*, inquit, *conueniens, vt populus abstinentem me credat, & ego è contrario carnaliter reficiar in occulto.*

Franciscus quā magnanimus ad propriæ carnis opprobrium.

Surrexit propterea *Sanctæ humilitatis Christi inflammatus*, & in platea Ciuitatis Assisii populo conuocato, solemniter cū fratribus multis, quos secum adduxerat, maiorem introiuit Ecclesiam, *funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi præcepit vsque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueuerant ibiq; collocari.* Super quē conscendens, licet quartanarius, & debilis, acerbi frigoris tempore, cum multo vigore animi prædicauit, audientibusq; cunctis asseruit, *se non tanquam spiritualem honorandum fore, quinimo tanquam carnalem, & glutonem ab omnibus contemnendum.*

Duci vult nudus & infirmus super lapidem malefactorum.

Igitur qui conuenerant, tam ingenti viso spectaculo admirati sunt; & quia ipsius auctoritatem iam nouerant; deuotione compuncti, *Humilitatem huiusmodi magis admirabilem*, quam imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur *Portentum* fuisse instar prophetalis vaticinij, quam exemplum, *tamen verè documentum extitit Humilitatis perfectæ*, qua Christi sectator instruitur transitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque iactantiæ comprimere fastum, & fraudulentæ simulationis mendacium confutaret. Hæc de priori exemplo, quod de nullo alio sancto adhuc legi, vel saltem de nullo alio inter Monasticæ, vel religiosæ vitæ Institutore.

Humilitas Francisci verè in ipso primitiua.

Secundum exemplum circa primitiua humilitatis Francisci, qua primò incepit spiritualiter viuere, sicut à corde in ventre Matris incepit primum carnaliter esse, rapit nos vsque ad illud primum solium,

quod in Cęlis summæ Trinitatis proprinquius est, & à quo eminens, felixque in Hierarchico spirituum supernorum imperio Princeps, vertigine superbiæ suæ supergressus infeliciter corruit. Et quoniā (sequitur Bonau. ibidem inferius) *Humilitatem* tam in se, quam in subditis cunctis præferebat honoribus, *amator humilium Deus* altrioribus ipsum dignum iudicabat fastigijs, secundum quod vni frati, viro virturis, & deuotionis præcipuæ visio celitus ostensa monstrauit.

Hic fuit B. Pacificus Poeta Laureatus,

Cum enim esset in comitatu viri Dei, & vna cum ipso in quadam Ecclesia deserta feruenti oraret affectu, in extasi factus, *vidit inter multas in Cœlo sedes vnam præ cæteris digniorem, preciosis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem*. Miratus intra se pręcelsi refulgentiam throni, anxia cępit cogitatione perquirere, *quis ad illum deberet assumi*. Audiuit inter hęc vocem, dicentem sibi. *Sedes ista vnius de ruentibus fuit, & nunc humili seruatur Francisco*. Reuersus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum, exterius prodeuntem solito fuit more secutus.

In sede Luciferi ex singulari humilitate assumptus Franc.

Cumque incedentes per viam, de Deo inuicem loquerentur, frater ille visionis suæ non immemor solerter ab eo quæsiuit, quid de se ipso sentiret. Ad quem humiliter Christi seruus. *Videor, ait, mihi maximus peccatorum*. Cui cum frater diceret ex aduerso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit. *Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè, quod multò, quam ego, Deo gratior esset*. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis Humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Euangelio sacro testante cognoscens, *quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus eijcitur, verè humilis exaltetur*. Hucusque Bonau.

Nouū humilitatis arcanum,

Sedem illam, à B. Pacifico visam, humiliq; Francisco seruatam, fuisse sedem, vnde corruerat Lucifer, prout communiter asseritur, haud obscure apparet ex citatis etiam verbis Bonau. Si enim dignior erat præ cæteris, ergo dignior in ea sedebeat, scilicet omnium spirituum Princeps, præ cæteris dignior. Vnde responsio præfata ad vnum de ruentibus ab ea sede refertur, & ad vnum Franciscum, ad ipsam sedem ob suam humilitatem exaltandum. Quia verò in cętu omnium Humilium, qui magis Christo, & eius Matri accessisset, veluti Princeps, & primus constituendus erat Franciscus, congruū quidem erat, vt eam sedem mereretur, ex qua in cœtu omnium superborum corruerat ille, qui de dignitate præsendi valde supra se ipsum superbiens, elegit superbiæ esse caput. Et animaduertendum accuratū ostensæ sedis ornamentum, dum ait *pretiosis ornatam lapidibus &c.* In quibus, ni fallor, alludit historicus noster ad id, quod scribit Ezech. cap. 28. vbi sub figura Regis Tyri alloquens summum ordinum Angelorum Rectorem ita inquit. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore. In delicijs Paradisi Dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuum. Sardius, Topatius, & Iaspis. Chrysolitus, & Onix; & Berillus, Saphirus, & Carbunculus, & Smaragdus &c.*

Ita in cœtu humilium Christum imitatus Franc. Princeps, vti in cętu superborum Lucifer.

Nouem genera gemmarum in isto operimento Principis cęlestium spirituum enumerantur, omnique lapide precioso eius vestimentum, vt ait textus, ex his nouem generibus videtur constare; eo quia in hæc nouem genera à Propheta resoluatur. Ratio est, quia cum nouem sint ordines Angelorum, & vnus ex priori ordine, cunctorum Principe, constitutus esset Princeps, & caput omnium; sub illa nouem gemmarum genera cunctam Monarchiam, nouem ordinibus, summo, medio, infimo conflatam amplexus est. Docet Interpres noster serm. Dom. in sexagesima vbi sic loquitur de geminæ dilectionis perfectione, ob quam vnusquisq; Angelica perfectione decoratur. Perfectio, inqnit, geminæ dilectionis perducit ad perfectionem Angelicæ beatitudinis, *quæ in nouem Ordinibus ab Ezechiel 28. sic destinguitur*, vbi loquitur ad Luciferum sub tipo nouem lapidum. *Omnis lapis pratiosus operimentum tuum. Sardius, Topatius &c.*

Nouem ordines Angelorum sub 9. generibus gēmarum.

Geminæ dilectionis perfectio.

Lucifer, qui corruit ex superbia, Seraph erat, & in illo ordine primus, ac propterea cęterorum Ordinum Princeps; summitas enim Principatns omnium nouem Ordinum Angelorum, in tres Hierarchias distinctorum, in priori Ordine reperitur, in quo Ordine sunt *Seraphin*, in secundo *Cherubin*, in tertio vero *Throni*; qui tres ordines constituunt primum primam Hierarchiam, quam *summam* nuncupant. Nam *Dominationes, Virtutes, Potestates* constituunt *mediā Hierarchiā, infimam* vero *Principatus, Archangeli, Angeli*.

Lucifer in Ordine Seraphinorum primus, ac sic omnium Princeps,

Hanc graduationem sequitur Bonau. in Opusculo de Ecclesiastica Hierarchia. Qui ergo primus in centro fornacis cordis Humilitatis Seraph euaserat terrenus, dignus quidem se reddidit, vt illam sedem nancisceretur, ex qua primus Seraph cęlestis, in superbia cordis sui tanto altè elatus, quanto profundè in damnatione deiectus, iustè corruit.

Et

Cur Franc. vir Hierarchichus nūcupatus.

Et hęc potest esse alia ratio fundamentalis, cur, *virum Hierarchicum curru igneo vectum* nuncupauerit Bona. Franciscum in prologo Legendæ, vt alias aduertimus. Nam paulo ante immediatè, antequam ita ipsum appellaret, *incendio seraphico totum ignitum* vocat. Erat cor Humilitatis in corde Francisci ita gratuitè primum, sicut in eius conceptione cor fuerat naturaliter primum. Spiritus, quo tale in ipso gratuitum cor viuebat, flammeus erat, ac proinde Seraphicus. Quod indigitauit superius Bonau. illis verbis *sanctæ Humilitatis spiritu inflammatus*. Et interpres noster ignitam demonstrat Humilitatis virtutem ad cordis similitudinem, in quo omnis caloris naturalis fontalis origo, veluti in quadam fucina seruatur. Igitur eadem virtus humilitatis quæ totum seraphicum nimirum accensum, & ardentem effecerat Franciscum, & totum quoque effecit Hierarchicum, constituens eum in sede illa, ex qua corruerat ob superbiam primus Seraph, omnium Ordinum Princeps; & vt sic & ipse Hierarchicus, ceu omnium caput, & Rector, licet Franciscus vt omnium nouem ordinum continens, participansque prærogatiuas iuxta doctrinam Interpretis nostri supra citati de geminæ dilectionis perfectione, & alibi de nouem Ordinibus Angelorum. Sed quo ad regimen vt caput & Princeps Seraphicus trium Ordinum, qui à summo Ordine primæ Hierarchiæ Seraphici & ipsi appellitantur.

Humilitas fons caloris amoris Dei.

Ex quo patet, quod ratione tantæ Humilitatis primus Seraph inter homines effectus Franciscus in illa prima sede adeo proprinquè accedit Trinitati vt illi fieret penè immediatus.

Non me fallit Seraphica Angelici Doctoris sapientia ex art. 6. quæst. 508. p. 1. vbi inuestigās de ordinibus cœlestiū Spirituum cur primus, ac summus Ordo vocetur Ordo Seraphinorum, ita faciliter, ac succinctè de more explicat. Primus autem Ordo est diuinarum Personarum, qui terminatur ad Spiritum sanctum, *qui est Amor procedens*, cum quo *affininitatem habet supremus Ordo primæ Hierarchiæ ab incendio amoris denominatus*. Vt autem primo, ac diuino Ordini tertiæ personæ, scilicet spiritui sancto appropinquaret immediatè Franciscus, & idoneus idcirco ipse fieret, vt repararet Ecclesiam; quam superbia Luciferiana in excidium impulerat, & ea humilitatis vi, qua Christus ipsam ab initio fundauerat, tale cor à conceptione formauit Francisco Deus, quale postea capax esset, vt in fornace humilitatis totam fermè cum Christo, & in Christo huiusce virtutis accensionem, & dilectionem continere posset. Vnde Baronius tom. 12. ad ann. 1182. Planè Deus Ecclesiam suam, in deterius declinantem, collabente deprauata morum disciplina, ad erigendam eam, *in conflatorio Diuini spiritus hunc Apostolicum formauit hominem*, qui mundi contemptum, ac paupertatem, non affectu tantum (quod ad SS. Patrum imitationem sufficere potuissent) sed effectu etiam consequutus est. Hæc Baronius altè, ac sententiosè.

Ordo Seraphinorum affinis est spiritui Sancto.

In conflatorio Diuini spiritus efformatus Franciscus.

In conflatario, seu fornace Spiritus sancti vix Franciscus efformatus, quod primo, vt primitiuum in mundo esset, in ipso factum est, fuit cor humilitatis. Nam Mundi contemptus, atque Paupertas affectu, & effectu, (illum statim, consultoque à Baronio in efformatione gratuita Francisci, intra Spiritus sancti fornacem coagulati, appositum, hanc verò, scilicet Paupertatem postea, atque immediatè) adeo in Humilitate radicantur, vt idem sint cum ipso, quod etiam docet Interpres noster pluribus in locis. Ergo quod primo vt cor vixit in Francisco, spiritualiter efformato, fuit Humilitas, ob quam in contemptu Mundi, & in Paupertate primitiuus extitit. Vt autem talis esset Humilitate supra cæteros, tanta propinquitate summæ accessit Trinitati per tertiam eiusdem personam, vt totus intra fornacem Spiritus Sancti immersus videretur. Quod enim in conflatorio formatur, in ipsum conflatorium immergi proculdubio necessarium est.

Intra fornacem Spiritus sancti coagulatus Fran: cor humilitatis primò ibi accepit.

Vlterius. Refert historia Seraphica, visum semel fuisse in Cęlis Franciscum haud esse in Ordine Seraphinorum, sed exire à vulnere destri lateris Saluatoris. Hic namque cuidam, in spiritu ad cęlestia rapto, nec Franciscum in aliquo supernorum spirituum Ordine reperienti, anxieq; perquirenti, vbi ille esset; statim, eleuans brachium dextrum, e suo perfosso pectore eum exire monstrauit. Militis Lancea non solū latus Christi dextrū aperuit in Cruce, verum etiam & cor vtraq; parte perforauit, vt D. Bridæ reuelatum. Quare veluti in Christi pectore, ac corde, in quo posita fornax Spiritus Sancti, efformatus Franciscus, ex ipso deinde sic efformatus exire visus est. Mundi cor nuncupatur sol, quia ipse intra vastum Orbis corpus est fons totius caloris, in globi forma, in qua etiam à natura primum formatur cor, ab auctore naturæ creatum. Hinc interpres noster loquens de dextri lateris Christi plagā, eam *Ciuitatem solis, è quo effulsit splendor æternæ lucis*, de-

Cur Franc. in vulnere laterali Christi visus.

Sol Orbis cor nuncupatus.

Ciuitas Solis plaga lateris Christi.

denominat in serm. Dom. 1. Aduentus. Bonau. deinde, vt scripsimus in sect. 2. lib. 4 Euent. 9. apparuisse Leuitam Franciscum 12. primis suis Apostolis, vix sibi approbata ab Innoc. III. lege, super igneum currum ad instar lucidi globi solaris, scribit in cap. 4. Legendæ. Ad cor altum profundissimæ humilitatis Christi quia Franciscus, seraphicè pennatus ab ipsa Humilitate, propinquissimè accesserat, dignum planè fuit, vt intra cor Christi veluti in conflatorio diuini spiritus formaretur: Et ab ipso exiret per vulnus lateris totus ignitus effectus, totus in globum illum solarem transformatus, qui ipsum vulnus laterale Ciuitatem solis fecerat, in cordis formam, per suas flammas vndiq; prorumpentem, fabrefactam, eo modo, quo ipsa Humilitatis forma describitur ab Interprete nostro, dicens vt supra *In corde Humilitas designatur.* Quæ quidem virtus in Francisco circa ea omnia, ab Interprete in priori hoc textu allata excellens, ipsum primitiuũ in Ecclesia effecit.

Franc. ad instar globi solaris.

Totus in globum solarē vulneris lateralis transformatus,

Textus Interpretis II.

Post formationem, & creationem cordis, &c.

Partium distinctio in spiritali Francisci Conceptione, capitis, & oculorum procreatio.

1. POstquam in corde Hominis est formata *Humilitas*, tunc fit distinctio partis inferioris; quia pars superior dignior est inferiori, ideo formatur prius, & in ipsa prius apparent caput, & oculi. *Pars superior est vita contemplatiua,* in qua prius apparet, & debet apparere *Caput,* scilicet *Charitatis,* de quo Cant. 5. *Caput eius aurum optimum.* Aurum est purum, & lucidum. Nam charitas debet esse pura ad Deum, lucida ad proximum. Et apparent oculi, *idest cognitio æternæ felicitatis.*

Pars superior in spiritalis fœtus conceptione

Caput, Oculi.

2. *Vita actiua* tanquam pars inferior debet seruire contemplationi, quoniam inferior pars non est nisi propter partem superiorem, Vnde Apostolus 1. Chorint. 10 *Non Vir propter mulierem, sed mulier propter Virum est creata.* Quia non contemplatiua propter actiuam, sed actiua propter contemplatiuam est instituta.

pars inferior

3. Et sicut cerebrum membrum frigidum est, positum in opposito cordis, vt ipsius temperet calorem, sic *Vita contemplatiua,* quæ consistit in mentis compunctione, est posita ex oppositione *Vitæ actiuæ,* vt sua oratione, lacrymarum compunctione, laboris feruore, tentationis eius calorem temperet, quæ in cordis humilitate consistere debet.

Cerebrum in opposito cordis.

4. Et sicut magnitudo capitis est maior aliorum membrorum, sic gratia contemplationis est sublimior, quia Deo, quem contemplatur, est vicinior. Sed heu quanti infantes; idest menti instabiles magnitudinem huius capitis conati sunt ferre, sed longo tempore non potuerunt portare propter sui magnitudinem. *Solus Abraham* (idest Vir iustus) *cum puero,* (idest mentis puritate) *ascendit in montem* vitæ contemplatiuæ. *Pueri autem remanserunt in Valle* delectationis mundanæ, *expectantes cum Asino,* idest asinina tarditate. Gen. 22. Hæc omnia ex textu literæ Interpretis nostri desumpta sunt.

Magnitudo capitis.

Asinina tarditas non ascendit ad montem cō templ.

Ad efformandam superiorem partem fœtus Seraphici in conceptione Francisci intra Matris suæ vterum eò studiosam dicerem naturam, ab auctore naturæ peculiariter directam, quo studiosiorem testandam fore gratiam assererem. Illi namq; gratuitò per condescendentiam quandã clementissimæ Dominę ad ancillam suam dilectissimam quasi ipsa gratia respondit circa superiorem partem fœtus spiritalis, postea in ipso Francisco adeo mirabiliter efficiendi, vt ipsa natura, & gratia ob eius nouitatem obstupescerent. Cor & oculos spirituales in vita contemplatiua Francisci, cui vt parti superiori pars inferior, idest vita actiua inseruiebat, cum inextinguibili Martyrii siti annectit Seraphicus Historicus in cap. 9. Legendæ, in quo non poterat aptius primitiuam prædicare geminam Francisci charitatem nimirum erga Deum, & erga proximum; quam eam eius linguæ sufficienti enarrationi imparem esse, fateri. *Charitatem feruentem,* inquit, *qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficit? Totus nanque quasi quidam carbo ignitus diuini amoris flamma videbatur absortus.* Carbo ignitus cordis similitudinem exprimit, quo pacto sicut Franciscus humilitatis ignitum cor totus factus, totus, & totaliter Humilitas erat, & ob hanc virtutem moralem totus ignis videbatur; ita etiam totus caput erat quoad charitatem, totus in ea carbo ignitus erat, totus charitas erat in totam humilitatem, & charitatem, quæ Christus est, transformatus. In illo vno Seraph, qui volauit ad Isaiam cap. 6 intelligit Interpres noster Christum, cuius humanitatis symbola per ignitum calculum, ab altari forcipe desumptum proferre, idem Interpres docet in serm. Dom.

Charitas Francisci quanta.

Seraph. Christus, & eius Humanitas ignitus calculus.

13. post

13. post Trinit. *Calculus*, inquit, *est Humanitas Christi, qui propter sui humilitatem terræ, idest peccatoribus admixtus, à Iudæis fuit calcatus. Sed nobis fuit ignitus carbo, vitia nostra purgans.* Itaque in hoc calculo ignito nec sola Humilitas vt cor, nec sola Charitas vt caput (illa peccatoribus admixta, & à Iudæis calcata, hæc vitia nostra purgans, ac mundum redimens) in Christi humanitate; etenim ad inuicem distinctæ non sunt, imò inseparabiliter iunctæ.

Igitur dum carbo ignitus per Charitatem erat Franciscus, in Christi humanitate, in quam transformabatur, caput erat. In eius autem humilitate cor erat flammeum, & accensum. Per istud cor factus in Christo calculus ob mixtionem cum peccatoribus, Iudæis ipsis peioribus, ad quos saluandos missus fuerat, calcatus fuit multipliciter. At per caput factus ignitus carbo, vitia, ac scelera hominum purgauit opere reparationis. Et in hunc modum erat eius caput, scilicet Charitas, sicut Christi caput, nimirum aurum optimum, vt dicit Interpres, quoniam Francisci charitas Seraphica puritate excelluit per eleuationem ad Deum: Luceque quasi incomparabili refulsit ad proximũ, illum vita cõtemplatiua sibi propinquissimum, imò cum se velut vnum faciens (& hæc pars superioris fœtus eius spiritualis) hunc actiua vita multipliciter in se transformans, triformiterque reformans, ac reparans, saluansq; & hæc pars inferior prædicti fœtus.

Francisc. in Christo cor & caput ignitũ, aureis radiis fulgens.

Tetigit paucis Bon. verbis, pulchroq; exemplo hanc Franc. ad Christum consonãtiam loco citato immediatè, vbi reddens rationem, quare Franciscus veluti carbo ignitus videretur ob virtutem Charitatis, ita subdit. *Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ corda cordis interior tangeretur.* Et quia in Francisco caput istud Charitatis cordi humilitatis conformabatur ad miraculum circa superiorem vitæ contemplatiuę partem, ad miraculum quoque (alto huic cordi altissimum respondens caput) eum in summum bonum ab infimis rebus eleuatum describit Bonauẽtura ita subdens. Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum, *exultabat in cunctis operibus manuum Domini*, & per iucunditatis specula in viuificam consurgebat rationem, & causam. *Contuebatur in pulchris pulcherrimum*, & per impressa rebus vestigia prosequebatur vbique dilectum *de omnibus sibi scalam faciens*, per quam condescenderet ad appræhendendum eum, *qui est desiderabilis totus*. Inauditæ namque deuotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tãquam in riuulis degustabat; & quasi cælestem concentum perciperet in consonantia virtutum, & actuum eis datorum à Deo, ipsas ad laudem Domini more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur, &c.

Sympathia harmonica Franc. amãtis erga amorem Domini.

Alto cordi Franc. altissimum respondebat caput.

Quæ deinde sequitur Bonauentura, caput charitatis Francisci siti martyrii adnectens, & illud, & hanc simul parti superiori ceu Reginæ, & parti inferiori ceu ancillæ, tantæ Reginæ famulaturæ, coniungens, gradatim varia obiecta respiciunt. Quorum

Obiecta ad quæ caput charitatis Franc. dirigebatur.

1 Omnium Princeps *Christus Iesus crucifixus, in quem optabat*, inquit, *per excessiui amoris incendium totaliter transformari.* 1. Christus crucifixus.

2 Mox *ipsemet Christus, latitans in deserto*, diebus quadraginta, & totidem noctibus ibi ieiunans, pro quo quadragesimam Epiphaniæ faciebat. 2. Christus in deserto.

3 *Sacramentum Dominici Corporis*, erga quod flagrabat feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, & dignantissimam charitatem. 3. Christus in Euchar.

4 *Mater Domini nostri Iesu Christi*, quã indicibili complectebatur amore, &c. Ad honorem ipsius (inquit) à festo Apostolorum Petri, & Pauli vsque ad festum Assumptionis deuotissimè ieiunabat. 4. Christi Mater.

5 *Angelici Spiritus*, ardentes igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorum animas inflammandas. His erat Franciscus amoris vinculo copulatus, *& ob deuotionem ipsorum ab Assumptione Virginis gloriosæ quadraginta diebus ieiunans*, orationi iugiter insistebat. *B. autem Michaeli Archangelo*, eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore deuotior propter feruidum, quem habebat zelum ad salutem omnium saluandorum. 5. Angelici Spiritus.

6 *Sancti omnes*, ex quorum recordatione tamquam lapidum ignitorum in Deificum recalescebat incendium. 6. Sancti omnes.

7 *Apostoli omnes*, & præcipuè *Petrus, & Paulus* propter feruidam charitatem, quam habuerunt ad Christum. *Hos summa deuotione complexans, ob eorum reuerentiam, & amorem Quadragesimæ specialis ieiunium Domino dedicabat.* 7. Apost. omnes, sed in specie Petr. & Paul.

8 *Salus animarum*, vtraque vita, contemplatiua, & actiua inhianda. Non habebat aliud Christi pauper (subdit Bonauentura) nisi duo minuta, corpus scilicet, & animam, *quoc posset liberali charitate largiri.* Sed hæc per amorem Christi 8. Salus animarum

sic

sic offerebat continuè, vt quasi omni tẽpore per rigorem ieiunii corpus, & per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustũ, & in Templo interius concremans thymiama. *Sic autem eum charitatis excessiua deuotio sursum in diuina ferebat, vt eiusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes, & gratiæ dilataret.* Quem enim creaturis cæteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si creaturis insignitus imagine, & sanguine redemptis auctoris *germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit.* Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eò maximè probans, quod Vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in Cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Vnde quotiens austeritas nimia repræhenderetur in ipso, respondebat, *se datum alijs in exemplum*. Licet enim innocens eius caro, quæ iam se spontè subiiciebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamen exempli causa renouabat illi pœnas, & onera, *custodiens propter alios vias duras*. Dicebat enim cum Apostolo 1.Corinthiorum 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem in me ipso non habeam, & proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum alijs, mihi nihil.*

Deuotus erat Fran. ad diuina excessiuè.

Flagellis nõ indigebat innocẽs Frãcisci caro

9. Martirum triumphans.

9 *Feruenti quoque charitatis incendio gloriosum Sanctorum Martyrum æmulabatur triumphum,* in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea & ipse illa perfecta charitate succensus, *quæ foras mittit timorem*, cap.4.Ioan.1.per martyrii flammam hostiam Domino se offerre viuentem, vt vicem Christo, pro nobis morienti rependeret, & ad diuinum amorem cæteros prouocaret. Probat id Bonau. in praxi ex tribus itineribus, quæ Franciscus hac ratione assumpsit, licet in cũctis à sua spe frustratus. Primum in partes Syriæ ad Asiam sexto conuersionis suæ anno. Secundum ad Marrochium in Africam ad Regnum Miramolini, in quo itinere audi, piè Lector, quibus verbis ipsum tibi ad viuum resonet Bonauentura, eum describens currentem, quinimò aduolantem cum Christo ad sitim martyrii, de quo alias cum Interprete nostro. *Tanto,* inquit, *desiderio ferebatur, vt quamuis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem, & ad exequendum propositum, festinus, & tamquam spiritu ebrius aduolaret.* Tertium iter, quod assumpsit iterum in partes Syriæ ad plagas Babilonicas, tanto animosior, atque ardentiori corde, ac velociori corpore assumpsit, quanto in aliis duobus magis, ac magis Dei placitum, ad alia ipsum dirigens, eius charitatis ignem nouis fomentis accendebat, ac maiori vi prouocabat.

Francisc. ob martirii sitim ad Siriã in Asia.

Deinde ad Marrochiũ in Africa.

Verum, subdit Bonauentura, *Charitatis ardore spiritum ipsius ad martyriũ perurgẽte,* tertia adhuc vice, pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda, versus infideles proficisci tentauit. Tertiodecimo namque conuersionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, *vt Soldani Babilodiæ posset adire præsentiam, &c.* Et infra post enarrata, quæ contingerunt inter Soldanum, & Franciscum, claudit Bonauent. totum illud capitulum, verè Seraphicũ, verè ignitum, ac enarratione charitatis Francisci genuina phrasi viuidum, pauca continens verba, sed flammas innumeras proferens. Sic itaque Dei ordinante clementia, & Sancti viri promerente virtute, misericorditer, & mirabiliter factum est, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret; & tamen nullatenus inueniret, vt & merito non careret optati martyrii, & insigniendus seruaretur in posterum priuilegio singulari. *Sic vtique factum est, vt ignis ille diuinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, vt post potentius euaporaret in carne. O verè beatum virum, cuius caro etsi tyrannico ferro non ceditur, occisi tamen Agni similitudine non priuatur. O, inquam, verè, ac plenè beatum, cuius animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.*

Tertio iterũ ad Siriæ partes ad Soldanum.

Charitas Frãcisci excellens ad excellens priuilegium ordinata.

Hac admirabunda elocutione traxit ad finem caput illud 9. Bonauent. in quo iuxta eius numerum ad nouem etiam direxit obiecta caput aureum, suis radiis, ac flammis oculatissimum charitatis Francisci, parte superiori, atque inferiori, scilicet vita contemplatiua, & actiua perexcellens. In quo admirando Capite post humilitatis eius cor, immediatè à Dei gratia fabrefacto cum propria eminentia multa primitiua excelluerunt, ita ipsi congrua, sicut decebat, vt Reparator Ecclesiæ, Redemptori simillimus, primus esset, ac nouus in quamplurimis, & fere in cunctis ab ipso patrandis facinoribus. Inter haud pauca primitiua, & noua, quæ ibi Bonauentura, excurrens præfata nouẽ obiecta, scribit, duo expressiora sunt, alterum circa exercitia pœnalia ieiunii, quæ principaliora sunt, atq; nimis ardua, ac difficiliora in vtraque vita contemplatiua. & actiua; alterum verò circa id, quod tandem vir inclitus meruit adhuc

Charitatis Franc. primitiua, ac noua plura.

viuens

Horum præcipua duo.

viuens in singularissimo sacrorum stigmatum priuilegio vir sanctus. Illum primitiuum cum respiciat tantum quatuor, reducit sacer historicus ad quatuor quadragesimas, quæ cum duabus aliis, vna ex præcepto Ecclesiæ (hæc cunctis Christianis communissima est) alia ex præcepto Regulæ (hæc solis Minoritis vniuersalis est) complebant numerum senarium. Omnes tamen qnadragesimas, quibus præter sextas ferias ex mandato Regulæ, vigilias ex præcepto Ecclesiastico, & alios multos dies, ieiunabat Franciscus, numerant historici totidem, quot enumerat in dicto cap. 9. obiecta Bonau. Licet reuera tota eius vita assidua, austeraque abstinentia extiterit.

Nouem siquidem abstinentiæ tempora, nempè Quadragesimas (quod exercitium ipse primus in regulari vita incepit) sibi quotannis distinguebat.

Abstinentia cibi, & potus in 9. quadragesimas.

1 *Illam fidelibus communem* ex Ecclesiæ præcepto.

2 *Quam dicebat Spiritus Sancti*, quæque incipiebat à feria 4. post Pascha Resurrectionis vsque ad vigiliam Pentecostes.

3 *Petri, & Pauli* Apostolorum, ab octaua Pentecostes ad Apostolorum Vigiliam.

4 *Assumptionis B. Mariæ*, à prima die post festum Apostolorum vsq; ad vesperas prædictę solemnitatis.

5 *S. Archangeli Michaelis* ab ipsa Virginis Assumptione ad festum Dedicationis eiusdem Archangeli.

6 *Omnium Sanctorum* ab eodem Dedicationis die vsque ad illorum solemnitatem.

Hæc sub præcepto Regulæ.

7 *Natiuitatis Domini*, cui etiam suos sectatores ex Regulæ præcepto adstrinxit, quæ incipiebat à die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & terminabat in vigilia Natiuitatis.

8 *Regum Magorum* à die S. Stephani vsque ad Epiphaniam.

Hanc ieiunantes 40. benedicti à Domino.

9 *Christi, in deserto* ieiunantis, quæ sumebat initium ab altera die post Epiphaniam, & durabat per continuos 40. dies, quos Dominus suo sancto ieiunio consecrauit. Ad huiusce Quadragesimæ ieiunium suos consodales hortatus, non obligauit, aiens in cap. 3. Regula: *Qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sint à Domino, & qui nolunt, non sint adstricti.* Idcircò eam nostrates quadragesimam Benedictorum nuncuparunt.

Cum tanta cibi, & potus abstinentia magis ac magis tum vtriusque hominis vita, tum vtraque vita, contemplatiua, & actiua in Francisco tanto amplius vigorosior ad insuetos labores admirabatur, quanto plus nutrimentum omne in ipso igneum erat, procedebatque ex illa superplena charitate, quam idcircò eidē abstinentiæ veluti effectum causæ suæ annectit Bonauentura. Sic præseferebat Vir Sanctus illius Salamandræ Seraphicæ hieroglîphicum, de qua Interpres noster in serm. Dom. 22. post Trinit. Salamandra dicta, eo quod contra incendia valeat. Hæc si se arbori irrexerit, omnia poma illius venenat, & ideo solum non vritur incendio, sed illud extinguit. Hæc dicitur Stellio, de quo Salomon Prouerb. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum*. Stellio à colore dictus est. Est enim corpore pictus lucentibus guttis in modum stellarum. *In Salamandra Vir contemplatiuus designatur, qui solo igne charitatis viuit*. Vnde Eccl. 48. dicitur. *Surrexit Helias Propheta quasi ignis, &c.* Quia opus, & verba viri iusti ardent charitate. Vnde rectè dicitur Stellio, quia stellis, idest charitate in claritate boni operis lucidus. *Hic nititur manibus, idest operibus quoad proximum, & moratur in ædibus Regum, scilicet contemplatione quoad Deum*. Hæc Interpres ibi, explicans historiam naturalem quatuor animalium, quæ de quatuor elementis viuunt, suntq; Allecs, siue alicula pisciculus viuēs in sola vnda. Chamæleon de solo aere. Salamandra de solo igne. Talpa de sola terra. Vide tom. 2. vbi de duodecim portis misticæ Hierusalem, per quæ ad Legem Fratrum Minorum, duodecim capitibus in sua abbreuiatione distinctam, intratur.

Abstinentia maxima in Franc. ex maximo charitatis incēdio

Viuebat charitatis igne vt Salamandra.

Quatuor animalia viuunt de 4 elementis.

Quod autem spectat ad alterum primitiuum, omnium primitiuorum maximum, estque de sacris Stigmatibus, iam apertè, vt diximus, fatetur Bonauent. *Sicq; vtique* (inquiens) *factum est, vt ignis ille diuinus adhuc perfectius æstuaret in corde, vt post potentius euaporaret in carne, &c.* Verum auertenda accurata enarratio Bonauenturæ circa istud tam vnicum, tam singulare, tam ineffabile, plurimisque confertum miraculis in solo Francisco priuilegium, ac prodigium. Extitit sanè veluti effectus quidam admodum peregrinus, ingentisque charitatis Francisci & in seipso, & in sua peculiarissima causa primus. Sed num ab abstinentia illa quadragesimali disiunctus, qua idcirco vir Dei viuebat, solo pane, & aqua valde parcè contentus, quia ardebat solus, charitatis igne abundè nutritus? Respondebit Seraphicus Historicus cap. 13. quod est *de Stigmatibus sacris.* Biennio itaque, ait, antequā spiritum redderet Cælo, diuina prouidentia duce, post labores multimodos perductus est in locū excelsū seorsū, qui dicitur Mons Aluernæ. Cum igitur iuxta

Alterum primitiuum sacror. stigm. sacramentū.

solitum morem *Quadragesimam ibidem ad honorem Sancti Archangeli Michaelis ieiunare cepisset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cælestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cepit immissionum cumulatius dona sentire*. Ferebatur quidem in altum, non vt curiosus maiestatis perscrutator, opprimendus à gloria, sed tamquā seruus fidelis, & prudens inuestigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimodè summo peroptabat ardore, &c. Vide reliqua ibi. Caput Charitatis Francisci in vita illa contemplatiua, quæ tāto tunc temporis peregrinior, & recensior in ipso, altior, & eleuatior erat, quanto munus, ac donum, quod meruit, singulare, ac nouum, non prius flammeum totum ab interiori igne eleuari cepit, quam ab abstinentia quaresimali nouum, insuetumque fomentum acciperet. Portionis superioris, atque etiam inferioris in hoc flammeo capite oculi illi erant, quibus tum vita contemplatiua; quæ sursum sūt cernens, Deo fit præsens in quantum potest, tum vita actiua, quæ deorsum inspicit, & ad quæ sursum sunt se dirigit. Hosce oculos, capiti charitatis Francisci virtute orationis iunctos ostenderat antea Bonau. cap. 10. quod intitulatur, *de studio, & virtute orationis*, vbi sic in principio, ostendens Franciscum & contemplatiuum, & actiuum simul, & vtroque modo accensum, & oculatum. Sentiens, inquit, Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, *cum iam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus*, ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mā̄sionum Angelorum conciuis iam factus, feruenti desiderio quærebat dilectum, à quo solus eum carnis paries disiungebat. Erat & operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat. Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumq; credens sine ipsa in Dei prosperari seruitio, modis quibus poterat Fratres suos ad eius studium excitabat. *Nam ambulans, & sedens, intus, & foris, laborans, & vacans, orationi adeò erat intentus, vt illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis, & corporis, verum etiam operis, & temporis dedicasse*.

Caput charitatis Franc. altius in sacr. stigmat. ex abstinentiæ fomēto.

Oculi capiti huiusce oratio.

Contemplatiuus, & actiuus in sua oratione Franc.

Ambulans, & sedēs, &c. orati oni vacabat.

In qua ambulatione capite flammeus, idest charitate feruens, oculis radians, scilicet oratione fulgidus, siue ascendens ad Deum per partem superiorem, siue descendens ad proximum per partem inferiorem totus contemplans in ipsa actitate reperiebatur. *Nam ambulans, & sedens, &c.* Vtrinque perspicax, & impiger, vtrimque pariter dormiebat totus, & totus simul corde humilitatis vigilabat, aiens cum Sponsa Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*; inquit enim Interpres serm. Dom. 2. in Quadrag. Dormio, *idest quiesco ab amore temporalium*; & cor meum vigilat, *in contemplatione cælestium*.

Dormiebat totus, & vigilabat totus

Sic dum in corde humilitatis Francisci dormitio hæc totalis, hoc est omnimoda quies ab amore temporalium, & vigilantia totalis in contemplatione cælestium posita erat ex opposito vitæ actiuæ, vti cerebrum ex opposito cordis; *sua oratione, lacbrimarum compunctione, laboris feruore, tentationis eius calorem temperabat*, imò extinguebat, *quæ in cordis humilitate consistebat*. Sic magnitudo capitis charitatis maior singulariter erat aliorum membrorum, scilicet aliorum virtutum in Francisco, & cum ipso capite pars superior, hoc est gratia contemplationis sublimior, quia Deo, quem contemplabatur, vicinior. Dixi singulariter; quia sicut inter veteres Patriarchas solus Abraham ascendens in montem, cunctis eminet, ex cuius semine Christus Iesus, ita inter nouos Patriarchas solus Franciscus super Aluernæ Montem contemplationis vacans, meruit Christum Iesum oculis suis intueri, suumque facere per omnimodā animæ, & corporis transformationem. De oculis charitatis Francisci sub numero septenario vide paulò infra.

Franc. inter nouos Patriarchas primitiuus.

Textus Interpr. III.

Et sicut omnia membra prius recipiunt terminos, &c.

In spiritali Francisci conceptione qui virtutum termini. Quæ signa. Qui colores. Quot oculi. Horumque obiecta quæ.

1 ET *sicut omnia membra prius recipiūt terminos, signa, colores, duritiem, & mollitiem*: sic omnes virtutes debent habere

Habent virtutes terminos suos.

bere terminos suos, *vt regia via gradientes,* non declinent ad dexteram, vel sinistram; vt ne sub prætextu iustitiæ crudelitas sibi locum vendicet; & remissa segnities mansuetudinis pallio se palliet.

Passio Christi omnium operum bonorum scopus.

2 *Et signa Dominicæ passionis,* vt quidquid virtutis agimus *totum Dominicæ passionis, & Crucis sigillo sanguineo* consignemus.

3 *Et colores non fuscos, sed veros, & viuos,* ne vitia virtutum tincta colore animam decipiant. Vnde dicit S. Isidorus, quod *vitia virtutum speciem præferunt.* Vnde perniciosius suos sectatores decipiũt, quia sub velamine virtutis teguntur. Et Philippus. *Nulla sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent in similitudine officij.* Nã Troianus Equus idcircò fefellit. quia formam Mineruæ mentitus est. *Debent etiam virtutes habere duritiem, & mollitiẽ, vinum, & oleum, virgam, & manna, verbera, & vbera, ferrum, & vnguentum.* Oculis capitis charitatis hæc alia immediate annectit Interpres circa reliqua, quæ ad fœtus spiritualis pertinent complementum. Oculi Francisci, de quibus paulò ante, erant in eius capite, atque in vtraq; vita, veluti in petra sculpti, nec duo erãt, sed septem. Petræ simbolum eò Francisco vtique congruentius, quò sic à Beato Angelo Carmelita profetatus, vt infra dicemus. De hisce septem oculis in tali petra est illud Zachariæ 3. In *lapide vno erant septem oculi.* Quem textum ita postillat Interpres ser. Dom. 4. in Quadrag. In lapide vno, *idest pœnitente, qui debet esse lapis per constantiam, & vnus per fidei vnitatem,* erant septem oculi; *Quorum*

Qui colores veri, quiue falsi in virtutibus.

Troianus Equus hipocrisis.

Oculi in capite charitatis Franc. septem.

pœnitẽs est lapis vnus.

Primo debet videre præterita, vt defleat.

Secundo futura, vt caueat.

Tertio prospera, ne eleuent.

Quarto aduersa, ne deprimant.

Quinto superiora, vt sapiant.

Sexto inferiora, ne desipiant.

Septimo interiora, vt sibi in Deo placeant.

Septimplicitas oculorũ mistice.

De lapidea constantia Francisci, quem *pænitentiæ formam* appellat Bonau. cap. 15 deque vnitate eius ad fidem Romanam (pro cuius reparatione, restauratione, propagatione, iam multifariè scissa, ac lacera missus cælitus fuerat) superfluum esset loqui, vbi in his septenario oculorũ numero perfectè vidit, & vniuersaliter intuitus est, & solidè, & constanter, & vt lapis vnus in hoc videndi genere, præfata Interpretis obiecta. Quare haud mirum si virtutes omnes in ipso viam Regiam gradientes, idest Regis Regum Christi per semitas admodum peregrinas sequẽtes vestigia, neque ad dextram, neque ad sinistram declinauerunt. Hinc Bonau. vitam Francisci *omni imitatione dignissimã* iure meritò nuncupat in prologo, atque veluti *totius perfectionis exemplar* facit quoque cap. 15. vt supra in textu proposuimus.

Viam regiã Regis Regni tenuerunt Franc. virtutes.

Valdè postmodum, imò incredibili vigilantia hisce oculis attendebat, vt taliter (efformatus iam, ac depictus à Dei gratia ceu nouum omnis Seraphicæ, atq; Apostolicæ sanctitatis simulacrum, toti terræ, totiq; Cælo spectabile, admirabile) virtutes omnes coloribus suis viuaciter eminerẽt, qualiter decens erat, ne tantillũ in hoc maximè Reparator Ecclesiæ à Redemptore humani generis discreparet. Nullum vitium adeò in Pharisæos persecutus est Christus sicut vitium hypocrisis, qua virtutes dum offuscantur, in turpissima vitia transeunt; ac vim maiorem acquirunt, vt noceant, quam si nuda vitia omni tegumento, ac colore virtutis spoliata remanerent. Quod exemplo Equi Troiani ibi probat Interpres. Quilibet Pharisæus præcipuè si Pontifex erat, Præsul, vel Doctor Troianum Equum imitabatur in excidium, ac perniciem Ecclesiæ Hebraicæ, & in Christũ vnũ, in quo omniũ virorum bonorum merita, & virtutes opprimebat. Præuidens Franciscus istud malum in Ordine suo, à similibus Equis Troianis regendo, adeo conformis extitit Christo, vt propterea ad eradicandũ eum (quod vndique humilitatem spirat, estque reapse lupina superbia ouina pelle contecta) egregia admodum reliquit exempla.

Indestructio nẽ hipocrisis Christus, & Franc. conformes

Hipocrisis superiorum opprimit virtutes, & merita

Quid quæso intẽderit vir humillimus, vbi nudus, & quartanarius rigoris frigoris tempore fune per collum tractus ex lapide malefactorum puniendorum in platea Vrbis Assisiatis concionem habuit ad populum? Respondeat ipsemet illis Bonauenturæ verbis supra adductis ex cap. 6. *Audientibus cunctis, asseruit, se non tamquam spiritualem honorandum fore, quinimmo tamquam carnalem, & glutonem ab omnibus contemnendum.* Ex corde profundissimæ humilitatis suæ istud tam insuetum facinus processit in Francisco, vt visum est. Idque aduersus simulatam sanctitatẽ, cuius cor fictæ sanctitatis Equino cordi simile est. *In aliquo corde,* docet Interpres noster vbi supra de corde Humilitatis, *non est os præterquam in corde Equi, & Vaccæ, & Cerui. In Equo hypocrita arrogans.* In Vacca luxuriosus lasciuiens designatur. In Ceruo fugace rerum fugacium cupiditas. *In simulata humilitate hypocrita est os superbiæ, & rapinæ. Superbit de*

Exemplum Fran. aduersus hipocrisim.

in cordibus Equi, Vaccæ, & Cerui est os.

de penna Sbrutionis, & rapit laudes alterius. In instabili humilitate luxuriosi est os excusationis. In fugaci humilitate auari est os obstinationis. *Quia quo auarus fit senior, & minus indigens, eo fit cupidior*. Per hæc tria animalia omnia genera vitiorum designantur 1. Ioann. 2. *Omne, quod est in Mundo concupiscentia carnis est*, ecce cor Vaccæ. *Et concupiscentia oculorum*, ecce cor Cerui. *Et superbia vitæ*, ecce cor Equi. Hæc tria vitia vigebant in Pharisæis, ad quorum sectam destruendā principaliter venit Christus, redempturus humanum genus; quia erat hæc secta validior, existimatior, atque apparentia sanctitatis venerabilior, de qua etiam D. Paulus extitit, vt ipse fatetur in Actibus Apostolorum. Sed quod amplius aduersus eam redarguit, & persecutus est Christus, fuit hypocrisis. Nam per hoc pessimum vitium, ficta humilitate coloratum cætera alia vitia, sub eo contecta validiora fiunt ad destruendum. Ipsa tria pariter vitia tribus fulminibus in eradicationem generis humani armauerant Christi dexteram, quando ad eum raparandū missus est cælitus Franciscus. Hinc haud mirum, si tam vigilanter studuit circa veros virtutum colores in interitū virtutum, colore fusco contectarum, vt libera ab earum manibus sincera humilitas ex corde puro procedens, Ecclesiæ reparatio minimè impediretur, nec illius prosequutio, ac propagatio, à suis sequacibus peragenda.

Os in corde equi hipocrisis, quæ tota superbia est.

Redemptio ac reparatio generis humani in destructionem hipocrisis.

Aliud exemplum fertur de Francisco in Cronicis in superbiæ Pharisæorum, apparenti humilitate contectæ expugnationem. Monuit semel viro Dei Medicus, vt ob maximam stomaci debilitatem, ab assidua abstinentia, vigiliis, laboribus, austeritate vestimentorum, quæ in vnica, ac rudi tunicula reducebantur, partem illam anteriorem, ac interiorem vestis aliquo fulcimento foueret, aptioremque redderet ad suū refocillandum, roborandumque stomacum. Noluit vnquam vir sincerus tali assentire consilio, quamuis ageretur de re tam sibi ad vitæ aliquanto sustentandæ necessaria, nisi prius simili modo pars eiusdem vestis exterior repetiaretur. Vt tali facto patenter ostenderet, valde ipsum abhorrere, alium interius esse, & alium exterius teneri. Interius alicui commodo corporali ex mera necessitate addictum, exterius omnimodæ austeritati studiosum. Sicq; virtus aliquo pacto colore fusco respersa, in vitium conuerteretur. Vnde maxima prouidentia actum est, vt à nuditate vitam religiosam Fratrum Minorum inciperet, iam omnibus vestimentis sæcularibus coram Episcopo Assisii nudatus; atque in nuditatem paulò ante mortem deficeret. Quia Minorum Fratrum vita nuda debet esse ab omni fuco, ac colore fusco fictarum virtutum.

Aliud rarū exemplum Franc. in hipocrisim.

Septem item oculis lapideis præfatis eius charitatis caput refertum, adeò vnicè, adeò crebrè, atque eminenter ad Dominicæ Passionis signa ipse solus in Ecclesia respexit, vt ipse solus tanto singularius meruerit Dominicæ Passionis, & Crucis sigillo sanguineo consignari, quāto ipse solus à principio vsque ad finem vitæ suæ conatus est præ cæteris quidquid virtutis agebat, totum eidem Dominicæ Passionis, & Crucis sigillo sanguineo obsignare.

Septem oculis respexit Franc. Christum crucifixum.

SECTIO II.

Schala Iacob, quam ascendit Franciscus vsque ad Christum, à quo sanguineo sigillo consignatus.

AD perspiciendum, nanciscendumque primitiuum istud Franciscus dormiebat, & vigilabat simul eo modo, quem supra tetigimus, quemque modo explicaciori paraphrasi, atque respondentiori ad rem arcano ex Interpr. nostro demonstrabimus. *Vidit Iacob in somnis Schalam super terram, & cacumen tangens Cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum schalæ*. Hanc schalam proponens Interp. noster volentibus, nec valentibus Montē Tabor ascendere ad intuendum Iesum Christum transfiguratum, ob maximam talis ascensus difficultatem, ita misticè explicat serm. Dom. 2. Quadragesimæ de Transfig. *Sed crede mihi*, inquit, *difficilis est ascensus, quia Mons est excelsus. Vis ergo facillimè ascendere? habeas illam schalam, de qua Gen.* 28. Vidit Iacob schalam, &c. *Nota singula verba, & erit Euangelij concordantia*.

Arcanū circa schalam Iacob.

1 *Vidit*. Ecce peccati notitia, de qua Bernardus. *Non mihi det Deus aliam visionem videre, nisi peccata mea agnoscere*.

Visio schalę peccati notitia.

2 *Iacob*, idem & Iacobus interpretatiuè. Ecce carnis supplantatio, de qua Esau Gen. 25. *Et supplantauit me altera vice*.

Iacob. carnis supplantatio.

3 *In somnis*. Ecce Domini gratia, quæ somnum quietis, & pacis inducit. Somnus sic describitur à Philosopho. *Somnus est*

Somnus Domini gratia.

est quies animalium virtutum cum intensione naturalium. Cum enim aliquis dormit somno gratię, quiescunt in eo carnalia ab operibus suis prauis, & intenduntur spiritualia. Vnde Gen. 15. *Cum Sol occubuisset, sopor irruit super Abraham, & horror magnus inuasit eum*. Per Solem hic intelligitur carnis voluptas, quæ cum incubit, sopor, *idest extasis contemplationis* irruit super nos, & horror magnus inuadit nos de peccatis præteritis, & de pœnis Inferni. *Vis audire intensionem spiritualium cum remissione carnalium. Ego*, inquit Sponsa Cant. 5. *dormio, &c.* vt supra. Benè ergo dicitur, *Vidit Iacob schalam*.

Sopor extaticus cū nimio horrore.

4 Nota, quod ista schala duo habet brachia, & sex gradus, per quos patet ascensus. Ista schala significat Christum. Duo brachia diuinam, & humānam naturam. *Sex gradus sunt ipsius Humilitas. Paupertas. Sapientia. Patientia. Misericordia. Obedientia, &c.* Hæc schala *super terram stabat*, cum prædicationi, & miraculorum operationi instabat. *Cælum tangebat, cum in oratione Dei*, vt dicit Lucas cap. 6. *pernoctabat*.

Schala Iacob Christus

Ecce schala est erecta. Quare ergo nō ascenditis? Quare ergo manibus, & pedibus super terram reptatis? Ascendite ergo, quia Iacob videt per schalam Angelos *ascendentes, & descendentes*. Ascendite, ò Angeli, ò Prælati Ecclesiæ, ò fideles Iesu Christi, ascendite, inquam ad contemplandum, quam sit suauis Dominus. Ascendite ad subueniendum. Ascendite ad consulendum, quia his indiget proximus. Et post pauca alia claudit pulchrè Interpres. Confiditis vos posse ascendere per aliam viam ad montem Tabor, ad requiem luminis, ad gloriam cælestis beatitudinis, nisi per schalam Humilitatis, Paupertatis Dominicæ Passionis? Verè non debetis, quia verbum Domini est Lucæ 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, &c.* Ascendite ergo, ne timeatis, quia *Dominus innixus est schalæ*, paratus suscipere ascendentes. Hactenus Interpres.

Per hanc ascendendum ad Montem luminis.

Quantus gratiæ somnus in septē oculis, immò in centum, ac mille argici Frācisci, carnis, & mundi, & Satanæ supplātatoris celeberrimi, luminibus, quantusq; simul cordis sui vigilia, iam paucis tetigimus cum Bonau. cap. 10. illis verbis, sētiens Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, *cum iam ad terrena foris ad desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis*. Ecce eius gratiæ somnus, carens omni sensu circa amorem temporalium. *Ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem*. Ecce oculatissima in eo vigilia cordis, contendens ad cælestia per præsentiam Christi sui, quem à principio suæ conuersionis tollens illius crucem, eamque post eum baiulans, cruciformis totus euasit, totus Cruci cum illo confixus. Sic totus dormiens, totusque vigilans Dei famulus antequam ascenderet ad Montem Aluernæ per schalam Christum, & ad Christū, vt corporaliter etiam *Dominica Passionis, & Crucis sigillo sanguineo consignaretur*, toto vitæ suæ cursu, vt præcipuus inter illos Angelos, quos ascendentes, & descendentes per conspectam schalam intuitus est Iacob, extitit. Refert Bonau. in principio cap. 13. vbi agit de Stigmatibus sacris, ita dicens. *Mos erat Angelico viro Francisco nunquam otiari à bono, quin potius instar supernorum spirituum in schala Iacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad meritum diuidere sic prudenter didicerat, vt aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret*.

Quātus gratiæ somnus, ac vigilia in Franc.

In schala Iacob vt præcipuus Angelus Fran.

Ascendens hanc schalam, & vt cōtemplatiuus, & vt actiuus vir Seraphicus, ex parte vitæ contemplatiuæ vigil totus circa cælestia habebat dextrum brachium, scilicet Christi Diuinitatem. Ex parte verò vitæ actiuæ quiescens totus circa terrena, habebat sinistrum brachium, nimirum ipsius Christi Humanitatē. Ascendebat, descendebatque impigro gressu per prædictos sex gradus, magnamque Crucem simul baiulabat. In quolibet gradu erat vna Crux, & Christus ipse, qui innixus schalæ eum expectabat, Cruciformis erat, & eo modo, quo tandem ipsum reperiit super Montem Aluerniæ in Seraph transfiguratum, ac magis, quā tempore transfigurationis resplendentē. Itaque tota hæc Francisci schala, in quā & ipse transformatus, vt esset in Christo, & cum Christo reparandæ Ecclesiæ pro contemplatiuis, & actiuis schala, gradibus sex cruciformibus constabat, per quos ad Deum, Seraphicè cruci affixum, tandem ipse solus feliciter ascendit.

Vtraq; vita per eā ascendens, & descendens.

Sex huius schalæ gradus cruciformes

Schalam istam veluti præfiguratam declarat Bonau. cit. post enarratū sacrorum Stigmatum sacramentum, per apostrophen ad Franciscum in sex Crucis Christi apparitionibus, per quas gradatim peruenit ad septimam, & de quibus omnibus serio, ac verbatim in tomo posteriori, & in opusculo *De Stigmatibus sacris*. Illas apparitiones sic concludit ibidem Bonauentura, quarum sex gradus nun-

nuncupat. *Ecce iam septem apparitionibus Crucis Christi in te, & circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis, & monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam apparitionem, in qua finaliter requiescis, peruenisti, &c.* Quam septimam apparitionem ita paulò ante explicuerat. Iam denique circa finem, quod simul tibi ostēditur, *& sublimi similitudo Seraph, & humilis effigies Crucifixi interius te incendens, & exterius te consignans tamquam alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, qui signum in te habeas Dei viui*, & prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accepit testimonium veritatis, &c. Sequens deinde, terminansque totum illum discursum, sex prædictos gradus breui ad finem ascēsus, vsque adhuc non aliis concessum, licet omnibus exhibitum, vt singulare omnimodæ admirationis spectaculum, sic reducit.

Septima Franc. apparitio super Montem Aluerniæ.

Christi namque Crux in tuæ conuersionis primordio tam proposita, quam assumpta, & dehinc in conuersationis progressu per vitam probatissimam baiulata in te ipso continuè, & in exemplum aliis demonstrata tanta certitudinis claritate ostendit, *Euangelica perfectionis apicem te finaliter conclusisse*, vt demonstrationem hanc Christianæ sapientiæ in tuæ carnis puluere exaratam, nullus verè deuotus abiiciat, nullus verè fidelis impugnet, nullus verè humilis paruipendat. *Cum sit verè diuinitus expressa, & omni acceptione condigna*. Hæc Bonauent. Videns ergo Iacob Franciscus in somnis hanc schalam Christum crucifixum, eamque ascendens à principio, totus Christi Humilitas effectus est, totus Paupertas, & Sapientia, totus Patientia, & Misericordia, & Obedientia, totusque ipse Christus factus, & schala Ecclesiæ factus in opere Reparationis, vti Christus in opere Redemptionis. Per eosdem sex gradus ad septimum quoque peruenit ipse solus, eo quod omnes tenuit valde peculiariter iuxta ordinem, quem docet Bonauent. in opusculo *De septem gradibus contemplationis*. Ex his ducimur ad proponendam schalam Seraphicam, & in quolibet gradu, in quo pedes fixit Franciscus admodum excellenter, Franciscum vt exemplar contemplatiuorum, & actiuorum præsentare.

Totus Frāc. omnes virtutes erat.

PVNCTVM I.

Gradus vij. schalæ Seraphicæ, quos tenuit Franciscus, vt ad Dominum, à quo passionis suæ signis, & sigillo sanguineo consignaretur, perueniret.

D. BOnau. Contemplatiuorū aquilinos obtutus acui, & ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus supernæ dulcedinis affectans, septē gradus eò gloriosissimos, quò scientia experientiæ probatissimos in medium censui deducendos, reseratione quorum odorifera confido, quod tam intellectui splendoris copia, quam affectui deifici dulcoris affluentia piissimæ *Matris thearchica* exhalabit.

Omnia verba hæc sunt Bonau.

Primum igitur dicamus *Ignem*. Secundum *Vnctionem*. Tertium *Ecstasim*. Quartum *Speculationem*. Quintum *Gustum*. Sextum *Quietem*. Septimum *Gloriam*. Primò enim anima ignitur: ignita vngitur: vncta rapitur: rapta speculatur, vel cōtemplatur: contemplans gustat: gustans quiescit. *Hac in via possunt acquiri, non tamen subitò, sed gradatim. Citius autem hæc experitur, qui frequentius spiritualibus se exercet. Septimus in patria confertur abundantius iis, qui se in præcedentibus gradibus exercuerunt*. Frequentia Francisci in spiritualibus verè antesignana in pluribus dicenda, eiusque exercitatio in hisce gradibus adeo peculiaris, vt etiam septimū in vita per transeuntem gloriam, factus spectator diuinæ præsentiæ super montē Aluernæ, adeptus sit. Nec aliunde Aquilinus Bonau. intuitus adeò perspicax euasit, imò & ipsemet Aquila excelsa, nisi in nido scholæ Seraphicæ D. Francisci, cuius rimans intimè signa Dominicæ Passionis in corpore sui Parentis, dedit ei intra viscera Saluatoris perenniter habitare. Hinc scribens Francisci vitam, hacque Franciscum sequens ignitum, vnctum, extaticum, speculatorem, gustu ebrium, quiete tranquillum, gloria de claritate in claritatem transformatum, raptus corpore, & mente, in Christo crucifixo eum gradatim reperiebat. Et ipse quoq; tunc apud Ducem, Parentē, & Magistrum suū Seraphico igne accensus, rosaica vnctione Sancti Spiritus conspersus, extra se, & supra se, & intra Iesu Christi viscera eleuatus, deifica speculatione sublimis, gustu supercælesti tranquillus, in Patris

Hucusque Bonau.

In Francisci schola edoctus Bonau.

su i

sui gloriosis gestis, quæ scribebat, gloriosus, sicque septiformiter Sanctus, laborans pro Sancto, teste D. Thoma, qui eum videns raptum in Crucifixum, dixit: *Sinamus Sanctum, quia laborat pro Sancto.*

I. Gradus, super quem Franciscus vehementem ignem vndique inter vibratos radios emittit.

1. Ignis, feruens ad Holocaustum.

IGnis est vehemens diuini caloris, amoris feruor, ex camino supersplendentis Hierusalem flabellatus. Huius ignis calor contemplatiui, siue Sancti actiui viri animam, cum se ad orandum Deum effuderit in conspectu Dei, subitò eam valde perlucido splendore irradians, quamplurimum ignit, & arentes motus, affectionesque, malosque concremat, & exsufflat, teporem inflammat, & torporem expergisci facit, atque ipsam totam animam veluti vespertinum quoddam, & pinguissimum holocaustum diuino conspectui repræsentat, intuetur tunc, & gaudet.

Deus, & anima ad inuicem.

Deus adest, & pauet illa. Ille immissũ ignem auget, vt magis caleat. Illa ortas affectiones colligens, nutrit, vt eò amplius magis reddatur incendium, quò abundantius subministratur materia accendendi. Super hunc gradum pedem fixit, qui potest dicere cum Propheta Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Et iterũ Psal. 72. *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.*

II. Gradus, super quem Franciscus roseo, deificoque liquore cælitus superfunditur.

2. Vnct. rosacea, per totã animam diffusa.

VNctio est velut quidam roseus liquor, qui per totam animam se diffundens, ipsam erudit, corroborat, & confortat, disponens eam suauiter ad veritatis luculentias suscipiendas, atque pariter contemplandas. Hac cęlica vnctione perlinitus fuerat, qui dicebat, *Vnxit me vnctione misericordiæ suæ.* De qua rursum dicit Dauid Psalm. 132. *Sicut ros Hermon, qui descendit in Montem Sion.* Hermon interpretatur *Lumen exaltatum.* Habet autem significare infinitissimam Iesu bonitatem. Ipse etenim de se dicit Ioann. 8. *Ego sum lux Mundi.*

Quæ quidem lux de terra in Crucem, de Cruce verò fuit super pulchritudinem Cælorum omnium exaltata; ita vt licet semper potuerit, nunc autem conueniẽtius propter suæ humanitatis superpulchrificam claritatem adiectam dici queat superfluens candor, & supercandens splẽdor illius æternæ, & felicissimæ regionis. Ros igitur Montis huius descendit in Montem Sion, idest contemplatiui viri mentem, ipsius præcordia tam irrigando fœcundans, quam fœcundando irrigans; & calorem scilicet primi gradus leniter temperans, ne plus ardeant, quam oportet.

Lux Christus, tres gradus faciens.

Ros Hermõ in montem Sion quid.

Quod enim purificat *Ignis*, concremãdo, hoc *Vnctio* mulcet, suam pinguedinẽ perfundendo, vt capificilior fit diuinorũ, & pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditissimè emanantiũ; quibus quidem salubriter perlustrata, ita secundum Apostolum 1. Ioann. 2. vt nequaquam quisquam ibidem locus ignorantiæ tenebris pateat, vbi fulgeat copia tam gloriosi luminis.

III. Gradus, super quem Franciscus totus extaticus admiratur.

3. Extasis ad voluptuosa eleuationem

EXtasis est, deserto exteriore homine, sui ipsius supra se voluptuosa quædam *eleuatio ad superintellectualem diuini amoris fontem*, mediantibus sursum actiuis virtutibus pro viribus se extendens. *Virtutes sursum actiuas voco Humilitatem, & Puritatem.* Humilitate etenim fit exterioris hominis desertio. Puritate vero interioris homiuis sursum actio, quem quidẽ ad fontalem perducens radium, ibidem haurit sanctas thearchici amoris, & inolitas influitiones: quarum gratia posteriorum oblitus, ad anteriora Empyrei, & superlucidissimi tabernaculi se extendit. *Est enim extasim faciens amor diuinus*, non dimittens sui ipsorum amatores esse, sed amandorum, vt testatur secretorum Dei conscius, Dionysius lib. de diuin. nom. cap. 4. post medium. *Igitur si in vera, & non ficta Dei charitate sumus, & amore, in sancta extasi sumus*, interiorem hominem ad anteriora extendente, exterioris verò sicut posterioris obliuisci faciente.

Amor diuinus extasim facit.

IV. Gra-

IV. Gradus, super quem Franciscus affectuosus cælestium diuitiarum speculator, de claritate in claritatem transformatus, angelificatus apparet.

SPeculatio est beatorum, & supercælestium, & soli Deo scibilium diuitiarum intellectualis, & affectualis pia inuestigatio. *Contemplantur autem hi duo, scilicet Intellectus, & affectus*; sed intellectus longè dissimiliter ab affectu. Cum enim animus contemplatiuus, sensibus spiritualibus suspensis, synderesim in specula æterna extendit, apex intelligẽtiæ, & principalis affectio pariter feruntur mutuò in diuina se promouentes, & æqualiter ascendentes, illa speculando, hæc verò desiderando.

4. Speculatio supernorũ affectuosa.

Præcurrente autem Intelligentia, nec ingredi queunte, vtpotè per speculum videns, foris remanet. Affectio, quæ nescia est speculi, intrans vnitur, secundum illud 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. Ingressoque intellectu, qui ante conatu suo ingredi non poterat, à superessentiali, & superintellectuali deifica bonitate hilariter excipitur affectio ipsa. Susceptamque superferuidè ipsam desiderantem, & se sursum pro viribus impingentem, ipsam in se profundius trahens tam Intelligentiæ super clarorũ radiorum pulchrificans claritatem fontani splendoris, quam affectioni thearchici, & superimmensi saporis suauiter sanctum desiderium nutriens, suauitatem superlucidissimam elargitur. Postea illis sic gustantibus, illam magis desiderantibus, magis seipsam diuina bonitas immittit, & abundantius superfulget; quoniam multum diligunt illam summam veritatem, hoc summum bonum.

Intelligẽtię & affectionis officia.

Gustus earũ ex diuina bonitate.

Felix nimis, qui huius gradus collem attingit. Hic planè Angelificatus in præsenti futuram iam inchoauit vitam. Ex quibus fuerat, qui dicebat 2. Corinth. 3. *Nos autem reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem transformamur imaginem à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu*. Vbi potissimè diuinus ille Apostolus vtilitatem expressit contemplationis. Quid enim est reuelata facie gloriam Domini speculari, nisi remota omni impuritate, faciem nostræ Intelligentiæ velante, gloriam Dei, idest tam superignotam, & simplicissimam, & supersplendentem æternitatis claritatem, quã superineffabilem, & humanis mentibus non capi facilem omninò supercælestiũ substantiarum super trãquillissimam pacem, piè, purè, deuotèque rimari?

In hoc gradu angelificatur viator.

A claritate in claritate transiens.

Quid verò est taliter speculantes in eandem imaginem transformari, nisi quia causa superactiuæ suauitatis sunt hæc eadem, quæ imaginati sumus, vt nos à nobis abstractos, & in seipsa absortos, ita torrente voluptatis nos potant, vt necesse sit, de terrenis in cælestes, de carnalibus in spirituales, de hominibus in quodammodo Angelos transformari?

Quia à seipso abstractus transit in alium.

Sic ergo intelligo verbum, *In eandem imaginem transformari*, idest in eadẽ imaginata. Benè autem dicitur *à claritate in claritatem*, tamquam à Domini spiritu manuducti supersanctissimis diuinis splẽdoribus adimplemur, & per hoc de cognitione in cognitionem proficimus, sicut per Prophetam dicitur Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Hæc contemplatio, vel inuestigatio quasi nihil habet periculi, vel laboris. In animo pio, puro, & vacante habet vtilitatem inæstimabilem, etiamsi nihil inuestiget.

In gradu hoc quasi nihil periculi, vel laboris.

V. Gradus, super quem Franciscus intra thearchicum bonitatis pelagum per superineffabilem gustum totus, & totaliter immergitur.

GVstus autem est superinæstimabilis diuinæ dulcedinis persuauis quædam, & insolita prælibatio, ex Cellario Sancti Spiritus in Sanctorum Contemplatiuorum animas distillata. Prælibatio, dico, quoniam per modicum valdè est, quod nobis ex ista iam supermagna multitudine diuinæ dulcedinis tribuitur; quod prouisiuè, & superineffabili thearchica bonitate fieri, non est dubium. Dũ enim stillatim æternis, & supersuauibus illis influitionibus recreamur, frequẽtius nos ipsos orationibus extendimus, atque ad cumulos omnimodæ plenitudinis anhelamus. Quamuis autem vtrumque faciunt diuinæ illæ prælibationes, efficiunt enim esuriem, non saturitatem pariunt.

5. Gustus à diuina prælibatus dulcedine.

Beneficio huius gradus cognitio experientiæ tribuitur, per supercælestium substantiarum cognitioni conformamur. Quidquid enim diuinæ Mentes nouerunt, hoc illius experientia probauerunt. Quia sicut Sol terris, sic ipsa simplici cognitione prælata est. Gloriosi, & felices illi, qui super verticem huius gradus eleuati sunt. Eructant planè ibi abundantiam suauitatum æternarum

Experientia probat in hoc gradu cognitionẽ.

rum

rum nuptiarum, vacant, & vident, *quam suauis est Dominus.*

VI. Gradus, super quem Franciscus concreata quadam, atque congenita quiete vtroque homine mirabiliter supra vtrumque hominem tranquillatur.

6. Quies totam absorbens animã.

QVies est totius animæ mira quædam, & suauis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinẽ concreata. Solis valdè spiritualibus experientia huius quietis conceditur, quibus & datur etiam ipsas supercælestes substantias contemplando transcendere. Superignota enim bonitas, ipsis familiaris, seipsam eis immittit, & ipsi, tota virtute dilatato sinu sancti desiderii, potenter suscipiunt beatas immissiones, animalibus, & præsuntuosis omninò incognitas.

Vnde deificæ quietis emanatio

Sic igitur puris [illegible] Contemplatiuorum animabus [illegible] insueto nutrimento ditissimè adimpletis, splendescit ipsorum ratio. Dulcescit concupiscentia. Hilarescit irascibilis; ex dilectione quorum deificam illam quietem, non ambigimus, emanare. Hic gradus gloriosior, & pretiosior est, quo vltimo modo gradui, qui solum patriæ est, appropinquat.

VII. Gradus; super quem Franciscus Viator permanenter, comprehensor transeunter, in terra, & in Cælo reuelata sibi Seraphica Christi facie signis Dominicæ Passionis, & sigillo Crucis sanguineo consignatur.

7. Gloriã, de qua non licet homini loqui.

DE *septimo* gradu tutius tacendum censui, quam loquendum; quoniam nulli viatorum ascensus, siue visio huius gradus patere potuit nisi illi cælesti Paulo, qui se raptum vsque ad huiusmodi per sacram scripturam asserit 2. Corinth. 12. Felix certè superdulcissimæ, & gloriosissimæ *Virginis Mariæ anima, cui hoc datum est in via, quod nulli Sanctorum aliquando possederunt. Portauit ergo illam gloriam, à qua portantur cæteri. Ascendit illa gradum hunc per fidei cognitionem: descendit ille ad eam per carnis assumptionem.* Quid hunc gradum, hanc gloriam censeam dici? Nihil aliud, quam ipsum; quem peperit, quem lacte Virgineo educauit, manibus eburneis contrectauit, dulcissimo gremio fouit, pudicissimo vultu blãdiebatur, castissimo amplexu complexa est *Dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.*

Paulus semel viator, & comprehensor.

B. Virg. per gratiã semper, sicut Christus per miraculum.

Hæc est tota illa Seraphicæ Schalæ D. Bonau. graduatio, cuius gradus distinximus per suos numeros, super quos etiam posuimus B. Franciscum veluti *omnis perfectionis exemplar.* Per septimum autem gradum eum peruenisse super Montẽ Aluernam ad gloriam illam, quam multi Theologi concedunt transeunter Iacob, qui dixit Gen. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem.* Moysi super Montem Sinai, Eliæ à curru igneo translato, D. Paulo rapto vsque ad tertium Cælum, & nonnulli B. Francisco, *ad quem venit in Aluerna verticem Rex è Cælo amictu Seraphico,* & cum seipso gloriam suam ostendit, ipsumque per se immediatè confodit, eiq; propria vulnera tradidit, clauosque reliquit. Sed circa hanc sententiam in proprio tractatu. Christus ab instanti suæ conceptionis, in qua fuit anima beatus, fuit in terris viator, & comprehensor semper, sed per miraculum. Eius Mater etiam sic, sed per gratiam, vt videtur concedere Bonau. & explicat Vulpes. Moyses semel, & Elias, & Paulus etiam, & Franciscus, quilibet autem raptim. Moyses quando accepit legem; Elias quando ab Eliseo diuisus; Paulus quando habuit raptum. Franciscus, quando à Christo vulneratus, & in cœtu Sanctorum ipse solus tam raro priuilegio insignitus.

Moises etiã semel, semel que Franc.

PVNCTVM II.

Schalæ Seraphicæ Bonauenturæ respondet alia schala, etsi rusticana Interpretis nostri. Per quam etiam ascendit Franciscus, peruenitq; ad signorum Dominicæ Passionis consignationem.

EGressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis. *Matth. 15.* Gressus Iesus, qui est Aquila magnarum alarum, sequutus est Bonauentura *acuens* in septem ordinandis gradibus prædictis, *Contemplatiuorum Aquilinos obtutus,* vt ipse in exordio fatetur. Verum Interpres noster eundem Iesum sequens, eiusque, iam ad partes Tyri, & Sidonis pergentis, egressionem,

Discrimen inter schalã Bonauẽt. & Antonii de Padua.

quod in Cęlis summæ Trinitatis propinquius est, & à quo eminens, felixque in Hierarchico spirituum supernorum imperio Princeps, vertigine superbiæ suæ supergressus infeliciter corruit. Et quoniã (sequitur Bonau. ibidem inferius) *Humilitatem* tam in se, quam in subditis cunctis præferebat honoribus, *amator humilium Deus* altioribus ipsum dignum iudicabat fastigijs, secundum quod vni frati, viro virtutis, & deuotionis præcipuæ visio celitus ostensa monstrauit.

Hic fuit B. Pacificus Poeta Laureatus,

Cum enim esset in comitatu viri Dei, & vna cum ipso in quadam Ecclesia deserta feruenti oraret affectu, in extasi factus, *vidit inter multas in Cælo sedes vnam præ cæteris digniorem, preciosis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem*. Miratus intra se pręcelsi refulgentiam throni, anxia cępit cogitatione perquirere, *quis ad illum deberet assumi*. Audiuit inter hęc vocem, dicentem sibi. *Sedes ista vnius de ruentibus fuit, & nunc humili seruatur Francisco*. Reuersus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum, exterius prodeuntem solito fuit more secutus.

In sede Luciferi ex singulari humilitate a ssumptus Franc.

Cumque incedentes per viam, de Deo inuicem loquerentur, frater ille visionis suæ non immemor solerter ab eo quæsiuit, quid de se ipso sentiret. Ad quem humiliter Christi seruus. *Videor, ait, mihi maximus peccatorum*. Cui cum frater diceret ex aduerso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit. *Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè, quod multò, quam ego, Deo gratior esset*. Confirmatus fuit frater ex tam ad mirabilis Humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Euangelio sacro testante cognoscens, *quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus eijcitur, verè humilis exaltetur*. Hucusque Bonau.

Nouum humilitatis arcanum,

Sedem illam, à B. Pacifico visam, humiliq; Francisco seruatam, fuisse sedem, vnde corruerat Lucifer, prout communiter asseritur. haud obscure apparet ex citatis etiam verbis Bonau. Si enim dignior erat præ cæteris, ergo dignior in ea sedebeat, scilicet omnium spirituum Princeps, præ cæteris dignior. Vnde respon. sio præfata ad vnum de ruentibus ab ea sede refertur, & ad vnum Franciscum, ad ipsam sedem ob suam humilitatem exaltandum. Quia verò in cętu omnium Humilium, qui magis Christo, & eius Matri accessisset, veluti Princeps, & primus constituendus erat Franciscus, congruũ quidem erat, vt eam sedem mereretur, ex qua in cœtu omnium superborum corruerat ille, qui de dignitate præessendi valde supra se ipsum superbiens, elegit superbiæ esse caput. Et animaduertendum accuratũ ostensæ sedis ornamentum, dum ait *pretiosis ornatam lapidibus &c.* In quibus, ni fallor, alludit historicus noster ad id, quod scribit Ezech. cap. 28. vbi sub figura Regis Tyri alloquens summum ordinum Angelorum Rectorem ita inquit. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore. In delicijs Paradisi Dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuum. Sardius, Topatius, & Iaspis. Chrysolitus, & Onix; & Berillus, Saphirus, & Carbunculus, & Smaragdus &c.*

Ita in cœtu humilium Christum imitatus Franc. Princeps, vti in cętu superborum Lucifer.

Nouem genera gemmarum in isto operimento Principis cęlestium spirituum enumerantur, omnique lapide precioso eius vestimentum, vt ait textus, ex his nouem generibus videtur constare; eo quia in hæc nouem genera à Propheta resoluatur. Ratio est, quia cum nouem sint ordines Angelorum, & vnus ex priori ordine, cunctorum Principe, constitutus esset Princeps, & caput omnium; sub illa nouem gemmarum genera cunctam Monarchiam, nouem ordinibus, summo, medio, infimo conflatam amplexus est. Docet Interpres noster serm. Dom. in sexagesima vbi sic loquitur de geminæ dilectionis perfectione, ob quam vnusquisq; Angelica perfectione decoratur. Perfectio, inquit, geminæ dilectionis perducit ad perfectionem Angelicæ beatitudinis, *quæ in nouem Ordinibus ab Ezechiel 28. sic destinguitur*, vbi loquitur ad Luciferum sub tipo nouem lapidum. *Omnis lapis pratiosus operimentum tuum, Sardius, Topatius &c.*

Nouem ordines Angelorum sub 9. generibus gẽmarum.

Geminæ dilectionis perfectio.

Lucifer, qui corruit ex superbia, Seraph erat, & in illo ordine primus, ac propterea cęterorum Ordinum Princeps; summitas enim Principatus omnium nouem Ordinum Angelorum, in tres Hierarchias distinctorum, in priori Ordine reperitur, in quo Ordine sunt *Seraphin*, in secundo *Cherubin*, in tertio vero *Throni*; qui tres ordines constituunt primum primam Hierarchiam, quam *summam* nuncupant. Nam *Dominationes, Virtutes, Potestates* constituunt *mediã Hierarchiã, infimam* vero *Principatus, Archangeli, Angeli*.

Lucifer in Ordine Seraphinorum primus, ac sic omnium Princeps.

Hanc graduationem sequitur Bonau. in Opusculo de Ecclesiastica Hierarchia. Qui ergo primus in centro fornacis cordis Humilitatis Seraph euaserat terrenus, dignus quidem se reddidit, vt illam sedem nancisceretur, ex qua primus Seraph cęlestis, in superbia cordis sui tanto altè elatus, quanto profundè in damnatione deiectus, iustè corruit.

Et

Cur Franc. vir Hierarchichus nũcupatus.

Et hęc potest esse alia ratio fundamentalis, cur, *virum Hierarchicum curru igneo vectum* nuncupauerit Bona. Franciscum in prologo Legendæ, vt alias aduertimus. Nam paulo ante immediatè, antequam ita ipsum appellaret, *incendio seraphico totum ignitum* vocat. Erat cor Humilitatis in corde Francisci ita gratuitè primum, sicut in eius conceptione cor fuerat naturaliter primum. Spiritus, quo tale in ipso gratuitum cor vinebat, flammeus erat, ac proinde Seraphicus. Quod indigitauit superius Bonau. illis verbis *sancta Humilitatis spiritu inflammatus*. Et interpres noster ignitam demonstrat Humilitatis virtutem ad cordis similitudinem, in quo omnis caloris naturalis fontalis origo, veluti in quadam fucina seruatur. Igitur eadem virtus humilitatis quæ totum seraphicum nimirum accensum, & ardentem effecerat Franciscum, & totum quoque effecit Hierarchicum, constituens eum in sede illa, ex qua corruerat ob superbiam primus Seraph, omnium Ordinum Princeps; & vt sic & ipse Hierarchicus, ceu omnium caput, & Rector, licet Franciscus vt omnium nouem ordinum continens, participansque prærogatiuas iuxta doctrinam Interpretis nostri supra citati de geminæ dilectionis perfectione, & alibi de nouem Ordinibus Angelorum. Sed quo ad regimen vt caput & Princeps Seraphicus trium Ordinum, qui à summo Ordine primæ Hierarchiæ Seraphici & ipsi appellitantur.

Humilitas fons caloris amoris Dei.

Ex quo patet, quod ratione tantæ Humilitatis primus Seraph inter homines effectus Franciscus in illa prima sede adeo proprinquè accedit Trinitati vt illi fieret penè immediatus.

Non me fallit Seraphica Angelici Doctoris sapientia ex art. 6. quæst. 508. p. 1. vbi inuestigãs de ordinibus cœlestiũ Spirituum cur primus, ac summus Ordo vocetur Ordo Seraphinorum, ita faciliter, ac succinctè de more explicat. Primus autem Ordo est diuinarum Personarum, qui terminatur ad Spiritum sanctum, *qui est Amor procedens*, cum quo *affininitatem habet supremus Ordo prima Hierarchia ab incendio amoris denominatus*. Vt autem primo, ac diuino Ordini tertiæ personæ, scilicet spiritui sancto appropinquaret immediatè Franciscus, & idoneus idcirco ipse fieret, vt repararet Ecclesiam; quam superbia Luciferiana in excidium impulerat, & ea humilitatis vi, qua Christus ipsam ab initio fundauerat, tale cor à conceptione formauit Francisco Deus, quale postea capax esset, vt in fornace humilitatis totam fermè cum Christo, &

Ordo Seraphinorum affinis est spiritui Sancto.

in Christo huiuscæ virtutis accensionem, & dilectionem continere posset. Vnde Baronius tom. 12. ad ann. 1182. Planè Deus Ecclesiam suam, in deterius declinantem, collabente deprauata morum disciplina, ad erigendam eam, *in conflatorio Diuini spiritus hunc Apostolicum formauit hominem*, qui mundi contemptum, ac paupertatem, non affectu tantum (quod ad SS. Patrum imitationem sufficere potuissent) sed effectu etiam consequutus est. Hæc Baronius altè, ac sententiosè.

In conflatorio Diuini spiritus effor matus Franciscus.

In conflatario, seu fornace Spiritus sancti vix Franciscus efformatus, quod primo, vt primitiuum in mundo esset, in ipso factum est, fuit cor humilitatis. Nam Mundi contemptus, atque Paupertas affectu, & effectu, (illum statim, consultoque à Baronio in efformatione gratuita Francisci, intra Spiritus sancti fornacem coagulati, appositum, hanc verò, scilicet Paupertatem postea, atque immediatè) adeo in Humilitate radicantur, vt idem sint cum ipso, quod etiam docet Interpres noster pluribus in locis. Ergo quod primo vt cor vixit in Francisco, spiritualiter efformato, fuit Humilitas, ob quam in contemptu Mundi, & in Paupertate primitiuus extitit. Vt autem talis esset Humilitate supra cæteros, tanta propinquitate summæ accessit Trinitati per tertiam eiusdem personam, vt totus intra fornacem Spiritus Sancti immersus videretur. Quod enim in conflatorio formatur, in ipsum conflatorium immergi proculdubio necessarium est.

Intra fornacem Spiritus sancti coagulatus Fran: cor humilitatis primò ibi accepit.

Vlterius. Refert historia Seraphica, visum semel fuisse in Cęlis Franciscum haud esse in Ordine Seraphinorum, sed exire à vulnere dextri lateris Saluatoris. Hic namque cuidam, in spiritu ad cęlestia rapto, nec Franciscum in aliquo supernorum spirituum Ordine reperienti, anxieq; perquirenti, vbi ille esset; statim, eleuans brachium dextrum, e suo perfosso pectore eum exire monstrauit. Militis Lancea non solũ latus Christi dextrũ aperuit in Cruce, verum etiam & cor vtraq; parte perforauit, vt D. Bridæ reuelatum. Quare veluti in Christi pectore, ac corde, in quo posita fornax Spiritus Sancti, efformatus Franciscus, ex ipso deinde sic efformatus exire visus est. Mundi cor nuncupatur sol, quia ipse intra vastum Orbis corpus est fons totius caloris, in globi forma, in qua etiam à natura primum formatur cor, ab auctore naturæ creatum. Hinc interpres noster loquens de dextri lateris Christi plaga, eam *Ciuitatem solis, è quo effulsit splendor aterna lucis*, de-

Cur Franc. in vulnere laterali Christi visus.

Sol Orbis cor nuncupatus.

Ciuitas Solis plaga lateris Christi.

denominat in serm. Dom. 1. Aduentus. Bonau. deinde, vt scripsimus in sect. 2. lib. 4 Euent. 9. apparuisse Leuitam Franciscum 12. primis suis Apostolis, vix sibi approbata ab Innoc. III. lege, super igneum currum ad instar lucidi globi solaris, scribit in cap. 4. Legendæ. Ad cor altum profundissimæ humilitatis Christi quia Franciscus, seraphicè pennatus ab ipsa Humilitate, propinquissimè accesserat, dignum planè fuit, vt intra cor Christi veluti in conflatorio diuini spiritus formaretur: Et ab ipso exiret per vulnus lateris totus ignitus effectus, totus in globum illum solarem transformatus, qui ipsum vulnus laterale Ciuitatem solis fecerat, in cordis formam, per suas flammas vndiq; prorumpentem, fabrefactam, eo modo, quo ipsa Humilitatis forma describitur ab Interprete nostro, dicens vt supra *In corde Humilitas designatur*. Quæ quidem virtus in Francisco circa ea omnia, ab Interprete in priori hoc textu allata excellens, ipsum primitiuũ in Ecclesia effecit.

Franc. ad instar globi solaris.

Totus in globum solarē vulneris lateralis transformatus.

Textus Interpretis II.

Post formationem, & creationem cordis, &c.

Partium distinctio in spiritali Francisci Conceptione, capitis, & oculorum procreatio.

1. POstquam in corde Hominis est formata *Humilitas*, tunc fit distinctio partis inferioris; quia pars superior dignior est inferiori, ideo formatur prius, & in ipsa prius apparent caput, & oculi. *Pars superior est vita contemplatiua*, in qua prius apparet, & debet apparere *Caput*, scilicet *Charitatis*, de quo Cant. 5. *Caput eius aurum optimum*. Aurum est purum, & lucidum. Nam charitas debet esse pura ad Deum, lucida ad proximum. Et apparent oculi, *idest cognitio aeternæ felicitatis*.

Pars superior in spiritalis fœtus conceptione

Caput, Oculi.

2. *Vita actiua* tanquam pars inferior debet seruire contemplationi, quoniam inferior pars non est nisi propter partem superiorem, Vnde Apostolus 1. Chorint. 10 *Non Vir propter mulierem, sed mulier propter Virum est creata*. Quia non contemplatiua propter actiuam, sed actiua propter contemplatiuam est instituta.

pars inferior

3. Et sicut cerebrum membrum frigidum est, positum in opposito cordis, vt ipsius temperet calorem, sic *Vita contemplatiua*, quæ consistit in mentis compunctione, est posita ex oppositione *Vitæ actiuæ*, vt sua oratione, lacrymarum compunctione, laboris feruore, tentationis eius calorem temperet, quæ in cordis humilitate consistere debet.

Cerebrum in opposito cordis.

4. Et sicut magnitudo capitis est maior aliorum mebrorum, sic gratia contemplationis est sublimior, quia Deo, quem contemplatur, est vicinior. Sed heu quanti infantes; idest menti instabiles magnitudinem huius capitis conati sunt ferre, sed longo tempore non potuerunt portare propter sui magnitudinem. *Solus Abraham* (idest Vir iustus) *cum puero*, (idest mentis puritate) *ascendit in montem* vitæ contemplatiuæ. *Pueri autem remanserunt in Valle* delectationis mundanæ, *expectantes cum Asino*, idest asinina tarditate. Gen. 22. Hæc omnia ex textu literæ Interpretis nostri desumpta sunt.

Magnitudo capitis.

Asinina tarditas non ascendit ad montem cō templ.

Ad efformandam superiorem partem fœtus Seraphici in conceptione Francisci intra Matris suæ vterum eò studiosam dicerem naturam, ab auctore naturæ peculiariter directam, quo studiosiorem testandam fore gratiam assererem. Illi namq; gratuitò per condescendentiam quandã clementissimæ Dominę ad ancillam suam dilectissimam quasi ipsa gratia respondit circa superiorem partem fœtus spiritalis, postea in ipso Francisco adeo mirabiliter efficiendi, vt ipsa natura, & gratia ob eius nouitatem obstupescerent. Cor & oculos spirituales in vita contemplatiua Francisci, cui vt parti superiori pars inferior, idest vita actiua inseruiebat, cum inextinguibili Martyrii siti annectit Seraphicus Historicus in cap. 9. Legendæ, in quo non poterat aptius primitiuam prædicare geminam Francisci charitatem nimirum erga Deum, & erga proximum; quam eam eius linguæ sufficienti enarrationi imparem esse, fateri. *Charitatem feruentem*, inquit, *qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficit? Totus nanque quasi quidam carbo ignitus diuini amoris flamma videbatur absortus*. Carbo ignitus cordis similitudinem exprimit, quo pacto sicut Franciscus humilitatis ignitum cor totus factus, totus, & totaliter Humilitas erat, & ob hanc virtutem moralem totus ignis videbatur; ita etiam totus caput erat quoad charitatem, totus in ea carbo ignitus erat, totus charitas erat in totam humilitatem, & charitatem, quæ Christus est, transformatus. In illo vno Seraph, qui volauit ad Isaiam cap. 26 intelligit Interpres noster Christum, cuius humanitatis symbola per ignitum calculum, ab altari forcipe desumptum proferre, idem Interpres docet in serm. Dom.

Charitas Francisci quanta.

Seraph. Christus, & eius Humanitas ignitus calculus.

13. post

13. post Trinit. *Calculus*, inquit, *est Humanitas Christi, qui propter sui humilitatem terræ, idest peccatoribus admixtus, à Iudæis fuit calcatus. Sed nobis fuit ignitus carbo, vitia nostra purgans.* Itaque in hoc calculo ignito nec sola Humilitas vt cor, nec sola Charitas vt caput (illa peccatoribus admixta, & à Iudæis calcata, hæc vitia nostra purgans, ac mundum redimens) in Christi humanitate; etenim ad inuicem distinctæ non sunt, imò inseparabiliter iunctæ.

Igitur dum carbo ignitus per Charitatem erat Franciscus, in Christi humanitate, in quam transformabatur, caput erat. In eius autem humilitate cor erat flammeum, & accensum. Per istud cor factus in Christo calculus ob mixtionem cum peccatoribus, Iudæis ipsis peioribus, ad quos saluandos missus fuerat, calcatus fuit multipliciter. At per caput factus ignitus carbo, vitia, ac scelera hominum purgauit opere reparationis. Et in hunc modum erat eius caput, scilicet Charitas, sicut Christi caput, nimirum aurum optimum, vt dicit Interpres, quoniam Francisci charitas Seraphica puritate excelluit per eleuationem ad Deum: Luceque quasi incomparabili refulsit ad proximũ, illum vita cōtemplatiua sibi propinquissimum, imò cum se velut vnum faciens (& hæc pars superioris fœtus eius spiritualis) hunc actiua vita multipliciter in se transformans, triformiterque reformans, ac reparans, saluansq; & hæc pars inferior prædicti fœtus.

Francisc. in Christo cor & caput ignitũ, aureis radiis fulgens.

Tetigit paucis Bon. verbis, pulchroq; exemplo hanc Franc. ad Christum consonātiam loco citato immediatè, vbi reddens rationem, quare Franciscus veluti carbo ignitus videretur ob virtutem Charitatis, ita subdit. *Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ corda cordis interior tangeretur.* Et quia in Francisco caput istud Charitatis cordi humilitatis conformabatur ad miraculum circa superiorem vitæ contemplatiuę partem, ad miraculum quoque (alto huic cordi altissimum respondens caput) cum in summum bonum ab infimis rebus eleuatum describit Bonauētura ita subdens. Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum, *exultabat in cunctis operibus manuum Domini*, & per iucunditatis specula in viuificam consurgebat rationem, & causam. *Contuebatur in pulchris pulcherrimum*, & per impressa rebus vestigia prosequebatur vbique dilectum *de omnibus sibi scalam faciens*, per quam condescenderet ad appræhendendum eum, *qui est desiderabilis totus*. Inauditæ namque deuotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tāquam in riuulis degustabat; & quasi cælestem concentum perciperet in consonantia virtutum, & actuum eis datorum à Deo, ipsas ad laudem Domini more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur, &c.

Sympathia harmonica Franc. amātis erga amorem Domini.

Alto cordi Franc. altissimum respondebat caput.

Quæ deinde sequitur Bonauentura, caput charitatis Francisci siti martyrii adnectens, & illud, & hanc simul parti superiori ceu Reginæ, & parti inferiori ceu ancillæ, tantæ Reginæ famulaturæ, coniungens, gradatim varia obiecta respiciunt. Quorum

Obiecta ad quæ caput charitatis Franc. dirigebatur.

1 Omnium Princeps *Christus Iesus crucifixus, in quem optabat*, inquit, *per excessiui amoris incendium totaliter transformari.* — 1. Christus crucifixus.

2 Mox *ipsemet Christus, latitans in deserto*, diebus quadraginta, & totidem noctibus ibi ieiunans, pro quo quadragesimam Epiphaniæ faciebat. — 2. Christus in deserto.

3 *Sacramentum Dominici Corporis*, erga quod flagrabat feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, & dignantissimam charitatem. — 3. Christus in Euchar.

4 *Mater Domini nostri Iesu Christi*, quā indicibili complectebatur amore, &c. Ad honorem ipsius (inquit) à festo Apostolorum Petri, & Pauli vsque ad festum Assumptionis deuotissimè ieiunabat. — 4. Christi Mater.

5 *Angelici Spiritus*, ardentes igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorum animas inflammandas. His erat Franciscus amoris vinculo copulatus, *& ob deuotionem ipsorum ab Assumptione Virginis gloriosæ quadraginta diebus ieiunans*, orationi iugiter insistebat. *B. autem Michaeli Archangelo*, eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore deuotior propter feruidum, quem habebat zelum ad salutem omnium saluandorum. — 5. Angelici Spiritus.

6 *Sancti omnes*, ex quorum recordatione tamquam lapidum ignitorum in Deificum recalescebat incendium. — 6. Sancti omnes.

7 *Apostoli omnes*, & præcipuè *Petrus, & Paulus* propter feruidam charitatem, quam habuerunt ad Christum. *Hos summa deuotione complexans, ob eorum reuerentiam, & amorem Quadragesimæ specialis ieiunium Domino dedicabat.* — 7. Apost. omnes, sed in specie Petri & Paul.

8 *Salus animarum*, vtraque vita, contemplatiua, & actiua inhianda. Non habebat aliud Christi pauper (subdit Bonauentura) nisi duo minuta, corpus scilicet, & animam, *quæ posset liberali charitate largiri.* Sed hæc per amorem Christi — 8. Salus animarum

sic

sic offerebat continuè, vt quasi omni tēpore per rigorem ieiunii corpus, & per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustū, & in Templo interius concremans thymiama. *Sic autem eum charitatis excessiua deuotio sursum in diuina ferebat, vt eiusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes, & gratiæ dilataret.* Quem enim creaturis cæteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si creaturis insignitus imagine, & sanguine redemptis auctoris *germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit.* Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eò maximè probans, quod Vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in Cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Vnde quotiens austeritas nimia repræhenderetur in ipso, respondebat, *se datum alijs in exemplum*. Licet enim innocens eius caro, quæ iam se spontè subiiciebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamen exempli causa renouabat illi pœnas, & onera, *custodiens propter alios vias duras*. Dicebat enim cum Apostolo 1. Corinthiorum 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem in me ipso non habeam, & proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum alijs, mihi nihil.*

Deuotus erat Fran. ad diuina excessiuè.

Flagellis nō indigebat innocēs Frācisci caro

9. Martirum triumphans.

9 *Feruenti quoque charitatis incendio gloriosum Sanctorum Martyrum æmulabatur triumphum,* in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea & ipse illa perfecta charitate succensus, *quæ foras mittit timorem,* cap. 4. Ioan. 1. per martyrii flammam hostiam Domino se offerre viuentem, vt vicem Christo, pro nobis morienti rependeret, & ad diuinum amorem cæteros prouocaret. Probat id Bonau. in praxi ex tribus itineribus, quæ Franciscus hac ratione assumpsit, licet in cūctis à sua spe frustratus. Primum in partes Syriæ ad Asiam sexto conuersionis suæ anno. Secundum ad Marrochium in Africam ad Regnum Miramolini, in quo itinere audi, pie Lector, quibus verbis ipsum tibi ad viuum resonet Bonauentura, eum describens currentem, quinimò aduolantem cum Christo ad sitim martyrii, de quo aliàs cum Interprete nostro. *Tanto,* inquit, *desiderio ferebatur, vt quamuis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem, & ad exequendum propositum, festinus, & tamquam spiritu ebrius aduolaret.* Tertium iter, quod assumpsit iterum in partes Syriæ ad plagas Babilonicas, tanto animosior, atque ardentiori corde, ac velociori corpore assumpsit, quanto in aliis duobus magis, ac magis Dei placitum, ad alia ipsum dirigens, eius charitatis ignem nouis fomentis accendebat, ac maiori vi prouocabat.

Francisc. ob martirii sitim ad Siriā in Asia.

Deinde ad Marrochiū in Africa.

Verum, subdit Bonauentura, *Charitatis ardore spiritum ipsius ad martyriū perurgēte,* tertia adhuc vice, pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda, versus infideles proficisci tentauit. Tertiodecimo namque conuersionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, *vt Soldani Babilodiæ posset adire præsentiam, &c.* Et infra post enarrata, quæ contingerunt inter Soldanum, & Franciscum, claudit Bonauent. totum illud capitulum, verè Seraphicū, verè ignitum, ac enarratione charitatis Francisci genuina phrasi viuidum, pauca continens verba, sed flammas innumeras proferens. Sic itaque Dei ordinante clementia, & Sancti viri promerente virtute, misericorditer, & mirabiliter factum est, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret; & tamen nullatenus inueniret, vt & merito non careret optati martyrii, & insigniendus seruaretur in posterum priuilegio singulari. *Sic vtique factum est, vt ignis ille diuinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, vt post potentius euaporaret in carne. O verè beatum virum, cuius caro etsi tyrannico ferro non cæditur, occisi tamen Agni similitudine non priuatur. O, inquam, verè, ac plenè beatum, cuius animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.*

Tertio iterū ad Siriæ partes ad Soldanum.

charitas Frācisci excellens ad excellens priuilegium ordinata.

Hac admirabunda elocutione traxit ad finem caput illud 9. Bonauent. in quo iuxta eius numerum ad nouem etiam direxit obiecta caput aureum, suis radiis, ac flammis oculatissimum charitatis Francisci, parte superiori, atque inferiori, scilicet vita contemplatiua, & actiua perexcellens. In quo admirando Capite post humilitatis eius cor, immediatè à Dei gratia fabrefacto cum propria eminentia multa primitiua excelluerunt, ita ipsi congrua, sicut decebat, vt Reparator Ecclesiæ, Redemptori simillimus, primus esset, ac nouus in quamplurimis, & fere in cunctis ab ipso patrandis facinoribus. Inter haud pauca primitiua, & noua, quæ ibi Bonauentura, excurrens præfata nouē obiecta, scribit, duo expressiora sunt, alterum circa exercitia pœnalia ieiunii, quæ principaliora sunt, atq; nimis ardua, ac difficiliora in vtraque vita contemplatiua. & actiua; alterum verò circa id, quod tandem vir inclitus meruit adhuc viuens

Charitatis Franc. primitiua, ac noua plura.

Horum præcipua duo.

viuens in singularissimo sacrorum stigmatum priuilegio vir sanctus. Illum primitiuum cum respiciat tantum quatuor, reducit sacer historicus ad quatuor quadragesimas, quæ cum duabus aliis, vna ex præcepto Ecclesiæ (hæc cunctis Christianis communissima est) alia ex præcepto Regulæ (hæc solis Minoritis vniuersalis est) complebant numerum senarium. Omnes tamen quadragesimas, quibus præter sextas ferias ex mandato Regulæ, vigilias ex præcepto Ecclesiastico, & alios multos dies, ieiunabat Franciscus, numerant historici totidem, quot enumerat in dicto cap. 9. obiecta Bonau. Licet reuera tota eius vita assidua, austeraque abstinentia extiterit.

Nouem siquidem abstinentiæ tempora, nempè Quadragesimas (quod exercitium ipse primus in regulari vita incepit) sibi quotannis distinguebat.

Abstinentia cibi, & potus in 9. quadragesimas.

1 *Illam fidelibus communem* ex Ecclesiæ præcepto.

2 *Quam dicebat Spiritus Sancti*, quæque incipiebat à feria 4. post Pascha Resurrectionis vsque ad vigiliam Pentecostes.

3 *Petri, & Pauli* Apostolorum, ab octaua Pentecostes ad Apostolorum Vigiliam.

4 *Assumptionis B. Mariæ*, à prima die post festum Apostolorum vsq; ad vesperas prædictę solemnitatis.

5 *S. Archangeli Michaelis* ab ipsa Virginis Assumptione ad festum Dedicationis eiusdem Archangeli.

6 *Omnium Sanctorum* ab eodem Dedicationis die vsque ad illorum solemnitatem.

Hæc sub præcepto Regulæ.

7 *Natiuitatis Domini*, cui etiam suos sectatores ex Regulæ præcepto adstrinxit, quæ incipiebat à die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & terminabat in vigilia Natiuitatis.

8 *Regum Magorum* à die S. Stephani vsque ad Epiphaniam.

Hanc ieiunantes 40. benedicti à Domino.

9 *Christi, in deserto* ieiunantis, quæ sumebat initium ab altera die post Epiphaniam, & durabat per continuos 40. dies, quos Dominus suo sancto ieiunio consecrauit. Ad huiusce Quadragesimæ ieiunium suos consodales hortatus, non obligauit, aiens in cap. 3. Regula: *Qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sint à Domino, & qui nolunt, non sint adstricti.* Idcircò eam nostrates quadragesimam Benedictorum nuncuparunt.

Cum tanta cibi, & potus abstinentia magis ac magis tum vtriusque hominis vita, tum vtraque vita, contemplatiua, & actiua in Francisco tanto amplius vigorosior ad insuetos labores admirabatur, quanto plus nutrimentum omne in ipso igneum erat, procedebatque ex illa superplena charitate, quam idcircò eidẽ abstinentiæ veluti effectum causæ suæ annectit Bonauentura. Sic præseferebat Vir Sanctus illius Salamandræ Seraphicæ hierogliphicum, de qua Interpres noster in serm. Dom. 22. post Trinit. Salamandra dicta, eo quod contra incendia valeat. Hæc si se arbori irrexerit, omnia poma illius venenat, & ideo solum non vritur incendio, sed illud extinguit. Hæc dicitur Stellio, de quo Salomon Prouerb. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Stellio à colore dictus est. Est enim corpore pictus lucentibus guttis in modum stellarum. *In Salamandra Vir contemplatiuus designatur, qui solo igne charitatis viuit.* Vnde Eccl. 48. dicitur. *Surrexit Helias Propheta quasi ignis, &c.* Quia opus, & verba viri iusti ardent charitate. Vnde rectè dicitur Stellio, quia stellis, idest charitate in claritate boni operis lucidus. *Hic nititur manibus, idest operibus quoad proximum, & moratur in ædibus Regum, scilicet contemplatione quoad Deum.* Hæc Interpres ibi, explicans historiam naturalem quatuor animalium, quæ de quatuor elementis viuunt, suntq; Allecs, siue alicula pisciculus viuẽs in sola vnda. Chamæleon de solo aere. Salamandra de solo igne. Talpa de sola terra. Vide tom. 2. vbi de duodecim portis misticæ Hierusalem, per quæ ad Legem Fratrum Minorum, duodecim capitibus in sua abbreuiatione distinctam, intratur.

Abstinentia maxima in Franc. ex maximo charitatis incẽdio

Viuebat charitatis igne vt Salamandra.

Quatuor animalia viuunt de 4 elementis.

Quod autem spectat ad alterum primitiuum, omnium primitiuorum maximum, estque de sacris Stigmatibus, iam apertè, vt diximus, fatetur Bonauent. *Sicq; vtique* (inquiens) *factum est, vt ignis ille diuinus adhuc perfectius æstuaret in corde, vt post potentius euaporaret in carne, &c.* Verum auertenda accurata enarratio Bonauenturæ circa istud tam vnicum, tam singulare, tam ineffabile, plurimisque confertum miraculis in solo Francisco priuilegium, ac prodigium. Extitit sanè veluti effectus quidam admodum peregrinus, ingentisque charitatis Francisci & in seipso, & in sua peculiarissima causa primus. Sed num ab abstinentia illa quadragesimali disiunctus, qua idcirco vir Dei viuebat, solo pane, & aqua valde parcè contentus, quia ardebat solus, charitatis igne abundè nutritus? Respondebit Seraphicus Historicus cap. 13. quod est *de Stigmatibus sacris.* Biennio itaque, ait, antequã spiritum redderet Cælo, diuina prouidentia duce, post labores multimodos perductus est in locũ excelsũ seorsũ, qui dicitur Mons Aluernæ. Cum igitur iuxta solitum

Alterum primitiuum sacror. stigm sacramentũ.

solitum morem *Quadragesimam ibidem ad honorem Sancti Archangeli Michaelis ieiunare cepisset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cælestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cepit immissionum cumulatius dona sentire*. Ferebatur quidem in altum, non vt curiosus maiestatis perscrutator, opprimendus à gloria, sed tamquã seruus fidelis, & prudens inuestigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimodè summo peroptabat ardore, &c. Vide reliqua ibi. Caput Charitatis Francisci in vita illa contemplatiua, quæ tãto tunc temporis peregrinior, & recentior in ipso, altior, & eleuatior erat, quanto munus, ac donum, quod meruit, singulare, ac nouum, non prius flammeum totum ab interiori igne eleuari cepit, quam ab abstinentia quaresimali nouum, insuetumque fomentum acciperet. Portionis superioris, atque etiam interioris in hoc flammeo capite oculi illi erant, quibus tum vita contemplatiua, quæ sursum sũt cernens, Deo fit præsens in quantum potest, tum vita actiua, quæ deorsum inspicit, & ad quæ sursum sunt se dirigit. Hosce oculos, capiti charitatis Francisci virtute orationis iunctos ostenderat antea Bonau. cap. 10. quod intitulatur, *de studio, & virtute orationis*, vbi sic in principio, ostendens Franciscum & contemplatiuum, & actiuum simul, & vtroque modo accensum, & oculatum. Sentiens, inquit, Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, *cum iam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus*, ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mãsionum Angelorum conciuis iam factus, feruenti desiderio quærebat dilectum, à quo solus eum carnis paries disiungebat. Erat & operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat. Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumq; credens sine ipsa in Dei prosperari seruitio, modis quibus poterat Fratres suos ad eius studium excitabat. *Nam ambulans, & sedens, intus, & foris, laborans, & vacans, orationi adeò erat intentus, vt illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis, & corporis, verum etiam operis, & temporis dedicasse.*

Caput charitatis Franc. altius in sacr. stigmat. ex abstinentiæ fomẽto.

Oculi capiti huiusce oratio,

Contemplatiuus, & actiuus in sua oratione Franc.

Ambulans, & sedes, &c. orationi vacabat.

In qua ambulatione capite flammeus, idest charitate feruens, oculis radians, scilicet oratione fulgidus, siue ascendens ad Deum per partem superiorem, siue descendens ad proximum per partem inferiorem totus contemplans in ipsa actiuitate reperiebatur. *Nam ambulans, & sedens, &c.* Vtrinque perspicax, & impiger, vtrimque pariter dormiebat totus, & totus simul corde humilitatis vigilabat, aiens cum Sponsa Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*; inquit enim Interpres serm. Dom. 2. in Quadrag. Dormio, *idest quiesco ab amore temporalium*; & cor meum vigilat, *in contemplatione cælestium*.

Dormiebat totus, & vigilabat totus

Sic dum in corde humilitatis Francisci dormitio hæc totalis, hoc est omnimoda quies ab amore temporalium, & vigilantia totalis in contemplatione cælestium posita erat ex opposito vitæ actiuæ, vti cerebrum ex opposito cordis; *sua oratione, lachrimarum compunctione, laboris feruore, tentationis eius calorem temperabat*, imò extinguebat, *quæ in cordis humilitate consistebat*. Sic magnitudo capitis charitatis maior singulariter erat aliorum membrorum, scilicet aliorum virtutum in Francisco, & cum ipso capite pars superior, hoc est gratia contemplationis sublimior, quia Deo, quem contemplabatur, vicinior. Dixi singulariter; quia sicut inter veteres Patriarchas solus Abraham ascendens in montem, cunctis eminet, ex cuius semine Christus Iesus, ita inter nouos Patriarchas solus Franciscus super Aluernæ Montem contemplationis vacans, meruit Christum Iesum oculis suis intueri, sinumque facere per omnimodã animæ, & corporis transformationem. De oculis charitatis Francisci sub numero septenario vide paulò infra.

Franc. inter nouos Patriarchas primitiuus 2.

Textus Interpr. III.

Et sicut omnia membra prius recipiunt terminos, &c.

In spiritali Francisci conceptione qui virtutum termini. Quæ signa. Qui colores. Quot oculi. Horumque obiecta quæ.

1 E*T sicut omnia membra prius recipiũt terminos, signa, colores, duritiem, & mollitiem*: sic omnes virtutes debent habere

Habent virtutes terminos suos.

bere terminos suos, *vt regia via gradientes*, non declinent ad dexteram, vel sinistram; vt ne sub prætextu iustitiæ crudelitas sibi locum vendicet; & remissa segnities mansuetudinis pallio se palliet.

Passio Christi omnium operum bonorum scopus.

2 *Et signa Dominicæ passionis*, vt quidquid virtutis agimus *totum Dominicæ passionis, & Crucis sigillo sanguineo* consignemus.

3 *Et colores non fuscos, sed veros, & viuos*, ne vitia virtutum tincta colore animam decipiant. Vnde dicit S. Isidorus, quod *vitia virtutum speciem præferunt*. Vnde perniciosius suos sectatores decipiũt, quia sub velamine virtutis teguntur. Et Philippus. *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent in similitudine officij*. Nã Troianus Equus idcircò fefellit, quia formam Mineruæ mentitus est. *Debent etiam virtutes habere duritiem, & mollitiẽ, vinum, & oleum, virgam, & manna, verbera, & vbera, ferrum, & vnguentum*. Oculis capitis charitatis hæc alia immediatè annectit Interpres circa reliqua, quæ ad fœtus spiritualis pertinent complementum. Oculi Francisci, de quibus paulò ante, erant in eius capite, atque in vtraq; vita, veluti in petra sculpti, nec duo erãt, sed septem. Petræ simbolum eò Francisco vtique congruentius, quò sic à Beato Angelo Carmelita profetatus, vt infra dicemus. De hisce septem oculis in tali petra est illud Zachariæ 3. In *lapide vno erant septem oculi*. Quem textum ita postillat Interpres fer. Dom.4. in Quadrag. In lapide vno, *idest pœnitente, qui debet esse lapis per constantiam, & vnus per fidei vnitatem*, erant septem oculis *Quorum*

Qui colores veri, quiue falsi in virtutibus.

Troianus Equus hipocrisis.

Oculi in capite charitatis Franc. septem.

pœnitẽs cur lapis vnus.

Primo debet videre præterita, vt defleat.

Secundo futura, vt caueat.

Tertio prospera, ne eleuent.

Quarto aduersa, ne deprimant.

Quinto superiora, vt sapiant.

Sexto inferiora, ne desipiant.

Septimo interiora, vt sibi in Deo placeant.

Septimplicitas oculorũ misticè.

De lapidea constantia Francisci, quem *pœnitentiæ formam* appellat Bonau.cap.15 deque vnitate eius ad fidem Romanam (pro cuius reparatione, restauratione, propagatione, iam multifariè scissa, ac lacera missus cælitus fuerat) superfluum esset loqui, vbi in his septenario oculorũ numero perfectè vidit, & vniuersaliter intuitus est, & solidè, & constanter, & vt lapis vnus in hoc videndi genere, præfata Interpretis obiecta. Quare haud mirum si virtutes omnes in ipso viam Regiam gradientes, idest Regis Regum Christi per semitas admodum peregrinas sequẽtes vestigia, neque ad dextram, neque ad sinistram declinauerunt. Hinc Bonau. vitam Francisci *omni imitatione dignissimã* iure meritò nuncupat in prologo, atque veluti *totius perfectionis exemplar* facit quoque cap.15. vt supra in textu proposuimus.

Viam regiã Regis Regni tenuerunt Franc. virtutes.

Valdè postmodum, imò incredibili vigilantia hisce oculis attendebat, vt taliter (efformatus iam, ac depictus à Dei gratia ceu nouum omnis Seraphicæ, atq; Apostolicæ sanctitatis simulacrum, toti terræ, totiq; Cælo spectabile, admirabile) virtutes omnes coloribus suis viuaciter eminerẽt, qualiter decens erat, ne tantillũ in hoc maximè Reparator Ecclesiæ à Redemptore humani generis discreparet. Nullum vitium adeò in Pharisæos persecutus est Christus sicut vitium hypocrisis, quæ virtutes dum offuscantur, in turpissima vitia transeunt; ac vim maiorem acquirunt, vt noceant, quam si nuda vitia omni tegumento, ac colore virtutis spoliata remanerent. Quod exemplo Equi Troiani ibi probat Interpres. Quilibet Pharisæus præcipuè si Pontifex erat, Præsul, vel Doctor Troianum Equum imitabatur in excidium, ac perniciem Ecclesię Hebraicæ, & in Christũ vnũ, in quo omniũ virorum bonorum merita, & virtutes opprimebat. Præuidens Franciscus istud malum in Ordine suo, à similibus Equis Troianis regendo, adeo conformis extitit Christo, vt propterea ad eradicandũ eum (quod vndique humilitatem spirat, estque reapse lupina superbia ouina pelle contecta) egregia admodum reliquit exempla.

Indestructione hipocrisis Christus, & Franc. conformes

Hipocrisis superiorum opprimit virtutes, & merita

Quid quæso intẽderit vir humillimus, vbi nudus, & quartanarius rigoris frigoris tempore fune per collum tractus ex lapide malefactorum puniendorum in platea Vrbis Assisiatis concionem habuit ad populum? Respondeat ipsemet illis Bonauenturæ verbis supra adductis ex cap.6. *Audientibus cunctis, asseruit, se non tamquam spiritualem honorandum fore, quinimmo tamquam carnalem, & glutonem ab omnibus contemnendum*. Ex corde profundissimæ humilitatis suæ istud tam insuetum facinus processit in Francisco, vt visum est. Idque aduersus simulatam sanctitatẽ, cuius cor fictæ sanctitatis Equino cordi simile est. *In aliquo corde*, docet Interpres noster vbi supra de corde Humilitatis, *non est os præterquam in corde Equi, & Vaccæ, & Ceru. In Equo hypocrita arrogans*. In Vacca luxuriosus lasciuiens designatur. In Ceruo fugace rerum fugacium cupiditas. *In simulata humilitate hypocrita est os superbia, & rapina. Superbit de*

Exemplum Fran. aduersus hipocrisim.

in cordibus Equi, Vaccæ, & Ceruí est os.

de penna Sbrutionis, & rapit laudes alterius. In instabili humilitate luxuriosi est os excusationis. In fugaci humilitate auari est os obstinationis. *Quia quo auarus fit senior, & minus indigens, eo fit cupidior*. Per hæc tria animalia omnia genera vitiorum designantur 1. Ioann.2. *Omne, quod est in Mundo concupiscentia carnis est*, ecce cor Vaccæ. *Et concupiscentia oculorum*, ecce cor Cerui. *Et superbia vitæ*, ecce cor Equi. Hæc tria vitia vigebant in Pharisæis, ad quorum sectam destruendã principaliter venit Christus, redempturus humanum genus; quia erat hæc secta validior, existimatior, atque apparentia sanctitatis venerabilior, de qua etiam D.Paulus extitit, vt ipse fatetur in Actibus Apostolorum. Sed quod amplius aduersus eam redarguit, & persecutus est Christus, fuit hypocrisis. Nam per hoc pessimum vitium, ficta humilitate coloratum cætera alia vitia, sub eo contecta validiora fiunt ad destruendum. Ipsa tria pariter vitia tribus fulminibus in eradicationem generis humani armauerant Christi dexteram, quando ad eum raparandũ missus est cælitus Franciscus. Hinc haud mirum, si tam vigilanter studuit circa veros virtutum colores in interitũ virtutum, colore fusco contectarum, vt libera ab earum manibus sincera humilitas ex corde puro procedens, Ecclesiæ reparatio minimè impediretur, nec illius prosequutio, ac propagatio, à suis sequacibus peragenda.

Os in corde equi hipocrisis, quæ tota superbia est.

Redemptio ac reparatio generis humani in destructionem hipocrisis.

Aliud exemplum fertur de Francisco in Cronicis in superbiæ Pharisæorum, apparenti humilitate contectæ expugnationem. Monuit semel viro Dei Medicus, vt ob maximam stomaci debilitatem, ab assidua abstinentia, vigiliis, laboribus, austeritate vestimentorum, quæ in vnica, ac rudi tunicula reducebantur, partem illam anteriorem, ac interiorem vestis aliquo fulcimento foueret, aptioremque redderet ad suũ refocillandum, roborandumque stomacum. Noluit vnquam vir sincerus tali assentire consilio, quamuis ageretur de re tam sibi ad vitæ aliquanto sustentandæ necessaria, nisi prius simili modo pars eiusdem vestis exterior repetiaretur. Vt tali facto patenter ostenderet, valde ipsum abhorrere, alium interius esse, & alium exterius teneri. Interius alicui commodo corporali ex mera necessitate addictum, exterius omnimodæ austeritati studiosum. Sicq; virtus aliquo pacto colore fusco respersa, in vitium conuerteretur. Vnde maxima prouidentia actum est, vt à nuditate vitam religiosam Fratrum Minorum inciperet, iam omnibus vestimentis sæcularibus coram Episcopo Assisii nudatus; atque in nuditatem paulò ante mortem deficeret. Quia Minorum Fratrum vita nuda debet esse ab omni fuco, ac colore fusco fictarum virtutum.

Aliud rarũ exemplum Franc. in hipocrisim.

Septem item oculis lapideis præfatis eius charitatis caput refertum, adeò vnicè, adeò crebrè, atque eminenter ad Dominicæ Passionis signa ipse solus in Ecclesia respexit, vt ipse solus tanto singularius meruerit Dominicæ Passionis, & Crucis sigillo sanguineo consignari, quãto ipse solus à principio vsque ad finem vitæ suæ conatus est præ cæteris quidquid virtutis agebat, totum eidem Dominicæ Passionis, & Crucis sigillo sanguineo obsignare.

Septem oculis respexit Franc. Christum crucifixum.

SECTIO II.

Schala Iacob, quam ascendit Franciscus vsque ad Christum, à quo sanguineo sigillo consignatus.

AD perspiciendum, nanciscendumque primitiuum istud Franciscus dormiebat, & vigilabat simul eo modo, quem supra tetigimus, quemque modo explicaciori paraphrasi, atque respondentiori ad rem arcano ex Interpr. nostro demonstrabimus. *Vidit Iacob in somnis Schalam super terram, & cacumen tangens Cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum schalæ*. Hanc schalam proponens Interp. noster volentibus, nec valentibus Montẽ Tabor ascendere ad intuendum Iesum Christum transfiguratum, ob maximam talis ascensus difficultatem, ita misticè explicat serm. Dom. 2. Quadragesimæ de Transfig. *Sed crede mihi*, inquit, *difficilis est ascensus, quia Mons est excelsus. Vis ergo facillimè ascendere? habeas illam schalam, de qua Gen. 28.* Vidit Iacob schalam, &c. *Nota singula verba, & erit Euangelij concordantia*.

Arcanũ circa schalam Iacob.

1 *Vidit*. Ecce peccati notitia, de qua Bernardus. *Non mihi det Deus aliam visionem videre, nisi peccata mea agnoscere*.

Visio schalę peccati notitia.

2 *Iacob*, idem & Iacobus interpretatiuè. Ecce carnis supplantatio, de qua Esau Gen. 25. *Et supplantauit me altera vice*.

Iacob. carnis supplantatio.

3 *In somnis*. Ecce Domini gratia, quæ somnum quietis, & pacis inducit. Somnus sic describitur à Philosopho. *Somnus est*

Somnus Domini gratia.

est quies animalium virtutum cum intensione naturalium. Cum enim aliquis dormit somno gratię, quiescunt in eo carnalia ab operibus suis prauis, & intenduntur spiritualia. Vnde Gen. 15. *Cum Sol occubuisset, sopor irruit super Abraham, & horror magnus inuasit eum*. Per Solem hic intelligitur carnis voluptas, quæ cum incubit, sopor, *idest extasis contemplationis* irruit super nos, & horror magnus inuadit nos de peccatis præteritis, & de pœnis Inferni. *Vis audire intensionem spiritualium cum remissione carnalium*. *Ego*, inquit Sponsa Cant. 5. *dormio, &c.* vt supra. Benè ergo dicitur, *Vidit Iacob schalam*.

Sopor extaticus cũ nimio horrore.

4 Nota, quod ista schala duo habet brachia, & sex gradus, per quos patet ascensus. Ista schala significat Christum. Duo brachia diuinam, & humanam naturam. *Sex gradus sunt ipsius Humilitas. Paupertas. Sapientia. Patientia. Misericordia. Obedientia, &c.* Hæc schala *super terram stabat*, cum prædicationi, & miraculorum operationi instabat. *Cælum tangebat, cum in oratione Dei*, vt dicit Lucas cap. *6. pernoctabat*.

Schala Iacob Christus

Ecce schala est erecta. Quare ergo nõ ascenditis? Quare ergo manibus, & pedibus super terram reptatis? Ascendite ergo, quia Iacob videt per schalam Angelos *ascendentes, & descendentes*. Ascendite, ò Angeli, ò Prælati Ecclesiæ, ò fideles Iesu Christi, ascendite, inquam ad contemplandum, quam sit suauis Dominus. Ascendite ad subueniendum. Ascendite ad consulendum, quia his indiget proximus. Et post pauca alia claudit pulchrè Interpres. Confiditis vos posse ascendere per aliam viam ad montem Tabor, ad requiem luminis, ad gloriam cælestis beatitudinis, nisi per schalam Humilitatis, Paupertatis Dominicæ Passionis? Verè non debetis, quia verbum Domini est Lucæ 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, &c.* Ascendite ergo, ne timeatis, quia *Dominus innixus est schalæ*, paratus suscipere ascendentes. Hactenus Interpres.

Per hanc ascendendum ad Montem luminis.

Quantus gratiæ somnus in septẽ oculis, immò in centum, ac mille argici Frãcisci, carnis, & mundi, & Satanæ supplãtatoris celeberrimi, luminibus, quantusq; simul cordis sui vigilia, iam paucis tetigimus cum Bonau. cap. 10. illis verbis, sẽtiens Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, *cum iam ad terrena foris ad desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis*. Ecce eius gratiæ somnus, carens omni sensu circa amorem temporalium. *Ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem*. Ecce oculatissima in eo vigilia cordis, contendens ad cælestia per præsentiam Christi sui, quem à principio suæ conuersionis tollens illius crucem, eamque post eum baiulans, cruciformis totus euasit, totus Cruci cum illo confixus. Sic totus dormiens, totusque vigilans Dei famulus antequam ascenderet ad Montem Aluernæ per schalam Christum, & ad Christũ, vt corporaliter etiam *Dominicæ Passionis, & Crucis sigillo sanguineo consignaretur*, toto vitæ suæ cursu, vt præcipuus inter illos Angelos, quos ascendentes, & descendentes per conspectam schalam intuitus est Iacob, extitit. Refert Bonau. in principio cap. 13. vbi agit de Stigmatibus sacris, ita dicens. *Mos erat Angelico viro Francisco nunquam otiari à bono, quin potius instar supernorum spirituum in schala Iacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad meritum diuidere sic prudenter didicerat, vt aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret*.

Quãtus gratiæ somnus, ac vigilia in Franc.

In schala Iacob vt præcipuus Angelus Fran.

Ascendens hanc schalam, & vt cõtemplatiuus, & vt actiuus vir Seraphicus, ex parte vitæ contemplatiuæ vigil totus circa cælestia habebat dextrum brachium, scilicet Christi Diuinitatem. Ex parte verò vitæ actiuæ quiescens totus circa terrena, habebat sinistrum brachium, nimirum ipsius Christi Humanitatẽ. Ascendebat, descendebatque impigro gressu per prædictos sex gradus, magnamque Crucem simul baiulabat. In quolibet gradu erat vna Crux, & Christus ipse, qui innixus schalæ eum expectabat, Cruciformis erat, & eo modo, quo tandem ipsum reperiit super Montem Aluerniæ in Seraph transfiguratum, ac magis, quã tempore transfigurationis resplendentẽ. Itaque tota hæc Francisci schala, in quã & ipse transformatus, vt esset in Christo, & cum Christo reparandæ Ecclesiæ pro contemplatiuis, & actiuis schala, gradibus sex cruciformibus constabat, per quos ad Deum, Seraphicè cruci affixum, tandem ipse solus feliciter ascendit.

Vtraq; vita per eã ascendens, & descendens.

Sex huius schalæ gradus cruciformes

Schalam istam veluti præfiguratam declarat Bonau. cit. post enarratũ sacrorum Stigmatum sacramentum, per apostrophen ad Franciscum in sex Crucis Christi apparitionibus, per quas gradatim peruenit ad septimam, & de quibus omnibus serio, ac verbatim in tomo posteriori, & in opusculo *De Stigmatibus sacris*. Illas apparitiones sic concludit ibidem Bonauentura, quarum sex gradus nun-

nuncupat. *Ecce iam septem apparitionibus Crucis Christi in te, & circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis, & monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam apparitionem, in qua finaliter requiescis, peruenisti, &c.* Quam septimam apparitionem ita paulò ante explicuerat. Iam denique circa finem, quod simul tibi ostẽditur, *& sublimi similitudo Seraph, & humilis effigies Crucifixi interius te incendens, & exterius te consignans tamquam alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, qui signum in te habeas Dei viui*, & prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accepit testimonium veritatis, &c. Sequens deinde, terminansque totum illum discursum, sex prædictos gradus breui ad finem ascẽsus, vsque adhuc non aliis concessum, licet omnibus exhibitum, vt singulare omnimodæ admirationis spectaculum, sic reducit.

Septima Franc. apparitio super Montem Aluerniæ.

Christi namque Crux in tuæ conuersionis primordio tam proposita, quam assumpta, & dehinc in conuersationis progressu per vitam probatissimam baiulata in te ipso continuè, & in exemplum aliis demonstrata tanta certitudinis claritate ostendit, *Euangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse*, vt demonstrationem hanc Christianæ sapientiæ in tuæ carnis puluere exaratam, nullus verè deuotus abiiciat, nullus verè fidelis impugnet, nullus verè humilis paruipendat. *Cum sit verè diuinitus expressa, & omni acceptione condigna*. Hæc Bonauent. Videns ergo Iacob Franciscus in somnis hanc schalam Christum crucifixum, eamque ascendens à principio, totus Christi Humilitas effectus est, totus Paupertas, & Sapientia, totus Patientia, & Misericordia, & Obedientia, totusque ipse Christus factus, & schala Ecclesiæ factus in opere Reparationis, vti Christus in opere Redemptionis. Per eosdem sex gradus ad septimum quoque peruenit ipse solus, eo quod omnes tenuit valde peculiariter iuxta ordinem, quem docet Bonauent. in opusculo *De septem gradibus contemplationis*. Ex his ducimur ad proponendam schalam Seraphicam, & in quolibet gradu, in quo pedes fixit Franciscus admodum excellenter, Franciscum vt exemplar contemplatiuorum, & actiuorum præsentare.

Totus Frãc. omnes virtutes erat.

PVNCTVM I.

Gradus vij. schalæ Seraphicæ, quos tenuit Franciscus, vt ad Dominum, à quo passionis suæ signis, & sigillo sanguineo consignaretur, perueniret.

D. BOnau. Contemplatiuorũ aquilinos obtutus acui, & ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus supernæ dulcedinis affectans, septẽ gradus eò gloriosissimos, quò scientia experientiæ probatissimos in medium censui deducendos, reseratione quorum odorifera confido, quod tam intellectui splendoris copia, quam affectui deifici dulcoris affluentia piissimæ *Matris thearchicæ* exhalabit.

Omnia verba hæc sunt Bonau.

Primum igitur dicamus *Ignem*. Secundum *Vnctionem*. Tertium *Ecstasim*. Quartum *Speculationem*. Quintum *Gustum*. Sextum *Quietem*. Septimum *Gloriam*. Primò enim anima ignitur: ignita vngitur: vncta rapitur: rapta speculatur, vel cõtemplatur: contemplans gustat: gustans quiescit. *Hæc in via possunt acquiri, non tamen subitò, sed gradatim. Citius autem hæc experitur, qui frequentius spiritualibus se exercet. Septimus in patria confertur abundantius ijs, qui se in præcedentibus gradibus exercuerunt*. Frequentia Francisci in spiritualibus verè antesignana in pluribus dicenda, eiusque exercitatio in hisce gradibus adeo peculiaris, vt etiam septimũ in vita per transeuntem gloriam, factus spectator diuinæ præsentiæ super montẽ Aluernæ, adeptus sit. Nec aliunde Aquilinus Bonau. intuitus adeò perspicax euasit, imò & ipsemet Aquila excelsa, nisi in nido scholæ Seraphicæ D. Francisci, cuius rimans intimè signa Dominicæ Passionis in corpore sui Parentis, dedit ei intra viscera Saluatoris perenniter habitare. Hinc scribens Francisci vitam, hacque Franciscum sequens ignitum, vnctum, extaticum, speculatorem, gustu ebrium, quiete tranquillum, gloria de claritate in claritatem transformatum, raptus corpore, & mente, in Christo crucifixo eum gradatim reperiebat. Et ipse quoq; tunc apud Ducem, Parentẽ, & Magistrum suũ Seraphico igne accensus, rosaica vnctione Sancti Spiritus conspersus, extra se, & supra se, & intra Iesu Christi viscera eleuatus, deifica speculatione sublimis, gustu supercælesti tranquillus, in Patris

Hucusque Bonau.

In Francisci schola edoctus Bonau.

su i

sui gloriosis gestis, quæ scribebat, gloriosus, sicque septiformiter Sanctus, laborans pro Sancto, teste D. Thoma, qui eum videns raptum in Crucifixum, dixit: *Sinamus Sanctum, quia laborat pro Sancto.*

I. Gradus, super quem Franciscus vehementem ignem vndique inter vibratos radios emittit.

1. Ignis, feruens ad Holocaustum.

Ignis est vehemens diuini caloris, amoris feruor, ex camino supersplendentis Hierusalem flabellatus. Huius ignis calor contemplatiui, siue Sancti actiui viri animam, cum se ad orandum Deum effuderit in conspectu Dei, subitò eam valde perlucido splendore irradians, quamplurimum ignit, & arentes motus, affectionesque, malosque concremat, & exsufflat, teporem inflammat, & torporem expergisci facit, atque ipsam totam animam veluti vespertinum quoddam, & pinguissimum holocaustum diuino conspectui repræsentat, intuetur tunc, & gaudet.

Deus, & anima ad inuicem.

Deus adest, & pauet illa. Ille immissũ ignem auget, vt magis caleat. Illa ortas affectiones colligens, nutrit, vt eò amplius magis reddatur incendium, quò abundantius subministratur materia accendendi. Super hunc gradum pedem fixit, qui potest dicere cum Propheta Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Et iterũ Psal. 72. *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.*

II. Gradus, super quem Franciscus roseo, deificoque liquore cælitus superfunditur.

2. Vnct rosacea, per totã animam diffusa.

Vnctio est velut quidam roseus liquor, qui per totam animam se diffundens, ipsam erudit, corroborat, & confortat, disponens eam suauiter ad veritatis luculentias suscipiendas, atque pariter contemplandas. Hac cęlica vnctione perlinitus fuerat, qui dicebat, *Vnxit me vnctione misericordiæ suæ.* De qua rursum dicit Dauid Psalm. 132. *Sicut ros Hermon, qui descendit in Montem Sion.* Hermon interpretatur *Lumen exaltatum.* Habet autem significare infinitissimam Iesu bonitatem. Ipse etenim de se dicit Ioann. 8. *Ego sum lux Mundi.*

Quæ quidem lux de terra in Crucem, de Cruce verò fuit super pulchritudinem Cælorum omnium exaltata; ita vt licet semper potuerit, nunc autem conueniẽtius propter suæ humanitatis superpulchrificam claritatem adiectam dici queat superfluens candor, & supercandens splẽdor illius æternæ, & felicissimæ regionis. Ros igitur Montis huius descendit in Montem Sion, idest contemplatiui viri mentem, ipsius præcordia tam irrigando fœcundans, quam fœcundando irrigans; & calorem scilicet primi gradus leniter temperans, ne plus ardeant, quam oportet.

Lux Christus, tres gradus faciens.

Ros Hermõ in montem Sion quid.

Quod enim purificat *Ignis*, concremãdo, hoc *Vnctio* mulcet, suam pinguedinẽ perfundendo, vt capificilior sit diuinorũ, & pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditissimè emanantiũ; quibus quidem salubriter perlustrata, ita secundum Apostolum 1. Ioann. 2. vt nequaquam quisquam ibidem locus ignorantiæ tenebris pateat, vbi fulgeat copia tam gloriosi luminis.

III. Gradus, super quem Franciscus totus extaticus admiratur.

3. Extasis ad voluptuosa eleuationem.

Extasis est, deserto exteriore homine, sui ipsius supra se voluptuosa quædam *eleuatio ad superintellectualem diuini amoris fontem*, mediantibus sursum actiuis virtutibus pro viribus se extendens. *Virtutes sursum actiuas voco Humilitatem, & Puritatem.* Humilitate etenim fit exterioris hominis desertio. Puritate vero interioris hominis sursum actio, quem quidẽ ad fontalem perducens radium, ibidem haurit sanctas thearchici amoris, & insolitas insuitiones: quarum gratia posteriorum oblitus, ad anteriora Empyrei, & superlucidissimi tabernaculi se extendit. *Est enim extasim faciens amor diuinus*, non dimittens sui ipsorum amatores esse, sed amandorum, vt testatur secretorum Dei conscius, Dionysius lib. de diuin. nom. cap. 4. post medium. *Igitur si in vera, & non ficta Dei charitate sumus, & amore, in sancta extasi sumus*, interiorem hominem ad anteriora extendente, exterioris verò sicut posterioris obliuisci faciente.

Amor diuinus extasim facit.

IV. Gra-

IV. Gradus, super quem Franciscus affectuosus cælestium diuitiarum speculator, de claritate in claritatem transformatus, angelificatus apparet.

4. Speculatio supernorũ affectuosa.

SPeculatio est beatorum, & supercælestium, & soli Deo scibilium diuitiarum intellectualis, & affectualis pia inuestigatio. *Contemplantur autem hi duo, scilicet Intellectus, & affectus*; sed intellectus longè dissimiliter ab affectu. Cum enim animus contemplatiuus, sensibus spiritualibus suspensis, synderesim in specula æterna extendit, apex intelligẽtiæ, & principalis affectio pariter feruntur mutuò in diuina se promouentes, & æqualiter ascendentes, illa speculando, hæc verò desiderando.

Intelligẽtię, & affectionis officia.

Præcurrente autem Intelligentia, nec ingredi queunte, vtpotè per speculum videns, foris remanet. Affectio, quæ nescia est speculi, intrans vnitur, secundum illud 1.Corinth.6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. Ingressoque intellectu, qui ante conatu suo ingredi non poterat, à superessentiali, & superintellectuali deifica bonitate hilariter excipitur affectio ipsa. Susceptamque superferuidè ipsam desiderantem, & se sursum pro viribus impingentem, ipsam in se profundius trahens tam Intelligentiæ super clarorũ radiorum pulchrificans claritatem fontani splendoris, quam affectioni thearchici, & superimmensi saporis suauiter sanctum desiderium nutriens, suauitatem superlucidissimam elargitur. Postea illis sic gustantibus, illam magis desiderantibus, magis seipsam diuina bonitas, immittit, & abundantius superfulget; quoniam multum diligunt illam summam veritatem, hoc summum bonum.

Gustus earũ ex diuina bonitate.

Felix nimis, qui huius gradus collem attingit. Hic planè Angelificatus in præsenti futuram iam inchoauit vitam. Ex quibus fuerat, qui dicebat 2. Corinth.3. *Nos autem reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem transformamur imaginem à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu*. Vbi potissimè diuinus ille Apostolus vtilitatem expressit contemplationis. Quid enim est reuelata facie gloriam Domini speculari, nisi remota omni impuritate, faciem nostræ Intelligentiæ velante, gloriam Dei, idest tam supernotam, & simplicissimam, & supersplendentem æternitatis claritatem, quã superineffabilem, & humanis mentibus non capi facilem omninò supercælestiũ substantiarum super trãquillissimam pacem, piè, purè, deuotèque rimari?

In hoc gradu angelificatur viator.

A claritate in claritate transiens.

Quid verò est taliter speculantes in eandem imaginem transformari, nisi quia causa superactiuæ suauitatis sunt hæc eadem, quæ imaginati sumus, vt nos à nobis abstractos, & in seipsa absortos, ita torrente voluptatis nos potant, vt necesse sit, de terrenis in cælestes, de carnalibus in spirituales, de hominibus in quodammodo Angelos transformari?

Quia à seipso abstractus transit in alium.

Sic ergo intelligo verbum, *In eandem imaginem transformari*, idest in eadẽ imaginata. Benè autem dicitur *à claritate in claritatem*, tamquam à Domini spiritu manuducti supersanctissimis diuinis splẽdoribus adimplemur, & per hoc de cognitione in cognitionem proficimus, sicut per Prophetam dicitur Psalm.35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Hæc contemplatio, vel inuestigatio quasi nihil habet periculi, vel laboris. In animo pio, puro, & vacante habet vtilitatem inæstimabilem, etiamsi nihil inuestiget.

In gradu hoc quasi nihil periculi, vel laboris.

V. Gradus, super quem Franciscus intra thearchicum bonitatis pelagum per superineffabilem gustum totus, & totaliter immergitur.

5. Gustus à diuina prælibatus dulcedine.

GVstus autem est superinæstimabilis diuinæ dulcedinis persuauis quædam, & insolita prælibatio, ex Cellario Sancti Spiritus in Sanctorum Contemplatiuorum animas distillata. Prælibatio, dico, quoniam per modicum valdè est, quod nobis ex illa iam supermagna multitudine diuinæ dulcedinis tribuitur; quod prouisiuè, & superineffabili thearchica bonitate fieri, non est dubium. Dũ enim stillatim æternis, & supersuauibus illis influitionibus recreamur, frequẽtius nos ipsos orationibus extendimus, atque ad cumulos omnimodæ plenitudinis anhelamus. Quamuis autem vtrumque faciunt diuinæ illæ prælibationes, efficiunt enim esuriem, non saturitatem pariunt.

Beneficio huius gradus cognitio experientiæ tribuitur, per supercælestium substantiarum cognitioni conformamur. Quidquid enim diuinæ Mentes nouerunt, hoc illius experientia probauerunt. Quia sicut Sol terris, sic ipsa simplici cognitione prælata est. Gloriosi, & felices illi, qui super verticem huius gradus eleuati sunt. Eructant planè ibi abundantiam suauitatum æternarum

Experientia probat in hoc gradu cognitionẽ.

rum nuptiarum, vacant, & vident, *quam suauis est Dominus*.

VI. Gradus, super quem Franciscus concreata quadam, atque congenita quiete vtroque homine mirabiliter supra vtrumque hominem tranquillatur.

6. Quies totam absorbens animã.

QVieseſt totius animæ mira quædam, & ſuauis tranquillitas, per infuſam nobis ex frequentia orationis dulcedinẽ concreata. Solis valdè ſpiritualibus experientia huius quietis conceditur, quibus & datur etiam ipſas ſupercæleſtes ſubſtantias contemplando tranſcendere. Superignota enim bonitas, ipſis familiaris, ſeipſam eis immittit, & ipſi, tota virtute dilatato ſinu ſancti deſiderii, potenter ſuſcipiunt beatas immiſſiones, animalibus, & præſuntuoſis omninò incognitas.

Vnde deificæ quietis emanatio

Sic igitur puris [illegible]um Contemplatiuorum animab[illegible]m inſueto nutrimento ditiſſimè adimpletis, ſplendeſcit ipſorum ratio. Dulceſcit concupiſcentia. Hilareſcit iraſcibilis; ex dilectione quorum deificam illam quietem, non ambigimus, emanare. Hic gradus glorioſior, & pretioſior eſt, quo vltimo modo gradui, qui ſolum patriæ eſt, appropinquat.

VII. Gradus; ſuper quem Franciſcus Viator permanenter, comprahenſor tranſeunter, in terra, & in Cælo reuelata ſibi Seraphica Chriſti facie ſignis Dominicæ Paſſionis, & ſigillo Crucis ſanguineo canſignatur.

7. Gloria, de qua non licet homini loqui.

DE *ſeptimo* gradu tutius tacendum cenſui, quam loquendum; quoniam nulli viatorum aſcenſus, ſine viſio huius gradus patere potuit: niſi illi cæleſti Paulo, qui ſe raptum vſque ad huiuſmodi per ſacram ſcripturam aſſerit 2. Corinth. 12. Felix certè ſuperdulciſſimæ, & glorioſiſſimæ *Virginis Mariæ anima, cui hoc datum eſt in via, quod nulli Sanctorum aliquando poſſederunt. Portauit ergo illam gloriam, à qua portantur cæteri. Aſcendit illa gradum hunc per fidei cognitionem: deſcendit ille ad eam per carnis aſſumptionem*. Quid hunc gradum, hanc gloriam cenſeam dici? Nihil aliud, quam ipſum; quem peperit, quem lacte Virgineo educauit, manibus eburneis contrectauit, dulciſſimo gremio fouit, pudiciſſimo vultu blãdiebatur, caſtiſsimo amplexu complexa eſt *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Paulus ſemel viator, & comprahenſor.

B. Virg. per gratiã ſemper, ſicut Chriſtus per miraculum.

Hæc eſt tota illa Seraphicæ Schalæ D. Bonau. graduatio, cuius gradus diſtinximus per ſuos numeros, ſuper quos etiam poſuimus B. Franciſcum veluti *omnis perfectionis exemplar*. Per ſeptimum autem gradum eum perueniſſe ſuper Montẽ Aluernam ad gloriam illam, quam multi Theologi concedunt tranſeunter Iacob, qui dixit Gen. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem*. Moyſi ſuper Montem Sinai, Eliæ à curru igneo tranſlato, D. Paulo rapto vſque ad tertium Cælum, & nonnulli B. Franciſco, *ad quem venit in Aluernæ verticem Rex è Cælo amictu Seraphico*, & cum ſeipſo gloriam ſuãm oſtendit, ipſumque per ſe immediatè confodit, eiq; propria vulnera tradidit, clauoſque reliquit. Sed circa hanc ſententiam in proprio tractatu. Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis, in qua fuit anima beatus, fuit in terris viator, & comprahenſor ſemper, ſed per miraculum. Eius Mater etiam ſic, ſed per gratiam, vt videtur concedere Bonau. & explicat Vulpes. Moyſes ſemel, & Elias, & Paulus etiam, & Franciſcus, quilibet autem raptim. Moyſes quando accepit legem; Elias quando ab Eliſeo diuiſus; Paulus quando habuit raptum. Franciſcus, quando à Chriſto vulneratus, & in cœtu Sanctorum ipſe ſolus tam raro priuilegio inſignitus.

Moiſes etiã ſemel, ſemel que Franc.

PVNCTVM II.

Schalæ Seraphicæ Bonauenturæ reſpondet alia ſchala, etſi ruſticana Interpretis noſtri. Per quam etiam aſcendit Franciſcus, peruenitq; ad ſignorum Dominicæ Paſſionis conſignationem.

EGreſſus *Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis*. Matth. 15. Greſſus Ieſus, qui eſt Aquila magnarum alarum, ſequutus eſt Bonauentura *acuens* in ſeptem ordinandis gradibus prædictis. *Contemplatiuorum Aquilinos obtutus*, vt ipſe in exordio fatetur. Verum Interpres noſter eundem Ieſum ſequens, eiuſque, iam ad partes Tyri, & Sidonis pergentis, egreſ-

Diſcrimen inter ſchalã Bonauẽt. & Antonii de Padua.

sionem, aliamque Schalam ab antea & a construens, Agricolæ, cui etiam pluries comparatus Christus, morem tenet. Bonau. viris contemplatiuis, ab omnibus rebus præsentis vitæ alienis, quorum antesignanus Franciscus, è cuius Seraphica schola vt Doctor Seraphicus exierat, scripsit illam mirabilem Schalam, sublimissimam, subtilissimam, singularissimam, terminis, arcanis, verbis, & sacramentis locupletẽ, ac profundã, etsi characteribus perbreuẽ. Interpres verò noster prædicans doctis, & indoctis, magnis, & paruis, vrbanis, & rusticis, contemplatiuis, & actiuis, aliam schalam suam confecit, planam admodum, per quam omnes cõmuniter conarentur ascendere, iam ab omnibus intellectam; & omnes etiam illos gradus tenere, illisque dapibus spirituale palatum perfundi, quas in principio graduum suorum tangit Bonauent. Igitur in serm. Dom. 2. Quadrag. ita præiactum textum, *Egressus Iesus, &c.* commentatur Interpres, egressionem hanc Iesus figuraliter ad mores exponens. *Egressio Iesu,* ait, *viri pœnitentis de Mundi vanitate egressionem significat, &c.* Hic est Franciscus, addo ipse, de quo prima antiphona officii ipsius ad 1. nocturnum ita canit ore Minorum. *Hic vir in vanitatibus nutriius indecenter*, è quibus egressus est Franciscus, vt Iesus, & cum Iesu esset, scilicet Saluator reparandæ Ecclesiæ. De quo etiam figura in Genesis 27. subdit Interpres. *Egressus Iacob de Bersabea, pergebat Aran.* Ecce concordantia vtriusque Testamenti.

Schala D. Anton. curã vulgaris.

Egressio Iesus pro viri pœnitentis egressione.

1 *Iacob supplantator, & significat peccatorem conuersum, qui sub planta rationis conculcat sensualitatem carnis.* In qua re Franciscus, in peccatis conceptus, sicut Hieremia, & Ioan Baptista, & peccator (haud lethaliter actu, sed existimatione sæculi, & sui, & sui maximè in vita regulari) vbi semel conuersus est ad Christũ, in cõculcationẽ sensualitatis carnis virgo semper extitit incorruptus circa mortalem culpam; & eo amplius parem ob id fermè non habuit, quò amplius in vanitatibus nutritus, & inter lasciuos iuuenes, semper præuentus est diuinitus, ne pudicitiam amitteret, vt planè asserit Bonau. inferius adducendus.

In Iacob supplantatore Franc. pœnitens.

2 *Iste egreditur de Bersabee, qui interpretatur puteus septimus, & significat huius Mundi insatiabilem cupiditatem, quæ est radix omnium malorum, de quo puteo dicit Ioannes in Euang. cap. 4. &c.* Salomon Prou. 30. & Apocal. 9. Vide sententias, & glossomata ibi, & conclusionem audi cur iuxta interpretationem nominis Bersabee puteus mundanæ cupiditatis dicatur puteus septimus. *Hoc* (inquit Interp.) *duabus de causis. Vel quia sentina est, & lacus septimus criminalium.* Cupiditas, *vt dicit Apostolus* 1. *Thim.* 6. est radix omniũ malorum. *Vel quia septimus dies non legitur habere vesperam; sic nec cupiditas sufficientia habet fundum. De hoc infelici puteo egreditur peccator pœnitens.* Ex hoc septimo, miserrimoque puteo, in quo mersus erat Petrus Bernardoni Moriconus, Pater Francisci, non autem eius Mater Domina Pica, vt colligitur ex Bonau. Pisano, & aliis, egressus est in Mundi vespera Franciscus vt peccator pœnitens: sed illæsus à lethali crimine, vt in sequenti sect. cum Bonauent. demonstrabitur. Et inde profectò egressus, vt totam pene Ecclesiam extra eum educeret beneficio reparationis.

Fran. egreditur cum Iacob de Bersabee.

Cur mũdana cupiditas puteus septimus dicatur.

3 *Et egressus Iesus, secessit in partes Tyri, & Sidonis. Videamus*, sequitur Interpres, *quid ista tria nomina, Tyrus, Sidon, Aran significent.* Tyrus angustia interpretatur. Sidon [illegible] mœroris. Aran excelsa, vel *indignati*[illegible] pœnitens ergo egressus de Mundi cupiditate, secedit *in partes Tyri, idest angustiæ.* Et nota, *quod dupex est angustia. Prima est, quam habet pro peccatis, quæ commisit. Secunda, quam sustinet ex triplici tempestate, Diaboli, Mundi, & carnis.* De prima Iob 6. *quod prius volebat tangere, &c.* De secunda angustia triplicis tempestatis viri iusti Isaiæ cap. 21. *Sicut turbines, &c.* Vide ibi scripturas, & commentaria. Et per ea perlustra quæso vitam christianam Frãcisci pœnitentis à principio suæ conuersionis ab Vrbe Assisii, vel melius à Mundi cupiditate egressi, & in Tyrum ingressi, prout ipsum describit ad viuum Bonau. cap. 1. Nam & in eius egressione à Mundo, & in ingressione ad angustiam illam duplicem, & per alteram angustiam ad triplicem tempestatem, reperies ipsum ferè in cunctis vt virum primitiuum, & nouum. Vide in cap. sequenti.

Pœnitens egrediens à mundo, ingreditur Tyrum.

Franc. in Tyrum mistice.

4 *Et in partes Sidonis*, quæ interpretatur venatio mœroris. Nota quod venator, qui bona habet facere venationẽ, quinque debet habere. Cornu sonurum, canem animosum, & velocem, iaculum amentatum, seu limatum, & acutum, pharetram cum sagittis, & arcum. Cornu, vt personet. Canem, vt capiat. Iaculum, vt interficiat. Sagittas, & Arcum, vt bestias, quas comminus iaculis non potest interficere, eminus sagittis feriat. Venator est pœnitens, cui loquitur Pater in historia Genes. 27. *Tolle arma tua, pharetram, & arcum, &c.* Ita ibi Interpres, qui

Bonus venator habet quinque.

post

post huius scripturæ declarationem, sic statim suam concordantiam cum textu Euangelico restringit.

Misticus venator pœnitens.

Venator, idest pœnitens debet habere cornu sonorum, canem, & iaculum. In cornu clamor nudæ accusationis. In cane latratus conscientiæ mordacis, ne aliquid de peccato, vel circumstantia peccati intactum permittat pertransire. Debet etiam habere iaculum animaduersionis, indignationis, & satisfactionis, vt seipsum feriat, sibi ipsi indignetur, pro peccatis suis satisfaciat, vt quot in se habuit oblectamenta, tot de se inueniat holocausta. *Hæc bona venatio*, de qua pater ad filium dicto loco Gen. *Affer mihi de venatione tua, vt comedam, & benedicat tibi anima mea*. De hac venatione *egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis, &c.*

Pœnitens, & pœnitentium forma Fran.

Pœnitens fuit Franciscus, & omnium pœnitentium forma, & exemplar, & in existimatione sui ipsius separans pretiosum à vili, scilicet gratiam Dei sibi factã, à seipso in peccatis concepto, licet ab omni peccato alienissimo, veluti caput sceleratorum semet ita damnabat in infamissima supplicia, sicut in existimatione aliorum fuit ad Crucem condemnatus Christus inter sceleratos. Patet hoc ex toto tempore vitæ suæ, potissimũ ex exemplo, quod supra retulimus de eius humilitate cum Diuo Bonauentura cap. 6. illis verbis, ore ipsius Francisci prolatis. *Videor mihi maximus peccatorum*. Et infra ad obiectionem Beati Pacif. *Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè, quod multo, quam ego Deo gratior esset*. Excelluit quidem Franciscus in se, & vt peccator, & vt venator eo modo, quem docet Interpres, nec Parenti suo repugnat iuxta propriam illius existimationem, licet deinde anima, & caro eius sanctissima similitudinem Præcursoris egregiè præseferret. Vt peccator ita tamquam vas perditum erat apud se, vt iaculo animaduersionis, indignationis, & satisfactionis seipsum, innumeris, & exquisitis pœnitentiæ modis feriret, sibi ipsi indignaretur. Vt venator sui ipsius adeo cepit, subiecitque sibi seipsum, atque exterioris hominis patronum se fecit, vt innocentiæ statum in seipso penè renouauerit, sicut scribit Bonauentura pluribus in locis. Sed ad rem de Francisco, vt peccatore, & venatore simul scribit cap. 6. citato, vbi post exemplum memoratum de viro sancto, super lapidem malefactorum in platea Assisii seipsum ceu virum omni vituperio promeritum publicè accusante, *Multa quidem*

Et vt peccator, & vt venator in quibus excelluit.

(addit statim) *in [illegible] exterius tamquam [illegible]* Franciscus, haud vt [illegible] sed vt malefactor [illegible] ascendit, vt talem [illegible] vt talem, ibidem [illegible] dit. *Et [illegible]* Bonauentura [illegible] idem Franciscus [illegible] nator, capiens pro seipso [illegible] spiritum.

Ab hac adeo perfecta, & veluti primitiua, atque personali in Francisco [illegible] natione, cum qua secessit cum Christo in partes [illegible] ita ipsi Christo proximè accessit, vt [illegible] Ecclesiæ. [illegible] complenda [illegible] Christus [illegible] eum [illegible] per Redemptionem [illegible] & Christus [illegible] do [illegible], vt Ecclesiam [illegible] totam, iam per siluas, & campestria [illegible] lerum errabundam caperet, & [illegible] ferret per reparationem. Tot de ipsa Ecclesia inueniens holocausta, quot in se habuerat oblectamenta; & pro qua ipse Reparator sanguineum quoque holocaustum, holocausto Christi in Cruce per plagas, & clauos simillimum [illegible] erat, & aliud ab isto holocausto, de quo supra cum Bonauentura, cap. 9. [illegible] feruore charitatis [illegible].

5 *Egressus de [illegible] secessit in partes Tyri, [illegible] Aran, &c.* Hæc alia pars [illegible] Interpretis [illegible] loco. Nos [illegible] vltimo ad erigendam [illegible] scalam [illegible] ante prædictam [illegible] dam ordinem sequentem [illegible] [illegible] ergo ibi. *E[illegible]* [illegible] *Luca* 24. N[illegible] Christum (ecce [illegible]) & ita [illegible] piorum suam [illegible] *Aran*. [illegible] hinc vsque ad vltimum gradum [illegible] gloriam, vt diximus, [illegible] [illegible] ad contemplantes, per sex gradus in schala sua ipse ostendit; cuius primus, et vltimus, *Ignis* secuens ad holocaustum. Secundus *[illegible]* rosacea, per totam animam abunde, & sine satietate dulcis. Tertius *Extasis* ad voluptuo-

[illegible] ad calam [illegible] schala Bonau.

luptuosam eleuationem, homine exteriori derelicto. Quartus *Speculatio* supernorum affectuosissima. Quintus *Gustus*, è diuina prælibatus dulcedine. Sextus *Quies*, totam absorbens animam per ineffabilem tranquillitatem.

Interpres noster autem hanc eandem ordinans graduationem, transitionemq; patefaciens, qua possit quilibet pœnitens exemplo Redemptoris Mundi, & Reparatoris Ecclesiæ ascendere ad Christum passum, & ad gloriæ suæ penetrare secreta, seminibus, ad agriculturam spectantibus, eam efformat. Nam priorem gradum constituit ex *frumento*, posteriorem ex *lente*. Tertium ex *milio*. Quartum ex *hordeo*. Quintum ex *fabis*. Sextum ex *vicia*. Per hos gradus deinde secedendū demonstrat cum Christo ad *Tyrum*, cui immediata *Aran*. *Quid igitur*, inquit, *faciemus pœnitenti, de puteo mundanæ cupiditatis egredienti, & ad excelsa beatitudinis cælestis tendenti? Mons est excelsus, difficillimus ascensu, & angustia plenus. Ne ergo deficiat in via, fabricemus ei schalam, per quam suauiter possit ascendere, de qua Genes.* 28. Vidit Iacob schalam, &c. Nota, subdit, quod hæc schala habet duo brachia, & sex gradus, per quos fit ascensus. *Hæc schala est pœnitentis satisfactio*, de qua Apostolus 1.Thessal.4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, &c. Huius schalæ brachia sunt Contritio, & Confessio.* Sex gradus sunt sex virtutes, de quibus Dominus Ezech.4. *Et tu fili hominis sume tibi*

Qui, & ex quibus gradus schalæ D.Anton. de Padua.

Suauis per hanc schalā ascensus.

1 *Frumentum*, quod moritur, cum in terra proiicitur, in quo *nostræ voluntatis mortificatio, &c.* Quàm voluntatis mortificationem, à Christo illa similitudine. *Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, &c.* demonstratam, adeo Franciscus adeptus est; vt nec eam inter sæculi gaudia, vel lucra amiserit, à Dei gratia præuentus. Et hoc fortè non sine maiori gratiæ Dei vi, quam de aliis pericula peccandi aufugientibus, fertur nō peccasse in omni vita læthaliter. Vnde factum, vt postea testatus sit Bonau. in se innocentiæ statum expressisse Franciscū. Et cap. 10. totum insensibilem ad terrena foris desideria per Christi charitatē effectum asserit ipsū, vt supra dictū est. Hinc positus Franc. in hoc priori gradu frumentaceo schalæ Cherubicæ D. Anton. & in gradu ignito schalæ Seraphicæ D. Bonau. ratione charitatis, ob quam in ipso omnimoda voluntatis mortificatio eminebat ad miraculū, potuit vt Apostolicus totius perfectionis euangelicæ Magister, ad docendum totum Mundum à Deo missus, cuiusdam questioni respondere, & adæquato corporis mortui exēplo mortificatæ voluntatis peregrinum totalitatis gradum ad viuum in semetipso, omninò extincto, ac insensibili patefacere. Cum verò (scribit Bonau. cap. 6.) vice quadam quæreretur ab eo, quis esset verus obediens iudicandus, *corporis mortui* similitudinem pro exemplo proposuit. *Tolle*, inquit, *corpus exanime, & vbi placuerit, pone. Videbis, non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cum moueatur, non dijudicat. Vbi locetur, non curat. Vt transmittatur, non instat. Erectus ad officium, solitam tenet humilitatem. Plus honoratus, plus reputat se indignum.*

1. Gradus ex frumento voluntatis mortificatio.

Voluntatis totaliter mortificatæ exēplum corpus mortuum.

Ex hoc exemplo transiens Franc. immediatè ad aliud, quod totum, & totalē vsque ad extremum mortificationis voluntatis gradum exprimit, nomini Fratris Minoris alludens, ita fassum esse, subdit statim Bonau. Dixit aliquando socio suo. Non mihi videor Frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce Prælatus existens Fratrum, vado ad Capitulum, prædico, & commoueo Fratres, & in fine dicitur contra me. *Non conuenis nobis, quia illiteratus es, elinguis, idiota, & simplex. Tandem eijcior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus: dico tibi, nisi eodē vultu, eadem mentis lætitia, & eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, Frater Minor nequaquam sum, &c.* Hęc ibi Bon. Sume tibi

Aliud exemplum ad maiorem mortificationem.

Lentem, quæ est minima, & parui valoris, in qua *consideratio nostræ infirmitatis*. Per hanc Franciscus à principio suæ conuersionis ascendit alterum Bonauent. Seraphicæ schalæ gradum, quem vnctionem rosaceam nuncupat. Per hanc enim, vt quis ipse esset cum Mundo, & quæ mundialia cū ipso demonstraret, nudauit se coram Episcopo Assisiate, & sic oleo Spiritus Sancti interius vnctus Atleta esse mirandū in modū incepit. Per hanc sui ipsius infirmitatis considerationem, tam vnicè in ipso eminentem, ob quam ita perassiduè exclamabat ad Deum suum; *Deus meus, quis es tu, & quis sum ego?* tota, à Deo suo liquore rosaceo eius anima perfusa, meritò Deū suum dicebat omnia illis aliis verbis, creberrimè repetitis, *Deus meus, & omnia*, sicut verè ipsi in omnibus totus erat. Vnde Bonauent. in principio cap. 2. de quo etiam superius. *Quoniam autem seruus Altissimi Doctorem non habebat aliquem in huiusmodi, nisi Christū; addidit adhuc ipsius clementia eum in gratia visitare dulcedine, &c.* Per hanc denique sui ipsius considerationem infirmitatis incepit

2. Gradus ex lente nostræ infirmitatis consideratio

Quis, qualisque in hoc gradu Fran.

incepit habere Discipulos, quorum primogenitus Beatus Bernardus de Quintaualle. Qui (vt refert Chronica Minorum) non ante, quam audiret ab ore Francisci hospitis sui, ex industria ab eo inuitati, vt exploraret secretiora motiua illius circa adeo nouam in ipso mutationem, probaretque spiritum, prædicta verba, in silentio noctis profundissima humilitate, suspiriis, & fletibus multis prolata: *Deus meus quis es tu, & quis sum ego?* statuit ipsi perpetuò adhærere. Demum vnico verbo ineffabilia Francisci gesta concludam, super hunc alterum scalæ Interpretis nostri gradum, ex lente fabrefactum. *Alpha* totius serui Dei vitæ *à lente* exordia sumens in pristina nuditate coram Episcopo Assisiensi, in *lentem*, veluti in *Omegam* terminauit; in postrema enim suæ mortis hora nudus, plagatusq; in terram videri voluit à filiis, & Fratribus omnibus, qui tunc aderant.

Alpha & omega totius vitæ Frã. lens fuit.

In priori nuditate gloriari incepit cum Apostolo in infirmitatibus suis Franciscus. In posteriori, ac vltima, se in ipsa infirmitatum suarum consideratione omnia gloriosè consummasse, ostendit Discipulis suis, docuitque eos, vt quemadmodum ipse fecit, ascendens hũc gradum, ita & ipsi facerent. Decumbans sic in terra, ait Bonauentura cap. 13. sacc. cina veste deposita, faciem solito more leuauit in Cælum, & intendens illi gloriæ totus, manu sinistra dexteri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, & ait ad Fratres. *Ego quod meum est, feci, quod vestrum est, Christus edoceat.* Quod autem fuerit id suum in Francisco, demonstrat idem Bonau. verbis sequentibus. Voluit certè per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper, & dolens, & nudus in Cruce pependit. Propter quod & in principio conuersionis suæ nudus remansit coram Antistite, & in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire. Et paulò infra. O verè christianissimum virum, qui & viuens Christo viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione consortis, & expressa promeruit similitudine decorari, &c. Infirmitas maxima naturæ humanæ in Christo, quæ ab eius ortu incepit, in Crucis paupertate, dolore, & nuditate consummauit omnia, à Christo peracta ob humanam redemptionem. *Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum.* Sic exemplum Christi secutus est Franciscus, exordiens ab ipsis infirmitatibus (per quas seipsum virum infirmissimum, & plusquam ipsum nihilum semetipsum considerabat, vtque talem se tenebat) incepit, consummauitque reparationis opus.

Franc. iacens in terrã nudus tempore sui obitus.

Totũ redemptionis opus ab infirmitate inceptum in infirm. cõsummatũ est

Aliud equidem minimè clauserũt duo hæc extrema in Francisco per omnia ætatis suæ curricula, nisi *lentem* Interpretis nostri misticam, quia principium, medium, & finis annorũ eius nihil aliud extiterunt, nisi propriæ infirmitatis consideratio, quantò Euangelicæ perfectionis gradibus in ipso altior, tantò strenuitate apostolicæ perseuerantiæ robustior. *In propria reputatione nihil erat, nisi peccator, cum in veritate speculum esset, & splendor omnimodæ sanctitatis*, diximus cum Bonau. cap. 6. Sed hoc nihilum in Francisco explicans, amplectensque infinitum suæ infirmitatis considerationis, quæ nunquam ab ipso, neque per instans recessit, in principio vitæ eius regularis magnum fuit, in medio maius, in fine maximum, & sic triformiter sine exemplo, sicut triformiter Christo conformissimum. Sume tibi

Princip. mediũ finis vitæ Fran. lens fuit.

3 *Milium*, quod frequenti indiget cura, in quo *exercitium vitæ actiuæ*, &c. Optima equidem graduatio, atque connexio, vbi *à lente ad milium*, scilicet *à propriæ infirmitatis consideratione, ad actiuam vitam fit transitus*. Vtramque eminentissimè tenuit Franciscus. In vtraq; ascendit vt primitiuus. Vnctio rosacea perabundè in eum effusa. Hæc strenuam vt ageret vitam Reparatoris Ecclesiæ, totũ actiuosum, & impigrum, & insuperabilem eum effecit. Hæc in sui ipsius consideratione, etsi totaliter infirmatum, & penè extinctum Franciscum, totum tamen odore boræ famæ redolentem, ad labores, laboribus Christi simillimos, semper cum hoste luctaturum, & semper de eo triumphaturum, vnxerat mirabiliter. Vnde in gradu ex *frumento* volũtate mortificatus erat vt cadauer, sed vehementia charitatis viuus vt ignis. In secũdo gradu ex *lẽte* propriæ infirmitatis *consideratione* infinitũ nihil erat, & ipse tamẽ infinitus in nihilo. Fortior animo, quanto infirmior in id, quod apud se erat. Sic *oleo rosaceo* Spiritus S. vnctus ad luctamen cum hoste, & ad victoriam de hoste semper luctans, & semper vincens. Victus à seipso, ne perderet seipsum. Victor hostis sui, vt ipse à seipso iam victus, armis illius diuini amoris, *qui extasim facit*, totam Romanam Ecclesiam penè deperditã Deo acquireret. In tertio gradu igne charitatis per volũtatis mortificationem, vnctione Sancti Spiritus per propriæ infirmitatis consideratione, extasi amoris Dei per totalem omnium rerum caducarum, & amoris sui ipsius alienationem *totus actiuus, & operatiuus* com-

3. Gradus ex milio, vitæ actiuæ exercitatio.

Quam eminuerit in hoc tertio gradu Frãc.

Pulchrã cõnexio trium graduum cũ gradibus Bonau.

contemplatiuæ vitæ seruiens, nec à seruitute proximorum loco, & tempore tantillum se remouens. Nam si Franciscus in vera, & non ficta charitate Dei erat vt cōtemplatiuus, sic etiā ignitus, & vnctus, & extaticus erat. Et si erat quoque in vera charitate proximi, erat pariter in ipsa actiuus ad proximum vt ignis, vnctus vt Christi Athleta, extaticus vt omnium, & sui ipsius oblitus. Hæc charitas tā mirificè in ipso actiua ipsum vrgebat ad salutem animarum; voluntate mortificatum in totum reddebat, consideratione propriæ infirmitatis totaliter extinctū. Operatione actiuæ vitę in aggressione arduorum magnanimiter totum.

Sed quod mirum est, & primum in Francisco circa hunc gradum tertium schalæ Interpretis nostri ex *milio*, illud proculdubio perfsitandum, de quo Bonau. super illam quæstionem, *Cur tot existentibus sanctis, & approbatis Ordinibus nouam Regulam facere voluerit S. Frācifcus.* Ordines sex inuenit in Ecclesia Franciscus, scilicet S. Petri Principis Apostolorum, Cleriq; institutoris. S. Antonii Abbatis, S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, S. Romualdi, Camaldulensium auctoris. Tria haud simul iunctim, sed seorsim reperit in his sex Ordinibus, scilicet studium virtutum, ad Christi vestigia imitanda, & hoc in Religiosis Cœnobitis. Frequentem diuinæ contemplationis vacationem, & hanc in Eremitis. Sollicitam animarum curam, & hanc ex officio in Clericis, plebium Rectoribus. Quantum ad vltimam hanc partem, actiuam vitam respicientem (quam cum aliis duabus prædictis, in aliis Ordinibus dispersis, coniungēs simul in suo verè nouo, ac peregrino Ordine Franciscus) similiter fuit & ipse nouus, & circa vtramque addit Bonauentura hæc sequentia. *Nam etsi actionis exterioris occupatio aliquoties interrumpat otium contemplandi, ipsa tamen libertas cordis, nullis sollicitudinibus temporalium distracta, spiritualis vacationis magnam præstat studiosis opportunitatem, vt orando, legendo, meditando, & contemplando. Plus enim obest ad deuotionis puritatem assequendam strepitus temporalium curarum, quam exercitatio virtuosarum actionū.* Quia curarum importunitas in otio corporis generat mentis inquietudinem. Boni autem operis fidelis exercitatio conscientiam quietat, & impinguando eleuat in superna; sicut qui laborat in præparationem conuiuii, in quo quietius iucundè epulatur. Vnde & Dominus per diem occupabatur in doctrina populi, in noctibus orationibus in monte vacabat, sicut ait Lucas 21. *Erat autem diebus docens in Templo, noctibus verò exiens morabatur in Monte Oliueti.* Et Psalmista 41. dicit. *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.* Noluit Sanctus Franciscus esse Fratres suos adstrictos ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex liberę charitatis affectu, vt & meritum expectarent de fructu salutis aliorum, & periculum euitarent de perditione aliorum, *participes in lucro, indemnes in detrimento, vt alios extrahant de naufragij, seu incendij periculo, ipsi tuti consistentes in solido, non periclitentur cum pereuntibus in peccato.* Hæc Bonau.

Ord sex reperit in eccles. Franc.

Vnde actiua vita in ipso, & in suo ordine primitiua.

Quæ vitæ actiua melius contemplatiuæ; ac liberius inseruit.

Franciscani actiui, & cōtemplatiui sine periculo distractionis.

Itaq; vbi actiua vita, siue actionis exterioris occupatio à nullis sollicitudinibus tēporalium distrahitur, otiū contemplādi liberum relinquet, liberum cor facit, magnamque præstat spiritualis vacationis opportunitatem. Quo ergo primus omnium extitit in Ecclesia Franciscus, omnibus temporalibus affectu, & effectu, in communi, & in particulari renuncians, & super hanc renunciationem per altissimam paupertatem suum Ordinem profundissimè, atque inconcusè fundans, eo quoq; incepit omnium primus nouum ligamen reperire pro vtraque vita, scilicet actiua, & contēplatiua coniungenda. Quarū altera, scilicet actiua cū proximo, tum pariter & cōtemplatiuæ inseruiens, nec proximum relinquere, nec contemplatiuam distrahere, atq; alienare à seipsa posset. Et altera deinde, scilicet contemplatiua in ancillæ suæ occupatione cordis libertatem non amitteret, nec de quietis otio, vocandi scilicet ad superna, vnquam pertimesceret. Sume tibi

4 *Hordeum*, quod tenacem habet paleam, *in quo rigor disciplinæ*, &c. Gradum ex milio antecedentem optimè iunxit Interpres cum præsenti, ex hordeo confecto. Rigor enim disciplinæ in vita actiua quanto acerbior in operante, tantò in collectione fructus abundantior. Rigor disciplinæ in gradu quarto schalæ Seraphicæ acuit speculationem ad superna, adeoque affectuosam reddit, vt miro quodam modo è niuis educat focos, hoc est in illum prorumpat amoris Dei ardorem, qui propinquior fit igni Spiritus Sancti; & quem rigidè premit, Seraphinum efficiat in terra, vt possit rapidius, atque ardentius ad cælestia eleuari. Agit Bonau. cap. 5. de austeritate vitæ S. Franc. hancque per vim ad supernorum speculationem vt summè eminentem in ipso demonstrans, duo affert, quorum primum sic.

4. Gradus ex hordeo, rigor disciplinæ.

Interrogatus aliquando, quomodo vestitu

tam

Vestis aspera in hieme contegit cælestis patriæ flammam.

tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitate tueri, in spiritus feruore respondit. Si superna patriæ flãma per desiderium contegeremur interius, frigus istud exterius facilè portaremus, &c. His verbis semetipsum ostendit proculdubio Franciscus, quanto asperum in disciplina secundum iura edomãdi sine vlla pietate carnis impietatem, tantò accensum supernæ patriæ per desiderium, in quo mens intellectu speculabatur æterna, voluntate verò affectum inflammabat. Quorum vtrumque ablata asperitate facillimè deficit, eo quod Dæmonis tentamentis, ne succumberet, insueta res esset. *Experientia enim certò didicerat* (subdit Bonau. paulò infra post propositum S. Ioannis Baptistæ exemplum, in rigore disciplinæ, & in speculatione affectuosa supernorum, vt lucernæ ardentis, & lucentis à Christo celebrati) *Dæmones asperitate terreri, deliciosis autem, & mollibus ad tentandum animari.*

Mollis verò fit Dæmonis vis ad spiritus tepiditatem.

Secundum, quod affert Bonau. ad propositum nostrum ibi, ita infra explicatur. *Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curam permaximam gerens de vtriusque hominis puritate seruanda, &c.* Vide Lector quid causæ erat in Francisco disciplinæ rigiditas, dum per eam vtriusque hominis puritatis oculatissimum reddebat custodem, vt magis, ac magis oculatissimus, atque affectuosissimus rerum supernarum speculator euaderet, coniungeretque tres gradus anteriores ad hunc quartum, ascendens etiam per Seraphicã Bonauenturæ schalam, tenensque cum *frumento* ignem feruentem, cum *lente vnctionem rosaceam, cum milio extasim voluptuosam, cum hordeo speculationem supernorum affectuosissimam.* Sume

Rigiditas disciplinę binæ puritatis custodia est.

5 *Fabam*, quę est cibus abstinentium, *in qua virtus abstinentiæ*, &c. Rigor disciplinæ virtutem abstinentiæ sic facit sibi sociam, atque amicam dilectissimam, vt in se eam transformet, transformatamque vnam cum seipsa efficiat. In hoc quinto gradu ex faba quintus gradus schalæ Bonauent, quem vocat *gustum è diuina prælibatum dulcedine*, extat proculdubio. Gustus fabæ huiuscemodi iuxta Interpretis nostri explicationem gustum illum diuinum vtique parit iuxta Bonauenturæ commentarium. Testatur namque idem Bonau. ibidem de virtute abstinentiæ, Franc. rigori disciplinæ iunctissima hæc alia. *Tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, vt vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore, dicebat, necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parere.* Propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, & rarò; admissa verò aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ vt plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicã, cum & de aqua frigida dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinueniebat abstinentiæ potioris, & quotidie exercitatione crescebat; *Licetque iam perfectionis culmen attingeret, tamquam incipiens semper aliquid innouabat afflictionibus carnis, puniendo libidinem, &c.*

5. Gradus ex faba virtus abstinentiæ.

Virtus abstinentiæ in Franc. quanta

In perfectionis culmine semper incipiens circa abstinent.

Nunquam pronitati sensui parit Franciscus, scandens fabæ gradum in schala Interpretis nostri; quia nunquam fabam virtutis abstinentiæ reliquit, imò in ipsa semper augumentum sumpsit. Igitur ex hac faba pro virtute abstinentiæ famelicus semper vir sanctus, gustus hominis spiritualis maximum super hominem sensualem exerceret imperium; quare nunquam talis gustus in eo detineri poterat, quin iugi accremento cum nouo abstinendi modo suauitatem nouam è diuina dulcedine prælibaret. Erat ipse (mirum dictum) in culmine perfectionis gustans Deum suum, super mel, & fauum suauissimum; & nihilominus semper super gradum fabæ, quasi vix eum ascenderit, se veluti incipientem patefaciebat. Ex hoc quinto gradu ascendit in Aluernæ Montem ad sextum, quem appellat quietem Bonau. immediatũque facit septimo gradui gloriæ. Sume

6 *Viciam*, quæ in altum tendit, in qua *contemplatio cælestis gloriæ designatur, &c.* Concinnus vtique, nobilisque transitus est à faba virtutis abstinentiæ, ad viciam, quæ contemplationis gloriæ cælestis simbolum est. Hic est gradus sextus schalæ Seraphicæ, ex quiete, totam absorbente animam per ineffabilem tranquillitatem, conflatus; sed ista quies sine vicia esse non potest; nam ipsi quieti intrinseca causa taliter est cælestis gloriæ contemplatio, vt ea remota, necessariò & illa remoueatur. Super gradum Viciæ summè eminenter positus Franciscus, iam in postrema abstinentia quadragesimali S. Michaelis Archangeli exstremè absortus, illam gloriæ quietem attigit, de qua paulò ante in septimo gradu Bonauenturæ. Itaque à gradu ex *frumento* totus ignitus transiens ad gradũ ex *lente*, & ibi rosacea vnctione perfusus, & à gradu hoc ex lente ad gradum ex *milio* perueniens, & ibi extaticus repertus, tandem ad gradum ex *bordeo*, & supernorum speculatione, & à gradu ex *faba*, & dulcissimi dilecti gustu ascendit gradum vltimum ex *vicia*, & per eum ad gloriæ quietem ita eminenter, vt coniungens secum

6 Gradus ex vicia, contẽplatio cælestis gloriæ.

Quam eminenter super hunc gradũ excelluerit Franc.

secum ex vtraque schala Cherubica, ac Seraphica frumentum cum igne, lentem cum vnctione, milium cum extasi, hordeum cum supernorum speculatione, fabam cum gustu, viciam cum quiete, appræhēdit ipse solus Christum suum super Aluerniæ Montem, accepitque ab eo *signorum Dominicæ Passionis in sanguineo sigillo consignationem*.

Ex schala leguminea D. Antonii fiunt panes ad Christum sequendum.

Ista ergo sumamus (claudit Interpres schalam suam, sequens Christi gressum Tyrum versus) *& mittamus in vas nostrū, & faciamus panes, vt possimus secedere in partes Tyri*. Sex ergo legumina prædicta, scilicet frumentum, lens, miliū, hordeū, faba, vicia conficiunt schalam, quæ ad Christum possit ascendi, & aptissima sunt ad illos panes conficiendos, qui necessarii sunt ad iter prosequendū cū Iesu Christo ad partes Tyri. Etiam Bonauent. proponens in principio suæ schalæ gradus ex igne, vnctione, extasi, speculatione supernorum, gustu, quiete, & gloria, protulit simul supernę dulcedinis dapes, spiritale palatum perfundentes. Dixerat enim in principio. *Contemplationum Aquilinos obtutus acui, & ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus supernæ dulcedinis affectans, septem gradus, &c.* Vide superius punct. 1.

Ex schala D. Bonau. dapes fiunt.

In panibus, ex leguminibus Interpretis nostri confectis, quibus & schalam suā iam antea confecerat, inuenit Franciscus, secedens cum Christo in partes Tyri, & eum sequens ad Montem Luminis super Aluerniam, dapes schalæ Bonauenturæ. Nam in gradu, & pane ex *Frumento* inuenit ignem feruentem. In gradu & pane ex *Lente* inuenit vnctionem rosaceam. In gradu, & pane ex *Milio* inuenit extasim suauissimam. In gradu, & pane ex *Hordeo* inuenit speculationem supernorum. In gradu & pane ex *Faba* inuenit gustum diuinum. In gradu denique, & pane ex *Vicia* inuenit quietem tranquillissimam, peruenitque vsque ad Christum, cælesti gloria circundatum, cuius vestigia (gustans frumentum, & ignem, lentem, & vnctionem, milium, & extasim, hordeum, & speculationem, fabam, & gustum, viciam, & quietem) nunquam dereliquit. Ibique illius gloriam participans (redditus iam & compræhensor transeunter, etsi viator permanenter) eò gloriosior in Sanctorum cœtu ipse solus euasit, quò solus ipse Dominicæ passionis in sanguineo sigillo consignationem meruit per stigmata, & clauos.

Inter illos, atque hos panes concordantia.

Ad tantum meritum ascendit, sequens Christum suum per schalam Cherubicam Interpretis nostri, & per schalam Seraphicam Bonauenturę Franciscus, vescens in illius ascensu panes ex leguminibus, & in istius progressu dapes supernæ dulcedinis. Et nihilominus cerno apud eundem Bonau. ipsum Franciscum & sigillo Dominicæ passionis consignatum, & vix ad primum schalæ vtriusque gradum, & ad primam illius prioris panis commestionem, ad primum huius dapis gustum positum, atque admissum. Spiritale Francisci palatum in pane ex frumento, & adipe ex igne, in pane ex lente, & dape ex vnctione, in pane ex milio, & dape ex extasi, in pane ex hordeo, & dape speculationis, in pane ex faba, & dape ex gustu, in pane ex vicia, & dape ex quiete vsque ad gloriæ tranquillitatem perfusum semper fuit singulariter. Et tamen in suæ voluntatis mortificatione adeo semper ignitus, & ardens apparuit, vt in suæ infirmitatis, & nihileitatis consideratione, per quam abundè vnctus, in suæ vitæ actiuæ exercitatione, per quam mirabiliter extaticus, in suæ disciplinæ rigore, per quem eminenter speculatiuus, in suæ abstinentiæ virtute, per quam gustans diuina ad miraculum, in sua contemplatione de cælesti gloria, per quam excellenter quietus, nunquam extinguerit sitim, per quam ideo à Christo, qui in Cruce dixit *Sitio*, confixus, vt simul cum ipso ardenter sitiret animarum salutem, & magis accensus, & magis sitibundus tunc maximè appareret, siue ascendens ad ipsum, siue descendens ad proximum. Imò ipse proprio ore fassus est, vix nunquam vtriusque schalæ primum gradum ex frumento, & igne attigisse, primum panem, aut dapem ex vtroque confectos gustasse. Quippe in progressu virtutum, atque in earum refectione veluti semper incipientem etiam post accepta sacra stigmata seipsum testatus est.

In ascensu & profectu vtriusq schalæ per vtrosque panes, et dapum altis. Franc.

Et tamen vt semper in cunctis incipiens.

Audiamus eius verba ore Seraphico Bonauent. prolata ex cap. 14. in princip. Christo iam igitur Cruci confixus Franciscus, tam carne, quam spiritu, non solum Seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem saluādorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clauos ambulare nō poterat, corpus emortuum per ciuitates, & castra circumuehi, vt ad Crucem Christi ferendam cæteros animaret. *Fratribus quoque dicebat: Incipiamus, fratres, seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus*. Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leprosis sicut à principio ministraret, corpusque, iam præ labore collapsum, reuocaret

Francisc. cū Christo dupliciter crucifixus, & sitibundus.

caret

caret ad priſtinam ſeruitutem. Proponebat, Chriſto Duce, ſe facturum ingentia, & fatiſcentibus membris ſpiritu fortis, & feruidus, nouo ſperabat certamine de hoſte triumphum. *Neque enim languor, vel deſidia locum habet, vbi amoris ſtimulus ſemper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad ſpiritum erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur ſanctitatem pertingere, ipſa non ſolum non repugnaret, ſed præcurrere niteretur.*

Quanta in Franc. carnis ad ſpiritum concordia.

CAPVT II.

Textus Interpretis IV.

Si corpuſculum in marem figuretur, &c.

Dei gratia in Franciſco concepit Maſculum.

Carnalis, ac perfecta prolis maſculinæ conceptio.

1 SI corpuſculum in marem figuretur, color melior eſt grauidis; & pronior parturitio vteri. Deinde à quadrageſimo die eſt motus. Alter ſexus, ſcilicet fœmina nonageſimaprima die palpitat.

Maſculini, ac fœminini fętus mora in vtero matris.

2 Concepta fœmina geſtantis vultum pallore inficit. Crura quoque impedit languida tarditas.

3 In vtroque ſexu cum capilli germinant, incommodum maius eſt; fitque in pleniluniis auctior ægritudo, quod tempus etiam editis ſemper nocet.

Capillorum generatio magnũ matris incõmodum affert.

4 Cum ſalſiores eſcas edit grauida, vngulis caret paruis.

5 Omne animal quadrupes eſt extenſum in matrice; & omne animal, carens pedibus, ſtat in matrice ſuper latus, ſicut piſcis, vtpote Balena, & Delphinus, quæ portant paruulos ſuos in vtero. Alii piſces faciunt oua ſua in aqua, & ideo parum diligunt filios ſuos, quia parum laborant in eis. Vnde Abac. 1. *Feciſti homines ſicut piſces maris, & ſicut reptile non habens principem (alia litera facies hominis, &c.*

Piſces qui parum diligunt filios.

6 Et omne animal, habens duos pedes, ſtat curuatum in matrice, ſicut aues, & homo. Quoniam iſta ſtant incuruata in matrice, & naſi eorum ſtant inter genua, & oculi eorum ſuper genua. Vnde genæ dicuntur à genibus, quæ cum in orationibus flectimus, & oculi quaſi quadam pia cogitatione ad lachrimas prouocantur. Et auriculæ eorum ſunt extra. Et omnia animalia in principio tenent capita ſuperius, quando complentur, & mouentur ad exitum, vertunt capita ad inferius; quoniam ſuperior pars maior eſt inferiori parte, ſicut accidit trutinæ; quando declinat ponderoſius ad terram. Et manus embryonis in omnibus ſunt extẽſæ ſuper coſtas. Hęc Interp. circa cõceptionem materialem ſexus maſculini. Reliqua transferenda ad ortum Franciſci.

Vnde genæ dictæ.

Manus embrionis extenſio.

Conceptio ſpiritualis prolis maſculinæ per ſua paralella ad conceptionem carnalem.

BReui applicat Interpres octo prępoſita puncta, ſequens allegoriam ſuam vſque ad tempus partus concepti ſpiritualis fœtus, quem Gratia Dei virtute Spiritus Sancti in animæ formauit in vtero. Eius applicatio ita ſe habet.

1 *Si corpuſculum in marem figuratur, &c.* In maſculo opus virtuoſum, in fœmina opus effœminatum deſignatur. Cũ enim anima opus virtuoſum concipit, eſt bonæ diſpoſitionis, quia omnia rectè, & ordinatè diſponit. Et eſt boni coloris, quia Deo placet, & proximum ædificat. *Hunc maſculum* vult ſubmergere Pharao, ideſt Diabolus, in flumen Aegypti, ideſt amore huius ſæculi. De hoc maſculo 1. Reg. 1. *Domine exercituum* (dixit Anna) *ſi dederis ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ.* Sexum virilem petit, non fœmineum.

Maſculus miſticè opus virtuoſum.

2 *In ſexu fœminino* effœminatæ mentis opus deſignatur, quod anima miſera cum concipit, *eius vultus inficitur*, ideſt amore terrenitatis fœdatur; & languida tarditate præpeditur, quia negligens, & tepida membra, deſtituta à bono opere retardat. Hæc eſt filia Regis Aegypti, quæ infatuauit *Sapientiam Salomonis, & conuertit cor eius, vt ſequeretur Deos alienos.* Sed heu quot hodie ſapientes, effęminatione mentis tepidi ſequuntur mortalia peccata. Quot enim mortalia habes, tot Deos adoras, &c.

Sexus fęmineus, effęminati operis ſimbolum.

3 *Cum pili*, ideſt ſuperfluę cogitationes in mente oriuntur, *magnum generant animæ incommodum.* Quia *peruerſæ cogitationes* (vt dicit Salomon cap. 1.) *ſeparant à Deo.*

Capilli ſuperfluarum cogitationũ

Esca falsa vanægloriæ

4 *Cum salsiores escas* edit grauida vngulis caret partus. Sal terram sterilem reddit. Vxor Loth in salis statuam mutata fuit, Gen. 19. Sal infatuatum foras proiici Dominus iussit. *Si* (inquit Matthæi 5.) *sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Sal in hoc loco significat vanam gloriam, quæ omne opus sterile reddit. Anima, hæredem vitę æternæ paritura, si salem vanæ gloriæ comederit, fœtus, idest eius opus, vngulis, idest finali perseuerantia, & cælesti gloria carebit.

Quid in fœtu spirituali nasus, genua oculi, aures.

5 *Auis, & Homo* incuruati sunt in matrice, & nasi inter genua, & oculi super genua, & auriculæ extra. In naso discretio. In genibus lachrimarum cõpunctio, & pœnitentiæ afflictio. In oculis mentis illuminatio. In auribus obedientiæ iussio. Auis, & Homo bonæ voluntatis propositum significant. *Quia auis volat contemplatione. Homo laborat actione.* Homo, inquit Iob 5. nascitur ad laborẽ, & auis ad volatum. Hominis nasus debet esse inter genua, vt tam in mentis compunctione, quam in corporis afflictione media via discretè procedat. Et oculi super genua, vt hilaris conscientiæ illuminatione omnia faciat. *Quia hilarem datorem diligit Deus* 2. Corinth. 9. Et auriculæ extra, vt liberè audiat, & obediat. Quia obedientia (vt dixit Gregorius) cæteras virtutes sibi inserit, insertasque custodit.

Auis contẽplantiũ homo actiuorũ hierogl.

Costæ signãt vilitatem propriã, mũdique contemptum.

6 *Animæ filius* debet manus extendere super costas. *Costæ dictæ, quia ab ipsis interiora custodiantur. Et sunt vilitas sui, & contemptus mundi, quæ benè omnes virtutes custodiunt*. Super quas manus operũ debent inniti, & firmiter appræhendere, vt dicat cum Abraham Gen. 18. *Loquar ad Dominum meũ, cum sim puluis, & cinis*. Et cum Dauid 1. Reg 24. *Quem persequeris Rex Israel? Quem persequeris? Canem mortuum, & pulicem vnum*. Et cum Apostolo Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Percurramus singula, quorum quinque sufficiet, vt per reductionem ad primum leuiter, breuiterque pertingamus.

Masculus sustantiuẽ, & adiectiuẽ quid.

Mas ita dicitur, prout sexus est, fœminæ oppositus. Vide Cicer. 1. de Natura Deor. *Masculus* substantiuum denotat diminutiuum, à *Mas* deriuatũ. Deus creans Adamum, & ex eius costam producens Euam, *masculum, & fœminam vocauit eos*, Gen. 1. Si verò *masculus* est nomen adiectiuum, sicuti est masculinus, rem masculem similitudine, vel actione indicat, vt dici solet mascula facies, mascula Sappho dicta est ab Horatio lib. 1. epist. Quod in portentoso mulierum concubitu viri vice fungeretur. Mascula proles, Horat. 3. carm. 6. Masculus quoque pro vehementi, & quod virum decet accipitur. Sic mascula bilis dicitur à Persio 5. Sat. *Calido sub pectore mascula bilis intumuit*. Plin. lib. 12. cap. 14. quandam Thuris speciem Thus masculum appellat ad differẽtiam fœminini. *Idcirco autem*, inquit, *Thus masculum quidam dici putant, quod testium speciem habeat*. Hinc verba deriuata masculesco, & masculo, item & nomen Masculetum. Masculesco est masculũ fieri, Plin. lib. 17. cap. 13. densiore satu masculescere, hoc est ex fœminis masculos fieri. Masculo est masculum animum induo, vnde commasculo apud Apul. 2. de Asino, *animum meum commasculaui*. At Masculetum locus est, in quo masculæ vinearum plantæ consitæ sunt. Plantæ autẽ masculæ sunt, quæ non subiguntur vt palmites alias emittant, sed in altum attolli permittuntur. Quare Plin. lib. 17. cap. 22. Nec veterem placet palmitem in longum emitti, vt faciant, *quæ Masculeta appellant*.

Thus masculum quale.

Masculesco. & masculo,

Vir (quod nomen in sequenti sectione apertius explicabitur) dicitur à vi, ponitque cũ nomine Mulieris discrimen ob sexus disparitatem. Vnde fit, vt sicut Mulier, & fęmina idem essẽtia sunt, quãuis nomen differentes, ita pariter idem sunt in substantia masculus, & vir, nuncupatione tantummodo discreti. Nomen autem homo, quod ab humo deriuatur, & cum masculo, ac viro conuenit, nonnisi sexu differt à Muliere, vel à fęmina, non autem specie. Hinc Deus idem nomen quo vocauit Adam, & Euam quoq; vocauit, vt habet textus sacer Genes. 5. vbi legitur in principio *Hic est liber generationis Adam. In die, qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum, & fœminam creauit eos; & benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam, in die, quo creati sunt*. In illis verbis, *masculum, & fœminam creauit eos*, exprimitur ex opposito discrimen sexus inter marẽ, & fœminam, quibus humanitas per animam rationalem, & Dei similitudinẽ ob speciei paritatem communis est. At in illis aliis verbis, *& vocauit nomen eorum Adam* (quod nomen ab humo deriuatum idem est ac Homo, & Homo masculo, ac fœminæ, viro, ac mulieri communis est) speciei identitatem cum sexus distinctione inter Adamum, & Euam facere textus ostendit. Vide Liranum in cap. 5. Genes. Adam verò duo nomina imposuit vxori suæ, primum ante peccatum, & in statu

Vir dictus ad differentiam mulieris.

Adam etiam Eua nuncupato.

Ante culpā Eua Virago ab Adam vocata.

statu innocentiæ intra terrestrem Paradisum, alterum post commissam culpam, atque expulsionem à Paradiso, & maledictionem terræ, ab ipso excolendæ. Primo loco vocauit eam Viraginem in c.2. vbi scriptum est. *Dixitque Adam. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur Virago, quia de viro sumpta est.* Secundo loco vocauit Euam, ceu omniū viuentium Matrem, ita cap.3. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eo quod mater esset cunctorum viuentium.* Quamobrem Adam, idest Homo, terrenus, rufus, ruber, quia de terra rubra creatus, nomen est masculi, & fœminæ, viro, ac mulieri commune ob paritatem haud sexus, sed speciei. Vir autem Viragini conuenit ob deriuationem à viro, à quo sumpta est mulier, quemque fortitudine, & robore, ac strenuis operibus imitatur. Vnde Plautus in Met. Rectè ergo emero matri tuæ ancillam Viraginem aliquam, non malam, forma mala. Et Ouid. 2. Met.

Post culpā vero Eua.

Huc tibi peruenit bello metuenda virago.

Virago à viro deriuata; & etiam virgo.

Istud etiam nomen *Virgo* viro aliquo pacto referri potest, quatenus à viridiori, idest validiori ætate, quæ in viro est, appellatam inuenimus apud Virgil. Eclog. 6. de Pasiphaæ, quæ trium puerorum mater erat, canit enim

Ah Virgo infelix, quæ te dementia cæpit. Hodie tamen Virginem eam solam dicimus, quæ incorrupta est, & vitum non experta, cui opponitur mulier, à mollitie ita nuncupata, teste Varrone, ex quo & Interpres noster alibi datus.

Operi virili naturæ respondit opus virile gratiæ in Franc. cōceptu.

Opus igitur naturale, quod auctor naturæ peculiari quadam prouidentia, atq; influentia produxit, grauescens primæuice Dominæ Picæ vterus in conceptione perfecta corpusculi animati Frācisci, masculinum, atque virile extitit. Fœtus huiusmodi, sexu, ac nobilitate primus, & princeps, sicut in domo sua primogenitus, idcirco talis cælitus ordinatus, vt indicaret, quod ipsum similiter vis Spiritus Sancti vt primum etiam in vtero Gratiæ Dei suo tempore conciperet. Hinc vbi primo incepit natura ostendere opus suū perfectum virile in ventre Picæ, ibi etiam incepit Bonauētura describere opus Spiritus Sancti masculinum, viriliterque virtuosum in Dei gratiæ vtero conceptum in optima dispositione ad omnia rectè, & ordinatè disponendum, & in bono colore ad placendum Deo, & proximum ædificandū. Exordium enim legendæ cap. 1. cui inscriptio, *De conuersatione Francisci in habitu sæculari*, ita se habet. *Vir erat in Ciuitate Assisij, Franciscus nomine, cuius memoria in benedictione est; pro*

Exordium legendæ Bonau.

eo, quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benignè præueniens, & de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, & cælestis gratiæ donis affluenter impleuit. Hæc Bonauquorū statim addit causam, quæ in Francisci ortus afferenda est, explanandaque.

Prærogatiuæ conceptus naturalis Frācisci circa eius temporis, & dignitati prioritatem, prærogatiuæ cōceptus gratuiti ipsius pulchrè respondit. Nam illa præuentio diuina, quam tangit Bonau. in persona Francisci adolescentis duo continet arcana. Vnum refertur ad Dei clementiam, Franciscum mascula virtute prædiium, nè in læthale crimen laberetur (sicque Præcursori Christi compar esset) à præsentis sæculi periculis eripientem. Aliud refertur ad affluentiam illam donorum cælestium, quę postea in statu vitæ Regularis, editus in lucem à Diuina gratia veluti ter Legislator Euangelicus, triplexque Ecclesiæ Reparator, illuminaret per ipsum *omnē hominem venientem in hunc mundum, & mundum per ipsum restauraret* redemptioni Christi reparationem Francisci æquiparans.

Cuius duo arcana expēduntur.

Consimile principium tenuit author officii S. Francisci, tam ad primas vesperas, quam etiam ad primas antiphonas. Ibi enim inceptio. *Franciscus vir catholicus, & totus Apostolicus, Ecclesiæ teneri fidem Romanæ, docuit, presbyterosque monuit præ cunctis reuereri.* Hic verò initium. *Hic vir in vanitatibus nutritus indecenter, diuinis charismatibus præuentus est clementer.* In vtroque carmine vir meritò dicitur Franciscus, quia ceu primitiuus in illis rebus, heroica virtute summè præcellentibus, masculina vi se gessit, vt eas perageret, perficeretque. Virum concepit, virum peperit, virumque aluit, educauitq; Genitrix gratia, concipiens, edensq; Franciscum. Et virum inquam Catholicum, non sicut erant cæteri, sed sicut primus, qui diuinis charismatibus iam ab infantia præuentus, virile opus insumeret, ad Ecclesiam Catholicam viriliter sustinendam, hæresimque debaccantem reprimendam. Sicut primus, qui non solum doceret, veram fidem Ecclesiæ Romanæ tenendam, verum etiam qui eam repararet. Sicut primus, qui Clericalem statum (ipse Cleri vir reuerētiss. atq; obsequentiss.) à communi contemptu subtraheret, & ad culmē reuerētiæ subleuaret

Fidem Romanæ Eccl. docuit, & reparauit Frāciscus.

Hunc masculum, virumque concepit Domina Pica, quem postea Domini gratia & masculum, & virum, & virginem edidit, opusque masculinum, nimirum virtuosum per eum operata est, nouum, rarumque. Pica nostra, verè mulier &

Virago, & fortis, virilique, ac masculina virtute, à natura ob stirpis nobilitatem; sed verius ob ingenuam, chistianamque pietatem, hancque cælesti gratia præditam maximè in conceptione Francisci, haud immeritò prædicanda, commendandaque censetur. Sic enim aptior reddita est, vt in masculi, virilisque conceptus productionem post actiuam virtutē concurreret, iam ipsa virili prole per opus virtuosum gratiæ Dei pietatis christianæ spiritaliter tunc grauescens. *Pica concepit Picum* illum, de quo superius in initio sectionis primæ. Picus corpore exiguus est, & Martius, scilicet Marti sacer, quia fortis, & rapax.

Pica Franc. parens concepit Picū auē Martis.

Robur martiale Francisci (in media statura parui potius, quam alti, sed humilitate paruulissimi, exiguissimi) in spirituali militia bina virtute mirum, atq; inuictum. Nam primò quoad se, scilicet quoad expugnādum, debellandum, subiugandumque semetipsum. Secundo verò quoad vincendam omnem Diaboli vim, quæ totam Ecclesiam Catholicam in sūmum excidium fermè posuerat, quod opus ipse Franciscus triformiter aggredi debebat, ac perficere, eoque innumeras animas è faucibus Satanæ rapere. In vtroque hoc bello, ac triumpho propriè, atque antonomasticè opus virtuosum dicendus est Franciscus. Est namq; virtus probitas, integritas, recta ratio, vitio contraria, quam Aristotel. 1. Rhetor. definit *esse facultatem, bonarum rerum conciliatricem, & conseruatricem. Facultatem beneficam multarum, & grandium rerum, atque adeo omnium per omnia*. Dicta est virtus, teste Cic. 2. Tuscul. à viro. Quo fit, vt sæpè peculiariter accipiatur pro præstantia in re militari, & pro robore animi, ac fortitudine. Et virtutem Romani pro Dea colebant, cuius Templum ita coniunctū erat cum æde Honoris, vt in hanc nōnisi per illum pateret aditus. Quo commento significabant, veram, vnicamque parandi honoris viam esse virtutem. Franciscus Vir, quia opus virtuosum. Vnus, & vnicus omnium, & per omnia, quia in sui victoria vicit omnia, quæ expugnabant Ecclesiam, & liberauit Ecclesiam, transiens statim à templo summæ virtutis ad templum summi Honoris.

Virtutis definitio.

Ad visionem illam de amplo palatio, seu armamentario, militaribus armis Crucē obsignatis conferto, Francisco cælitus monstrato, de quo in sequenti capite, non destitit eius magnanimitas, etsi diuinæ dispositionis ignari, quin statim an. ætatis suæ 24. Christi verò 1205. paulò ante ait Vading. è patria discederet, iterque ad Appulos arriperet, lætè, ac festinanter equitando (rebus omnibus splendidè prouisus tanquam qui se futurum speraret Principem magnum) vt sacræ militiæ Hierosolimitanæ se adscriberet, sicque totum christiano Marti se consecraret. Sed iterum monitus à Deo, vix ad proximam Assisio Ciuitatem appulsus, *vt reuerteretur in terram suam, quia visio, quam viderat, spiritualem præfigurabat effectum, non humana, sed diuina in ipso dispositione complendum*. Mane facto, subdit Bonauent. cap. 1. cum festinatione reuertitur versus Assisiū securus, & gaudens, *& iam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem, &c.* Ab hac virtute obedientiæ, Deo immediatè præstitæ incepit vt exemplar, scilicet vt Dux, & Antesignanus spiritualem pro reparanda Ecclesia militiam Franciscus, à qua etiam inceperat suam Christus in opere redemptionis, pro quo *factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis*. Vnde verò exordiri nouæ huiusce militiæ primafacta debuerint, veniens ad arma cū hoste, vt de hoste victoriā reportaret, adhuc ignorabat. Sed prima ipsa diuina volūtas, à qua expectabat Frāc. signum, & impulsum, eius suggessit spiritui. Nam à publica negotiatione iam subtractus, iam in percrebri oratione flamma desiderii cælestis vehementer repletus, ac pro amore supernæ patriæ omnium terrenorum contemptor effectus, *quod Christi militia sit à sui ipsius victoria inchoanda, comprehendit, &c.* Ab hac victoria mox incepit miles Christi Frāciscus, vt patet ex historia de *leproso*, quē paulò post equitans per planitiem Assisii obuiū habuit; *Cuiusque inopinatus occursus ei non paruum incussit horrorem*. Recurrens autem ad perfectionis mente, iam conceptæ propositum, *& recolens, quod seipsum oporteret primum deuincere, si vellet effici Christi miles, ad deosculandum eum, equo lapsus accurrit*. Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportauit. Statim autem equum ascendens, & se circumquaque conuertens, minimè vidit. *Admiratione itaque repletus, & gaudio, laudes cepit Domino decantare deuotè, proponens ex hoc semper ad maiora conscendere, &c.*

Franc. vir martialis totus spiritualiter quoad se.

Nouæ militiæ Christi Dux Franc. sub obediētiæ vexillo.

Vnde suæ primæ victoriæ exordiū

Cantauit more classico laudes Domino exercituum pro hac prima victoria; per quam voluit, statuitque firmiter ire post Christum, Patri æterno obedientissimum, ei principio sine mora obediendo, initiumque militiæ suæ dando, vt postea meritò primum locum inter vota suæ Regulæ obedientiæ daret. Christus namq;

In armis Cruce signatis misterium allocutionis Dei.

namque inuitans ipsum, dixerat non voce, sed misterio in armis visione præmonstratis, Cruceque signatis. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*. Itaque veniens, explicans obedientiæ militare vexillum, in priori aggressu cum hoste, irruit armatura cruciformi in seipsum, abnegans semetipsum, vicitque seipsum, iam in leproso illo omni horrore deuicto. Qui horror eò plus horribilior erat, quò ipse Christus, vel aliquis ex supernis spiritibus illum per assumptum corpus ipsi inopinatò præsentauit. Hac initiali victoria, quam ipsemet victor cantauit, laudans Dominum exercituum, animatus Franciscus, *deuotè proposuit exinde semper ad maiora conscendere*.

Frācisc. sub Marte Christo primus miles pro liberanda Eccles.

Factus igitur Franciscus in expugnandum, vincendumque seipsum totus martialis, semper in hac militia vsque ad sui obitum robore, ac viribus excreuit, veluti exemplar, ac proinde in aggressione arduorum conferens manus cum hoste pro liberanda Ecclesia, semper victor, ac triūphator euasit. In vtraque victoria, scilicet personali, & priuata sui ipsius, necnon & publica, & vniuersali Satanæ, hacque ab illa necessariò incipienda, debebat esse primus, ac nouus Franciscus, quemadmodum primum, & nouum erat opus, ad quod Deus immediatè destinarat, vt sic seipsum primò raperet pro Deo à se ipso, & deinde pro Christo sponsam Ecclesiam raperet à manibus Diaboli, & ita dupliciter Picus rapax martialiter appareret. Hinc in præmonstrata visione armamentarii, *cum quæreret* (ait Bona.) *cuius essent illa omnia, sua fore, militumque suorum superna fuit assertione respōsum*. Talis igitur fuit D. Picæ masculinus conceptus, scilicet Picus, auis Martis, Martique Christo peculiari modo consacratus, prout ab ipso Christo designatus ad illa omnia, quæ sua esse debebant, & non aliorum, qui sui non forent.

Domina Pica itē concepit in Frāc. Picum, idest Griphum.

Pica itidem concepit in Frācisco mare Picum, sed alium à prædicto, iuxta aliam significationem, quam loco citato posuimus. Picus, & Gryphus idem sunt, vt ibi explicatum est. Gryphes autem animalia pennata, & quadrupedia, omni ex parte Leonibus, alis tantū, & facie, ac pedum vnguibus Aquilis similia, Equis vehementer infesta. Virg. Ecl. 8. *Iungantur Gryphes Equis*. Plin. lib. 10. cap. 49. loquēs de Pegasis Scithicis, ac de Gryphibus Aethiopenis, vtros putat fabulosos. *Pegasos*, ait, *equino capite volucres, & Gryphes auritos aduncitate rostri, fabulosos reor, illos in Scithia, hos in Aethiopia*. Gryphus

Griphus phisiognomicè quid.

sine aspiratione dicitur, qui nasum habet aduncum, fortassis à Gryphorum similitudine, quos Græci *Gryphas* vocāt. Feruntur enim Gryphes rostrum habere incuruatum in morem Aquilæ.

Cur Griphes dicantur auriti.

Vocantur Gryphes auriti ab auribus, vel quia magnas habent aures, vt est apud Maronem 3. Aeneid. vel quia benè audiunt, ex Horat. lib. 1. Carm. *Doctus auritas fidibus canoris ducere quercus*. Apud Plautum in Asin. *Auritus populus* est, qui aures intentas habet. Auriti ergo ab auribus Gryphes nuncupantur. Possumus etiam & auratos ipsos appellare, non quoad se, sed quoad locum, vbi commorare solent. Incolunt enim hæ belluæ, vt diximus, Montes Hiperboreos in Scithia Asiatica, vbi aurum nasci perhibetur.

Conceptum à Pica naturalem, ac virilem fœtum Franciscum nuncupat Bonau. in prologo quatenus conceptū gratuitum, *Euangelicæ perfectionis professorem, Ducem, & preconem, in lucem datum credentium, vt testimonium perhibendo de lumine, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino prepararet, &c.* Quare totius Euāgelii in se formam, atque obseruantiam exprimens, in se quoque mirabilem societatem quatuor animalium Euangelicorum, scilicet, iuxta ordinem Ezech. 1 Hominis, Bouis, Leonis, & Aquilæ, nouo quodam modo, veluti nouus, & primus Dux, primumque exemplar, ad reparandam omnem Rempublicam Christianam idoneum, patefaciebat Franciscus. Sed iuxta ordinem cap. 4. Apocal. *Animal primum* (in ipso) *simile Leoni. Secundum Vitulo. Tertium Homini. Quartum simile Aquilæ volanti. Nota* (explicat Interpres super hunc text. serm. 3. de Euangelistis) *quod quatuor Euangelistis hæc quatuor animalia aptantur, quia nobilissima sunt in genere suo. Nam Leo Rex ferarū. Vitulus Dux armentorum. Aquila Rex auium. Homo nobilissima creaturarum, &c.* His quatuor animalibus comparat deinde statim idem Interpr. quatuor genera hominū in Ordine nostro. *Leoni*, animalia sibi subdita diligenter custodienti, ac defendenti cōparat *Prælatos, & correptores. Vitulo*, terram exercenti, comparat *tēporalium prouisores. Homini*, animali rationali, ac māsueto natura, comparat *Prædicatores, & Confessores*. Denique *Aquilæ volanti*, atq; istorum quatuor animalium supremæ, comparat *contemplatiuos, quorum status cæteris sublimior est, & quietior*.

Quatuor animalia Euāgelica.

Quibus moraliter comparanda.

S E-

SECTIO I.

Conceptus in vtero Matris suæ Picæ Franciscus vt Picus, auis Martialis, misticus, & vt Griphus, ad Domini vocem auritissimus.

In vno Frã. Christo per simili; excellent.

QVodlibet prædictorum animalium Euangelicorum, in suo proprio genere princeps, ac primum tãto excellentius in vno Francisco Duce, ac Principe perfectionis Euangelicæ moraliter, atque exemplariter reperimus, quantò sublimius accedens ad perfectam Christi imitationem, cum ipso Christo & Leo, & Vitulus, & Homo, & Aquila volans extitit. Quod ex toto eius vitæ cursu liquet apud Bonauenturam. Itaque ob duo illa animalia, scilicet Leonis, & Aquilæ veluti Picus, supplè Griphus, haud fabulosus, sed prodigiosus in euangelica perfectione, qualis in gestis suis se patefecit, dicẽdus est ex vtero Matris suæ Picæ in vtero Matris gratiæ supra naturam conceptus Franciscus. Picus, inquam, seu Griphus dicendus Franc. & vt talis vnicè auritus ad primam Domini vocem, siue per somnia ipsum alloquentis, siue sensibilibus verbis, quod quater, imò quinquies contigit, antequam opus reparationis Ecclesię aggrederetur per totalem vitæ sæcularis in vitam regularem mutationem.

Griphus vnicè auritus Franc.

1.Domini allocutio ad Francisc. in domo sua.

1 Allocutus est auritum Frãciscum Dominus in domo sua per visionem pręfatam de ostenso sibi Armamentario. Et licet sensum prioris illius allocutionis minimè perceperit, *cum nondum haberet exertitatum animum ad diuina perscrutanda misteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam inuisibilem veritatẽ, magnæ tamen fore prosperitatis indicium existimabat insolitam visionem,* ait Bonauent. cit. Vnde sine mora, licet non adhuc benè distinguens bonũ temporale ab æterno, nec prosperitatem terrenam à cælesti, paulo post iter aggressus est in Apuliam, vt *ad quendam liberalem Comitem* (de quo Vading. §.4 in apparatu ad num. 5.) *ibi se conferret, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, vt ostensa sibi visio prætendebat.* Quod ergo audiuit in hac prima visione Franciscus, sicut mente concepit, ita statim se accinxit executioni mandare. Non tamen displicuit Domino ea promptitudo, imò ipsum allexit, vt familiariter cum ipso agere inciperet, sicq; primum domesticum suum in arduo de reparanda Ecclesia negocio declarare.

Qui autem his comes fuerit, consule Vadin.

2.Domini allocutio ad Fran. in vrbe Spoleti.

2 Allocutus est Franciscum suum Dominus sensibiliter, multaque familiaritate in proxima Ciuitate, scilicet Spoleti, vbi primum peruenię, tantaque promptitudine, atque velocitate ipsi respondit, quanta respondit Saulus Iesu in Damasci itinere. *Audiuit namque eò in nocte Dominum* (ait Bonau.) *familiari sibi allocutione dicentem. Francisce, quis potest melius facere tibi, Dominus, an seruus, diues, aut pauper?* Cui cum Franciscus respondisset, quod tam Dominus, quam diues facere melius posset, intulit statim. *Cur ergo relinquis pro seruo Dominum, & pro paupere homine diuitem Deum?* Et Franciscus. *Quid me vis, Domine, facere?* Et Dominus ad eum. *Reuertere in terram tuam, &c.* Vix his promptis auribus auditis, adeò festinus ad regressum in patriam euasit, vt ex tunc meruerit, vt diximus, ex domestico, ac familiari Domini illius exemplar obedientiæ fieri, &c.

3.Domini allocutio in leproso quodam per planitiem Assisi.

3 Allocutus est Franciscum suum Dominus in Leproso, quem supra memorauimus, haud ore, quo statim Francisco Equo siliens osculatus est, sed aspectu, ac manu. Aspectu, cordi suo maximum horrorem incutiente. Manu, veluti aliquid acceptura à Francisco, protensa. Aspectus reportauit amplexum; Manus verò pecuniam. Exinde ceu Griphus miro modo auritus exequens statim, quod cordi eius suggererat in leproso illo Deus, cepit hilaris, & cantans, & mirabundus, & celer alto volatu ad altiora pertendens, *solitaria loca amica mœroribus quærere,* sicque aureos montes misticè incolere, vbi Christum, cuius *caput aurum optimum* commodius, ac felicius illicò inuenit. Nam ibi

4.Domini allocutio per solitaria loca.

4 Allocutus est Franciscum suum Dominus, visibiliter ei apparens, & veluti crucifixus. *Dum enim vna dierũ* (subdit Bonau.) *sic sequestratus oraret,* & præ nimietate feruoris totus esset absortus in Deum, *apparuit ei Christus Iesus veluti Cruci affixus.* Ad cuius conspectum liquefacta est anima eius, & memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeò impressa medullitus, vt ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mẽtem, vix posset à lachrimis, & gemitibus exterius continere: sicut ipse postmodũ familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempè vir Dei illud Euangelicum Matth. 16. sibi dici. *Si vis venire post me, abnega temetipsum, & tolle Crucem tuam, & sequere me.* Induit ex tunc *spiritum Paupertatis, Humilitatis*

litatis sensum, & affectū intimæ pietatis, &c.

Hi sunt tres montes, quorum cacumina vsque ad Cælos eminent, vbi aurum cæleste abundat nimis, Paupertas, quæ ex Interprete nostro tota aurea est. Humilitas, in cuius camino ignis Seraphicus aurum spirituale in hac vita purgat, & probat. Pietas, cuius aurum ex auro Charitatis generatur. Vbi Picus noster, seu Griphus hos aureos montes incolere cepit, peruenit ad eminentiora, auditu arium altè percepta, & vix audita, nimia celeritate incepta. Etenim

Montes, auro abundantes, paupertas, humilitas, pietas.

5 Allocutus est Franciscum suum Dominus, ter repetens eadem verba, dum ille die quadam egressus ad meditandum in agro deambularet iuxta Ecclesiam Sancti Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, & in eam, instigante Spiritu Sancto, causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritu consolatione repletus. Cumque lachrimosis oculis intenderet in Dominicam Crucem, vocem de ipsa Cruce dilapsam ad eum *corporeis audiuit auribus, ter dicentem. Francisce, vade, & repara domum meā, quæ, vt cernis, tota destruitur, &c.* Quasi diceret Christus, simulque præciperet

5. Domini allocutio intra Ecclesiā S. Damiani.

1 Vade, Francisce, vade ad meæ penè collapsæ Ecclesiæ reparationem, & vt vir nouus, in vtero Gratiæ meæ conceptus, destrue prius opere virtuoso, ac masculo in toto Orbe orthodoxo omne opus vitiosum, ac muliebre, atque effęminatum, per quod principaliter Ecclesia mea, vsque ad postremum excidium fermè deducta, diris ictibus vndique percutitur, atque in omni statu, ac sexu hostili colluuione miserrimè inficitur.

Mandat Christus Franc. è Cruce Eccl. reparationē

2 Vade, Francisce, vade, dum in sinu gratiæ meæ, intra vterum animæ tuę boni coloris resperse, ceu opus excellenter virtuosum optima dispositione gestaris. Nam rectè, & ordinatè omnia gesta tua, quæ ad sponsæ meæ Ecclesiæ salutem ipse ex me præfixi, iam ad eundem finem disponuntur; & quia mihi maximè placent, cum proximis, Deos alienos sequentibus in criminibus, id quod destruxerūt scelera, Fidem Catholicam concutientia, ædificabuntur.

3 *Vade Francisce, vade, & repara domum meam, quæ vt cernis, tota destruitur.* Non enim parens tua simul cum gratia mea cōceptu tuo grauescens, nec tamen grauans, imò leuissimum, & quasi pennatum efficiens vterum, ad hoc aggrediendum tam nouum opus incommodū patitur ex superfluitate mentalium cogitationum. Sed quia his inclytè libera tibi nunc mando, vt vadas aduersus *peruersas cogitationes*, quæ separant taliter in dies à me tota christianitas, vt modo sine te vel à mea Iustitia destruenda foret, vel à mea pietate per te reparanda.

Declarat ipsum ad id muneris idoneum, quia perfectè spiritualiter cōceptum.

4 *Vade*, inquam, *Francisce*; nam mater tua, quæ per me te concepit, falsas escas minimè comedit, sed illas tātū, quæ aptiores essent, vt opera tua, & gesta tua, contemptibilia mundi eligentia, virtute humilitatis in omnem vanam gloriam Apostolico robore irrumperent, & ea destructa, perseueranter, & gloriosè domū meam repararent.

5 Tu mecum eris, & in virtute mea collabētis Ecclesiæ meæ peridoneus Reparator. Ipse enim faciā, vt conceptus tuus spiritualis, propter me, & Ecclesiam meam tres instituturus Ordines, tresque eis leges laturus, Euangelica discretione quācitius præcelleret. Piarū lachrimarū cōpunctione neq; pericla perdendi oculos formidaret. Inuictæ Pœnitentiæ afflictione in carne tenerrima, virginea, ac delicata æneum robur terreret. Seraphicæ mentis illuminatione ad me ascenderet, meque totum caperet, suumque totum faceret, anima & corpore crucifotmiter me recipiens. Mira Obedientia, meæ obedientiæ simillima ad iussionem meā hilaris, & celer, Auis, & Homo in mixta vita appareret. *Auis* per vitam contemplatiuam. *Homo* per vitam actiuā: vtraq; enim vita Ecclesiæ reparatio, quam modò tibi ego ipse præcipio, & ad quam te mitto, nunc indiget.

Franc. conceptione falsas escas nū quam comedit eius mater.

Vt auis, & homo conceptus Franc.

6 *Vade* denique, *Francisce*, quoniā tu in aggressione operis tam peregrini, ad quod te principaliter elegi ante mūdi cōstitutionem, debes manus extendere super costas, quæ in te erunt *vilitas tui*, à *vilitate mea*, quam pro redimendo humano genere assumpsi, exemplum sumens. *Contemptus mundi*, quem ante te nondum aliquis parem ostendit, nisi ego ipse, nisi Mater mea, nisi Discipuli mei. Hæ duæ res omnes virtutes summè, ac tutè in te custodientes, super eas manus tuæ debent inniti, & firmiter appræhendere, quod sub cinereo cilicio poteris semper ad me dicere, siue respondens, siue interrogans, (iam cum Abraham vilescens ad magnū pretium, contemnensque mundum ad magnam gloriam) *Loquar ad Dominum cum sim puluis, & cinis*. Poteris & ad hanc Crucem, è qua te alloquor, ad hæc vulnera, & clauos, quibus confossus sum (& ita confossus ore meo aures corporis, & cordis tui percutio) nouo, atque insueto modo ascendere, & cum Apostolo meo Paulo, de te prophetante, tu solus

Quæ manus super costas in Francisci conceptu.

lus

lus iactari, vilis factus cum maxima apud me existimatione, tui & Mundi nobilisq; contemptor, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Hac bina, reciprocaque crucifixione extremè indiget Ecclesiæ meæ reparatio; sic enim tu per contemptum tui vilescens contra mundum, & Crux mundi euadens, contemnens vt rem vilissimam mundum, teque mundo crucifigens, à vilitate maxima, quia sic hodie contemnitur à filiis, & à summo cōtemptu, quo nunc vilescit in filiis, sponsam meam, & matrem tuam Ecclesiam apostolico more liberabis.

Franc. vilescens in se, contemnens mundum, à vilitate, & contemptu liberauit Ecclesiam.

SECTIO II.

Verè Picus, vereque Griphus misticus Franciscus, tribus Equis, colore variis, pernicie paribus, pro reparanda Ecclesia, Equoq; vno albo adiuuando, infestissimus.

EX hac vltima Domini allocutione Franciscus animo concepit, quod sicut Griphus auritus Christi mandatum audiuit, ita, ad eū exequendum, Griphes, Equis infestissimos imitari debebat. Equos omnes, Ecclesiam omnem vbique depopulantes iugi bello insectando. Et qui, inquies, isti Equi, in quos Vir, & Griphus auritus Franciscus montium, auro abundantium incola, pro reparanda Christi Eccles. dimicaturus erat, eosq, irreconciliabili hostilitate infestaturus?

Franc. vt Griphus, Equis, infestā tibus Eccl. infestissimus

Respondebit tibi Episcopus Francisci (eique adiutorium simile sibi in opus, quod illi de Cruce mādauerat Christus, & noster Interpres) quod hi Equi sunt illi tres, qui simul cum quarto, & quartū sequentes, & persequentes exierunt, iuxta reuelationem Ioann. in Apocal. 6. Vbi legimus, quod ad aperitionem quatuor sigillorum varii aduersus terram sequuti sunt effectus, exeuntibus quatuor Equis, quorum primus albus, secundus rufus, tertius niger, quartus pallidus. In quatuor horum Equorum quaternitate status Ecclesiæ Romanæ in quatuor partibus mundi significabatur tempore conceptionis S. Francisci. Quod ita probo ex morali Doctoris nostri interpretatione.

1 *Et ecce Equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. Equus albus*, ait Doctor, significat boni Pastoris, & Ecclesiæ Prælati corpus. Hic Equus debet esse albus *albedine castitatis*. *Eques huius Equi est spiritus*, quem freno abstinentiæ refrenat, calcaribus diuini amoris, & timoris, ad accipiendum brauium vitæ æternæ, debet incitare.

Status Eccl. tempore cōceptionis Franc. sub figura quatuor equorū

Non nocet admisso subdere calcar Equo.

Arcus diuinam naturam significat. Per *lignum*, vetus Testamentum. Per *chordam*, nouum, quod dimittit duritiam legaliū. Per *sagittam*, intelligentia vulnerantis corda designatur. *Hunc arcum debet bonus Pastor habere in manu, idest in operatione*; de quo Iob 29. *Arcus meus in manu mea instaurabitur*. Hoc fit, cum prædicatio opere adiuuatur. *Corona in capite est pura intentio in mente*, de qua Hierem. Thren. 7. *Cecidit corona capitis nostri, væh nobis, quia peccauimus*. Corona de capite cadit, cum homo puram intentionem amittit, & ideo væh ei. *Exiuit vincens vt vinceret*. Exiuit à mundi cupiditate, *vincens carnis luxuriam, vt vinceret Diaboli superbiam*. Ita Interpres de priori Equo albo, sub cuius figura summus, & bonus Pastor Ecclesiæ Alexander III. residens in parte occidentali potest intelligi, vt patebit in sectione sequenti.

Equus albus bonus pastor Ecclesiæ.

Exierat Alexander ceu Equus albus, habens Eques sui spiritus arcum, & cocoronam, & exierat vincens, vt vinceret non solum in seipso eos hostes (per quos bonus Pastor in malum Pastorem cōuertitur, atque ex eius capite cadit corona, & dum cadit, væh illi, & Ecclesiæ) verum etiam & in aliis, Cæsari Friderico Aenobarbo Ecclesiæ hosti inhærentibus. Alii tres Equi sequētes exierunt & ipsi, haud vt Alexandro propitii, sed vt ipsi cū eodem Friderico infestissimi. Franciscus tamen tempore Alexandri conceptus in Dominæ Picæ aluo, vt postea esset Picus, & Griphus spiritualiter concipiendus, nascendus, educandusque, hos sequentes tres Equos insectare debebat, tribus suis Ordinibus, tribusque legibus, iuxta ternam Christi allocutionem, è Cruce sibi factam, hisque tribus Equis infestissimus esse. Hi namque Equi dum cuncta mala (quibus tota Christiana Republica in omnibus mundi partibus tunc temporis vexabatur, fidei, & religionis negocia infaustè succedebant, & in dispersionem, & direptionem Christi ouile reperiebantur) præsentabant; ostendebant etiam extremam Reparatoris, ac Reformatoris Ecclesiæ necessitatem, ob quam ordinauit Deus, vt tunc etiam, quando huiusmodi necessitas plus vrgebat, talis Reparator, ac Reformator conciperetur. Verum ne in abstracto loquamur, sequamur

Alexāder 3. equus albus.

In quos equos aduersari debebat Franc.

mur alios tres Equos sub ductu Interpretis nostri.

2 *Et exiuit alius Equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra; & vt inuicem interficiant, & datus est ei gladius magnus.* Hic est fur, & latro (subdit Interpres) qui non intrat per ostium in ouile ouium. *Ostium enim est Christus, per quem non intrat, qui quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Ille fur est, & latro, qui sibi ambitione assumit honorem, non vocatus à Deo tamquam Aaron. Qui per simoniam assequitur prælaturam. *Fur est*, qui officium pastoris simonia tanquam nocte furua vsurpādo inuadit, quia quid alienum est, suum facit. Oues Dei facit suas, quas furatus est Domino. *Latro est, qui sub prætextu sanctitatis latet, prætendit ouem, cum sit Lupus, accipitrem cum sit Struthio, & sic incautos spoliat virtutibus, & occidit in animabus.* Et ideò rectè dicitur Equus rufus.

Equi rufi simbola in mercenario ouiū Christi

Sessor huius Equi est spiritus ambitionis, & gloriæ temporalis, quæ sumit pacem de terra, idest mente ipsius furis, & latronis. Spiritus ambitionis nullum iam permittit habere quietem mentis. Est enim tanquam venator, qui sequitur fugientia, discurrit ad quærenda temporalia. Vnde de eo dicit B. Bernardus. *Multiplices præbendas attendis, Archidiaconatum aspiras, ad Episcopatum gradatim ascendis, sed in puncto, & sine gradu ad infernum descendes.* Et iterum dicit: *Circuit sedulus explorator, simulat, & dissimulat, sequitur, & obsequitur, manibus, & pedibus repens, se quo modo ingeret in patrimonium Crucifixi.*

Quis huius equi sessor, sumens pacē de terra.

Vel sumit pacem de terra, cum per talem perditionis filium seminat discordiā in Ecclesia. Vnde sequitur. *Et vt inuicem sese interficerent* gladio discordiæ. Fures, & latrones Prælati simoniaci ad inuicem se interficiunt, cum sibi detrahunt, murmurant, & obtrectant. Vnde Isai. 13. *Pilosi saltabunt ibi.* Et iterum. *Pilosus clamabit ibi; alter ad alterum.* Hodie in Ecclesia pilosi, idest simoniaci pecuniosi saltant, & ludunt, & vnus simoniacus accusat alium tota die. Sunt in causis, & curis, clamoribus, vexationibus, & dilaniationibus. Vnde sequitur, *Et datus est illi gladius* magnus, qui est temporalis gloria, cum qua, & pro qua infelices se vulnerant, & occidunt. Hactenus Interpres de alio Equo rufo.

Quis huiusmodi sessoris gladius.

Quotquot hunc Equum rufum sequētes, non intrabant per ostium in Christi ouile haud vestigia summi Pastoris Alexandri III. sed hostis ouilis Christi, Imperatoris Federici prim terentes, Fures erant, & latrones, Per huiusce viæ aperitionem intrauerant quoque nonnulli, nonnulli de proximo & ipsi intraturi, sectarum hæreticalium principalium antesignani ad Ecclesiæ occidētalis infestationem, magnamque christianitatis perniciem. Nam Valdenses, à Valdone, seu Valdesio, Ciue Lugdunensi, ita dicti, anno 10. Pontificatus Alexandri III. (qui erat annus 18. Imperii Federici primi) & ante conceptionem Francisci annis 11 inceperunt. Valdesius Equus rufus, fur, & latro, impiæque sectæ dux, & prælatus anno 1170. (aliunde intrans, non autem per ostium, in ouile ouium Christi) docere cepit non esse obediendum Pontifici Romano. Potestatem absoluendi à peccatis, & conficiendi Eucharistiam, laicis etiam esse concessam. Indulgentias nihil valere. Non extare Purgatorium. Sanctos non attendere precibus nostris. Festa & ieiunia indicta, non esse seruanda, & alia, de quibus D. Antoninus in summa par. 4. art. 11. c. 7. Vide Claudium Cussordium contra Valdenses apud Bellar. in 2. par. Chronolog.

Secta Valdésium, eiusq. errores.

Alii hæresum authores, & successores sub eiusdem Equi rufi simbolo, etsi dogmatibus haud iidem, postea sequuti sunt. Nempe qui instituit sectam Humilium, à Lucio III. damnatam, neque per hoc extinctam, de qua vide Paulum Aemilium. Qui Almaricanam, isque Almaricus Doctor Parisiensis, Patria verò Carnotensis, sub Innocentio III. Qui Albigensium, ita nuncupatorum ab Albiga, siue Albia, Cadurcorum Vrbe, in qua initium habuit, & non solum erroribus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexauit. Hæc etiam secta cum nonnullis aliis sub eodem Innocentio III Nisi fortè Albigensium ante, vt aduertit Bellarminus loco cit. ponens tamen eam post Almericanam prædictā, quam alii incepisse anno 1204. scribunt, Albigensium autem 1200. Itaque secta Valdensium tempore conceptionis naturalis Francisci sub Alexandro III. vigebat. Albigensium, atq; Almaricana tempore conceptionis supranaturalis Francisci sub Innocentio III.

Secta Humilium.

Secta Almaricani.

Secta Albigensium.

Illa conceptio ad hanc ab Authore naturæ idcircò ordinata, vt conceptus Franciscus veluti Griphus (auritus ad Dei mandata, montium virtutum, auro scilicet altissima, atque aurea Paupertate abundantium incola, atque terribilis in Equos, aduersus Ecclesiam irruentes) aggressio reparationis opere, cuius initium sub eodem Innocentio, hæreticam prauitatem principaliter profligaret. Orientalia, atque Septentrionalia Regna tunc maximè turbulenta, totumque Orbem

Equis externis, atq. domesticis infestus Fran.

bem Christianum in vitiis, ac sceleribus per omnem sexum, & professionem miserrimè sepultum, exsuscitaret. Nec parceret Equis domesticis, ab ipso vt agnis receptis, quorum caput Elias, Equus rufus. Memor tamen, quod Christi Vicarius Christum negauit, sed facti pęnitens, meruit cum bono Latrone saluus fieri. Id quod ipsi Eliæ, Francisci Vicarii, & postea sibi bis successori contigit in extrema pœnitentia, vt dictum est ad annum 1211.

Equus niger in ... mercenarius est

3 *Et ecce Equus niger, & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua.* Niger dictus quasi *nubiger*, declarat statim Interpres. Quia non sereno, sed fusco opertus est. *Equus niger est Mercenarius, de quo Christus Ioann.* 10. Mercenarius (sequitur) mercede conductus, Prælatum, qui sola temporalium mercede in Ecclesia seruit, significat. De tali dicit Psal. 40. *Confitebitur tibi, cum beneficeris ei.* Et Ioannis 6. dicit Christus. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.*

Dum satur est venter cantat misere libenter.

Et post nonnulla alia, in quibus probat ex Zachar. 11. Mercenarium non esse Pastorem, neq; idolorum cultorem, sed quod sceleratius est, esse idolum, à Dei furore funditus destruendum, ita concludit. Benè ergo dicitur, *& ecce Equus niger*, idest Mercenarius non sereno gratię, sed fusco culpæ coopertus. *Et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua.* Sessor Equi nigri, idest Mercenarii, *est spiritus negociationis*, cuius calcaribus excitatus, Columbam, idest gratiam Dei, quæ gratis debet dari, tanquam negociator pretio vendit, *& sic domum Dei faci domum negociationis.*

Statera in manu sessoris mercenarii.

Hic habet in manu stateram dolosam, de qua Oseæ 2. *Chanaan in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Chanaan *negociator* interpretatur, & significat Ecclesiæ Mercenarium, qui sæcularibus negociis implicatus, curam non habet de Dei ouibus. Dicit Hieronymus. *Idem est negociatio in Clerico, quod vsura in Laico.* In huius manu est statera dolosa, *quia aliter prædicat, & aliter viuit. Agit aliud, & aliud ostendit. PauPertatem prædicat, cum sit auarus. Castitatem, cum sit luxuriosus. Ieiunium, & abstinentiam, cum sit gulosus, &c.*

Negociatio in clerico cũ statera dolosa.

Eo tempore, quo conceptus Franciscus omnis ferme domus Dei, ab Equo nigro prædicto infestata, domus negociationis, latronumque spelunca facta erat. Quem autem in primogenito suo Francisco Domina Pica concepit masculum, vir negociator esse debebat, habens stateram haud dolosam, sed iustissimam in manu sua. Iustissimam, inquam, in superlatiuo, quia in ipsa temporali, ac sæculari, opulentaque, admodumque locuplete negociatione, factus diuinæ gratiæ filius, ab ipsa Dei gratia talis ipse efficiendus erat, qualis nec ante, nec post fortè similem haberet. *Etenim*, scribit Bonau. cap. 1. *cum post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente præsidio, inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrũ, non sperauit in pecunia, & thesauris.* Magnum hoc quidem, neque fermè antea visum, auditumque prodigium, eo quia ex duobus conflatum, quæ incompossibilia inter se videntur. Quis enim vnquam mortalium posset *intendere inter cupidos mercatores ad lucrum, nec sperare in pecunia, & thesauris?* Non videtur capi posse moraliter, dari in aliquo mercatore cupiditas in lucro sine spe in pecunia, & thesauris. Ab hac enim spe qui inter cupidos mercatores intendit ad lucrũ, quasi necessariò excludi nequit. Verum vbi agitur de Frãcisco sub assistentia diuini præsidii, quidquid de eo fertur, primitiuũ, & prodigiosum penè est. Causa tamen huiusmodi diuini præsidii assistentiæ ita statim explicatur à Bonau. *Inerat namque iuuenis Francisci præcordiis diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleuerat, vt iam Euangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maximè si diuinum allegaret amorem, &c.*

Statera iusta in Franc. mercatore.

Franc. nouũ in mercatura diuinæ gratiæ prodigium.

Ex his Bonauenturæ verbis, & ex aliis potissimum, in sequenti sectione adducẽdis haud obscurè colligimus, quod in ventre matris suæ Picæ piissimæ fœminæ influens author naturæ in masculinum Francisci conceptum, ipsemet vt gratiæ author postquam ex vtero exiuit, & baptizatus est in gratuitum fœtum influxit. Vt trahens secum è maternis, piisq; visceribus esse naturale, secum quoq; haberet esse illud singulare pietatis, quod ab infantia, quæ ab ortu incipit, cũ ipso deinde cresceret. Et proinde tam in mercatura sæculari, quam postea in spirituali vnicus esset, atq; in hac ceu Griphus quoq; appareret, electus à Deo, vt nigro pariter Equo infestissimus effectus, & ille territus, & fugatus, ab eo domum Dei à turpi negociatione liberaret, ac proprio Domino restitueret, scilicet Euangelico *Homini negociatori quærenti bonas margaritas, qui inuenta vna, abiit, & vendit omnia sua, & emit eam.* Vnde animaduertendus ordo rerum,

Esse gratuitũ Franc. sub peculiari diuinæ gratiæ influentia.

Equus niger quando B. Franc. conceptus infestabat Eccl.

rerum, quæ ante quintam Christi, negociatoris Euangelici, de nundinis Crucis ad Franciscum mercatorem allocutionē contingerunt. In cap.1.ponit Bonauent. id, quod sentiebat se lucratum fuisse Franciscus, incipiens ex cogitare mercaturam spiritualem post secundam Domini sui allocutionem, quam nocte Spoleti habuit. Cum autem, inquit, ex frequenti oratione vsu flamma desiderii cęlestis in eo vehementer succresceret, & iam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil, *thesaurum sentiebat se reperisse absconditum*, *ac velut prudens negociator Margaritam inuentam excogitabat, venditis omnibus, comparare*. Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat. Nisi quia ipsius suggerebat spiritui, *quod spiritualis mercatio à mundi contemptu sumeret initium*, *Christique militia sit à sui ipsius victoria inchoanda,&c.*

Quo tēpore Franc. mercaturam spiritualem excogitare inceperit.

In his vltimis verbis duo simul iuncta demonstrat Bonau.in Francisco peculiarissima circa opus triformis reparationis Ecclesiæ per trium Ordinum institutionem, leguinque lationem. Primū, quod excellenter, ac nouiter mercaturam spiritualem, qua comparare posset inuentam Margaritam,vt negociatori Christo redimenti genus humanum ipse in eiusdem Reparatoris officio assimilaretur, exercere debebat, tribuens ei initium à mundi contemptu. Ob id enim diuini præsidii assistentia specialis fermè è visceribus Matris suæ curam illius egit, excellentem, ac nouum in mercatura temporali ad parentum, & mundi satisfactionem eum efficiens, & ab omni lethali crimine liberans. Hanc spiritualē, Euangelicamque mercaturam exercuisse deinde Franciscū toto tempore vitæ suæ, scribit Bonau. cap.6. Secundum, quod in Francisco vt peculiarissimum ostendit Bonau.indicat officium militare, ac per consequens *& vt Mercatorem, & vt Militem* supponit Franciscum in opere Reparationis. *Vt Mercatorem* in mundi conceptum per emptionem, seu reparationē vnicæ Margaritæ Ecclesiæ Romanæ, quā mundus ipse, valde tunc à cunctis vniuersaliter dilectus, in vile pretium reduxerat. *Vt Militem*, eò amplius terribilem in victoriam sui, ac Satanæ, atq; in omnimodam Equi nigri infestationem, quò formam Griphi præseferret, sicque duplici modo robur malæ negociationis eneruaret, sacrilega mercimonia persequens, ac destruens.

Mercatura, & militia spiritualis in Franc. duæ res prorsus nouæ.

Quomodo Franc. Margarita Eccl. Rom. compararit.

Statim post inceptum vtrumqiā Francisco officium, eumque post quartam allocutionem amplexum, licet adhuc in sæculari vita, remotus tamen à mercaturę negociis, recepit triplex mandatū à Christo de Cruce in quinta allocutione, pręcipiēs ei, vt iret, & vt repararet Domū suā penè lapsam. *Vade Francisce,&c.* Hoc est, vade & vt Mercator, & vt Miles; vt Mercator, quia sicut ipse vt Mercator contemnens mundum, redemi mundum; ita & tu vt Mercator in contemptū mundi debes Ecclesiam meam reparare. Vt Miles, ita terrificus sicut Griphus, quia militia Diaboli per Equum nigrum in innumeris mercenariis ouile meum dissipat, ac dispergit. Vade etiam vtroque modo contra Equum pallidum, illum Equum nigrum sequentem, qui cū Equo rufo antecedenti complet numerum tertium. Nam hi simul tres Equi (pro quibus destruendis ter tibi Domus meæ reparationem, à tribus Ordinibus, ac legibus tuis virtute mea exequendam præcipio) tres hostes sunt in animarum, quas sanguine meo redemi, perniciem, & interitum. Vade aduersus hosce tres Equos, & dum Griphi cælestis similitudinem geris, explica etiam ad terrorem ipsorum aliam stateram ab ea, quam sessor Equi nigri habebit in manu, & cum Equi rufi magno sessoris gladio, & cum tertii Equi pallidi sessore vnum conficiet veluti impietatis mixtum, quod vndique totum statera dolosa erit, & vndique totum ab alia statera tua, illi ex diametro aduersa destruendum est. Statera tua illa erit, de qua Moyses seruus meus, & Legislator populi mei in cap.19.Leuit. *Aequa sint pōdera, iustus modius, æquusque sextarius*. De hac statera, stateræ dolosæ eam opponens, locuturus est Episc. tuus, & pugil meus Antonius de Lisbona, veluti si personam tuam describeret, illis verbis. Statera dicta, quæ ex duabus lancibus, & vno medio stilo librata pendet. Duæ lances sunt mundi contemptus, & desiderium cælestis regni. Stilus in medio est amor Dei, & proximi. *Hæc est statera æqualiter ponderans, vnicuique ius suum tribuens, mundo contemptum, Deo obsequium, proximo affectum*. His tribus, Francisce, fugabis ab Ecclesia mea tres Equos prædictos, ad solum vnius stateræ tuæ conspectum terrefactos.

Mercatoris, & militis euangelici officiū quando assumpserit.

Aduersus tres Equos missus Frāc.

Statera mystica quæ.

4 *Et ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum. Data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ*. Vbi Interpres, loquens iuxta historiam tum naturalem, tum parabolicam apud Euangelium Ioānis de Lupo rapiente, ac dispergente oues siue veras, siue misticas, quæ sunt in ouile

Equus pallidus pro Diabolo, & huius mundi tyranno.

ouile Christi, ob fugam Mercenarii, in eodem Lupo intelligit duo, scilicet Diabolum, & huius mundi Tyrannum; & de vtroque sic statim sequitur. *Hic est Equus quartus*, de quo Apocal. *Et ecce Equus pallidus, &c.* Sicut miles, ait, per Equum sternit hostem, sic Diabolus, *cui nomen est mors*, quia per eum *mors intrauit in Orbem terrarum*, per huius sæculi Tyrannũ diruit, & conturbat Christi Ecclesiam; quem *Mercenarius cum viderit venientem, dimittit oues, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit oues*. Iste dimittit, & ille rapit. Diabolus tanquam Lupus quicquid præsserit pede superbiæ, occidit. Vnde Dauid Psalm.35. huiusmodi pede præmi timens orabat. *Non mihi veniat pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Sicut enim omnia membra pedi innituntur, sic omnia vitia superbiæ, *quia ipsa est initium omnis peccati*. Et paulò infra declarans sub illa similitudine de Lupo, duo naturaliter multumque pertimescente, videlicet ignem, & viam tritam, addit hæc alia.

Pes Diaboli superbia, qua quos præmit, occidit.

Diabolus super omnia duo specialiter timet, ignem scilicet Charitatis, & viam tritã Humilitatis. Si hæc duo Mercenarius haberet, non vtique fugeret; *sed ideo fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Diabolus, & mercenarius quadam amicitia, & pactione coniuncti sũt, vt patet in Rege Sodomorum, dicente ad Abraham Gen.14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, scilicet lanam, & temporalia. Benè ergo dicitur (concludit Interpres) *ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum*, idest insatiabiles terrenis eum imitantur. *Et data est illi potestas super quatuor partes terræ*, idest super omnes malos vbique morantes, *interficere gladio* malæ persuasionis, *fame* diuini verbi. *Morte* mortalitatis, vel mortalis peccati. *Et bestijs terræ*, idest primis motibus carnis miseræ, &c.

Quid sessor equi pallidi mistice.

Quæ superius sub figuris Equi rufi, & Equi nigri declararat Interpres, iis addidit statim quæ sub simbolo Equi pallidi explicauit, veluti ad totum complementum illarum rerum, quæ à tempore Alexandri III. per Federicum I. Imperatorẽ vsque ad sua tempora sub Pontificibus Celestino III. Innocẽtio III. Honorio III. & Gregorio IX. per Imperatores Henricum IV. Philippum, Othonem IV. Fridericum II, vexàuerant, & adhuc vexabant in omni Christiano Orbe Ecclesiã Rom. Anno Christi 1225. Antonius Patauinus (ait Vadingus in argumento eiusdem anni) miro cum fructu per Italiam, & Galliam prædicabat, miraculis opere, & sermone hæreticos confundebat; aduerso vento denuò pulsus in Siciliam, ibi plura extruxit Monasteria, &c. Conceptus, & ortus Antonii Interpretis nostri sub Cælestino III. Natus est enim anno ætatis S.Francisci 14. Christi verò 1195. qui erat annus quartus Cælestini III. Vix transacta in eius paterna domo pueritia, Ordinem Clericorum Regularium Diui Augustini ingressus est, nimirum anno ætatis suæ 15. qui erat limen adolescentiæ suæ, natiuitatis verò Christi an.1210 Ordinis Minorum 2. Confirmationis primæ Regulæ 1. Pontificatus Innocent.III. 11. Reparationis Ecclesiæ Romanæ per B.Franciscum primus, & primus etiam Imperii Othonis IV.

Sinopsis historica de Antonio de Padua.

Annis 15. mansit in paterna domo

Annis 11. fuit Cleric. Regular. D. August.

Post annos 11. in prædicto Clericorum Regularium Ordine factus est Frater Minor in Ciuitate Conimbricensi apud Lusitanos anno ætatis suæ 26. Christi 1220. Pontificatus Innocentii III. 2. Imperii verò Henrici VI. 9. quo tempore, à tempestate dum Marrochium iter intenderet, in Italiã ad Siculos ductus, floruit deinde doctrina, & prædicatione, viuente adhuc S.Francisco sub Honorio III. anno prædicto 1225. qui erat annus Imperii Federici II. 13. Obiit demum sub Greg. IX. & prædicto Imperatore Federico II. anno Christi 1231. ætatis suæ 36. Itaque Antonius Lusitanus de Lisbona, nunc de Padua, brachium dextrum Francisci in opere Reparationis Ecclesiæ Romanæ, Magister, & Interpres noster, à sua conceptione vsque ad mortem quatuor Romanos Pontifices habuit in tota sua vita, scilicet Cælestinum III. Innocentium III. Honorium III. & Gregorium IX. Imperium etiam Occidentis tot habuit Imperatores, nimirum Henricum VI. Philippum. Othonem IV. Federicũ II. In mistica ergo descriptione Equi pallidi, cuius Eques Mors, sequens alios duos Equos rufum, & nigrum, habensque potestatem super omnes quatuor partes terræ in destructionem Ecclesiæ, aliam facit personã Diaboli sub metaphora Lupi, & aliam personam Tyranni huius sæculi, *per quem ipse Diabolus*, inquit, *diruit, & conturbat Christi Ecclesiam, quem Mercenarius cum viderit venientem, dimittit oues, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit oues.*

Ann. æt. suæ 26. factus fr. Minor.

Anno 1225. floruit doctrina, & prodigiis.

Anno 1231. obiit.

In tota eius vita 4. Pont. & 4. *Impp.*

Hoc nomen *Tyrannus* in bonam partẽ apud veteres dicebatur pro Rege, seu Monarcha, qui plenam habebat in subditos potestatem. Ab initio enim, Trogo teste, omnium Ciuitatum, Regionũq; imperium penès Reges fuit, quos ad huiusmodi fastigium Maiestatis, nõ ambitio

Nomen Tyrannus olim in bonã partem dictum.

bitio

bitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Qui etiam Tyranni ob fortitudinem vocabantur. Virg. 7. Aeneid.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse Tyranni.

Deinde vero semper in malam.

Postea Tyranni nomen ad illos solum restrictum est, qui per insolentiam Imperii viribus abutebantur, & vi quadam animi libidine dominabantur, non iure, & legibus æquis. Cicero 2. offic. *Huius tyranni, quem armis oppressa pertulit Ciuitas.* Ouid. 1. Metam. *Et in hospita tecta Tyranni.* Inter ipsos ergo idolatras antiquissimos, vbi olim in bonam partem Tyranni nomen sumebatur, cepit & in malam quoque deinde accipi. At Deus à principio Ecclesiæ suæ, quæ in Adamo cum ipso mundo incepit, durauitque in veteri Testamento per quinque ætates, anno fermè 5000. & 200. expletas, iuxta supputationē quam vtraque amplectitur Ecclesia ex Eusebio, nullo modo permisit, vt istud nomen Tyrannus in populo suo audiretur. Nam in priori ætate vsque ad diluuium Dei populus habuit suos in Principes, & Rectores in temporalibus, & spiritualibus Patriarchas. deinde à Diluuio vsque ad Isaac habuit etiā Patriarchas. Moxque ab Isaac vsque ad Samuelem, habuit in rebus politicis Iudices, in sacris verò summos Sacerdotes, seu Pontifices. Sed à Samuele vsque ad Salomonem, post cuius obitum scissum fuit regnum, & ex vno facta sunt duo, scilicet regnum Iuda, & regnum Israel, habuit Reges, qui durantes vsque captiuitatem, hacq; soluta post annos 70. initium sumpserunt Duces Iudæorum, à Zorobabel vsque ad Ioannem Hircanum alterum. Postea denuò Reges Iudæorum (deficiēte Israel Regno) ab Aristobolo vsque ad Agrippam iuniorem, sub quo Regnum Iudæorum defecit. Pari modo in populo Christiano Tyranni nomen eliminatū, quantum ad legitimam, canonicamque dominandi potestatem. Ex quo enim regi cepit à suis Principibus, hi spiritualiter fuerunt Christi Vicarii, in temporalibus verò Imperatores Romani.

In Dei populo nomē tyrannus vnquā auditus.

Ex gēte Hohestauffia Sueua quinque Imperatores.

Qui tamen vt plurimum ante, & post Constantini Magni conuersionē, & mortem tyrannicè vexauerunt Ecclesiam, quamuis plures ipsorum legitimè in imperium assumpti. Tempore postea conceptionis Francisci, & deinceps vsque ad tempora Antonii de Padua Lupus, & Diabolus, & sæculi huius Tyrannus, qui erat Fridericus II. totam fermè præteritorum Cæsarum tyrānidem experta est Ecclēsia. Quam pariter sustinuerat sub Federico I. secundi auo, & successoribus in eodem Equi pallidi simbolo describit Interpres. Ex gente Sueua Hohestauffia quinque Imperatores Romani emerserunt. Conradus III. Federicus I. Aenobarbus. Henricus V. Alii VI. Philippus, Federicus II. fuit Conradus III. patruus Federici I. Federicus I. genuit Henricum VI. & Philippum. Henricus autem genuit Federicum II. Itaque hic Federicus II. auum habuit Federicum I. qui nepoti suo sibi cognomini cum sanguine, & dignitate communicauit & mores, aduersus Ecclesiam Romanam efferos. Hos nutriens talis nepos, studuit in tyrannide, & crudelitate non solum vincere Auum, verum etiam omnem Ethnicum Imperatorē in se solo exsuscitare impietatē, imò & in ipsa ipse solus maior omniū videri. Successit Othoni IV. Duci Saxoniæ, in odiū Philippi patrui sui electo.

Omnes Cæsares ex diris vicit crudelitate Feder. 2.

Extorquebant Ecclesiæ Romanæ viscera Apostatæ à fide per hæreses, de quibus supra, & post quas aliæ multæ paulò post sub Innocentio III. tum in Occidente, tum in Oriente exortæ sunt, vt apud Vading. in Appar. §. 1. num. 6. Itaut vndequaque sedens Mors, idest Diabolus super Equum pallidum, ex innumeris mercenariis, imò furibus, & latronibus conflatum, sequensque duos alios Equos, rufum scilicet, & nigrum, & ipse ab Inferno sequutus, suos conuocasse ministros videretur. Et omnem exercuisse contra Sanctam Ecclesiam potestatem, vt immaculatam à Christo, & Apostolis receptam commacularet veritatem, vel ad mundi finem duraturam, sacram omninò tolleret doctrinam. Nec viscerum Sanctæ Matris Ecclesiæ extorsio haud modica, erat, nec minor, dum ipsos, quos genuerat, & supremo coronauerat diademate sub trium Equorum prædictorum vexillo, diros, & diuturnos haberet persecutores. Quid dicam de Federico I. adeò Alexandro III. iniustè aduerso, vt pium, ac sanctum illum Christi Vicariū ad Francos fugere compulerit, & quatuor Antipapas, Victorem, Paschalem, Calistum, Innocentium horum nominum Tertios, In eius odium sacrilegè crearit? *Horum seditionibus,* inquit Bergomensis lib. 12. suppl. ad ann. 1153. *Ecclesia Romana ferè subuersa est.* Cuius ditionem pulso Alexandro, Federicus occupauit, & Pontificem verbis, scriptis, & armis, cunctosq; vt habet Chron. Hirsaugiense, cum illo sentientes persequutus est. Sed tandem morte deletis Pseudopontificibus milliū mercenariorum, ac latronum, qui non introierant per ostium, sed aliunde in

Extorquebant tempore Francisci Ecclesi. viscera hæreses.

Extorquebant & Cæsares.

Cæsarū christianorū nō nullorū tirannis.

ouile Christi effectoribus, illisque præfectibus, Venetorum opera ad Pontificis Henrici VI. Feder. I. filius, & successor, à Calisto III. coronatus, crudelis tyrannus & ipse placuit videri in pluribus, ab eo impiè patratis facinoribus, ne parenti degener videretur. Vide Baronium ann. 1194. Chron. Fossæ nouæ. Arnold. Lubecen. lib. 1. cap. 2. & alios. Otho IV. Saxo, quem coronauit Innoc. III. anno 1209, cui iuramentum præstitit, huius statim oblitus, terras inuasit Ecclesiæ, quæ solemniter promisit defendere. Quamobrē ab eodem, à quo coronatus, priuatus est imperiali diademate in publico Concilio. Pronunciauit in eum anathema Pontificis iussu Sigifridus, Archiepiscopus Moguntinus; sed non impunè. Omnem enim eius ditionem deuastauit. Ecclesias, & Monasteria suis bonis spoliauit, & huius generis multa fecit, quæ nō Christiani Principis, sed barbari tyranni facta videbantur.

Equus pallidus in solo Feder. 2. terribilior.

Sed ecce Equus pallidus terribilior, & monstruosior, de quo Interpres explicans immania Federici II. gesta. Is siquidem Cæsar, Othonis IV. successit eiusque seuerior, ac maior totius suæ tyrannidis pars in Ezelino Paduæ tyranno, illius insignior ministro, ac magis dilecto, quem Interpres noster sua prædicatione potētissima humiliauit, licet haud pro semper emendare potuerit, nec ipsum, nec Cæsarem in ipso formidans. Omnes *prædecessores vicit proinde nequitia*. Oblitus enim enim tot beneficiorum, à Pontifice Romano acceptorum, sub cuius tutela enutritus est, infestus fuit, & molestus armis, & scriptis tribus Innocentii successoribus, Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. à quibus successione, & sacris interdictus, & Imperio deiectus per sententiam fuit. Funestæ eius impietates rei christianæ erant opprobrio, & talia eius crimina, vt Cæsaris, & Christiani nomine indignus censeretur. Fauit Saracenis, spoliauit Templa, persecutus est Ecclesiasticos, & Ecclesiasticorum Caput, Cardinales in vincula coniecit, factionem Gibellinorum, & Guelforum maximarum discordiarū semina ad Italiæ exitium adinuenit, vel adauxit, & quidquid mali suus genius suggerebat, sua magna potentia exercebat *multis annis semper malus, semper potens*.

In Gallia, Hispania, Vngaria.

Inspice mox nondum supergressus Occidentis limitibus eundem *Equum pallidum*, per Galliam, & Angliam, & Hispaniam, & Hungariam funestè excurrentē. Philippus Galliæ, & Ioannes Angliæ Reges mutuis se petebant armis. Nec his pacatiores Sanctius Nauarræ, Alphonsus Castellæ, alius iam Alphonsus Legionis Dynasta, qui alternà inuadentes dominia, plura depopulabantur oppida, & subditos dilapidabant. Emericum Vngariæ Regem suus frater Andreas hostili petebat exercitu, multoque moliebatur astu à solio deturbare. Mariana lib. 11, Bonf. decad. 2. lib. 7. Nihil vsquam sonabat, nisi bellum, nulli pax, nusquā quies, vndique armorum strepitus, & iacentia absque anima corpora.

Equus pallidus liberè Orientem percurrens.

Inspice demum aliunde sine loris, sine habenis per Orientis imperiū liberè tunc excurrere Equum pallidum prædictum, sequentē, terentēq; duorum Equorū rufi, & nigri semitam. Ibi enim reperies nihil minus Pontifices in angustias redactos ob iniquas quorundam cedes, & iniustas in Imperio successiones, ob multas Imperatorum impietates; vel vt sceptrum obtinerent, vel obtentū retinerent. Nulla fides, nulla fiducia inter ipsos cōsanguineos, insidiantibus sibi inuicem, vt cum vita eriperent & Regnum. Contra hos non semel fulminarunt Pontifices anathemata, nec tamen profecerunt, donec Imperium ad Latinos deflexit. Pulsi tamen ante ann. 1187. Latini Hierosolymis, mortuo Balduino iuniore, prophanatis, & destructis à Saracenis sacris ædibus, & occisis innumeris Christianis. Vide Platinam in vita Innoc. III. Rogerium in an. apud Vading. cit.

Mors sedens super eū sacrilegè depopulat cuncta.

Tanta autem pernicies per totū fermè illius tempestatis Orbem, ab hoc Equo pallido excitata per armorum, ac bellorum tyrannidem; tolerabilior equidem fuisset, nisi ex consequenti aliam peiorem inferret virtutibus perniciem, per quam principaliter Christi Domus collabens reperiebatur. Expulsi vndique (tumultuosi motus communis hæc sequela) boni mores, & corrupti subintroducti Reges, omnem sibi assumebant licentiam, voluntate pro iure abutentes. Nihil sibi interdictum putātes, quod infrœnis suadebant appetitus. Anglus Ioannes (teste Guagnino) Ecclesiasticos prouentus sex annorum sibi vsurpauerat. Episcopos Angliæ trusit, propterea ab Innocentio III. diris deuotus. Gallus Philippus etiam in Clerum seuit, pulsis à suis Sedibus Pontificibus, quorum assensu eum Legatus Pontificius sacris interdixit propter dimissam Ingebergam vxorem. Multi ex Hispanis proprio non contenti, aliorum inuadebant thorum, & suum adulteriis, illicitis consanguinearum matrimoniis, absque Pontificum relaxatione maculabant. Clericorum viluit status. Regularium

Pernicies virtutum, & morum quæta

Tirannis in bona, ac libertatē Ecclesiasticam

rium

Vita clericalis, monastica, & regularis in interitum.

rium euanuit disciplina. Monasticæ conuersationis feruor in cunctis fermè locis tepuit. Et vt verbis vtar Bergom. lib. 13. suppl. ad annum 1217. Increbuit tanta Clericorum, & improborum virorum licentia, vt nulla religionis facies in Ecclesia Dei cognosceretur. Dixisses, tunc omnes non modo laicos Christianos, sed etiam Clericos, & Monachos in Italia aut inquilinos fuisse, aut extrema omniũ nationum fęce eò commigiasse.

Vsura, & dolus tunc maximè regnauit, & in Iudæorum, qui tunc maximè in Gallia has impunes exercebant artes, deuenerunt potestatem sacra vasa ministerialia Templorum, quæ in sordidos vsus admouebant, & reliquum quidquid sacrosanctum erat, in prophanum vendebatur, vel oppignorabatur vsum, vt nō immeritò querula voce vsurparent Christiani illud Dauidicum, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*, Psal. 78. Non solum in Dei supellectilem, verum etiam in ipsius corpus suam explere rabiem minis, facinoribus hi appetebant. Perfidæ huic genti consuetudo erat, surreptũ quotannis aliquẽ infantem christianum in locũ apud se subterraneum ducere, atq; illum diu pœnis affectum, tandem die Veneris Sanctæ Cruci affigere, contemnentes hoc suo immani facinore Christi mortem, & Christianorum religionem ludibrio habentes; sed Philippum Regem meritum tandem senserunt vltorem.

Iudæorum execrabilissima crimina.

Miserè tunc ingemiscebat mundus

Sub his, atque aliis similibus facinoribus, enormibusque peccatis miserè ingemiscebat mundus, & alias deformabatur facies Ecclesiæ, calcibus Equorum rufi, & nigri, & pallidi conculcata, atque ad instar stabuli, fimo, atque stercore pleni redacta. *Bene ergo* tunc temporis dictum, *ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, &c. vt supra.* Sed ecce etiam aliunde Franciscus conceptus illa tempestate, vt esset Griphus (haud in vultu per nasum gripheum, seu Aquilinum, quod est optimi, atque regalis augurii index, signumque, sed per virilem, masculamque gratiæ Dei virtutem) vt incedens per tritam, nouamque humilitatis viam, igne Seraphicæ charitatis accensus, quæ duo maximè diabolicus Lupus expauescit, infestissimus esset huic Equo pallido, & aliis duobus, antecedētibus illum. Ad quod grande, atque inexcogitatum opus statim se accinxit, vt accepit per triplicem iussionem mandatum à Crucifixo, illis verbis ter replicatis, *Vade Francisce, & repara domum meã, quæ vt cernis tota destruitur.* Etenim quam-

Eum commiserans Deus ordinauit Franc. conceptionem.

uis addat textus Seraphicus, *Tremefactus Franciscus, cum esset in Ecclesia solus, stupens ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens diuini virtutẽ eloquij, mentis alienatur excessu*: Addit tamen mox. *In se tandem reuersus, ad obediendum se parat, & totum se recolligit ad perficiendum mādatum de materiali Ecclesia reparanda. Licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisiuit. Sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, & ipse postmodum Fratribus reuelauit.* Nec solum vnam, sed alteram & alteram Ecclesiam, scilicet S. Petri Apostoli, & B. Virg. de Portiuncula reparauit; quia ter dixerat ei Christus, *Francisce vade, & repara*, respiciens ad tres Ordines, ab eo instituendos, & per quos ipse triplex, triformisq; Reparator Ecclesiæ efficiend us erat, vt aduertit Bonau. cap. 2. cit.

Se accinxit statim Franc. ad opus reparationis.

Circa effigiem Francisci, veluti Griphi mistici hic propositi, diximus iam lib. 3. tract. 2. sect. 1. aduersus hæreticorum Tygurinorum, Chronicon Matthæi Paris in pluribus corrumpentium, impostura. Quærebat Asinas Patris sui Saul, vbi ad instantiam populi Hebræorum designauit illum Deus in Regem Israel. Eminebat hic nouus Rex statura, & physiognomia in cunctis de populo, vt habet lib. 1. Reg. c. 10. *Stetitq; in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursũ. Et ait Samuel ad omnem populũ. Certè videtis quẽ elegit Dominus, quonĩã non sit similis illi in omni populo*, Quale autẽ fuerit Saul regimen, quales mores, qualis finis, iã instãter expostulatus, vt regnaret, restauraretque Dei populum, ab hostibus vndique infestatum, omnes sciunt. At in electione Regis Dauid, haud à populo expostulati, sed à Deo immediatè præostensi electio aliter contigit, etsi phisiognomia longè diuersa ab illa prædecessoris sui Saul. Et quamuis dicat textus sacer, quod Dauid Pastor ouium minimus inter filios Isai *esset rufus, & pulcher aspectu, decoraque faciε*, nihilominus eodem cap. 16. dixerat Dominus Samueli, loquens de Eliab, *Ne respiciam vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Vide etiam infra cap. 5. lib. sequent.

Deus quos ex se ad magna facinora elegit nō faciε intuetur, sed cor.

Illud cor intuitus est in Francisco Christus, non autem effigiem, ac phisiognomiam, vt veluti terrificus griphus infestissimus esset Equis prædictis in reparatione domus suæ. Vnde haud mirum, si aliquando apparens B. Leoni Confessario suo post mortem, alas, & pedes Aquilæ, quibus participat Griphus, habere

bere monstrauerit. Alas ad volandum in suorum tutelam, quibus antea volauerat in Dei Ecclesia reparanda. Pedes ad defendendos suos, quibus prius totam Rempublicam Christianā, ab Equis prædictis infestatam, defenderat. Remanent nonnulla alia ad laudem Dominæ Picæ Matris Francisci; sed modo solū sufficiet, tantum concepisse Picum masculum, virumq; Griphum, Equis prædictis maximè infestū. Illa verò in 2. sect. adducemus.

CAPVT III.

Corpusculi Francisci, anima rationali informati Conceptio sub Alexandro III. Bandinelli, & Imperatore Federico I. Aenobarbo, & quoad Deum, & quoad Christi Vicarios, & quoad ipsum Franciscum, in auspicatissimum totius Christianæ Respublicæ præsagium felicissimè contigit.

F*Ecisti homines sicut pisces maris, &c.* Abacuc cap. 1. Hanc scripturam affert Interpres præallegatus, loquens de conceptione fœtus tam naturalis, quam spiritualis in vtero Matris suæ. Legitur quoque apud Tobiam cap. 6. quod dixerit Angelus Raphael Tobiæ eius filio ad ripam Euphratis, vbi ipsum, suos lauantē pedes inuaserat piscis. *Exentera piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi. Sunt enim necessaria ad medicamenta.* Moraliter, subdit Interpres Dom. 15. post Trinitatē. *Piscis est Christus*, qui dixit Petro Matth. 17. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, &c.* Et post pauca, hanc secundam scripturam explicantia, sequitur principalem explicationem super textum Tobiæ, quæ valdè faciunt ad rem præsentem. Hunc ergo piscem, inquit, exentera, idest vitam ipsius Christi considera, & inuenies cor, fel, iecur. Corde sapimus. Felle irascimur. Iecore amamus. In corde sapientia. In felle amaritudo. In iecore Christi amor.

Christus mirificè piscis ad ripam Euphratis a Tobia exenterati.

Sapore sapientiæ, quæ attigit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter condi insipiditatem tuam. Amaritudinem passionis commisce dulcedini tuæ; ipsius amorem superpone omni amori, qui sine ipsius amore, non amor, sed dolor dicendus est. Hęc sunt medicamenta, animæ tuæ vtilia, quæ si tibi reposueris, non Diaboli, sed Dei non carnis, sed spiritus, non Mundi, sed Cæli seruus eris.

Quid huiusmodi piscis cor, fel, iecur.

1 *Sapientia Christi* frangit dominium Diaboli. Vnde Iob 26. *Prudentia ipsius percussit superbum*. Prudentia, non virtute percussus est antiquus hostis, quia dum audacter inuasit Christum, in quo nihil competebat sibi iure, hominem, quem quasi iustè tenebat, amisit.

2 *Ipsius amaritudo* Passionis subiicit appetitum carnis. Vnde memoria Crucifixi vitia crucifigit.

3 *Item ipsius amoris* theriaca diuitiarum venenum expellit. Vnde Tobias ibidem. *Fumus eius*, idest deuotio amoris eius extricat omne genus Dæmoniorum, idest diuitiarum, quæ homines tamquam Dæmones decerpunt, & affligunt. Omnes istius Mundi diuites sunt quasi Dæmoniaci, huc, atque illuc discurrentes, non vero, sed falso Domino seruientes, &c. Concorda nunc, mi Lector, si placet, quæ dicit Interpres de Christo humani generis Redemptore sub figura piscis (tum illius, quem exenterauit Tobias, tū illius, quem ex Christi mandato cepit Petrus) cum sequentibus, quæ sub figura Tobiæ per anthonomasiam Francisco, Ecclesiæ Reparatori conueniunt. Nam sic inuenies Franciscum hunc, quem concepit Domina Pica, Christo pisci, cuius cor, fel, & iecur pro se vir sanctus antea sumpserat, adeo similem, vt in his tribus, in quibus se totum transformauit, piscis quoque euaserit. Ab ipso namque Reparatore, vti à Christo Redemptore totum genus humanum, tota quoque Christiana Republica sumere potuit sapientiam Christi, vt à iugo Diaboli, qui in Francisco ius nullum lethalis culpæ habebat, se liberaret. Amaritudinem Passionis Christi, qua penitus carens, vndique appetitui carni subiecta erat. Amoris Christi theriacam contra diuitiarum venenum, &c.

Diuites huius mūdi vt Dæmoniaci.

Franc. piscis Christo simillimus.

Prædecessor Lucii III. fuit Alexander III. Patria Senensis, inclytusque illius Vrbis sanguine, & probitate patritius, & splendor, ex antiqua & nobili stirpe Bandinella. In hac dum spectat hodie Vrbs tota piissimum Virum Volumnium Bandinellum, sperat etiam, nec vanè, quod ex illa, quam ità dignè indutus est purpura, haud impar charitatis flamma semel erumpet in postero, capite Orbis ex cardine effecto, quæ erupit iam in consanguineo antecessore, non quæ sua, & quæ suorum sunt quærente, sed quæ Iesu Christi, ac propterea conceptionis Francisci promerito, qui

Stirps Alexandri Tertii Senensis.

expulit

expulerit à Petri ouile Lupos (*Lupi enim ignem maximè timent*, teste Interprete nostro) terruitque Ecclesiæ tyrannos.

Conceptus Franc. ad finem regiminis Alex. 3.

Promotio Alexandri Tertii ad summũ Pontificatus apicem contigit anno Domini 1160. qui erat octauus Federici I. Imperatoris. Quando verò conceptus fuit S. Franciscus anno illo 1181. regimẽ Alexandri, quod durauit an. 22. adeò ad suum postremum finẽ peruenerat, vt nõnisi menses septem illi remanserint. Signum vocale, quod de more Alexander assumpserat, ita ipsemet per montes, & campestria oues suas custodiens, nec vnquã eas derelinquens, cũ Psalte pronunciabat. *Vias tuas Domine demonstra mihi*. Quas vias meruit quidem tam pius, magnanimusque Alexander sibi à Domino suo; cuius Vicariam vt bonus Pastor gerebat in terris potestatem, demonstrari in immani Federici Aenobarbi persecutione, ob quam dum aufugit Franciæ, illius consiliorum peruersorum molem fregit, vt patuit ex maiori illa tumulentia, ac rabie, quam fractio illa veluti ab orci faucibus foris emisit.

Signum vocale Alexandri.

Tam effero Romanæ Ecclesiæ Cæsari tam magnum plus re, quam nomine Alexandrum ordinauit Deus. Si Cæsar non amicus, sed hostis, non filius, sed tyrannus Alexandri in Ecclesiasticæ libertatis, & fidei Romanæ perniciem, Alexander è regione Pastor, & Pater erga Cæsarẽ, cũ ad pedum oscula, & ad brachiorum amplexus expectans. Vt sic relinquens quæ hostis, & quæ tyranni, quæ amici, & quæ filii sunt iura repeteret, prout tandem repetiit; nam dum quadruplici schismate Cæsar ille fortis armis *impegit in fortem animo, ambo pariter ceciderunt*, alter vt prodigus errabundus ad pedes illius, alter vt genitor peramandus ad collum istius, cernens hoc mirum Vrbs Veneta spectaculum. Paucis rem tangit Ciacconius in obitu Alexandri illis verbis. *Vir acer in primis, & in suscepta Ecclesia defensione constans, inimicitijs Federici, quas non tam moderatè exercuit, quam fortiter superauit, virtutis, memoriaque insignitus*.

Verè Alexander in Federicum I. Cæsarem.

Tam magnus, imò ter maximus inter Ecclesiasticos Monarchas Alexander dignum quidem se reddidit, vt Seraphici Alexãdri, se vniuersum Orbem orthodoxum summè regente, mereret cõceptionem, prout ex inter vtrumque haud leui conuenientia videri potest. Qualis namque se gerebat Alexander Princeps Apostolicus pro tuenda vniuersa Ecclesia aduersus Cæsaris Federici impietatem; talis postea se gerere debebat pro reparanda eadem Ecclesia (cuius vnitatem, sine qua fides claudicat, funditus destruere tot Antipapis Imperator Federicus satagebat) Alexander Franciscus. Quippe ob id profectò conceptus sub tali, ac tanto Alexando, vt animo, soliditate, ac zelo Apostolico in omnem Diaboli tyrannidem, quam Principum, Magnatumque tyrannis magis ac magis fauebat, fouebat, augebatque, simillimus esset. Atque ita magnanimiter in eo officio, ac munere, ad quod eius conceptio dirigebatur, supra hominem primus, solusque inter Sanctos post Apostolos in Satanæ hostilitatẽ ipse appareret, quemadmodum inter Romanos Pontif. primus, ac solus à principio in Federicum, per quem Satan Christi oues rapiebat, dispergebatq; experiebatur Alexander. Futurus etiam sub regulari vita Franciscus *Vir acer in primis* in seipsum, in Mundum, carnem, & Diabolum; *& in suscepta* iuxta Christi mandatum terna Romanæ Ecclesiæ (assumpto etiam ab ipso eodem simbolo, *Vias tuas, Domine demonstra mihi*) *reparatione constans*. *Inimicitijs* signiferorũ, præcursorumque Antichristi, aduersus quem mittebatur, *quas non tam moderatè exercere deberet, quam fortiter superare virtutis, memoriaque insignis*. Itaque vix conceptus Franciscus, vt esset Christo, & Vicariis Christi vnicè, ac summè proficuus, mirabili quadam cælitus ordinata sympathia auspicata futuritione Alexandri Tertii imaginem se expressurum sub successoribus Pontificibus eiusdem Alexãdri tempestate indicauit.

Congruit vt Franc. sub Alex. 3. conciperetur.

Analogia B. Franc. cũ Alexandro in zelo apostolico.

SECTIO I.

Franciscus conceptus vt Petra mistica, in qua sculpenda Ezechielis Quadriga.

B. Bartholomæus Pisanus, vir sanctus, & doctus, demonstrans Franciscum & quoad Deum, & quoad Ecclesiã, & quoad se non secus ac Christum, in pluribus sacrorum Bibliorum locis præfiguratum, & à pluribus quoque Apostolicis Dei seruis prophetatum, accuratè perpendit illam de ipso prophetiam, quam cælitus accepit B. Cyrillus Presbyter, & Anachorita Montis Carmeli. Sacrum peragens homo hic Euangelicus, misit Deus ipsi Angelum suum, qui statim tradidit ei duabus tabulis æneis (apud alios argenteis) in quibus de Francisco vaticinium grecanico idioma-

B. Cyrilli prophetia de B. Franc.

te conscriptum erat. Mandans ipsi Angelicus nuncius, vt in Latinum transferret, sicque translatum Ecclesiæ Occidentali mitteret. Verum (inquit Pisan.lib.1. Conform.Confor.1. fructu 1.) eum prophetia multum sit verbis obscura, interpretandam, & dilucidandam Abbati direxit Ioachim natione Calabri, qui ipsam exposuit. *Vbi sciendū*, subdit, *quod B.Franciscus vocatur semper in ista prophetia nomine Petra*. Patet in princ. & aliis capitulis sequentibus. Et patet in fine, Fratres Minores alloquens, cum dicit, nempe. *Si ad petram fortem, & firmam. Quadram, & latam. Planam, & albam. Mundam, & sanctam*.

In illa Fran. nomine petræ frequenter nuncupatur.

Quam petræ quadriformitatem explicant Glossæ, & Abbas Ioachim, apud eundem Pisanum illius fortitudinem, & firmitatem contra carnis referens illecebras. Quadraturam verò nunc ad Dei timorem cum Interlineari, nunc autem cum Abbate Ioachino vel ad debitā Dei iustitiam, tum amicis, tum quoque inimicis reddendam, vel ad quatuor virtutum Cardinalium ornamentum. Latitudinem porrò talis petræ refert cum Glossa ad Charitatem. Politiam cum Ioachino ad planitiem, omnem asperitatem excludentem. *Vt superbus, & humilis, arrogans, & mitis secum fuerit pacificè conuersatus*. Denique petrificatam eius *albedinem* refert cum Glossa ad corporis Francisci castitatem; *munditiem* vero, *& sanctitatem* ad verborum discretionem cum eadem Glossa Pisanus refert.

Quadriformitas talis petræ explicatur.

Quibus statim annectit Auctor suam explicationem, ita scribens. *Est sciendum, quod B.Franciscus vltra expositionem Ioachim, supra & nunc præmissam, potest dici Petra*.

Petra dicitur Franc. quia filius Petri Bernardoni.

1 Quia ad literam filius fuit Petri Bernardonis, vnde à Patre Petro potest Petra nuncupari; *Quia Petrus, & Petra idem sunt*, Matth.19.

Quia perfectus Christi, & Petri imitator.

2 Dicitur Petra, *quia imitator perfectissimus Christi*; qui est Petra 1.Corinth. 9. Similiter & B.Petri, qui Petra est. Quia ipse vitam Christi, Petri, & aliorum prosequutus est perfectissimè Apostolorum, prout dicit Nicolaus Papa Tertius in Regulæ declaratione.

Quia Petro, idest Eccl. perfectiss. adhæsit.

3 Dicitur Petra, quia Petro, idest Ecclesiæ firmissimè adhærens. Promisit enim obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ, vt dicit Regula in principio. *Fidem Ecclesiæ tenuit*, vt de eo cantauit. Et pro eius fide ter mori voluit.

Quia reformator petræ Ecclesiæ.

4 Dicitur Petra, quia ipse, vt dixit sibi Christus, directus ab eo erat, vt *Reformator terrestris Ecclesiæ, & sic Petra*. Ideò præfatis de causis potest dici Franciscus Petra.

Sed hæc *Petra* (subdit Pisanus, decifariam illius, & iam prophetatam apud eundem Cyrillum explicans qualitatem) *appellatur*.

Petra mistica Franc. ob decem.

I *Durissima*, quia Franciscus firmissimus fuit in inceptis.

II *De valle Virginis*, quia B.Virgini deuotissimus.

III *Fortis* contra Diabolum, eius tentationes superando.

IV *Firma* in fide.

V *Quadra*, nullo affectu terrenorum declinans.

VI *Lata* virtutum, & meritorum prerogatiuis.

VII *Polita* gratiæ plenitudine.

VIII *Alba* innocentia decorata.

IX *Munda* ab omni peccato absterſa vsque ad quadrantem nouissimum.

X *Sancta* ad perfectionis apicem, appropinquando Deo, copulata. Hæc Pisanus.

Quanta in Franc. petra innocentia, ac munditia.

Innocentia, ac munditia necnon ab omni læthali culpa abstersio tanta in prophetata Francisci Petra vere Petra extitit, & in ipsa petra veluti in magna rupe inter efferos maris Mundi fluctus petrificata ob maximam constantiā vsq; ad finem. In hac petra fecit Deus opus suum alienum, & peregrinum, Isaiæ 28. scilicet simillimum opus Petræ Redemptoris (de quo explicat Interpres ex D. Gregor. Dom.1. Aduentus, ratione reparationis Ecclesiæ. Summæ ergo pietatis ars mira sculpsit in Francisco, vt in Petra *polita* ob gratiæ plenitudinem, *alba* ob decorem innocentiæ, *munda* ob abstersionem ab omni peccato vsque ad nouissimum quadrantem, Qadrigam illam misticam ex Exechiel primo, cui titulus. *Triumphalis Currus, seu gloria adumbrans hominis redemptionem per Christum, cooperationem per Matrem, reparationem per Franciscum, simulque integerrimam puritatem vtriusque hominis in Francisco grauissimis testimoniis comprobat*. Theses sub figura eiusdem Currus in folio impressæ, & in supremis folii lateribus testimoniis probatissimis comprobatæ, exierunt ex Typographia Octauii Beltrami Superiorum permissu, in Ciuitate Neapolis, anno 1635. ibique apud Regium Conuentum Obseruantium, Sanctæ Mariæ de Noua nuncupatum, publicè disputatæ, ac defensæ fuere à Fratre Bonauentura de Sancto Romulo Minorita. In priori parte disputatum est de quatuor scripturæ sensibus. In posteriori de Christo. In tertia de

Currus Ezechiel. misticè sensus sacræ script. Christus, Deipara, S.Franciscus.

de B.Virgine. In quarta de S.Francisco, quem & ipsum ibi Cathedraticus ille quadrigatum, exprimentemq; præfatas quatuor facies, eius virtutibus, & sanctitati admodum concordantes, repræsentat.

Censura de tali curru triumphali.

Censurauit has theses P. Palumbus Societ.Iesu, Vir doctus, & publicus Vrbis Neap. insigni nominis Theologus, easq; subscripsit. Quæ autem fuerit huiusmodi Viri docti iudicium circa faciem Aquilæ, pro qua disputat etiam P. Angelus Vulpes tom.1.par.3.Scoti disput.21. art.8. *an homo possit de condigno perseuerantiam in gratia promereri*, vide si placet ad calcem prædictarum thesium. Argumenta verò ad probandum intentum, maiorem vt video exposcerent soliditatem, atq; authoritatem. Qua de re, mihi tandem consultius fuit mentem Bonau. sequi, & amplecti, quod infra explicabitur.

Franc. clementia cur ingenitam dixerit Bonau.

Id autem, quod scripsit Seraphicus Historicus, loquens etiam de pietate, ac clementia Francisci in cap.8. legendæ peculiare est admodum. *Sanè, inquit, clementiā habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat*. Domina Pica, genitrix Francisci genuit ipsum totum clemētem, ergo clementia in Francisco ingenita nō fuit, sed cum ipso genita. Sed Bonau. loquitur de clementia, in qua Franc. penè conceptus, & quā traxit ex vtero matris. Quod à simili scripsit Basilius homil.1. de Ieiunio, commendans Sampsonis fortitudinem, illis verbis. Quid fortissimum Sampsonem inexpugnabilem reddidit? Nonne ieiunium, cum quo in matris vētre conceptus est? Ieiunium concepit. Ieiunium nutriuit. Ieiuniū virum effecit. Vsque dum fetus conceptus in vtero matris moratur, non potest dici genitus, sed non genitus, & fermè ingenitus, idest non adhuc natus; *genitus enim, & natus* apud Latinos idem sunt. Duplicatio deinde huius in Francisco clementiæ per Christi pietatem ad duo ex vi illius adiectiui, *superfusam*, referri videtur. Et quidē primò ad initialem radicem ipsius clementiæ, quam ex vtero matris à fusa Christi pietate per donū quodam præcipuum accepit. 2. ad incrementum ipsius clementiæ, quod ipsa duplicabatur per superfusam Christi pietatem, in Frācisco deinde ab infantia excrescentem.

Cur non venisse in vig. Spiritum S. sed superuenisse dicatur

Pari modo explicauit Bernardus illud primum verbum Angeli ad Mariam, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, Lucæ 1. Et Bernardus serm.2. de Assumpt. B. Mariæ. *Quis enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratia plena? Neque hoc solum, sed adhuc quoque in eam superuenturum asserit Spiritum Sanctum. Ad quid putas, nisi vt etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi vt adueniente iam spiritu, plena sibi, eodem superueniente, nobis quoque superplena, & superfluens fiat?* In illis verbis, *plena sibi*, ostēdit Bernard. excellentiam Maternitatis in Deipara, quæ gratia plena esse debebat, adueniente iam in ipsa Spiritu Sancto. In aliis postea, *Nobis quoque superplena, & superfluens*, ostendit, quod per illam dignitatem, sibi summam, ac maximā (imò respectiuè infinitam ex D Thoma) cooperatura erat B. Virgo in gratiam redemptionis pro genere humano, veluti concausa cum filio suo, talis redemptionis authore, atque principe operatore. Sic quoque ipse dicerem, si mihi liceret, de Francisco circa eius clementiam ingenitam, quæ incepit in vtero matris suæ. Christi pietas, fusa ibi per singularem quandam prærogatiuam, respexit ad illud vnicum Reparatoris munus, ad quod Franciscus, adhuc ibi clausus, immediatè à Deo ordinatus erat, vt in hunc modum fuisset sibi ob huiusmodi muneris excellentiam tali gratia fusus. Superfudit deinde pietatem suam idem Christus, vt eandem clementiam ingenitam, hoc est antequam ille generaretur diuinitus inditā duplicaret, quatenus augumentum tribueret ab eius infantia, vt non solum Ecclesiæ suæ per gratiam reparationis superplenus esset, sed etiam superfluens fieret.

Cur etiam non fusa à Christi pietate, sed superfusa ingenita Fran. clementia.

Currus Mirmecidis ex ebore à musca cōtectus

Inter maxima humanæ artis miracula enumerant adhuc Scriptores neoterici, admiranturq; Mirmecidis Milesii currum ex ebore, adeo paruum, quod musca vna alis suis ipsum contegere potuerit. Alexāder tamen Taxonus lib. 10. vbi agit de ingeniis antiquis, & recensioribus, probatq; capitibus 28. hæc illis imparia minimè extare, scribit c.26. quantū ad prædictum currum in hunc modum. *Memini me vidisse mirum currum, chorum musicorum gerentem, qui sine equis, & sine aliquo, eum vel trahente, vel impellente, ab vno ad alterū caput Romana via, quam cursum nuncupant, constatq; passibus mille, ex seipso pompa multa pertransijt.* Si currus, quem se Taxonus vidisse testatur, haud paruus erat, sed magnus. Nihilominus legimus apud ipsum ex Cardano ibidem, Gallum quemdam vitreas catenas, quæ non frangebantur, conficere assolentem, construxisse quoque ex eadem materia vitrea currus cū bobus suis adeo paruos, quod vna solummodo vnius muscæ ala quemlibet ipsorum cooperire valuerit.

Currus cum choro musicali valde mirus.

Currus misticus, sculpendus in paruulissima infantuli nostri petra, paruulissimam quoque formam tam in conceptione carnali auspicatiuè, quam spirituali

SECTIO I.

Conceptus in vtero Matris suæ Picæ Franciscus vt Picus, auis Martialis, misticus, & vt Griphus, ad Domini vocem auritissimus.

In vno Frã. Christo per simili; excellent.

QVodlibet prædictorum animalium Euangelicorum, in suo proprio genere princeps, ac primum tãto excellentius in vno Francisco Duce, ac Principe perfectionis Euangelicæ moraliter, atque exemplariter reperimus, quantò sublimius accedens ad perfectam Christi imitationem, cum ipso Christo & Leo, & Vitulus, & Homo, & Aquila volans extitit. Quod ex toto eius vitæ cursu liquet apud Bonauenturam. Itaque ob duo illa animalia, scilicet Leonis, & Aquilæ veluti Picus, supplè Griphus, haud fabulosus, sed prodigiosus in euangelica perfectione, qualis in gestis suis se patefecit, dicẽdus est ex vtero Matris suæ Picæ in vtero Matris gratiæ supra naturam conceptus Franciscus. Picus, inquam, seu Griphus dicendus Franc. & vt talis vnicè auritus ad primam Domini vocem, siue per somnia ipsum alloquentis, siue sensibilibus verbis, quod quater, imò quinquies contigit, antequam opus reparationis Ecclesię aggrederetur per totalem vitæ sæcularis in vitam regularem mutationem.

Griphus vnice auritus Franc.

1.Domini allocutio ad Francisc. in domo sua.

1 Allocutus est auritum Frãciscum Dominus in domo sua per visionem prefatam de ostenso sibi Armamentario. Et licet sensum prioris illius allocutionis minimè perceperit, *cum nondum haberet exercitatum animum ad diuina perscrutanda misteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam inuisibilem veritatẽ, magnæ tamen fore prosperitatis indicium existimabat insolitam visionem*, ait Bonauent. cit. Vnde sine mora, licet non adhuc benè distinguens bonũ temporale ab æterno, nec prosperitatem terrenam à cælesti, paulo post iter aggressus est in Apuliam, vt *ad quendam liberalem Comitem* (de quo Vading. §.4 in apparatu ad num. 5.) *ibi se conferret, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, vt ostensa sibi visio prætendebat*. Quod ergo audiuit in hac prima visione Franciscus, sicut mente concepit, ita statim se accinxit executioni mandare. Non tamen displicuit Domino ea promptitudo, imò ipsum allexit, vt familiariter cum ipso agere inciperet, sicq; primum domesticum suum in arduo de reparanda Ecclesia negocio declarare.

Qui autem his comes fuerit, consule Vadin.

2 Allocutus est Franciscum suum Dominus sensibiliter, multaque familiaritate in proxima Ciuitate, scilicet Spoleti, vbi primum peruenit, tantaque promptitudine, atque velocitate ipsi respondit, quanta respondit Saulus Iesu in Damasci itinere. *Audiuit namque eò in nocte Dominum* (ait Bonau.) *familiari sibi allocutione dicentem. Francisce, quis potest melius facere tibi, Dominus, an seruus, diues, aut pauper?* Cui cum Franciscus respondisset, quod tam Dominus, quam diues facere melius posset, intulit statim. *Cur ergo relinquis pro seruo Dominum, & pro paupere homine diuitem Deum?* Et Franciscus. *Quid me vis, Domine, facere?* Et Dominus ad eum. *Reuertere in terram tuam, &c.* Vix his promptis auribus auditis, adeò festinus ad regressum in patriam euasit, vt ex tunc meruerit, vt diximus, ex domestico, ac familiari Domini illius exemplar obedientiæ fieri, &c.

2.Domini allocutio ad Fran. in vrbe Spoleti.

3 Allocutus est Franciscum suum Dominus in Leproso, quem supra memorauimus, haud ore, quo statim Francisco Equo siliens osculatus est, sed aspectu, ac manu. Aspectu, cordi suo maximum horrorem incutiente. Manu, veluti aliquid acceptura à Francisco, protensa. Aspectus reportauit amplexum; Manus verò pecuniam. Exinde ceu Griphus miro modo auritus exequens statim, quod cordi eius suggererat in leproso illo Deus, cepit hilaris, & cantans, & mirabundus, & celer alto volatu ad altiora pertendens, *solitaria loca amica mœroribus quærere*, sicque aureos montes misticè incolere, vbi Christum, cuius *caput aurum optimum* commodius, ac felicius illicò inuenit. Nam ibi

3.Domini allocutio in leproso quodam per planitiem Assisii.

4 Allocutus est Franciscum suum Dominus, visibiliter ei apparens, & veluti crucifixus. *Dum enim vna dierũ* (subdit Bonau.) *sic sequestratus oraret*, & præ nimietate feruoris totus esset absortus in Deum, *apparuit ei Christus Iesus veluti Cruci affixus*. Ad cuius conspectum liquefacta est anima eius, & memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeò impressa medullitus, vt ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mẽtem, vix posset à lachrimis, & gemitibus exterius continere: sicut ipse postmodũ familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempè vir Dei illud Euangelicum Matth. 16. sibi dici. *Si vis venire post me, abnega temetipsum, & tolle Crucem tuam, & sequere me*. Induit ex tunc *spiritum Paupertatis, Humilitatis*

4.Domini allocutio per solitaria loca.

litatis sensum, & affectū intima pietatis, &c.

Montes, auro abundantes, paupertas, humilitas, pietas.

Hi sunt tres montes, quorum cacumina vsque ad Cælos eminent, vbi aurum cæleste abundat nimis, Paupertas, quæ ex Interprete nostro tota aurea est. Humilitas, in cuius camino ignis Seraphicus aurum spirituale in hac vita purgat, & probat. Pietas, cuius aurum ex auro Charitatis generatur. Vbi Picus noster, seu Griphus hos aureos montes incolere cepit, peruenit ad eminentiora, auditu arium altè percepta, & vix audita, nimia celeritate incepta. Etenim

5. Domini allocutio intra Ecclesiā S. Damiani.

5 Allocutus est Franciscum suum Dominus, ter repetens eadem verba, dum ille die quadam egressus ad meditandum in agro deambularet iuxta Ecclesiam Sancti Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, & in eam, instigante Spiritu Sancto, causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritu consolatione repletus. Cumque lachrimosis oculis intenderet in Dominicam Crucem, vocem de ipsa Cruce dilapsam ad eum *corporeis audiuit auribus, ter dicentem. Francisce, vade, & repara domum meā, quæ, vt cernis, tota destruitur, &c.* Quasi diceret Christus, simulque præciperet

1 Vade, Francisce, vade ad meæ penè collapsæ Ecclesiæ reparationem, & vt vir nouus, in vtero Gratiæ meæ conceptus, destrue prius opere virtuoso, ac masculo in toto Orbe orthodoxo omne opus vitiosum, ac muliebre, atque effęminatum, per quod principaliter Ecclesia mea, vsque ad postremum excidium fermè deducta, diris ictibus vndique percutitur, atque in omni statu, ac sexu hostili colluuione miserrimè inficitur.

Mandat Christus Francè Cruce Eccl. reparationē

2 Vade, Francisce, vade, dum in sinu gratiæ meæ, intra vterum animæ tuę boni coloris resperfę, ceu opus excellenter virtuosum optima dispositione gestaris. Nam rectè, & ordinatè omnia gesta tua, quæ ad sponsæ meæ Ecclesiæ salutem ipse ex me præfixi, iam ad eundem finem disponuntur; & quia mihi maximè placent, cum proximis, Deos alienos sequentibus in criminibus, id quod destruxerūt scelera, Fidem Catholicam concutientia, ædificabuntur.

Declarat ipsum ad id muneris idoneum, quia perfectè spiritualiter cōceptum.

3 *Vade Francisce, vade, & repara domum meam, quæ vt cernis, tota destruitur.* Non enim parens tua simul cum gratia mea cōceptu tuo grauescens, nec tamen grauans, imò leuissimum, & quasi pennatum efficiens vterum, ad hoc aggrediendum tam nouum opus incommodū patitur ex superfluitate mentalium cogitationum. Sed quia his inclytè libera tibi nunc mando, vt vadas aduersus *peruersas cogitationes*, quæ separant taliter in dies à me tota christianitas, vt modo sine te vel à mea Iustitia destruenda foret, vel à mea pietate per te reparanda.

4 *Vade*, inquam, *Francisce*; nam mater tua, quæ per me te concepit, falsas escas minimè comedit, sed illas tātū, quæ aptiores essent, vt opera tua, & gesta tua, contemptibilia mundi eligentia, virtute humilitatis in omnem vanam gloriam Apostolico robore irrumperent, & ea destructa, perseueranter, & gloriosè domū meam repararent.

Franc. conceptione falsas escas nūquam comedit eius mater.

5 Tu mecum eris, & in virtute mea collabētis Ecclesiæ meæ peridoneus Reparator. Ipse enim faciā, vt conceptus tuus spiritualis, propter me, & Ecclesiam meam tres instituturus Ordines, tresque eis leges laturus, Euangelica discretione quācitius præcelleret. Piarū lachrimarū cōpunctione neq; pericla perdendi oculos formidaret. Inuictæ Pœnitentiæ afflictione in carne tenerrima, virginea, ac delicata æneum robur terreret. Seraphicæ mentis illuminatione ad me ascenderet, meque totum caperet, suumque totum faceret, anima & corpore cruciformiter me recipiens. Mira Obedientia, meæ obedientiæ simillima ad iussionem meā hilaris, & celer, Auis, & Homo in mixta vita appareret. *Auis* per vitam contemplatiuam. *Homo* per vitam actiuā: vtraq; enim vita Ecclesiæ reparatio, quam modò tibi ego ipse præcipio, & ad quam te mitto, nunc indiget.

Vt auis, & homo conceptus Franc.

6 *Vade* denique, *Francisce*, quoniā tu in aggressione operis tam peregrini, ad quod te principaliter elegi ante mūdi cōstitutionem, debes manus extendere super costas, quæ in te erunt *vilitas tui*, à *vilitate mea*, quam pro redimendo humano genere assumpsi, exemplum sumens. *Contemptus mundi*, quem ante te nondum aliquis parem ostendit, nisi ego ipse, nisi Mater mea, nisi Discipuli mei. Hæ duæ res omnes virtutes summè, ac tutè in te custodientes, super eas manus tuæ debent inniti, & firmiter appræhendere, quod sub cinereo cilicio poteris semper ad me dicere, siue respondens, siue interrogans, (iam cum Abraham vilescens ad magnū pretium, contemnensque mundum ad magnam gloriam) *Loquar ad Dominum cum sim puluis, & cinis*. Poteris & ad hanc Crucem, è qua te alloquor, ad hæc vulnera, & clauos, quibus confossus sum (& ita confossus ore meo aures corporis, & cordis tui percutio) nouo, atque insueto modo ascendere, & cum Apostolo meo Paulo, de te prophetante, tu solus

Quæ manus super costas in Francisci conceptu.

lus iactari, vilis factus cum maxima apud me existimatione, tui & Mundi nobilisq; contemptor, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Hac bina, reciprocaque crucifixione extremè indiget Ecclesiæ meæ reparatio; sic enim tu per contemptum tui vilescens contra mundum, & Crux mundi euadens, contemnens vt rem vilissimam mundum, teque mundo crucifigens, à vilitate maxima, quia sic hodie contemnitur à filiis, & à summo côtemptu, quo nunc vilescit in filiis, sponsam meam, & matrem tuam Ecclesiam apostolico more liberabis.

Franc. vilescens in se, contemnens mundum, à vilitate, & contemptu liberauit Ecclesiam.

SECTIO II.

Verè Picus, vereque Griphus misticus Franciscus, tribus Equis, colore variis, pernicie paribus, pro reparanda Ecclesia, Equoq; vno albo adiuuando, infestissimus.

EX hac vltima Domini allocutione Franciscus animo concepit, quod sicut Griphus auritus Christi mandatum audiuit, ita, ad eũ exequendum, Griphes, Equis infestissimos imitari debebat. Equos omnes, Ecclesiam omnem vbique depopulantes iugi bello insectando. Et qui, inquies, isti Equi, in quos Vir, & Griphus auritus Franciscus montium, auro abundantium incola, pro reparanda Christi Eccles. dimicaturus erat, eosq, irreconciliabili hostilitate infestaturus?

Francisc. vt Griphus, Equis, infestâtibus Eccl. infestissimus

Respondebit tibi Episcopus Francisci (eique adiutorium simile sibi in opus, quod illi de Cruce mãdauerat Christus, & noster Interpres) quod hi Equi sunt illi tres, qui simul cum quarto, & quartũ sequentes, & persequentes exierunt, iuxta reuelationem Ioann. in Apocal. 6. Vbi legimus, quod ad aperitionem quatuor sigillorum varii aduersus terram sequuti sunt effectus, exeuntibus quatuor Equis, quorum primus albus, secundus rufus, tertius niger, quartus pallidus. In quatuor horum Equorum quaternitate status Ecclesiæ Romanæ in quatuor partibus mundi significabatur tempore conceptionis S. Francisci. Quod ita probo ex morali Doctoris nostri interpretatione.

1 *Et ecce Equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret*. *Equus albus*, ait Doctor, significat boni Pastoris, & Ecclesiæ Prælati corpus. Hic Equus debet esse albus *albedine castitatis*. *Eques* huius Equi est *spiritus*, quem freno abstinentiæ refrenat, calcaribus diuini amoris, & timoris, ad accipiendum brauium vitæ æternæ, debet incitare.

Status Eccl. tempore côceptionis Franc. sub figura quatuor equorũ

Non nocet admisso subdere calcar Equo.

Arcus diuinam naturam significat. Per *lignum*, vetus Testamentum. Per *chordam*, nouum, quod dimittit duritiam legaliũ. Per *sagittam*, intelligentia vulnerantis corda designatur. *Hunc arcum debet bonus Pastor habere in manu, idest in operatione*; de quo Iob 29. *Arcus meus in manu mea instaurabitur*. Hoc fit, cum prædicatio opere adiuuatur. *Corona in capite est pura intentio in mente*, de qua Hierem. Thren. 7. *Cecidit corona capitis nostri, væh nobis, quia peccauimus*. Corona de capite cadit, cum homo puram intentionem amittit, & ideo væh ei. *Exiuit vincens vt vinceret*. Exiuit à mundi cupiditate vincens *carnis luxuriam, vt vinceret Diaboli superbiam*. Ita Interpres de priori Equo albo, sub cuius figura summus, & bonus Pastor Ecclesiæ Alexander III. residens in parte occidentali potest intelligi, vt patebit in sectione sequenti.

Equus albus bonus pastor Ecclesiæ.

Exierat Alexander ceu Equus albus, habens Eques sui spiritus arcum, & cocoronam, & exierat vincens, vt vinceret non solum in seipso eos hostes (per quos bonus Pastor in malum Pastorem côuertitur, atque ex eius capite cadit corona, & dum cadit, væh illi, & Ecclesiæ) verum etiam & in aliis, Cæsari Friderico Aenobarbo Ecclesiæ hosti inhærentibus. Alii tres Equi sequẽtes exierunt & ipsi, haud vt Alexandro propitii, sed vt ipsi cũ eodem Friderico infestissimi. Franciscus tamen tempore Alexandri conceptus in Dominæ Picæ aluo, vt postea esset Picus, & Griphus spiritualiter concipiendus, nascendus, educandusque, hos sequentes tres Equos insectare debebat, tribus suis Ordinibus, tribusque legibus, iuxta ternam Christi allocutionem, è Cruce sibi factam, hisque tribus Equis infestissimus esse. Hi namque Equi dum cuncta mala (quibus tota Christiana Republica in omnibus mundi partibus tunc temporis vexabatur, fidei, & religionis negocia infaustè succedebant, & in dispersionem, & direptionem Christi ouile reperiebantur) præsentabant; ostendebant etiam extremam Reparatoris, ac Reformatoris Ecclesiæ necessitatem, ob quam ordinauit Deus, vt tunc etiam, quando huiusmodi necessitas plus vrgebat, talis Reparator, ac Reformator conciperetur. Verum ne in abstracto loquamur, sequamur

Alexãder 3. equus albus.

In quos equos aduersari debebat Franc.

mur alios tres Equos sub ductu Interpretis nostri.

Equi rufi simbola in mercenario ouiũ Christi

2 *Et exiuit alius Equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra; & vt inuicem interficiant, & datus est ei gladius magnus*. Hic est fur, & latro (subdit Interpres) qui non intrat per ostium in ouile ouium. *Ostium enim est Christus, per quem non intrat, qui quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi*. Ille fur est, & latro, qui sibi ambitione assumit honorem, non vocatus à Deo tamquam Aaron. Qui per simoniam assequitur prælaturam. *Fur est*, qui officium pastoris simonia tanquam nocte furua vsurpãdo inuadit, quia quid alienum est, suum facit. Oues Dei facit suas, quas furatus est Domino. *Latro est, qui sub prætextu sanctitatis latet, prætendit ouem, cum sit Lupus, accipitrem cum sit Struthio, & sic incautos spoliat virtutibus, & occidit in animabus*. Et ideò rectè dicitur Equus rufus.

Quis huius equi sessor, sumens pacẽ de terra.

Sessor huius Equi est spiritus ambitionis, & gloriæ temporalis, quæ sumit pacem de terra, idest mente ipsius furis, & latronis. Spiritus ambitionis nullum iam permittit habere quietem mentis. Est enim tanquam venator, qui sequitur fugientia, discurrit ad quærenda temporalia. Vnde de eo dicit B. Bernardus. *Multiplices præbendas attendis, Archidiaconatum aspiras, ad Episcopatum gradatim ascendis, sed in puncto, & sine gradu ad infernum descendes*. Et iterum dicit: *Circuit sedulus explorator, simulat, & dissimulat, sequitur, & obsequitur, manibus, & pedibus repens, se quo modo ingeret in patrimonium Crucifixi*.

Quis huiusmodi sessoris gladius,

Vel sumit pacem de terra, cum per talem perditionis filium seminat discordiã in Ecclesia. Vnde sequitur. *Et vt inuicem sese interficerent* gladio discordiæ. Fures, & latrones Prælati simoniaci ad inuicem se interficiunt, cum sibi detrahunt, murmurant, & obtrectant. Vnde Isai. 13. *Pilosi saltabunt ibi*. Et iterum. *Pilosus clamabit ibi; alter ad alterum*. Hodie in Ecclesia pilosi, idest simoniaci pecuniosi saltant, & ludunt, & vnus simoniacus accusat alium tota die. Sunt in causis, & curis, clamoribus, vexationibus, & dilaniationibus. Vnde sequitur, *Et datus est illi gladius* magnus, qui est temporalis gloria, cum qua, & pro qua infelices se vulnerant, & occidunt. Hactenus Interpres de alio Equo rufo.

Quotquot hunc Equum rufum sequẽtes, non intrabant per ostium in Christi ouile haud vestigia summi Pastoris Alexandri III. sed hostis ouilis Christi, Imperatoris Federici prim terentes, Fures erant, & latrones, Per huiusce viæ aperitionem intrauerant quoque nonnulli, nonnulli de proximo & ipsi intraturi, sectarum hæreticalium principalium antesignani ad Ecclesiæ occidẽtalis infestationem, magnamque christianitatis perniciem. Nam Valdenses, à Valdone, seu Valdesio, Ciue Lugdunensi, ita dicti, anno 10. Pontificatus Alexandri III. (qui erat annus 18. Imperii Federici primi) & ante conceptionem Francisci annis 11 inceperunt. Valdesius Equus rufus, fur, & latro, impiæque sectæ dux, & prælatus anno 1170. (aliunde intrans, non autem per ostium, in ouile ouium Christi) docere cepit non esse obediendum Pontifici Romano. Potestatem absoluendi à peccatis, & conficiendi Eucharistiam, laicis etiam esse concessam. Indulgentias nihil valere. Non extare Purgatorium. Sanctos non attendere precibus nostris. Festa & ieiunia indicta, non esse seruanda, & alia, de quibus D. Antoninus in summa par. 4. art. 11. c. 7. Vide Claudium Cussordium contra Valdenses apud Bellar. in 2. par. Chronolog.

Secta Valdẽsium, eiusq; errores.

Alii hæresum authores, & successores sub eiusdem Equi rufi simbolo, etsi dogmatibus haud iidem, postea sequuti sunt. Nempe qui instituit sectam Humilium, à Lucio III. damnatam, neque per hoc extinctam, de qua vide Paulum Aemilium. Qui Almaricanam, isque Almaricus Doctor Parisiensis, Patria verò Carnotensis, sub Innocentio III. Qui Albigensium, ita nuncupatorum ab Albiga, siue Albia, Cadurcorum Vrbe, in qua initium habuit, & non solum erroribus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexauit. Hæc etiam secta cum nonnullis aliis sub eodem Innocentio III Nisi fortè Albigensium ante, vt aduertit Bellarminus loco cit. ponens tamen eam post Almericanam prædictã, quam alii incepisse anno 1204. scribunt, Albigensium autem 1200. Itaque secta Valdensium tempore conceptionis naturalis Francisci sub Alexandro III. vigebat. Albigensium, atq; Almaricana tempore conceptionis supranaturalis Francisci sub Innocentio III.

Secta Humiliũ.

Secta Almaricani.

Secta Albigensium.

Illa conceptio ad hanc ab Authore naturæ idcircò ordinata, vt conceptus Franciscus veluti Griphus (auritus ad Dei mandata, montium virtutum, auro scilicet altissima, atque aurea Paupertate abundantium incola, atque terribilis in Equos, aduersus Ecclesiam irruentes) aggresso reparationis opere, cuius initium sub eodem Innocentio, hæreticam prauitatem principaliter profligaret. Orientalia, atque Septentrionalia Regna tunc maximè turbulenta, totumque Orbem

Equis externis, atq. domesticis infestus Fran.

bem Christianum in vitiis, ac sceleribus per omnem sexum, & professionem miserrimè sepultum, exsuscitaret. Nec parceret Equis domesticis, ab ipso vt agnis receptis, quorum caput Elias, Equus rufus. Memor tamen, quod Christi Vicarius Christum negauit, sed facti pœnitens, meruit cum bono Latrone saluus fieri. Id quod ipsi Eliæ, Francisci Vicarii, & postea sibi bis successori contigit in extrema pœnitentia, vt dictum est ad annum 1211.

Equus niger misticus mercenarius est

3. *Et ecce Equus niger, & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua.* Niger dictus quasi *nubiger*, declarat statim Interpres. Quia non sereno, sed fusco opertus est. *Equus niger est Mercenarius, de quo Christus Ioann. 10.* Mercenarius (sequitur) mercede conductus, Prælatum, qui sola temporalium mercede in Ecclesia seruit, significat. De tali dicit Psal. 40. *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Et Ioannis 6. dicit Christus. *Quærite me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.*

Dum satur est venter cantat misere libenter.

Et post nonnulla alia, in quibus probat ex Zachar. 11. Mercenarium non esse Pastorem, neq; idolorum cultorem, sed quod sceleratius est, esse idolum, à Dei furore funditus destruendum, ita concludit. Benè ergo dicitur, *& ecce Equus niger*, idest Mercenarius non sereno gratię, sed fusco culpæ coopertus. *Et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua.* Sessor Equi nigri, idest Mercenarii, *est spiritus negociationis*, cuius calcaribus excitatus, Columbam, idest gratiam Dei, quæ gratis debet dari, tanquam negociator pretio vendit, *& sic domum Dei facit domum negociationis.*

Statera in manu sessoris mercenarii.

Hic habet in manu stateram dolosam, de qua Oseæ 2. *Chanaan in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Chanaan *negociator* interpretatur, & significat Ecclesiæ Mercenarium, qui sæcularibus negociis implicatus, curam non habet de Dei ouibus. Dicit Hieronymus. *Idem est negociatio in Clerico, quod vsura in Laico.* In huius manu est statera dolosa, *quia aliter prædicat, & aliter viuit. Agit aliud, & aliud ostendit. Paupertatem prædicat, cum sit auarus. Castitatem, cum sit luxuriosus. Ieiunium, & abstinentiam, cum sit gulosus, &c.*

Negociatio in clerico cũ statera dolosa.

Eo tempore, quo conceptus Franciscus omnis fermè domus Dei, ab Equo nigro prædicto infestata, domus negociationis, latronumque spelunca facta erat. Quem autem in primogenito suo Francisco Domina Pica concepit masculum, vir negociator esse debebat, habens stateram haud dolosam, sed iustissimam in manu sua. Iustissimam, inquam, in superlatiuo, quia in ipsa temporali, ac sæculari, opulentaque, admodumque locuplete negociatione, factus diuinæ gratiæ filius, ab ipsa Dei gratia talis ipse efficiendus erat, qualis nec ante, nec post fortè similem haberet. *Etenim*, scribit Bonau. cap. 1. *cum post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente præsidio, inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrũ, non sperauit in pecunia, & thesauris.* Magnum hoc quidem, neque fermè antea visum, auditumque prodigium, eo quia ex duobus conflatum, quæ incompossibilia inter se videntur. Quis enim vnquam mortalium posset *intendere inter cupidos mercatores ad lucrum, nec sperare in pecunia, & thesauris?* Non videtur capi posse moraliter, dari in aliquo mercatore cupiditas in lucro sine spe in pecunia, & thesauris. Ab hac enim spe qui inter cupidos mercatores intendit ad lucrũ, quasi necessariò excludi nequit. Verum vbi agitur de Frãcisco sub assistentia diuini præsidii, quidquid de eo fertur, primitiuũ, & prodigiosum penè est. Causa tamen huiusmodi diuini præsidii assistentiæ ita statim explicatur à Bonau. *Inerat namque iuuenis Francisci præcordijs diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleuerat, vt iam Euangelij non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maximè si diuinum allegaret amorem, &c.*

Equus niger quando B. Franc. conceptus infestabat Eccl.

Statera iusta in Franc. mercatore.

Franc. nouũ in mercatura diuinæ gratiæ prodigium.

Ex his Bonauenturæ verbis, & ex aliis potissimum, in sequenti sectione adducẽdis haud obscurè colligimus, quod in ventre matris suæ Picæ piissimæ fœminæ influens author naturæ in masculinum Francisci conceptum, ipsemet vt gratiæ author postquam ex vtero exiuit, & baptizatus est in gratuitum fœtum influxit. Vt trahens secum è maternis, piisq; visceribus esse naturale, secum quoq; haberet esse illud singulare pietatis, quod ab infantia, quæ ab ortu incipit, cũ ipso deinde cresceret. Et proinde tam in mercatura sæculari, quam postea in spirituali vnicus esset, atq; in hac ceu Griphus quoq; appareret, electus à Deo, vt nigro pariter Equo infestissimus effectus, & ille territus, & fugatus, ab eo domum Dei à turpi negociatione liberaret, ac proprio Domino restitueret, scilicet Euangelico *Homini negociatori quærenti bonas margaritas, qui inuenta vna, abijt, & vendit omnia sua, & emit eam.* Vnde animaduertendus ordo rerum,

Esse gratuitũ Franc. sub peculiari diuinæ gratiæ influentia.

rerum, quæ ante quintam Christi, negociatoris Euangelici, de nundinis Crucis ad Franciscum mercatorem allocutionē contingerunt. In cap.1.ponit Bonauent. id, quod sentiebat se lucratum fuisse Franciscus, incipiens ex cogitare mercaturam spiritualem post secundam Domini sui allocutionem, quam nocte Spoleti habuit. Cum autem, inquit, ex frequenti oratione vsu flamma desiderii cęlestis in eo vehementer succresceret, & iam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil, *thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negociator Margaritam inuentam excogitabat, venditis omnibus, comparare.* Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat. Nisi quia ipsius suggerebat spiritui, *quod spiritualis mercatio à mundi contemptu sumeret initium, Christique militia sit à sui ipsius victoria inchoanda, &c.*

Quo tēpore Franc. mercaturam spiritualem excogitare inceperit.

In his vltimis verbis duo simul iuncta demonstrat Bonau.in Francisco peculiarissima circa opus triformis reparationis Ecclesiæ per trium Ordinum institutionem, legumque lationem. Primū, quod excellenter, ac nouiter mercaturam spiritualem, qua comparare posset inuentam Margaritam, vt negociatori Christo redimenti genus humanum ipse in eiusdem Reparatoris officio assimilaretur, exercere debebat, tribuens ei initium à mundi contemptu. Ob id enim diuini præsidii assistentia specialis fermè è visceribus Matris suæ curam illius egit, excellentem, ac nouum in mercatura temporali ad parentum, & mundi satisfactionem eum efficiens, & ab omni læthali crimine liberans. Hanc spiritualē, Euangelicamque mercaturam exercuisse deinde Franciscū toto tempore vitæ suæ, scribit Bonau. cap.6. Secundum, quod in Francisco vt peculiarissimum ostendit Bonau.indicat officium militare, ac per consequens *& vt Mercatorem, & vt Militem* supponit Franciscum in opere Reparationis. *Vt Mercatorem* in mundi conceptum per emptionem, seu reparationē vnicæ Margaritæ Ecclesiæ Romanæ, quā mundus ipse, valde tunc à cunctis vniuersaliter dilectus, in vile pretium reduxerat. *Vt Militem,* eò amplius terribilem in victoriam sui, ac Satanæ, atq; in omnimodam Equi nigri infestationem, quò formam Griphi præseferret, sicque duplici modo robur malæ negociationis eneruaret, sacrilega mercimonia persequens, ac destruens.

Mercatura, & militia spiritualis in Franc. duæ res prorsus nouæ.

Quomodo Franc. Margaritā Eccl. Rom. compararit.

Statim post inceptum vtrumq; à Francisco officium, eumque post quartam allocutionem amplexum, licet adhuc in sæculari vita, remotus tamen à mercaturę negociis, recepit triplex mandatū à Christo de Cruce in quinta allocutione, pręcipiēs ei, vt iret, & vt repararet Domū suā penè lapsam. *Vade Francisce, &c.* Hoc est, vade & vt Mercator, & vt Miles; vt Mercator, quia sicut ipse vt Mercator contemnens mundum, redemi mundum; ita & tu vt Mercator in contemptū mundi debes Ecclesiam meam reparare. Vt Miles, ita terrificus sicut Griphus, quia militia Diaboli per Equum nigrum innumeris mercenariis ouile meum dissipat, ac dispergit. Vade etiam vtroque modo contra Equum pallidum, illum Equum nigrum sequentem, qui cū Equo rufo antecedenti complet numerum tertium. Nam hi simul tres Equi (pro quibus destruendis ter tibi Domus meæ reparationem, à tribus Ordinibus, ac legibus tuis virtute mea exequendam præcipio) tres hostes sunt in animarum, quas sanguine meo redemi, perniciem, & interitum. Vade aduersus hosce tres Equos, & dum Griphi cælestis similitudinem geris, explica etiam ad terrorem ipsorum aliam stateram ab ea, quam sessor Equi nigri habebit in manu, & cum Equi rufi magno sessoris gladio, & cum tertii Equi pallidi sessore vnum conficiet veluti impietatis mixtum, quod vndique totum statera dolosa erit, & vndique totum ab alia statera tua, illi ex diametro aduersa destruendum est. Statera tua illa erit, de qua Moyses seruus meus, & Legislator populi mei in cap.19.Leuit. *Aequa sint pōdera, iustus modius, æquusque sextarius.* De hac statera, stateræ dolosæ eam opponens, locuturus est Episc. tuus, & pugil meus Antonius de Lisbona, veluti si personam tuam describeret, illis verbis. Statera dicta, quæ ex duabus lancibus, & vno medio stilo librata pendet. Duæ lances sunt mundi contemptus, & desiderium cælestis regni. Stilus in medio est amor Dei, & proximi. *Hæc est statera æqualiter ponderans, vnicuique ius suum tribuens, mundo contemptum, Deo obsequium, proximo affectum.* His tribus, Francisce, fugabis ab Ecclesia mea tres Equos prædictos, ad solum vnius stateræ tuæ conspectum terrefactos.

Mercatoris, & militis euangelici officiū quando assumpserit.

Aduersus tres Equos missus Frāc.

Statera mistica quæ.

4 *Et ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum. Data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ.* Vbi Interpres, loquens iuxta historiam tum naturalem, tum parabolicam apud Euangelium Ioānis de Lupo rapiente, ac dispergente oues siue veras, siue misticas, quæ sunt in

Equus pallidus pro Diabolo, & huius mundi tyranno.

ouile Christi, ob fugam Mercenarii, in eodem Lupo intelligit duo, scilicet Diabolum, & huius mundi Tyrannum; & de vtroque sic statim sequitur. *Hic est Equus quartus*, de quo Apocal. *Et ecce Equus pallidus, &c.* Sicut miles, ait, per Equum sternit hostem, sic Diabolus, *cui nomen est mors*, quia per eum *mors intrauit in Orbem terrarum*, per huius sæculi Tyrannũ diruit, & conturbat Christi Ecclesiam; quem *Mercenarius cum viderit venientem, dimittit oues, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit oues*. Iste dimittit, & ille rapit. Diabolus tanquam Lupus quicquid præsserit pede superbiæ, occidit. Vnde Dauid Psalm. 35. huiusmodi pede præmi timens orabat. *Non mihi veniat pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Sicut enim omnia membra pedi innituntur, sic omnia vitia superbiæ, *quia ipsa est initium omnis peccati*. Et paulò infra declarans sub illa similitudine de Lupo, duo naturaliter multumque pertimescente, videlicet ignem, & viam tritam, addit hæc alia.

Pes Diaboli superbia, qua quos præmit, occidit.

Diabolus super omnia duo specialiter timet, ignem scilicet Charitatis, & viam tritã Humilitatis. Si hæc duo Mercenarius haberet, non vtique fugeret; *sed ideo fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Diabolus, & mercenarius quadam amicitia, & pactione coniuncti sũt, vt patet in Rege Sodomorum, dicente ad Abraham Gen. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, scilicet lanam, & temporalia. Benè ergo dicitur (concludit Interpres) *ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum*, idest insatiabiles terrenis cum imitantur. *Et data est illi potestas super quatuor partes terræ*, idest super omnes malos vbique morantes, *interficere gladio* malæ persuasionis, *fame* diuini verbi. *Morte* mortalitatis, vel mortalis peccati. *Et bestiis terræ*, idest primis motibus carnis miseræ, &c.

Quid sessor equi pallidi mistice

Quæ superius sub figuris Equi rufi, & Equi nigri declararat Interpres, iis addidit statim quæ sub simbolo Equi pallidi explicauit, veluti ad totum complementum illarum rerum, quæ à tempore Alexandri III. per Federicum I. Imperatorẽ vsque ad sua tempora sub Pontificibus Celestino III. Innocẽtio III. Honorio III. & Gregorio IX. per Imperatores Henricum IV. Philippum, Othonem IV. Fridericum II, vexauerant, & adhuc vexabant in omni Christiano Orbe Ecclesiã Rom. Anno Christi 1225. Antonius Patauinus (ait Vadingus in argumento eiusdem anni) miro cum fructu per Italiam, & Galliam prædicabat, miraculis operes, & sermone hæreticos confundebat; aduerso vento denuò pulsus in Siciliam, ibi plura extruxit Monasteria, &c. Conceptus, & ortus Antonii Interpretis nostri sub Cælestino III. Natus est enim anno ætatis S. Francisci 14. Christi verò 1195. qui erat annus quartus Cælestini III. Vix transacta in eius paterna domo pueritia, Ordinem Clericorum Regularium Diui Augustini ingressus est, nimirum anno ætatis suæ 15. qui erat limen adolescentiæ suæ, natiuitatis verò Christi an. 1210 Ordinis Minorum 2. Confirmationis primæ Regulæ 1. Pontificatus Innocent. III. 11. Reparationis Ecclesiæ Romanæ per B. Franciscum primus, & primus etiam Imperii Othonis IV.

Sinopsis historica de Antonio de Padua.

Annis 15. mansit in paterna domo

Annis 11. fuit Cleric. Regular. D. August.

Post annos 11. in prædicto Clericorum Regularium Ordine factus est Frater Minor in Ciuitate Conimbricensi apud Lusitanos anno ætatis suæ 26. Christi 1220. Pontificatus Innocentii III. 2. Imperii vero Henrici VI. 9. quo tempore, à tempestate dum Matrochium iter intenderet, in Italiã ad Siculos ductus, floruit deinde doctrina, & prædicatione, viuente adhuc S. Francisco sub Honorio III. anno prædicto 1225. qui erat annus Imperii Federici II. 13. Obiit demum sub Greg. IX. & prædicto Imperatore Federico II. anno Christi 1231. ætatis suæ 36. Itaque Antonius Lusitanus de Lisbona, nunc de Padua, brachium dextrum Francisci in opere Reparationis Ecclesiæ Romanæ, Magister, & Interpres noster, à sua conceptione vsque ad mortem quatuor Romanos Pontifices habuit in tota sua vita, scilicet Cælestinum III Innocentium III. Honorium III. & Gregorium IX. Imperium etiam Occidentis tot habuit Imperatores, nimirum Henricum VI. Philippum. Othonem IV. Federicũ II. In mistica ergo descriptione Equi pallidi, cuius Eques Mors, sequens alios duos Equos rufum, & nigrum, habensque potestatem super omnes quatuor partes terræ in destructionem Ecclesiæ, aliam facit personã Diaboli sub metaphora Lupi, & aliam personam Tyranni huius sæculi, *per quem ipse Diabolus*, inquit, *diruit, & conturbat Christi Ecclesiam, quem Mercenarius cum viderit venientem, dimittit oues, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit oues.*

Ann. æt. suæ 26. factus fr. Minor.

Anno 1225. floruit doctrina, & prodigiis.

Anno 1231. obiit.

In tota eius vita 4. Pont. & 4. Impp.

Hoc nomen *Tyrannus* in bonam partẽ apud veteres dicebatur pro Rege, seu Monarcha, qui plenam habebat in subditos potestatem. Ab initio enim, Trogo teste, omnium Ciuitatum, Regionũq; imperium penès Reges fuit, quos ad huiusmodi fastigium Maiestatis, nõ ambitio

Nomen Tyrannus olim in bonã partem dictum.

bitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Qui etiam Tyranni ob fortitudinem vocabantur. Virg. 7. Aeneid.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse Tyranni.

Deinde vero semper in malam.

Postea Tyranni nomen ad illos solum restrictum est, qui per insolentiam Imperii viribus abutebantur, & vi quadam animi libidine dominabantur, non iure, & legibus æquis. Cicero 2. offic. *Huius tyranni, quem armis oppressa pertulit Ciuitas*. Ouid. 1. Metam. *Et in hospita tecta Tyranni.* Inter ipsos ergo idolatras antiquissimos, vbi olim in bonam partem Tyranni nomen sumebatur, cepit & in malam quoque deinde accipi. At Deus à principio Ecclesiæ suæ, quæ in Adamo cum ipso mundo incepit, durauitque in veteri Testamento per quinque ætates, anno fermè 5000. & 200. expletas, iuxta supputationẽ quam vtraque amplectitur Ecclesia ex Eusebio, nullo modo permisit, vt istud nomen Tyrannus in populo suo audiretur. Nam in priori ætate vsque ad diluuium Dei populus habuit suos in Principes, & Rectores in temporalibus, & spiritualibus Patriarchas. deinde à Diluuio vsque ad Isaac habuit etiã Patriarchas. Moxque ab Isaac vsque ad Samuelem habuit in rebus politicis Iudices, in sacris verò summos Sacerdotes, seu Pontifices. Sed à Samuele vsque ad Salomonem, post cuius obitum scissum fuit regnum, & ex vno facta sunt duo, scilicet regnum Iuda, & regnum Israel, habuit Reges, qui durantes vsque captiuitatem, hacq; soluta post annos 70. initium sumpserunt Duces Iudæorum, à Zorobabel vsque ad Ioannem Hircanum alterum. Postea denuò Reges Iudæorum (deficiẽte Israel Regno) ab Aristobolo vsque ad Agrippam iuniorem, sub quo Regnum Iudæorum defecit. Pari modo in populo Christiano Tyranni nomen eliminatũ, quantum ad legitimam, canonicamque dominandi potestatem. Ex quo enim regi cepit à suis Principibus, hi spirituali-ter fuerunt Christi Vicarii, in temporalibus verò Imperatores Romani.

In Dei populo nomẽ tyrannus vnquã auditus.

Ex gẽte Hohestauffia Sueua quinque Imperatores.

Qui tamen vt plurimum ante, & post Constantini Magni conuersionẽ, & mortem tyrannicè vexauerunt Ecclesiam, quamuis plures ipsorum legitimè in imperium assumpti. Tempore postea conceptionis Francisci, & deinceps vsque ad tempora Antonii de Padua Lupus, & Diabolus, & sæculi huius Tyrannus, qui erat Fridericus II. totam fermè præteritorum Cæsarum tyrãnidem experta est Ecclesia. Quam pariter sustinuerat sub Federico I. secundi auo, & successoribus in eodem Equi pallidi simbolo describit Interpres. Ex gente Sueua Hohestauffia quinque Imperatores Romani emerserunt. Conradus III. Federicus I. Aenobarbus. Henricus V. Alii VI. Philippus, Federicus II. fuit Conradus III. patruus Federici I. Federicus I. genuit Henricum VI. & Philippum. Henricus autem genuit Federicum II. Itaque hic Federicus II. auum habuit Federicum I. qui nepoti suo sibi cognomini cum sanguine, & dignitate communicauit & mores, aduersus Ecclesiam Romanam efferos. Hos nutriens talis nepos, studuit in tyrannide, & crudelitate non solum vincere Auum, verum etiam omnem Ethnicum Imperatorẽ in se solo exsuscitare impietatẽ, imò & in ipsa ipse solus maior omniũ videri. Successit Othoni IV. Duci Saxoniæ, in odiũ Philippi patrui sui electo.

Omnes Cęsares ex diris vicit crudelitate Feder. 2.

Extorquebant Ecclesiæ Romanæ viscera Apostatæ à fide per hæreses, de quibus supra, & post quas aliæ multæ paulò post sub Innocentio III. tum in Occidente, tum in Oriente exortæ sunt, vt apud Vading. in Appar. §. 1. num. 6. Ita vt vndequaque sedens Mors, idest Diabolus super Equum pallidum, ex innumeris mercenariis, imò furibus, & latronibus conflatum, sequensque duos alios Equos, rufum scilicet, & nigrum, & ipse ab Inferno sequutus, suos conuocasse ministros videretur. Et omnem exercuisse contra Sanctam Ecclesiam potestatem, vt immaculatam à Christo, & Apostolis receptam commacularet veritatem, vel ad mundi finem duraturam, sacram omninò tolleret doctrinam. Nec viscerum Sanctæ Matris Ecclesiæ extorsio haud modica erat, nec minor, dum ipsos, quos genuerat, & supremo coronauerat diademate sub trium Equorum prædictorum vexillo, diros, & diuturnos haberet persecutores. Quid dicam de Federico I. adeò Alexandro III. iniustè aduerso, vt pium, ac sanctum illum Christi Vicariũ ad Francos fugere compulerit, & quatuor Antipapas, Victorem, Paschalem, Calistum, Innocentium horum nominum Tertios, in eius odium sacrilegè crearit? *Horum seditionibus*, inquit Bergomensis lib. 12. suppl. ad ann. 1153. *Ecclesia Romana ferè subuersa est*. Cuius ditionem pulso Alexandro, Federicus occupauit, & Pontificem verbis, scriptis, & armis, cunctosq; vt habet Chron. Hirsaugiense, cum illo sentientes persequutus est. Sed tandem morte deletis Pseudopontificibus milliti mercenariorum, ac latronum, qui non introierant per ostium, sed aliunde in

Ex.orquebant tempore Francisci Ecclesiæ viscera hæreses.

Extorquebant & Cęsares.

ouil:

Cæsarũ christianorũ nõ nullorũ tirannis.

ouile Christi effectoribus, illisque præfectibus, Venetorum opera ad Pontificis Henrici VI. Feder. I. filius, & successor, à Calisto III. coronatus, crudelis tyrannus & ipse placuit videri in pluribus, ab eo impiè patratis facinoribus, ne parenti degener videretur. Vide Baronium ann. 1194. Chron. Fossæ nouæ. Arnold. Lubecen. lib. 1. cap. 2. & alios. Otho IV. Saxo, quem coronauit Innoc. III. anno 1209, cui iuramentum præstitit, huius statim oblitus, terras inuasit Ecclesiæ, quæ solemniter promisit defendere. Quamobrẽ ab eodem, à quo coronatus, priuatus est imperiali diademate in publico Concilio. Pronunciauit in eum anathema Pontificis iussu Sigifridus, Archiepiscopus Moguntinus; sed non impunè. Omnem enim eius ditionem deuastauit. Ecclesias, & Monasteria suis bonis spoliauit, & huius generis multa fecit, quæ nõ Christiani Principis, sed barbari tyranni facta videbantur.

Equus pallidus in solo Feder. 2. terribilior.

Sed ecce Equus pallidus terribilior, & monstruosior, de quo Interpres explicans inmania Federici II. gesta. Is siquidem Cæsar, Othonis IV. successit eiusque seuerior, ac maior totius suæ tyrannidis pars in Ezelino Paduæ tyranno, illius insignior ministro, ac magis dilecto, quem Interpres noster sua prædicatione potẽtissima humiliauit, licet haud pro semper emendare potuerit, nec ipsum, nec Cæsarem in ipso formidans. Omnes *prædecessores vicit proinde nequitia*. Oblitus enim enim tot beneficiorum, à Pontifice Romano acceptorum, sub cuius tutela enutritus est, infestus fuit, & molestus armis, & scriptis tribus Innocentii successoribus, Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. à quibus successione, & sacris interdictus, & Imperio deiectus per sententiam fuit. Funestæ eius impietates rei christianæ erant opprobrio, & talia eius crimina, vt Cæsaris, & Christiani nomine indignus censeretur. Fauit Saracenis, spoliauit Templa, persecutus est Ecclesiasticos, & Ecclesiasticorum Caput, Cardinales in vincula coniecit, factionem Gibellinorum, & Guelforum maximarum discordiarũ semina ad Italiæ exitium adinuenit, vel adauxit, & quidquid mali suus genius suggerebat, sua magna potentia exercebat *multis annis semper malus, semper potens*.

In Gallia, Hispania, Vngaria.

Inspice mox nondum supergressus Occidentis limitibus eundem *Equum pallidum*, per Galliam, & Angliam, & Hispaniam, & Hungariam funestè excurrentẽ. Philippus Galliæ, & Ioannes Angliæ Reges mutuis se petebant armis. Nec his pacatiores Sanctius Nauarræ, Alphonsus Castellæ, alius iam Alphonsus Legionis Dynasta, qui alternà inuadentes dominia, plura depopulabantur oppida, & subditos dilapidabant. Emericum Vngariæ Regem suus frater Andreas hostili petebat exercitu, multoque moliebatur astu à solio deturbare. Mariana lib. 11, Bonf. decad. 2. lib. 7. Nihil vsquam sonabat, nisi bellum, nulli pax, nusquã quies, vndique armorum strepitus, & iacientia absque anima corpora.

Equus pallidus liberè Orientem percurrens.

Inspice demum aliunde sine loris, sine habenis per Orientis imperiũ liberè tunc excurrere Equum pallidum prædictum, sequentẽ, terentẽq; duorum Equorũ, rufi, & nigri semitam. Ibi enim reperies nihil minus Pontifices in angustias redactos ob iniquas quorundam cedes, & iniustas in Imperio successiones, ob multas Imperatorum impietates; vel vt sceptrum obtinerent, vel obtentũ retinerent. Nulla fides, nulla fiducia inter ipsos cõsanguineos, insidiantibus sibi inuicem, vt cum vita eriperent & Regnum. Contra hos non semel fulminarunt Pontifices anathemata, nec tamen profecerunt, donec Imperium ad Latinos deflexit. Pulsi tamen ante ann. 1187. Latini Hierosolymis, mortuo Balduino iuniore, prophanatis, & destructis à Saracenis sacris ædibus, & occisis innumeris Christianis. Vide Platinam in vita Innoc. III. Rogerium in an. apud Vading. cit.

Mors sedens super eũ sacrilegè depopulat cuncta.

Tanta autem pernicies per totũ fermè illius tempestatis Orbem, ab hoc Equo pallido excitata per armorum, ac bellorum tyrannidem; tolerabilior equidem fuisset, nisi ex consequenti aliam peiorem inferret virtutibus perniciem, per quam principaliter Christi Domus collabens reperiebatur. Expulsi vndique (tumultuosi motus communis hæc sequela) boni mores, & corrupti subintroducti Reges, omnem sibi assumebant licentiam, voluntate pro iure abutentes. Nihil sibi interdictum putãtes, quod infrœnis suadebant appetitus. Anglus Ioannes (teste Guagnino) Ecclesiasticos prouentus sex annorum sibi vsurpauerat. Episcopos Angliæ trusit, propterea ab Innocentio III. diris deuotus. Gallus Philippus etiam in Clerum sæuit, pulsis à suis Sedibus Pontificibus, quorum assensu eum Legatus Pontificius sacris interdixit propter dimissam Ingebergam vxorem. Multi ex Hispanis proprio non contenti, aliorum inuadebant thorum, & suum adulteriis, illicitis consanguinearum matrimoniis, absque Pontificum relaxatione maculabant. Clericorum viluit status. Regularium

Pernicies virtutum, & morum quæsita.

Tirannis in bona, ac libertatẽ Ecclesiasticam.

rium

Vita clericalis, monastica, & regularis in interitum.

rium euanuit disciplina. Monasticæ conuersationis feruor in cunctis fermè locis tepuit. Et vt verbis vtar Bergom.lib.13. suppl.ad annum 1217. Increbuit tanta Clericorum, & improborum virorum licentia, vt nulla religionis facies in Ecclesia Dei cognosceretur. Dixisses, tunc omnes non modo laicos Christianos, sed etiam Clericos, & Monachos in Italia aut inquilinos fuisse, aut extrema omniū nationum fęce eò commigrasse.

Vsura,& dolus tunc maximè regnauit, & in Iudæorum, qui tunc maximè in Gallia has impunes exercebant artes, deuenerunt potestatem sacra vasa ministerialia Templorum, quæ in sordidos vsus admouebant, & reliquum quidquid sacrosanctum erat, in prophanum vendebatur, vel oppignorabatur vsum, vt nō immeritò querula voce vsurparent Christiani illud Dauidicum, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*, Psal.78. Non solum in Dei supellectilem, verum etiam in ipsius corpus suam explere rabiem minis, facinoribus hi appetebant. Perfidæ huic genti consuetudo erat, surreptū quotannis aliquē infantem christianum in locū apud se subterraneum ducere, atq; illum diu pœnis affectum, tandem die Veneris Sanctæ Cruci affigere, contemnentes hoc suo immani facinore Christi mortem, & Christianorum religionem ludibrio habentes; sed Philippum Regem meritum tandem senserunt vltorem.

Iudæorum execrabilissima crimina.

Miserè tunc ingemiscebat mundus

Sub his, atque aliis similibus facinoribus, enormibusque peccatis miserè ingemiscebat mundus,& alias deformabatur facies Ecclesiæ, calcibus Equorum rufi, & nigri, & pallidi conculcata, atque ad instar stabuli, fimo, atque stercore pleni redacta. *Bene ergo* tunc temporis dictum, *ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, &c. vt supra.* Sed ecce etiam aliunde Franciscus conceptus illa tempestate, vt esset Griphus (haud in vultu per nasum gripheum, seu Aquilinum, quod est optimi, atque regalis augurii index, signumque, sed per virilem, masculamque gratiæ Dei virtutem) vt incedens per tritam, nouamque humilitatis viam, igne Seraphicæ charitatis accensus, quæ duo maximè diabolicus Lupus expauescit, infestissimus esset huic Equo pallido,& aliis duobus, antecedētibus illum. Ad quod grande, atque inexcogitatum opus statim se accinxit, vt accepit per triplicem iussionem mandatum à Crucifixo, illis verbis ter replicatis, *Vade Francisce, & repara domum meā, quæ vt cernis tota destruitur.* Etenim quamuis addat textus Seraphicus, *Tremefactus Franciscus, cum esset in Ecclesia solus, stupens ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens diuini virtutē eloquij, mentis alienatur excessu:* Addit tamen mox. *In se tandem reuersus, ad obediendum se parat, & totum se recolligit ad perficiendum mādatum de materiali Ecclesia reparanda. Licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisiuit. Sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, & ipse postmodum Fratribus reuelauit.* Nec solum vnam, sed alteram & alteram Ecclesiam, scilicet S. Petri Apostoli, & B. Virg. de Portiuncula reparauit; quia ter dixerat ei Christus, *Francisce vade, & repara*, respiciens ad tres Ordines, ab eo instituendos, & per quos ipse triplex, triformisq; Reparator Ecclesiæ efficiendus erat, vt aduertit Bonau.cap.2 cit.

Eum commiserans Deus ordinauit Franc. conceptionem.

Se accinxit statim Franc. ad opus reparationis.

Circa effigiem Francisci, veluti Griphi mistici hic propositi, diximus iam lib.3. tract.2. sect.1. aduersus hæreticorum Tygurinorum, Chronicon Matthæi Patis in pluribus corrumpentium, imposturā. Quærebat Asinas Patris sui Saul, vbi ad instantiam populi Hebræorum designauit illum Deus in Regem Israel. Eminebat hic nouus Rex statura,& physiognomia in cunctis de populo, vt habet lib.1. Reg c.10. *Stetitq; in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursū. Et ait Samuel ad omnem populū. Certè videtis quē elegit Dominus, quoniā non sit similis illi in omni populo*, Quale autē fuerit Saul regimen, quales mores, qualis finis, iā instāter expostulatus, vt regnaret, restauraretque Dei populum, ab hostibus vndique infestatum, omnes sciunt. At in electione Regis Dauid, haud à populo expostulati, sed à Deo immediatè præostensi electio aliter contigit, etsi phisiognomia longè diuersa ab illa prædecessoris sui Saul. Et quamuis dicat textus sacer, quod Dauid Pastor ouium minimus inter filios Isai *esset rufus, & pulcher aspectu, decoraque faciei*, nihilominus eodem cap. 16. dixerat Dominus Samueli, loquens de Eliab, *Ne respiciam vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Vide etiam infra cap. 5. lib. sequent.

Deus quos ex se ad magna facinora elegit nō faciem intuetur, sed cor.

Illud cor intuitus est in Francisco Christus, non autem effigiem, ac phisiognomiam, vt veluti terrificus griphus infestissimus esset Equis prædictis in reparatione domus suæ. Vnde haud mirum, si aliquando apparens B. Leoni Confessario suo post mortem, alas, & pedes Aquilæ, quibus participat Griphus, habere

bere monstrauerit. Alas ad volandum in suorum tutelam, quibus antea volauerat in Dei Ecclesia reparanda. Pedes ad defendendos suos, quibus prius totam Rempublicam Christianā, ab Equis prædictis infestatam, defenderat. Remanent nonnulla alia ad laudem Dominæ Picæ Matris Francisci; sed modo solū sufficiet, tantum concepisse Picum masculum, virumq; Griphum, Equis prædictis maximè infestū. Illa verò in 2. sect. adducemus.

CAPVT III.

Corpusculi Francisci, ànima rationali informati Conceptio sub Alexandro III. Bandinelli, & Imperatore Federico I. Aenobarbo, & quoad Deum, & quoad Christi Vicarios, & quoad ipsum Franciscum, in auspicatissimum totius Christianæ Reipublicæ præsagium felicissimè contigit.

FEcisti homines sicut pisces maris, &c. Abacuc cap. 1. Hanc scripturam affert Interpres præallegatus, loquens de conceptione fœtus tam naturalis, quam spiritualis in vtero Matris suæ. Legitur quoque apud Tobiam cap. 6. quod dixerit Angelus Raphael Tobiæ eius filio ad ripam Euphratis, vbi ipsum, suos lauantē pedes inuaserat piscis. *Extentera piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi. Sunt enim necessaria ad medicamenta.* Moraliter, subdit Interpres Dom. 15. post Trinitatē. *Piscis est Christus*, qui dixit Petro Matth. 17. *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, &c.* Et post pauca, hanc secundam scripturam explicantia, sequitur principalem explicationem super textum Tobiæ, quæ valdè faciunt ad rem præsentem. Hunc ergo piscem, inquit, exentera, idest vitam ipsius Christi considera, & inuenies cor, fel, iecur. Corde sapimus. Felle irascimur. Iecore amamus. In corde sapientia. In felle amaritudo. In iecore Christi amor.

Christus misticè piscis ad ripam Euphratis a Tobia exenterati.

Sapore sapientiæ, quæ attigit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter condi insipiditatem tuam. Amaritudinem passionis commisce dulcedini tuæ; ipsius amorem superpone omni amori, qui sine ipsius amore, non amor, sed dolor dicendus est. Hęc sunt medicamenta, animæ tuæ vtilia, quæ si tibi reposueris, non Diaboli, sed Dei non carnis, sed spiritus, non Mundi, sed Cæli seruus eris.

Quid huiusmodi piscis cor, fel, iecur.

1 *Sapientia Christi* frangit dominium Diaboli. Vnde Iob 26. *Prudentia ipsius percussit superbum*. Prudentia, non virtute percussus est antiquus hostis, quia dum audacter inuasit Christum, in quo nihil competebat sibi iure, hominem, quem quasi iustè tenebat, amisit.

2 *Ipsius amaritudo* Passionis subiicit appetitum carnis. Vnde memoria Crucifixi vitia crucifigit.

3 *Item ipsius amoris* theriaca diuitiarum venenum expellit. Vnde Tobias ibidem. *Fumus eius*, idest deuotio amoris eius extricat omne genus Dæmoniorum, idest diuitiarum, quæ homines tamquam Dæmones decerpunt, & affligunt. Omnes istius Mundi diuites sunt quasi Dæmoniaci, huc, atque illuc discurrentes, non vero, sed falso Domino seruientes, &c. Concorda nunc, mi Lector, si placet, quæ dicit Interpres de Christo humani generis Redemptore sub figura piscis (cum illius, quem exenterauit Tobias, tū illius, quem ex Christi mandato cepit Petrus) cum sequentibus, quæ sub figura Tobiæ per anthonomasiam Francisco, Ecclesiæ Reparatori conueniunt. Nam sic inuenies Franciscum hunc, quem concepit Domina Pica, Christo pisci, cuius cor, fel, & iecur pro se vir sanctus antea sumpserat, adeo similem, vt in his tribus, in quibus se totum transformauit, piscis quoque euaserit. Ab ipso namque Reparatore, vti à Christo Redemptore totum genus humanum, tota quoque Christiana Republica sumere potuit sapientiam Christi, vt à iugo Diaboli, qui in Francisco ius nullum lęthalis culpæ habebat, se liberaret. Amaritudinem Passionis Christi, qua penitus carens, vndique appetitui carni subiecta erat. Amoris Christi theriacam contra diuitiarum venenum, &c.

Diuites huius mūdi vt Dæmoniaci.

Franc. piscis Christo simillimus.

Prædecessor Lucii III. fuit Alexander III. Patria Senensis, inclytusque illius Vrbis sanguine, & probitate patritius, & splendor, ex antiqua & nobili stirpe Bandinella. In hac dum spectat hodie Vrbs tota piissimum Virum Volumnium Bandinellum, spectat etiam, nec vanè, quod ex illa, quam ità dignè indutus est purpura, haud impar charitatis flamma semel erumpet in postero, capite Orbis ex cardine effecto, quæ erupit iam in consanguineo antecessore, non qeæ sua, & quæ suorum sunt quærente, sed quæ Iesu Christi, ac propterea conceptionis Francisci promerito, qui

Stirps Alexandri Tertii Senensis.

expulit

expulerit à Petri ouile Lupos (*Lupi enim ignem maximè timent*, teste Interprete nostro) terruitque Ecclesiæ tyrannos.

Conceptus Franc. ad finem regiminis Alex. 3. Promotio Alexandri Tertii ad summũ Pontificatus apicem contigit anno Domini 1160. qui erat octauus Federici I. Imperatoris. Quando verò conceptus fuit S. Franciscus anno illo 1181. regimẽ Alexandri, quod durauit an. 22. adeò ad suum postremum finẽ peruenerat, vt nõnisi menses septem illi remanserint. Signum vocale, quod de more Alexander assumpserat, ita ipsemet per montes, & campestria oues suas custodiens, nec vnquã eas derelinquens, cũ Psalte pronunciabat. *Vias tuas Domine demonstra mihi*. Signum vocale Alexandri. Quas vias meruit quidem tam pius, magnanimusque Alexander sibi à Domino suo; cuius Vicariam vt bonus Pastor gerebat in terris potestatem, demonstrari in immani Federici Aenobarbi persecutione, ob quam dum aufugit Franciæ, illius consiliorum peruersorum molem fregit, vt patuit ex maiori illa tumulentia, ac rabie, quam fractio illa veluti ab orci faucibus foris emisit.

Tam effero Romanæ Ecclesiæ Cæsari tam magnum plus re, quam nomine Alexandrum ordinauit Deus. Si Cæsar non amicus, sed hostis, non filius, sed tyrannus Alexandri in Ecclesiasticæ libertatis, & fidei Romanæ perniciem, Alexander è regione Pastor, & Pater erga Cæsarẽ, cũ ad pedum oscula, & ad brachiorum amplexus expectans. Verè Alexander in Federicum I. Cæsarem. Vt sic relinquens quæ hostis, & quæ tyranni, quæ amici, & quæ filii sunt iura repeteret, prout tandem repetiit; nam dum quadruplici schismate Cæsar ille fortis armis *impegit in fortem animo, ambo pariter ceciderunt*, alter vt prodigus errabundus ad pedes illius, alter vt genitor peramandus ad collum istius, cernens hoc mirum Vrbs Veneta spectaculum. Paucis rem tangit Ciacconius in obitu Alexandri illis verbis. *Vir acer in primis, & in suscepta Ecclesia defensione constans, inimicitijs Federici, quas non tam moderatè exercuit, quam fortiter superauit, virtutis, memoriaeque insignitus*.

Tam magnus, imò ter maximus inter Ecclesiasticos Monarchas Alexander dignum quidem se reddidit, vt Seraphici Alexãdri, se vniuersum Orbem orthodoxum summè regente, merueret cõceptionem, prout ex inter vtrumque haud leui conuenientia videri potest. Congruit vt Franc. sub Alex. 3. conciperetur. Qualis namque se gerebat Alexander Princeps Apostolicus pro tuenda vniuersa Ecclesia aduersus Cæsaris Federici impietatem; talis postea se gerere debebat pro reparanda eadem Ecclesia (cuius vnitatem, sine qua fides claudicat, funditus destruere tot Antipapis Imperator Federicus satagebat) Alexander Franciscus. Quippe ob id profectò conceptus sub tali, ac tanto Alexando, vt animo, soliditate, ac zelo Apostolico in omnem Diaboli tyrannidem, quam Principum, Magnatumque tyrannis magis ac magis fauebat, fouebat, augebatque, simillimus esset. Atque ita magnanimiter in eo officio, ac munere, ad quod eius conceptio dirigebatur, supra hominem primus, solusque inter Sanctos post Apostolos in Satanæ hostilitatẽ ipse appareret, quemadmodum inter Romanos Pontif. primus, ac solus à principio in Federicum, per quem Satan Christi oues rapiebat, dispergebatq; experiebatur Alexander. Analogia B. Franc. cũ Alexandro in zelo apostolico. Futurus etiam sub regulari vita Franciscus *Vir acer in primis* in seipsum, in Mundum, carnem, & Diabolum; *& in suscepta* iuxta Christi mandatum terna Romanæ Ecclesiæ (assumpto etiam ab ipso eodem simbolo, *Vias tuas, Domine demonstra mihi) reparatione constans. Inimicitijs* signiferorũ, præcursorumque Antichristi, aduersus quem mittebatur, *quas non tam moderatè exercere deberet, quam fortiter superare virtutis, memoriaeque insignis*. Itaque vix conceptus Franciscus, vt esset Christo, & Vicariis Christi vnicè, ac summè proficuus, mirabili quadam cælitus ordinata sympathia auspicata futuritione Alexandri Tertii imaginem se expressurum sub successoribus Pontificibus eiusdem Alexãdri tempestate indicauit.

SECTIO I.

Franciscus conceptus vt Petra mistica, in qua sculpenda Ezechielis Quadriga.

B. Bartholomæus Pisanus, vir sanctus, & doctus, demonstrans Franciscum & quoad Deum, & quoad Ecclesiã, & quoad se non secus ac Christum, in pluribus sacrorum Bibliorum locis præfiguratum, & à pluribus quoque Apostolicis Dei seruis prophetatum, accuratè perpendit illam de ipso prophetiam, quam cælitus accepit B. Cyrillus Presbyter, & Anachorita Montis Carmeli. B. Cyrilli prophetia de B. Franc. Sacrum peragens homo hic Euangelicus, misit Deus ipsi Angelum suum, qui statim tradidit ei duabus tabulis æneis (apud alios argenteis) in quibus de Francisco vaticinium grecanico idiomate

de B. Virgine. In quarta de S. Francisco, quem & ipsum ibi Cathedraticus ille quadrigatum, exprimentemq; præfatas quatuor facies, eius virtutibus, & sanctitati admodum concordantes, repræsentat.

Censura de tali curru triumphali.

Censurauit has theses P. Palumbus Societ. Iesu, Vir doctus, & publicus Vrbis Neap. insigni nominis Theologus, easq; subscripsit. Quæ autem fuerit huiusmodi Viri docti iudicium circa faciem Aquilæ, pro qua disputat etiam P. Angelus Vulpes tom. 1. par. 3. Scoti disput. 21. art. 8. *an homo possit de condigno perseuerantiam in gratia promereri*, vide si placet ad calcem prædictarum thesium. Argumenta verò ad probandum intentum, maiorem vt video exposcerent soliditatem, atq; authoritatem. Qua de re, mihi tandem consultius fuit mentem Bonau. sequi, & amplecti, quod infra explicabitur.

Franc. clementia cur ingenitam dixerit Bonau.

Id autem, quod scripsit Seraphicus Historicus, loquens etiam de pietate, ac clementia Francisci in cap. 8. legendæ peculiare est admodum. *Sanè, inquit, clementiā habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat*. Domina Pica, genitrix Francisci genuit ipsum totum clemētem, ergo clementia in Francisco ingenita nō fuit, sed cum ipso genita. Sed Bonau. loquitur de clementia, in qua Franc. penè conceptus, & quā traxit ex vtero matris. Quod à simili scripsit Basilius homil. 1. de Ieiunio, commendans Sampsonis fortitudinem, illis verbis. Quid fortissimum Sampsonem inexpugnabilem reddidit? Nonne ieiunium, cum quo in matris vētre conceptus est? Ieiunium concepit. Ieiunium nutriuit. Ieiuniū virum effecit. Vsque dum fętus conceptus in vtero matris moratur, non potest dici genitus, sed non genitus, & fermè ingenitus, idest non adhuc natus; *genitus enim, & natus* apud Latinos idem sunt. Duplicatio deinde huius in Francisco clementiæ per Christi pietatem ad duo ex vi illius adiectiui, *superfusam*, referri videtur. Et quidē primò ad initialem radicem ipsius clementiæ, quam ex vtero matris à fusa Christi pietate per donū quodam præcipuum accepit. 2. ad incrementum ipsius clementiæ, quod ipsa duplicabatur per superfusam Christi pietatem, in Frācisco deinde ab infantia excrescentem.

Cur non venisse in vig. Spiritum S. sed superuenisse dicatur

Pari modo explicauit Bernardus illud primum verbum Angeli ad Mariam, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, Lucæ 1. Et Bernardus serm. 2. de Assumpt. B. Mariæ. *Quis enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratia plena? Neque hoc solum, sed adhuc quoque in eam superuenturum asserit Spiritum Sanctum. Ad quid putas, nisi vt etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi vt adueniente iam spiritu, plena sibi, eodem superueniente, nobis quoque superplena, & superfluens fiat?* In illis verbis, *plena sibi*, ostēdit Bernard. excellentiam Maternitatis in Deipara, quæ gratia plena esse debebat, adueniente iam in ipsa Spiritu Sancto. In aliis postea, *Nobis quoque superplena, & superfluens*, ostendit, quod per illam dignitatem, sibi summam, ac maximā (imò respectiuè infinitam ex D Thoma) cooperatura erat B. Virgo in gratiam redemptionis pro genere humano, veluti concausa cum filio suo, talis redemptionis authore, atque principe operatore. Sic quoquè ipse dicerem, si mihi liceret, de Francisco circa eius clementiam ingenitam, quæ incepit in vtero matris suæ. Christi pietas, fusa ibi per singularem quandam prærogatiuam, respexit ad illud vnicum Reparatoris munus, ad quod Franciscus, adhuc ibi clausus, immediatè à Deo ordinatus erat, vt in hunc modum fuisset sibi ob huiusmodi muneris excellentiam tali gratia fusus. Superfudit deinde pietatem suam idem Christus, vt eandem clementiam ingenitam, hoc est antequam ille generaretur diuinitus inditā duplicaret, quatenus augumentum tribueret ab eius infantia, vt non solum Ecclesiæ suæ per gratiam reparationis superplenus esset, sed etiam superfluens fieret.

Cur etiam non fusa a Christi pietate, sed superfusa ingenita Fran. clementia.

Currus Mirmecidis ex ebore a musca cōtectus

Inter maxima humanæ artis miracula enumerant adhuc Scriptores neoterici, admiranturq; Mirmecidis Milesii currum ex ebore, adeo paruum, quod musca vna alis suis ipsum contegere potuerit. Alexāder tamen Taxonus lib. 10. vbi agit de ingeniis antiquis, & recentioribus, probatq; capitibus 28. hæc illis imparia minimè extare, scribit c. 26. quantū ad prædictum currum in hunc modum. *Memini me vidisse mirum currum, chorum musicorum gerentem, qui sine equis, & sine aliquo, cum vel trahente, vel impellente, ab vno ad alterū caput Romanæ viæ, quam cursum nuncupant, constatq; passibus mille, ex seipso pompa multa pertransijt*. Is currus, quem se Taxonus vidisse testatur, haud paruus erat, sed magnus. Nihilominus legimus apud ipsum ex Cardano ibidem, Gallum quemdam vitreas catenas, quæ non frangebantur, conficere assolentem, construxisse quoque ex eadem materia vitrea currus cū bobus suis adeo paruos, quod vna solummodo vnius muscæ ala quemlibet ipsorum cooperire valuerit.

Currus cum choro musicali valde mirus.

Currus misticus, sculpendus in paruulissima infantuli nostri petra, paruulissimam quoque formam tam in conceptione carnali auspicatiuè, quam spirituali figu-

figuratiuè exprimere fas erat. Hæc tamen spiritualis conceptio gratiæ cælestis curru quadrigato insignita ob ingentem Franc. humilitatē quasi nihil, & penè inuisibilem eum patefacere debebat. Et quidem nisi ita patuus is currus inde extitisset, in proiectionem, & excidium magnæ molis illius currus musicalis, quo tota Ecclesia fascinabatur, & opprimebatur, idoneus nequaquam fuisset.

Habeo hunc currū musicalē, magnū, & simul quadrigatum, & cū aliis quadrigis ex Interp. super duo loca sac. script. quorū primus ex Euang. Math. 9. de tibicinibus, in domo Archisanogi auditis, in quibus apparet chorus musicalis, & de turba ibi tumultuante, in qua currus videbitur quadrigatus. Circa primum. *Tibicines* (inquit serm. Dom. 23. post Trinit.) *sunt sensus corporis, qui canunt carmen lugubre, illis quatuor cornibus*, quibus concordat Zachar. 1. *Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor cornua, & quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem*. Ista quatuor cornua sunt quatuor vitia, quæ sunt *superbia, & luxuria* in oculis. *Pruritus audiendi* in auribus. *Detractio* in lingua. *Rapina vel vsura* in manibus. Hæc sunt, quæ ventilauerunt omnem ventum mundanæ vanitatis. *Iudam*, idest laicos: & *Israel*, idest clericos: & *Hierusalem*, idest religiosos.

Tibicines sunt sensus corporis carmē lugubre canentes.

Quatuor cornua pro quatuor vitiis.

In istis cornibus, sequitur, corporis scilicet sensibus, cantant carmen lugubre, idest mundi gaudiū in morte nostræ animæ. Iob. 21. *Tenent tympanum, & cytharā, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in pūcto ad inferna descendūt.* In tympano superbos, in cythara detractores, & adulatores, in organo amatores propriæ laudis intelligit.

Alia instrumenta musicalia.

Timpanum tenent superbi.

Circa secundum, cui addit Interp. alterum locum scripturalem ex Cant. 6. ita se habet apud ipsum. *Item turba tumultuans est turbatio tumultus malarum cogitationum.* Cūm Tibigines exterius carmen lugubre canunt, tumultuosæ cogitationes intus in mente perstrepunt. Vnde Sponsa Cāt. 6. *Anima mea conturbauit me propter Quadrigas Aminadab*, qui interpretatur spōtaneus, vel vrbanus. Et significat corpus nostrū, quia sponte sua se impellit in temporalia, in quibus vrbanè, & delicatè semper vult viuere. *Quadriga Aminadab sunt sensus corporis dum circumuoluuntur per lutum, & stercus temporalium. Anima, idest animalitas, vel sensualitas conturbat rationem tumultu malarum cogitationum.* Franc. ad hoc cōceptus, vt terna legislatione euāgelicè quadrigatus, faciebus *Hominis, Leonis, Aquilæ, & Bouis*, in Iuda *Laicos*, in Israel *Clericos*, in Ierusalem *Religiosos* à Mundi vanitate subtraheret.

Turba tumultuans quid mistice.

Quadrigæ Aminadab sunt corporis sensus.

SECTIO II.

Sanctitas Francisci, spiritaliter concepti plus in sæculari, quam in regulari vita prodigiosior, tametsi longè minor.

Placet modò duo potissima argumēta in hac secunda sectione adducere, quæ idem Bonau. verbis, admodum efficacibus, admodumque seraphicis præstabit. Primum argumentum amplectens totam infantiam, & pueritiam, & adolescentiam, & principium iuuentutis Francisci demonstrat nobis talem veritatem. à quodam miro antecedenti, quod omnem humanam credulitatem videtur superare. Refert enim Seraphicus Historicus cap. 1. hæc in specie de ipso. *Cum inter vanos fuerit hominum filios nutritus in vanis, & post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotijs, superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abijt: nec inter cupidos mercatores, quanquam intentus ad lucrum sperauit in pecunia, & thesauris.*

Duo mirabilia valde singularia in vita sæculari Franc.

Hæc duo mirabilia in Francisco, & penè inexcogitabilia, nisi circa præuentionem diuini præsidii, ne scilicet Franciscus in læthalia vel lasciuiæ, vel auaritiæ crimina laberetur, fuissent, non vtique Bonauenturæ calamus illa vt verè rara, ac verè prodigiosa, admodumque diuinam potentiā exaltantia (& nullo modo vt excessiuè hiperbolica, & ad vanam ostentationem) scriberet, & quemadmodum sibi à sociis S. Franc. relata fuere. Quinimò à sua historia, solida ac seraphica veritate conferta eliminaret, licet omnia, quæ miro, ac sincero stilo profert, ad maximum stuporē pios, ac deuotos animos eleuent.

Igitur firmiter ex Bonau. asserendum B. Franciscum in tota vita sæculari, *superno sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes, quamuis effusum ad gaudia post carnis petulantiam* læthaliter *abijsse, nec inter cupidos mercatores, quamquam intentum ad lucrum sperasse in pecunia, & thesauris* per culpam mortalem auaritiæ, cuius omne in dies peccandi fomentum spes maioris lucri, quæ cum ipso lucro crescit, semper extare experitur.

Tota D. Bonau. historia de gestis S. Franc. stilo & his, quę refert, admirabilis est.

Sanctitas Præcursoris Christi post eius conceptionem in culpa originali (à qua Iesu, in vtero Virginis clausi præsentia

sexto

sexto mense mundatus fuit, & sanctificatus (vt Catholica Ecclesia communiter credit) impulit ipsum, vt septennis, & adhuc infans statim deserta perquireret. *Ne leui saltem maculare vitam famine posset*, vel cum Breuiario nouo. *Ne leui posset maculare vitam crimine linguæ*. Illa enim in vtero matris suæ sanctificatio alio confirmationis in gratia dono coniuncta, ex se, & à se quodcumque mortale peccatum ita intrinsecè excludebat, sicut lux axcludit à se tenebras, diesque pati secum tenebras nequit. Sed culpam venialem minimè excludit, quia hæc non ita opponitur gratiæ, quin cum ipsa esse non possit, vti opponitur peccatum mortale, quod est gratiæ sanctificantis destructiuum. Et nisi gratia confirmans, vel aliud assistens Dei præsidium sanctificationi iungatur, impossibile moraliter est (maximè vbi occasiones proximæ ad peccandum eminent) omnia peccata mortalia euitare. Quia verò Sanctus Ioannes Baptista sanctificatus fuit, & confirmatus in gratia antequam nasceretur, idcirco ad euitandum venialem culpam, non autem mortalem, in quam labi non poterat, solitudinem petiit. *Ne leui posset maculare vitam crimine linguæ: leui*, inquit, ratione metri, idest *veniali*; etsi leue crimen opponatur graui. At graue crimen gratiæ non opponitur, licet deuotionem mentis, atque charitatis feruorem magis minuat, quam leue. Sicut enim inter mortalia, ita quoque & inter venialia crimina datur magis & minus.

Etiam inter venialia crimina datur magis, & minus.

Mira sanctitas Seraphici hominis à matris suæ gratiæ diuinæ vtero incepit, scilicet à baptismate. Quæ quidem sanctitas talis deinde euasit, vt ad apicem sanctificationis quodammodo accederet, vt asserit Bonauentura ad finem huiusce disputationis adducendus; idque (vt ipse loquitur in memoratis verbis) ob supernum Francisco assistens præsidium. Propter quod, vt prædictum est, *nec diffusus ad gaudia inter vanos hominum filios nutritus post carnis petulantiam mortaliter Franciscus abijt, nec intentus ad lucrum inter cupidos mercatores sperauit in pecunia, & thesauris*, quia à læthali auaritiæ crimine liber euasit. Duo autem in re hac animaduertenda. Primũ, quod sanctitas Præcursoris Christi longè purior in se, ac per se sanctitate Reparatoris legis, & Ecclesiæ Christi extitit. Secundum, quod proportionaliter loquendo, illa Reparatoris sanctitas prodigiosior existimanda est. Et eò magis talis dicenda, quò neque à ventre matris, neque ab eius ortu ante baptisma, sed ab ipso batismate incepit. Nam hoc pacto neq; in se, neq; æquiualenter, neque alio aliquo modo cũ Præcursore circa sanctificationem in vtero Reparator conuenisset.

Gratia Præcurs. Christi in Franc. similitudinali ter.

Vtrumque demonstrat Bonau. in prologo Legendæ, illis verbis. *Existens & ipse Angelus veræ pacis, secundum imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris destinatus à Deo, vt viam parans in deserto altissimæ paupertatis tam exemplo, quam verbo pœnitentiam prædicaret. Primum superna gratia præuentus donis, dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, &c. comprobatur venisse in spiritu, & virtute Eliæ*. Hæc ibi Bonau.

Fran. vt Angelus veræ pacis, & in spiritu Eliæ missus.

Priora verba vsque ad illud, *prædicaret* (in quibus Præcursorem Christi, hoc est Franciscum in reparatione Ecclesiæ cum Præcursore Christi, idest Ioanne Baptista in fundatione Ecclesiæ ceu Angelum veræ pacis à Deo missum ostendit Bonauentura) minorem illius sanctitatem sanctitate huius demonstrant; quippe loquuntur de hac sub nomine Angeli, *secundum imitatoriam similitudinem*. Posteriora autem verba, in quibus & in spiritu Eliæ (in quo etiam venit & Præcursor Christi) venisse Franciscum fatetur author, prodigiosiorem sanctitatem Francisci respectu eiusdem Præcursoris patefaciunt; præsertim vbi ad præuentionem supernæ gratiæ donorum, addit statim, *dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis*. Inuictum dicimus omne id, quod à suo aduersario non potest vinci. Non potuisse moraliter vinci Christi Præcursorem, ad læthaliter peccandum, concurrente sibi cum sanctificatione in vtero matris suæ gratiæ confirmatione; imò nec potuisse vinci quasi nec ad lapsum venialem, quatenus segregatus à pueritia ab omni humano consortio, *ne leui posset maculare vitam crimine linguæ*, magna vtique in eo puritas fuit, magna gratiæ Dei vis. Sed vtrum ita prodigiosa in ipso hæc victoria, ex inuincibili virtute prouenieus; amotis inde ab eo omnibus circumstantiis, & occasionibus tum propinquis, tum remotis etiam ad leuem culpam, sicut fuit prodigiosa in Francisco, respõdeat sacer textus Iob cap. 1. ita encomia eius, in terra Hus, à gentibus, atque Idolatris habitata Principis apud Idumeos, breui exordiens.

Cur in victoriis Frã cisci virtus inuicta dicitur.

Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. Vbi Commentarius D. Gregorii valde arridet rei nostræ sub his verbis, ex lib. 1. Moral. cap. 1. quæ legit Breuiarium Rom. in Dom. 1. Septemb.

ad

ad 1. nocturnum. *Vir erat in terra Hus.* Idcircò, ait, Sanctus vir vbi habitauerit dicitur, vt eius meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nesciat, quod sit in terra Gentilium? Gentilitas autem eo obligata vitiis extitit, quo cognitionem sui conditoris ignorauerit. Dicatur itaque vbi habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. *Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est; inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconij bonum etiam inter malos extitisse.*

Haud inter bonos, sed inter malos bonum esse, immēsi est præconii.

Ex hac doctrina pendet resolutio ad illam quæstionem D. Thomæ 1. p. quæst. 95. ar. 4. *Vtrum opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum, quam opera nostra.* Loquitur ibi Angelicus Magister de statu innocentiæ in natura integra ante lapsum primorum parentum (vbi nulla rebellio carnis ad spiritum, sensus ad rationem, rationis ad Deum) respectu status nostri in hac natura, culpa originali corrupta, totque implexa circumstantiis, impulsaque fomentis ad lapsus quotidianos. Ante responsum ad quæstionem ita pulchrè distinguit, subdistinguitque Sanctus Doctor. *Quantitas meriti ex duobus potest pensari, vno modo ex radice charitatis, & gratiæ, alio modo ex quantitate operis, quæ quidem est duplex, absoluta, & proportionalis.* Quoad absolutam meriti quantitatem, certum est, inquit, quod in statu innocentiæ ob maiorem gratiam, & charitatem, ob dona maiora potissimum verò supernaturalia, & gratuita, maiorem esse rationem meriti. Sed in statu nostro iuxta proportionalem quantitatem. *Maior inuenitur*, inquit, *ratio meriti, propter hominis imbecillitatē.* Ex qua meriti maioritate proportionali oritur deinde, quod vbi ad potentissimam fomitis ex crimine originali derelicti impulsionem potiores aliæ circumstantię propinquissimè adiunguntur, ibi ad ingentem laudem in eo, qui inuictus remanet, nec labitur, meritum peruenit, prout asseruit citatus Gregorius de Iob in præfata similitudine, *sicut enim, &c.*

Ratio maioris meriti in statu naturæ corruptæ vnde pensanda

Porrò ex iisdem verbis textualibus de Iob, Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, posset aliquis imaginem sanctitatis Francisci circa eius valde egregias, inclitasque prærogatiuas aliqualiter delineare. Sumens nō aliunde exemplum, quam ex mistica Episcopi Franc. & Interpretis nostri declaratione. Ipse namque loquens ibi de viro iusto, ita ac si in ipso haberet Francisci ideam, sic explicat super cap. 1. Iob: *In terra Hus* idest Consilii (Hus enim Hebraicè est Latinè Consilium) habitat *vir iustus*, qui Domini consilia obseruat vt præcepta. Hic est *simplex* in cordis puritate. *Rectus* in animæ affectione. *Deum timens* in virium naturalium ordinata exæquatione. *Recedens a malo* in mentis soliditate.

Ex Iob prærogatiuis imago Fran. lineata.

Inter cunctos Ordinum siue Eremiticorum, siue Monasticorum, siue Regularium Institutores quis vnquam ista, quæ modò interpretatur Doctor noster, ita primum exactè obseruauit, sicut obseruauit ipse Franciscus, trium Ordinum Fundator, triumque lator legum? Nam etsi aliorum Institutorum Ordinum conceptio à summo omnium opifice præordinata, ac præfissa reperiatur ad trium consiliorum euangelicorum, cunctis communissimorum obseruantiam sub voto, & ad apicem vitæ perfectæ per alia consilia euangelica, sed ad hæc neq. sub voto, neque sub præcepto ad mortale, sola tamen Francisci conceptio videtur non solum ad illa tria consilia sub voto, sed etiam ad multa alia sub præcepto, & ad numerum viginti octo directa.

Solus Frãc. in Eccles. se astrinxit ad tria consilia euangelica sub voto, & ad plura alia sub præcepto.

Vnica igitur, ac peregrina adiudicanda Francisci conceptio respectu vnicæ illius vitæ, ad quam dirigebatur, quæque vnici catholicæ fidei reparatori congruebat, vt plura consilia euangelica ceu vota, ac ceu præcepta ipse solus primum obseruaret, atque suis Minoribus primum traderet obseruanda. Et in obseruantia ipsorum verè vnica, ac peregrina cordis puritate simplicissimus experiretur. Animæ affectione rectissimus. Atque ob Dei timorem per peculiarem diuini præsidii assistentiam in virium naturalium ordinata exæquatione adeo præcellens, recedensque à malo, mentis soliditate, vt nec inter lasciuos iuuenes, quamuis inter vanos hominum filios nutritus, atque *effusus ad gaudia, post carnis petulantiam* abierit; nec inter cupidos mercatores, non conuersatione tantum, sed industria, atque exercitio, *quamquam intentus ad lucrum, sperarit in pecunia, & thesauris.*

Excelluit Iob virtutibus vnicè.

Fuit equidem Iob Dominus, Princepsque in omni terra, ac regione Hus, quinimmò & Rex iuxta illorum temporum morem, Gentilisque populi moderator, & rector, nihilominus studuit maximè, vt omnium malorum affectuum, illecebrarūq; ac sui ipsius in vtroq; homine princi-pem fieri. Peregrinum est etenim, & *nequaquam valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis, immensique esse præconij bonum etiam inter malos extitisse*

Iob fuit eiũ Rex Idumæ & in terra Hus.

tisse. Verum in Francisco ob haud modicam cum Christi Præcursoris paritatem paritas ad prædictas Iob virtutes ingens præconium cum multo excessu multimodè promeruit. Quatenus & in ipso argueret attigisse quodammodo ex Bonauẽtificationis apicẽ. Et licet prior, & maior Io. Baptistę sanctitas ex radice charitatis, & gratiæ (qua tum Christi, in ventre Virginis clausi, tum quoque ipsius Virginis præsentia impleuit animam Præcursoris, eam sanctificando, & ob quam ex se postea petiit puerulus desertum, *ne leui posset maculare vitam crimine lingua*. (Sicque, teste ipso Christo, *Inter natos mulierum nõ surrexit maior Ioanne Baptista*;) attamen prodigiosior proportionaliter admirata deinde est illa Franc. in sua adolescentia sanctitas, in qua *inter lasciuos iuuenes*, & *etsi diffusus ad gaudia post carnis petulantiam non abijt*, licet omnia peccata leuia, seu venialia minimè aufugerit.

Vbi maior occasio peccandi, ibi prodigiosior sanctitas, et. si nõ ita aliquando purior.

Vbi autem in textu Iob hoc nomen *Vir* duplicatum lego, & inde Francisci imaginem cum Interprete intueor, aliunde pariter deduco maioritatem prædictã proportionalem sanctitatis Francisci per respectum ad maximam laudẽ, Deo pro tali re, ad quam illius conceptio directa fuit, tribuendam. Apud Hebræos, qui nominum apta impositione facilè omnes superant (aduertit Tiraquellus p.9. num.149.) *Vir dicitur ab is, quod vocabulum ab esse, quod ignem significat, deducitur. Vt natura virilis ignea, & calida vno verbo exprimatur*. Neque, vt ipse puto, discordant ab ista Tiraquelli sententia, seu commentario nostri Latini, ita vim vocabuli explicantes *Vir à vi dicitur, quod vi, hoc est vi, & robore præstet*. Sed talis vis, taleque robur à natura ignea principaliter procedit. Ignis enim inter quatuor elementa, vnde tota viri cõmixtio, ac moderamen, actiuior est, atque validior. Vnde Cicero pro Cæsare. *Exurgite aliquando, si viri estis, atque arma capessite, &c.* At natura ignea est, quæ ad arma prouocat viros.

Vir deducit nomen ab igne iuxta hebraicã interpretationem.

Cui consona est latina.

Vir, & Vir, hoc est bis vir, geminusque Vir vt Franciscus esset, conceptus fuit, supple vt esset bis igneus in vtroque homine. Et ipse perinde solus ceu vir Seraphicus mẽte, & corpore ex peculiari dono ignesceret: Primum scilicet ante vitã regularem, secundum postea, vt non solũ sicut cæteri Ordinum Institutores tria consilia euangelica vt vota seraphico ardore obseruaret; sed vlterius, vt ipsemet primus esset vir, qui peregrino alio ardore superfusus, plurima alia consilia, veluti præcepta sub mortali exactè adimpleret, aliisque adimplenda præscriberet: Quo pacto ipse mereretur primò vir Seraphicus duplici titulo nuncupari, eiusq; conceptio prout ad istam nouam nuncupationem directa, noua pariter fieret in Mundo; atque magis ac magis exinde eius authorem commendaret, quia ex ea ille geminus vir, quem effecit Deus, veluti inferior materia Præcursore Christi extitit, & quasi superior in opere, quod ex illa materia Dei manus ad maiorem sui gloriam efformare complacuit.

Vir, & Vir Franc. dupliciter.

Ex puriori, meliori, atque nobiliori sanctitate, qua *maior non surrexit inter natos mulierum*, veluti ex quadam superexcellenti materia fecit Deus eximium, peregrinumque Præcursoris opificium. Sed ex sanctitate Francisci (si eam dederit antequam nasceretur) veluti ex materia non ita in radice charitatis, & gratiæ pura, non ita nobili, sed longe ignobili, nenon & inferiori, mirandum, primumque opus in Reparatore Ecclesiæ suæ omnium opifex constituit. Ergo in illo Præcursoris opificio laus artificis vtique magna, sed non ita sicut in Reparatoris opere, quia non in hoc quemadmodum in illo opere materia bona, ac probata. Ad quod suadendum faciet illud Cant. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas. Reclinatorium aureum. Ascensum purpureum media charitate constrauit*.

Qualis in Franc. fœtu materia, ex qua eius superrũ opus effecit Deus.

Literalis huius textus intelligentia prout refertur ad Ecclesiam, vbi profert materiam, ex qua veluti ferculum quodã regium, suæ Maiestati dignum effecit illam Deus, non dicit de arboribus, sed de lignis effectam. Arbores enim (quæ eminent à terra, cui & radicatæ, habent ramos, folia, & suo tempore flores gignunt, & fructus) longè aliæ sunt à lignis, quæ ab ipsis tecisa vel igni tradenda, vel reiicienda, vel ex eis aliquid efficiendum. Ex quo apparet, quod si Ecclesiæ opificium ex bona materia effectum esset, non sic commendaret artificem, sicut cõmendat, quia ex parum apta, rudi, ac vili materia fabrefactum. Pulchrè, & acutè Hugo Cardinalis ad literam. *Quia non est magna laus artificis de bona materia bonum opus efficere*; ideò subiungitur de qua materia tam pretiosum ferculum fecerit Rex Salomon, de *Lignis Libani*, de gentibus aridis, & gratia infructuosis. Hæc ille.

Opificiũ ex vili materia productũ, ac pretiosum redditũ magis cõmendat opificem suum.

Esse naturale Ioannis Baptistæ, in vtero matris suæ in peccato originali conceptũ, sed per miraculum, quia ex vtroque parente sene, ac sterili cõtigit, valde nobile extitit, concurrensque etiam immediatè

Opificiũ Præcurs. Christi longè nobilius opificio Repar. eccl. in sua materia.

mediatè vis supernaturalis ad illas dispositiones naturales, quas natura ex se sola subministrare non poterat ad fœtus efformationem; quasque dum ipsas eleuauit vi illa superna, optimas fuisse prorsus asserendum. Item sanctificatio Ioannis longè amplius fœtum conceptum nobilitans, artifex Deus ex toto eius esse produxit deinde veluti Angelum Præcursorem suum, vt in spiritu, & in virtute Eliæ veniret in Mundum, & eius aduentum in carne præcurreret; & tam magnus euaderet, vt nullus maior eo esset inter natos mulierum post Messiam. Et in ipsa natiuitate tam dignus, vt sicut de Christo, & de Virgine, ita & de ipso solummodo dies festus ortus sui in omni Ecclesia celebraretur.

Quale opus ex ima materia à Deo in Franc. efformatum.

Hæc, & alia plura, nobiliter cõcurrentia ad efformationẽ Præcursoris Christi, non poterant concurrere ad efformandum in Francisco Reparatorem legis Christi, & eius Ecclesiæ, longè inferiorem Ioanne, *etsi secundum imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris destinatum à Deo*, vt loquitur Bonam. Attamen ex esse Francisci, inferiori admodum sanctitate dignificato, siue ante, siue post ortum, quod dignatus est efformare Deus, extitit haud simpliciter Præcursor aduentus Christi, non amplius in carne, sed in charitate erga Ecclesiam suam penè à sua gratia totaliter elapsam, sed Reparator totius Christianitatis. Haud Angelus tantummodo, & in virtute Eliæ, sed Seraph, & in spiritu Seraphico, in omni Ecclesia solo. Haud simulacrum Præcursoris, sed Redemptoris, non anima tantum, sed anima, & corpore simul, vt ipse solus exhiberet ascensium purpureum vulnerum Christi; magnamque, imò & maximam, & summè maximam patefaceret artẽ magni Opificis, qui ex materia valde inferiori tam dignum, atque preciosum ferculum, Crucifixi Dei vectatorem, sapientia sua ineffabili, atque incompræhensibili, *quæ attigit à fine vsque in finem*, efformare excogitauit. *Quia non est magna laus artificis, &c.* Quo ergo inferior Francisci materia materia Ioannis Baptistæ; eo vtique opificium, ab ipsa miro, ac nouo, & insueto modo productum in inuicta eius virtute inter lasciuos iuuenes, cupidosque mercatores proximis exposita discriminibus supernum commendat Opificem.

Quotuplex in sua dignificatione, & commendatione.

Quare acutè, ac profundè ipse Bonau. inferius iterum, & iterum adducendus, demonstrãs vbi supra in prologo, cur ad hanc tam vnicam prærogatiuam destinarit, direxeritq; Deus Francisci conceptionem, ita scribit. *Dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon & Angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & vt vir Hierarchicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu, & virtute Eliæ, &c.* Itaque in comparatione illa Francisci cum Ioanne Baptista, ibidem paulò ante à Bonauentura adducta, Franciscus vir totus Seraphicus est, & vir totus Hierarchicus est. Et sic vir, & vir; scilicet Seraphicus, quia vir ignitus. Hierarchicus, quia ex inferiori eius materia, ob quam magis ac magis in suo conceptu commendaretur artifex suus, qui ad nouum quodam opus illius ad vitam dirigebat primordia. Nam in ipso solo triplicem supernorum spirituum Hierarchiam per insolitam quandam, admodumque peregrinam donorum, virtutumque participationem, & imitationem efficere debebat: sicut postea gesta innumera Francisci, nondum antea in Ecclesia visa, imò neque excogitata hanc veritatem comprobauerunt.

Cur vir Hierarchicus Franc.

Totus Seraphicus, & totus Hierachic. fuit.

Alterum argumentum ex D. Bonauentura pariter desumptum, quod quidem nec vt puto minoris ponderis erit circa præsentem sectionem; concordabit, ni fallor, cum præfata Interpretis nostri postilla super illa duo verba, *Deum timens*, & Interpres, *in virium naturalium ordinata exæquatione*. Vbi enim agit Seraphicus Historicus in capite quinto Legendæ, *De austeritate vitæ Beati Francisci, & quomodo creaturæ præbebant ei solatium*, scribit inter plurima obstupenda hæc alia. *Quia enim ad tantam deuenerat puritatem, vt caro spiritui, & spiritus Deo harmonia mirabili concordarent, diuina ordinatione fiebat, vt creatura Creatori suo deseruiens, voluntati, & imperio eius mirabiliter subiaceret.* Et paulò infra (post ilud miraculum de aqua, a Francisco in perfectum vinum conuersa) ita sequitur. *Non solum creatura seruo Dei seruiebat ad nutum, sed & Creatoris vbique prouidentia condescendebat ad placitum, &c.* Quod probat dignis exemplis.

In quãm puritate deuenerit Franc.

Creaturæ seruiebant ad nutũ Franc.

Ex hoc potissimum adeò insuetæ harmoniæ in Francisco argumento innocentiæ statum, in quo creatus homo, vt sine vlla rebellione, imò promptè, expeditè, ac suauiter obedirent ei pisces maris, volatiles Cæli, & bestiæ terræ, iuxta illum, *Dominamini piscibus maris, volatilibus Cæli, & bestiis terræ*, Gen. 2. veluti in eo renouatum multimodè indicat alibi Bonauent. Veluti, inquit, nam statum inno-

innocentiæ, quem *primus homo de terra terrenus*, & prima mulier, ex costa hominis efformata, infeliciter perdiderunt per culpam, ob quam prædictarum creaturarum rebellionem mox vterque expertus est: absolutè, atque incommunicabiliter restaurarant inter mortales *secundus homo de Cœlo cœlestis*, & secunda mulier, ad hunc gignendum hominem producta, scilicet Christus, & eius Mater. Ille solus restaurauit per naturam, & nullus alius. Ista sola per gratiam, & nulla alia: etenim ille status innocentiæ per naturam à nullo alio viro, qui non sit Deus, & homo potest mereri, & sic incommunicabilis aliis. Iste status innocentiæ per gratiam neque potest esse debitus alicui fœminæ, quæ non sit Mater Christi, & idcirco neque alicui communicandus. Duo deinde Christi Præcursores, nimirum Ioannes Baptista, & Ioannes Franciscus (qui duo hæc nomina habuit per imitatoriam similitudinem, vt ait Bonauentura) veluti renouarunt illum statum innocentiæ; sed alter per sanctificationem iuxta certitudinem Catholicæ Fidei, ex illa Angeli Gabrielis ad Zachariam Lucæ 1. *Et Spiritu Sancto replebitur ab vtero matris suæ*. Vt postea accidit in visitatione Mariæ, à qua vix salutata Elisabetha, mensibus sex prægnante, *Exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* Alter alio modo per similitudinem ad Præcursorem. Ille bestiarum siluestrium ob huiusmodi veluti statum innocentiæ renouationem non pertimuit, etsi puer, rebellionem, neque aufugit, imò quæsiuit earum societatem. Hic etiam ob eandem rationem & piscibus Maris, & volatilibus Cæli, & bestiis terræ dominatus est. Verum Ioannis Baptistæ sanctitas, petens antra deserti, nec leui crimine vitam maculauit, quod non auderem excogitare de Francisco, licet *per assistentiam diuini præsidij nec inter lasciuos iuuenes (& ipse tamen inter vanos hominum filios enutritus) diffusus ad gaudia, nec post carnis petulantiam, abierit, inter mercatores intentus ad lucra, sperauerit in pecunia, & thesauris*.

In Franc. status innocentiæ quodammodo renouatus.

Bestiarũ rebellio non fuit cum Io. Bapt. in deserto.

Hæc omnia deduximus ex principiis Bonau. nonnullis quoque sententiis haud quidem leuibus fulcita, ac corroborata. Quæ autem fuerit postrema eiusdem Doctoris mens circa admirandam Francisci puritatem, possumus haud obscurè colligere ex Legenda minori eiusdem. Duas legendas composuit Seraphicus Historicus de vita, & gestis Sancti Francisci, maiorem vnam, minorem alteram. De vtraque, ab eo, cum esset Generalis Minister, edita, ita breui Annalista noster lib. de Scriptoribus Ordinis Minorum in Indice operum Bonauenturæ fol. 73. *Legendam maiorem* Sancti Francisci, rogantibus Patribus Capituli Generalis Narbonensis, habiti anno 1260. (hic erat annus tertius sui regiminis) composuit Parisiis, vbi cum S. Thoma per rimulas ostii conspiceret in contemplatione raptum, dum huic operi intenderet, reflectens ad socium, dixit, *Sinamus Sanctum pro Sancto laborare*. Cuius rei ibi apparet dignum monumentum, conuersa illa Sancti Viri cella in deuotum sacellum. Vide superius, & D. Anton. tit. 24. cap. 8.

Duas legendas composuit Bonau. de vit. Sancti Franc.

Legendam maiorem vt scriberet, suasit quidam Episcopus Gallus, eaque vtuntur Minores in lectionibus octauæ S. Francisci. Vtramque legendam ille obtulit Ordinis Patribus anno 1263. in Comitiis generalibus Pisanis. Legendam autem maiorem maximè extollit Aloysius Lipomanus, & Leonardus Aretinus, qui *in hoc genere scribendi*, ait, *neminem posse superare Bonauenturam*. Hæc ibi Annalista. In Legenda minori, post maiorem ab Authore scripta, in prima lectione 2. nocturni diei festi S. Francisci extat totũ argumentum, quod primo loco afferunt ex legenda maiori, & penè in nullo mutatum. Sed ex eo certitudinem mentis Bonauenturæ ad solidiorem, & clariorem veritatem sententiæ affirmatiuæ, non ita possumus concludere, sicut possumus eam (qualis scilicet certò fuerit) apertè noscere ex lectione secunda 2. Nocturni quartæ diei infra octauam, vbi hæc sunt verba expresse. *Verum licet cordis, & corporis puritatem adeptus, sanctificationis quodammodo proximaret ad apicem: non cessabat tamen lachrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, cælestium claritatum concupiscendo munditiam, & corporeorum luminum paruipendendo iacturam.* Maior pars huiusce historiæ extat in cap. 5. legendæ maioris præter illa verba, *sanctificationis quodammodo proximaret ad apicem*, & illa alia, *cælestium claritatum concupiscendo munditiam*, & loco illius verbi, *paruipendendo*, extat ibi istud *non ponderando*. Illud aduerbium *quodammodo*, quod idem est, quod *aliquo pacto*, *quasi*, quia dum Franciscus fructus sanctificationis perfectissimè adeptus est, ad apicem sanctificationis in hunc modum approximauit. Et licet *quasi* in sacris literis pro vera, & substantiali paritate vsurpetur, vt Ioannis primo. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre* (idest tamquam vnigeniti à Patre) attamen in communiori sensu locutus est Bon. vt clare patet.

Vtramq; obtulit anno 1263. Patribus capituli gener. Pisanis.

Quodãmodo aliquo pacto, & quasi modificant, minuuntq. orationem.

Peccasse Frã cisc. in pluribus, author Alcorani Franc. calũniosè demonstrat.

Rueret funditus tota hæc de maxima Francisci puritate constructio in albedine, ac politia Petræ eius, de qua superius ex prophetia Beati Cyrilli apud Pisanum fundata, per illam falsissimam, calmniosamque assertionem, hæretici hominis oris, & calami satis dignam, quam modo adducere ex Vadingo in Appar. Annal. paragraph. 4. num. 21. & ex eo explicare, ac reiicere necessarium censui. Hic obiter, ait, occurrendum cum Erasmo Alberto Germano Brandeburgensi, infesto Alcorani Franciscanorum Geneuæ impressi authori, qui pag. 109. & 379. dum suæ sectæ hominum more omniũ Sanctorum Minoritarum facta, dictaque calumniatur, etiam plura scelera impingit S. Francisc. illorum Institutori, ac Legislatori. Inter cætera verò illud non leue existimat, quod inscio Patre, pannos vendiderit Franciscus, pecuniasque dilapidauerit, satisque conuictum peccati iudicat ex illa Salomonis sententia Prouerb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & matre, & dicit non esse peccatum, particeps homicidæ est.*

Maximè circa diffusionẽ rei paternæ pro eccl. reparat.

Eo etiam maior videbitur hæc culpa, quod filius familias minorem, vel nullam habet actionem proprio nomine in bona paterna, vel profectitia, quorum vsufructus, & dominium, seu proprietas penes patrem est. Nec in adinuentitia, licet illorum habeat proprietatem. Nec regulariter in alia quæque extra causam Castrensis, vel quasi Castrensis peculii, vt doctè expendit Cuiac. ad l. 9. filius familias, ff. de obligation. & donat. Vnde nec illa dare potest, vt docet Siluester ex l. etiam fil. famil. ibidem 1. num. 3. l. in ædibus, §. pen. de donac. &c. Nec etiam causa mortis, nisi patre permittente. Multo minus testamento legare, quantumcunque etiam pater consentiat. Ergo accusabitur Franciscus, qui clam patris merces alio transportarit, leuiori forsan ære commutarit, Equum alienarit, & in patris opprobrium humiliter repedarit; collectasq; ex bonis paternis pecunias absq; patris licentia liberè nimis Sacerdoti nõ tam obtulerit, quam obtrudere voluerit, & demum prodigè super Fani fenestram, omnibus patulam profuderit.

Videtur Hẽric. Sedul. cessisse huic calumniæ.

Certè Henricus Sedulius, vir alias probus, & doctus, cuius opera ingenuam, quam in ipso præsens expertus sum pietatem spirant, facilè hæreticorum telis calumniæ, dum lib. 1. Apolog. cap. 6. absq; vllo negotio Franciscum peccasse concedit. Mihi verò aliter videtur, & Dei virum non tam criminis reum, quam laude dignum hoc facto euasisse. Omnia hæc sunt ipsamet verba Vadinghi citati; qui statim subdens, in obiectã ab aduersario calumniam quadruplici ratione insurgit. Prima ratio refertur ad Christum, mandantem Francisco Domus suæ reparationem. Secunda refertur ad ipsa bona, quæ Franciscus pro tali reparatione promptè, & hilariter expendit. Tertia refertur ad Francisci Patrem, &c.

Prima ratio Vadinghi in calumniatorem.

Prima Vadinghi ratio his verbis cõsignatur. Accepit à Christo Franc. sensibiliter, & palam loquente, præceptum, vt Ecclesiam repararet. Et licet aliò tenderet præcipientis intentio, attamen de illa æde resarcienda, iniunctam sibi curam intellexit, per quam optimè nouit, Christum impossibilia non iubere, intulitque non improbabiliter, vt diuino obsequeretur mandato, sibi licere bonis se ingerere paternis, si propria non suppetebant. Neq; tũc mẽdicare fas esse. Nec si ad stipẽ sedere liceret, adeò facilè, aut breui colligi potuisse, quæ omninò necessaria erant, vt, quod accepit pręceptũ, ex equi valeret.

Declaratur & comprobatur.

Qui ergo posset ruinosam reædificare Ecclesiam, vel eius imminenti ruinæ statim occurrere, qui sui iuris nihil habebat? Aut quomodo supremi Domini obtemperaret mandato, si paterni dominii iura omninò vellet illęsa? Non dubitauit, quod ipse idem, qui filiis Israel Ægyptiorum pretiosa supellectilia licitè potuit concedere propter supremum, & excellens in res humanas dominium, ei etiam, qui ex priuilegio hæredis quasi paternorum bonorũ Dominus esset existimabatur, authoritatem possit tribuere, vt ex bonis paternis Deo iubenti valeat ministerium præbere. *Dei* (inquit D. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 4.) *sũt omnia, & cui voluerit, tribuet illa*; quare etiam, quæ velit, in sua non accipiat obsequia? Qui ergo ad Dei ministerium ad diuinum delubrum patulo ipsius Dei imperio reparandum aliquid accepit, quod Patris videbatur, non equidẽ secundũ illud Salomonis edictum, particeps est homicidæ, præsertim cum aliunde, & ex multiplici, ancipitique illius loci sensu tanti sceleris communionem, aut pœnam possit Franciscus euadere.

Hæc prior Vadinghi nostri ratio satis quidẽ videtur Historiæ Bonau. consona. Bonau. enim testatur cap. 2. quod pecunia illa venit ad patris manus, & quod Franciscus post omnimodam hæreditatis renunciationem coram Assisii Episcopo mendicitate tres Ecclesias reparauit vix elapso anno vno. Cum ergo Christus noluerit iussam Frãcisco reparationem Domus S. Damiani pecunia paterna fieri,

quia

quia tale opus ob id, quod figurabat à paupertate, à qua cepit Eccl. exordiendũ erat, benè ipsi inspirauit, vt tandem eam pecuniam contemneret, & vt rem vilem proiiceret ad præfatæ Ecclesię fenestram, vbi Pater illam inuenit. Qui ergo ex peculiati commotione sua impulit plures Martyres illustres, vt se flammis proiicerent, mouit & Franciscum ad illius pecuniæ deiectionem, ac vilipendium, vnde eius vita Apostolica incipere debebat; sed mendicatione exequi, ac perfici. Sed neque ista ratione posset conuinci hæreticus Alcoranista. Quare rationes sequentes Vadinghi aptiores videntur ad ipsum conuincendum.

Secunda ratio fundatur ab authore hoc argumento. Quod scilicet haud constat planè, an illa bona fuerint Francisci castrensia, vel quasi castrensia; de his enim potuit liberè disponere, & in Ecclesiæ structura ea licitè erogare. Quomodo id possit fieri vide ibi ex Cuiac. ad l. 1. §. si is, qui bona, &c.

Secunda ratio ad hominem.

Tertia ratio sic affertur. Potest Pater adhuc superstes legitimam, vel eam, quæ filio contingit, bonorum suorum portionem liberè consignare; vt doctè cum aliis probat Tellus Hernand. in cap. 23. Taur. num. II. Ita verò Petrum Bernardonis Francisco filio dedisse, non est omninò improbabile. Præsertim cum Franciscus ab aliquot mensibus magno ferretur desiderio, sæculo vale dicendi, suaque pauperibus distribuendi, ad quos tacitos vsus forsan suam à Patre petiit portionem.

Tertia etiã ad hominem

Quarta ratio. Qui mori voluit sæculo, religiosamque aliquam habuit in mente vitam, potuit causa mortis habito, vel certo supposito Patris consensu aliquo donare, vt docet Cuiac. cit. quem videre potes apud eundem Vading. Qui etiam demonstrat his rationibus obuiari non posse, eo quod Pater ipsius Francisci bona illa tanquam sua postea repetierit. Vide ipsum, si placet, & dum cernis me hanc solam calumniam in vitam illibatissimam, sanctissimam, mundissimam, atque innocentissimam, me hic attulisse, velim putes id effecisse propter Henricũ Sedulium citatum. Licet enim Author iste, adeo probatus, ac pius in suis libris Apologeticis pessimo operi Alcorani prædicti, in librum Conformitatum apprimè perinfesto excidium dederit, vt aduertit Martyrologium nostrum in prologo artic. 19. §. 122. non tamen videtur iuxta eundẽ Vadingum, ita funditus ipsum euertisse, dum prædictæ hæreticorum calumniæ in omnimodæ sanctitatis Francisci præiudicium ita facilè cessit. Aliarum igitur calumniarum euersionem vide apud ipsum Henricum.

Quarta ratio.

SECTIO III.

Conceptus Franciscus per analogiam ad petrã iuxta B. Cyrilli prophetiam idoneus admodum. Mira vtique Francisci, magnaque rationalis anima, ad mira, ac magna creata, suoque corpusculo infusa.

Acta, & gesta, mira fermè cuncta, ac scitu digna B. Cyrilli, natione Græci, professione Eremitæ sub Regula B. Virginis de Monte Carmelo, scripsit nouissimè, ac luculenter P. Ioãnes Baptista Lezana, non solum Ordinis sui Carmelitani, verum etiam Vrbis Romæ (iam promeriti tam docti viri ingenii domicilii, eiusque sapientiæ in sapientiæ schola Theatri) atque Orbis terræ suis libris in hoc nostro sæculo, scriptoribus & authoribus locuplete, ditati, spectabile ornamentum. Habes ea sparsim in 4 Tomo sacrorum Annalium eiusdem Ord. Beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

Scripsit nouissime gesta B. Cyrilli P. Lezana.

Fuisse autem B. Cyrillum B. Petro Bertholdo, primo Latinis Priori Generali Carmelitarum coæuum ad annum 1141. Fuisse spiritu prophetico clarissimũ, præsertim circa res Franciscanas, Angelico oraculo tabulis argenteis sibi Grecè traditas, nec tamen ex se in Latinum iuxta monitum transpositas, & expositas, seu Abb. Ioachimo, vt id efficeret, & ex humilitate in Ecclesiã Occidentalem, prout cęlitus monstratũ anno 1193. per nunciũ transmissas, quo etiam anno prophetiam ipsam cum eiusdem Ioachimi traductione, ac commentario ex Bibliotheca Vaticana rescriptam reperies: Demum fuisse virum hunc Cyrillum tertium ex Latinis Priorem Generalem Patrum Carmelitarum, refert idem Author ad ann. 2221. Apud quem etiam obitus Cyrilli ad ann. 1210. De Cyrillo autem, ceu eximio Propheta, habes carmen Baptistæ Mantuani Prioris Generalis Carmelitarum, qui fuit doctus, & pius Poeta, & multa carmina scripsit in laude Sanctorum, viuebatque anno Domini 1500. de quo Bellarm. infra citandus. Carmen eius apud eundem Lezanam ad ann. 1192. sic se habet in 5. Fastorum.

Prophetiam de Fran. tradidit B. Cyrillo Angelus Domini.

Cyrillus, diuinus homo cum sacra litaret,
Mane sub Aurora sacra vestitus ab olla
(Res miranda) Puer fulgenti splendidus ore
Astitit ante virum, liquidis suspensus in auris;
Argentoque, docens annorum fata sequentum,
Protulit: & manibus pronis dimisit in Aram,
Adijciens. Deus ista tibi secreta reuelat,
Sancte Pater. Tu fac populis ea nota Latinis,
Continuo mutans Romanus attica verbis
Nomina, ad Abbatem Siculum transmisit, & ille
Confestim in Latium scholijs ad singula iunctis,
Quæ superant, & habentur adhuc, passimque leguntur.

Carm. Bapt. Mant. de B. Cyrillo.

Vide alios Authores de B. Cyrillo apud eosdem Annales ad præfatum annum 1192. Et de Abbate Ioachino satis illa Bellarmini synopsis in lib. de Scriptoribus Eccles. ad sæculum 12. vbi sub anno 1195. ita de ipso. Ioachimus Abbas Florensis Monasterii viuebat anno 1195. scripsit in Isaiam, & Hieremiam, & Apocalypsim, & Concordiam Testamenti veteris, & noui, quæ omnia extant. Circumferuntur quædam vaticinia sub eius nomine de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum sit iudicium. Illud mirum est, quod cum ea vaticinia ad solos quindecim Pontifices pertineant, tamen curiositas hominum ad nostra vsque tempora extendere illa conatetur. Hæc Bellarm.

Quis Ioachimus Abbas, ad quem Cirillus misit suam prophetiam.

Igitur quando B. Cyrillus accepit ab Angelo in argenteis tabulis prophetiam illam de B. Francisco sub analogia, seu metaphora lapidis, ac petræ, erat idem Franciscus, cuius conceptio, & ortus anno Christi 1181. annorum ætatis suæ 11. Continuans deinde Pisanus eiusmodi prophetiæ narrationem suam loco citato, sic sequitur. Item cap. 6. in parte illa *Tunc palam, &c.* vocat Cyrillus B. Franciscum *Lapidem insecabilem, &c.* Et ad hunc potissimum lapidem directam eius conceptionem ipse conspicio, veluti ad fundamentum totius opificii tum Seraphici hominis in se solo, tum omnium gestorũ suorum in seipsis. Nam, *hoc dicit* (subdit Pisanus) *quia à Sanctæ Paupertatis formula, & charitate nunquam scindi potuit, aut separari, seu in minimo elongari.* Quæ autem mox annectit idem Author circa eandem petræ allegoriam, hæc sunt. Et in omnibus prædictis locis semper loquendo de petra, seu lapide, de quo dictum est supra in prophetia cap. 8. teste Ioachim, de B. Francisco loquitur. Sed in cap. 7. in parte illa, *Ne obliuiscaris filios, &c.* ibi B. Franciscum vocat *Petram, oleo litam* in diffluo. Vbi Abbas Ioachim in Glosa inquit. Ne obliuiscaris, &c. *Hic tangit quorundam religiosorum persecutionem,* & sequitur. Hi sunt filii petræ, oleo litæ in diffluo. Hæc est petra, quæ in superioribus durissima, vt puto, & insecabilis appellatur, cuius filii viam, & sanctitatem deserentes paternam, acerbissimè punientur cum aliis quibusdam plectendis; sed non totaliter destruentur. *Excessus quidem sanctitatis in Patre merebitur, vt vsque ad iudicij tempora filij eius quamquam praui perdurent.* Secabuntur tamen, idest diuidentur plurimi à statu illorum, maximè qui vitæ repræhensibilis fuerint. *O quam gauderem si tantum Patrem cum filijs mererer videre. Cæteri verò Religiosi in coccito manebunt,* vt litera innuit, *Coccitus quidem luctus interpretatur, quod dissipationem insinuat.* Hæc Ioachim, ait Pisanus, qui statim sequitur. B. Franciscus petra oleo lita potest verè nuncupari, quia Spiritus Sancti donis, & gratiis copiosè fuit inunctus; sed in diffluo. Quia hæc Spiritus Sanctus oleo, & dono influxit largiter ad tres nidos, idest tres Ordines faciendo; qui oleo Sancti Spiritus inuncti, & sanctificati fuerunt. Hac ergo prophetia Cyrilli apparet excellentia B. Francisci. Apparet quid suus Ordo in principio fuit, quid erit in medio, & in eius fine quoad mores. *Demum apparet iuxta B. Francisco reuelata, quod Ordo Minorum vsque ad diem Iudicij perseuerabit.* Hactenus Pisanus.

B. Franc. petra oleo lita in diffluo.

Cocciti interpretatio circa Minores.

Ordo Min. vsq. ad finem mundi duraturus.

Annos 11. habebat Fran. accipiens B. Ciril. ab Angelo prophetiam.

In ea dicitur Franc. lapis insecabilis.

Ob hanc Ordinis Minorum perennitatem decebat maximè, vt cõceptus Franciscus lapidis, seu petræ, omnes in suis prærogatiuis inclitæ (quatenus & fortis, & firmæ, & quadræ, & latæ, & planæ, & albæ, & mundæ, & sanctæ) in prophetico Cyrilli oraculo præferret similitudinem. Super talem namque petram ita solidè, ac durabiliter Franciscana Ecclesia construenda, ac firmanda erat vsque ad extrema Antichristi tempora; sicut constructa, ac firmata iam fuerat Romana Ecclesia, ad cuius reparationem illa ædificari oportebat. Vnde quod promiserat Christus Petro, Vicario suo illis verbis Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt*

Franc. vt petra respectu ecclesiæ suę perennitatis

lebunt aduersus eam, &c. Promisit quoque sub aliis verbis Francisco, quem petram Cyrilli ore ipsum antea nuncuparat, alloquens eum de Cruce, terque illi præcipiens domus suæ reparationem, sic dicens, *Vade Francisce, & repara Domum meam, quæ vt cernis, tota destruitur.* Misit etenim ipsum, & vt iret mandauit pro huiusmodi reparatione, nec tamen commisso operi aliquod certum tempus præfixit; quinimo nec vlla, ad illud opus exequendum, complendumque temporis mentio. Veluti vllum esset tempus vsque ad Mundi finem, quo Ecclesia Romana suo Euangelico Reparatore per eius Ecclesiam Franciscanam indigeret; ac propterea vtriusque duratio omnem huius vltimæ ætatis tempus amplecti fas erat.

Sub indefinito tempore cur eccl. repar. Franc. commissa.

Demum sub petræ simbolo prophetatus Franciscus à B.Cyrillo, à petra Petri significationem accepit. Propterea quod ad id præcipuè conceptus fuit, vt tria fulmina in Ecclesiæ æradicationē in vindicis Christi dextera iam parata, & accensa, retunderet, extingueretque. Franciscus conceptus vnus erat intra Matris suæ vterum, & tamen infallibiles cælestis prouidentiæ influxus, à quibus nostri Mathematici cœcutiunt, vt suo tempore tres esset Apostoli, ipsum præordinabant. Et hi Apostoli potissimum esset, quos veluti à se plus dilectos, ac familiares, secretorumque suorum, haud omnibus concredendorum, fidos seruos secum duxit Christus, vbi se transfigurare decreuerat.

Franc. vnus sin conceptu tres Apostoli esse debebat.

Ad quod demonstrandum non me fallit Interpr. doctrina, qua explicans, cur Petrum, & Iacobum, & Ioannem iuxta historiam Euangelicam Matth. 17 & non alios elegerit Christus, iter assumens ad Montem Tabor, ita misticè declarat in serm. Sabbati ante Dom. 2. Quadr. *Isti tres Apostoli, & speciales socij Iesu Christi, tres animæ nostræ significant vires*, sine quibus nemo potest ascendere ad montem luminis, idest excellentiam sanctæ conuersationis. *Petrus* interpretatur *agnoscens*. *Iacobus supplantator. Ioannes gratia*. Assumpsit ergo Iesus, &c. Assume & tu, qui credis, & speras salutem à Iesu.

Tres Christi socii in Transfiguratione quid misticè.

1 *Petrum*, idest tui peccati notitiam, quod consistit plerumque in tribus. *In cordis scilicet superbia. In carnis lasciuia. In Mundi auaritia*. Assume

2 Et *Iacobum*, idest *supplantatorem* istorum vitiorum, vt *sub planta rationis* conteras tui spiritus nequitiam, & superbiam. Tuæ carnis mortifices lasciuiam. Et fallacis Mundi reprimas vanitatem. Assume.

3 Et *Ioannem*, idest *Domini gratiam, quæ stat ad ostium. & pulsat, vt te illuminet ad cognoscendum mala, quæ fecisti, & te conseruet in bono, quod incepisti.*

Tria prædicta fulmina, hic Romæ per visionem patefacta, tria vitia principalissima (vt ipse Christus declarauit Matri suæ, filium suum extremè indignatum, ne perderet Ecclesiam, exoranti) demonstrabant; nimirum superbiam, luxuriam, auaritiam. Quippe ex his capitalibus criminibus veluti è tribus Auerni canalibus, omnis generis spurcitiis, amplè per totum Christianum Orbem tunc maximè confluentibus, plenis, illud scelerū diluuium magno impetu ruperat, quod in vniuersæ Ecclesiæ auulsionem, ac perniciem, Ecclesiasticos, Sæculares, Regulares, Principes, Magnates, plebeios, nobiles, cunctumq. sexum irreparabili inundatione vndique, & vbique fermè submerserat. Quare oportebat, vt Reparator Ecclesiæ Franciscus (iuxta axioma illud, *remota causa remouetur effectus*) ad illa extinguenda fulmina, quibus iram Dei in omnis carnis exterminium summè, & merito excandescere de proximo oportebat, mitteretur. Simulque Petri Apostolorum Principis petræ nominis significationem in se excellenter exprimeret, haberetque simul cum Petri petra Iacobi, & Ioannis simbola, tanto sibi eminenter promerita, quanto per traditum sibi à Christo munus, montem luminis, siue sanctæ conuersationis excellentiam ascendere suo tempore teneretur. Et quemadmodum in fundanda Ecclesia soli illi tres Apostoli prædicti circa Christi familiaritatem peculiares supra cæteros extitere; ita pariter in reparanda Ecclesia solus Franciscus hac pręcipua gratia alios excellere deberet. Et iuxta præeminentiam in assumendo sibi Petrum, & Ioannem, & Iacobum (nimirum triplicem, triformemque peccati notitiam, ad ea supplantanda cum Iacobo, & cum Ioanne, scilicet Domini gratia ad cognoscendum mala, quæ poterat facere sine illa, & cum illa, in qua natus non fecit, quia semper conseruatus, & confirmatus in bono, quod cum ipsa incepit) præemineret quoq; ipse præcipuè in Ecclesia in peraltū luminis, siue excellentē sanctę conuersationis montem, ascendens cum cum iisdem Apostolis, sicut postea biennio antequā obiret mirabiliter contigit. Etenim in Montis Aluerniæ summitate ad tam proximam familiaritatē cum Christo, iam adhuc in statu vię, gloriosè transfigurato, ac transformato admissus fuit, vt fuerit dignus ipsum quoq; glo-

Tria fulmina in Christi dextera aduersus eccles. obtria crimina vniuersalis.

Ad illa retūdenda prędicta Franc. conceptio.

Familiaritas Franc. cum Christo super Aluerniam vnies.

gloriosè intueri: ipsum quatuor vicibus tangere; tot enim ictus ab ipso in actu stigmatizationis per contactum positiuũ accepit, cum ipso os ad os insueto modo (quod prius, etsi aliàs ad illius colloquium pluries introductus, non fecerat) loqui. Et tandem in ipsum, in quem anima solum iam per multum tempus se antea transformauerat, carne, & corpore se quoque transformaret; & in hac prærogatiua nullum alium sibi parem haberet. Hactenus pro nunc de similitudine petræ iuxta propheticum B Cyrilli oraculum, inferius iterum citandum. At modo cum Interprete nostro secretiora arcana perscrutanda sunt, quæ spectant ad solam animam Legislatoris nostri.

Franc. Christus os ad os locutus est super Aluerniam.

In illo ergo conceptionis Franc. momento anima Euangelici, triplicisque trium Ecclesiarum in tribus Ordinibus Legislatoris, simulque triformis Catholicæ Ecclesiæ Reparatoris, suo corpusculo in instanti infusa est. Prout illius ideã, cum essentia diuina eandem respexerat intuitiuè ab æterno Deus, proutque in decretis æternis statuerat, vt esset, creauit eam, viditq; eam extra suam causam, & creando, & videndo infudit corpori. Vt talis propriè euaderet, qualem modò delineare non piget, etsi pigritans animi mei deuotio ad id, quod prætendit voluntas, non solum peruenire minime quibit, verum etiam neque à longe prætensam rem attigere poterit. Illam igitur insignem animã idcirco creauit Deus ad Franc. informandum corpusculũ, educens eam è suæ diuinitatis thesauro, vt per eam primariò, ac principaliter magnũ suum thesaurum, sibi valde genuinum poneret, & cum eo simul cor suum poneret in toto homine illo, ex tali anima, & ex tali corpore constructo. *Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit, Matth.6.* quem textum exponit Interpres de viro iusto, Dei thesauro effecto, loquens dulci Bernardi ore super illa verba Iob 7. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Scio, Domine (subdit Bernardus apud Interpretem serm. Dom. 1. in Quadrages.) quia vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Quomodo, Domine, nihil sumus, si thesaurus tuus sumus?* Sed qualis, quantusque is Dei thesaurus, scilicet Francisci viri iustissimi anima? Et ad quem locum reponendus is thesaurus, dum propter hunc peculiarissimo supernæ prouidentiæ influxu creauit eam Deus?

Anima Frã. Dei, & cordis Dei ingens thesaurus.

Homo est thesaurus Dei.

Prælibemus responsum argumento à minori ad maius ex doctrina Interpretis nostri, qui per hoc vnum verbum, *Dilige*, ad Dominum Deum relatũ, & ore Christi pronunciatum Lucæ 18. pulchrè explicat quatuor totalitates, scilicet, Totalitatem cordis. Totalitatem animæ. Totalitatem virium. Totalitatem mentis. Has enim ipse Christus prædicto dilige adiũxit, sic dicens cuidam Legisperito, *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et ex tota anima tua. Et ex omnibus viribus tuis. Et ex omni mente tua.* Vbi Interpres Dom. 13. post Trinit. ita scribit de

Quatuor totalitates in vno Deo diligẽdo.

1 *Totalitate*, totum cor comprehendente. *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nota ista duo, *Dominum, & Deum. Dominum*, quia dominatur cunctæ creaturæ. *Deum*, quia cuncta videt, & percurrit. De quo Iob 11. *Excelsior Cælo est, & facies profundior Inferno*. Post huius textus explicationem, subdit statim Interpres istam thesim. *Dilige ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Tuum, & ideo plus diligendus est. Plus enim nostra, quam aliena diligimus. Dignus enim à te diligi, qui cum sit Dominus Deus tuus, factus est tibi seruiens, vt tu eius fieres, & ei seruire nõ erubesceres, Isai.43. *Seruire*, inquit, *me fecistis peccatis vestris*. Triginta tribus annis Deus tuus factus est seruus tuus. Tuus propter peccata tua, vt à Diaboli seruitute liberaret. *Dilige ergo Dominum Deum tuum*. In primo opere cum non esses, te tibi dedit. In secundo opere cum malè esses, se tibi dedit, te tibi reddidit. Datus ergo, & redditus, te debes, & bis debes, & te totum debes. Dilige ergo Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo. Qui totum dixit, non tibi partem de te dimisit, sed totum sibi te offerre præcepit. Se enim toto emit totum te, vt solus te totum possideret. Item de

Prima totalitas respicit totum cor.

2 *Totalitate*; totam animam amplectente. *Dilige Dominum Deum tuum ex tota anima tua.* Anima (ait Interpres) est substantia incorporalis, intellectualis, rationalis, inuisibilis. Habens ignotam originem, nil terrenum in se mixtũ. Anima dicta quasi *Anemos*, quod Græcè dicitur *ventus, & motus*: Eo quod semper sit in motu proprio, & corpora moueat. Vel componitur ex *nemo*, quod Græcè *tribuo* dicitur, eo quod tribuit vitam corporibus. Vel ab *Ana*, idest *sursum*, & *atma* sanguis. *Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua*, vt motum tuum, cognitionem tuam, vitam tuam ad ipsius dilectionem referas. Item de

Secunda totalitas refertur ad totam animam.

3 *Totalitate*, quę cõtinet omnes vires. *Dilige Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis*. Nota (inquit Interpr.) quod sunt *tres virtutes animæ, scilicet Rationalis*.

Tertia totalitas continet omnes vires.

Con-

Concupiscibilis. Irascibilis. Rationali bona à malis discernimus. Concupiscibili ipsa bona desideramus. Irascibili mala detestamur. Has vires amiserunt effœminati, de quibus Iob 21. *Dulcis fuit glareis Cociti, &c.* Prudentia humana trahit rationalem. Voluptas carnis concupiscibilem. Vana gloria irascibilem, &c. Item de

Quarta tota litas claudit totam mentem.

4 *Totalitate*, totam mentem claudente. *Dilige Dominum Deum tuum ex tota mente tua.* Mens (subdit Interpres) est pars animæ quædam, per quam omnis ratio, intelligentiaque percipitur. *Mens vocatur eo quod emineat in anima, vel quod meminit.* Mens enim est non anima, sed quod excedit in anima pars animæ præstantior, à qua procedit intelligentia; *Vnde & ipse homo secūdum mentem imago Dei dicitur.* Ista autam hæc omnia admixta sunt, & adiuncta animæ, vt vna res sit. *Pro efficientia enim causarum diuersa nomina sortita est anima.* Dum viuificat, anima est. Dum vult, animus. Dum scit, mens est. Dum rectum iudicat, ratio est. Dum spirat, spiritus est. Dum aliquid sentit, sensus est. *Dilige ergo Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua.* Hucusque Interpres, ex quo ipse animaduerto illam causalem, in postrema hac totalitate secundum doctrinam D. Augustini positam, quæ fuit: *Vnde homo secundum mentem imago Dei dicitur.*

Quod habet melius natura in nobis est imago Trinitatis.

Docet enim idem Augustinus 14. de Trinit. cap. 8. *Imago quærenda, & inuenienda est in eo, quo natura nostra nihil habet melius.* Hæc eadem imago cum ad tres personas diuinas ratione creationis referatur, ex tribus pariter totalitatibus, teste Doctore Subtili, constituitur, nimirum ex tota *Mente*, per respectum ad totum Patrem, qui est in tota Trinitate primus. Ex tota *Notitia*, per respectum ad totum Filium, qui à tota mente Paterna, ceu notitia, seu verbum, substantiæ totius Patris notionem exprimens, loquensq; per actū intellectus naturaliter generatur, & in tota Trinitate secunda Persona est. Ex toto *Amore*, per respectum ad Spiritum Sanctum, qui totus *Amor* est, quique à Patre, & à Filio per actum voluntatis necessariò procedens, ei meritò animæ nostræ assimilatur amor, qui nec sine notitia, nec sine mente esse potest.

Totalitas in Deo respectu creaturarum suos habet gradus.

Hinc cum Deus mirabilis sit totus, vtpotè faciens mirabilia, & inscrutabilia absque numero, Iob 5. hæc in ipso totalitas suos habet gradus, hosque potissimum quātum ad rerum creatarum, quarum aliæ aliis nobiliores sunt, manifestationem. Totus fuit mirus omnium Opifex in exordio Mundi, ipsum Mundum creando ex nihilo, & cuncta, in ipso Mundo contenta, hæcque innumeris conferta mirabilibus. Sed ipse totus Deus magis totus mirabilis fermè extitit, hominem faciendo *ad imaginem, & similitudinem suam*, quam in conditione aliorum conditorum. Propterea quod duo simul summa, & imperscrutabili arte coniungens, scilicet animam, & corpus, illam vt formam, istud vt materiam, hominem, omnibus creaturis (Angelis exceptis) nobiliorem, superioremque naturali perfectione, cui omnia ceu iusto Principi, ac patrono de iure conditor ipse subiecit, mirandum in modum efformauit. Vnde homo id certè est, *quod continet omnia*, iuxta Interp. nostrum serm. 2. in die sācto Pentecost. *Est enim*, inquit, *animal rationale, quod continet omnia quatuor elementa*, ex quibus omnia constant. Et ser. 2. hebdom. 1. Quadrag. Alio modo, inquit, homo dicitur Mundus, qui secundum naturalem dispositionem ad instar Mundi est creatus. *Ibi enim* (vt exponit B. Augustinus super Genes.) *est Cælum, & terra, corpus, & anima. Ibi sunt quatuor elementa secundum quatuor humores, in anima autem sunt quatuor Orbes. Hic Mundus Marci vltimo vocatur omnis creatura; prout exponit Gregorius.* Hæc Interpres.

Deus totus magis totus mirabilis in conditione hominis.

In vniuerso Orbe naturali, Cælo, & elementis constante cunctæ res creatæ, quas mixtas vocant, in quinque genera disterminantur.

Quinque genera creaturarum cōdidit Deus.

Primum genus continet creaturas intellectuales, vt sunt Angeli, nouem ordinibus diuisos, supremumque Cælum, quod nuncupant ex splendore ignis Empireum incolentes.

Secundum genus continet creaturas rationales sub vna specie humana, cuius locus proprius in hac vita sola terra est.

Tertium genus continet creaturas sensibiles, quarum aliæ terram, aliæ mare habitant, aliæ per aerem discurrunt.

Quartum genus continet creaturas vegetatiuas, quæ vel in terra sola, vel in mari solo, vel ibi, & hic pariter vegetant.

Quintum genus continet creaturas omni anima carentes, quæ in omnibus elemētis fortè reperiuntur, siue melius generātur. Solus autem homo ob excellentiam dignitatis suæ, ac Principatus sui continet in se solo hæc omnia quinque genera creaturarum simul, ipse verò à nullo horum generum, quod ipse non est, scilicet quod rationale non est, potest contineri. Quoniam nec creatura intellectualis in se, nec creatura sēsibilis in se, nec creatura vegetabilis in se, nec creatura, omni

ni anima carente in se potest continere hominem, omnium ex hac parte superiorem, ac principem. Ipse tamen solus homo in suo esse naturali cum habeat intellectum, habeat sensum, vegetet, & in nullo, quod animari capax est, careat anima, prædicta quinque genera simul cum suo continet, & amplectitur. Habens namque esse rationale, ex omnibus aliis generibus aliquid naturaliter habet. Vnde meritò Gregorius hom.29. in Euang. citatus ab Interprete super illud Christi ad suos Discipulos in die suæ Ascensionis in Cælum. *Euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marc.vlt. hæc subiecit. *Omnis creatura nomine signatur homo: Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cũ Angelis*. Quod verò melius est, & excellentius in totali hac sua excellentia homo, imago Dei est, vt diximus cum Augustino. *Imago quærenda, & inuenienda est in eo; &c.*

Magna quidem hominis excellentia.

Etsi talis fuit totus Deus, crescens in sua totalitate, nõ in se, sed respectu prioris totalitatis in totalitate creationis hominis, cum, vt omnis veluti creatura ipse solus esset, efficiẽs, alius tamẽ gradus totalitatis, huius quoq; secundæ totalitatis gradu maior reperitur. Hominem condere in esse naturali fuit equidẽ res magna, fuitque vnicum in tota natura totius naturæ miraculum ob imaginem sui conditoris, in qua creatus fuit, & *quo* ipsa hominis natura, cunctas rerũ sibi subiectarum longè superans naturas, *nihil habet melius*. Attamen hominẽ facere sibi similem in esse gratuito, ac supernaturali per sanctitatem, ac perfectionem virtutũ, multò maior res est: *Faciamus hominem* (dixit Deus) *ad imaginem, & similitudinem nostram, &c.* Interpres noster digna concordantia septem articulis fidei, scilicet Natiuitati Christi, Baptismati, Passioni Domini, Resurrectioni, Ascensioni, Missioni Spiritus Sancti, Aduentui ad iudicium, applicans septem dies, in quarũ sex creauit Deus omnia, & *in septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat*, ita explicat hominis creationem, loquens de sexto articulo. *Sexta die dixit Deus faciamus hominem, &c.* Sextus articulus est Spiritus Sancti missio, in qua imago Dei, in homine deformata, & deturpata, per Spiritus Sancti inspirationem, qui *inspirauit in faciem hominis spiraculum vitæ*, reformatur, & illuminatur. Vnde Psalm.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, &c.* Vultus Patris filius. Sicut enim

Tertius totalitatis gradus duobus prædictis maior.

per vultum quis cognoscitur, sic per filiũ Patrem cognoscimus. Lumen ergo vultus Dei est cognitio Filii, & illuminatio fidei, quæ in die Pentecostes in cordibus Apostolorum tãquam quidam chaeacter fuit insignita, & impressa. *Et sic factus est homo in animam viuentem, &c.*

Quomodo Dei vultus signatum super nos.

Sed ablata hac supernaturali vita ab imagine naturali animæ, remanet illa necessariò deformata, & deturpata; remanet, inquam, sine lumine vultus Filii Dei, & fidei viuæ, scilicet sine operibus fidei, quorum carentia, vt sua anima careat fides, efficit. Remanet sine vitæ spiraculo, sine charactere iustificationis, sine quo non potest amplius dici *factum esse hominem in animam viuentem*. Ipsa namque naturalis imago à criminibus fœdata, tanquam ad vestigium Trinitatis, quod est in bestiis terræ, pro terra, & non pro Cælo creatis, redacta, eundem cum bestiis terræ efficit hominem, iam indignum Cęlo effectum, etsi ad imaginem Dei productum. Docet Interpres pulchra consideratione, qua discutiens, cur eadẽ sexta die fuerũt cœtus bestiarum terræ, simulque homo creati, ita exponit illa verba, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*. Hominem, ait, eodem die, quo bestias terræ formauit, vt compesceret superbiam hominis: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Psal.58. Vnde Ambrosius lib.7. in cap.15. Lucæ de Prodigo. Ille viuendo luxuriosè consumpsit omnia ornamenta naturæ. Vnde tu, qui accepisti imaginem Dei, qui habes similitudinem eius, noli eam irrationabili fœditate consumere. Opus Dei es, noli ligno dicere, Pater meus es tu, ne accipias similitudinem ligni, quia scriptum est, *Similes illis fiant qui faciunt ea.*

Sine 3. totalitatis gradu totus fit bestia homo

Igitur gradus totalitatis respectu commẽdationis totius Dei in Trinit. vestigio infimus est, lineatus tantummodo in creaturis inanimatis, vegetabilibus, sensibilibus. Gradus deinde totalitatis circa eandem Dei commendationem per imaginem naturalem summi Opificis, in homine solo repertam, superat primum gradum, & tanto altius superat, quanto ipse homo illis creaturis altior est, atque inde eminentior. Nam dum continet & ipse Trinitatis vestigium, quia est omnis creatura, Trinitatis vestigium eius imaginem continere non potest, quia omnis creatura non est homo. Nam lapis non est homo, planta non est homo, animal non est homo; sed è conuerso. Homo est animal, quia sentit, est planta, quia vegetat, est lapis, *quia habet commune esse cũ lapi-*

Tres prædicti totalitatis gradus explicantur.

lapidibus. Tertius gradus totalitatis in imagine perfectionali, gratuita, ac supernaturali, quæ à iustificatione, & sanctitate procedit, tāto amplius maior fit duobus gradibus prædictis ad magnificandū totum Deum, quanto amplius ipse Deo suo appropinquat, assimilatque hominem.

Quales 1. 2. & 3. totalitatis graduū effectus.

Primus totalitatis gradus per vestigiū Trinitatis non potest ex se solo extra terram ponere creaturas, in quibus est, etsi ponens naturaliter in ipsarum esse per illapsum naturæ totum esse Dei, eum vt Cæli, & terræ Creatorem demonstrent, laudent, exaltent.

Secundus totalitatis gradus per imaginem Dei, Trinitatis vestigium amplectentem, ponit quidem hominē in terra, ex qua, & in qua illū creatum, sed nō pro terra creatum, sed pro Cælo (vbi totum Deum per illapsum gloriæ debet appræhendere, & nunquam dimittere) simul ostendit.

Tertius totalitatis gradus non solum continet vestigiū Trinitatis, & imaginem Dei, sed etiam ipsā reformat, & illustrat, hominemque, terram inhabitantem cæcælestem vitam agere demonstrat, & illud suum commune esse cum lapidibus, commune esse cum arboribus, commune esse cum animalibus, commune esse cum Angelis cum Dei esse, vt gratiæ, & gloriæ authori non solum assimilat, sed in ipsum Deum sæpènumero in hac mortali vita eum transformat, & sic supra cæteros gradus prædictos altiori commendatione ipsum Deum extollit.

Quartus totalitatis gradus prædictis eminentior.

Reperitur etiam & quartus totalitatis gradus, qui tres memoratos longe anteit, superatque. Tres namque prædicti interioris hominis limites dum exire non possunt, quia extra mentem, & animam esse nequeunt, quartus hic vtrumque hominem, scilicet interiorem, & exteriorem totaliter continet, quia vtrique homini interius, & exterius imaginem Dei hominis, vt Deum hominem anima, & corpore exprimat, supereminenter imprimit. Ad maiorem verò tum prædictorum graduum, tum quoque & huiusce quarti intellectum, animaduertendum, quod similitudo Dei prima sui diuisione alia dicitur naturalis, alia perfectionalis. Naturalis itē duplex, quia alia impressa nuncupatur, alia verò expressa.

Similitudo Dei in homine multiplex.

Expressa similitudo in creaturis rationalibus propriè, & vt aiunt, secundum substantiam non reperitur, cum solus Dei Filius à Patre genitus sit in Trinitate imago Dei inuisibilis, & expressa, teste Apostolo ad Hebræos 1. Similitudo autē impressa (sicuti exempli gratia esset forma sigilli in cera) reperitur in anima ad imaginem, & similitudinem Dei factam. Quia Deus inspirans in faciem hominis spiraculum vitæ, impressit in hominem imaginem, & figuram suam, Gen. 2.

Similitudo perfectionalis duplex.

Rursus similitudo perfectionalis, quæ & gratuita duplex inuenitur. Quædam dicitur simpliciter imitatiua, quædam verò imitatiua, & transformatiua simul. Prior similitudo simpliciter imitatiua est, de qua Saluator Matth. 6. *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Posterior similitudo imitatiua, & transformatiua simul iterum duplex est; nam dum respicit solam animam altera est ab ea, quæ & animam, & corpus inspicit. Illa prout in via imperfectior est, sed prout in patria perfectior. Imperfectiorem describit Hugo 2. de arrha sponsę, alloquens animam suam illis verbis: *Scio, anima mea, vt dum alium diligis, in eius similitudinem transformaris.* Perfectiorem pandit Ioannes cap. 1. 1. ep. can. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Similitudo totaliter transformatiua in via quantum ad totum hominem, anima, & corpore constitutum, & in simplici homine nunquam neque in veteri Ecclesia vsque ad aduentum Christi reperta est, neque in noua, ab aduentu Christi vsque ad Franciscum. Nullus enim purus homo neque vsque ad tempora Francisci, neque vsque ad hæc nostra ita expressit Deum Verbum, hominem factum, & crucifixum, sicut expressit Franciscus. Vtraque in eo ista similitudo imitatiua, & transformatiua anima & corpore expressa dicenda, quatenus placuit Deo, vt quod intra Trinitatem exprimebat Filius, vt Patris imago, aliquo pacto etiam exprimeret Franciscus per similitudinem ad filium suum, hominem factū, & Cruci affixum. Nam sicut decens fuit, vt sola imago expressiua Patris in similitudinem hominum substantialiter facta per vulnera, & clauos redimeret Mundū, ita congruum videbatur, vt vnus Franciscus eiusdem imaginem filii, quantum ipsi licebat, anima, & corpore exprimeret, & in hunc modum idoneus esset, vt repararet Ecclesiam. De bina hac similitudine totali, imitatiua, & transformatiua simul loquens Bonau. in vtraque legenda (in maiori cap. 13, in minori in die festo Sacrorum Stigmatum) expressam eam nuncupat, & in toto Francisco, nimirum in eius anima, & in eius corpore demonstrat, eiusque congruentiam indigitat. Inquit enim in eodem festo ad lect. 2. vbi apparuit Christus Frācisco

Similitudo totalis in anima, & corpore expressiua, & sola in Franc. & congrua.

sub specie Seraph super Montem Aluerniam. Intellexit quidem, illo docente interius, qui & apparebat exterius. Quod licet Passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conueniret: ideo tamen huiusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus, *vt amicus ipse Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi Iesu Crucifixi expressam similitudinem transformandum*. Disparens itaque visio post arcanum, ac familiare colloquium, *mentem ipsius Seraphico interius inflammauit ardore. Carnem verò Crucifixo conformi exterius insigniuit effigie: Tanquam si ad ignis liquefactiuam virtutem præambulam sigillatiua quædam esset impressio subsequuta, &c.*

Christus sub specie Seraph docuit interius Frã.

Cuius rei figura ab exordio Mundi, vt puto, monstrata quodammodo fuit in illis totius Trinitatis verbis, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli, & bestijs terræ, Gen. 1.* Vox illa obliqua *hominem*, supponit totalitatem hominis, qui ex duobus constat, ex anima, & corpore. *Imago* deinde apud Latinos Interpretes simulacrum alicuius rei repræsentatiuum denotat, speciem, exemplar. Cicero de Orat. *Demostenis imaginẽ ex ære vidi. Similitudo* verò notæ significationis est; sed imago non est. Quod enim assimilatur alicui, etsi illius imaginem minimè haberet, posset tamen in aliis rebus ei conformis esse. *Nihil autem amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eadem voluntates, in eis fit, vt æquè quisque altero delectetur, ac seipso,* scribit Tull. lib. 1. offic. Discrimen ergo inter imaginem, & similitudinem illud idem puto, quod est inter speciem, & genus, verbi gratia inter hominem, & animal, quia sicut animal generalius est homine, ita similitudo communior est imagine. Qui enim habet imaginem Petri, habet & similitudinem; sed non è conuerso: quia imago propriè refertur ad vultum, similitudo autem, quæ magis imitatiua est, & ad vultum, & ad mores pari modo refertur.

Discrimen inter imaginem, & similitudinem.

Similitudo generalior est.

Hinc sacrarum literarum Interpretes, iuxta magnum discrimen inter naturam, & gratiam, aliud in hominis imagine, quæ naturalis est homini, aliud in eius similitudine cum Deo, quæ illi supernaturalis est, intelligunt; & in vtraque distinctionem, & vnitatem Trinitatis explicant; in imagine naturali per proprietates naturales, quæ sunt *Memoria, Intelligentia, & Voluntas,* Trinitatis misterium pandunt; sed per animæ vnitatem in simplici illius substantia vnitatem Diuinarum Personarum in vna simplicissima essentia, quæ ipsa anima sine vlla comparatione simplicior est, exprimunt. Plures alias proprietates naturales huius imaginis cum Deo adducit Liranus ex doctrina hebraica ad codicem Biblicũ, vbi nuncupat eas accidentarias. In similitudine supernaturali tres virtutes Teologales, quæ sunt *Fides, Spes, Charitas*; quæque *Dei gratia perficiunt naturam* (inquit Liranus in cap. 1. Genes.) ceu dignũ Trinitatis simulacrum constituunt, cui, subdit, pro essentiæ diuinæ vnitate gratiæ vnitas respondit. *Fides repræsentat Filium* (ait Bonau. in opusculo, vbi sex declarat terminos Theologiæ) *Spes Patrem, Charitas Spiritum Sanctum. Vnitas gratiæ vnitatem essentiæ.*

Dei in homine similitudo perficit imaginẽ naturalem.

Hæc sacra Theologia dum respicit hominem totum in sua naturali compositione animæ, & corporis coniunctim, haud tamen totum ipsum respicit, scilicet in parte interiori, in qua viuit vita rationali, & in parte exteriori simul, qua viuit vita animali, licet exterius Trinitatis vestigium præseferat. Homo exterior constat carne, quæ dum vegetat, sentit, & in hisce functionibus non differt à bestiis, atque à plantis; sentit, & vegetat per solum hominem interiorem, scilicet spiritum, qui cum sit anima rationis capax, animas vegetantem, & sentientẽ in se virtualiter continet. In hac parte interiori solummodo, tãquam in loco proprio, & capaci, imaginem, & similitudinem suam posuit Deus in primo homine. Faciamus hominem ad imaginem, scilicet naturalem; & similitudinem, scilicet gratuitam, seu perfectionalem, *quia Dei gratia perficit naturam*.

Imago, & similitudo Dei in homine interiori est.

Cum verò in efformatione primi hominis de terra terreni habuerit Deus ad secundum hominem de Cælo cælestem, scilicet ad Christum intuitum, vt patet ex D. Pauli doctrina; & cum homo in Christo factus sit Deus per vnionem hypostaticam ad verbum Deum, inuenit modum summus Opifex, vt eius dictum *Faciamus hominem, &c.* ad totum hominem interiorem, & exteriorem circa eius imaginem, & similitudinem haberet relationem. Verum hunc modum executioni demandare debebat post Christi incarnationem. Ipse namque Filius, à quo caro assumenda erat, dixerat simul in sexta creationis die cum Patre, & Spiritu Sancto, habens cum vtraque ad se ipsum vt incarnandum intuitum, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*

In efformatione primi hominis Christi, & Fran. figura.

nostram. Scilicet faciamus totum hominẽ, non solum in parte interiori per animã; sed etiam in parte exteriori per corpus ad imaginem, & similitudinem nostram. Nostram, inquam, quatenus in parte interiori totam Trinitatẽ & naturaliter, & gratuitè ipse patefaceret. In parte verò exteriori mei solius in corpore assumendo, ac Cruci confodiendo pro generis humani redemptione, imaginem, & similitudinem pro Ecclesiæ meæ reparatione demonstraret. Et me solum, à tota Trinitate ad talem incarnationem, & crucifixionem missum, demonstras in homine exteriori per visibilem, cruentamque confossionem, à me solo in carne eius immaculata imprimendam, ipse etiam solus meipsum cruciformiter exprimeret per simulacrum carnis: & per mentis imaginem, & similitudinem me cum Patre, & Spiritu Sancto, Memoria, Intelligentia, Voluntate, Fide, Charitate in vnitate animæ, & gratiæ Seraphica forma patefaceret. Fauet meam hanc meditationem B. Pisanus, quem post hæc à me adnotata obseruaui lib. 1. fruct. 2. vbi loquitur de Franc. singulariter in vtroque Testamẽto figurato, vbi sic in specie. Prima figura, inquit, est illa Gen. 1. & 2. de conditione hominis, facta sexta die ad imaginem, & similitudinem Dei. Ista ad literam est de Adam; & figuratiuè de Christo. *Sed si alteri Sancto debet assimilari, danda est B. Francisco, qui sexta die, idest sexti sigilli aperitione habetur Apocal. 7. fuit factus ad imaginem impressam, & expressam Domini Iesu, & eius similitudinem.*

Homo exterior similis Christo per vulnera.

Ex his licebit mihi vlterius speculari, atque indagare, raptus ad aliud arcanũ, quod vbi Tertull. in lib. de Resurrectione carnis monet vnumquemque, vt cælestẽ Opificem veluti statuarium quendam, in efformatione Adami valde cautum, ac studiosum, consideret, ita humano modo eum alloquitur. *Recogita totum Deum occupatum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, intelligentia, & ipsa in primis affectione, quæ lineamenta ductabat.* Recogito & ipse totum Deum fermè occupatum in Reparatoris Ecclesię suę conceptione, creans eo in instanti, toti Reipub. Christianæ auspicatissimo, illius animam, eamque simul suo infundens corpusculo.

Quomodò in conceptu Franc. totus Deus occupatus.

Totus namque vtique fuit Deus in primo naturæ signo circa Francisci animæ creationem eo modo, quo possumus excogitare ex doctrina Interpretis nostri in serm. Dom. 13. post Trinit. super caput Iob 38. *Deus*, inquit, *tetendit lineam dilectionis suæ super animam, vt ipsa se extendat vsque ad dilectionem proximi. Super quo, nisi super Iesu Christo bases; idest anima puræ intentiones, quibus tota fabrica virtutum innititur, sunt solidata.*

Linea dilectionis Dei quæ.

Hæc lineæ Dei extensio super Franc. animam, amorem suum vsq; ad amorem proximi, haud iuxta cõmunem modum, sed prout ab ea peculiariter reparandi, extensuram, ab actu suæ creationis, atque infusionis ad corpus secundum designationem quandam, iuxta præfixionẽ æternam proculdubio incepit. Quæ quidem designatio non poterat certissimè esse, nisi peculiarissima, sicut & peculiarissimũ debebat esse illud munus, ad quod dirigebatur. Moles autem tota huiusmodi muneris, ex peregrinis virtutibus, & operibus conflanda bases suas, scilicet intentiones puras tanto altius, profundiusque super Iesu Christo erigere debebat, quanto altius, ac profundius ipse Christus sibi inclinandus erat, occupans totam summam suam condescensionem, totam summam suam pietatem circa salutem suæ Ecclesiæ, quam perdere deliberarat, & ne perderetur, & in ruinam abiret robur animæ Francisci, suo innixa robori præordinabat. *Recogita totum Deum occupatum.*

Quomodo Deus tetendit lineam dilectionis super animã Franc.

Totus etiam fuit Deus circa corpus Francisci in illo conceptionis actu vsque ad vltimam organizationem, cui statim animæ creatio, & infusio contigit. Imò magis totus fuit, quam vbi mandauit Noe, eique assistentia sua præfuit, vt ædificaret Arcam ad reparandum, renouandumque octo animabus totum humanũ genus, ab vniuersali colluuione funditus destruendum. Inquit enim Interpr. noster serm. in die Sancto Pentecostes, Noe vir iustus, cuius *Arca est proprium corpus, quod benè dicitur Arca, quia sic dicta, eo quod arceat furem. Sic corpus viri iusti à se debet arcere omne vitium, quod venit, vt virtutes furetur.* Nisi tale perfectissimè, ac vnicè corpus Frãc. extitisset (quod vt tale esset, fabricauit natura in conceptu, authore naturæ peculiariter in eum influẽte) quomodo ipsumpotius, & non aliud cõgruẽter meruisset deinde Stigmata Iesu Christi visibiliter portare, quibus post tres Ordines, & Leges totum reparationis misterium compleret, & à scelerum diluuio totum humanum genus eriperet? *Recogita totum Deum occupatum.*

Cur Deus totus dicatur occupatus in corporis Frãcisci efformatione.

Ita est planè, recogita & tu, qui hæc in hoc rudi scripto legis, totum Deum occupatum ad efficiendum in cõceptione Francisci opus illud perrarum, admirandumque, quod suo postea tempore in nouam admirationem vniuersum Mũdum traheret. In illo instanti duo pecu-

Duo vasa in efformatione Franc.

Anima vas æneum continens thesaurũ gratiæ in vase fictili corporis.

liarissima vasa, alterum æneum, fictile alterum singulari quadam suæ prouidentiæ assistentia naturæ vires, dispositionesque dignificans, eleuansque, effecit Deus. *Vas æneum anima* (exponit Interpr. in serm.Dom.3.Quadrag. ex epistola) *in qua thesaurus gratiæ continetur, quia est firmior, & solidior. Vas fictile est corpus, in quo thesaurus conseruatur*, 2. Corinth. 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, &c. *Et bene*, subdit, in vasis fictilibus, *quia de terra fiunt, non solum corruptibilia, siue fragilia ad corruptionem, siue ad mortem; sed etiam ad peccatum.* Pro vtroq; vase affert Interpres illud præceptum ex 6.Leuit. *Vas autem fictile, in qua cocta fuerit Hostia, confringetur. Vas autem æneum defricabitur, & lauabitur aqua.* Affertque illud idem præceptum vt figura illius, quod scribit Apostolus 1.ad Thessalon.4. *Sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Deinde ita subinfert. Hostia est ardor doloris, in quo agitur pœnitentia, vel feruor deuotionis. Debet igitur vas fictile confringi, idest macerari, & atteri. Et tunc vas æneum defricabitur, dum scilicet ex hoc anima purior redditur à scoria peccati, 2.Corinth.3. *Licet autem is, qui foris corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.* Ita ibi Interpres.

Ardor pœnitentiæ, vel deuotionis in vase æneo

Occupatus Deus in effectione vasis ænei animæ Francisci in illo suæ conceptionis puncto, aspiciebat ad duplicem thesarum suum, alterum naturalem, ac præsentem, qui erat imago sua, cum substantia animæ creata; alterum gratuitum, qui ex succedenti gratia sua debebat illũ excellentissimo modo perficere, illustrare, atque vnicè formosum, & sine exemplo in tota Ecclesia reddere. Occupatus pariter in simultanea vasis fictili, scilicet corporis perfectè organizati efformatione, intuitus est eum veluti locum peculiarissimum, huiusmodi bini thesauris sui conseruatiuum, non solum à maximo Francisci pœnitentis ardore, feruoreque deuotionis confringẽdum, verum etiam à seipso confodiendum, vt tota Christiana Respublica, iã memoria Passionis suæ vsq; ad totalem obliuionem depauperata, summè ditaretur.

Vas fictile confringendum.

Vtroque Dei thesauro locupletandus Franciscus, ac propterea meritò in sua conceptione quasi occupatum patefaciens Deum, ostendit postea se quoque à primo suæ conuersionis puncto occupatissimum, ardens assidua pœnitentia, flagrans iugi deuotione circa Deum suũ, pro se ab instanti suæ conceptionis ex sola sua motum pietate occupatum reditum. Amorẽ Dei super omnia, & amorem proximi per Deum constituit Deus custodes bini thesauri sui, in æneo Francisci vase repositi. Sub horum tutela adeo creuit postea totus in ipso is thesaurus, vt imagini, ac similitudini Dei anima, ac mente summè adhæreus, antequam corpore ipsi per vulnera, & clauos adhæreret, eminentia verè ineffabili ipse intellexerit, summèque perceperit 40. summitates de Iesu suo. Intellectu siquidem verè Cherubico ipse cognouit, affectuque verè Seraphico penetrauit (coram intrans Deitatem dilecti, totusque dilectus totam sui cognitionem, dilectionemque amanti tam vnico imprimens) Iesum suum esse, teste Pisano in 1.Prologo Conformit.

Quadraginta summitates de Iesu.

1 *Summam vitam*, ad viuificandum.
2 *Summè pulchrum*, ad intuendum.
3 *Summum bonum*, ad delectandum.
4 *Summã sapientiã*, ad contemplandũ.
5 *Summam scientiam*, ad informandum.
6 *Summam virtutem*, ad fortificandum.
7 *Summam vitam*, ad liberandum.
8 *Summum cibum*, ad recreandum.
9 *Summum potum*, ad refocillandum,
10 *Summum Dominum*, ad venerandum.
11 *Summum hominem*, ad imitandum.
12 *Summum donum*, ad exoptandum.
13 *Summum bonum*, ad quietandum.
14 *Summè pium*, ad indulgendum, & condonandum.
15 *Summè mundum*, ad purgãdum peccata, & extergendum.
16 *Summum Principem*, ad gubernandum.
17 *Summum fortem*, ad hostem nostrum prosternendum, & superandum.
18 *Summum stabilem*, ad perpetuandum. Has summè appræhẽdit Franc.
19 *Summam laudem*, ad iubilandum.
20 *Summam gloriam*, ad beneficandum.
21 *Summè iustum*, ad retribuendum.
22 *Summum verbum*, ad omne exprimendum, & declarandum.
23 *Summam salutem*, ad sanandum.
24 *Summam hostiam*, ad Deum placandum.
25 *Summum fontem*, ad refrigerandum.
26 *Summum finem*, ad optandum.
27 *Summam visionem*, ad anhelandum.
28 *Summum florem*, ad redolendum.
29 *Summum fructum*, ad degustandum.
30 *Summam ianuam*, ad Cælum intrandum.
31 *Summum candorem*, ad serenandum.
32 *Summum lumen, & lucem*, ad irradiandum.

33 Sum-

33 *Summam pacem*, ad reconciliandum.
34 *Summum pretium*, ad Deo satisfaciendum.
35 *Summum Regem*, ad imperadum.
36 *Summam veritatem*, ad attestandum.
37 *Summam viam*, ad pergendum.
38 *Summam dulcedinem*, qua Beati satiantur.
39 *Summam requiem* laborantium.
40 *Summam spem* omnium, vitam æternam adire cupientium.

Ad tantas, talesque summitates intellectualiter, & affectualiter cherubicè, ac seraphicè summè eleuandus erat Frãciscus in Iesum suum. Et Iesus suus, vt vtroque modo eius seruus ad eas summè leuaretur, quadam peculiari familiaritate quasi cunctis vicibus ipsi præsens efficiendus. Et vt summa vita, eum summè viuificans. Et vt summè pulcher, ipsis variis modis iuxta statum viæ se summè patefaciens. Et vt summum bonum, summum ipsi influens delectamentum. Et vt summa sapientia, summè ab ipso contemplanda. Et vt summa scientia, ipsum summè informans. Et vt summa virtus, ipsum summè fortificans. Et vt summa vita, summus cibus, summus potus, summus Dominus, summus homo, summè ipsum liberans, summè recreans, summè refocillans, summa veneratione erga superna ditans, summaque locupletans imitatione, qua ipsi homini, & Deo superexcellenter conformatetur. Semper summè raptus ad ipsum ad exoptandum summũ bonum. Semper summè ductus ad summè pium, in condonandum, & indulgendum paratum. Semper summè sollicitus ad summè mundum, ad quem se purgaret, & extergeret veluti summum peccatorem, etsi summè purgatus, & extersus veluti mundissimum speculum. Semper summè subiectus ad summum Principem suum, summam curam de eo, & per eum de Ecclesia sponsa sua habiturum. Francisci deinde ad cæteras summitates summitas iam innotuit postea in toto terrarũ Orbe. Omnes fermè quadraginta has summitates per excessum amoris Frãc. ad Iesum suum, & per excessum dilectionis Iesu ad Franciscum suum (illum ei summum prout in puro homine, hunc verò huic summum prout in Deo, & homine, ac propterea vsque ad infinitatem, & immensitatem summũ) breuissimo verborum circulo clausit Bonau. cit. cap. 9. legendæ. *Tam feruido, inquit, in Christum ferebatur affectu, sed & dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, vt videretur ipsi famulo Dei quasi iugem præ oculis ipsius Saluatoris sentire præsentiam, sicut aliquãdo socys, familiariter reuelauit.*

Franc. imitatione ad Iesum suũ conformatus.

Ardor Frã. ad Deũ, Dei que ad Frã. familiaritas.

Ex tanta, ac tam multiplici ratione summitatum Francisci, erga Iesum suum summè humilis, & Iesu erga Franciscum suum summè clementis, euadendus vtiq; Franciscus summè scius per intelligentiã Cherubicam, & summè amans per voluntatem Seraphicam. Et quò sic scius, & amans, eò studiosior, ac sollicitior, vt binum *vas suum* (scilicet æneum animæ, & fictile corporis) *possideret in sanctifica tione, & honore*. Hanc geminam summitatem postea Deus veluti vnicam, nouamq; dono quodam præcipuo demonstraturus in Francisco, ipse deinde Franciscus ad huiusmodi donum accelerationem, cogi liberè debebatur ex superfluenti vasis ænei (in quo ardor doloris, ac feruor deuotionis erga Christum passum limites excederent) repletione, qua nunquã cessaret, macerandi, confrigendi, atterendiq; vas fictile corporis sui. Sicq; tali macerationi, confractioni, ruptioni, ex excessiua illa, diurnaq; vasis ænei impletione miro modo proueniẽti, succederet postea cruenta manuum, pedum, laterisque externa illa plagarum ruptio, per quã geminus vasis ænei thesaurus in effosso corpore patefaceret, quod ab instãti sui esse aliquo pacto præiudicauerat totam Deioccupationem, quam postea expertus est Franciscus in stigmatizationis suæ sacramento.

Franc. sũmè scius vt Cherub, summe amans vt Seraph.

Denique excogitandus totus Deus occupatus in conceptu Francisci, in ipsum Deum anima, & corpore suo tempore transformandi, quatenus illud admirandum opificium adeo multipliciter exaltandum, multiplices etiam influxus ob peculiares inspectiones diuinas circa propriam efformationem monstraturus esset. Inspexit certè Deus illud perrarum opificium, illum nouũ fętũ in vtero Matris suæ obtutibus valde singularibus, præcipuè propter septem.

Inspexit Deus opificium Fr nc. pluribus a.x causis.

1 Quia ipse solus per illam totalem animæ, & corporis transformationem futuram Deo homini crucifixo similis fiendus erat vltima similitudine possibili.

2 Quia ipse solus, sic transformãdus ab omni creatura, cernente postea eum summi Regis imagine, & similitudine præ cæteris decoratum; & consequenter eum ab ipso summo Rege plus aliis ex hoc dilectum, & amatum, extolli debebat.

3 Quia ipse solus naturalem appetitum quietare debebat, obtinens quod naturaliter appetebat, scilicet Deo anima,

Franc. quam terribilis hostibus visib. & inuisib. Eccles.

ma, & corpore assimilari, & copulari.

4 Quia ipse solus hostibus, tum visibilibus, Ecclesiam Romanam vbique infestantibus, tum etiam inuisibilibus, totum humanũ genus, maximè inter Christi fideles persequentibus singulari quadam vi, singulari Reparatori Ecclesiæ peridonea, terribilis, huiusmodi similitudinis effigiem ipse solus gerendo, euadendus erat. Sanctis verò dilectione præcipua amabilis, Dei in ipso bonitatẽ valde expressam, patulamque intuentibus. Viris itidem perfectis imitabilis. Peccatoribus, nouo lumine indigentibus, vnicè irradiabilis, vt possent ad se redire, & ad cor, pariterque ad Deum; talia, tam peregrina, & nondum excogitata in ipso operantem.

Vexillifer, & Cancellarius Christi

5 Quia ipse solus constituendus erat summi Dei *Vexillifer*, illius signum deferens. *Cancellarius* Altissimi, Sigillum Regis Regum, Redemptoris imaginem exprimens, in sua carne impressum, patefaciens.

6 Quia ipse solus futuræ gloriæ spõsione præcipua, annuloque nondum in Ecclesia viso subharrandus erat super sedem primi Angeli, ab eo post mortem adipiscendam.

In ipso vtraque Ecclesia summè exultat.

7 Quia ipse solus futurus vir ille Seraphicus, in quo vtraque Ecclesia, Triumphans scilicet, & Militans nouiter extollenda. Qui enim plus Iesu Capitis in humanis insignendus erat imagine pro directione ad vltimum finem, ipse proculdubio plus lucri omnium fidelium in terris, & plus gaudii omnium Beatorum in Cælis esse debebat. Plura alia ad id adduci possent ex Pisano in fructu 31. Sed ex præfatis ipse author loco citato in secundo prologo deducit, stabilitque istam thesim, summum Opificem in omni sua occupatione circa Francisci conceptum exaltans, magnificansque. *Quibus apparet, quod Deus etsi similitudines antedictas imprimendo, & largiendo mirabilis sit. Supermirabilis tamen extitit totum hominem in se transformando.*

CAPVT IV.

Signum cæleste Capricorni, sub quo peculiaribus diuinæ prouidentiæ influentijs conceptus est Franciscus, congruum satis; in eo namque natus Christus, conceptus sub Ariete, cuius symbola explicat pariter & Franciscus.

Vnde conceptio Franc. ad diem 4. Ianuar. sub signo Capricorni deducta.

Signum cæleste, sub quo conceptus est Legislator Franciscus fuisse Capricornum, supponimus tantummodo iuxta communissimum Romani Calendarii supputandi modum. Si enim ipsum natum facimus ea die, qua mortuus est, quaque annum ætatis suæ 45. integra circulatione compleuit, sequitur, quod eius cõceptio contigerit die 4. Ianuar. à quo vsque ad 4. diem Octobris menses nouem interponuntur. In hunc modum deducit Ecclesia conceptionem Virginis ad diem Decembris 8. Similiter & conceptionem Christi ad diem Martii 25. vt superius tetigimus. Porrò signa cælestia influere directè, ac per se, vt aiunt, in omnia corpora sublunaria; indirectè autem, & per accidens in animas rationis capaces, docent omnes Theologi. Vnde est illud vulgatissimum axioma, *Astra inclinant nõ necessitant*, idque respectu illarum operationum, quæ liberum hominis animum, ac voluntatem cõcernunt. Quare in illorum motione Dei potius manus attendẽda, & adoranda, vt scripturæ asserunt, & Patres, Concilia, & Romani Pontifices docent, & tenent. Interpretes sacrorum Bibliorum innumera, iuxta quatuor scripturæ sensus misticè proferunt per concordantiam ad astra, ac signa cælestia de Christo, de Virgine, de Apostolis, de Sanctis, de supernis spiritibus, de Deo in se vno, & trino, & de his etiã, quæ spectant ad mores, vt penes Interpr. nostrum Dom. 5. post Pascha sub illud Iob 9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri*. Vide ipsum ibi, & alibi in præsenti opere, & paulò infra.

Capricorni signũ, quod in totius Zodiaci circulo, in quo 1. est Aries ad 22. Martii, tenet locũ decimũ post Sagittarium. Incipit à 22. Decembris, duratque vsque ad 22. diem Ianuarii, & per consequens quando fuit conceptus Franciscus prædicta die 4. Ianuarii idem signum dominа-

minabatur. Neque hæc nostra præsuppositio aduersatur illorum sententiæ, arbitrantium, Franciscum natum ad diem 26 Septembris in Dominica, ac propterea die Decembris 26. conceptum præcedentis anni. Nam signum Capricorni incipit die 22. Decemb. Verum circa incertitudinem huius sententiæ loquemur libro sequenti cap. 1. sect. 2. & 3.

Quid Capricornus fabulosè.

Fabulatores inquirunt huius decimi signi originem, ad quem inuestigandum haud cuncti inter se concordant; Astronomi verò numerant eius Stellas per illius corpus, quod figurant, disterminatas. Capricornus, aiunt nonnulli ex illis, cæleste signum, *quod Pana* fuisse existimant, qui in Aegypto repentino aduentu Typhonis Gigantis perterritus, posteriorem partem in effigiem *Piscis*, priorem verò in formam *Hirci* cōmutauit. Cuius ingenium admiratū Iouem, ferunt hanc figuram in Cælum transtulisse. Alii volunt, *Capricornum Iouis fuisse collactaneū*. Amalthea enim, cui Iuppiter nutriendus datus erat, cum ipsa lac non haberet, aluit cum lacte Capreæ, quæ duos habebat hædos, quos Iuppiter vnà cum matre in Cælum transtulit. Astronomi, qui in toto Zodiaci ambitu ponunt imagines 48. siue 49. quarum duodecim nuncupant signa, reliquas verò Stellas fixas, lineantes viginti Stellarum ordine, seu positione totum corpus Capricorni, in Zodiaco decimi, ita ferunt. Capricornus Stellam habet in naso 1. in pectore 2. in pede 2. inter scapulas 7. in ventre 6. in cauda 2. Apud Bedam Stellæ, in hoc signo explicatius traditæ per omnes suas partes, præfixæ sunt 26. Inquit enim tomo 1. vbi de signis cælestibus. Capricornus habet in vtroque cornu Stellas duas. In naribus splendidam vnam. In capite duas. In collo splendidam vnam. In pectore duas. In anteriori pede vnam. In summitate ipsius pedis vnam. In dorso septem. In ventre quinque. In cauda duas. Sunt omnes 26. Hæc Beda ibi. Recensiores tribuunt huic signo Sydera 28. sed duodecim esse lucidiora fatentur.

Quid astronomicè, & quotis stellis constet.

Christi conceptio sub signo Arietis, de quo triplex narratio.

Christi Iesu Redemptoris Mundi conceptio *sub signo Arietis* contigit. Aries tum secundum historiam naturalem, tum secundum metaphoricam narrationem, tum demum secundum astronomicam doctrinam inuenitur penes Latinos. Primo modo sic. *Aries* mas ouium est, duxque gregis, qui integer est, & tenetur ad generandum, non sic veruex. *Ab Ara dicitur Aries*, quod aris imponi ad sacrificia soleret. Secundo modo. Ab Aries similitudine *bellica machina Aries* appellatur, de qua ita Vegetius lib. 4. cap. 14 Materia, ac tabularis testudo contexitur: quæ ne flammis exuri possit, corio, siue cilicio vestitur. Intrinsecus recipit trabem; quæ si adunco præfigitur ferro, Falx vocatur, ab eo, quod incuruata est, & ex muris lapides extrahat. Si verò caput ipsius ferro tegitur, *Aries appellatur*, quod instar arietini capitis fieri soleret. Vel quod habet durissimam frontem, qua subruat muros. Vel quod more Arietum retro cedit, vt vehementius feriat. Vide Cæsar. 7. belli Gall. & Plin. lib. 7. cap. 56. Qui nunc Aries appellatur in muralibus machinis, Epeum ad Troiam ferunt inuenisse, &c.

Astra in Ariete septemdecim.

Tertio modo. Aries prout cæleste signum, primum, ac princeps in Zodiaco, incipiens à 22. Martii, duransque vsque ad 22. Aprilis, constat Stellis 17. Habet namque in capite Stellam vnam. In nare tres. In collo duas. In summitate anterioris pedis vnam. In dorso quatuor. In cauda unam. In ventre tres. In lumbo vnam. In summitate pedis vnam. Omnes sunt septemdecim. Beda loco citato. Penes recensiores, Aries habet Astra 13. quorum sex sunt aliis lucidiora. Ortus Christi, & conceptio Francisci conueniunt in signo Capricorni. Signa verò in conceptione, & ortu vtriusque disparia sunt nomine, natura, & loco, vt patet, quia ortus Francisci sub signo Libræ. Possumus tamen ob maximam similitudinem gestorum Francisci cum Christi gestis (pro quibus Pisanus noster integrum, celebremque Conformitatum volumen edidit) insimul in vtriusque conceptione duo signa, Arietis, & Capricorni coniungere. Nam sicut in Christi conceptione inuenitur misticè Aries ipsius Christi cum Capricorno Francisci, ita pariter in conceptione Francisci cum huius Capricorno Christi Aries adiunctus est. In gregum suorum ouilibus, è quorum primo fundanda erat ad generis humani redemptionem Ecclesia, è secundo verò, tripliciter vario instituendi tres Ordines, hisque tres leges tradendæ pro triplici eiusdē Ecclesiæ reparatione; Christus, & Franciscus vocantur Pastores, Patres, & Duces, quia ipsi semine Euangelii genuerunt oues, duxerunt greges, ac per consequens ambo simul Arietis symbola ex suæ conceptionis initio iure meritò explicuerunt. Et quia in Ara Crucis veluti duæ Hostiæ viuæ diuersimodè immolandi erant (alter super Caluariæ Montem ad prædictæ redemptionis consummationem, alter super Montem Aluernæ ad præfatæ triplicis

Ortus Christi, & conceptio Franc. sub eodem signo.

repa-

Sub signo Arietis Christi conceptio, Franc. verò simbolicè.

reparationis complementum) idcirco conueniens item fuit, vt Redemptor conceptus sub Arietis signo, Arietis simbola Reparatori Ecclesiæ suæ communicaret, deferens quoque Capricorni insignia cū ipso Francisco sub eo corpore, vt pauló infra dicemus. Ipse Christus, & ipse Franciscus, vterque conceptus, vt Aries immolatione esset, bellica pariter Arietis machina cilicio circumuestita factus est ad quinque Ciuitatum, per quas Satanas atrium suum munitissimum custodiebat, expugnationem. Vide Interpretem in serm. Dom. 3. in Quadrag.

Vel dicamus alio modo, *Aries Christus arietans in verbo* (vt loquitur Chrisol.) & Aries quoq; Franc. ambo longè fortiores in Arietem illum, de quo Interpres noster ibidem super illud Christi apud Lucam 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia: quæ possidet, &c.* Fortis armatus (subdit Interpres alibi datus) est spiritus superbiæ, cuius arma sunt cornua excelsa, quibus ventilat, & impugnat totum Mundum. Vnde Dan. 8 *Vidi Arietem cornibus ventilantem contra Aquilonem, & contra Meridiem. & omnes bestiæ non poterant desistere ei, nec liberari de manu eius; fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est.* Aries iste, inquit, spiritus superbiæ significat, qui cornibus elationis ventilat contra Occidentem, Aquilonem, & Meridiem.

1 *In Occidente pauperes, & Minores,* in quibus defecit calor superbiæ.

2 *In Aquilone æquales.* Ponam, inquit Diabolus, sedem meam ad Aquilonem, & ero similis, idest æqualis Altissimo. Isaiæ 14.

Ambo fuerunt Aries in Arietem Diabolum dimicaturus.

3 *In meridie maiores,* in quibus feruet calor dignitatis, & potentiæ. Aries ergo cornutus, idest cornutæ superbiæ spiritus ventilat contra Occidentem, idest conculcat pauperes, & maiores. Et contra Aquilonem, quia contemnit æquales. Et contra Meridiem, quia subsannat, & deridet maiores. *Et omnes, inquit, bestiæ non poterant resistere ei, nec liberari de manu eius.* O cornuta superbia, quis de manibus tuis poterit liberari, cum Luciferum signaculum similitudinis, *cuius operimentum,* vt dicit Isaiæ 4. *fuit omnis lapis pretiosus,* in tantæ elationis altitudinem eleuasti? *Calestis es natione, & ideo mentes cælestium inhabitare consueuisti, latens sub cinere, & cilicio, &c.* In his vltimis verbis, *latens sub cinere, & cilicio,* tangit Interpr. superbiæ Luciferi dolos, ac stratagēmata, qui cum esset Aries, cornibus pauperes, & minores, & æquales; & maiores ventilans, tentans Christum in deserto

Superbiæ natio cælestis est.

ceu vir solitarius, cinere, & cilicio indutus apparuit, vt tali arte tutius in ipsum ter cum inuadens præualeret. Sed Aries Christus tribus vicibus etiam validiori impetu arietauit in illum, atque vt retrocederet impulit.

Rediens postea Interpres ab Ariete Danielis ad Christi verba, quę declaranda proposuerat, scilicet, *Cum fortis armatus custodit atrium suum, &c.* ita sequitur, veluti si describeret tempora Christi, de mēse Martio cōcepti sub signo Arietis, & tēpora Franc. cuius conceptio de mense Ianuarii sub signo Capricorni, illa Christi redemptione, hæc Franc. reparatione ob magnum superbię in mortalium cordibus dominium indigentia. Atrium cornutæ superbiæ est cor superbi, in quo superbia speciale elegit sibi hospitium. Sicut enim in corde principium est venarum, & prima virtus creans sanguinem, sic à cordis superbia procedit omne malum: Hoc atrium cordis fortis custodit, ne aliquis ex eius aduersariis ex aduerso ascendat, & pacem conturbet, de qua Dominus Lucæ 19. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Et Psal. 72. *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.*

Propriū superbiæ hospitium cor est.

Igitur contra Arietem superbiæ, vniuersum Orbem (vel tempore, quo mittendus erat Christus, humanum genus per illius expulsionem, ac victoriam redempturus, vel quando destinandus erat Franciscus, Ecclesiam Christi, iisdem armis ipsummet Arietem expellens, ac vincens, reparaturus) ventilantem, & conculcantem, Aries Redemptoris, & Reparatoris armandus erat. Is enim in vtroque debebat erigere *cornua salutis nostræ in domo Dauid pueri sui,* scilicet potentiā, & robur Humilitatis, & sic fortem superbiam fortiori Humilitate vincere, & expellere ab omnium cordibus, vt Redemptoris, & Reparatoris humilitati locum (illa deiecta, & expulsa) præberent, scādalum Crucis amplectentes, & quæ stulta sunt Mundi cum Christo Redemptore, & Francisco Reparatore eligentes.

Ab humilitate Christi, & Franc. expellenda

Patet hæc mea consequentia ex verbis sequentibus, in quibus ipse Christus apud Lucam citatum: *Si autem fortior illo superueniens, vicerit illum vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat.* Vbi Interpr. statim, quasi figurans opus Redemptionis per Christum, & opus Reparationis per Franciscum. *Fortior, ait, est Humilitas.* De eius fortitudine dicit Dauid ad Saulem Regem 1 Reg. 17. *Leonem, & Vrsum interfeci ego seruus tuus,* Dauid interpretatur *manus fortis, & significat humilem,*

qui

Arma superbiæ quinque sensus, qui etiam dicuntur quinque vasa.

qui quanto magis humiliatur, tanto fortior efficitur. Iste humilis seruus interficit Leonem superbiæ, & Vrsum luxuriæ. *Vniuersa arma eius auferet, &c.* Arma, vel vasa (vt dicit Matthæus) spiritus superbiæ sunt quinque sensus corporis, quibus quasi quibusdam armis cæteros impugnat, & in quibus quasi quibusdam vasis venenum elationis mortiferum portat, & aliis propinat. *Superuenit ergo humilitas à Christo*, qui est Deus benedictus super omnia, qui dicit Matth. 11. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et intrat in domum fortis, & in atrium cordis, in quo habitat superbia, & ipsam deuincit, & foras expellit venenum elationis *theriaca Humilitas*. Qua expulsa, omnia arma eius, in quibus confidebat, humilitas aufert, vt de cætero nihil elatum, nihil vitiosum appareat in sensibus corporis, *sed Humilitatis insignia vbique se repræsentent, &c.* Sub his insignibus Pastores, Duces, & Patres, scilicet Christus, & Franciscus, ille Redemptionem Mundi incepit, & consummauit, hic Reparationem Ecclesiæ, ob quam conceptus, & natus, & educatus, missus, & extinctus, atque Redemptori Mundi simillimus effectus.

Hæc abstulerunt Christus, & Frã.

Animaduertenda quoque illa Interpretis apostrophen in laudem Humilitatis, paulò ante prædictę Christi consequẽtiæ, *Si autem fortior illo, &c.* explicationẽ pronunciatæ illis verbis. *O Margarita fulgens. O narde recolens. O Humilitatis cinnamomum aromatizans.* Illud verbum, *ò narde recolens*, & illud aliud, ò *Humilitatis cinnamomum*, tempus vernale indicãt, ob Arietis signum, à quo Ver incipit. Aries enim Fauouio sufflat, vt fluant aromata hortorum. Hic est ventus, quem vocant Zephirum, & est ventus ab occasu æquinoctiali spirans contra Subsolanum, teste Plinio lib. 2. cap. 47. *A fouendo Fauonius dictus, quod cuncta foueat.* Est enim genitalis spiritus Mundi. *Mare, Fauonio nascente, purpureum videtur*, ait Tullius in Acad. Ex hoc flatu, seu spiritu Arietis cuncta viridia generantur, vt germinent, floreant, ac fructificent. Sub Arietis signo mares solent gigni.

Aries quia Fauonio spirat, auspicatissimus est, ac proficuus

In Christi conceptione, & in conceptione Francisci mulier Virgo Maria, & mulier Pica, illa concipiens ex Spiritu Sancto, hæc ex viro suo Petro, circumdederunt in vtero virum. Nam vterque sub signo Arietis, etsi non vterque sub illo signo conceptus, *insignia Humilitatis explicaturus*, spiritus, ac flatus Dei vernale tempus Redemptionis Mundi per Christum, & Reparationis Ecclesiæ per Franciscum indicabat. Et per vtriusque sanguinem Mundi mare (nascente Fauonio) purpureum videri fas erat.

Capricornus, in quo conceptus Franc. ob suum australem ventum (ventum meridionalem, ab hauriendis aquis dictum, ventum nubilosum, & humidum) malè sanus fit, calidus, ac pestifer, innumera fulgura, ac nimias pluuias gignit, in mare tempestates excitat, naturalia hominum, animaliumque impedit, grauiaque reddit corpora. Nihilominus in conceptione Francisci, iuxta axioma illud, *Contrariorum eadem est disciplina* id, quod misticè ex opposito demonstrat, videtur cum Arietis simbolis adiungi posse. Quidquid est in Capricorno, ob Australem ventum naturaliter contra corpora sublunaria vitiosum, atque aduersum, potest vtique denotare vitia virtutum, in vitiorum vim contradictoria potentia aduersa. Quid? habentne vitia sua virtutes, quibus genuina hostilitate in vitia destruenda dimicent? Habent equidem, nam si vitium id propriè est, quod virtuti opponitur; ita dictum, quia vitandum est, ac fugiendum; dum vitium docet vitandam esse, fugiendamque ceu hostem sui virtutem, & tamquam sui destructiuam, in ea pariter vitium illud ponit, per quod sibi à virtute excidium moliri experitur.

Capricornus ob ventum australe nociuus est, & infaustus.

Hinc in sacris literis signum Capricorni ratione proprii venti Australis, qui calidè est naturæ, referendum videtur ad Spiritum Sanctum, fontem viuum, Ignẽ, Charitatem, Vnctionem spiritalem, munere septiformem, de quo conceptus Christus in signo Arietis, vt esset Mundi Redemptor. Et per quem Franciscus, in signo Capricorni conceptus, constitutus est de mandato Regis Christi, qui miserat Spiritum Sanctum in Apostolos, Ecclesiæ Christi Reparator. Iob vnà cum tribus signis celestibus, quæ sunt Arcturus, Oriona, & Hyades, coniungit Austri interiora, sic dicens, alloquens cap. 9. Deum suum. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.* Explicat pulchrè ad rem nostram hunc textum Interpres citatus in serm. Dom. 5. post Pascha.

Tamen potest referri ad Spiritum Sanctum.

1 *Arcturus; idest Vrsa cauda*, septentrio à Latinis dicitur, quia septem Stellis constat, quæ propter plaustri similitudinem, plaustrum nominatur. *Quinque Stellæ sunt quinque corporis sensus, quos duæ Stellæ, idest spes, & timor, tanquam duo boues deberent trahere.* Vnde 2. Reg. 6. dicitur, *quod Phylisthym tollentes duas Vaccas iunxerunt ad plaustrum, & posuerunt Arcam*

Quid Arcturus astronomicè, ac misticè.

Dei super plaustrum nouum. *Plaustrum* dictum quasi plastrum, quia voluitur. Corpus nostrum significat, quod debet volui in operibus Misericordiæ. *Nouum* satisfactione pœnitentiæ, quod debet ferre Arcam obedientiæ. Hoc plaustrum duæ Vaccæ, *idest spes, & timor* trahunt vsque *Bethsames*, quæ interpretatur *Domus Solis*, idest vitæ æternæ mansionem, in qua habitat Sol Iustitiæ, &c. Recensiores Vrsam maiorem Arcturum faciunt, eique tribuunt Stellas 27. quarum duodecim principaliores. Vrsam verò minorem cũ Stellis septem Cinosuram appellant. Sed ad Interpretem.

Quid Orion vtroq etiam modo.

2 *Orion est Stella à gladio dicta*. Vnde etiam Latini iugulam vocant, eo quod sit armata vt gladius, & Stellarum luce terribilis, & clarissima. *Orion in ipso pondere hyemalis temporis exoritur, suoque ortu imbres, & tempestates emittit. Orion est cordis contritio, & oris confessio*, quæ cũ oriuntur imbres lachrymarum, & tempestates disciplinæ, & ieiunii, & abstinentiæ emittunt, &c. Orionis astra apud modernos 38. quorum duodecim famosiora.

Quid ita & pariter Hyades.

3 *Hyades sunt quinque Stellæ* in similitudinem y Græci. Hyades sunt illa quinque verba, quæ Paulus scribens Corinthiis ep.1.cap.14. in Ecclesia in sensu suo volebat loqui. Quæ sunt verbũ orationis, laudis, consilii, exhortationis, & confessionis. Tota hæc doctrina ex benedicta Interpretis nostri Lingua procedit. Alii scribunt Hyades esse Stellas septem in capite Tauri.

Quod autem in hisce tribus signis per allegoricam coniunctionem inueniantur Christus, & Franciscus, haud erit difficile patefacere. Stellæ fuerunt quinque sensus in Christo, & in Francisco, quia in vtroque homo exterior in vitæ perfectione stabiles, & splendidi. Sed in Christo, ceu in filio Dei naturali, qui & ex sua natura vt Stella Iacob conceptus, & ortus, & per naturam impeccabilis. In Francisco autem vt in filio Dei per gratiam, & filii Dei strenuo imitatore, qui in peccatis conceptus, sed ab vmbra culpæ læthalis liber. Due Stellæ spei, & timoris circa gloriam æternam, cuius vt Deus auctor erat, vt Homo ab instãti suæ conceptionis Beatus, haud esse poterunt in Christo. Timor ille fuit in ipso, qui veritatem humanæ naturæ, cum qua communes defectus assumpserat, demonstraret. Spes vt est virtus Theologica extitit, prout nunc extat, sed vt in radice, cui innititur, quia ipse est fons, & origo theologicarum virtutum, Fidei, Spei, & Charitatis, quæ in baptismate infunduntur.

Duæ stellæ spei, & timoris quomodo in Christo.

Plaustra corporum Christi, & Francisci semper sese voluerunt circa opera Misericordiæ, sed illud vt summè ductor, istud vt ab eo (sine quo nihil poterat facere) excellenter ductum. Hoc in vtroque plaustrum nouum extitit satisfactione pœnitentiæ, qua detulerunt Arcam obedientiæ *vsque ad mortem, mortem autem Crucis*. Sed Christus vt Redemptor Mundi obediens Patri, & Cruci materiali, ac ligneæ duris clauis super Caluariæ montem affixus, atque extinctus. Franciscus verò vt Reparator Ecclesiæ; obediens Christo, & ad corporis proprii Crucem super Montem Aluernam ab ipso Christo confossus, & in ipsa crucifixione, seu cruciformitate post biennium mortuus. Verum satisfactio pœnitentis non sic fuit in Christo, sicut in Francisco fuit. Quia Christus satisfecit æterno Patri pro peccatis nostris, quæ in pœnam ipsorum æternam remedii mediatoris Dei, & hominum carentiam iustè merebantur. Frãciscus autem satisfecit Christo, tum pro se circa personales defectus eo modo, quo in ipso reperiebantur, imò quo ab ipso concipiebantur sine Dei adiutorio, vt est apud Bonau.cap.7. tum pro tota Ecclesia in quantum liberè amplexus est Crucifixi mandatum, & illud opus aggressus, quo sine summa pœnitentia, ac pœna exequi minimè debuisset.

Quomodo Christus, & Francisc. in Arcturo, Orione, & Hyadibus reperiantur.

Item Christus veluti misticus Orion alium Orionem efficit Franciscum. Nam Oriens in Francisci horoscopo, imbrium & tempestatum signum fuit, vt propterea ipse Franciscus eius exprimens similitudinem, suisque influxibus, ac prognognostico respondens, veluti alius Orion apparuerit. Orion, inquam, in cordis cõtritione, orisque confessione, ex quibus exortæ in ipso cum maximo excessu imbres lachrymarum, & tempestates disciplinæ, & ieiunii, & abstinentiæ.

In Hyadibus Christus pro Ecclesia sua, ad quam fundandam missus, & Franciscus pro sua, & pro Ecclesia Christi, ad quam reparandam conceptus, & vterq; quinque plagarum Stellis exornatus, quę Paulus audiri, atque experiri volebat, voluerunt. Sed Christus vt Doctor, & Magister, antequam Paulus esset, illa quinque voluit, & vt sui Apostoli vellent, & facerent, & vt Paulus vellet, & faceret, fecit, & docuit. Franciscus vt edoctus, & directus in omnibus immediatè à Christo, prout docet Bonau. cap. 2. ipsamet quinque verba semper obseruauit, & vt à suis obseruarentur, verbo, & exemplo monstrauit. Igitur ex dictis patet, quod in Arietis signo, in quo conceptus

Coniunctio horum triũ signorũ cum Ariete mistice.

ceptus Christus, illius explicuit insignia, & ex quo Franciscus traxit simbola etsi conceptus sub signo Capricorni, coniungendi sunt Arcturus, Orion, & Hyades. Sub his enim quoq; factus Aries Christus in sua humilitate fortior ad expellēdum, & vincendum Arietem spiritus superbiæ, & factus quoque Aries Franc. in Christo, & per Christum ob Christi humilitatem contra illum Arietem fortissimus, vterque pariter in se explicuit quæ de Arcturo, de Oriona, de Hyadibus pro vtroque declarauimus. At videamus modo quomodo in eodem horoscopo adiūgendus Capricornus, sub quo contigit conceptio Francisci, & Christi conceptio pariter referenda ratione venti australis, quo idem signum sufflat, quemque Iob cum tribus signis prædictis immediatè coniunxit.

Auster simbolicè est Spiritus S.

4 *Et interiora Austri* fuit quarta particula, ad totum illum construendum Horoscopum adiuncta. Quam explicans Interpres immediatè, ita annectit. *Auster est ventus calidus, & significat Spiritum Sāctum*, de quo Sponsa Cant. 4. *Surge Aquilo, veni Auster, &c.* Aquilo dictus *quasi ligans aquas* Diabolum significat, qui malitiæ frigore restringit aquas compunctionis in corde peccatoris. Huic dicitur *surge*, idest recede: *Et veni Auster*, idest Spiritu Sancte, *persla hortum meum*, idest conscientiam meam. *Et fluant aromata illius*, idest lachrimæ, quæ in conspectu Domini redolent super omnia aromata.

Interiora Austri quæ.

Interiora Austri, secretum contemplationis, gaudium mentis, suauitatem internæ dulcedinis significant; quæ Austri, idest *Spiritus Sancti sunt quasi quædam secreta interiora, quibus ipse inhabitat, & habitando sui amoris suaui aura perflat*: Valde eminenter hæc *Austri interiora* fuerunt in Christo, & Francisco, licet in illo sine comparatione, etsi aliunde exemplaria, in Francisco verò imitatoria pro se tantum, & etiam pro tota Ecclesia ad exemplum. In Christo, homine & Deo, & iam influxu, flatu, & opere Spiritus Sancti concepto, fuerunt incomparabiliter (atq; ex hac parte sine exemplo, quia gestis, & actis suis Sanctorum archetypus factus) hæc Austri Interiora. Propterea sub signo Arietis, Capricorno per Austrū, Arcturo, Orioni, atque Hyadibus coniuncto, vt Aries esset in Arietem Diabolum, in ara Crucis passione immolandus erat, ibidemque humilitate exaltandus. In Francisco, puro homine, & in Deum hominem anima, & corpore transformando, ac per hoc sub signo Capricorni, aliis quatuor prædictis iuncto, concepto, Auster diuinus,

Quomodo in Christo, & Franc.

expulso Aquilone (post mundationem ab originali, ob quam in Baptismate, nonnulla peculiaria contingerunt, vt suo loco dicemus) tantò excellentius perflare debebat in hortum conscientiæ suæ, quantò propinquius per redolentes lachrymas, per secretum contemplationis, per gaudium mentis, per suauitatem internæ dulcedinis, per inhabitantem Spiritum Sanctum ad Christi similitudinem eum eleuari. Congruum enim erat, vt Redemptio humani generis cum reparatione Christianæ Reipublicæ, fundatorque Catholicæ fidei cum Catholicæ fidei Reparatore ad inuicem, & sub eodem horoscopo complecteretur.

Dicamus modò in specie de signo Capricorni, quod proprium fuit conceptionis Francisci, & Christi ortus; explicemusq; qualiter etiam Capricornus Christi conceptioni (nō vt proprium illius signū, sed proprio signo relatū per coniunctionem) conueniat. Capricornus mirum, celesteque portētum ob Pan, in illud animal, ex duobus naturis conflatum, vna aquatica, alia terrestri, conuersum. Et in Christi conceptione Deus, qui erat Panis Angelorum, vt fieret cibus viatorum hominum, prodigiosissimam cōmixtionem duarum naturarum (cuius altera Diuinitatis Oceanum continebat, altera è terra exorta) in vna persona adinuenit. Totumque admirandum illud commixtum celeste effecit etiam secundum corpulentam substantiam, antequam è sua mortalitate exiret, vitamque immortalem acquireret. Trinitatem substantiarum, scilicet substantiæ diuinæ, & substantiæ animæ, & substantiæ corporis in vna persona increata (quemadmodum ex opposito in Deo tres Personæ increatæ in vna essentia fatetur fides) in Christo explicuerunt Sancti Patres. In productione etiā hominis reperitur similitudo Christi circa duo, quia sicut in vno Christo sunt duæ naturæ, diuina & humana, spiritualis & corporea, & vna persona, sic vna est persona in homine puro, & duæ substantiæ, ex quibus illa persona resultat, scilicet substantia animæ, quæ origine diuina est, quia à Deo immediatè creatur, & substantia corporis, quæ est ab homine. Verum influentiæ cælestes naturales sub signo Capricorni bicorporis sicut ex directione diuinæ prouidentiæ (siue in conceptione per coniunctionem ad signum proprium Arietis, siue in ortu per influxum suum) modo admodū peregrino referebantur ad Christum, vnicum Redemptorem Mundi; ita pariter

Capricornus bicorpus est.

Ob duas diuersas naturas Christo cōparandus.

ad Franciscum, peculiarissimum Ecclesiæ Reparatorem, & ipsum solum anima, & corpore conformiorem Christo. Sed restringamus rem circa propriora. Bicorpus Capricorni efformant Piscis, & Hircus: quomodo autem sic quoque possit referri & ad Christum, & ad Franciscum simul, audi, si placet.

Mandauit Christus Petro Matthæi 7. *Vade ad Mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto eius ore, inuenies staterem; illum sumens da eis pro me, & pro te*. Interpretatio Doctoris nostri super hunc textum in principio serm. Dom. 15. post Trinit. hæc est. *Piscis est Christus*, in hoc Mari magno, & spatioso moratus, qui primus ascendit, idest, morti pro redemptione nostra se obtulit, vt illud, quod in ore eius, idest in confessione fuerat inuentum, pro Petro, & pro Domino daretur. Et benè illud pretiū, sed diuisum, quia pro Petro quasi pro peccatore datum, pro Christo autem vt pro iusto. *Deus enim peccatum non fecit*. Stater habet duo didrachmata, vt ostenderetur similitudo carnis, dum eodem pretio Dominus, & seruus liberantur. Vel stater in ore Christi est Misericordia, & Iustitia. Misericordia, cū dicit Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.* Iustitia cum dicit Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*.

Piscis Christus in hoc mundi mare

Stater in ore Christi quid.

Hunc eundem Piscem, captum à Petro iuxta Christi Magistri sui mandatum transfert Interpres in serm. Dom. 7. post Trinit. ad figuram peccatoris, ita dicens. Hic stater inuentus est in ore piscis, de flumine extracti hamo Petri Matth. 17. quo Christus & ipse liberatus fuit à tributo. *Piscis est peccator*, qui hamo prædicationis extrahitur de flumine mundanæ voluptatis. In cuius ore inuenitur stater pœnitentiæ, quæ corpus, & animam liberat à tributo culpę, & pœnæ gehennæ. Sic ibi Interpres, penes quem aduertenda sunt postrema verba, in quibus tacitè ostendit, quod sicut vno statere, in ore piscis inuento, liberatus fuit Christus, & Petrus à tributo, sic vnica pœnitentia dum liberatur corpus, & anima, in qua est Deus vnus, & trinus per imaginem, & similitudinem substantiæ, & est Christus per pretiū sanguinis sui, quo eam placuit redimere, liberatur quoque seruus, & Dominus, peccator, & redemptor, ille ne damnetur vt reus, hic ne in suo sanguine conculcetur vt Satanæ mancipium. Quare benè idem piscis potest figurare Christum, peccatorum omnium Redemptorem, & peccatorem, Christi redemptionis conculcatorem. Quia vbi

Peccator etiam piscis mistice.

capitur ille à Petro, vt soluetur per pœnitentiam à ferrea Diaboli catena, capitur cum illo & ipse Christus, cuius sanguis liberatur à Satanæ conculcatione. Et sic vnus idemque piscis in solutione, quam offert, est Christus Redemptor, & est peccator redemptus. Est Christus, soluens peccatorem magno, sanguinis sui pretio, & est peccator solutus à Christo, & per staterem pœnitentiæ soluens Christum in seipso, à iugo Satanæ soluto.

Christus piscis, assus in cruce.

Alibi apud Interpretem nostrum inuenitur Christus sub figura piscis, in Cruce assi. In serm. deinde Dom. 4. in Quadrag. ad textum Ioann. 6. *Ducentorum denariorum, &c.* ita exponit. *Alia litera habet trecentorum denariorum, &c.* Quia nec cordis contritio, nec oris confessio, nec operis satisfactio sufficit, nisi aderit *Puer Iesus cum quinque panibus vulnerum suorum, & duobus piscibus, scilicet humanitate, quæ fuit in Mare huius Mundi, & diuinitate, quæ in fluuio Paradisi*, Apocal. vlt. In ser. fer. 5. hebdom. 2. in Quadragesi. intelligens pro diuite opulentissimo Christum, & pro Lazaro mendico peccatorem, ita de primo accommodat, adaptatque allegoriam. *Ipse diues in omnes, qui inuocant illū*, Rō. 9. *Mecum sunt*, inquit, *diuitiæ, & gloria*. Prou. 8. Omnes thesauri Patris repositi sunt apud eum secundum Apostolum. *Gloria, & diuitiæ in domo eius*, Psal. 111. Induitur autem purpura, & bisso, & hoc quantum ad humanam naturam propter innocentiam eius, & puritatem, & nitore incomparabili. *Si eius passionem considero, ipse proculdubio indutus purpura vestimento intincto, scilicet sanguine piscis, qui in aquis huius Mundi, idest in afflictionibus totus natus est*, *Isai.* 63. Rubrum est indumentum tuum. Denique è contrario super Num. 11. introducit Hebræos, cibum diuinum nauseantes, memorantesq; septem, septem criminum capitalium explicantia, vt ipse aduertit, hierogly phica, scilicet *carnem* pro gula. *Pisces* pro lasciuia. *Popones* pro vanagloria, quæ tota superbia est. *Cucumeres* pro inuidia. *Allia* pro ira. *Cepas* pro auaritia. *Porros* pro acidia. Cur autē ibi pisces ad lasciuiam flectat, reddit rationem, *Quia*, inquit, *lasciuia ex gula oritur. Quia homo, qui delicatè viuit, postmodum natare cupit in concupiscentijs carnalibus, contra quos est ieiunium inuentum.*

Ex ipso vt piscè purpura sanguinis.

Piscis est etiam peccator ob lasciuiam.

Ex hac aduertentia quomodo conueniat *Hircus* cum *Pisce*, vt simul cum eo signum *Capricorni*, & *Piscis* efformet, & peccatores figuret, patet per eundem Interpretem super illud Dei ad Principe mandatum cap. 4. Leuit. *Princeps, si peccauerit, offeret hostiam Domino hircum de capris*

Oblatio principis peccantis ex hirco.

Pris. Cur Principibus, culpis obnoxiis nonnisi hirci oblatio à Deo mandetur? Respondet Interpres super hunc locum in libro de expositione mistica in sacram Scripturam. *Oblatio fieri debet de hirco, quia sicut hircus est animal fœtidum, sic peccatum Principis super omnibus alijs fœtet coram Deo. Quia quanto scientia maior, & status eminentior, tanto reatus grauior.* Hæc ibi. In assumptione humanæ naturæ Christus in vna persona diuina biformis siue in bina substantia, diuina scilicet, & humana vnus, quotquot assumpsit, vt satisfaceret pro Mundi redemptione, crimina, tot in seipso in illorum destructionem explicuit animalia, quibus illa crimina significabantur. Quare ex hac quoque parte referendus ei pariter Capricornus in conceptu, non secus ac in ortu per similitudinem, quamuis in cōceptu Aries extitisset vt proprium signum. Franciscus conceptus sub Capricorno, vt esset etiam Aries cum Christo, ordinabatur ad reparationem Ecclesiæ, & vt Piscis assandus erat in spirituali, & corporali Cruce; & vt rem fœtidam, & abhominandam, etsi agnus innocens, & mundus, ex summa humilitate debebat seipsum existimare, prout à Iudæis fuit existimatus, & tractatus Christus. Franciscus, vt Christum Redemptorē in opere reparationis imitaretur, ab ipso Christo mittendus erat, ac proinde alio modo in vno bicorpore signo piscem, & hircum destruere debebat, nimirum ea principalia crimina, quę totam Rempublicam Christianam in excidium posuerant.

Sub Capricorno cōceptus Franc. vt piscem, & hircum destrueret.

Inter signa sex imperantia, atq; æstiua in media parte Zodiaci ponunt Astronomi nostri *Arietem*, *Taurum*, *Geminos*, *Cancrum*, *Leonem*, *Virginem*. Totidem quoque in alia media parte collocant, vocantq; ea signa obedientia, & hiemalia. Sunt namque *Libra*, Scorpio, Sagittarius, *Capricornus*, Aquarius, Piscis. Christus summus Imperator, & in signo æstiuo *Arietis* conceptus, & vt *Leo de Tribu Iuda*, imò vt *Sol Iustitiæ*; veniebat sub signo Leonis, & *Virginis*, è qua nascendus die Septemb. 8. ignem mittere in terram, cuius astra visibilia, in omnem terram ab ipsis circuendam lucentia, duodecim Apostoli. In duobus signis hiemalibus, scilicet *Libra*, sub qua ortus Francisci, & *Capricorno*, sub quo cōceptus Franciscus, bis obediens reperitur. Obediens namq; fuit Patri *vsque ad mortem, mortem autem Crucis*. Obediens Parentibus suis, quia *subditus illis* effectus. Franciscus pariter constitutus à Romano Pontifice (dum veluti Solem sanctitatis duodecim Apostolicis discipulis coronatum, dignum vt dominaretur sibiipsi, Satanæ, Mundo, carni, tyrannidi, sceleribus, hæresibus, idolatriæ, Principibus, Regibus, Cæsaribus ipsum intuitus est) summus Rector suæ Religionis. Ipsemet in signis imperantibus, & æstiuis repertus cum Christo, scilicet Ariete, Leone, Virgine. Item & sub signis hiemalibus, & obedientibus potissimum sub duobus, hoc est *Libra*, sub qua natus, & Capricorno, sub quo cōceptus. Etenim & ipse corde, & corpore mundus, ac virgo immaculatus; primam obedientiam præstitit Christo, qui è Cruce eum alloquens, ter ipsi mandauit Domus suę reparationē. Rursus secundam obedientiam Vicario Christi præstitit, profitens legem, quam (ipso Altissimo inspirante, ac reuelante) scripserat, suisque tradiderat, incipiensq; arduissimum reparationis Ecclesiæ negotium ex iniuncto à Pontifice *de prædicanda pœnitentia mandato*, vt refert Bonauentura cap. 2. Legendæ pluries allegato.

Signa imperantia, & æstiua in Zodiaco sex. Totidē obedientia, & hiemalia.

In quibus ex cunctis reperti potissimum Christus, & Frāc.

Ab ipso conceptionis puncto, in quo perfectè organizato corpore anima simul creatur à Deo, & in illo infunditur, vt de fide tenendum, duodecim Zodiaci signa, ceu duodecim corporis partes dominantia, constituunt Astronomi. Ferunt enim *Arietem* dominari capiti. *Taurum* collo. *Geminos* brachiis. *Cancrum* spleni. *Leonem* cordi. *Virginem* ventri. *Libram* verò, atque *Scorpionem*, necnon & *Sagittarium* aliis partibus. *Capricornū* genibus. *Aquarium* cruribus. *Pisces* pedibus. Ipsi quoque Astronomi singulis mensibus, quibus sub matri aluo moratur fœtus, singulas constituunt Planetas. Vt exempli gratia ipse in primo mense fit sub cura, ac tutela Saturni, qui ipsi dominatur. In secundo Iuppiter, qui ei vim confert, bilemque. In tertio Sol, à quo colorem, ac membrorum recipit rectitudinem. In quinto Venus, conferens ipsi colorem quoque, sed sibi proprium, eique crescere faciens crines. In sexto Mercurius, tribuens ei intellectum, ac linguam. In octauo iterum Saturnus eius curam gerit. In nono mense Iuppiter eius repetit regimen, ac tutelam, vt nascatur, & viuat. Si enim nascitur mense octauo, difficulter viuere potest. Christus, & Franciscus conueniunt etiam modo in Ariete haud in quantum illi ob naturale imperium subiecti; nam *Sapiens dominabitur astris*, & Christus potissimum, qui author naturæ est: sed quoad certum dicendi modum per allegoricam proportionem cum respectu ad astra cælestia. Sub ipso Ariete cōceptus Christus vt Caput

12. Zodiaci signa, duodecim corporis humani partibus dominantur.

put Ecclesiæ fundandæ per opus Redemptionis. Franciscus verò (etsi in tali signo minimè conceptus, sed prout ipsius fert cum Christo simbola) rafertur tamen ad eundem, quatenus electus vt esset caput Ecclesiæ restaurādæ per reparationis opus. Christus, & Franciscus in pluribus aliis signis conueniunt, vt patet. Capricornus verò suscipiens tale quale dominium de genibus Francisci ex sua conceptione principaliter, & iunctus cum posteriori Capricorni parte, quæ est Piscis, Piscibus, quibus respicit pedes eius; in genibus ostendit id, quod supra ex Doctore nostro explicauimus, loquentes de positione membrorum corpusculi in vtero Matris. Inquit enim. *In genibus lachrymarum compunctio, & pœnitentiæ afflictio*, quæ duo ita excelluerunt in Franc. sicut axcelluit in ipso meritū de reparanda Ecclesia. In pedibus verò, prout referuntur ad Pisces, qui velocissimi sunt, excurrentes aquæ elementum, eius velocitas poterit intelligi in aggressione arduorum, de qua fusè locuti sumus sub stemmate Aquilæ grandis magnarum alarum in cap. 7. lib. 7.

Capricorn. genibus, Pisces pedibus

Pisces incolunt Mare, quod cum Cælo maximam habet simboleitatem, atque sympathiam. Vnde vbi sereno Cælo, simile Saphiro Mare assimilatur, Saphirinas eius vndas nuncupant de more Latini Scriptores. Sub pedibus Dei, ac Domini Israel, scilicet Christi, quorum vnus super terram, alius super Mare, inuenimus *Opus quasi lapis saphirini, & quasi Cælum cum serenum est*, Exod. 24. Vbi Interpres in serm. Dom. Reminiscere, de Transfiguratione Domini, sic pulchrè declarat. In hoc quod *Dominum Israel*, ecce diuinitas. In hoc scilicet sub *pedibus eius*; ecce humanitas Iesu Christi, quem debemus credere Deum verum, & verum hominem. De his pedibus Deut. 33. *Qui appropinquat pedibus eius, accipient de doctrina illius*. Et ideo Lucæ 7. *Maria sedebat secus pedes eius, & audiebat verbum illius, &c.* Et dum sedebat (addo ipse) ad Christi pedes vt pœnitens, & vt piscis referens magnæ peccatricis analogiam, & intra lachrymarum suarum mare adnatans, Christus piscis erat, in cuius ore stater pœnitentiæ inuentus est, vt supra diximus cum Interprete. Velocissime currens Franc. & quasi præcurrens seipsū pro se, & pro Ecclesia ad pedes Vicarii Christi, accessit dehinc ad pedes Christi adeò gloriosè, vt ipse solus meruerit ab ipsis tangi in pedibus, & ab ipsis plagari super montem Alueruiæ. Quidquid accepit de eius doctrina & ab eius ore, à

Dei doctrina ex appropinquatione ad eius pedes.

principio suæ conuersionis valde peregrinum fuit, ac Seraphicum, vt demonstrat Bonau. Quod autem locutus est ei Christus, vbi accessit ad eum, offerens manibus eius manus, latus lateri, pedes pedibus tempore stigmationis, adeo arcanum, & secretum extitit, vt non licuerit de eo hominibus loqui. Sic testatur Bonau. cap. 13. illis verbis. *Credendum sanè tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph in Cruce mirabiliter apparentis eloquia, quod fortè non liceret hominibus ea loqui.*

Qualis Franc. ad Christi pedes appropinquatio.

Sub pedibūs ergo *Domini* (sequitur Interpres) idest post Incarnationem Iesu Christi *apparuit opus quasi lapidis saphirini, & quasi Cælum cum serenum est*. Lapis saphirus, & Cælum serenum eiusdem coloris sunt. Et notandum, quod Saphirus quatuor habet proprietates. Stellam in se ostendit. Anthracem perimit. Sereno Cælo est similis. Sanguinem restringit. *Lapis sapphirinus Sanctam Ecclesiam significat*, quæ post Christi incarnationem incepit, & vsque in finem sæculi durabit. Hæc in quatuor Ordines diuiditur; scillicet Apostolos. Martyres. Confessores. Virgines. Quos per quatuor proprietates lapidis saphirini rectè intelligimus.

Quatuor in sapphiro proprietates.

1 *Sapphirus in se stellam ostendit*, & in hoc *Apostolos* significat, qui Stellam fidei matutinam sedentibus in tenebris, & vmbra mortis primi ostenderunt.

2 *Sapphirus Anthracem* (aliàs cantharidem) quæ est mortalis, tactu suo *perimit*. Et in hoc significat *Martyres*, qui Anthracem Idolatriæ suo martyrio peremerunt.

Denotant quatuor in Eccl. catholica ordines.

3 *Sapphirus, qui cælesti colori est similis, Confessores* significat, qui omnia temporalia reputantes tanquam stercora, fune diuini amoris in contemplatione cælestis beatitudinis se suspenderunt, dicentes cum Apostolo ad Philipp. 3. *Nostra conuersatio in Cælis est*.

4 *Sapphirus sanguinem restringit*. In hoc significantur *Virgines*, quæ amore Cælestis Sponsi sanguinem carnalis concupiscentiæ in se omninò restrinxerunt. Hoc est admirabile opus lapidis sapphirini, quod apparuit sub pedibus Domini. Ecce apertè, quod anima tua debet videre, & oculo fidei quod debet credere. Hæc cuncta ex Interprete verbatim.

Sed illud, quod antea ipsemet adnotauerat, attentè perpendendum est. Textus sacer, iam cit. Exod. 24. fatetur, quod Moyses, & Aaron, Nabad, & Abiud, & septuaginta de senioribus Israel viderunt Dominū Israel, & sub pedibus eius opus quasi lapis sapphirini, & quasi Cælum cum serenum est. Explicans Interpres omnes

Moyses primus omniū vidit opus sapphirinum sub pedes Dei.

omnes hos videntes, inter quos meritò primus, & Princeps Moyses, populi Dei Dux, & Legislator, & quasi ipsum referens ap Piscem Capricorni, & ad pisciū signum, pedibus animæ, ac corporis impigrum, ita scribit. *Moyses interpretatur aquaticus, & significat omnes Religiosos, qui aquis lachrymarum debent perfundi. Ad hoc enim sublati sunt de flumine Aegypti, vt seruirent in hac solitudine horribili in lachrymis, & postea in exultatione metant in terra promissionis.*

Inter cunctos Religiosos, & Religionū Institutores Franciscus, Dux trium Ordinum, & popoli Christiani per eos, & trium Legum Institutor, tum in ipsorum fundationem, tum & in legis Euangelicę restaurationem. Ipse penè totus aquaticus, à flumine Aegipti ereptus, dum per solitaria loca amica meroribus in principio suæ conuersionis adhuc in habitu sæculari excurrebat. Sed tunc ipse totus oculorum suorum lachrymis aquis perfusus, & in ipsis immersus, cum ad pedes Piscis in Cruce assati orans, scilicet ante imaginē Crucifixi in Ecclesia S. Damiani, ter audiuit ab ore Christi, totum opus sapphirinum Domus suæ, scilicet Ecclesię, penè funditus lapsum esse, seque monitū intellexit, vt eum ita male redactum cerneret, ac repararet. Sic Bonauent. cap. 2. vt supra retulimus. Quare post mentis alienationem per mirabilem raptū, vix in se reuersus, statim surgens, ad triplicem Domini sui iussionem sine vlla mora posuit pedes suos, piscibus ipsis velociores, ad obediendum. Nondum elapso vnius anni curriculo tres Ecclesias materiales reparauit mendicando. Vix hoc triplici opere materiali peracto, moxque duodecim Discipulis acquisitis, perrexit Romam cum ipsis anno 1209. & an. 1210 approbationem Legis, & Ordinis Minorum obtinuit à Summo Pontifice Innoc. III. Post duos annos Ordinem S. Claræ fundauit, scilicet anno 1212. Post nouem verò alios annos, scilicet anno 1221. instituit Ordinem Pœnitentium; & ab anno 1210. vsque ad annum 1221. cursu annorum vndecim totam fermè Europā penetrauit, perrexit ad Syriam, & vsque in Aegyptum in Asia; intentauit iter ad Regnum Marrochii in Africa. Deus bone, & vnde tam magna, incredibilisque velocitas in pedibus vnius homuncii, despectissimi, pauperrimi, idiotæ, ac simplicis? vis nosce vnde? cogita ipsum vt *Piscis aquaticus* in vndis lachrymarum suarum ad pedes Piscis Christi in Cruce assati. His namque influens pedibus eius curtis, tribuit eis breuitatem quandam,

Franciscus ad pedes piscis assati in Cruce totus aquaticus.

Frāc. vincēs velocitate piscium, & volatilium.

de qua mox, vt cursu suo circa opus sibi commissum, & piscium, & auium celeritatem vinceret. His piscis, in Cruce assus pisces illos duos genuit in Francisco, quos memorat Euangelium Ioann. cap. 6. *Hi* namque *pisces* explicat Intepr. *sunt mundi, & expiati secundum legem. Quia habent squammas patientiæ, & pinnulas, quibus ad alta volant, quia semper in Deum.* Quorum alter etsi assus, alter verò alixus viuidiori tamen volatus ambo eleuabantur, perniciorique cursu properabant. Assus ad exempla Martyrum. Alixus ad exempla Confessorum. Subdit quoque Interpres loco citato. *Vel aliter. Piscis assus exempla Martyrum. Piscis elixus exempla Confessorū, &c.* Et Frāc. instituens tres Ordines, & vnicuique ipsorum suam propriam legem ferens, per suos nouos Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, quidquid destruxerant crimina in opere sapphirino Ecclesiæ (ad quod fundandum Apostoli, augendum Martyres, muniendum Confessores, decorandum Virgines conuenerant) mirabiliter reparauit.

Pisces duo euangelici in Franc.

Pedes in Franc. duo, & sex seorsim: duo curti sicut quorundam volatilium, & iam ipse Vir Sanctus statura mediocris vix erat, & potius breuis. Sex alii pedes in ipso similes pedibus apicularum. Influxus *Semicapricorni*, scilicet *Piscis*, qui efficit mediam partem à parte post in prodigioso illo signo, & influxus etiam Pisciū, iunctorum Capricorno post Aquarium, ex quo vtrumque signum participat, indicarunt in duobus pedibus Francisci illam curtitatem; quæ in cruribus aliquorum volatilium, ac pedibus data à natura, tollit in volando quodcumque impedimentum. Verum tunc verè huiusmodi influxus indicium istud patefecerunt in Francisco, cum Franciscus ad pedes Piscis, assati in Cruce, quod auribus audiuit à Christo, oculis mox vidit in Sancti Damiani Ecclesia, vndique penè collapsa, licet haud tunc arcana verborum præcipientis Domini, sed postea, ipso Domino reuelante, perceperit, vt ibidem aduertit Bonau. Sunt quædam Aues (refert Interpres super illud Christi apud Matthæi 6. *Respicite volatilia Cæli, &c.* in serm. Dom. 15. post Trinit.) quæ habēt pedes curtos, & crura curta, & cū volant constringunt eos ad ventrem, vt non prohibeant eas volare, & à volatu ea breuitas, seu curtitas pedum non prohibet. Ex qua historia ita subinfert, loquendo de secundo modo contemplatiuorum, longè priori sublimiore, quia in nullo ferè vitiosè retardato, aut vanè retento, etsi per vitam mixtam

Pedes in Franc. duo, & sex seorsim.

Pedes curti in auibus nō impediunt volatum.

mixtam sibi, ac proximis intendat. *Isti verò, ait, qui curtos habent pedes, qui nec alys, nec sibi intendunt, pedes ad ventrem, idest actus breues, & curtos ad mentem constringunt, se ad se recolligunt, vt mens in vno collecta facilius possit auolare, & irreuerberato lumine in aureo Solis splendore mentis oculum figere, &c.*

Franc. sub figura apiculæ sex pedes habẽtis.

Cuilibet Apiculæ sex pedes tribuit natura, quos Dei gratia dedit postea Francisco ad pedes Piscis in Cruce assati, vt in aggressione operis sibi præcepti, velox esset vt piscis, in suis lachrymarum vndis excurrens; & volaret simul vt apicula, deferens sex pedibus vbique pœnitentiã, & fructus pœnitẽtiæ vberrimè proferens, atque apiculæ exercitia peragens. Vis ne intueri Franciscum sub hac apiculæ imagine? Accipe à benedicta Interpretis nostri Lingua, sic loquente, ac simul verbis suis in viro pęnitẽre quasi Frãc. Apostol. pęnitentiæ exemplar, excellẽter delineante, atq; exprimente in serm. Dom. 11. post Trinit. *Pœnitens,* inquit, *sex habet pedes. Anteriores sunt amor Dei, & proximi. Mediy oratio, & abstinentia. Posteriores patientia, & perseuerantia. Flores Sanctorum Patrum exempla, quibus debet colligere ceram, idest mentis, & carnis munditiam, quam his pedibus colligit. Et ad aluearium propria conscientiæ cum ipsa redit. Et incipit operari interius. Et de eo, quod operatur, seipsum reficit, &c.*

Flores sunt Sanctorum Patrum exẽpla.

Tertia Ecclesia, ad quam reparandam, se transtulit Franciscus, vt triplici Christi mandato perfectam, completamq; obedientiam præstaret, *Virgini Annunciatæ* sacra erat. Misit Christus ad Matrem suã Franciscum, vt collactaneum suum ad vbera, non Amaltææ Capreæ, sed Ceruæ carissimæ Genitricis suæ efficeret, ac pariter declararet iam *conceptum sub Capricorno,* quem fuisse Iouis collactaneum fingitur, vt supra diximus. Vt autem intelligatur hæc valde digna, ac peculiaris propositio, ad Arcam Testamenti Interpretis nostri recurrendum est. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti,* dixit Christo quædam mulier, in illius; & Matris laudem extollens verba Lucæ 11. Ad illud, *& vbera quæ suxisti.* annectit Interpres in serm. Domin. 3. in Quadrages. textum Prouerb. 5. illis verbis. *Cerua carissima, & gratissimus hinnulus. Vbera eius inebrient te omni tempore.* Perpendens tres huius sentẽtiæ particulas, quæ valde proposito nostro faciunt, ita inquit.

Franc collactaneus Christi in Deipara.

1 Nota, quod Cerua (vt dicitur in naturalibus) parit in via trita, sciens, quod Lupus viam tritam fugit propter homines. *Cerua carissima est B. Maria,* quæ in via trita hinnulum gratissimum, quia gratis ex grato tempore datum nobis paruulum filium peperit. Vnde Luc. 2. *Peperit filium suum; & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in Præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.*

2 Huius Ceruæ, toti Mundo charissimæ vbera inebrient te, ò Christiane, omni tempore, vt omnium temporalium oblitus, tanquam ebrius ad ea, quæ ante te fuerunt, & sunt, te extendas. Hoc dictũ Interpretis concordat cum illo alio Dominicæ 13. post Trinit. vbi expendens illud, *Alligauit vulnera eius, infundens vinũ, & oleum,* Lucæ 10. ait. In *Oleo,* quod illuminat, peccati significatur cognitio. *In vino, quod inebriat, lachrymarum compunctio, quæ animam inebriat, vt temporalium obliuiscatur.* Itaque in lacteo Ceruæ carissimę Virginis Deiparę vino fit ab eius vberibus qui lactatur in suis lachrymis aquaticus, vt piscis, & ebrius etiam, quia pisces quoque, qui oleo, per vndas sparso videntur, vt capi possint, solent variis modis aliquando inebriari, atque à se alienari.

Cerua carissima B. Virgo, cuius lac inebriat.

Sed valde mirandum est (sequitur Interpres ibi super textum præallegatum de Cerua carissima) cur dixit, *inebrient te. Cum in vberibus non sit vinum, quod inebriet, sed lac iucundissimum.* Audi quare. Sponsus eius filius ipsam laudans Cant. 7 dicit. *Quam pulchra es, & quam decora charissima in delicys. Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. Quam pulchra es* mente, & quam decora corpore Mater mea, Sponsa mea, Cerua charissima. *In delicys,* idest vitæ æternæ præmiis.

Cur lac Virginis dicatur vinum?

Statura tua assimilata est palmæ. Nota, quod palma inferius corticibus est aspera, superius visu, & fructu pulchra. Et (vt dicit Isidorus) facit fructum centesimum. Sic B. Maria fuit in hoc Mundo cortice *Paupertatis* aspera, sed in Cælo pulchra, & gloriosa. Quia Angelorum Regina, & fructum centesimum, qui datur Virginibus, ipsa Virgo Virginum meruit adipisci.

Cur Virgo palmæ assimilata.

Vbera tua sicut botris vineæ. Botrus est genus fructus multi, in vnum conglobati, vel vuarum, quæ nascuntur in vite. De qua historia Ioseph Genes. 40. dicit Pincerna Regis. *Videbam coram me vitẽ, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere.*

Et eius vbera botris vineæ.

Vitis dicta, eo quod vim habeat citius radicandi, vel quod inuicem se innectit. *Est B. Maria,* quæ præ cæteris citius, & altius in Dei amore fuit radicata. Et veræ viti, idest filio suo, qui dixit Ioannis 15. *Ego*

Vitis est B. Maria.

Ego sum vitis vera inseparabiliter se innexuit. Et de semetipsa dixit Eccl. 24 *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.*

In ea tres propagines.

Partus B. Virginis non habet exemplū in fructu mulierum, vel sexu; sed habet similitudinem in naturis rerum. *Tres propagines huius vitis* fuerunt *Angelica salutatio, Spiritus Sancti superuentio. Et filij Dei inenarrabilis conceptio.* Ex tribus his propaginibus propaginata *Proles fidelium* quotidie per totum Mundum, fide propaginatur, idest multiplicatur.

Gemmæ duæ.

Gemmæ in vite sunt Humilitas, & Virginitas B. Mariæ. *Flores*, fœcunditas sine corruptione, partus sine dolore. *Tres botri vuarum in vite* Paupertas. Patientia. Abstinentia. *Hæ sunt vuæ maturæ, ex quibus profluit vinum maturum, & odoriferum, quod inebriat, & inebriando sobrias reddit mentes fidelium.* Ex his pergit Interpres ad

Botri tres.

3 Particulam sententiæ præallegatæ ex cap. Prou. 5. super vltima verba, *Et in amore eius delectare iugiter. Quatenus*, inquit, *ipsius amore falsam Mundi delectationem despicere, & tuæ carnis concupiscentiam valeas conculcare.* Hucusque locutus est *de Virgine Annunciata* (cui Ecclesia Portiunculæ dicata erat) sub figura Ceruæ carissimæ cum Sapiente in Prouerbiis, & sub figura Vitis cum textu Geneseos. Lac huiusce Ceruæ cum inebriet eo modo, quo explicauit Interpres, meritò vino botrorum ab eodem comparatum est. Et quia hinnulus Christus in Annunciatæ Virg. vtero conceptus, tum primogenitus naturalis Virg. extitit, tū in multis fratribus per adoptionē, ex Virg. spiritualiter genitis, multi quoque fratres cum hoc hinnulo collactanei facti sunt. Verum inter cunctos hosce fratres, & collactaneos nouo quodam modo ob maiorem propinquitatem ad hinnulum Christum collactaneus factus est cum eodem Franciscus, qui simul cum ipso primogenito Christo admodum quoque peculiariter cum Virgine Matre spiritualiter matrizare comperimus.

Sub ceruæ, ac vitis figura Virgo annunciata Eccl. de Portiuncula Tutelaris.

Matrizauit cum Matre, æmulans ipsius Christi primogeniti matrizationem, quia ebrius omnimodè effectus ab illius lacte studuit maximè omnium temporalium cum Matre Virgine, & cum eius primogenito penitus obliuisci, atque ex hac parte inter Ordinum Institutores reperiri primus. Matrizauit, quia transformatus in Matris palmam post filium primogenitum, in eandem palmā Matris transformatum, & post Apostolos, fratres, & filios, & Discipulos Christi, fuit in cortice altissimæ paupertatis cum illis asperrimus. In Cælo quoque pulcher, & gloriosus euasit, quia primam Angelorum sedem obtinuit, & fructum centesimum Virginis Virginum filii inter omnes illos in virili sexu Virgines adipisci meruit, qui tantum meritum minimè habuisse videntur, quantum habuit carnis Virginis Francisci munditiest, ob quam ipsa sola idonea inuenta est, vt plagis Christi modo admodum prodigioso in cœtu fidelium purpurasceret.

Quomodo Franc. collactaneus Christi matrizarit cū Christi matre.

Matrizauit demum, quia ex lacteo vino tum vberum Ceruæ carissimæ Deiparæ, tum botrorū vitis ipsius traxit Humilitatem, Virginitatem, Paupertatem, de qua supra, Patientiam, Abstinentiā, quas cum lacte materno bibit ipse Christus, & per quas dum Franc. omni conatu studuit ambobus appropinquare, meruit etiam ipso Virginis filio ipse solus non solum animo, sed etiam corpore per vulnera, & clauos assimilari. Tandem claudens Interpres totum argumentum suum, restringensq; illud ad propriā Virginis prolem, scilicet ad Christum per redditū ad principalem propositionem, quæ fuerat, *Et vbera, quæ suxisti.*

Vnicū Frāc. studium vt Virg. & filio Virg. assimilaretur.

Nota, inquit, quod sugere dicitur sugendo agere. Dum enim Christus sugebat lac, salutem nostram agebat. Nostra salus fuit eius Passio. *Passionem sustinuit in corpore, qui nutritus fuit Virginis lacte:* vnde dicit Cant. 5. *Vinum meum bibi cum lacte meo.* Quare non dixisti, Domine Iesu, bibi acetum meum cum lacte meo? Virginalibus enim vberibus lactatur. Felle, & aceto potatur. *Dulcedo lactis conuersa fuit in amaritudinem fellis, vt eius amaritudo nobis æternam dulcedinem propinaret. Vbera sugit qui in monte Caluariæ lancea perforari voluit, vt paruuli sugerent, &c.* Hactenus Interpres.

Christus sugens lac salutem nostrā agebat.

Consideretur modò Christus, in Matris vtero, ab Angelo annunciatæ ad Vrbem Nazaret conceptus. Deinde ipsemet lactans Virginis vbera in Præsepe Bethleemitico, vbi natus, intueatur. Ibi conceptus, & hic natus, vt Redemptor, & Legislator Mundi esset. Perpendatur aliundè conceptus quoque, & natus Franciscus, non carnaliter, sed spiritualiter *in Domo Virginis Annunciatæ*, vt esset Ecclesiæ, & legis Christi ter Reparator per tres Religiones, & Leges ab ipso instituendas. Nam tum in Christo, tum in Francisco ad Virginis vbera diuersimodè appenso, simulque collactaneo reperiuntur valde similes, paresque effectus *ex Virginis lacte*, eiusq; nutritione fermè deriuati ob magnam respondentiam Redemptionis Mūdi cum Reparatione Ecclesiæ, & Matris

Modus collactaneitatis Franc. cum Christo explicatur.

Christ cum se ipsa. Quatenus gignens Virgo Virginum, & lactans Christum filium suum, vt redimeret humanum genus, & ipsa cum filio suo corredemptrix fieret; genuit quoque spiritualiter, lactauitque Franciscum, quem ipsa designauerat filio suo, in Mundi interitū indignato ad Mundi reparationem, ad quam & ipsa vt correparatrix principalissima concurrere fas erat. Quare Franciscus, Christi collactaneus sugens in Domo Virginis ab ipsa Virgine lac spirituale, salutem Ecclesiæ per opus reparationis agebat. Ecclesiæ salus fuit eius passio, à qua, factus Virginis filius incepit, in qua perseuerauit, quaque demum vitam clausit, non solum Cruciformem, sed in carne sua visibiliter crucifixam. Passionem sustinuit in corpore, iā in vtroq; homine crucifixus, quia nutritus fuit Virginis lacte. Ipse etiam peculiariter factus cum fratre suo Christo Virginis Filius, potuit & cum ipso dicere: *Vinum meum bibi cum lacte meo*, non autem acetum bibi; quia acetum se habuit ad illud lacteū, inebriansque vinum ceu effectus ad suam causam. Ex vino enim generatur acetum, & quo illud generosius, eo istud potentius. Itaque virginalibus vberibus lactatus ceu cum Christo suo collactaneus Franciscus, postea felle, & aceto potatus est. Quoniam tota illa lactis dulcedo conuersa fuit in amaritudinem fellis, vt eius amaritudo æternam dulcedinē Ecclesiæ ab eo reparatæ propinaret. Vbera suxit Virginis, & cum lacte bibit vna cū innumeris, & heroicis virtutibus vinum deuotionis feruentis, quæ semper in eius corde excreuit erga Dominam Mundi, amorisque præcipui ad ipsam Matrem Dei. Hinc haud mirum, si virtute huius lactis intimè matrizans cū Virginis filio, super Mōtem Aluerniæ in Christo fratre suo perforari (iuxta magnanimum desiderium se totum, & totaliter in Christum transformandi, quod in Domo Virginis cum lacte Virginis suxerat) magnanimiter, lætanterque consensit. Vt ex illis foraminibus, in quorum receptione quater mortaliter cecidit, paruuli sugerent passionis Christi memoriam, ob cuius omnimodam obliuionem penè collapsa cernebatur Ecclesia.

Quid à lacte Virg. biberit Franc. ceu Christi collactaneus, & cōpar.

Quomodo Franc. felle, & aceto potatus.

Ferè hanc ipsammet doctrinam sub aliis verbis expressit Bonau. loquens de Ecclesiæ Portiunculæ, quam tertio loco post restaurationem Ecclesiarum S. Damiani, ac D. Petri Apostoli restaurauit Franciscus. Fert enim (vt alias adnotatum) in fine cap. 2. hæc in specie post tactam deuotionem feruentem, & amorem singularissimum erga Deiparam: *Hunc locum Vir Sanctus amauit præ cæteris Mundi locis. Hic enim humiliter cepit. Hic virtuosè profecit. Hic feliciter consummauit. Hunc in morte fratribus tamquam Virgini charissimum commendauit, &c.* Et in principio capitis sequentis tangens Virginis Annunciatæ prout ibi depictæ, ceu illius ædiculæ Tutelaris, hæc alia subdit, veluti prædictorū quę sup. dixerat cōsecutionē: *In Ecclesia igitur Virg. Matris Dei moram faciente seruo ipsius Francisco; & apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ, & veritatis, continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur aduocata ipsius, meritis Matris Dei concepit, & peperit spiritum Euangelicæ veritatis, &c.*

In Eccl. Portiunc. opus reparationis Eccl. cepit, & consummauit Fran.

Vt coronidem pūcto huic quarto imponamus, placet Stellarum corona circumdare conceptionem Francisci, quem ante eius conceptum annis 2810. vaticinatum reperimus sub figura noui Sideris, seu Stellæ apud Sibillam Erithræam, quæ inter decem Sibillas, quarum prior Persica, postrema verò Tiburtina, habet locum quintum. Vide hanc supputationē tom. 1. Hierarch. in principio fol. 6. Sub eodem Horoscopo signorum Arietis, & Capricorni (cui apposuimus ex aliis Zodiaci imaginibus, seu astris fixis Arcturū, Orionam, & Hyades) paralella aliquot Francisci cū Christo, inter sese iuxta modicum ingenii nostri, calamiq; inornati ruditatem, ac simplicitatem iā adnotauimus. Signa duodecim, & imagines, siue sydera fixa 36. aliis 37. constant Solis coronam, quam Zodiacum nuncupant. Stellarum siue magis, siue minus lucidarum, ac celebrium, vel principalium numerus, quibus formantur Zodiaci signa prout recentiores calculant Astronomi compleret summam 290. Arieti enim tribuunt 13. Tauro 33. Geminis 18. Cancro 9. Leoni 27. Virgini 26. Libræ 8. Scorpioni 21. Sagittario 31. Capricorno 28. Aquario 42. Pisci 34. Lucidiores, celebriores, principaliores in Ariete 6. in Tauro 12. In Geminis 13. in Cancro 8. In Leone 10. In Virgine 9. In Libra 6. In Scorpione 14. In Sagittario 12. In Capricorno totidem. In Aquario 10. In Pisce 9.

Vaticinatus vt stella an. 2810. antequam conciperetur.

Stellæ omnes tam magis, quam minus splendidæ, ac notæ in syderibus fixis, vnde Zodiaci imagines figurantur, numerantur 639. Stellis enim 27. Vrsam maiorem efformant. Minorem, Cinosuram dictam 7. Dragonem 31. Cepheum 11. Vrsarum Custodem 22. Coronam sub Arctophilacii humerum 8. Herculem 28. Lyram 10. Cycnum 17. Cassiopeam 13. Perseum 26. Currum 13. Æsculapium 23. Ser-

Stellæ 290. xii. Zodiaci signa configurant.

Serpentem 18. Sagittam 5. Aquilam 9. Delphinum 10. Equum Pegaſæum 20. Equum minorem 4. Andromedam 23. Triangulum 4. Cætum, ſeu Balenam 22. Orionem 38. Eridanum, ſeu Nilum 34. Leporem 12. Canem, ſeu Caniculã maiorem 18. Caniculam minorem 2. Nauem, ſiue Argum 45. Coruum 25. Craterem, ſeu Vas 7. Coroum item 7. Centaurũ 37. Lupum 19 Altare 13. Coronam Guoſiã, ſeu Ariannæ 13. Piſcem auſtralem 12. Piſci autem Auſtrali celebriores, ac lucidiores, quas tribuunt Stellas ſunt 10. Coronæ Ariadnę totidem. Altari 7. Lupo 13. Centauro item 13. Coruo 6 Vaſi 4. Ceruæ 14. Naui 18. Caniculæ minori 1, maiori 8. Lepori item 8. Eridano 10. Orioni 12. Balenæ 13. Triangulo 43. Andromedæ 12. Equo minori nullam, quia eius quatuor ſtellæ paruæ ſunt, ac parum lucidæ. Equo Pegaſæo 12. Delphino 7. Aquilæ 6. Sagittæ omnes lucentes. Serpenti 10. Eſculapio 12. Coruo 10. Perſeo item 10. Caſſiopeæ 8. Cycno 12. Liræ omnes æquales. Herculi 12. Coronæ Arctophil. 6. Vrſarum Cuſtodi 12. Cepheo 8 Draconi 13. Vrſæ minori, ſeu Cinoſuræ omnes pares. Vrſæ maiori 12.

Imagines vero, id eſt ſidera fixa à ſtellis 639. effinguntur

Itaque omnes ſtellæ in circulo Zodiaci ſiue quæ figurant ſigna, & ſunt 298. ſiue quæ efformãt imagines, ſcilicet 639. efficiunt numerum 934. Cui ſi addas ſeptem ſtellas planetarias eſſent 941. Tot ergo in toto Cælo enumerãtur ab Aſtronomis circa eorum munia ſtellæ per ſigna 12. per imagines 36. zodiaci, ac per Planetas ſeptem. Tot ſtellę Aſtronomichæ (& ſi quæ aliæ ſunt, nam recenſiores aſſerunt numerari ſtellas 1022. vt inferius declarabitur) exornant Cælum, quarum influentiis ſublunaria reguntur circa res corporeas. Omnes ſimul iuxta miſticum intellectum Sãctorum imagines ſigna, operationes, merita, prærogatiuas, illuſtrem vitam, glorioſamque mortem, in qua dũ occidunt ſplendidiores oriuntur, præfigurant. Omneſque *claudit Deus* prout Heroum Eccleſiæ ſimbola patefaciunt, *quaſi ſub ſignaculo* apud Iob cap. 9 Quod aduertens Interpres noſter ſerm. Dom. 5. poſt Paſcha, hæc habet. *Stellæ ſunt Sancti, quod Chriſtus ſub ſignaculo ſuæ prouidentiæ claudit, ne appareant, quando velint, ſemper parati ad tempus, à Deo ſtatutum, &c.* Penès oraculum Sibillinum præfatum *Stella* nuncupatur *Franciſcus*, & iam conceptus in Matris aluo, vt oriretur ceu ſtella, teſte Bonau. in Prologo Legendæ. Et quia ſtella extitit matutina in toto progreſſu annorum ſuorum, & viuens lucidus, lucidiſſimus demũ euaſit

Summa omniũ ſtellarũ Zodiaci ac vii. planet. 941.

Sancti ſunt ſtellæ ſub ſignaculo Dei

in morte, in qua eius *beata Anima* (ait idẽ Bonau. cap. 14. *viſa eſt ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ, à candida ſubuecta nubecula, ſuper aquas multas in Cælum recto tramite ſurſum ferri tanquam ſublimis ſanctitatis candore pranitidæ, & cæleſtis ſapientiæ ſimul, & gratiæ vbertate repleta.*

Franc. in ortu, in vita, & in morte vt ſtella.

. Diſcrimen ponunt Latini Scriptores inter ſtellas, & ſidera. Stellæ, aiunt, à ſtando dictæ, quod ſtare videantur, differunt à ſyderibus; quod illæ ſingulæ ſint, ſydera verò ex pluribus ſtellis compoſita, quæ & ſigna cæleſtia vocantur; cuiuſmodi ſunt Aries, Taurus, &c Idem diſcrimen ponunt inter aſtrum, quem vnam ſtellam faciunt, & aſtrum, quod congregationẽ ſignificant ſtellarum, vt eſt Leo, Libra, &c. Apud Græcos etiam eadem obſeruatur differentia. Stella extitit Franciſcus, quatenus in cætu aliorum Sanctorum ſic lõge ante conceptionem vaticinatus, ſic natus, ſic in omni curſu vitæ ſuæ ſublimi perfectione ſtabilis, ſic tãdem defunctus. Attamen quatenus ex omnibus Sanctis ipſe immediatè voce ſenſibili electus à Chriſto ad Eccleſiæ reparationem, cuius inceptio ſtatim poſt approbatam ab Inn. III. Minorũ legem, nõ ſolum vt ſydus reſpectu Solis Iuſtitiæ Chriſti, cui extitit corona, explicans vt omnis perfectionis exemplar omnium Sanctorum ſtellas, verum etiam vt alius Sol in virtute Solis Chriſti lucens, à ſtellis, & aſtris, & ſyderibus virtutum Sanctorum omnium coronandus. Hinc ſeriò adimaduertenda viſio illa, quam refert Bonauentura c. 3. poſtquam Innocentius ipſe Franciſcum Lateranenſem Baſilicam humeris ſuis ſuſtentantem inſpexerat, deque eo publicè coram tota Curia Romana conteſtatus fuerat illis verbis, ex c. 2. in fine. *Verè hic eſt ille, qui opere, & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam.* Et poſtquam omnia ipſi conceſſerat, primum Miniſtrum Generalem inſtituerat, dederat ipſi & duodecim eius ſociis de pœnitentia prædicanda mandatum, tenerrimè ipſum, & ſuos amplexerat, benigneque omnes dimiſerat.

Stella & ſidus differũt ſicut aſter, & aſtrum.

Corona Frãciſci omnes Sancti.

Vix enim his completis, vixque Franciſco Vallem Spoletanam vna cum duodena illa, atque Apoſtolica Fratrũ turba ingreſſo, & ad Vrbem Aſſiſium reduce, quod ex ſtella non in aſtrum, non in ſydus mutatus eſt; ſed in Solem, quaſi non amplius poſt approbatam Regulam, & Inſtitutum ſuum, & iam inceptum opus, quod ipſi ter de Cruce mãdauerat Chriſtus, haud ſimplicis ſanctitatis officium, omnium Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum,

Poſt approbatam Reg. Franc ſit ſ ... lius.

Confeſſorum, Virginum exempla imitādo; ſed Reparatoris Eccleſiæ ab ipſo peragendum erat. Ac proinde ad ipsū Chriſtum Eccleſiæ Caput, ei oportebat propinquiſſima imitatione virtutum peculiariter peruenire. Veritatem hanc ſic deſcribit Bonau. cit. Cumque in quodam tugurio, ſito in horto Canonicorum, Vir Deo deuotus, in oratione Dei, more ſolito, pernoctaret, corporaliter abſentatus à filiis, ecce fere media noctis hora, quibuſdam ex Fratribus quieſcentibus, quibuſdam perſeuerantibus in orādo, *Currus igneus mirandi ſplendoris, per oſtium domus intrans, huc, atque illuc per domicilium tertio ſe conuertit, ſuper quem globus lucidus reſidebat, qui Solis habens aſpectum, noctem clarere fecit, &c.* Ex qua viſione liquet planè, quod miſſus Franciſcus à Chriſto ad Eccleſiæ reparationem, ſicut ipſe Chriſtus fuerat miſſus à Patre ad Mundi redemptionem, iam illius *Solis iuſtitiæ* gerebat ſimilitudinem, qui dixit de ſe, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Et ipſe Franciſcus in huiuſmodi Solis virtute velutì alter Solis globus effectus, à Curru igneo idcirco vectabatur, vt per ipſum iterum Chriſtus mitteret ignem ſuum in terram, ne Eccleſia ſua, iam in amore cæleſti, atque lumine fidei penè extincta, penitus funditusque occideret.

[illegible] officio reparatoris eccleſ. meritò Franciſc. ex [illegible] ita mutatus in ſolem

Demus ergo Franciſco Reparatori Eccleſiæ, concepto iam ſub 28. ſtellis Capricorni, cui adiuncti pro Horoſcopi conſtatione & Aries, & Arcturus, & Orion, & Hyades, demus, inquam, Franciſco Repar. Eccleſ. iam ſub ſpeciè Solis, & ad Chriſtum Solem ſimilium omnes ſtellas, & aſtra, & ſydera ſanctorum pro Corona, quia certè dignus eſt. *Signum magnum apparuit in Cælo. Mulier amicta Sole, Luna ſub pedibus eius, & in capite eius Corona ſtellarum duodecim,* Apocal. 12. Allegoricè, & moraliter exponit hoc magnum, cæleſteque ſignum Interpres noſter in ſerm. Dom. 2. poſt Paſcha, de quo alias. In expoſitione allegorica iuxta ſenſum literæ deſcribit Eccleſiam, mulierem dictam *propter multorum filiorum fœcunditatem, quos ex aqua, & Spiritu Sancto regenerauit.* Cuius *Sol* veſtiens eā, habitanſq; lumen inacceſſibile *Chriſtus*. Cuius *Luna ſub pedibus* (qui ſunt omnes Prælati, qui Eccleſiam, tanquam pedes corpus, debēt ſuſtentare) rerum caducarum proſpera mutabilitas, à Prælatis tanquam ſtercora conculcanda. Cuius capitis *duodecim ſtellarum Corona duodecim Apoſtoli,* illuminantes noctem huius ſæculi. Duodecim ſtellarum Corona eſt fides duodecim Apoſtolorum. Hæc Interpres quantum ad ſenſum allegoricum, & literalem.

Mulier amicta ſole eccleſia.

Quantum verò ad ſenſum moralem, *Mulier amicta Sole*, ait, *eſt fidelis anima*, de qua Prou. 31. &c. Hæc mulier, ſubdit, eſt amicta Sole, quia in Sole ſunt tria, candor, ſplendor, & calor. In candore Caſtitas, in ſplendore Humilitas, in calore Charitas deſignatur. *Ex his tribus fit pallium fidelis animæ cæleſtis ſponſæ.* In Lunæ macula intelligit vel cōceptionem communem in peccato originali, vel impudicitiam. In illius obſcuritate, quia ex ſe eſt corpus opacum, intelligit vel infirmitatem, vel ſuperbiam, quæ excœcat. In eius frigiditatem intelligit vel vltimam corporis incinerationem, vel odii, ac rancoris gelicidium. *Hanc Lunam*, inquit, *debet habere mulier ſub pedibus ſuis, ideſt mentis affectionibus, vt caro ſpiritui, ſenſualitas ſeruiat rationi.*

Item & anima, & maximè Franc.

Explicans quartò Coronam ſtellarum duodecim, ita breui, ac pulchro ordine ipſam declarat, ac declarando intexit. Stellæ à ſtando dictæ, quia fixæ ſunt ſemper in Cælo, & cum Cælo motu perpetuo feruntur. Nam dum videntur ſtellæ labi, non ſunt ſtellæ, ſed igniculi, ex aere lapſi, qui fiunt dum ventus altiora petens, æthereum ignem ſecum trahit. In capite, ideſt *mente anima debet eſſe Corona ſtellarum, ideſt virtutum duodecim.* In fronte tres, ideſt *Fides, Spes, Charitas.* A dextris tres. *Temperantia, Prudentia, Fortitudo.* In poſteriori, *Mortis memoria, Iudicij dies amara, indeficiens Inferni pœna.* A ſiniſtris, *Patientia, Obedientia, & finalis perſeuerantia.* Hactenus Interpres, prout alibi explicatum eſt.

Corona ſtellarum 12. moraliter.

Mulier amicta Sole, prout eſt Eccleſia, fœcunda prolibus, & Mulier amicta Sole, prout eſt anima Franciſci fœcunda virtutibus, & meritis, & Ordinibus, & Legibus, ſicut ſunt inter ſe in illo Interpretis noſtri commentario immediatè connexæ, ita quoque & in re noſtra debent eſſe inſeparabiles. Chriſtus ſuam fecit Eccleſiam Catholicam ratione fundationis, ac redemptionis, ac propterea ſeipſo Sole eam veſtiuit, coronauitque ſimul duodecim Apoſtolis, quibus eam fundauit, redemitque. Pariter ipſe Chriſtus tradidit Franciſco eandem Eccleſiā, vt eius claritate Solis, ſuo admodum ſimilis, ac vita Apoſtolica, ab ipſo profitenda, renouanda, propaganda, illius claritatem, illiuſque coronam repararet, reſtauraretque. In duodenario ſtellarum numero propter eius vniuerſalitatem, nō ſolum duodecim Apoſtoli intelligendi ſunt, verum etiam Sancti omnes, coronantes

Eccleſ. catholicam faciens ſuam Chriſtus, fecit poſtea propter Franciſcum iterū ſuam.

nantes in Ecclesia Christū Solem iustitiæ, eius Redemptorem. Quare haud mirum si eandem coronam attribuimus vniuersaliter Francisco Reparatori. Franciscus enim sicut ratione officii Solem iustitiæ sibi in actis, & gestis effecit simillimum, ita & ipse vt nouus Sol, in Christo Sole exortus, solarem Ecclesiæ vestem, stellatamque coronam reparans, pari zodiaco coronari, fecit seipsum quodammodo dignum; licet Christo impar vt seruus remotissimè. Sed vt Reparator, & imitator conformis admiraculū. Dixi ratione officii per respectum ad statum Ecclesiæ, quē iure reparationis debebat post Christū ita penè facere suam, sicut suam fecerūt Apostoli, eam cū Christo minus principaliter prædicatione, ac martyrio fundantes. Status Ecclesiæ illius temporis conceptionis Francisci (de quo superius in alio proposito) percipi poterit ex doctrina Bonau. in cap. 5. par. 4. de Ecclesiastica Hierarchia. Loquens enim ibi Seraphicus Magister sub cælorum nomine de Doctoribus Sacræ Scripturæ. *Item* (ait quarto loco) *cælesti decorantur sicut Cæli ornatu, quantum ad vitæ perfectionem, & virtutum decentiam, & cælestem in moribus disciplinam*. Probat multimodè, præcipuè ex illo Sap. 18. *In veste poderis eius* (scilicet summi Sacerdotis) *erat descriptus totus Orbis terrarum*. Sed subdit statim ex opposito.

Cæli, & ornatus cælorum tēpore cōceptionis Franc. quam obtenebrati.

Cælique non sunt, vbi tales ornatus desunt, sicut est videre in peruersis Sacerdotibus. In quorum vita non relucet *Sol feruentis Charitatis*. Nec resplendet *Luna misericordiæ, & pietatis*. Nec refulgent *Stellæ munditiæ, & castitatis*. Non comparent etiam *constellationes duodecim signorum*, idest non relucet in eis, nec apparet vestigium *vitæ, & conuersationis duodecim Apostolorum*. *Non Hyades, non Plaiades, non Oriona cum interioribus Austri*, quoniam nec *Virtutes interiores*, scilicet purgati animi *ad contemplatiuam* pertinētes. Nec *exteriores*, videlicet purgatoriæ, & politicæ, vitā exteriorem quoad *actiuam* dirigentes, iam in Ecclesiæ Doctoribus vix inueniuntur. *Et ideo totius Ecclesiæ species in tenebram, & deformitatem est mutata*. Ideo dicit Iob cap. 9. *Qui præcipit Soli, & non oritur, & claudit stellas quasi sub signaculo*. Sequitur. *Qui facit Arcturum, Orionam, & Hyadas, & interiora Austri*. Et in Hierem. 4. *Aspexi cælos, & lux non erat in eis*. Et ideo multa imminent Mundo pericula, quia vbique deficiunt in Doctoribus, & Sacerdotibus huius Mundi cælica ornamenta, sicut dicitur in Act. 27. *Neque Sole, neque syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua ingruente, omnis spes salutis ablata est*. Hucusque Bonauent.

Sol, Luna, stellę Zodiaci signa, & alia sidera mistice.

Quando totius eccles. species tenebrescit, ac deformatur

In priori statu extans Ecclesia tempore Sancti Francisci, equidem non poterat is idoneus fieri ad eam ter reparandam completissimè per tres Ordines, ac totidem Leges, nisi in ipso oriretur totus ornatus misticus Cælorum prædictorum, imò & omnium Sanctorum, imò & Virginis, & Christi, quantum tali homini, Reparatoris munere à Christo dignificato, possibile erat. Decebat igitur, vt Frāciscus *Sol* quoque feruentis charitatis effectus, pariter & Luna m tæ pietatis, ac misericordiæ coronatus appareret *Stellis* munditiæ, & castitatis excellentissimæ, quæ idonea foret ad recipiendam quinque stellarum sacrorum stigmatum à manu Christi impressionem. Appareret item redimitus Signis duodecim, vitam & conuersationem duodecim Apostolorum per vniuersum Orbem influentibus. Atq; à suæ conceptionis *Capricorno* quatenus conficeret totum eius cum Ariete conceptionis Christi, & cum *Arcturo, & Oriona, & Hyadibus, & interioribus Austri Horoscopum*, auspicarentur omnes omnium Sanctorum veteris, ac noui Testamenti, interiores virtutes purgati animi ad *Contemplatiuam*, & exteriores itidem purgatoriæ, & politicæ ad vitam exteriorem quoad *Actiuam* dirigentes. Ne vlterius Ecclesiæ species in maiorem tenebram, & deformitatem cum periculo totalis interitus abiret, sed è regione ad pristinum ornatum, sicut tempore Christi, & Apostolorum rediret. Sicque è regione quoque vsurpari posset illud Act. 27. Sole, & syderibus in Francisco apparentibus per plures annos, & in suis Ordinibus, & Legibus, & professoribus, & imitatoribus per plura sæcula, nec amplius tempestate non exigua ita ingruente, omnis ferme desperatio salutis ablata est.

A Franc. in pristinū statum redacta.

Ornatus cælorum Fran, & suorū restituit totius eccl. ornatū

CAPVT

CAPVT V.

Horoscopus conceptionis Francisci simul cum Vrbe Hierusalem, triformiter vna, & multiformiter trina in latere cordis eiusdem Francisci misticè inscribendus.

OBseruaui apud Historicos prophanos, quos refert, ni fallor, ex nostratibus Cartagena, & est apud Suetoniū in vita Cæsaris, Diogenem Cinicum Genesim, Horoscopumque Cæsari Augusto efformasse. Est propriè *Genesis* apud Latinos generatio. Accipitur etiam & pro sydere natalitio, quod antiqui Mathematici Horoscopum nuncupabant, Astrologi nostri temporis Ascendentem dicunt. Quod circumuolutione Cæli oritur eo momento, quo quis nascitur. Vnde *Genethliaci*, & *Horospipi*, qui ex die, & hora natiuitatis, quos Horospipos vocant, fortunā hominis, & successum pronunciant, Gell. lib. 13. cap. 1. Sed de his (*hominum genus, sperantibus infidum, potentibus fallax*, teste Tacito, efformātibus, & ab Ecclesia maximè circa Principes iure merito pluries anathematizatum) Iuuen. sat. 14. *Nota Mathematicis genesis tua*. Et sat. 6. *Inspecta genesi collyria poscit*. Igitur Diogenes delirans & ipse cum aliis sui temporis Mathematicis, delineansque Augusto Cæsari Horoscopū, sub quo natus fuerat, posuit in illius figura animal quodam, quod semipiscis, & semicapræ simul exprimebat formam. Quo simulacro demonstrare voluit, duo signa cælestia, scilicet Capricorni, ac Piscis adnascenti Cæsari pari cōcurriu, atq; coniunctione exorire. Ad pedes illius animalis addidit quoque Diogenes tres alias figuras, in quarum prima Nauis clauus, seu gubernaculum, in altera verò globus quidam, sed in postrema Cornucopia cernebatur. Quasi sub illo bicorpore signo totius Orbis, in globi icone ostensi Imperium, maxima abundantia rerum, in Cornucopia præmonstrata, clauo Nauis, scilicet sceptro suo regendum, gubernandumq; illi prognosticaretur. At relinquamus vanorum iudicia, assertiuaque Mathematicorum deliramenta, deceptoria, cauillosa, ac mendacii conferta, toties ab Apostolica Sede censurarum sententiis fulminata. Sequamurq; vt decet, Sāctorum Patrum vestigia, qui ab astris illa arcana sacris literis conformia explicuerunt, quæ ad imperium vtriusque hominis circa vitam suam in rectum erga Deum, & ad proximorū regimen perfectè informarunt mores, ifluxibus syderum bonorum operum actus misticè conformantes.

Genesis, seu horoscop. Cæsaris Augusti à Diogene figuratus.

Mathematicorū Astrologorum deliramenta.

Francisci vita à cōceptione incipiens sub signo Capricorni, habens etiam misticè & alia cum illomet signa, de quibus fusè dictum, ad illud spirituale imperium directa fuit à summo omnium rerum Conditore, ac Rectore, qui *contra folium, quod vento rapitur ostendit potentiam suam*, sine quo non poterat à tyrannide errorum, schismatum, scelerum Ecclesia Romana liberari, & ad pristinum suæ libertatis imperium restitui. In qua materia delineauerit Diogenes, in tabula scilicet an in tela, vel papyro, vel alibi Cæsaris genesim, nondum legimus. Genesim verò, seu Horoscopum conceptionis Francisci figurandum esse in materia lateritia (haud cum Nauis clauo, globo, & Cornucopia Cæsaris, sed cum Ciuitate Hierusalem) colligo ex illo Dei mandato ad Ezechielem 4. *Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, & scribes in eo Ciuitatem Hierusalem*. Super quem textum Intepr. noster serm. in Dom. Septuages. in principio, ita pulchrè. *Later significat cor pœnitentis, propter quatuor proprietates, quas habet*. Primò inter duas tabulas formatur. Ad latitudinem ducitur. Igne solidatur. Rubicundus efficitur.

Misticus cōcept. Franc. horoscopus super latere cum Vrbe Hierusalem lineandus.

Cor pœnitentis lateritiū ob quatuor.

1 *Cor peccatoris inter duas tabulas formatur* vtriusque Testamenti. *Inter mediū enim montium*, idest duorum Testamentorum, vt dicit Psalmista *pertransibunt aquæ*, scilicet doctrinales. Et benè dicitur formatur. Peccator enim, peccato deformatus formam recipit vtriusque Testamenti prædicatione.

2 *Ad latitudinem ducitur*. Latitudo enim charitatis ampliat cor angustum peccatoris. Vnde Psal. 118. *Latum mandatum tuum nimis*. Idest aqua charitatis latior Oceano.

3 *Igne solidatur*. Augustinus. Tribulationis igne mens humerosa, & dissolubilis solidatur, ne effluat in amorem temporalitatis, &c.

4 *Rubicundus efficitur*, in quo notatur sancti zeli audacia, de quo Psal. 78. *Zelus domus tuæ comedit me*. Domus scilicet Ecclesiæ, vel fidelis animæ. Et Helias 3. Regum 19. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*. In latere ergo ista quatuor notantur. *Vtriusque Testamenti scientia* ad proximum instruendum. *Charitatis abundantia ad ipsum diligendum*. *Tribulationis patentia* ad opprobrium pro Christo

Potissimum vero cor Franc. in illis quatuor notum.

Christo sufferendū. *Audacia zeli* ad omne malum ferendum. Hæc Interpres, & in his, quadrifariè ab eo distributis rebus tot equidē Horoscopi conceptionis Frāćisci Patentis sui figura quadrilateraliter in latere efformata ad viuum inspicitur. Quale namq; cor humanum (ad ardua, ac peregrina aggrediēda facinora haud ab astris inclinatum, sed ab astrorum auctore, ac rectore ab æterno prædestinatum, & ab ipso deinde conceptionis suæ puncto præfixum, ac designatum in tempore) ad hæc quatuor post corda Christi, Virginis, præcursoris Christi, & Apostolorum Christi, ita vnquam nouiter formatum extitit, iam à culpæ originalis deformatione vel ante ortum, vel in Baptismate liberum, & in posterum ab omni læthali culpa alienum; sicut Seraphici hominis, ac Reparatoris Ecclesiæ cor, omni imperio sui ipsius, & hostium Legis Christi, & Ecclesiæ ob ista quatuor dignum?

SECTIO I.

Vrbs Hierusalem, hoc est Ecclesia Militans in latere cordis Francisci cum septem fidei articulis primò scribatur.

Constructio eccles. christianæ per Christū, & eius reparatio per Frā. à pœnitētia incepit

A pœnitentia, à Ioanne Baptista primò, deinde à Christo prædicata, sumpsit exordium Ecclesia Christiana, generisque humani redemptio, vt patet ex Euangelio. Sic enim opus fuit, quia quod funditus in lege veteri culpa originalis destruxerat cursu annorum 5020. vsque ad Christi aduentum iuxta supputationem Ecclesiæ; Pœnitentia deinde prædicationis Christi, virtute Incarnationis suæ, effusione sanguinis, & sacramentorum institutione funditus etiam in lege gratiæ construxit; & recedente, ac cessante veteri Hebræorum Ecclesia, noua Christianorum Ecclesia fundata est. Idem quoque, cæteris paribus, videtur contigisse in reparatione eiusdem Ecclesiæ per Franciscum, iam per plura lustra, ac sæcula culpis, & peccatis vniuersaliter percussæ, & penè ad postremam ruinam redactæ. Hinc approbans Innocentius III. Francisco Regulam, simul & semel *dedit* ei, & suis (ait Bonau.) *de pœnitentia prædicanda mandatum*. Nam si à pœnitentia, à Præcursore Christi, & à Christo Redemptore prædicata inceperant Ecclesiæ Catholicæ Christianorum fundamina, par quidem erat, vt ab eadem, ab eo prædicanda, qui Præcursoris Christi, & Christi Redemptoris *per imitatoriam similitudinem* (vtor verbis Bonau.) vitam, & gesta præsentare debebat, inciperent quoque Ecclesiæ reparandæ initia. Et quidquid destruxerant in ipsa Ecclesia crimina, & scelera, falsa dogmata, Præcursorumque Antichristi violentiæ, ac tyrannides, Francisci, & suorum trium Ordinum restauraret pœnitentia. Ad hoc propositum definitur pœnitentia ab Interprete nostro fer. 4. in cap. Ieiunii ex D. Anselmo super Matth. hom. 4. in minori. *Pœnitentia est constructio Templi conscientiæ, quod per peccatum destruitur ad susceptionem Christi præparans humana præcordia*. Destructiones templorum particularium conscientiarum minantur ruinę toti Ecclesiæ Templo molique, quam nō ædificant ligna, vel saxa, vt ait Augustinus, sed fideles, & christiani.

Pœnitentia construit templum spirituale, quod culpa destruxit.

Igitur sub præfato Horoscopo formās Deus Francisci pœnitentis cor pro reparatione totius Tēpli Ecclesiæ inter duas tabulas vtriusque testamenti veluti misticū laterē, ab Ezechiele tot sæculis ante quodammodo prophetatum, haud quidē mirum, si in vtriusque Testamenti scientia; diuinitus infusa ad proximum instruendum, vnicè fecerit illud excellere; ipsum & Cherubicum, & Seraphicum efficiendo. Haud mirum si charitatis abundantia ad ipsum diligendum cordi suo simillimum in pluribus cōstituerit. Haud mirum si tribulationis patientia ad opprobrium pro Christo sufferendum tam excessiuè exornauerit, quam peculiariter elegerit ad opus reparationis, in quo nō alia patientia, nisi patientia Christi necessaria erat. Haud denique mirum, si ita rubicundum ipsum efformauerit in zeli audacia tum pro vniuersa Ecclesia penè collapsa, pro qua destinatus fuerat, tum pro Domino Deo exercituū, in maximū contemptum redacto delectus. Hinc factum, vt biennio antequam vita priuaretur totum in flammas prorumperit ex transformatione in amoris Christi ardoribus, totum incenderit Aluerniæ montē tempore suæ stigmatizationis: Totumq; Solem Christum (vt bonam partem noctis in diem transformaret, vicinis, ac longinquis populis istud spectaculum cernentibus, & transformatio cordis Francisci in corpus transiret, adiunctū ad opus ipsius Christi artificium) de Cælo ad se traxerit sub specie Seraphica, ac Cruciformi.

Scientia cælestis in cor de Franc. abundans charitas. Patientia vnica.

Zelus Domus Dei, & pro Domino Deo excessiuus.

Sume ergo tibi laterem, subinfert, me alloquens, Interpres, & Magister meus, cui

libenter obedire oportet, habens præ manibus cordis Franc.laterem, *& scribes*, ait, *in eo Ciuitatem Hierusalem*. *Nota*, sequitur, *quod tripiex est Hierusalem spiritualis.Militans Ecclesia. Fidelis anima. Cælestis patria*. Et quia in illo admirando sermone texit, orditurque dignam concordantiam inter sex animæ virtutes cũ sex dierũ operibus, addit hæc alia verba, quæ ori, & calamo meo mutatis mutãdis dignatur præstare ex sua liberalitate, ac gratia. *Sumam ergo*, ait, *in nomine Domini laterem, idest cor cuiuslibet auditioris*, ipse nunc dicerem cor solius Reparatoris Ecclesiæ. *Et scribam in eo triplicem Ciuitatẽ, idest articulos fidei Ecclesiæ.Virtutes animæ. Præmia cælestis Patriæ sub septenario numero ex vtroque testamento authoritates inducendo, & easdem exponendo, &c.* Itaque dum cum Interprete meo in cordis Frãcisci latere scribam priorem Hierusalem, idest Ecclesiam militantem, quæ septiformis erit, ipsam edere oportet ex septem.

In Fran.cor de scribit author triplicem Hierusalem.

I *Ex luce prima diei*, ob primum articulum fidei, quod est prima lux, ex qua prodiit Sol iustitiæ, scilicet Natiuitas Domini, cui assimilata Francisci natiuitas in Præsepe peracta, vt postea dicemus; & quam eius feruida fides Seraphico informata incendio ipsa primum celebrauit in Ecclesia eo modo, quo scribit Bonau.cap.10. Et ob cælestem visionem quandam, habitam de Francisco in ea solemnitate, exemplũ dedit, ad fidẽ, & ad pietatem excitatorium, vt à multis Principibus tum ecclesiasticis, tum sæcularibus in suorum domorum sacellis, quinimò & in pluribus Ecclesiis particularibus per integram octauam celebraretur. Quod videtur tangere idem Bonau. ibidem ipsammet visionem ita deuotè referens, quam etiam & ipse alibi retuli. Miles autem, ait, quidam virtuosus, & verax, qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate coniunctus *Dominus Ioannes de Grecio*, se vidisse asseruit puerulum quendam valdè formosum, in illo Præsepio *dormientem*. *Quem Beatus Pater Franciscus ambobus amplexans brachijs excitare videbatur à somno*. Hanc siquidem deuoti Militis visionem non solum vidẽtis sanctitas credibilem facit: sed & designata veritas comprobat, & miracula subsecuta confirmant. *Nam exemplum Francisci consideratum à Mundo excitatiuum est cordium* in fide Christi torpentium. Et fenum Præsepii reseruatum à populo mirabiliter sanatiuum fuit brutorum languẽtium, & aliarum repulsiuum pestium diuersarum, glorificante Deo per omnia seruum suum, sanctæque orationis efficaciam euidentibus miraculorum prodigiis demonstrante. Scribatur ergo prima vice in latere cordis Francisci Ciuitas Ecclesiæ Militantis cum Infante Christo intra Præsepium, infanti Francisco in præsepe adnascenti simillimo, & in celebrando suæ natiuitatis misterio modo, & exemplo in Ecclesia primo.

Prima Hierusale eccl. militans, cui 1.pars ex luce, Christi Natiuitas.

Pietas Fran. erga Christũ in præsepe toti orbi exemplaris.

II Edenda est Ciuitas Ecclesiæ militantis, in latere cordis Francisci scribendæ, ex *firmamento in medio aquarum aquas ab aquis diuidente in secunda die creato*. Et istud ob secundum articulum fidei; quod est Baptismus, in quo, ceu in quodam primordiali firmamento omnium credibilium, firmatur Ecclesia. Fides cordis Francisci ad Sanctam Trinitatem per Baptismum in construenda triformi Ecclesiæ militantis reparationem per institutionem trium Ordinum, triumque Legum lationem videtur in ipsius fundamentis posita, sicut posuit eam Christus in fundamentis Ecclesiæ conditæ. Audi misterium ex Bonau.cap.3.vbi de initiatione B. Bernardi Quintauallensis, qui fuit primus lapis primi Ordinis Frãcisci, à quo incepit prima Ecclesiæ reparatio. Intrauerunt proinde, ait, Ecclesiam S.Nicolai mane iam facto, & oratione præmissa *cultor Trinitatis Franciscus*, *ter Euangeliorum librum aperuit, trino exposcens à Deo testimonio*, sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. In secunda. *Nihil tuleritis in via*, Lucæ 9. In tertia verò. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*. Matth.16. Hæc est, ait vir sanctus, *Vita & Regula nostra, omniumque, qui nostræ voluerit societati coniungi*. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice quæ audisti.

Secũda pars eccles. mil: ex firmamẽto, Baptismus.

In fide ergo SS.Trinitatis, quam acceperat in Baptismate antequam scriberet Legem Minorum Franciscus Altissimo eam ipsi inspirante, ac reuelante, dedit ipsi præludium, siue exordium, cepitque argumentum illis verbis; *Hæc est vita, & Regula, omniumque, &c.* Inceptio enim eiusdem Regulæ in scripto eadem est, vbi ait, *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet sanctum Euangelium D.N. Iesu Christi obseruare, &c.* Hanc veritatem contestatus deinde est Romanus Pontifex Nicolaus III.qui Minorum Legem iuxta puram mẽtem sui Institutoris declarans, atque vt rem verè sanctam, ac diuinam in corpore Ecclesiastici iuris primus inferens

Cultus Trinitatis iecit primũ lapidem Ord. Min. fundationi.

ferens de verb. signif. in 6. cap. *Exijt qui seminat*, postea Clemens V. in Clement. *Exiui de Paradiso*, in hæc profundissima verba, totus in Deum trinum & vnum alta cogitatione immersus, Apostolico spiritu prorupit. *Hæc est apud Deum, & Patrem munda, & immaculata Religio*; quæ descendens à *Patre* luminum per eius *Filium* exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita; & demum per *Spiritum Sanctum* B. Francisco, & eum sequentibus inspirata, *Totius in se continet testimonium Trinitatis*.

Ex fluminis Baptismatis fide tunc magis ac magis accensus Franciscus, vt vnicus Trinitatis cultor euaderet, & ad Baptismata alia duo, scilicet flaminis, & sanguinis intermissiuo accremẽto inhiaret, cum ter ipsi ab Auctore Baptismatis Christus crucifixus ei demandata domus suæ collabentis reparatio. Quare sympathia quadã cælesti ductus Vir sanctus, tot Ordines, inter se diuersos instituit, totque pariter eis tradidit leges, quot Baptismata sunt in Ecclesia, scilicet tria, fluminis, flaminis, sanguinis. Quilibet etiam Ordo, ab ipso Francisco fundatus habet suum Baptismum misticum in actu professionis per regenerationem à vita sæculari, in qua moritur, ad vitam regularem, in qua renascitur, & fit vetus homo homo nouus.

Fides Baptismalis in Franc. quomodo simpatica.

Sæpè deinde numero Baptismatibus flaminis, & sanguinis lauantur, & renouantur professores trium Ordinum, Minorum, Clarissarum, Fratrum de Pœnitentia. In Ordine Minorum arctius noui lauacri mandatum. In Ordine verò Clarissarum mitius, etsi vota paria, sed ibi præcepta præter vota plurima. In Ordine demum de Pœnitentia communius, & etiam suauius, quia & nullam conditionem personarum excludere, & suorum professionem, nec sub voto, nec sub præcepto astringere opus erat. In fide baptismali valdè vetustata, ac debilitata, & veluti cadens, imò à malis, nefariisque operibus vniuersaliter oppressa, iam vt mortua iacebat Ecclesia, *quia fides sine operibus mortua est*. Baptismus flaminis, & sanguinis penè nullus amplius in ea, & sic magis ac magis ex hac parte in omni hominum statu, in omni sexu quasi tripliciter baptizari oportebat, haud ad repetendum Baptismum fluminis, sed ad se, vel flamine, vel sanguine per alia Baptismata renouanda. Hæc autem iuxta numerum renouandorum esse debebant fundamentaliter tria, adeout in quolibet eorum reperirentur etiam alia duo, scilicet flaminis, & sanguinis; & ab vnoquoque eorum fides, in Baptismate fluminis infusa cum ipsa Ecclesia (trina militia saluandorum iuxta triplex Baptisma, scilicet professionis, flaminis, sanguinis triumphatura) repararetur, ac renouaretur, & ad vitam nouam, sicut tempore Apostolorum, restitueretur. Id fermè videtur demonstrare Bonau. ad fin. cap. 2. tangens arcanum, ex reparatione materiali trium Ecclesiarum, à Francisco peracta pulchrè deductum illis verbis. Diuinæ namque prouidentiæ nutu, qua Christi seruus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit Ecclesias antequã Ordinem inchoans Euangelium prædicaret. Vt non solum à sensibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora ordinato progressu conscenderet: verum etiam vt quid esset facturus in posterum sensibili foris opere misterialiter præsignaret. *Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum.* Scribatur ergo secunda vice in latere cordis Francisci Ciuitas Ecclesiæ militantis cum fide Baptismali Baptismata professionis, flaminis, & sanguinis in triplici forma, quæ quemlibet eius Ordinem, Minorum, Clarissarum, Tertiariorum simul inspiceret.

In omni Ordine Franc. triplex Baptismus.

Hic ad triplicem fidei catholicæ reparationem ordinatur.

III Constabit figura Ciuitatis Ierusalem, seu Ecclesiæ militantis in latere cordis Francisci, ex his, quæ producens Deus tertia die, suo verbo explicauit, dicens: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen; lignumque pomiferũ, &c.* Et hoc ob tertium articulum fidei circa Christum passum. *Tertius articulus*, inquit Interpres, *est Passio Domini*. Iste quidem articulus totos artus terræ cordis Fräcisci (ad noua germina patientis Redemptoris edenda, quæ omnem hortum Ecclesiæ, vndique circa Christi passionis memoriam aridum, ac siccum, renouarent) occupaturus, atque per cunctas rimulas penetraturus, ab ipsa penè conceptione cum pietate illa ingenita, de qua superius ex Bonauentura, ingenitus & ipse euasit in illo Reparatoris corde, non adhuc cum corpore genito. Terra cordis Fräcisci in homine interiori qualis deinde extitit, à terra corporis hominis exterioris monstrata fuit. Habemus argumentum ex eodem Interprete, ita articulum hunc tertium explicante, loquente de Christi carne, & corde in passione, & in Christi carne, & corde ipse ad viuum Francisci patientis carnem, & cor intuens. *Germinet terra, &c.* & Interpres,

Tertia pars eccl. militãtis ex plantis, & lignis pomiferis Christi passio.

Cor, & caro Christi in ea passione, in qua cor, & caro Franc.

pres. *Terra*, quæ dicitur à tero teris, *est Corpus Christi*, quod fuit *attritum*, vt dicit Isaia 54. *propter scelera nostra*. Et hæc terra fuit clauis, & lancea fossa, & exarata. De qua dicitur,

Fossa dabit tellus optato tempore fructus.

Fossa caro Christi, Calica regna dedit.

Ab instanti conceptionis, in quo etiam diuina hypostasis coniuncta est homini; tale fuit cor corporis Christi, scilicet voluntas, qualis debebat esse caro in sua passione. Nam ab illo instanti quoque per deliberatam, hilaremque omnium pœnarum acceptationem cum esset cor illud in parte superiori beatum, & compræhensor simul, & è regione, hoc est, in parte inferiori viator, & passibile, verè seipsũ ex tunc in carnem suam passurã, ob vehementẽ amorem patiẽdi pro redimendo homine, transformauit, atque in carne crucifigẽda, veluti in cruce quadam animata semetipsum etiam spiritualiter crucifixit. Patet ex breui illo Interpretis nostri commentario super Cant. 8. in quo verbum alloquens cor hominis, à se assumpti, dixit ei ab illomet instanti. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*. In corde (subdit Interpres) voluntas, in brachio notatur operatio, *quæ duo signaculo passionis Christi debent insigniri*. Ita Interpres ibi. Duo in Christo fuerunt signacula circa suam passionem, alterum super cor in homine interiori fuit, *Pone vt signaculum super cor tuum*, alterum verò super brachium, scilicet in operatione ad carnem per hominem exteriorem, *vt signaculum super brachium tuum.*

Quomodo Christi cor in carne, seu corpore à suo conceptionis puncto crucifixum.

Prius signaculum crucifixionis in corde Christi per acceptationẽ, & transformationem extitit. Posterius autem crucifixionis signaculum, priori conforme, fuit in carne, ac corpore per realem, sensibilemque passionem. Vtrumque signaculum in solo Christo vt Redemptore Mundi per passionem, & crucifixionem, & in solo Frãcisco vt Reparatore Ecclesiæ, vtroque modo Christo Redemptori conformando, à quo & consignando. Cor namque Francisci, à sua ferè conceptione ingenita superfusum pietate (vel potius in ipsa fermè pietate conceptum, vt dixerat Basil. de Sãpsone per respectũ ad ieiunium maternum, quasi ipsum ieiunium virum illum adeò strenuum concepisset, sicut aliàs superius adnotatum) & ad eam, ceu sui ipsius interius, & carni corporis sui exterius vnicè transformatiuam circa Christum passum, directũ

Binum in cruciformitate Christi, & Franc. signaculum.

fuit, prout deinde in toto eius vitæ cursu à principio suæ conuersionis praxis ipsa monstrauit. Eius binæ Crucis, cordis scilicet per compassionem ad Christi Crucem & Ecclesiæ persecutiones, & corporis per austerissimã afflictionem baiulatio, tendens ad binam Christi Crucem, iugis fuit, constantissima vsque dum ad effectum suum perueniret, figeretque Herculeas columnas, illo vulgatissimo dicterio inscriptas, *Non plus vltra*, circa nouũ dumtaxat martyrii modum, puræ creaturę ponibilem. Hinc semper corde, & corpore patiens, & crucifixus, & vtroque semper magnanimus, ceu verus amans, quia nec de difficultate accipiebat solatium, vt retrocederet, ne amplius cruciformiter amaret. Nec de impossibilitate remediũ sumebat, quasi sic deberet haud vlterius pregredi, ceu si ipsi sufficeret illa gemina crucifixio incruenta, cum iam cruentam toties tentarit, & semper frustra, & ipse iam viribus exinanitus reperiretur. Audi Bonau. cap. 13. describentẽ Franciscum, super montem Aluerniæ ieiunantem in illa Quadragesima, quæ quantò ad honorem Archangeli Michaelis tunc maximè supra morem, & supra vires austerior, tantò postrema crucifixione cruentissima dignior. Sanè, inquit, cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. *Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, Crucisque Dominicæ baiulationem continuam imbecillis iam esset corpore; nequaquam est territus, sed ad martyrij sustinentiam vigorosius animatus*. Excreuerat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Iesu in *lampades ignis, atque flammarum*. Cant. 8. vt aquę multæ charitatem eius tam validam extinguere non valerent, &c.

Magnanimitas Franc. corde, & corpore Crucifixi, ad nouã stigmatũ crucifixionem.

Hanc magnanimitatem Francisci ad illam pietatem reducimus veluti ad suam originem, in qua conceptum eius cor antea, deinde gratia Dei informatum est, vt neque in vita sæculari, neque regulari vnquam, neque ab impetu occasionum ad labendum, neq; à superueniẽtibus motiuis, ad noua, ac maiora patiendum superaretur, etsi viribus corporis destitutus, & quasi ad nihilum redactus. Quamobrem idem Bonau. loquens de viscerosissimo cordis Frãcisci ingenitæ pietatis affectu, tria officia illi tribuit, vnum ratione deuotionis, aliud ratione compassionis, tertium ratione condescensionis.

tis. Ratione deuotionis vim talem, ac tantam ei imprimebat pietas, quod miras pennas præstabat Francisco, vt ipse in Deum suum sursum eleuaretur.

Ratione autem compassionis per mirabilem transformationis in Christum operationẽ, ipsum mirabiliter crucifigebat, vt crucifixo Christi cordi in homine interiori assimilaretur. Ratione demum condescensionis eum versus proximum ingenti pondere deorsum impellebat.

Triā officia pietas in Franc. exercebat.

Hæc pietas, inquit Bonauent. *ipsum per deuotionem sursum agebat in Deum. Per compassionem transformabat in Christum. Per condescensionem inclinabat ad proximum.* In quibus verbis videtur aliquo pacto expressisse, vel saltem delineasse Bonauent. imaginem speciei illius Seraph, qui postea super montem Aluerniam illam interiorem cordis Francisci crucifixionem exterius in carne visibilibus, sanguineisque characteribus figurauit. Et signaculum cordis per signaculum corporis patefecit multis concurrentibus miraculis. Seraph namque ille habens in specie illa ipsum Christum, summa pietate in genus humanum affectum, dum sursum eleuabatur in Deum, transformatum se patefaciebat in Christū crucifixum. Condescendens mox alatu celerrimo, vt ait Bonau. ad Franciscū corde sibi propinquissimum, & iam corpore vicinum, ipsumque ex se immediatè corpus suum corpori serui sui reali, & vt aiunt physica coniunctione approximans, crucifigens, summam quoque monstrauit condescensionẽ ad genus humanum tunc potissimè; quia tunc maximè completissimum declarabat Reparatorem Ecclesiæ suæ Franciscum, tribuens ei, vt deferret, sicut ipse in opere Redemptionis detulerat duplex signaculum sui ipsius Crucifixi, alterum in corde, alterum in corpore. Sicque cor & caro Francisci in corde, & in carne Christi confossa cælica regna daret reparandis, ac saluandis per ipsum.

Quot visum est exercuisse Christum sub specie Seraph. in Franc.

Vnde vbi Interpres sequens, declaransque totam similitudinem de hoc tertio articulo cum opere tertiæ diei, profert hæc alia per concordantiam ad priora. *Germinauit* (scilicet caro Christi fossa) *herbam virentem in Apostolis, facientem semen prædicationis in Martyribus. Lignum pomiferum faciens fructum in Confessoribus, & Virginibus.* His quatuor Ordinibus veluti Ciuitatem in quadro positam constituit Hierusalem militantem, scilicet Ecclesiam suam Christi passio, vt alibi docet Interpres. Quia verò tempore conceptionis Francisci herba illa virens, semen Apostolicum per Martyres, Lignū pomiferum per Confessores, & Virgines non solum languebant, verum etiam penè ad omnimodā exsiccationem deuenerant visum est summo, altoque Dei consilio mittere suum Reparatorem, Redemptori cordis, & corporis, crucifixione simillimum, vt per suos Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines triplici Ordine, ac triplici lege Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum herbam virentem, semen Euangelicum, lignumque pomiferum ad pristinum germen reduceret. Scribatur ergo tertia vice in latere cordis Francisci Ciuitas Hierusalem Ecclesiæ militantis cum duplici ipsius Christi per duplex signaculū crucifixionẽ.

Germina à confossis cor de, & carne Christi producta, renouarūt cor, & caro Franc.

IV. Constabit scriptura Ciuitatis Ecclesiæ militantis in latere cordis Francisci ex Sole, Luna, & Stellis, & ex Christo, iam per resurrectionem glorificato. In quarta enim die dixit Deus, *Fiant luminaria in firmamento Cæli, &c.* Additque contextus, *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas.* Vbi Interpres coniungens constructionẽ textus cum sua declaratione sub eadem loquendi forma, ita annectit, simul & postillat. Fiant luminaria duo in Firmamento: *Idest in Christo iam per resurrectionẽ glorificato*, fuerunt duo luminaria, *claritas* scilicet *Resurrectionis, quæ notatur in Sole*: Et *Incorruptibilitatis, quæ notatur in Luna*, habito respectu ad statum Solis, & Lunæ ante lapsum primi parẽtis propter cuius inobediẽtiam omnes creaturæ patiuntur detrimentum. Vnde Apostolus Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc, &c.*

Quarta ... Ecclesiæ ex Sole, Luna, & Christi ... resurrectio.

Ex quo cor Francisci (haud in ventre matris post lapsum, iuxta mentem Bonauent. sed extra post Baptisma, vt fides Catholica tenet) surrexit in Christo, qui surrexit propter iustificationem nostram, nunquam mortuum est per læthale crimen, vt probarum est aliàs. Claritas eius ex huiusmodi in ipso valde præcipua ac spirituali resurrectione multoties (vt plurima probant exempla, quæ nunc mittimus, sed illud inter cuncta peculiarissimum de curru igneo, in quo vt globus Solis apparuit in aere Frā. & de quo supra) se diffudit per corpus, quod in homine exteriori & ipsum pariter cum anima moraliter semelque surrexerat, ne amplius in mortali vita morsu illius mortis, quæ intrat per fenestras sensuum, interiret, fieretque aliquando mortis æternæ reum. Eadem cordis immortalitas, quam peperit spiritalem incorruptibilitatem, communicauit non solum moraliter

Resurrectio spiritualis, & moralis quando in Franc.

ter corpori, adhuc vita rationali, animali, ac vegetatiua per vnam animam viuenti, sed etiam post mortem, iam ab eo anima disiuncta, atq; in Cælum translata. Et adeo eam corpori extincto communicauit, vt de eo Bonau. cap. 15. quod est *De Canoniz. Francisci, & translatione eius*, scriberet immediatè post illa verba textualia, quæ huic libro 8. apposuimus veluti quodam omnium in eo scribendorum argumentum, hæc mirabilia.

Crucifixa Franc. caro surrexit quodammodo post mortē, transiens in nouam creaturam.

Beato namque viro migrāte à sæculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, *expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit, vt caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitijs in nouam iam creaturam transierat, & passionis Christi effigiem priuilegij singularitate præferret, & nouitate miraculi resurrectionis speciem præmonstraret*. Cernebantur quidem in membris illis felicibus *claui, ex eius carne virtute diuina mirificè fabrefacti*, sicque carni eidem innati, quod dum à parte qualibet præmerentur, protinus quasi nerui continui, & duri ad partem oppositam resultabant. Inuenta quoque fuit patentius in ipsius corpore (non inflicta humanitus, neque facta) *plaga vulneris lateralis instar vulnerati lateris Saluatoris, quod redemptionis, & regenerationis humanæ in ipso Redemptore nostro protulit Sacramentum*. Erat autem *similitudo clauorum nigra quasi ferrum. Vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum, Rosa quædam pulcherrima videbatur. Caro verò ipsius reliqua*, quæ prius tam ex infirmitate, quam ex natura ad nigredinem declinabat, *candore nimio renitescens illius secundæ stolæ pulchritudinem prætendebat*. Membra ipsius adeò mollia, & tractabilia se præbebant palpantibus, *vt conuersa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis, & quibusdam cernerentur euidentibus signis innocentiæ decorata*. Cum igitur *in candidissima carne claui nigrescerent: Plaga verò lateralis vt vernans roseus flos ruberet, mirandum non est si tam formosa, & miraculosa varietas iucunditatem, & admirationem contuentibus ingerebat, &c.* Adhuc hæc diuina spectacula resurrectionis, & incorruptionis, & claritatis, & pulchritudinis, & candoris carnis, & vulnerum corporis Christi resurgentis aliquo pacto præmonstrantia, perseuerant in tumulo. Et eò ibi prodigiosiora extant, quò ibi corpus Reparatoris Ecclesiæ non extensum vt tempore mortis, sed erectum sicuti si adhuc viueret (nullo artificio humano concurrente) ea repræsentat, vt suo loco demonstrandum.

Plaga lateralis vt vernans rosa.

Similitudo clauorum in carne Fran.

Caro ipsius post mortē.

Miraculosa in ea varietas.

Sed mirabilior in tumulo, quam in morte.

Scribatur ergo quarta vice in cordis Francisci latere Ciuitas Hierusalem, scilicet Ecclesia militans cum Luminare maiori, & Luminare minori, & Stellis sui Horoscopi, quatenus crucifixioni carnis eius (in quam cordis crucifixio influxerat, Christi tamen crucificione exterius cooperante) contigit postea Christi resurrectio in claritate, & incorruptibilitate corporis eo modo, quem diximus cum Bonau.

V Dabimus etiam scripturæ, Ciuitatem Ierusalem Ecclesiæ militantis in latere cordis Francisci exprimentis, quas fecit Deus in quinta die *aues Cæli, &c.* Huic namque quintæ diei *benè consonat* (ait Interpres) *quintus articulus, scilicet Ascensio, in qua Dei Filius tamquam auis cum carne assumpta ad dextram Patris auolauit*. Vnde ipse per Isaiam dicit. *Vocans ab Oriente auem* (alias iustum) *& de terra longinqua virum voluntatis meæ. Vocans ab Oriente*, scilicet Monte Olìueti, qui est in Oriente, de quo Psal. 67. *Qui ascendit super Cælum Cæli ad Orientem*, super Cælum Cæli, idest ad æqualitatem Patris. *Auem*, idest filium meum, *de terra longinqua*, idest Mundo. *Virum voluntatis meæ*, quia dixit Ioann. 3. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei*. Ita Interpres ibi de illa quinta concordātia operis quintæ diei cum fidei articulo, in quo Christi Ascēsionem post dies quadraginta à Resurrectione confitemur.

Quinta pars eccl. militantis ex auibus cæli, Domini Ascensio.

Cordifera Seraphici hominis ascensio, nimirum quoad cor, & quoad totum hominem interiorem per intelligentiam, memoriam, voluntatem, mentem ad superna, ab Oriente gratiæ super Cælum Cæli ad similitudinē Patris Christi multimoda extitit, & in pluribus celerrimo volatu, alis sex Seraphicis peracto, peregrina admodum, ac noua. Cor eius leuissimum effectum, ac fermè pennatum ob altissimam, & egregissimā, quam primus ipse professus est in Ecclesia, paupertatem. Hæc tam primitiua in ipso paupertas, supernaturalibus donis, & dotibus abundè conferta hominem quoque exteriorem, iam mole carnis ponderosum, qua ex sua natura deorsum descēdere, & non sursum ascendere, & esse grauem, & non leuem oportebat, ipsum efficiebat celerrimum. Et in rei veritate, quomodo potuissēt Franciscus, & eius sectatores, & imitatores, omni subsidio humano priuati, tam celeriter, potentissimis vndique deuictis obstaculis, totum Orbem circuire, & ipsum tribus institutis, & legibus adimplere, nisi Francisci, & sequacium corda noua agilitatis altissimæ paupertatis

Cordis Frāc. leuitas ad superna virtute paupertatis.

Transfusa talis leuitas ad corpus.

tatis dote, ad agilia reddenda corpora, ditata essent? Et nisi proinde diuino igne essent plena, quo leuissimum in progressibus etiam corporalibus vtrumque hominem in Seraphico Duce, & cum sequentibus ferè ad miraculum efficerent?

Ignem veni mittere in terrā, & quid volo, nisi vt ardeat? Lucæ 12. Interpres in hunc locum ferm. Dom.18.post Trinit. ita pulchrè. Attende, quod in terram, non aliò se dicit ignem mittere, & benè. *Venerat enim contraria contrarÿs curare*. In igne sunt tria. *Calor. Splendor. Leuitas*. In terra sunt tria. *Frigiditas. Obscuritas. Ponderositas*. Et ista tria sunt opposita primis tribus. *Ignis est amor Dei*, in quo sunt tria. *Calor Humilitatis. Splendor Castitatis. Leuitas Paupertatis*. In terra, idest terrenis sunt tria. *Frigiditas superbiæ. Obscuritas luxuriæ. Ponderositas auaritiæ*. Venit ergo ignem mittere in terram.

Tria in igne & tria in terra.

1 Quia opponit *Calorem humilitatis frigiditati, vel gelicidio superbiæ*. Psal.147. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea*. Verbum scilicet, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Liquefaciet ea, scilicet corda superborum.

Calorem humilitatis frigiditati superbiæ opposuit Christus.

2 Quia opponit *Splendorem castitatis obscuritati luxuriæ*, Act. 12. *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque*, &c. *In Angelo, qui natura virgo est, gratia castitatis significatur*, cuius lumen illustrat habitaculū carceris, idest cor peccatoris, tenebris luxuriæ excæcati. *Carcer dictus mundus*, quo & arceris. Luxuriosus enim à se arcet quidquid luxuria extinguere potest; sed cum Angelus percutit eius latus lancea timoris, excitat à somno mortis, & admonet, vt surgat per contritionem, velocius per confessionem; & tunc catenæ malæ consuetudinis cadūt de manibus, idest operibus.

Splēdorē castitatis obscuritati luxuriæ.

3 Quia opponit *Leuitatem paupertatis ponderositati auaritiæ*. Vnde Matth. 8. *Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c*. Vt Hierem. 2. *Cursor leuis explicans vias suas*. Cursor, idest *Pauper spiritu currens cum Gigante geminæ substantiæ. Quanto pondere se alleuiat, qui nihil habere amat: & ideo vias suas explicat*. Ignem ergo veni mittere, &c.

Leuitatem paupertatis ponderositati auaritiæ.

Tria illa in Christi dextera, in genus humanum, & in Ecclesiam indignati ardentia fulmina, seu igneas sagittas, ad quas extinguendas designatus fuit à Deipara, patrocinante Rempublicam Christianam, Franciscus, quis accenderat, nisi tria hæc vitia principalia, vnde cætera alia veluti è prorupta scaturigine in omnes virtutes, imò & in ipsam catholicam fidē, quæ omnium bonorū in legis euangelicæ professoribus radix est, furenter irruebant? *Frigiditas superbiæ*, quæ in Ecclesia omnem penè humilitatis christianæ calorem extinxerat (ac per consequens Ecclesiasticæ molis fundamentum minabatur ruinam) priorem sagittam accenderat. *Obscuritas luxuriæ*, per quam *omnis caro corruperat viam suam*, atque vniuersæ carnis finem (eliminata hinc vlla reuersionis spe castitate) venisse præmonstrabat, accenderat posteriorem sagittam. Postremam tandem sagittam nonnisi ponderositas auaritiæ accenderat. Hæc nanque cum leuitate paupertatis spiritus per multa sæcula in Ecclesia destruxisset, vt citius Ecclesiæ moles rueret, ipsam maiori vi impellebat.

Quareidcirco, vt præmonstrauit visio iuxta verba Christi ad Matrem suam, prima sagitta in superbos minabatur vindex Dominus ruinam. Secunda in luxuriosos, tertia in auaros. Et quia ex his, & ex aliis ab his progenitis tota fermè tūc tēporis constabat Ecclesia, tota quoque Ecclesia illis erutis eruenda erat. Vnde haud mirum, si tam proximam ruinæ Christi Vicarius Innoc. III. ipsam viderit, & illi ruinæ, ne vlterius transiret pernicies, appositos Frāc. humeros simul conspexerit.

Visioni de Christo, Ecclesiæ excidium minitante, alia visio Innoc. 3. respondit.

Hinc priori visioni, de qua communiter Scriptores, respondens posterior, quam refert etiam Breuiarium Romanū die 4. Octobr. in festo S. Francisci, vtraque deinde monstrauit, quod per Ecclesiæ suę Reparatorem, huiusque sequaces iterum Christus debebat mittere illum ignem in terram, quem pro fundanda Ecclesia ipse immediatè vna cum suis Apostolis miserat. Vt iterum per suum Reparatorem, extinctis prædictis tribus ignitis fulminimus, idem ignis mutans alienam irascentis iudicis formam in propriā miserentis Patris naturam, calore humilitatis frigiditatem superbiæ, splendore castitatis obscuritatem luxuriæ, leuitate paupertatis ponderositatem auaritiæ destrueret, & sic per nouum hominem Franciscū omnia renouaret. Leuitas paupertatis in calore humilitatis feruens, in splendore castitatis impigra affectu, & effectu præoccupans in altissimo gradu Francisci cor, ac sequacium, & in suum, suorumq; corpus miranda quadam vi se transfundens, sibi, & suis veluti si pennas præstaret, cuncti deinde vt cursores leuissimi cū Gigāte geminæ substātiæ, scilicet Christo paupere, explicabant vias suas. Currebat in eis cor, paupertate spiritus informatū ascendens expeditè ad Deum, vt velocius descenderet ad proximum, quia ab omni pondere se alleuiauerat, dū nihil habere

Leuitas paupertatis in corde, & corpore Franc. & sequacium non in eccl.

in

in hoc mundo amplius amabat nec in communi, nec in particulari; id quod vt nouum in Mundo meritò admirabatur Ecclesia. Currebat in iisdem pariter corpus & pro Deo, & pro proximo cordis instinctum sequens, imò ab eo vt curreret leuissimum factum, quia nulla vis contraria poterat, ne expeditissimè curreret, impedire. Audi Bonauent. cap. 4. Multi etiā non solum deuotione compuncti, sed & perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur. *Qui quotidianis succrescentes profectibus, vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenerunt. Faciebat namque Sancta Paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos. Robustos ad labores; & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant vbique.* Nullo pauore suspensi. Nulla cura distracti. Tamquam qui absque mentis turbatione viuebant; & sine sollicitudine diem crastinum, & serotinum hospitium espectabant. Sed ascensio leuissima cordis Francisci (in altum ad Deum suum, cuius igne repletus erat, ascendentis, & *quasi captiuam ducentis captiuitatem*, scilicet Ecclesiam Catholicam, ab ipso vt Reparator captā, ac restauratā, & ad superos ductā) in ipsa corporis mole quam mira, atque peculiaris extiterit, pluribus miraculis patefacta est. Ascensio visibilis, ac corporalis Eliæ per raptum super currum igneum, Ascensionis Christi figura quædam fuit. Sed ascensio Francisci etiam per raptū, & super currum igneū, in quo ipse visus est à suis ceu lucidus *globus, Solis habens aspectum*, vt diximus aliàs cum Bonau. cap. 3. cit. non solum se venisse in spiritu, & virtute Eliæ, ostendit, verum etiam fidei articulum de Christi Ascensione illo miraculo, argumento à minori ad maius comprobauit. Imò clarum fecit, quod congruum erat, vt in hoc etiam misterio, Redemptori Mundi proprio, Redemptori Mundi Reparator Ecclesi. ex speciali gratia, quātum fas erat mortali homini, aliquatenus assimilaretur. Nam Ascēsio animæ, & corporis Reparatoris in Cælum non poterat ante communem resurrectionem contingere. Sed Ascensio Redemptoris debebat post dies quadraginta esse iuxta sacræ scripturæ oracula.

Celerrimè circuit mundum vsq. ad fines orbis terræ.

In ascendendo per miros raptus cor, & corpus Franc. leuissimum.

Cōgruebat, vt ex hac etiam parte Redēptori assimilaretur.

Aliis vicibus ascendit corpus Franc. sursum, ductum per vim supernaturalem, cordi eius alienati ab homine exteriori primitus impressam, & ita altè, vt fertur in Chronicis, quod aliquādo nullus oculus ipsum poterat amplius cernere, quia sursum vectum ipsas nubes penetrabat. Illum verò ascensum, seu raptum, quem narrat Bona. cap. 10. magnam exprimit cum ascensu Christi, in Cælum abeuntis analogiam. Vbi namque sacer Textus 1. Act. capite ait de Christi ascensu. *Videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Bonau. ex alia parte loco cit. agens de studio, & virtute orationis Francisci, & post victoriam de Dæmonibus in solitudine, & ab illis, territis, & fugatis ibi relictus, hæc subdit. Vir autem Dei solitarius remanens, & pacatus, *Nemora replebat gemitibus. Loca spargebat lacbrymis. Pectora manu tundebat*, & quasi occultus secretarius nactus, confabulabatur cum Domino suo. *Ibi respondebat Iudici. Ibi supplicabat Patri. Ibi colloquebatur amico.* Ibi quoq; à Fratribus, ipsum piè obseruātibus aliquotiens auditus est clamorosis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, *quasi coram se positam Dominicam Passionem.* Ibi visus est nocte orans manibus, ad modum *Crucis protensis toto corpore subleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circundatus, vt illustrationis mirabilius intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset.* Ibi, &c. Scribatur ergo quinta vice in cordis Francisci latere (lumen, & leuitatem effundentis in frequētes ascensus corporis eius) Ciuitas Ierusalem, idest Ecclesia Catholica, quatenus in misterio de Ascēsione animæ Christi, in præfatis Viri Sācti raptibus miro modo solidata est.

Franc. in solitud. orans post victoriam de Dæmonibus.

Eius corporis ascensus per mirum raptum ibidem.

VI Scripturæ lateritiæ cordis Franc. ad penultimam Vrbis Ierusalem, seu Eccle. Romanæ formā, seu partē sextæ diei inter prędicta opera opus lōge mirabilius apponendum est cum eius ad sextū fidei articulum concordantia. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, &c.* Sextus articulus (subdit Interpres) *est Spiritus Sancti missio, in qua imago Dei, in homine deformata, & deturpata per Spiritus Sancti inspirationem, qui inspirauit in faciem hominis spiraculum vitæ, reformatur, & illuminatur.* Sicut dicitur Act. 2. *Factus est repente de Cælo sonus, &c.* Et nota, *quod bene dicitur Spiritus Sanctus vehemens, idest sursum vehens mentem.* Vnde Psal. 4. *Signatū est, &c.* Vide superius.

Sexta pars eccl. militātis ex formatione hominis Spiritus Sācti missio.

Opus vtriusque hominis in Francisco, ex quo viuificatum ab anima rationali eius cor, reformataque imago per gratuitæ similitudinis Dei cōfigurationem, effecit summus Opifex, vt esset peculiare Spiritus Sancti domicilium. Quod domicilium non alibi efformatum, nisi *in con-*

Quomodo Christus iterum miserit Spiritum S. in reparatione eccl. per Franc.

conflatorio diuini spiritus, vt habet Baron. tom. 12. ad ann. 1282. ordinauit Christus ob communem Ecclesiæ reparandæ bonum, veluti vnicum instrumentum ad nouam quandam Spiritus Sancti missionem, deturpatissimam peccatorum imaginem nouiter reparantem, ac restaurantem. Sicut enim in fundanda Ecclesia necessaria extitit illa prima Spiritus Sācti missio, ita quoque oportebat secunda missio eiusdem in eadem Ecclesiā reparāda, licet hæc suo modo, illa autem visibilis, & non adhuc omnimodè parē habēs. Quādo mādauit Christus de cruce Franc. vt iret, & repararet domum suam collabentem, tunc nouum Apostolum eum constituit; & quos dedit ei discipulos. Mittens ipsum primò, misit per ipsum Spiritum Sanctum, quo eius cor impleuerat, ad alios, quos ipse conuertit, vt ipse & consodales iam Apostolici effecti per ipsius Diuini Spiritus impletionem possent Orbem terrarum replere. Sicque in toto terrarum Orbe diuino igne, de quo paulò ante, Ecclesia penè extincta viuificaretur. Christus ex se immediatè misit Spiritum Sanctū in Collegio Apostolico, vbi erant congregati cum aliis Discipulis in vnum. Visibilis facta est illa missio, quia *apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum*. Plurima scitu digna, quę proposito nostro idonea multum essent, scribit Interpres noster in 1. & 2. serm. in die sancto Pentecostes. Verum in præsentialibus nonnulla sufficere possunt. *Discipuli erant in eodem loco*, ait sacer Textus. Interpres verò sic in ser. 1. Discipuli sunt viri iusti affectus rationis, & puræ cogitationes mentis, quæ verè tunc sunt pariter in eodem loco, *cum dies Pentecostes*, idest quinque sensuum perfectio adimpletur. Nota ista duo *pariter & in eodem loco*.

Discipuli in eodem loco, qui mysticè, & quid Pentecostes.

1 *Pariter* idem est, quod æqualiter, simul. *Illæ mentis cogitationes pariter sunt, quæ sub æquali regula rationis ordinatè componuntur*, & discretè procedunt, vt vna non altior altera, nec inferior alia in mente appareat. Quod si non fieret, ipsa inæqualitas fieret causa ruinæ virtutum fabricæ. *Omnia*, inquit Apost. 1. Cor. 14. *honestè, & secundum ordinem fiant in vobis*. Vt dicat *huic vade, & vadit, & alio veni, & venit*; *& seruo*, idest corpori, *fac hoc, & facit*. Sint etiam Discipuli pariter, vt cogitationes mentis similiter & in vnum congregatæ tanquam acies militum aereas potestates valeant tutius impugnare.

Pariter esse discipuli mysticè dupliciter exponitur.

2 Sint etiam *in eodem loco*, non in diuerso, quia mens diuisa non imperat. Vnde Eccl. 12. *Fili ne sint in multis actus tui*. Et iterum Act. 20. *Vah peccatori, terram ingredienti duabus vijs*. Gregor. *Fluuius, qui in multos riuos diuiditur, à suo alueo desiccatur*. Et B. Bernard. *Animus distinctus per multa, multis laceretur curis necesse est*. Si [*dies Pentecostes* (claudit Interpr. illum primum sermonem, seu priorem eius partem)] *primum fuerint completi, pariter & in eodem loco erunt omnes discipuli, parati ad suscipiendum gratiam Spiritus Sancti*.

Et in eodem loco esse quid misticè.

In secundo deinde sermone in principio explicat illud Ioann. 3. *Spiritus vbi vult spirat*, quia, inquit Interpres, potestatem habet cuius cor illustret. *Et vocem eius audis, sed nescit vnde veniat, aut quo vadat*. Vox Spiritus Sancti (subdit Interpres) est compunctio, loquens in corde peccatoris, quam etsi audis, nescis vnde veniat, idest quomodo cor illius intrauerit, vel quomodo redierit, quia natura est inuisibilis.

Item vlterius in eodem ser. 2. ad illud Ioann. 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*. Et Interpres ad literam, *Pater misit Paraclitū* in nomine filii, idest in gloriam filii, & ad gloriam filii manifestandam. Ille quidem *vos docebit*, vt sciatis. *Suggeret*, idest subministrabit, vt velitis. *Gratia enim Spiritus Sancti dat scire, & velle*. Vnde cantatur Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, tua scientia. *Et renouabis faciem terræ* bona voluntate. De his duobus Thren. 1. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me*. Pater *de excelso*, idest Filio, *misit* hodierna die *ignem*, idest Spiritum Sanctum, *in ossibus meis*, idest Apostolos, dicit Ecclesia, *& per ipsos erudiuit me, vt sciam, & velim*. Hucusque Interpres.

Spiritus S. vbi vult spirat.

Pater misit Spiritum S. in nomine filii.

Christus mandauit de Cruce Frācisco, vt iret pro reparanda domo sua semicollapsa, in semidiruta S. Damiani domo præmonstrata. *Vade, Francisce, & repara*. Mittens eum, constituit & ipsum primū Apostolum, ac Principem aliorum virorum Apostolicorum, cum quibus per vitę Christi, & Apostolorum renouationem illud nouum opus aggrederetur. Mittens eum vt talem, & vt talem ipsum constituens, nec ante misit, nec constituit, quin simul & semel miserit in eis corde Spiritum Sanctum, eoque totum eius cor impleret. Per illam Sancti Spiritus affluentē immissionem vngens eum, & quasi consecrans in officio Reparatoris Ecclesiæ suæ, per ipsum deinde incepit mittere in cordibus aliorum Spiritum Sanctum, vt facti eius Discipuli, ac sequaces, cuncti

Franc. vnctus à Spiritu S. & quasi consecratus in Reparatorē eccl.

deinde

deinde in omnem terram Sanctum ipsum Spiritum diffunderent, sicque opus reparationis operi redemptionis, vt par erat, similitudinem præseferret.

Hinc Bonau. loquens de priuata prædicatione per Vrbem tantum Assisii, & cōuersatione Francisci, per quam inuitans alios ad pœnitentiam, dedit ei Dominus de Fratribus numero duodecim antequā ipsis legem traderet, hancque approbaret Apostolica sedes, & postquam obtemperans Christo tres ędiculas reparauit, ita scribit c.3. *Cæpit ex hoc vir Dei* (scilicet audito, & ab eo exequuto illo monito Christi Iesu ad Discipulos suos, ne possideant aurum, vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, &c.) *diuino instinctu euangelicæ perfectionis æmulator existere, & ad pænitentiam cæteros inuitare. Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena erant, medullas cordis penetrantia; vt in vehementem stuporem audientes cōuerterent, &c.* Per illud verbum *virtute Spiritus Sancti plena*, &c. ostendit quid diuinus ignis Sancti Spiritus, plenè immissus in cor Francisci à Christo crucifixo, illum mittente (scilicet Apostolum, & caput apostolicorum virorum efficiente) operatus esset, quidque circa alios, quorum cordis medullas penetrauerat, operabatur. Missio Franc. è Cruce fuit ei mandata, ab ipso Crucifixo, mittente in cor ipsius Spiritus Sācti plenitudinem. Oportebat, vt ea missio, seu immissio Spiritus Sancti talis virtutis esset, qualis potens foret, vt missum transformaret in Christi Crucem, è qua mittebatur.

Per Franc. misit Christus Spiritū S. in eccles. reparandam

Etenim non antequam crucifigeretur Christus, fieretque perfectus Redemptor, expedit ei, vt daret Apostolis suis Spiritum Sanctum, sed postea, & postquam resurrexit, & in Cælum ascendit, vt Crucis robore per immissum ignem solidati, ac in gratia confirmati, Principem Mūdi, scilicet Diabolum expellerent, & fidem Christi, & nouam Ecclesiam per vniuersū mundum fundarent, propagarentque. Discrimen tamen fuit inter illam Spiritus Sancti missionem ad Apostolos, & Discipulos, & hanc ad Franciscum, quæ idcirco immediatè effecta est à Christo, in Cruce confosso, vt ostenderet, quod virtus Spiritus Sancti prius cor Francisci transformare debebat in Crucē Christi, ex suo igne formatā, vt postea per Crucis robur, plenitudo ignis diuini medullas cordium penetrans, Draconem antiquum, in destructionem Ecclesiæ Christianæ insurgentem maximè terreret, penitusque fugaret. Et sic eiusdem Ecclesiæ reparationis primordia inciperet, prosequeretur, ac tandem per externam Crucem, & crucifixionem (non ab alio effectam, quam ab illo, qui eum è Cruce miserat, sed haud amplius in lignea Cruce depictus, sed sub Seraphica specie cōfossus, & vndique ignescens, inflāmansq; montis verticem) consummaret.

Cur Christus è Cruce miserit illū, & immiserit in eius cor plenitudinē Spiritus S.

Ad quod probandum efficax argumētum est visio illa, quam ter B. Syluester, Sacerdos sæcularis inter duodecim Frācisci discip. vndecimus, habuit de eodem, antequam ipsi adhæreret, quamq; refert Bonau. cap. eodem his verbis. Illo quoq; tempore cuidam Sacerdoti Ciuitatis Assisii *nomine Syluestro*, honestæ conuersationis viro *quædam a Domino fuit ostensa visio non tacenda*. Cum enim modum, & viam Francisci, Fratrumque suorum humano spiritu abhorreret, ne periclitaretur pro temeritate iudicii, respectu fuit supernæ gratiæ visitatus. *Videbat namque in somnis totam Assisij Ciuitatem à Dracone magno circumdari, præ cuius magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio subiacere.* Contuebatur post hæc *Crucem quandam auream ex ore procedentem Francisci, cuius summitas Cælos tangebat, cuiusque brachia, protensa in latum vsque ad mundi finem videbantur extendi. Ad cuius etiam aspectū præfulgidum Draco ille teter, & horridus penitus fugabatur.* Hoc dum sibi tertiò monstraretur, diuinum existimans esse oraculum, viro Dei, & fratribus per ordinem enarrauit. At non multò post tēpore mundum relinquens, vestigiis Christi sic perfectè adhæsit, quod vita ipsius in Ordine authenticam reddidit eam, quam in sæculo habuerat visionem, &c.

Visio B. Syluestri xi. săcti Francisci socii antequam adhæreret Frāc.

Aurea, & fulgida erat illa Crux à Beato Syluestro, nec visa in fronte Francisci, sicut visum signum Thau à B. Pacifico, sed ex ore Francisci procedere. Aurum namque charitatem, Spiritui Sancto appropriatam cōmuniter in scripturis significat. Splendor, deinde igni, qui est Spiritus S. proprius est. Igitur cruciformitatē cordis Franc. ignitam, ignita prædicatione patefaciendā, tale signū indicabat. Sed tunc maximè ipsi per flammas Spiritus S. impressam, cū Crucifixus Dñs suo mandato misit ipsum ad Domus suæ reparationē, immisitque in cor eius Spiritus Sancti plenitudinem, virtute cuius plena eius verba, inuitantia homines ad Crucem Christi baiulandam per pœnitētiam, medullas cordis penetrarent. Cur autem signum Thau in fronte Francisci apparuerit varietate colorum distinctū, reddit rationem Bonau. inferius cap. 4. Correspondentia illa ceu causæ cum suo effectu,

Cur visa à B. Syluestro crux aurea, & fulgida, & cur non in fronte, sed in ore Franc. visa.

effectu, ſcilicet cordis Franciſci, aureis, ac ſplendidis ignis charitatis Spiritus Sancti characteribus Cruciformis cum Cruce illa aurea, ac ſplendida, deduci debet ex illis verbis Bonau. in quibus ſuperius referens raptum mirabilē Franciſci, nubecula fulgente circundati, ſic concluſit; *Vt illuſtrationis mirabilis circa mentem mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet*. Vrbs Aſſiſias à Dracone, ob cuius magnitudinem nimiam tota regio videbatur exterminio ſubiacere, denotabat ſimbolicè totam Chriſtianitatem, in qua Eccleſia omnis à Satanico Dracone in exterminium in dies conabatur. Sicut à pari Eccleſia S. Damiani, quæ ad Aſſiſiates ſpectabat, in ſua ruina ruinā totius Domus ſuæ miſticè oſtendit, mandans ibi Chriſtus Franciſco (non materialis illius Domus reſtaurationem, prout tunc intellexit Franciſcus, ſed poſtea, ipſo Chriſto reuelante, verum ſenſum verborū agnouit) ſed Eccleſiæ Catholicæ reparationē. Ibi iuremeritò figurabatur Chriſtianitas omnis, vnde totius Chriſtianitatis Reparator exire debebat.

Vrbs Aſſiſias à Dracone magno circundata totius chriſtianitatis figura.

Illud poſtea aliud verborum Bonau. ſcilicet, *Vt in vehementem ſtuporem audientes conuerterent*, exprimit clarè, parem admodum extitiſſe virtutem in immiſſione Spiritus Sancti in cor Franciſci, à Chriſto Cruci affixo ſibi mirabiliter effecta, quā receperunt Apoſtoli in die Sancto Pentecoſtes, vt in vehementem ſtuporem audientes conuerterent. At quid propriè denotet hæc oratio, recurrendum ad textum Act. 1. vbi legimus, *Factus eſt repentè de Cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, &c.* Explicat pulchrè Interpr. loco cit. ſerm. 2 *Et nota, quod vehemens dicitur Spiritus, ideſt vah æternum adimens, & ſurſum mentem vehens.* Vnde dicitur in introitu Miſſæ, *Spiritus Domini repleuit Orbem terrarū.* Orbis dicitur à rotunditate circuli. Eſt terra obſcura, frigida, & immunda. Orbis eſt cor peccatoris, qui in circuitu tāquam in rota ambulat. Mundum circuit, qui eſt *Superbia* obſcurus, *Auaritia* frigidus, *Luxuria* immundus. *Sed Orbem terrarum Spiritus Domini replet*, dum cordi peccatoris gratiam compunctionis infundit, *& ſic ei vah æternū adimit.* Et paulò infra. *Et ſic ſurſum mentem vehit.* Vnde philoſophus deſcriptionem ſpiritus dicit. *Spiritus eſt vehiculum virtutum, per quod virtutes exeunt ad ſuas peragendas operationes.*

Spiritus ex ore Franc. progrediens ſic vehemés vt deſcenderat Apoſtolis.

Orbis eſt cor peccatoris in circuitu ambulans.

Quid ſpiritus ex Philoſopho.

Quomodo autē intelligātur quæ ſupra adduximus ex Interp. noſtro, explicante in 1. & 2. ſerm. quatuor textus ſcripturales prællegatos de Spiritu Sancto, ipſe Bonau. paucis indicat, loquens de Franciſco poſt confirmatam à Sede Apoſtolica ſibi legem. Tunc enim publicè declaratus à Romano Pontifice Vir ſanctus ceu verus Eccleſiæ Catholicæ ſuſtētator, prout ad id muneris eum miſerat Chriſtus, ipſum alloquens de Cruce, mandataque ipſi publica à Chriſti Vicario pœnitentiæ prædicatio, ſtatim dies illa Pentecoſtes, media nocte iam in diem conuerſa, miſticè illuxit, quam paulò ante tetigit Interpres. Quippe miſſus Franciſcus ad ſuos duodecim Diſcipulos in ſpecie globi perlucidi, aſpectum Solis præbentis, & rotis ignitus, & ſuper currum igneum fulgoribus irradiatus, totus ardens, ac ſplendidus, cum eſſent illi *pariter in eodem loco* eo modo, quo expoſuit Interpres, ſecuti ſunt in illis iidem penè effectus, quo idem Interpres ſuperius explicauit. Sic enim, ſubdit Bonauentura cap. 4. veluti ſi illis duodecim pateſaceret in Eccleſia reparanda, quæ in ea fundanda contingerunt Apoſtolis in die Sancto Pentecoſtes, in quo eorum quinque ſenſuum perfectio adimpleta eſt, miſticaque peracta Pentecoſte. *Obſtupefacti ſunt*, inquit, *vigilantes*, excitati ſimul, & exterriti dormientes, & non minus ſenſerunt cordis claritatem, quam corporis. Dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conſcientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus inuicem vniuerſis in cordibus ſingulorum, Sanctum Patrem abſentem corpore, præſentem ſpiritu, tali transfiguratum effigie, ſupernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatum ſupernaturali virtute in Curru ſplendente ſimul, & igneo ſibi demoſtrari à Domino, vt tanquam veri Iſraelitæ poſt illum incederent, qui virorum ſpiritualium & alter Elias factus fuerat à Deo currus, & auriga, 4. Regū 2. Credendum ſanè, quod ille horum ſimplicium aperuit oculos ad preces Franciſci, vt viderēt magnalia Dei, qui oculos quondā aperuerat pueri ad videndum montem plenum equorum, & igneorum curruum in circuitu Heliſæi, 4. Reg. 6. Regreſſus autem Vir ſāctus ad Fratres, cepit conſcientiarum ipſorū ſecreta rimari. Confortare ipſos de viſione illa mirabili, & de profectu Ordinis multa futura prædicere. *Cumque pateſaceret plurima, quæ ſenſum tranſcendebant humanum, verè cognouerunt Fratres, ſuper ſeruum Franciſcum Spiritum Domini in tāta plenitudine quieuiſſe, quod poſt ipſius doctrinam, & vitam erat ei proficiſci tutiſſimum.*

Miſtica quædam Pentecoſtes celebrata à 12. Franc. diſcipulis, apparens eis vir ſanctus in curru igneo

Magna in Franc. Spiritus S. plenitudo.

In illa primitiuæ Ecclesiæ Pentecoste conueniebat, vt Spiritus Sanctus sub linguarum ignearum specie plenissimè descenderet ad Apostolos, & Discipulos Domini, à quo illis missus, vt per eos deinde Orbem terrarum repleret. In hac veró Pentecoste agens Christus de reparandæ Ecclesiæ negotio, mittensque plenissimè per Franciscum spiritum suũ illis, quibus ipse Franciscus postea eum vbique diffunderet, mutauit formam: sed ignem, splendorem, flammas, ardorẽ illarum linguarum sub specie currus in tota sua essentia, ac perfectione reliquit. Illius Pentecostes celebratio prima, ac noua fuit in Ecclesiæ Catholicæ initiis; pariter & istius Pentecostes in Religione Frãciscana solemnitas; in qua vita Christi, & Apostolorum renouationis, & cum ea tota quoq; Catholica Ecclesia suæ reparationis exordia sumebat. Apparitio Spiritus Sancti in illa Pentecoste sub dispertitis linguis igneis varietatem linguarum, Apostolis, per varias gentes mittendis tribuendam, ceu simplex, externumque indiciuм denotabat. Quippe illorum in variis linguis allocutio ex repletione Spiritus Sancti tamquam ex propria causa immediatè prorupit. Ait enim Textus sacer Act. 2. *Et repleti sunt Spiritu Sancto, & ceperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*, quem locum explicat Interpres ex cap. 14. Ioannis, vt supra. Quare etsi apparitio in illa Pentecoste fuerit alia, repletio tamen eadem videtur fuisse in hac mistica Pentecoste, in qua decebat, vt sub noua forma, scilicet ignei currus, mitteretur Domini Spiritus per Franciscum, ob rationem ibi allatam à Bonau.

Allocutio Apostol. in variis linguis ex plenitudine Spiritus S. immediatè exorta est.

Hæc Pentecostes mistica erat, sed Spiritus S. repletio realis, & per signũ extrinsecum etiam foris ostensa. Inde sequuta est etiam cõmunis linguarũ varietas, sed primũ Franc. per quem Dominus Spiritu suo, quo impleuerat illum, impleuit quoque discipulorum eius, & seruorum suorum, in omnem terram mittendorum pectora, *vt loquerentur varijs linguis, prout Spiritus Sanctus daret eloqui illis*. Hæc tamen allocutio, vt misticè responderet Pentecosti, materialis esse non debuit per verba, sed moralis per virtutes, & exempla. Hæc quidem efficacior est illa materiali, ipsa namque varietati linguarum vim, & robur tribuit in Apostolis, vt conuerterent vniuersum Mundum. Quem etiam conuertit Franciscus cum suis Minoribus, nouis quibusdam linguis variè loquens, quas Spiritus Dei plenitudo illis dabat, & penè à tempore Apostolorũ nondum auditas ab Eccles. Hanc doctrinam hausi à magno Theologo Minorita, scilicet ab Interprete nostro, per quem ostendit Deus, quod etiam in reparatoribus Ecclesiæ, inter quos ipse extitit ceu dextrum Francisci brachium, gratia linguarum non defuit, sicut in illius fundatoribus. Ipse namque Intepres prædicans multoties hic Romæ coram Papa Gregorio IX. & tota curia Romana, imò & tota Vrbe, & de mandato Pontificis peregrinis pluribus, tunc ex variis nationibus confluentibus semel concionem habens, *linguam sic mouit* (refert Hartmannus Scheydel Norimburgensis historicus sexta ætate Mundi ex nostratibus, & aliis communiter) *vt tam Graci, Latini, Francigenæ, Theutonici, quam Anglici, omnes, qui audiebant, clarè intelligerent*, &c. Quod nouum donum Antonio, correparatori Ecclesię cum Francisco, & eius sequacibus à Spiritus Sancti plenitudine, sicut tempore Apostolorum concesso, benè respondit nouo, ac promerito nomini, quod illi publicè tribuit prædictus Gregorius IX. *Arcam Testamenti* eum nuncupans.

Misticæ Pētecostes variæ linguæ debent misticè responde re

Variarũ linguarũ realis allocutio cõcessa etiam Minorib. in Ant. de Pad.

Sed audiamus ex eius *Benedicta Lingua* sub nostram Pentecosten miram linguarum varietatem in Francisco, & suis Discipulis, ex repletione Spiritus Sancti sine verborum strepitu multis verbis loquentibus, multumque suadentibus. *Qui Sancto Spiritu replentur* (ait ad fin. ser. 2.) *varijs linguis loquuntur. Variæ linguæ sunt varia de Christo testimonia, vtpote Humilitas. Paupertas. Patientia. Obedientia. Quibus tunc loquimur, cum eas in nobis ipsis alijs ostendimus. Viua est loquela cum loquuntur opera. Cessent, obsecro, verba, loquantur opera. Verbis sumus pleni, sed operibus vacui.*

Virtutes, & facta apostolica sunt variæ, ac potẽtissimæ linguæ.

In Spiritus Sancti plenitudine, quam in die Pentecostes acceperunt, verbis & operibus initiatores primordialis Ecclesiæ fuerunt pleni. Viuacitas loquelæ per opera, in quibus potentissimè suadebat Christi ipsorum Magistri Humilitas, Paupertas, Patientia, Obedientia, vitalitatem quã maximam, imò virtutẽ omnem eorũ verbis præstitit. In hunc quoque modũ incepit reparare Frãciscus, plenus gratia, & Spiritu Sancto cum suis sectatoribus Ecclesiam. In cunctis prius, & plus loquebantur opera, & exempla, quam ora. Nam de Christo, virtute Spiritu Sancto concepto, & gratiæ, & veritatis pleno legitur, quod in negotio Redemptionis ab operibus inceperit, non autẽ à verbis. *Cepit Iesus facere, & docere*, Act. 1. sicque factus est *opere, & sermone potens*, Lucæ 24. Quo.

Hæc in Christo Redemptore, & in Franc. Reparatore fuerunt.

Quomodo in negotio reparationis congruum pariter fuit, vt suus efficeret Franciscus, iam ab eius gratia spiritualiter conceptus, & educatus, & Spiritu Sancto repletus. Vnde Bonau. cap.9. de feruore charitatis Francisci ita scribit, *Charitatem feruentem, qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque quasi quidam carbo ignitus diuini amoris flamma videbatur absortus, &c.* Quæ seraphica verba, supra etiam adducta cum acciperet Bonau. à Domini spiritu (in quem, scribens Francisci vitam, in Christi vita, eiusque præcordiis insitam, assiduis raptibus transformabatur, sicque idoneum se reddebat ad illam Seraphico stilo exarandam) haud mirum si deinde idem, licet sub aliis verbis, reuelauerit S.Birgittæ post transactam annorum centuriam. Bonauentura namqua edidit Legendam maiorem cum esset Generalis Minister ad instantiam Patrum Ordinis in Capitulo Generali, ipse autem electus est 1256. Sancta verò Birgitta, vera animo, & habitu S.Francisci filia, obiit hic Romæ anno 1373 *Franciscus amicus meus* (dixit Christus cap. 2. Extrau. filiæ suæ Brigittæ) *fuit quasi lapis ignitus, & igneus. Quia habuit me in se, qui sum ignis*. Sic Deum ignem in sua profundissima Humilitate, altissima Paupertate, inuictissima Patientia, strenuissima Obedientia, ceu in igneo curru, corde & lingua variis loquens, plenus non verbis, sed virtutibus, detulit. Sic Spiritus Domini repleuit Orbem terrarum, cum tribus suis Ordinibus, ac legibus in virtute Sanctæ Trinitatis adimplens. Vnde haud mirum si hic carbo ignitus, hic lapis ignitus, hic ignis diuinus totus sēper à diuini amoris Spiritus Sancti flamma absortus, ob quam tandem anima, & corpore totum se transformauit in Christū crucifixum, passim quos tangebat, calefaciebat, eosq; pro quibus orabat, apostolicum ignem vsque ad mentis excessum immittebat.

Totus Fräc. carbo ignitus erat.

Et lapis quoque ignitus.

Id probat exemplo Bonau. cap.10. ita referens. Contigit tempore quodam, Abbatem Monasterii S. Iustini de Episcopatu Perusii obuiare famulo Christi. Quo viso, Abbas deuotus celeriter de Equo descendit, vt & Viro Dei reuerentiam faceret, & de salute animæ aliqua cum ipso conferret. Tandem habita collatione suaui, Abbas ascendens, orari pro se humiliter petiit. Cui Vir, Deo charus respondit. Orabo libenter. Parum itaq; discedente Abbate, dixit fidelis Frācifcus ad socium. Expecta, frater, modicū, quia debitum volo soluere, quod promisi. *Orante autem illo, subitò Abbas insolitum calorem, & dulcedinem hactenus inexpertas sensit in spiritu. Ita quod in excessu mentis effectus, totus à seipso in Deum defecit. Parua morula substitit, & in se reuersus, virtutem orationis S.Francisci agnouit, &c.* Scribatur ergo sexta vice in cordis Francisci latere Ciuitas Hierusalem, idest Ecclesia Catholica in imagine hominis, sexta die creati, per eundem Franciscum noua quadam Spiritus Sancti missione deinde reparata.

Passim quos tangebat calefaciebat.

Calefaciebat vsq; ad excessum mentis.

VII Tota scriptura lateritia cordis Francisci circa omnimodam Vrbis Hierusalem, scilicet Ecclesiæ Catholicæ cōplementum, claudenda est in illa septimæ diei quiete, de qua sacer Textus apud Interpretem, *Septima die requieuit Deus ab omnibus operibus*. Et Ecclesia, subdit, Interpres septimo articulo (nimirum de Aduentu Domini ad Iudicium, in quo requiescimus ab omnibus operibus nostris, & laboribus, vt dixerat superius) requiescet ab omni labore, & sudore. Quoniam, vt dicitur Apocal.2. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, idest omnem causam lachrymandi. Tunc ipsa à Sponso suo laudabitur, & audire merebitur. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent in portis opera eius*. Prou. 31. Cum audiet ipsa cum filiis suis sibilū auræ tenuis, Matth. 25. *Venite benedicti*. Quies Ecclesiæ, per eius reparationem, atque renouationem in terris peracta, & in Cælis consummata, nonne & ipsa in corde Francisci eius Reparatoris, ac renouatoris vltimo conscribenda? Omne complementum huiusmodi reparationis, ac renouationis per tres Ordines, ac Leges Frācisci efficienda erat, vt propterea tres Ecclesias materiales principiò repararit, ac renouarit Franciscus. Igitur Ecclesiæ reparatæ, ac renouatæ quies æterna tripliciter ad suum Reparatorem atque renouatorem referenda est. Intuere hanc postremam scripturæ partem ex Bonau. ad finem cap. 2. & iam superius allegati. Sed non piget iterum eius verba repetere, quia multum faciunt in hunc locum. *Nam*, inquit, *instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius Sancti viri ducatu, secundū datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Christi triformiter renouanda erat Ecclesia*. Ecce imago Ecclesiæ, labore, & sudore Francisci, triumque ipsius Ordinum reparatæ, ac reformatæ in terris, *Trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum*. Ecce eiusdē Ecclesiæ reparatæ, ac reformatæ imago, non amplius in terris, sed in Cælis, & in requie per triumphum trinæ militiæ partim saluatæ, partim saluandæ vsque ad finem

Septima pars eccles. militātis ex Dei requie aduent. Domini ad iudicium

Quomodo hæc etiam in latere cordis Franc. scribenda.

finem Mundi. Scribatur ergo septima, ac vltima vice cum septimo articulo Vrbs Ierusalem, scilicet Ecclesia Catholica in latere cordis Francisci. Et ab eo scribatur, qui mihi indignissimo famulo, & confratre suo administrauit materiam, & intellectum quoq; vt omnes eius partes patefacerem, atq; argumento meo adaptarem, aperuit. Quique modo, vt alias duas Vrbes, in vna Ierusalem misticè quoque contentas breui enuclearem, dabit cum ipsis rebus principalibus rerum ordinem.

Prædictorũ conclusio.

SECTIO II.

Secundò, ac tertiò Vrbs biformis Ierusalem, hoc est anima fidelis moraliter, & Ecclesia Triumphans anagogicè in latere cordis Francisci, die Ianuarij 4. concepti, conscribendæ.

OMnis moralis Vrbis Ierusalem structura in textuali Interpretis nostri litera, quæ est de Anima, consistit in perpulchra, ac valde ingeniosa concordantia operum sex dierum cum sex horis Euangelicis, & sex animæ virtutibus iuxta propositum in principio illius sermonis argumentum, cuius secundæ partis explanatio in præsenti per synopsim tradenda est. Secunda Ierusalem, inquit, *Anima fidelis*, quæ Matth. 20. nuncupatur *Vinea*, qualiter fodienda, & paxillis satisfactionis sustinenda, sub compendio pertractemus. *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux*; quia vt dicit Ezech. 1. *Rota erit in medio Rotæ*, idest nouum Testamentum in veteri. *Et cortina trahit cortinam*, idest nouum exponit vetus. *Ideo sex horas Euangelicas cum operibus sex dierum moraliter exponentes nouum cum veteri pertractemus.* Nota, quod *sex sunt virtutes animæ*.

Rota in medio rotæ est nouum Testamentũ in veteri.

1 Cordis contritio.
2 Oris confessio.
3 Operis satisfactio.
4 Dei, & proximi dilectio.
5 Vitæ actiuæ, & contemplatiuæ exercitium.
6 Finalis perseuerantiæ consũmatio.

1 Ergo die *dixit Deus, fiat lux, &c.* Audi concordantiam primæ horæ Matthæi 24. *Simile est Regnum Cælorum Patri familias, qui exijt primo mane, &c.* Cum super faciem abyssi, idest cordis, sunt tenebræ mortalis peccati, homo patitur ignorantiam diuinæ cognitionis, & suæ fragilitatis, & nescit discernere inter bonum, & malum. Et hoc est triduum, de quo dicitur Exod. 10. *Quod tribus diebus factæ sunt tenebræ palpabiles in terra Aegypti. Vbicumque autem habitabant filij Israel, erat lux*, de qua *dixit Deus, fiat lux, & facta est lux*. Hæc est *contritio cordis*, animam illuminans. Dei cognitionem, suæ infirmitatis notitiam, boni, & mali discretionem ostendens. *Hoc est primũ mane, & prima hora, qua exijt* Pater *familias*, *idest pœnitens ad conducendum operarios, ad excolendum viam suam, sicut dicitur in Euãgelio*. Et post alia, super illud verbum *Mane*, ita annectit sequentia. His *de prima die, & primo mane contritionis* prælibatis, ad secundam diem, & horam confessionis transeamus.

Opus 1. diei cum cordis contritione, & 1. mane siue hora euangelica.

2 Die *dixit Deus, fiat Firmamentum in medio aquarum*. Firmamentum, inquit, est *Confessio*, quæ firmiter religat hominem, ne affluat in deliciis; & infra. *Aquæ superiores sunt fluentia gratiæ, aquæ inferiores fluenta concupiscentiæ, quæ debent esse sub homine*. Vel aliter. *Mens iusti* habet aquas superiores, scilicet *rationem, quæ est vis animæ superior*, quæ semper hominem ad bonum prouocat. Habet aquas inferiores, idest *sensualitatem, quæ semper tendit ad occasum. Diuidit ergo Firmamentum confessionis aquas superiores ab inferioribus*, vt confitens egressus à Sodomis, ascendens ad montana, non respiciens retro, ne cum vxore Loth conuertatur in statuam salis, quam animalia, idest dæmonia cum magna auiditate lambendo consumunt. *Fiat* ergo, obsecro, *Firmamentum*, vt data Confessori cautione firmi propositi non relabendi in ipsa *Confessione*, quasi *in hora tertia* cum Apostolis Spiritus Sancti musto inebriari, & tanquam vter per confessionem nouus, nouo vino impleri mereatur, &c.

Opus 2. diei cum oris cõfessione, & 3. hora euangelica.

3 Die *dixit Deus, Germinet terra herbam virentem, & faciat fructus iuxta genus suum, &c.* Nota, quod *tertia dies satisfactio vocatur*, quæ consistit in tribus. Oratione, Ieiunio, & Eleemosyna. Dicatur ergo, *terra germinet, &c.* Herba virens Orationem significat, &c. Vide cætera apud ipsum, in quo super sequentia verba, *& facientem semen suum* inuenies Ieiunium. Et super illa alia, *Lignum pomiferum faciens fructum*, Eleemosynam habebis. Et paulò post explicans tres partes eleemosynæ, scilicet personalis, pro seipso, spiritualis, & corporalis per aliis, hæc tria, inquit, satisfactionem perfectam faciunt, quod benè significatur *per sextam horam*, scilicet Misericordiæ, circa quam Pater familias exiens

Opus 3. diei cum operis satisfactione & 6. hora euangelica.

exiens conduxit operarios in vineam excolendam, &c.

4 Die *dixit Deus fiant luminaria magna &c.* Quinta virtus est *dilectio Dei, & proximi*. Dilectio Dei in Solis claritate. Dilectio proximi in Lunæ mutabilitate designantur. *Nonne videtur tibi quædam mutabilitas, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus?* Et paulò infra. Hæc duplex dilectio *in hora nona*, circa quam Pater familias exiit, designatur. Perfectio enim geminæ dilectionis perducit ad perfectionem Angelicæ beatitudinis, quæ in nouem Ordinibus ab Ezech. 28. sic distinguitur, vbi loquitur ad Luciferũ sub typo nouem lapidum. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topatius, &c.*

Opus 4. diei cum Dei, & proximi dilectione, & 9. hora euangelica.

5 Die *fecit Deus pisces in Mari, & Aues super terram, &c.* Quinta virtus, & exercitatio *vitæ actiua, & contemplatiua*. In qua vir *actiuus tanquam piscis* perambulabat semitas maris, idest Mundi, vt proximo necessitatem patienti etiam valeat subuenire. *Et contemplatiuus, tanquã auis* penna contemplationis in aere eleuatus, pro modulo suæ capacitatis Regem in decore suo speculatur, &c. Et infra. Huius geminæ vitæ exercitatio *in hora vndecima*, circa quã Pater familias exiit, designatur. Vndecima hora est ex vno, & decem. *Vita contemplatiua ad vnum refertur.* Quia vnum Deum, vnum gaudium speculatur. *Vita actiua ad decem* præcepta Decalogi, quibus ipsa vita actiua in huius exilii vita plenariè perficitur.

Opus 5. diei cum vitarũ actiuæ, & contempl. exercitatione, & 11 horæ euangel.

6 Die *dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinẽ nostram* Sexta, & vltima virtus Animæ est *finalis perseuerantia*, quæ est cauda Hostiæ in sacrificio. Tunica Ioseph talaris polymita, sine qua quinque supradictæ virtutes inutiliter habentur, cum qua vtiliter possidentur. In qua tanquam rebus sexta die imago, & similitudo Dei, nunquam deturpanda, nunquam fœdanda, faciei animæ imprimitur æternaliter. Hæc in Euãgelio *vltima hora* vitæ humanæ, quo Pater familias per dispensatorem, idest Filium suum in vinea benè operanti reddit denarium. Per sabbatum, quod requies interpretatur, &c. Hic dum terminat egregiam illam harmoniam Interpres, reducitque ad Sabbatum perseuerãtiæ finalis virtutem, quoniã ipsi immediatè requies æterna succedit, coniungit statim morali Ierusalem Ierosolimam anagogicam, scilicet Animam humanam, in Ecclesia militanti viatricem, Ecclesiæ triumphanti, ad quam debet citò transire post finalem perseuerantiam in bono. Sed de hac postrema Ecclesia paulò infra.

Opus 6. diei cum finali perseuerantia, & vltima hora euãgelica.

Scripta, seu impressa, aut verius à Deo infusa in corde Francisci, Franc. Anima cum naturali Dei imagine, quæ est sibi substantialis, postea superfusa à cælesti gratia per similitudinẽ auctoris gratiæ, eius dotes naturales plurimę quidem extiterunt, quarum nonnulla refert Bonauentura in principio cap. 1. Sed dotes supernaturales, extollentes in ipso peregrina excellentia, ac plenitudine quodcumque virtutum genus, apud eundem Bonau. innumeræ. Cum autem in prædictis sex virtutibus excellere debebat ad miraculum Franciscus, idcircò congruũ erat, vt Christus ipsum solum in Ecclesię suæ reparationem modo admodum peculiari, pluries eum os ad os alloquens, designaret. Designauit iã ipsum expressè in Reparatorẽ suũ è Cruce Christus, mãdauitque ei ter opus tam arduum, præcipuumque tanquam viro ita ferè primo, ac nouo in cordis contritione, in oris confessione, in operis satisfactione, in Dei, & proximi dilectione, in vitæ actiuæ, & contemplatiuæ exercitatione, in finalis perseuerantię consũmatione, sicut quodlibet opus in creatione Mundi in suo genere primum, & nouum fuit, licet iuxta dierum seriem, ordinemque alterum alteri successerit.

Quodlibet opus sex dierum in suo genere primum fuit, ac nouum.

Sic etiam in Franc. in off. reparatoris sex virtutes animæ.

Ierusalem ergo moralis, sub figura Vineæ scribenda in corde Francisci in officio Reparatoris Ecclesiæ per concordantiam ad sex dierum creationis Mũdi opera, atque ad sex horas Euangelicas, & sex virtutes Animæ, non tantum exprimet Animam propriam suam, sed etiã quamcunque aliam animam, ab eo principio, postea à suis per tres Ordines, aut à sæculo liberatam, vt salua fieret in eius Arca tricamerata, de qua D. Antoninus, aut in sæculo saluam factam. Vel dicamus alio modo. Vinea, & vitis tali discrimine inter sese secernuntur, quali totum à parte disterminatur. Etenim Vinea est multitudo vitium simul consitarũ Colum. lib. 3. cap. 2. Vinearum apud Plin. lib. 17. cap. 22. quinque sunt genera. 1. sparsis palmitibus humi repens. 2. pedatum, simplici adminiculo sustentatum. 3. iugatum. 4. compluuiatum. 5. arbustiuũ; quæ omnia latius ibi exequitur. Vitis autem planta est, quæ veluti pars cum multis aliis vitibus simul vineam efficit Ecclesia Catholica iuxta sensum vniuersalem siue in veteri Testamento, & hoc secundum literam, siue in nouo, & hoc per allegoriam, intelligitur à Sanctis Patribus

Inter vineã, & vitem discrimen.

tribus sub figura vineæ. Ad quam constituendam, omnes Iudæi, quorum quilibet vitis erat, ibi concurrebant, hic vero omnes Christiani. Sed iusta sensum particularem vinea est anima, cuius vites principaliores essent tres eius potentiæ, scilicet Memoria, Intelligentia, ac Voluntas, quibus eius substantia spiritualis (non ab aliis manibus plantanda, nisi Dei, Patris familias per actū creationis) constituitur. Harum vitium palmites essent earundem potentiarum operationes. Omnes tres hasce vineas, scilicet Sinagogæ Hebraicæ, iam radicitus conuulsæ, Ecclesiæ Catholicæ, iam tempore Sancti Francisci penè deperditæ, & Animæ humanæ, iam nunquam destruendæ; explicat Interpres noster super cap.21.Matth. in serm.fer.6.Dom.2. Quadrag. cuius argumentum *De spirituali vinea, sub parabola vineæ, Agricolis locatæ*.

Vinea spiritualiter triplex est.

Demonstrans autem statum vineę Ecclesiæ Catholicæ eo tempore, quo degrassantibus sub Federici II. tyrannide hæresibus, sceleribus, impietatibus in omnimoda Romanæ fidei conuulsionē, ipse strenuè laborabat inter innumera libertatis Religiosæ, quinimò & propriæ vitæ discrimina, pro eius reparatione, ita scribit ibidem ad finem sermonis, explicans eius plantationem, muros, torcular, turrim, &c.

Eccl. catholicæ singularis Dei vinea

1 Vel potest dici, ait, quod *Vinea est Ecclesia Catholica*, quam Deus singulariter plantauit, Psalm. 79. *Plantasti radices eius, & impleuit terram*.

2 *Murus* est robur, & magnitudo potentiæ, Hierem. 1. *Ecce ego dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & columnam ferream*.

Torcular

3 *Torcular* est cursus mercationum, de quo exprimitur vinum deliciarum, & multarum commoditatum. Prou.2. *Vino torcularia redundabunt*.

Turris.

4 *Turris* est celebritas, quia est vndique diuulgata. 1.Paralip.14. *Diuulgatū nomen eius in vniuersis regionibus*. Post hæc statim Interpres perorans, eademque epilogans mutando sensus, iuxta axiuma illud, *Contrariorum eadem est disciplina*, ita claudit totum sermonem.

Eccles cath. vinea tēpore D. Ant. de Padua in miserrimum statum redacta.

Muri eius sunt de peccatis. Turris superbia, & hæc Turris confusionis, vbi confusum labium, Gen.11. Ex hac superbia, quæ vnusquisque vult alteri præesse, confusa est lingua. Vnus enim loquitur de oppressione proximi. Alius de vsuris. Alius de falsis contractibus. Immò verè confusum est labium, quia vnus alium intelligere nō potest. Dicant, & narrent hi, qui vadunt ad curias, vbi causæ proponuntur.

Torcular est violentia, quæ pauperibus infertur, vbi premitur sanguis viduarum, pauperum, & pupillorum. Torcular crudelitates, & odia quando fiunt indebitè super innocentes. Imò in hoc Torculari calcatur miserabilis communitas, quæ exaruit. Et ideo timendum est iudicium, quod sequitur. Malos malè perdet, *idest malo penæ, cum tradiderit eos in manu Romanorum*. Hactenus Interpres, & egregiè satis.

Ad reparandam, restaurandamque hanc Vineam ex tribus partibus, ordinauit summa Dei clementia tres alias complantari vineas, vt reparatio sine mora fieret, vndique fieret, parique fieret dilatatione. Hæ tres vineæ, qualibet in suo genere diuersa, dici possunt tres Ordines à Francisco instituti, quia idcirco sub ternario numero instituti, vt per eos tripliciter quoque Ecclesia ipsa repararetur, testante Bonau. pluties citato ad finem cap.2. illis verbis. *Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius Sancti Viri ducatu secūdum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Christi trifurmiter renouanda erat Ecclesia, &c.* vt supra. Hinc idem Bonau. referens initia huiusce renouationis, ipsique Tertii Ordinis institutionem annectens, ita scribit loquens de Ecclesia Romana sub metaphora vineæ cap.4. *Cepit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex se floribus suauitatis, honoris, & honestatis vberes fructus afferre*. Nam prædicationis Viri Sancti feruore succensi quamplurimi, vtriusque sexus in coniugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam à viro Dei acceptam, nouis se pœnitentiæ legibus vinciebant, *quorum viuendi modum idem Christi famulus Ordinem Fratrum de Pœnitentia nominari decreuit*. Nimirum sicut in Cælum tendentibus pœnitentiæ viā omnibus constat esse communem (*sed hic status Clericos, & Laicos, Virgines, & Coniugatos in vtroque sexu admittens*) quanti sit apud Deum meriti ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit, &c.

Tribus vineis Franciscanis tota eccl. vinea renouata est

In ipsis cœpit Vinea eccles. germinare.

Mira profectò res! vix vineæ Ordinis Minorum, Ordinis S. Claræ, illa anno Christi 1210. hæc verò 1212. plantata, illa decennium, hæc octennium vsque ad tertii Ordinis de Pœnitentia primordia, quæ contingerunt anno Christi 1221. excesserant, quod iam, *iam ceperat Christi vinea germinare germen odoris Domini* contra tot errorum, criminumque fœtorem, per quem vinea Domini Sabaoth vndiq; & vbiq;

Quā celerrima huiusmodi renouatio

Labrusca est vitis agrestis.

& vbique siluescens, suffocataque à vepribus, spinis, ac tribulis non amplius vuas eiu germina, quæ in prauum conuersa, & aliena effecta Isa. 5. producebāt, sed labruscas, vt dicit Ierem. 2. Est labrusca vitis agrestis, quæ & erratica dicitur. Labrusca dicta, teste Seruio, quod in agrorum labris, hoc est marginibus, & sæpibus nascatur. Inceptio autem prædictæ germinationis odoris Domini statim erupit in *flores suauitatis, honoris, & honestatis*, quia vepres, & spinæ, ac tribuli in defectionem accelerabant. Vix floribus eruptis, illicò Christi vinea, ab ipso Christo, ceu Patre familias plantata, tribus nouis vineis, quibus reparanda erat, *cepit vberes fructus afferre*. Quarum vineacū plantator principalis Christus, minus principalis Frācifcus, *nam viri sancti prædicatione, &c.* Vnde sicut in Francisci corde scribenda Vrbs Ierusalem totius Ecclesiæ militantis prout ab ipso restauratæ sub vineæ figura, ita pariter & quælibet anima, quæ veluti vinea particularis se habet in seipsa, & vt vitis, prout est pars totius vineæ Ecclesiæ, quam vndiq, & vbique renouauit triformiter Franciscus.

Quælibet anima eccl. restaur. in corde Fran.

Quā reparationem vineæ Christi, adeo celerrimam, ac penè incredibilem ipse Imperator Federicus II. cuius genium in eius omnimodam direptionem tēdebat, admiratus est. Ipse namque, & Petrus de vineis eius Cancellarius, & Gibellini omnes improperabant Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, quod ad Ordinem Pœnitentium vix institutum cuncti ferè confluerent. *Duas nouas Fraternitates creauerunt* (inquit Petrus de Vineis vineæ Ecclesiæ cū suo Cæsare inuidus lib. 1. ep. 37.) *ad quas sic generaliter mares, & fœminas receperunt, quod vix vnus, & vna remansit, cuius nomen in altera non sit scriptum.*

Federic. 2. Imp. Ord. Prædic. & Min. hostis.

Porrò animaduertenda accurata Romani Pontificis Leonis X. loquendi forma, in qua per Bullam suam de an. 1517. circa reformationem Ordinis, à Regulari obseruantia vniuersaliter inceptā, ac perfectā, non alia voluit vti similitudine, nisi ea, qua vsus est ipse Christus in Euangelio, loquens de Ecclesia sua sub vineæ figuram. Quod autem continet percelebre illud diploma, potest in quinque puncta diuidi.

Diploma Leon. X. de B. Franc. religione.

1 *Leo Episcopus seruus seruorum Dei* ad perpetuam rei memoriam. Ite vos in vineam meam, ait homo ille Pater familias, qui plantauerat vineam mundi, Saluator, atque Redemptor, Dominus noster Iesus Christus: qui etiam etsi curam gerat de omnibus cunctaque dirigat, quæ ipse fecit; attamen inter cæteras plantationes, quas per ipsum Pater cælestis in solo plātauit Militantis Ecclesiæ, vineam quandā tam ardenti prosequutus est amore, vt suam velut propriam vbiuis illam appellet: hanc siquidem vineam sic assiduis solertibus, ac fidelibus excoluit agricolis, vt alios primo mane, alios hora tertia, sexta, nona, decima verò, & vndecima, quasi incessanter cultores transmiserit.

2 *Hæc est sacra illa Minorum Fratrum Religio*, quæ virentibus cæremoniarum foliis, per viros Apostolicos, tamquam per palmites extensos à mari vsq, ad mare, & à fluminibus vsque ad terminos orbis terrarum, imò aqua sapientiæ, & scientiæ, irrigauit montes, & impleuit terram. Hæc est Religio sancta, & immaculata; in qua per speculum sine macula Redemptoris contemplatur præsentia vitæ Christi, & Apostolorum inspicitur forma, per quam priorum Ecclesiæ fundatorum ante oculos Christianæ plebis reducitur norma. Quæ demum nihil, nisi Diuinum, Angelicum, omni perfectione refertum, Christoque nihil, nisi conforme, vt non immeritò sua dicatur repræsentat.

Eius extensio, ac dilatatio in toto mundo.

3 *Ad hanc vineam excolendam primo mane, oriente iam Sole*, misit ipse pater familias Angelum illum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui B. Franciscum, qui comitantibus miræ sanctitatis viris, prima vitis huius iaceret fundamenta. His successerunt viri Religiosi, qui Duce Bonauentura, muros huius vineæ, iam vtrinque ruinam minantes, hora tertia, Trinitatis Sanctæ virtute, & adiutorio, reparauerunt. Post hos, veluti hora sexta, prodiderunt spiritu feruentes Fratres nonnulli, qui à sacro Viennensi Concilio, tanquam à Deo missi, & confortati, eneruatam pœnæ disciplinæ censuram, ad sua principia reuocarunt. Hora verò nona moriente Domino suo, gentibus in die malis, & scandalosis, huius vineæ agricolis, suscitauit spiritum adolescentis pau corum videlicet Fratrum, qui signifero nominis Iesu, Bernardino Ductore, & Præside, sacri Concilii Constantiensis freti præsidiis, languentem, imò penè mortuum, per orbem vniuersum Ordinem viuificarunt.

S. Fran. Angelus ascendens ab ortu Solis.

S. Bernardinus Reformatorū Dux

4 *Nouissimè verò diebus istis, quasi hora vltima* apparuerunt viri alii, qui zelantes pro domo Israel succiderunt lucos, & demoliti sunt delubra; ac vbi abundabat peccatum, adiuuante Domino, curauerunt per introductā reformationis normam,

mâ, vt superabundaret & gratia. Sed veluti inter parabolicos euangelicos illos villicolas, quia nouissimi æquabantur prioribus, murmur surrexit non parum. Sic acclamantibus Regibus, Principibus, Communitatibus, & Populis, graues lites, & iurgia, ac dissentiones, occasione superioritatum, & perfectionis graduum, inter aliquos huius Religionis professores, per totum mundum magis, ac magis augeri dietim accepimus.

Principum conquestio.

Subdit paulò post eos Christianos Principes, quorum summa cura, ac studium, vt Vinea Franciscana firma, ac vigens in sua cultura persisteret (ne à sua continuanda reparatione Vinea Ecclesiæ desisteret) ac propterea paternali Romanorum Pontificum vigilantiæ, ac sollicitudini commendanda.

Quare Nos (ait) *cuius zelus ab ætate tenera àrdenti deuotione efferbuit ad huius Ordinis professores*, & Ordinem ipsum totum: nunc verò ex communi cura procurationis, & pastoralis regiminis, quam immeriti subtinemus, ad componendas huiusmodi agricolarum lites, & scandalosas murmurationes, illius euangelici Procuratoris more tantò prouocamur ardentius, quantò frequentius intenta mente recolimus fructus vberes, quos ex eorum exemplari vita, & salubri doctrina vniuersali Ecclesiæ continuè cernimus prouenire; nec minus continuis Principum Christianorum, præsertim charissimorũ in Christo filiorum nostrorum Maximiliani Imperatoris electi, & Frãcisci Christianissimi Francorum, & Caroli Catholici Hispaniarum, Henrici VIII. Angliæ, & Emanuelis Portugalliæ, Algarbiorum, & Ludouici Vngariæ, & Bohemiæ, ac Sigismundi Poloniæ, necnon Cristierni Daniæ Regum Illustrium, necnon nõnullorum Principum aliorum, Ducum, Comitum, Populorum, & Communitatum piis prouocamur supplicationibus, & precibus, quibus pro pacandis huiusmodi diuisionibus, in Ordine D. Franc. exortis, non cessant vsque hodie apud nos postulare. Deputatis igitur à nouis, &c.

Zelus verè diuinus, & Apostolicus Leonis X.

Imperator, Reges, & Principes nominatim.

Scribatur ergo secundò cum suis sex partibus in cordis Francisci latere Vrbs Ierusalem, non solum quoad sui ipsius animæ sub vineæ symbolo expressionem, verum etiam quoad quamcunque animam fidelem. Hæc namq; per se vinea mistice dicitur, licet in Ecclesiæ Christi vinea, à Francisco renouata, vitis est. Et vt vinea, & vt vitis extant in ipsa

1 *Per cordis contritionem* opus primæ diei, quod fuit *Lux*, & primum mane, siue prima hora Euangelica.

2 *Per oris confessionem* opus secundæ diei, quod fuit *Firmamentum*, & tertia hora Euangelica.

Peroratio siue epilogus huius vrbis Ierusalẽ.

3 *Per operis satisfactionem* opus tertiæ diei, quod fuit *germinatio terræ*, & hora 6. Euangelica.

4 *Per Dei, & proximi dilectionem* opus quartæ diei, quod fuit *Solis, & Lunæ, Stellarumque creatio*, cum hora 9. Euangelica.

5 *Per vitæ actiuæ, & contemplatiuæ exercitationem* opus quintæ diei, quod fuit *auium, pisciumque productio* cum 11. hora Euangelica.

6 *Per finalis perseuerantiæ consummationem* opus sextæ diei, quod fuit *hominis effectio* cum vltima hora Euangelica.

Tertio, & vltimo scribenda in latere cordis Francisci Vrbs Ierusalem, scilicet Ecclesia triumphans. Huiusce omnem secundę scripturę molem adiungens structuræ Interpres, ita breui declarat, coniungens prememoratæ orationi hæc alia. Per Sabbatũ, quod requies interpretatur, significatur requies, de qua Isaiæ 66. *Erit mensis ex mense*, idest perfectio gloriæ in perfectione vitæ, *& Sabbatum ex Sabbato*, idest requies æternitatis ex requie peccatoris, quæ consistit in duplici stola, animæ, & corporis. Anima tribus, & corpus quatuor dotibus glorificabitur. *Anima sapientia, amicitia, & concordia decorabitur.*

Eccles. triũphans in duplici stola animæ, & corporis cõsistit.

1 *Sapientia Dei* in Animæ facie resultabit, & videbit Deum sicuti est. Et cognoscet sicut cognita est.

Dotes animæ tres.

2 *Amicitia erit ad Deum*. Vnde Isaiæ 31. *Cuius ignis in Syon*, idest Ecclesia militanti, *& caminus*, ardentissimi scilicet amoris, *in Ierusalem*, idest Ecclesia triumphanti.

3 *Concordia ad proximum*. De cuius gloria tantum gaudebit, quantum de sua.

Quatuor etiam erunt dotes corporis, scilicet claritatis, subtilitatis, agilitatis, & immortalitatis, de quibus Sapientia, *Fulgebunt iusti*. Ecce claritas. *Et tanquam scintillæ*. Ecce subtilitas. *In arundineto discurrent*. Ecce agilitas. *Et regnabit Dominus illorum in perpetuum*. Ecce immortalitas. Non est enim Deus mortuorum, sed viuentium, Matth 22. &c. Vnde autẽ oriantur hæ 4. dotes in corpore Beati, vide si placet dignam explicationem Interpretis in serm. 2. Dom. 2. Quadragesimæ. Eadem Ecclesia militans, cuius reparatio per Franc. & suos tres Ordines non solũ consistit in trina militia saluandorum, vt ait Bonau. cit. verum etiam in ea parte, quæ in statu sæculari huiusmodi reparatio-

Dotes corporis quatuor.

rationis beneficium participabit. Hæc inquam Ecclesia in Cælis erit simul cum tota Curia cælesti Ecclesia triumphans, vbi duplicem stolam recipiet post vniuersalem resurrectionem. Omnis enim, qui à statu viæ transit ad statum patriæ, non est amplius viator, sed comprehensor, ac proinde non amplius militat in terris, sed in Cælis triumphat. Igitur in corde Francisci, cuius nunc anima, teste Bonau. cap. 6. cit. Luciferi sedem meritò possidet, tanquam quæ in eius corpore manens, reparatrix extitit multarum sedium, cum ipso Lucifero corruentium) hoc pacto scribenda est quoque Vrbs Ierusalem Ecclesiæ triumphantis, vt clarè liquet. Hæc deinde Anima Francisci in tribus illis dotibus, quas enumerat Interp. nunc sublimissima, in cõmuni deinde resurrectione viuificans suum propriũ corpus, illi quoque quatuor dotes, sibi debitæ excellentissimè, traduntur eo modo, quo docent PP. Theologi in 4. sentẽt. Verum quemadmodum Vir tantus, ac talis, innumeris prærogatiuis priuilegiandus, & maximè illa vnica, ac peregrina, qua Anima, & corpore in hac mortali vita Redemptori Mundi simillimus constituendus erat; ita pariter videbatur cõgruum, vt in terris quoque (ad firmandam circa officium Reparatoris, à Christo sibi ter mandatum fidem illorum, cũ quibus huiusmodi reparatio fieri debebat) aliquo pacto corpori Redemptori secundum aliqua talium dotum signa peculiariter assimilaretur.

Quomodo hæc 3. eccl. in Fran. corde scribẽda.

Signa nonnulla 4. dotũ corporis glorificati in corpore Frãcisci.

Hinc apparens super currum igneum, vt dictum est, mediæ noctis tempore tria signa corporis glorificati quodammodo suis primis Discipulis patefecit. Nam intrans ianuis clausis, signum dotis, quẽ dicunt subtilitatem, ostendit. In forma illa globi perlucidi, Solis aspectum proferentis, signum dotis, qua in Cælis corpora Beatorum splendida erunt sicut Sol, aperuit. Vectum Francisci corpus in aere super illum currum igneum, signum quoddam dotis agilitatis protulit. Cur autem hoc miraculũ voluerit efficere Deus in exordio reparandæ Ecclesiæ, tribuens prius cordi Francisci spiritus plenitudinem, rationem reddit Bonau. haud dissimilem ab ea, quam Sancti Patres afferũt de Christo Redemptore, qui talia signa dotum corporum Beatorum in corpore suo complacuit suis in principio fundationis Ecclesiæ indicare Discipulis, haud per aliquod nouum miraculum, sed potius per cessationem miraculi, vt benè docet Ioannes Scotus. Ratio Bonauent. fuit ista. *Vt tanquam veri Israelitæ post illum incederent*, qui virorum spiritualium, vt alter Elias *factus fuerat à Deo currus, & auriga, &c.* Et paulò infra post regressum Francisci ad suos coapostolos. *Cumque patefaceret plurima*, inquit, *quæ sensum transcendebant humanum, verè cognouerunt Fratres, super seruum suum Franciscum spiritum Domini in tanta plenitudine quieuisse, quod post ipsius doctrinam, & vitam erat eis proficisci tutissimum.* Aliàs visum est Francisci corpus clarum, & agile in suis raptibus mirabilibus, & in aliis euentibus.

Vide sup. ex Bonau.

Eorundẽ signorum congruitas.

Franc. factus suis currus igneus, & auriga.

Nec defuit illi ex tanta in eius corde spiritus plenitudine aliquod signum impassibilitatis in corpore. In Apulia enim, vbi Apostolica libertate prædicauerat coram Cæsare Federico II. à quo & inuitatus ad cœnam (vt scribit Pisanus lib. 1. Confor. fruct. 2.) fuit instigatus ad turpia à quadam impudica fœmina, secretò introducta in eius cubiculum apud Arcẽ Vrbis Barii, à familiaribus præfati Feder. II. id illis mandantis, vt experirẽtur, num quæ tam magnanimiter in faciem eorum, imò & Cæsaris prædicabat homo ille, operibus responderent. Ipse autem illicò inuitauit audacem mulierem, vt cum ipso iaceret in illum rubrum, ignitumque lectulum, quem suis manibus in camino extenderat, accommodaratque, seq; nudum, habentẽ tantum femoralia, proiecerat, itaq; extẽderat super ardentes prunas, sicut si extaret super plumas morbidissimas. Quid simile quoque contigit Francisco in Ægypto; vt fertur communiter, & tàm ibi, quàm hic remanens nudum Viri Sancti corpus in medio carbonum ignitorum illæsum, omnem læsionem ignis impudicitiæ in vtriusque mulieris pectore integrè curauit, vtrãq; conuertit ad Christum.

Corpus Frãcisci nudatũ super prunas ardentes iacet illæsum.

At longè quidem peculiarius supra memoratum prodigium, in quo caro Francisci statim post animæ discessum ita incorrupta, atque illæsa, impassibilisque remansit, vt simul cum claritudine, teneritudine, ac cicatricum, clauorum quo splendore; *candoreque nimio renitescens, vt (ait Bonauent.) illius secundæ stolæ pulchritudinem prætenderet.* Simulque *tam formosa, & miraculosa in ea varietas iucunditatem, & admirationem contuentibus ingereret.* Adhuc etiam huiusce secundæ stolæ prætensio, quatuor corporis Beati dotes complectens intra tumuli sinum mirabiliter perseuerat, vt suo loco plenè tractabitur. Igitur conceptio cordis animati Francisci (in quo iam scriptas ostendimus triplicem Ierusalem, priorem septiformem, posteriorem verò sex partibus, quarum quælibet tria sibi annectit,

Cælestis varietas in corpore Franc. post obitum.

Conceptus Franc. die 4 Ianuar.

constructam, postremam iterum septiformē scilicet ex septem conflatā, quarum tres animam Beatam, quatuor verò corpus declarant) die 4. mensis Ianuarij contigit sub signo Capricorni, in signum Imperii spiritualis ipsius, de quo superius. Hæc sententia nostra vulgarissima est, quia ex illa historia deducta, quæ fertur communiter ab omnibus Franciscū obiisse 4. die Octobris anno Christi 1226. ætatis suæ 45. Quem numerum annorum ætatis Francisci dum completum præsupponimus, ad eundem diem 4. Octobr. reducimus exinde ipsius natiuitatem, & ad 4. diem Ianuarii eius itidem conceptionem præfigimus.

Ianuarius apud Latinos noui anni principiū est.

Ianuarius etsi apud omnes nationes nequaquam sit noui anni principium, in Calēdario tamen priscorum Latinorum, quod Romana Ecclesia sequitur, ipse semper primus, & princeps inter duodecim menses constituitur. Qui ei primum locum tribuerit, Numa Pompilius extitit, idemque sacrauit *Iano* veluti bicipiti Deo, à quo & cognominaretur, eo quod ipse transacti anni finem, & succedanei principium respicit, prospicitque. Cui mensi *Iuno* præsidebat, vti & Calendis omnibus, indeque Calendaris nuncupata. Apud Latinos Typus, Protypus, Ectypus, Archetypus ita inter se differūt iuxta Græcorum voces, vt *Typus* dicatur forma quædam, adumbratio rudis, exemplarq; vmbra, atq; imago alterius rei. Cic. ad Att. lib. 1. *Typos tibi mando*. *Protypus* vero, qui & prototypus opus illud nūcupatur, quod ante typum factum est, *Ectypus* autem, quod ex ipso est formatus typo Plin. lib. 35. cap. 12. *Archetypus* demum dicitur primum, & principale exemplar, quod non aliunde est desumptum, neque ad aliorum similitudinem effectum. Eiusmodi vulgus appellat Originale.

Christus prototypus Franc.

Christus ergo, Deus & homo, respectu Francisci puri hominis, quem sibi simillimum in quamplurimis efficere complacuit, sicut decebat vt Ecclesiæ Reparator, ad quam ab ipso mittendus erat, Fundatori illius conformaretur, erit Prototypus, seu Archetypus Francisci; Franciscus verò typus Christi, ex quo tot deinde Ectypi formandi, quot ipsi Francisco conformandi erant imitatores, ac sequaces.

Mensis Martius, in quo Christus conceptus anni princ. apud Hebræos.

Vtrum verò Christus vt Protypus, seu Archetypus conceptus de mense Martio ad diem 25. cum Francisco typo suo, concepto de mense Ianuario ad diem 4. possit habere aliquam correspondentiam, prout fas videtur ratione conuenientiæ Ecclesiæ in Oriente fundandæ cum Ecclesia reparanda in Occidente, nunc breui perpendendum. Christus Protypus, seu Archetypus apud Hebraicam gentem conceptus est in Ciuitate Nazareth, natus verò ex regia stirpe Dauidica in Ciuitate Dauid, scilicet Bethleem; Franciscus autem, Christi typus, apud Latinam gentem, ex stirpe Moriconum in Vmbriæ Vrbe Assisio conceptus, & natus. Martius, & Ianuar. respectu ad exordia nouorum annorum ita conueniunt, vt quemadmodum apud Hebræos, qui distinguunt inter annum sacrum, & prophanum, *Nisan*, idest *Martium* primum conditi Orbis statuunt, primumque in suo Calendario, iuxta sententiam Mariani, Serarii, Genebrardi, & aliorū ponunt; ita Latini primum faciunt, principemq; totius anni Ianuarium. Quamobrem ad Ianum Latinorum, qui est apud Hebræos Noe (qui veniens in Italiæ Regnum, & Ecclesiam, cultumque veri Dei, quam postea destruit Idolatria, fundauit, & Parens etiam Latinorum, quemadmodū Hebræorum potest dici) spectaret Martius Hebræorum, & ad eūdem Noe apud Latinos Ianuarius. Cum autem ipse Noe, Ianusque effecerit Arcam, ne cuncta viuentia in diluuio perirent, ipseque primus post diluuium plantauerit Vineam; perscrutemus modò arcanum quodam haud certè vulgare ad faustitatem mensium Martii, & Ianuarii, quibus vt Numen tutelare præest.

Sacrandus & ipse Iano, qui est Noe

Super illam parabolam Matthæi 13. *Exyt qui seminat seminare semen suum, &c.* Comparat Interpres noster serm. Dom. in Sexages. Christum seminatorem verbi sui in campò Ecclesiæ, vel quempiam alium prædicatorem Christi cum Noe, viro etiā agricola, qui ex Dei mandato fabricauit Arcam, quæ est figura Ecclesiæ. In hoc Euangelio, ait, sex valde notabilia notantur, Seminator, Semen, Via, Petra, Spinę, & bona opera. Noe Arca habet quinque cameras. Prima fuit stercoraria. Secunda apothecaria. Tertia immitium, idest ferocium animalium. Quarta mitiū. Quinta hominum, & volucrum. Sed attende diligentissime, quod quarta, & quinta pro vna tantum camera in ista concordātia accipiuntur. *Exyt qui seminat, &c.* Seminator est Christus, vel Prædicator ipsius. Semen est verbum Dei. Via luxuriosi. Petra falsi Religiosi. Spinæ auari, & vsurarii. Bona terra pœnitentes, & iusti. Quia hoc sit verum, authoritatibus comprobemus, &c. Vide probationes omnes per extensum ibidem apud Interpr.

Christus seminator cū Noe, & prædicator Christi cū vtroq.

Certum est, Interpretem in toto illo sermone, vbi discurrit de vi, & efficacia

verbi

Tres Ecclesiæ, secunda in destructioné, tertia in reparat. primæ.

verbi Dei, super tres Ecclesias locutum esse, quarum primam fundauit Christus per semen verbi sui, & eam fundando fabricauit Arcã pro iis, qui saluandi erant à diluuio criminum. Secundam Ecclesiã fundauit impiorum malignitas in destructionem Ecclesiæ Christi, sicut contigerat in prima Mundi ætate, in qua, ne tota periret Ecclesia Dei, vndique ab iniquorũ Ecclesia concussa, de qua Psaltes; *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo*, iussit Deus Noe vt fabricaret Arcam, in qua paucissimas prioris Ecclesiæ, ab vniuersa colluuione mergendæ saluaret reliquias, quibus in secunda ætate illa renouata vsque ad Christi aduentum duraret. Tertiam Ecclesiam in reparationem Ecclesiæ Christi, eiusque restaurationem fundauit Prædicator ille Christi, quem immediatè ponit Interpres post Christum; & dum de Christo iuxta sensum literæ explicat præpositam parabolam, *Exijt qui seminat*, misticè etiam explicari debere de Christi prædicatore insinuat. Dicit namque simul, & semel, *Seminator est Christus, vel prædicator ipsius.*

Immediati sunt Redemptor, & Reparator

Inter Ecclesiam fundatam à Christo, & ab Ecclesia malignantium penè ad excidium deductam, & Ecclesiam reparandam à Christo per Franciscum immediati sint Redemptor, & Reparator. Redemptor ter de Cruce vocaliter præcipiens soli Francisco (qui solus ibi erat in Ecclesia S. Damiani semidestructa) Ecclesiæ suæ reparationem: & Reparator, ter ipsũ crucifixũ sibi id operis mandari audiens. Quo pacto dicendum, Christo vt seminatori in plantatione Ecclesiæ, in qua etiã ceu misticus Noe fabricauit Arcam, sicut explicat ibi Interpres, successisse Franciscum Prædicatorẽ Christi, & vt seminatorem, & vt fabricatorem Arcæ in Ecclesiæ Christi reparationem. Dicamus primò de Christo cum Interprete, & de eius Ecclesia, ab ipso fundata semine verbi sui, & fabricata veluti noua Arca Noe, ex mandato Patris sibi dato.

Noe interpretatur requies.

Habes ergo apertè, inquit, quod seminator est Christus. Hic est Noe, cui dixit Pater, *Fac tibi Arcam de lignis leuigatis*, Gen. 6. *Noe* interpretatur *requies*, & significat Christum, qui dicit Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis* in Aegypto in luto luxuriæ, & latere auaritiæ. *Et onerati estis* iugo superbiæ. *Et ego reficiam vos*, idest requiescere faciam. Hic, vt dicitur Genes. 5. consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Deus. Huic dixit Pater, *Fac tibi Arcam*, idest Ecclesiam.

1. Ecclesia quam fundauit Christus Arcæ Noe similis.

Exijt ergo seminator Christus seminare semen suum. Exiit etiam fabricare *Arcam*, scilicet Ecclesiam suam.

1 *De lignis leuigatis*, idest operibus sanctis, puris, & perfectis,

2 *Et liniuit bitumine* charitatis, & misericordiæ. *Intrinsecus* in affectu. *Extrinsecus* in operum effectu.

3 *Cuius longitudo est triginta cubitorum* propter *tres ordines*, qui sunt in ea. Prælati, continentes, & coniugati.

Quod declaratur quinq; parallelis.

4 *Latitudo ad quinquaginta cubitorum* ad pœnitentes ipsius Ecclesiæ refertur. In quinquagesimo enim die à Pascha per Spiritum Sanctum collata est Apostolis gratiæ infusio, &c.

Quid altitudo 30. cubitorum.

5 *Altitudo triginta cubitorum* ad eius Ecclesiæ fideles refertur propter fidem SS. Trinitatis. *Exijt ergo Christus à sinu Patris, & venit in Mundum, vt seminaret, & Ecclesiam suam fabricaret, in qua populum non corruptibilem, sed permanentem in sæculum sæculi conseruaret.* Hucusque Interpres, Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanam, vnam, sanctam, à Christo cum suis Apostolis, & Discipulis semine euangelicæ prædicationis, humilitate, paupertate, obedientia, castitate fundatam, & veluti Arcam fabricatam describens, ac patefaciens.

Omnis Satanæ congregatio tempore concept. Franc.

Mox post hanc Ecclesiam impiorum colluuionem Ecclesiæ aduersissimam à Diabolo per semen zizaniæ, & criminum, & errorum, & pressuræ, & dissidiis constructã in illius ruinam, ita statim subnectit, concordans alias partes Euangelii de semine cũ tribus cameris Arcæ Noe, ex quibus omnis Satanæ congregatio tum tempore Christi, quem Ecclesia Hebraica, siue Synagoga acceptare renuit, imò persecuta est, & occidit; tum tempore cõceptionis, & aduentus Francisci, quem principio Romana Curia indignãter expulit, conflabatur. *Sed quia*, inquit, *non omnium est fides, & non omnes obediunt Euangelio*; ideo sequitur

2. Ecclesia in interitu primæ.

1 *Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres Cæli comederunt illud.* Prima *Camera in Arca Noe fuit stercoraria*. Via ergo, & stercoraria luxuriosos significat. Ecclesiast. 9. *Mulier fornicaria quasi stercus in via.* Et Isa. 51. improperat Dominus luxuriosæ. Audi paupercula, & ebria (non vino) *Posuisti vt terra corpus tuum, & quasi viam transeuntibus*, idest Dęmonibus, qui dum transeunt conculcant semen, ne germinet. Et infra explicans Virgo mundissimus, non absque maxima viscerum suarum candoris torsione, quatuor vermes ex stercore luxuriæ generati, qui sunt, inquit,

simplex fornicatio. Adulterium. Incestum. Peccatum contra naturam, ita claudit illam periodum. *Omnes isti sunt via, à Dæmonibus conculcata, & camera stercoraria. Et ideo verbum, vel verbi Domini semen in eis deperit, & quod seminatum fuerat, Diabolus rapit.* Hoc lasciuiæ vitium prouocans extremè Dei vindictam, in Hebraicæ Ecclesiæ interitum tempore aduentus Christi, & Ecclesiæ Christianæ tempore aduentus Francisci, illa funditus corruit, hæc excitata Dei pietate fundata est, per quam postea ne corrueret, eius reparatio seruata est Francisco.

Ob vitium luxuriæ quadriforme.

2 *Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Et secunda camera *in Arca Noe fuit apothecaria.* Petra, & apothecaria *falsos Religiosos significant.* Hi tempore Christi in septem hæreses in Ecclesia Hebraica disterminabãtur. Eas Christus ipse inuenit, vt alias scripsimus ex Epiphanio, omnesque aduentu suo dissipauit, ac per hoc Ecclesia vetus defecit; sed omnibus potentior, & religiosior sub ouina tamen humilitatis pelle secta Pharisæorum, quæ in Christi humillimi ruinam adeo superbè præualuit, & ex qua fuit D. Paulus, vt ipse testatur in Act. Apost. Qui idcirco adeo efferuens ob suæ Ecclesiæ zelũ, & in Ecclesiæ Christi exterminium ita efferus: sed optimè humiliatus à Christo, & ex rapaci lupo in agnum mansuetissimum commutatum,

Ob vitium iactantis superbiæ Religiosorum.

Tempore verò S. Francisci hi pariter falsi Religiosi diuersimodè in maximam Ecclesiæ perniciem plurimi, præter illos, qui erroribus immersi se vanè, palamque iactabant esse in vera Ecclesia; & reuera Satanæ sinagoga erant. *Petra*, sequitur Interpres, quia gloriantur de excellentia suæ Religionis. *Camera apothecaria*, qui vendunt suæ vitæ mercimonia pro denario humanæ laudis. Dicitur ergo, *& aliud cecidit supra petram.* De qua Abdias ca. 1. improperans Religioso superbo. *Superbia*, inquit, *cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ.* Superbia dicitur *à super, & eo, is, quasi super se iens.* Superbia ergo (ô Religiose) cordis tui extulit te, idest *extra te tulit*, vt inaniter ires super te: *habitantem in scissuris petræ.* Petra est qualibet Ecclesiæ Religio, de qua Hierem. 18. *Numquid deficiet nix de petra agri?* Ager est Ecclesia. *Petra agri Religio*, supra petram fidei fundatam. Nix est munditia mentis, & corporis, quæ nunquam debet deficere de Religione. Sed hæu quantæ scissuræ? Quanta schismata? Quantæ diuisiones, & dissensiones sunt in Petra, idest Religione? super quã si ceciderit diuini verbi semen, non fructicat, quia non habet humorem gratiæ Spiritus Sancti. Qui non in scissuris discordiæ, sed in vnitatis habitat mansione. Hæc Interpres de peccatoribus in interitum iustorum, quia in Ecclesia, vt sequitur, *Multitudinis credentium erat anima vna, & cor vnum*, Lucæ Act 4. &c.

Superbia vnde dicta, & quam inter Religiosos perniciosa.

3 *Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud, &c.* In tertia camera Arcæ Noe sunt immitia animalia. Vide quam benè spinæ, & ferocia animalia concordant, quia auaros, & vsurarios significant. *Spinæ*, quia auaritia compungit, & sanguinem elicit. *Animalia ferocia*, quia auaritia vsura capit, & tranglutit. Dicat ergo Dominus, *& aliud cecidit inter spinas*, quæ, vt ipse glossat, *sunt diuitiæ*, quæ capiunt hominem, & retardant; quibus ne Petrus retardaretur, ait Domino. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Ibi Bernardus *Rectè, Petre, fecisti, non enim currentem sequi poteras oneratus.* Spinæ etiã pungunt, similiter, ait, diuitiæ, ab auaris, & vsurariis magna sollicitudine congregatæ. De quibus (subdit paulò post) Isai. cap. 33. *Spinæ congregatæ comburentur igne.* Spina ergo, concludit, pungit, & pungendo, sanguinem elicit.

Ob vitium auaritiæ, atque vsuræ.

*Omnis anima (*dicit Moyses Leuit. 17.*) est in sanguine.* Sanguis animæ est virtus, in qua anima viuit. Animæ vitam, idest virtutem auarus perdit, dum diuitias congregare cupit. Vnde Eccles. 16. *Nil iniquius, quam amare pecuniam. Hæc proijcit intima sua*, idest virtutes in vita sua. De his spinis subdit Dominus. *Et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* Hucusque Interpres. Qui post nonnulla alia circa concordantiam spinarum auarorum cum animalibus immitibus, ac ferocibus, & explicata tria genera vsurariorum, ita concludit, terminatque secundam impiorum Ecclesiam; *Sed peccatis nostris exigentibus spinæ diuitiarum, & ferocia animalia vsurariorum suffocant verbum Dei, tam assiduè seminatum, & ideo pænitentiæ non faciũt fructum.*

Omnis anima est in sãguine quorũ intelligatur.

Illa suffocatio penè suffocarat Arcam Ecclesiæ, à seminatore, & Noe Christo plantata, ac fabricata. Nam illa ferè cuncta degenerarat in istam, tota namq; reducta fermè erat ad tres prædictas cameras, nimirum *stercorariam* per immunditiæ scelus, iam veluti publica via effectum, secus quam semen Euangelicum partim conculcatum, partim à volucribus Cæli deuoratum videbatur. *Apothecariam*, ex petra quasi constructam ob iactantium Religiosorum superbiam, quæ plus illa sæcularium in præcipuum Ecclesiæ

Eccles. Christi tunc penè tota in malignantiũ degenerarat Eccles.

siæ fundamentum, scilicet Christi humilitatem, à Religionibus tunc eliminatam, & multò magis à sæculo, mortalibus ictibus concutiebat. *Proh dolor!* plorat ibi Interpres, *Religio, quæ deberet seruare species virtutum, aromata morum, destruitur, & efficitur forensis apothecaria*. Vnde Ioel deplorans ait cap. 1. *Demolita sunt horrea* (idest claustra Canonicorum) *Dissipatæ sunt apothecæ* (idest Abbatiæ Monachorum) *Quoniam confusum triticum*. *In tritico*, quod albet interius, & rubet exterius, *notatur Castitas*, quæ munditiam ad se, vel charitas, quæ amorem Dei ad se conseruat, & ad proximum. Hoc triticũ ideo confusum, *quia cecidit supra petram, & natum aruit*, quia non habebat radicem *humilitatis, nec humorem gratiæ septiformis*. Reperiebatur quoq; Arca Ecclesiæ Christi ad tertiam *Cameram immitium animalium* cum spinis, inter quas solent harum bestiarum per syluas, & antra esse cubilia. His spinis (reperit ibi Interpres, concordans cum ipsis animalia ferocia) de quibus Psalm. *Hoc mare magnum, &c.* Sequitur. *Illic*, idest in Mundo, *Reptilia, quorum non est numerus*. Hoc mare magnũ; *idest hic Mundus*. *Mundus* amaritudine plenus. *Magnus* diuitiis. *Spatiosus* deliciis, *quia spatiosa est via, quæ ducit ad mortem*. Sed quibus? Non Christi pauperibus, qui intrant per angustam portam, *sed vsurariorũ manibus, quibus totum Mundũ iam ceperũt*. Aduersus hæc tria vitia, ceu vniuersalissima ad omnia scelera, Christi dextera armata, vt pluries dictum est, vt cum Ecclesia impiorum, ob quam Christi Ecclesia semi eruta penè ad exterminium, sicut tempore Noe cernebatur, redigeret illis tribus ignitis fulminibus, de quibus paulò ante.

Quid est triticum confũdi.

Mundus mare magnum.

Vbi autem ex Iudice mutatus est Christus à Virginis Matris precibus in Patrẽ, & ex Cruce postea in plenitudine tẽporis statuit mittere Franc. eique oretenus cõmittere, præcipereque reparationem Ecclesiæ suæ, quæ se totam fermè in impiorum Ecclesiam ita fœdè transformarat, sumpsit exordium Ecclesia Franciscana. Hancque immediatè simul cum suo Institutore, ac Legislatore Euangelico post secundam Ecclesiam tacitè describit Interpres, addens residuum parabolæ, illique duas reliquas Arcæ Noemicæ cameras, vt sequitur. *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum*. Quarta camera Noe fuit, inquit, mitium animalium. Et quinta hominum, & volucrum. Videte, carissimi, quod in tribus supradictis, scilicet *Via luxuriosorum*, qui sunt camera stercoraria. *Petra superborum Religiosorum*, qui sunt apothecaria; & *Spinæ auarorum*, & vsurariorum, qui sunt ferocia animalia, semen verbi Dei non poterit fructificare. Ex his immediatè adducit Interpres clamores fidelium Ecclesiæ Christi ad Deũ in destructionem per Ecclesiam à Francisco fundandam, horum triformis Ecclesiæ impiorum, quæ septiformem Christi Ecclesiam in direptionem posuerunt. Quique aliquo pacto ita eos coegerant ad expetendum, expectandumque Reparatorem Ecclesiæ, sicut antiquitus coegerunt Sanctos Patres ad optandũ Redemptorem Mundi, exclamantes, *Veni Domine, & noli tardare, &c.* Audi, si placet, benedicta Interpretis Lingua, sic immediatè rem nostram inferentem. Ideò, inquit, Sanctæ Ecclesiæ fideles in introitu Missę de Sexagesima clamãt ad Deum. *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem, &c. Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos.* Psal. 43. Nota, ait, quod ter dicunt, *exurge*, propter ista tria, quæ sunt, *Via, Petra, Spinæ*.

3. Ecclesia Franciscana in interitum secundæ, & reparationis primæ.

Terra bona cum 4. & 5. cameris arcæ Noemicæ.

Auari, & vsurarii sunt ferocia animalia.

1 *Exurge ergo, Domine, contra luxuriosos*, qui sunt *via Diaboli*, qui, quia in peccatis dormiunt, te dormire credunt.

2 *Exurge contra falsos Religiosos*, qui sunt quasi *Petra* sine humore gratię.

3 *Exurge contra vsurarios*, qui sunt quasi *Spinæ* pungentes. *Et adiuua nos, & libera nos* de eorum manibus. In his tribus semen verbi tui, ô Domine, non potuit fructificare, sed cum cecidit in terrã bonam, fecit fructum.

Clamores fidelium ad Deum, optãtes Ecclesiæ suæ reparatorem.

Ex his transit citò ad demonstrandam miserentis Dei, clamores fidelium exaudientis clementissimam pietatem, illorũ adimplentem desideria per fundationem illius religionis, à viro iusto instituendæ, quæ ad interitum impiorum, & reparationem Ecclesiæ ea tempestate necessaria erat. Vnde sequitur; & vide quam bene concordant, *Terra bona, Mitia animalia, Homines, & Volucres*, quæ significant Iustos, Pœnitentes, & Actiuos, & Contemplatiuos. Hæc ibi, & hæc sunt, quæ constituunt propriè Religionem Franciscanam, tribus Ordinibus conflatam.

Tribus Ordinibus Ecclesia Franciscana conflatur.

Ex viris enim actiuis, & contemplatiuis constat Minorum Ordo, qui vtramq; vitam profitetur. Pœnitentes vocantur tertii Ordinis professores. Et in D. Claræ Ordine, in iustitia, & sanctitate fundato, iustissimos spiritus iustus Dominus, qui iustitiam diligit & æquitatem, perabundè semper inuenit.

Pergit mox Interpres, & duplici modo explicat terram bonam, particulariter, & generaliter, quatenus primo modo ostẽdat

ostendat fundatorem tertiæ Ecclesiæ, secundo modo tres Ordines vniuersæ Ecclesiæ Christianæ, iam ab illa Ecclesia Francisci in interitu secundæ fundata, mirabiliter instauratos.

Explicatio primo modo ita se habet, annectens secum fructum bonæ terræ trigesimum, sexagesimum, centesimum. *Bona terra*, cui benedixit Dominus, est *Mens Iusti*, de qua Psal. 65. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo*. Nota, quod omnis terra est Orientalis. Occidentalis. Aquilonaris, vel Australis. *Mens siquidem iusti debet esse*,

1 *Orientalis* per considerationem sui ortus.

Quatuor partes magni orbis i viri iusti microcosmo.

2 *Occidentalis* per considerationem sui exitus.

3 *Aquilonaris*, considerando tempestates, & miserias huius Mundi.

4 *Australis*, per speculationem æternæ beatitudinis. Omnis ergo *Terra, idest mens iusti bona*.

1 *Adoret te, Deus*, in spiritu, & veritate cordis contritione. *Hic est fructus trigesimus*.

2 *Et psallat tibi* in tui nominis cōfessione, & sui criminis acceptatione. *Hic est fructus sexagesimus*. In his duobus diebus vitæ laboriosæ debemus psallere.

3 *Et psalmum dicat nomini tuo*, in operis satisfactione, & finali perseuerantia. *Et hic est fructus centenarius, & perfectus*. Hucusque Interpres de priori terra particulari, in qua viri iustissimi Francisci Mens omnis terra, & noua terra Deum suum in spiritu Seraphico, ac veritate Euangelica quadrifariè, & eminenter adorans, meritò effectus est ratione nouę imitationis Christi, & conformitatis ad ipsum. Hinc dignis quidem clamoribus ab omni Ecclesia ipse expostulatus, & expectatus, vt eam in partibus Orientali, Occidentali, Aquilonari, Australi (destructa eodem tempore impiorum multitudine) repararet.

Quomodo viri iustiss. Franc. mens omnis terra facta sit.

Demum explicans statim Interpr. generaliter bonam terram, Arcæ Noemicæ per tres postremas cameras iunctam, intelligit in ea omnem Ecclesiam Catholicam, hancque in tot Ordines distinguit, in quot tota Ecclesia Seraphica distinguitur. Quatenus per Ordinum paritatem, necnon & immediationem ipsius Ecclesiæ Catholicæ cum Ecclesia Seraphica patefaceret simul. vnde proximè reparationis beneficium ad illam descenderit ob suorum trium Ordinum, tribus Ordinibus Franciscanis mediantibus restaurationem. *Alia terra bona*, inquit, *est Sancta Ecclesia, & Arca Noe*, quæ in se continet *mitia animalia. Homines. Volucres*.

Bona terra generaliter est Ecclesia catholica.

1 *Mitia* significant fideles coniugatos, qui piis operibus intendunt, sua pauperibus tribuunt, & neminem lædūt, de quibus Apostolus 2. Corinth. 12. *Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit. Si quis deuorat. Si quis accipit. Si quis extollitur. Si quis in faciem vos cædit*. Hi faciunt fructum trigesimum.

Tres Ord. in Eccl. iuxta tres Arcæ Noem. cameras.

2 *Homines* significant continentes, & actiuos, qui verè sunt homines, idest ratione vtentes. Hi vitæ actiuæ labori se submittunt. Pro Christo periculo se exponunt. Vitam æternam prædicant. Sibi, & suis subditis inuigilant. Isti, sicut Apostolus subdit, sunt *in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate*. Et hi faciunt fructum sexagesimum.

3 *Volucres* in superiori parte Arcæ significant Virgines, & contemplatiuos, qui pennis virtutum in aera eleuati contemplantur Regem in decore suo. Isti, non dico in corpore, sed mente rapiuntur in contemplatione vsque ad tertium Cælum, Trinitatis gloriam in spiritus subtilitate contemplantes. Vbi audiunt aure cordis ea, quæ verbis non possunt exprimere, nec etiam mente compræhendere. *Et hi sunt, qui afferunt fructum centesimum*. In hoc centesimo, ac postremo fructu clausit Interpres totum illum sermonem. Primus Ordo ex his tribus respondit iam tertio Ordini de Pęnitentia, vt patet, quia illum per hunc reparatum. Secundus Ordo respondit primo Ordini Minorum, qui cum contemplatiua vita & actiuam vitā pariter profitetur. Et hic Ordo tēpore & excellentia primus illum secundum Ordinem reparauit. Tertius Ordo secundo Ordini D. Claræ respondet, prout principaliter contemplationi addictus. Hic secundus Ordo tertium in serie Interpretis reparauit. Ex quo meritò D. Bonau. ratione horum trium Ordinum Franciscanorum, triplicem Reparatorem Ecclesiæ nuncupat Franciscum, triformiterque esse ab eo Vineam, Arcamque Ecclesiæ reparatam asserit, vt dictum est ex cap. 2. in fine.

Eos reparauit per suos tres ordines Franc.

Perpende nunc, quæso, mi lector, ex prænotatis quam accuratè Nicolaus III. de verbis significatione in 6. inserens in corpore Iuris Ecclesiastici, Regulam Minorum, eamque ad literam explanans, illis iisdem parabolicis verbis incipiens, quibus incepit Interpres noster, scilicet, *Exiit qui seminat seminare semen suum*, de sinu Patris in Mundum (sequitur Christi Vica-

Nicol. 3. in 6. in parabola, Exiit, qui seminat, duas pandit Ecclesias.

Vicarius) veste scilicet humanitatis indutus Dei Filius, Iesus Christus. Verbum Euangelicum saturus in singulos, probos, & reprobos; insipientes, & gnaros, studiosos, & desides; & iuxta Prophetam, *Colonus futurus in terra*. Semen suum, doctrinam scilicet Euangelicam sine delectu dispersit in omnes. Qui omnia tracturus ad se, omnes saluare venerat. Qui tandem seipsum Deo Patri pro salute omnium in redemptionis humanæ pretium immolauit. Hucusque Pontifex locutus est de Christo Redemptore sub figura Patrisfamilias, atque Coloni circa plantationem, ac fundationem Ecclesiæ suæ. Sed quæ inde sequuntur, spectant ad diuersimodā impiorum multitudinem sub symbolo *Terra mala* circa tempus S. Frācisci, cuius Ecclesiam sub terræ bonæ figura prædictę statim coniungit Pontifex, & ita subdit.

Qui non receperint semen euangelicum.

Licet autem *hoc semen*, in singulos cōmunicatiua Dei charitate dispersum, *Aliud ceciderit secus viam*, super corda scilicet, Dæmonum suggestionibus peruia. *Aliud supra petram*, corda scilicet nullo fidei vomere penetrata. *Aliud inter spinas*, corda scilicet hominum diuitiarum solicitudinibus lacerata: & ideo vnum prauis affectionibus conculcatum; aliud aridum, quia gratiæ carebat humore; reliquum verò legitur inordinatis solicitudinibus suffocatum (ista impiorum diuersitas) *Aliud tamen mite cor, & docile, terra bona suscepit*:

Hæc est Minorum Fratrum mitis, & docilis in paupertate, & humilitate, per almum Christi Confessorem Franciscum radicata Religio. Quæ ex illo vero semine germinans, germen illud sparsit per Regulam in filios, quos sibi, & Deo per suum ministerium in obseruatione Euangelij generat, &c. In his verbis planè declaratur, quod sicut eodem semine fundata est Ecclesia Christi Redemptoris, & Religio Francisci Reparatoris; ita pariter quotquot idem semen sparsum per talem Regulam in Euangelii obseruantia generat, tot Euangelicam Legem, in Ecclesia impiorum contemptā, restaurabant.

Eodem semine fundatæ Ecclesiæ Romana, & Frāciscana.

Sed additis Ordini Minorum Vineæ alios duos Ordines, scilicet Dominarum Pauperum, Fratrumque, Sororumque de Pœnitentia, ad totius reparationis complementum, simul & semel Christo vt primo ceu Patri familias, & Noemo vineæ, & Arcæ Ecclesiæ Christianæ plantatori, ac constructori, reperitur Franciscus vtroque modo simillimus. Et reperitur quoque vt vineæ plantator cum Interprete nostro, quem postea secutus est Leo X. de quo superius. Et vt Arcæ tricameratæ constructam ob tres Ordines cū D. Antonino titul. 24. cap. 1. §. 2. Histor. vbi hæc ad rem per similitudinē admodum concinnam. *Hinc fraterna dilectione deuictus B. Franc. ad instar Patriarchæ Noe Arcam fabricauit, & tricameratam fecit, idest Religionem scilicet Fratrum Minorum, Monialiū, & Tertij Ordinis. Vt habitantes in ea praeseruaret à diluuio vitiorum, & morte inferorū, omni statui cupiens dilectione prouidere.*

Arcā eccles. Seraphica tricamerata est.

Religio Minorum cum Arca Noe tricamerata.

Igitur maximam faustitatem, ac felicitatem menses duo, nimirum Martius, & Ianuarius, ambo principes in suis Calendariis cum primo plantatore vineæ, & fabricatore Arcæ, scilicet Noemo sacro, præsagierunt terrarum Orbi ob duas cōceptiones. Harum altera fuit Christi Redemptoris, qui plantauit vineam, & fabricauit Arcam Ecclesiæ Catholicæ. Altera verò fuit Francisci, illius vineæ, & illius Arcæ per suam triformem Ecclesiā, ab ipso vt vineam plantandam, & vt Arcā Noe [illegible] Reparatoris. Martius in Christi conceptione nouum annum multis sæculis consertum ob nouam legem, nouamque Ecclesiam ab eo fundādam, auguratus est mortalibus. Obtulit namque in eo Christus Strenam iuxta morem magnorum Principum. *Strena* apud Latinos (si fides Festo) *est munus, quod datur die festo omnis boni gratia. Qualia sunt, quæ passim dantur quotannis circiter Kalend. Ianuar. in bonum omen anni noui*. Dicta à numero, quo significatur alterū, tertiumque venturum similis commodi, veluti *Trena*, quæ proposita, s, litera dicitur *Strena*. Quemadmodum in lite solebant antiqui, dicentes Stlitē. At contra Nonius, aiens, *Strena dicta est à strenuitate*. Pomponius pictoribus, *Asside si qua ventura est alia strena strenæ*. Sueton. in Calig. cap. 42. *Edixit & strenas ineunte anno se recepturum*. Verum quia strenuitas nihil aliud importat, quam illa diligentia, sollicitudo, dexteritas, qua quis in aliquam rem peragendam se gerit, potest etiam hæc ad strenam referri; licet strena, ac trena idem sint. Strena enim cum in praxi munus prædictum denotet, ad quod mos semper inualuit cum multa solicitudine, ac cura, vt quotannis die 1. Ianuarii efficiatur, potest etiam à strenuitate sic nuncupari.

Strena à magnis principibus calendis 1. mensis anni elargita.

Vnde strena sic dicta.

Strenam magnificam profectò, sibique parem, quam gratis effudit Rex Regum Christus in sua conceptione de mense Martio, annuncians mortalibus nouum omen anni noui cum suis quatuor temporibus, fuit eius Incarnatio, in qua vita Christi Dei, & hominis temporaliter incepit, & iam ex tunc ordinata fuit ad mor-

Strena Christi de mense Martio ad diem 25. toti Orbi elargita.

mortem super lignum Crucis, sine quo non poterat aquæ amaræ, è Mari inexausto culpç primi hominis egressç, in aquas dulces per sanguinem Redemptoris conuerti. Hinc aduertendum altissimū Dei consilium circa diem conceptionis Christi pro strena anni noui. Non enim facta est die Nisan, siue Martii 1. sed 25. vt ex proprio eorum Kalendario conuinceret suos Hebræos, quod ipse erat vetus Messias, redempturus Israel, longè ante in Moyse figuratus, quem misit Deus Faraoni, vt populum suum ab illius tyrannide liberaret. Hebræi enim in die 25. Martii (notante Abb. Gabriele Bucelino, de quo aliàs tom. 1. de rebus Austriacis, in suo Nucleo historiali, vbi de Kalendario Hebræorum cum Rituale, & Ceremoniale) ita scribunt. *Moyses ligno, in aquas misso, eas dulces reddit.*

Nouus ānus ex Christi incarnatione

Omnem nouitatē anni illius per mensem Martium (in quo conceptus Christus, omnia per suam vitam, & mortem renouaturus, incepit sua exordia sexta ætas) haud obscurè describit Interpres noster loco citato cum sua *strēna*, *trena*, *& strenua*, quia ad totam placandam Trinitatem strenuè toti Orbi effecta, habenteq; in suo magno, nouoque donario remissionem, & benignitatem. Ponamus eius verba. *Et nota*, ait, *quod tota vita Christi dicitur annus remissionis, & benignitatis.* Sicut enim in anno quatuor sunt tempora, Hiems, Ver, Æstas, Autumnus, sic in vita Christi fuit

1 *Hiems sua persecutionis*, ob quam fugit in Ægyptum.

Quatuor tēpora anni in vita Christi strenā anni noui elargiētis.

2 *Ver prædicationis*, tunc enim *apparuerunt flores*, idest vitæ æternæ promissiones, *& vox turturis*, idest filii Dei, *audita est in terra nostra*. Pœnitentiam agite, appropinquabit Regnum Cælorum.

3 *Aestas Passionis*, de qua Isa. 27. *Meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus*, idest suæ passionis. In spiritu duro, *idest inflexibili ad sustinendam passionem*. Meditatus est *dum penderet in Cruce*, *qualiter Diabolus damnaretur, humanum genus de eius potestate eriperetur, & peccatoribus obstinatis pœnam æternam infligeret*. Vnde iterum dicit idem Propheta 41. *Dies vltionis in corde meo, &c.*

4 *Autumnus Resurrectionis*, in qua exufflatis paleis pœnalitatis, & puluere mortalitatis illa Humanitas Verbi gloriosa, & immortalis reposita est in cellatio, idest ad dexteram Dei Patris, &c.

Strena Franciscea in mense Ianuarij concepti,

B. Franciscus, Redemptoris Mundi typus, conceptus est de mense Ianuarii. Præmonstrauit ob id omnium Conditor, quod per eum reparaturus esset Ecclesiā suam, ad quam reparandam ipsemet immediatè longe ante Mundi constitutionē iam illū designauerat, vt in suo nomine amplam, ditissimamq; strenam reparationis huiusmodi toti Orbi largiretur. Et hac de re plantaret nouam vineā suam ad vineæ Christi restaurationem, eamque ceu Arcam fabricaret sub tutela Noe sui ipsius, qui erat Deus, & homo, & ipse quoque vt alter Noemus in Christi adiutorio appareret. Prisci Latini apud Romanos die 4. Ianuarii quatuor in Republica adnotarunt.

1 In die 4. Ianuarii *Dies atros*, scilicet funestos, aduersos, & infelices, quibus Romam insignem aliquam cladem acceperat. Gell. lib. 5. cap. 17. Magnam, maximamq. cladem accepturi erat à Franc. haud populus vnus, sed qui omnē Christianā Rempub. quam per omnem terram diffusam dominabantur, Mundus, Caro, ac Diabolus. Vt suos funestos dies, infaustos, felicesq; commutans, ab horum trium tyrannorum perdura seruitute subtracta, in Apostolicam rediret libertatem. Adnotarunt

4. Ianuar. die quatuor adnotata à Romanis.

Dies atri, scilicet funesti.

2 In die 4. Ianuarii *Extinctionem* per P. Clodium Tribunum *Legis Aeliæ*, quæ 100. annis durauerat, Claudiorum familia apud Romanos percelebris à M. Aur. Claudio Imperat. qui summa integritate, morum grauitate, bellicisque virtutibus, quique optimas leges condidit, Principum omnium decus dictus est. Quippe in eo Traiani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio lucidissimè emicuere. Decessisse fertur A.V.C. 271. post triū annorum Imperii sui. Sed familia Ælia & ipsa plurimis celeberrima longè antiquior est prædicta Claudiorum. Aelia namque ad P. Aelium Petum Quæst. A.V. 415, deriuatiuè referunt. De vtraq; Elias Reusnerius par. 1. operis sui Genealogici. Publius Clodius adeo degener familiæ suæ Claudiorum turpiter extitit, vt Ciuis factiosus fuerit, & notissimæ libidinis, tres sorores per incestum pollutus, & in sacris Bonę Deę muliebri veste depræhēsus. Hic parum curans suæ stirpis dedecus, vt magis posset in Ciceronem inimicum suum, & in legem Aeliam vsque ad interitum aduersari, Tribunatum plebis petiit. Cum verò per leges non posset obtinere, quod patritius esset, Fonteio cuidam ex plebe se adoptandum dedit. Quare Tribunatum viliter nactus, non quieuit donec Ciceronem per vim Ciuitate expelleret, & legem Aeliam sublaret.

Abolitio legis Aeliæ per P. Clodium.

Quis stirpe, & moribus, & munere P. Clodius.

Exularat ab Ecclesia Romana eloquētia illa Apostolica, legeque illa Euangelica

lica in contemptum maximum vniuersaliter habebatur, quia Christus ad eam fundandam aperuerat rudium, idiotarūque virorum ora, vt expulsa vana, ac superstitiosa sapiētia, vilem quoq. Tribunum satanicum, quascumque optimas leges persequentem, ac destruentem expulerat. Ne autem sine ea, & sub potestate huius tandem periret, ordinauit ipse die 4. Ianuarii Francisci conceptionem, sicque per eam auguratus est Ecclesiæ suæ reditū talis eloquentiæ, qua mox per eundem ceu triplicem Legislatorem, triformiter reparatā Lege Euangelica, iterū Satan vilesceret. Adnotarunt

3 Quarta Ianuarii *Votum pro salute Principis*. Nuncupare vota pro imperio apud Cicer. 6. Verr. idem est, ac nominatim aliquid vouere, quod Republica periculo liberata, sis persoluturus. Est etiam votum pro salute Principis, optare, precarique ipsi salutem pro Reipublicæ bono. Clamores prædicti fidelium Ecclesiæ optantes Reparatorem Ecclesiæ, scilicet Franciscum, nonne erant ceu vota quædam pro salute Principis totius Reipublicæ Christianæ, scilicet vel Christi Vicarii, à tyrannide vniuersali diuexati, vel ipsius Christi, qui in perditione salutis animarum suarum infirmabatur, imo maledicebatur, imo in corpore Ecclesiæ, suæ crucifigebatur? Et in earū morte morte quadam, & morte Crucis opprobriore per interitum gratiæ suæ spiritualiter afficiebatur. De Christi Vicariis est illud Exod. 22. *Principem populi tui non maledicēs*, quasi diceret, votum debet fieri pro salute Principis, non autem eum maledicere. Cui annectit Interpr. illud Matth. 26. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt*. Facies Christi, inquit fer. 6. in Parasc. sunt Ecclesiæ Prelati, per quos tanquam per faciem cognoscimus Deum. *In hac facie perfidi Iudæi, idest perfidi subditi conspuunt, cum ipsis Prælatis detrahunt, & maledicunt*, prohibente Domino Exod. 12. *Principem populi tui non maledices*.

De ipso Christo, qui est Ecclesiæ caput, ad finem illius sermonis paulò post expendens illa Christi ad Patrem verba, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* Luce 23. ita suspirat, ploratque Interpr. Heu iterum corpus Christi totum misticum, quod est Ecclesia, crucifigitur, & occiditur. In quo alii sunt caput, alii sunt manus, alii sunt pedes, alii sunt corpus. Caput sunt Contemplatiui. Manus Actiui. Pedes Prædicatores sancti. Corpus, omnes veri Christiani. *Hoc vnum corpus Christi quotidie, milites, Dæmones scilicet, suis suggestionibus, quasi quibusdam clauis crucifigunt. Iudæi, Pagani, Hæretici blasphemant, felle, & aceto doloris & persecutionis potant*. Hæc tota tragœdia per vniuersam Ecclesiam dum præsentabant tyrannides, errores, & scelera, iustè equidem desiderabatur Reparator, simulque votū pro salute Principis vndique, & vbique nuncupabatur.

Votum pro salute principis.

Quid est in Christum principe populi maledicere.

In corpore Ecclesiæ suæ crucifigitur Christus eius caput.

Christus Redemptor omnium ex Hebræis, ac Gentilibus (faciens tamen ex primis nouissimos, & ex nouissimis primos) fundauit Ecclesiam suam. Quare haud mirum si carnem assumens humanam in ipso Dei filius ex Hebræa, regiaque stirpe in gratia Hebræorum concipi complacuerit de mense Martio, & in gratiā Gentilium, quorum Imperium apud Latinos, eiusque in Vrbe Roma sedes, voluerit die 1. Ianuarii circumcidi. Ibi per impretiabilem agni noui strenam, scilicet donum, & beneficium Incarnationis se consecraturum initia gentis suæ patefecisse: Hic verò per primariam sui sanguinis effusionem inuoluti per aliam magni pretii strenam se renouaturū gentilitatem præmonstrasse videtur. Eodem quoque sanguine, prima Ianuarii die ab eo effuso in Circumcisione aliquo pacto mensem conceptionis Francisci, Ecclesiā suam reparaturi, & suas plagas, & clauos ab ipso recepturi, faustitatem auguratus est. Etenim in ipsamet sanguinis sui effusione *vocatum est nomen eius Iesus*, quod nomen per Franciscum in Ecclesia exaltatum reperitur: deinde à suis strenuissimè defensum, atque ab aliis Ordinibus in insignibus, & vexillis explicatū, exempla à Francisco, & suis documentibus. Cuius publicum festum eodem mēse Ianuario, die scilicet 14. celebrant Minores. Sed circa rem hanc in Hierarchia, & infra suo loco. Item circumcidi voluit Christus, vt impleret legem gentis suæ, quæ per suum sanguinem pondus tandem huius legis, quod præcipuū erat in Circumcisione, in Baptismo cessaret.

Die quarta Ianuarii, in qua triumphi Sāctorum Innocentum octauam colebat Ecclesia, fuit conceptus Franciscus, qui primos quinque Martyrum suorū flores (sic quoque suos Martyres Innocentes nuncupat ipsa Ecclesia) Christi sanguinis tropheo, quo suæ conceptionis mensem per circumcisionem consecrarat, ad sextum decimum mensis Ianuarii offerre, dicareque debebat. Igitur (vt cuncta paucis verbis perstringamus) *strena noui anni extitit Christus*, de mense Martio cōceptus, & de mense Ianuario circumcisus. *Strena pariter anni renouandi fuit Franciscus*

Cur Christus de Martio cōceptus, de Ianuario circumcisus

Exaltatū nomen Iesu in eccl. à Minorib. exēplo Franc.

Christus ceu strena anni noui in fundanda eccl. Franc. vt talis in eā renouandam.

riseus in mense Ianuario conceptus, cū respectu ad Martium ratione conceptionis & incarnationis Christi, ad hoc concepti, & incarnati, vt non solum per se veluti redemptionis authorem fundaret Ecclesiam, verum etiam vt ipse quoque mandaret è Cruce Francisco huiusmodi Ecclesiæ reparationem. Ob hanc etenim ordinauerat, vt eodem mense viuere inciperet per conceptionem in ventre matris suæ, quo ipse incepit effundere sanguinem suum post dies octo ab egressu ex Virginis vtero. Inuitans ex tunc ad magnam sanguinis effusionem Reparatorem suum, iam ab ipso ceu vniuersam, nouamque restaurandæ Christianitatis strenam, constituendum.

Hinc Interpres noster haud alio Principi Hebræorum statuit comparare Franciscum, nisi Matathiæ, de quo 2. Machabæor. Ratio apud ipsum, figuræ figuratū concordantem, ita affertur in sermone 3, Dom. 1 Quadrages. *Matathias* interpretatur *Donatus à Domino*, vel *Donum*. Et significat virum iustum, & religiosum, specialiter tamen *Religionis Fundatorem*, *vt B. Franciscum*. *Talis namque ex speciali dono Dei datus est Christianis ad liberandum de manibus inimicorum*. In his verbis (antequam ad sequentia progrediamur) aduertenda Interpretis locutio, dum in ipsa ter vt Dei donum demonstrat Franciscum, ex interpretatione nominis Matathiæ. Strena, vt diximus, est munus, quod datur die festo boni ominis gratia, & idem est, quod *Trena* per demptionem primæ literæ s. ratione terni muneris, seu doni. Annus nouus ter augurandus a Christo crucifixo per Franciscum, cui ter mandare Domus suę reparationem debebat, referendus erat ad strenam ipsius Francisci per triplex donum trium Ordinum, Reipublicæ Christianæ largiendum. Sic namque effecta est Ecclesiæ Christi reparatio, vt scribit Bonau. pluries cit. cap. 2. Igitur meritò donatus à Domino dicitur primò Franciscus à suo Episcopo, & Interprete nostro, postea Domini donum, tertio *ex speciali dono Dei datus Christianis ad liberandum de manibus inimicorum*, eos tripliciter cum omni Ecclesia reparans, innouansque.

Franc. Matathiæ comparandus, quia triplex donū Dei fuit.

Ann. nouus ter augurandus à Christo per Frā.

Sciebat Frā. se missum à Deo propter tria.

Vnde humilis Franciscus (pergit Interpr. alludens eidē triplici donario per tria sequentia parallela) intellexit se ad hoc missum à Deo, vt animas lucraretur, quas diabolus conabatur auferre, propter quod ipse *tanquam alter Matathias*

1 *Destruxit aras mundanæ vanitatis*, in quibus peccatores Dæmonibus immolabant.

2 *Circumcidit per reuocationem ad vitæ veritatem*, & puritatem illos, qui habebant præputium peccatorum.

3 *Insuper legem operibus instaurauit*.

Quinque sēsus pro quinque filiis Matathiæ.

Hic igitur Matathias virum religiosum significat, qui habebat filios quinque, idest sensus, quos Mundum fugiens, ad mōtem Euangelicę perfectionis secum ducit. Reliquit in Ciuitate huius Mundi, quæ iniquitate, & cōtradictione plena est, omnia, quæ videbantur temporaliter possidere. *Hunc igitur tamquam iustum, & robustum Pastorem, & Principem multi sequūtur, descendentes per humilitatem vitæ*. Statuentes Testamentum, *quod in mortis, idest in abdicatione temporalium, & abnegatione propriæ voluntatis, ex quibus homo moritur, suum firmantes propositum*, in desertum, idest *in Religionem*, quærentes iudicium, *scilicet mundi, corporis, & mentis* facere, & iustitiam, *& vitæ consequi perfectionem, &c.*

Epilogus quinquecap. cum vltimo præsentis libri sectione.

Talem ergo Matathiam Pastorem, ac Principem, & donatum à Deo, & donum Dei, & datum à Deo, vt conciperetur ad 4 mensis Ianuarii diem, veluti ditissimam strenam ipse Christus designauit, qui postea è Cruce sic eum declarauit, annūcians per ipsum Ecclesiæ suæ annum nouum triplicis eius reparationis, illis verbis. *Vade Francisce, & repara Domum meā, quæ vt cernis, tota destruitur*. Quasi diceret ei ista sex, iam præsenti lib. explanata

Ter Franc. vt à gratia Dei conceptus mandatur reparasse.

1 *Vade Francisce*. Quia ad hoc conceptus anno Incarnationis meæ 1181. & primus conceptus, vt in cunctis per gratiam meam existens nouus homo, idoneus euaderes, qui terna legislatione triformiter repararet, *Domum meam, quæ vt cernis tota destruitur*. Et primus esses, qui mihi, te ex hac Cruce ter propterea alloquenti, & ad arduum opus, operi Redemptioni persimile mittenti, anima & corpore simillimus fieres.

2 *Vade Francisce*; Quia idcirco conceptionem tuam ad maris procreationem in tuæ matris vtero ipse vt Author naturæ, & gratiæ ordinaui, vt in anima tua gratia mea conciperet masculum. Pica (me primum fœtum suum fauente) concepit te; tu quoque in conceptu gratiæ meæ eris Picus Martialis; eris, inquā, auritissimus Griphus. Vade ergo vt talis in adiutorium Equi albi, Vicariorū meorum figuram præferentis, sed infestus tribus Equis solummodo, rubro, nigro, pallido. Et sic aduersus hos fortiter dimicando, hosque terrefaciendo, debellando, *Repara Domum meam, quæ vt cernis, tota destruitur*.

Missus vt Picus martialis.

3 *Vade Francisce*. Quia corpusculi cui anima rationalis à me peculiari cura

crea-

Tribus Frã. concep. cæli tus ordinat.

creata, illique infusa, conceptio sub Vicario meo Alexandro III. & hoste meo Federico I. Cæsare ad me ipsum ordinata per ipsum fuit: ad Vicarios meos: ad te ipsum in auspicatissimum totius Reipublicæ Christianæ præsagium; quatenus in ea à me per te reparetur *Domus mea, quæ vt cernis, tota destruitur*.

Sub eodem cælesti signo natus Christus, & conceptus Frãc.

3 *Vade, Francisce*. Quia ab ipso matris vtero te inspexi sub illo cælesti signo, sub quo ipse nasci volui. Explicabis symbola mea, portabis nomen meũ, imò & meipsum crucifixum, in teipso iterum Cruci affixum portabis coram Regibus, & gentibus per totum Orbem. Sicque completissimè reparabis *Domum meam, quæ vt cernis, tota destruitur*.

5 *Tota*, inquam; *Francisce*, *ruit*, *vt cernis domus mea*, iam in sua vetustate tota penè collapsa. Indiget renouatione, aliàs quamcitius in interitum ibit. Vade ergo tu vt nouus homo, nouo miraculo, à me in alia Cruce confossio insigniendus: *Et repara domum meam*. Explicans in tuæ conceptionis Horoscopo cor tuum, in quo etiam appareat veluti in latere, scripta Vrbs Ierusalem, triformiter vna, & vnica, & multiformiter trina.

Franc. vt nouus homo nouo miraculo cõfossus

6 *Vade* demum, ò mi *Francisce*; iam ego mitto te, & vt vadas ter tibi præcipio *Domus mea, quæ tota, vt cernis, destruitur*, *reparationem*, ac renouationem. Propterea enim ipse statui conceptionem tuam de mense Ianuario, vt esses in Latina, & Romana Ecclesia, à te per omnem terram Orientalem, Occidentalem, Australem, Aquilonarem restauranda *Strena anni noui*, sicut ipse de mense Martio conceptus, & de mense Ianuario circumcisus strena extiti Hebræis, & Gentilibus, qui omnia noua tradidi, omnia noua feci; veteribus abolitis, omnia renouaui beneficio Incarnationis, & Redemptionis meæ. Hæc à me nouiter condita, iam vetusta facta sunt; nam veteris hominis spolia, expoliantes nouum hominem, iterum induerunt mortales. Vt autem ipsa renouarem, ego te mitto. Vade ergo, ceu nouum renouandæ Ecclesiæ Matathiam, donatum à me, donum meũ, & à me datum tanquam iustum, & robustum Pastorem, & Principem. *Vt destruas aras mundanæ vanitatis, in quibus peccatores* per omnem statum, & sexum *Dæmonibus immolant*. *Vt circumcidas per renouationem ad vitæ veritatem, & puritatem illos, qui habent præputium peccatorum*. *Vt legem* meam Euangelicam, vitamque Apostolicam *operibus*, quibus tres leges condes; *instaures*.

A Christo missus, & donatus vt strena anni noui

Vt nouus ecclesiæ Rom. Matathias.

Pro harum trium rerum exequutione conceptus est *Franciscus*, & inde vt nouus in cunctis factus est *seruus*, *& amicus Altissimi* (loquor cum Diuo Bonauentura, vt ipse, qui dedit huic libro principium, ipse quoque finem imponat) *Ordinis Minorum Fratrum*, Dominarum Pauperum, Fratrum, & Sororum de Pœnitentia *Institutor*, *& Dux*. *Paupertatis professor*, *Pœnitentiæ forma*. *Veritatis preco*. Sanctitatis speculum, & totius Euangelicæ perfectionis exemplar.

LIBER IX.

S. PATER, AC PATRIARCHA FRANCISCVS. Italus. Vmber. Assisias.

Veluti nouus superna Gratia filius. Primitiuus ad multa in triplici vita, Christiana an. xxv. Eremitica ann. ij. Regulari annis xviij per sex tempora, qua fuerunt in ipso. Infantia. Pueritia. Adolescentia. Iuuentus. Virilitas. Limen Senectutis, in quo etsi gloriosè decessit, non tamen destitit Deus, quin circa clariora in morte, & post mortem ipsum in pluribus nouiter illustraret.

Textus Seraphici Historici.

Superefflŭit in Franc. Dei misericordia.

APPARVIT *Gratia Dei Saluatoris nostri* diebus istis nouissimis *in seruo suo Francisco* omnibus verè *Humilibus*, & *Sanctæ Paupertatis* amicis. Qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo. Impietatem, & sæcularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter viuere, & ad beatam spem desiderio indefesso sitire non desinunt.

Franc. euangelicæ perfectionis Dux

In ipsum namque vt verè pauperculum, & contritum tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conuersationis puluere suscitauit egenum; verum etiam Euangelicæ perfectionis professorem, *Ducem*, atque Preconem effectum, *in lucem dedit* credentium, vt *testimoniū perhibendo de lumine*, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino præpararet:

Datus in lucem credentium.

Quasi stella matutina.

Hic etenim quasi *Stella matutina in medio nebulæ* claris vitæ micans, & doctrinæ fulgoribus, *sedentes in tenebris, & vmbra mortis*, irradiatione præfulgida direxit in lucem.

Et tanquam arcus refulgens.

Et tanquam *Arcus refulgens* inter nebulas gloriæ signum in se Dominici fœderis repræsentans, *Pacem, & salutem euangelizauit hominibus*.

Angelus veræ pacis,

Existens & ipse *Angelus veræ pacis*, secundum imitatoriam quoque similitudinem *Præcursoris* destinatus à Deo, vt *viam parans in deserto altissimæ paupertatis* tam exemplo, quam verbo pœnitentiam prædicaret.

Præcursor altissimæ paupertatis Christi.

Primum supernæ gratiæ præuentus donis, dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon & Angelico deputatus officio, *incendioque Seraphico totus ignitus*, & VIR HIERARCHICVS *curru igneo* sursum vectus, sicut ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur, *venisse in spiritu, & virtute Eliæ*.

Vir Hierarchicus.

Angelus habens signum Dei viui.

Ideoq; alterius amici sponsi Apostoli, & Euangelistæ Ioannis vaticinatione veridica sub similitudine Angeli, ascendentis ab ortu Solis, signumque Dei viui habentis, astruitur non immeritò designatus. Sub aperitione namque sexti sigilli; *Vidi*, ait Ioannes Apocal. 7. *alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui*.

Imitator puritatis angelicæ, in imitatoribus Christi exēplum.

Hunc Dei Nuncium, amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem Mundo, *seruum Dei fuisse*

Fran-

Franciscum, indubitabili fide colligimus: Si culmen in eo eximiæ sanctitatis aduertimus, quam inter homines viuens, *imitator fuit puritatis Angelicæ, qua & positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum*.

Officiũ Francisci quale.

Ad quod quidem fideliter sentiẽdum & piè, non solum inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum, & planctum, caluicium, & cingulum sacci, *signandique Thau* super frontes virorum, gementium, & dolentium signo pœnitentialis Crucis, & habitus Crucis conformis: verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat *Signaculum similitudinis Dei viuentis, Christi videlicet Crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam spiritus Dei viui*.

Signum Dei viui in eius corpore impressum.

Ad huius tam venerabilis viri vitam, omni imitatione dignissimam describendam, indignum & insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem; nisi me *Fratrum feruens incitasset affectus. Generalis quoque Capituli concors induxisset instantia. Et ea, quam ad Sanctum Patrem habere tenebar, deuotio compulisset*. Vtpote qui per ipsius inuocationem, & merita in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, à mortis faucibus erutus, *si præconia laudis eius tacuero, timeo sceleris argui, vt ingratus*.

Causæ tres scribendæ vitæ S. Franc. penes Bona.

Et hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, vt ego, qui vitam corporis, & animæ à Deo mihi conseruatam recognosco per ipsum, & virtutem eius in me ipso expertus agnoui: vitæ illius virtutes, actus, & verba quasi fragmenta quędam, partim neglecta, partim dispersa, quamquam plenè non possem, vtcumque colligerem. Ne morientibus ijs, qui cum famulo Dei conuixerant, deperirent.

Vltima apud ipsum.

Tria continet tota Bonau. legenda.

Vt igitur vitæ ipsius veritas ad posteros transmittenda certius mihi constaret, & clarius, adiens locum originis conuersationis, & transitus viri Sancti, cum familiaribus eius, adhuc superuiuentibus collationem de his habui diligentem, & maximè cum quibusdam, qui sanctitatis eius & conscij fuerunt, & sectatores præcipui. Quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda.

Diligentia maxima Bonau. circa suæ legendæ ordinem.

In descriptione autem eorum, quę per seruum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putaui, *cum legentis deuotio plus simplici sermone, quam phalerato proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam*. Sed potius ordinem seruare studui magis aptæ iuncturæ, secundum quod eodem peracta tempore diuersis materiis, vel diuersis peracta temporibus eidem materiæ congruere videbantur. Initium autem vitæ ipsius, progressus, & consummatio quindecim distincta capitulis describuntur, inferius annotatis.

Stili ornatũ negligendũ putauit, ne legentiũ deuotio offenderetur.

Reliquit ordinem chronologiæ, ne confunderet materias.

Ita Bonauent. in Prologo Legendæ maioris vitæ S. Francisci, in quo pauci sunt aperta, sed arcana, & sacramenta quamplurima, quorum nonnulla multimode sunt tecta innotescent.

APPENDICVLA.

Intra Crucifixi Charitatis præcordia perquirens, & inueniens S. Francisci vitam Bonauentura, ibique eam conscribens, inde potissimum exijt, vt vir inclytus, iuridica Doctoris Seraphici nomenclatura promeritus.

CVncta professò verè pia sunt, & quo pia, eò alta contemplatione profunda, & haud paucis arcanis mistertijsq; conferta, quę scripsit Bonau. in Prologo maioris de vita B. Francisci Legendæ. In intimiora viscera Redemptoris Crucifixi, qui iam Franciscum, Ecclesiæ suæ Reparatorem, in trabea virgineæ carnis eius Cruce ex seipso immediatè nouo, obstupendoque modo confixerat, totam illam Legendam inuenit magnus, vnusque in phrasi illa Historicus, tunc Generalis Minister, & septimus à B. Francisco, vt ipse testatur in prolog. illius Opusc. cui titulus, *Itinerarium Mentis in Deum*, quem edidit

Legẽda vitæ S. Franc ex Christi præcordiis traxit Bonau.

edidit super Aluerniæ montem ad annum 1259. ante Legendam. Septimus inquam, non tam numero, quam tanti Patris Patriarchæ, atque prædecessoris sui imitationis perfectione. Dum ibi itinerabatur ad Deum perdeuoti Præsulis mens, Dux sibi erat Franciscus, abs se iam totus transfusus intra eadem Christi præcordia inuentus, cuius intrans vulnera totus atq. intra ea totus manens, totus passim eum audierat per ipsa vulnera veluti per tot ora dulciter sibi, intimè illi inuisceratum sic loquentē. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari*, Isai. 6. Explicat enim Interpres noster in serm. Domin. 12. post Trinit. de Christo Redemptore, vt nouo in sua incarnatione, vita, & passione, in hunc modum. *Filius ad humani generis redemptionem volauit, vt qui erat in diuinitate Dei, fieret Hominis filius.* Et paulò post. Iste Seraphim, vt ibidem præmittit Isaias, sex alas habuit. Quæ sunt illa sex, quæ idem Propheta enumerat, dicens cap. 9. *Vocabitur nomen eius Admirabilis. Consiliarius. Deus. Fortis. Pater futuri sæculi. Princeps pacis.*

Christus Seraph habens in manu calculū ignitū.

1 *Admirabilis fuit in Natiuitate.* Vnde Hierem. 3. Nouum faciet Dominus super Terram, &c.

2 *Consiliarius in Prædicatione.* Vnde dixit. Si vis perfectus esse, &c.

Sex eius alæ quibus ad redemptionem volauit.

3 *Deus in miraculorum operatione.* Vnde Isai. 35. Deus ipse veniet, & saluabit nos.

4 *Fortis in Passione.* Manibus enim in Cruce ligatis aereas potestates debellauit. Quæ tanta fortitudo potest esse, quanta manibus promptum deuincere inimicum?

5 *Pater futuri sæculi* in Resurrectione. Resurgens enim à mortuis certā nobis cōtulit spem resurgendi in futuro sæculo, in quo nobis erit Pater, quia suscipiet nos suos filios ad seipsum. Vnde Apostolus Philipp. 3. *Saluatorem expectamus, &c.*

6 *Princeps Pacis erit nobis in æterna beatitudine*, in qua faciet nos discumbere, & transiens ministrabit nobis.

Post harum sex alarum concordantiā cum sex aliis rebus ex cap. 36. Ecclesiast. explicat Interpres sequentia verba Isaiæ; *Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Calculus, ait, est lapillus, terræ admixtus, dictus, eo quod propter sui breuitatem conculcetur. Sed hic ponitur pro carbone. *Calculus est Humanitas Christi*, qui propter sui humilitatem terræ, idest peccatoribus admixtus, à Iudæis fuit calcatus. *Sed nobis fuit ignitus carbo, vitia nostra purgans. Hunc habuit in manu, idest potentia diuinitatis suæ, quem forcipe duplicis dilectationis tulit de altari gloriosæ Virginis.* Hæc ibi Interpres.

Calculus ignitus Christi humanitas.

Alloquens ergo multotiens, quinimò semper Franciscus Bonau. suum, septimū à se iam sibi successorem, iamque intra sua viscera, vulneraque per estaticam meditationem positum super Aluerniæ montem, quasi hæc eadem (præter multa alia) plagarum linguis ipsi explicauit, ita dicens. Volauit, ò fili, ad me, & hic ad me volauit Seraphim Christus, omnia Paradisi mirabilia secum deferens; atque sex alis volauit, inter quas, iam ad modum Crucis extensas & ipse mihi Cruci affixus apparuit. Et tunc maximè *apparuit Gratia Dei Saluatori Iesu Christi omnibus hominibus*, erudiens eos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, iustè & piè viuerent per memoriam passionis eius, cuius iam antea penitus obliuiscebantur. In suo volatu vno, vnicoq. sex explicans alas cruciformes.

Franc. allocutio ad Bonau. super Aluernam.

Volauit primò *ad me Seraphim Christus, vt Admirabilis* in sua Natiuitate. Quia sicut per eam *nouum fecit Dominus super terram*, ita pariter factus & ipse super hunc montem in illa apparitione nouus, nouum hominem me fecit, vt nouo quoque modo nouā in me crucifixionis suæ imaginem imprimeret, aliam à sua iuxta eius effectionem, ac formam, & eandem cum sua iuxta similitudinis expressionē. Suam, & non suam, & meam, & non meā. & suam, & meam simul, & vtriq. eandem, & ambobus imparem.

1. Volauit Seraph Christus Franc. vt admirabilis.

Volauit secundo *ad me vt Consiliarius* in prædicatione, mihi soli facta, in qua quæ mihi dixit, ac prædixit arcanis illis simi.lla admodum fuerunt, quæ postquam raptus vsque ad tertium Cælum viderat Apostolus Paulus, non liceret ea homini loqui, testatus est.

2. Vt consiliarius.

Volauit tertio *ad me vt Deus* in miraculorum operatione, admodum noua. Nam veniens è Cælo Deus ipse in Christo homine in illa noua forma, vt saluaret completissimè Ecclesiam suam beneficio reparationis, quot in carne mea infixit profunda foramina, sanguinem multum per biennium emanantia, quot creauit clauos, tot inexpectata effecit prodigia, quorum singula, & cuncta simul seorsim, & coniunctim plura miracula, veluti gloriosa infinitæ suæ potentię ac pietatis trophea patefacerent.

3. Volauit vt Deus.

Volauit quarto *ad me vt Fortis in Passione.* Quis enim fortis sicut Deus noster in passione illa, quam tunc in sua carne haud per immissam imaginariam visionē dignatus est oculis meis aperire; verum

4. Volauit vt fortis.

præ-

præsentia sua reali in carne mea passibili plagarū suarum robore ipsam suam crucifixionem in noua Satanæ, aerarumque potestatum debellationem fabrefacere.

5. Voluit vt pater futuri sæculi. Volauit quinto *ad me vt Pater futuri sæculi* in sua resurrectione; nno amplius corporea, sed spirituali in tot animarum resurrectione per deuictam peccati mortem (quæ simul cum Christo salutem crucifigit, memoriamque Christi passionis interimit) quot gratia reparationis Ecclesiæ restituit, ac restitutura est ad vitam vsque ad Mundi finem.

6. Voluit vt princeps pacis. *Volauit* sexto *ad me Seraphim Christus vt Princeps Pacis* in æterna beatitudine, in qua nunc facit me in altissimo gradu inter accumbentes lautissimè discumbere, & transiens ministrat mihi. Ministrans quoque & innumeris aliis, quibus ipse æternam pacem per mea Stigmata & promisit in terris, & tribuit in Cælis. Hic idem Seraphim hisce sex alis ad me volatu celerrimo veniens, detulit ad me sua manu ignitum suæ humanitatis calculū, quam suæ diuinitatis potentia insueto artificio, & à primo longè dispare quasi denuò exinaniuit, humiliauitque sicut in Cruce. Vt descendens ad me humillimum seruum suum, ne vlterius descenderet humanum genus, vilesceretque sub Diaboli seruitutē, exaltaret semetipsum; & acquireret nouum nomen in illo nouo crucifixionis modo, in quem seraphicè transformans seipsum, me in seipsū seraphicè transformauit. Ac me pariter nomine, & re primum Seraphinum sub mortali puri hominis spolia & vt calculum, ignitum totum in Ecclesia effecit.

Ergo, fili mi, dum super hunc montem ad Deum cum me, & per me itineraris, meque in Deum quæris, & Deum in me, iam scis, quod vita mea, opera mea, gesta mea, iugiter crucifixa in Christo crucifixo, & in eius calculo ignito vndiq; ignita, quærenda sunt intra præcordia Crucifixi, qui me in seipsum, intra mea viscera ad miraculum effusum transformans, totum me intra seipsum ad miraculum inuisceraui. (Reciproca inuisceratio inter Christū, & Fran.) In hac schola edoctus Bonauentura nonnisi in Crucifixo, rimans Francisci vitam, Franciscum totū perscrutatus est, semper penè introrsus illius vulnera per mentis raptum positus, sicut ipsum inuenit, viditque eam scribentem D. Thomas, retroque cessit illa pronuncians verba, *Sinamus Sanctum, quia laborat pro Sancto*.

Forsan toto illo tempore, quo laborauit pro Sancto (& maximè in prædicto euentu D. Thomæ) scribens Francisci Legendam, ad miraculum peregrinam, ille ipse erat Bonau. quem suo carissimo Ioanni Eucharistio fuisse fatetur in opusculo Stimuli Amoris ad caput 1. vbi hæc in specie. *O amantissima vulnera Domini nostri Iesu Christi! Nam cum in ea quadam vice oculis subintrarem apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti. Sicque nihil aliud videns, cæpi ingredi, manu palpans, donec perueni ad intima viscera charitatis sua, quibus post vndique circumplexus, reuerti nequiui. Ideoque ibi inhabito, & quibus vescitur cibis vescor, ac inebrior suo potu. Ibi*, ait, *tanta abundo dulcedine, vt tibi non valeam enarrare.* Et qui prius fuerat pro peccatoribus in vtero Virginali, tunc dignatur me seruum suum intra viscera sua comportare. Sed multum timeo, ne veniat partus eius, & ab illis delicijs excidar, quibus fruor. *Sed certè etsi me peperit, debebit sicut Mater me lactare vberibus. Leuare manibus. Portare brachiis. Osculari labijs. Foueri gremijs.* Aut certè, quid faciam, scio. Quantumcumque me pariat, *scio quod semper sua vulnera sunt aperta, & per ea in eius vterum iterum introibo, & hoc totiens replicabo quousque ero sibi inseparabiliter conglobatus, &c.* (S. Bonau. ad intima viscera Crucifixi scribens S. Franc. legendam.)

Vide, Lector, quomodo hic Bonauent. vt mirabilis S. Francisci imitator, morē, geniumque Patris sui, se scilicet totum circa Christi vulnera per impigrum, ignitumque mentis excessum in charitatem Crucifixi transformandi secutus sit, & consequutus. (A Franc. didicerat Bonau. se totū in Crucifixū transformari.) Quam transformationem tunc maximè ei cōtigisse haud obdubito, cum ipsius S. Patris sui ediderat Legendā, quia tunc maximè Christi vulnera per frequentes raptus, sese intra eius præcordia, & per hæc in Francisci viscera intrans, eam exarans, totus Seraphicus euasit. Totusque ibi à Christi charitatis cibis, & potu nutritus, & inebriatus. Semel, & bis, & ter, & semper cum ipso Francisco in nouam lucem ab ipsa charitate editus, & effusus, à suis vberibus lactatus, leuatus manibus, portatus brachiis, osculatus labiis, fotus gremiis, & in aperta Christi vulnera veluti in eodem charitatis vtero iterum, atque iterum introductus, ibique vnus cum Christo in Francisco effectus. Et tunc maximè dignus Seraphici Doctoris, & Historici nomenclatura scribens gesta, & acta Francisci, quæ strenuè imitabatur. Quemadmodum dignus Seraphici Patriarchæ nomine Franciscus in Christo Crucifixo, cuius exempla seraphico spiritu penè solus terens, meruit, vt in Seraphim Christum ipsi sub specie Seraphica apparentem, ipsumq; stigmatizantem, ipse solus transformaretur, & ex hoc potissimum Seraphici (Scribēs eius legendā Doctoris, & historici seraphici acquisiuit nomen.)

phici

phici cognomentum nancisceretur. Frãciscus ergo intra viscera charitatis Crucifixi inueniens Bonau. (qui paulò ante Francisci stigmata meruit infantulus in illius vlnis suscipi, ab illius brachiis constringi, ab illius ore osculari, atque vt vir magnus in Ecclesia prophetari) ibi semet quærentem inuenit, dum eius gesta scribebat. Inuenit, inquam, ibi, & taliter, ab ipso assiduè, ac diligenter quæsito, se inuenire fecit, vt ipsi soli vitam suã peculiari munere donarit, ac peculiarem etiam intitulationem Doctoris, atque Historici Seraphici.

Franc. intra Christi vulnera inuenit Bonau. & è contra.

Intra viscera charitatis Crucifixi inuenit cum Christo Seraphino Seraphinum Parentem suum, taliter in illum transformatum, vt oculis suis intuitus sit ipsum, iisdem sex prædictis alis volantem, quibus volauerat ad eum Christus. Nam in ipsum Christum, ad humani generis redemptionem seraphicis pennis vt auctorem Seraphinorum volantem, admirabilem in natiuitate, & consiliarium in prædicatione, & Deum in miraculorum operatione, & fortem in passione, & Patrem futuri sæculi in resurrectione, & Principem pacis in æterna beatitudine se totum transformarat Franciscus. Sicq; in quantum Reparator Ecclesiæ Christi, & vnicus imitator Christi, ad quem alis quoque seraphicis volauerat, prædictas sex alas explicuit, vt alibi adnotauimus. Vnde in vtrumque Seraphinum debebat seipsum transformare Bonau. scribens Seraphini Reparatoris Ecclesiæ vitam, eam perquirens, perscrutansque intra præcordia charitatis Seraphini Redemptoris, vt qualis reapse erat Franciscus, intra viscera charitatis Crucifixi conceptus, natus, educatus, vir effectus, & crucifixus, & extinctus, talẽ scriptis suis ipsũ demãdaret. Talemque deinde huiusmodi scripta conditorem suum in eo genere scribendi patefecerent, qualis euaserat in illa edenda per seraphicam, duplicemque transformationem, alteram in Christum, intra cuius præcordia iure merito vitam Francisci experierat, & ibi inuenerat, alteram in ipsum Franciscum, in Christi vitam seraphicè transformatum. *Sinamus Sanctum, quia laborat pro Sancto*; scilicet, sinamus Bonauenturam in S. Francisci elaboranda vita occupatum, & in ea elaboranda, ante imaginem Crucifixi per mirabilem raptum suspensum.

Scribens Bonau. legend. S.Franc debuit intra Crucifixi viscera eam perquirere.

Dupliciter seraphicè transformatus edidit vitam S.Fran. Bonau.

Relinquamus amicum nostrum Bonauenturam (quasi diceret D.Thomas) dum ipsi oculis apertis, & lacrymis sanguinis repleti foramina intrauit iã, peruenitq. ad viscera charitatis Christi. Ab illis vndiq; circumplexus, & in illis vndiq; à Franc. complexus nequit ad se proculdubio reuerti, donec illud peremineus scire circa rem historicam, quam modo aggreditur, hauriat, quod maximè oportet ad eam eloquendi formam circa acta, & gesta Francisci, quæ digna esset, vt cherubicè illuminaret, & seraphicè inflammaret. Acta enim Francisci Cherubica, & Seraphica extitere, & nunc Bonau. qui in cunctis rebus suis Cherubicus, & Seraphicus adhuc repertus est, nouum opus, quod modò assumpsit, & certè coactè nouo quoq. modo ipsum edere satagit. Librum suum solitum Christi Crucifixi nunc maiori spiritu, maiori applicatione, perspicaciori acie, atque firmiori mente reuoluens. Conscius profectò, quod vt scripta sua finem suum sortirentur, cohibent ipsum, vt gesta Francisci intra illius viscera perquirant, qui sedet super Cherubim, quique sub specie Seraphim totum in seipsum transformauit Franciscum, & per Franciscum cuncta, quæ fecit Franciscus fecit sua, & suum fecit Franciscum, cuius etiam totum se fecit inseparabiliter. Hæc voluit dicere in præfatis verbis Angelicus amicus, Seraphicum Doctorem, moribus & doctrina coniunctissimum inuisens. Quibus respondent illa verba Bonau. ad finem prologi, demonstrans authorẽ gestorũ Franc. Deum. *In descriptione autem eorum, quæ per seruũ suum Deus dignanter effecit, &c.*

Quid voluit dicere Diu. Thom. illis verbis Sinamus Sanctũ, &c.

Sinamus Sanctum, &c. & dum non amplius laborat pro Sancto, sed cum Sancto in Cælis regnat, per quem & vita & doctrina seraphicus extitit, qualem se circa sufficientiam in componenda sui Patris, & Patriarchæ legenda existimauerit, & quibus, & quotis motiuis in ea scribenda se induxerit, repetamus.

Sufficientiam suam explicauit illis verbis. *Ad huius tam venerabilis viri vitam, omni imitatione dignissimam describendam, indignum, & insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem, &c.* Motiua sua ad tria capita reduxit, ita connectens. *Nisi me Fratrum feruens incitasset affectus.* Hoc fuit primum motiuũ. *Generalis quoque Capituli concors induxisset instantia.* Hoc fuit secundum motiuum ad annũ 1260. in Comitiis Generalibus, Narbonæ anno sui regiminis tertio ab eo celebratis. Et post tres annos scilicet 1263. in Capitulo Generali Pisano, tam Legẽdam maiorem, quam minorem obtulit Ordinis Patribus. Vade Vading. de Scriptor. fol. 75. Porrò tertium motiuum, quod apud ipsum maioris ponderis videtur, ita mox subditur. *Et ea, quam ad Sanctum Patrem*

Tria motiua D. Bonau. in conscribẽda legenda Sancti Franc.

habere

habere teneor, deuotio compulisse. Vtpote qui per ipsius inuocationem & meritũ in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, à mortis faucibus erutus, si præconia laudis eius tacuero, timeo sceleris argui vt ingratus. Et hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, vt ego, qui vitam corporis & animæ à Deo mihi conseruatam recognosco per ipsum, & virtutem eius in me ipso expertus agnoui, vitæ illius virtutes, actus, & verba quasi fragmẽta quædam, partim neglecta, partimque dispersa, quamquam plenè non possem, vtcumque colligerem, &c.

Tertiũ penes se peculiare fuit.

Motiuum hoc postremum vsque ad illa verba, *vt ingratus*, meum in toto hoc opere totum certè facere possem, & in aliquibus etiam ex verbis sequentibus. Duo priora penes me ita profecto nulla, sicut penes omnes indignitas mea pernota. Hæc domus ad ripam Transtyberinam (vbi pergi anno Christi 1660. feria 2. Hebdomadæ sanctæ, & iam hodie eadem feria est, in qua hæc aduerti) S.P. Francisco dicata est. Dedi ipse prælo in hac æde sacratissima, ac perantiqua, præcipuũque ipsius S.P. Francisci domiciliũ, Scalam tropologicam, quam scripseram Germaniæ; tradidique etiam prælo, ac milioratum Poema D. Antonii de Padua cum sua subsequenti Prosa: quod opus incepi in Italia, sed perfeci, ac impressi prima vice in Germania ad Oenum. Hierarchiam verò Franciscanam hic scripsi, & typis tradidi ex me; & tam hoc opus, quam prædicta ad S.P. Franciscum me in adolescentia, antequam eius legem apud Reformatos profiterer, à mortis faucibus eruentem, & sub pallio suæ protectionis in agone positum, dum mihi, cũ aliis adolescentibus aufugienti, patriam meam à Turcis inuasam depopulari videbatur, colligentem, principaliter spectant. Scripsi denique præsens opus, & quidem cæteris laboriosius, & nonnulla alia etiam, & tamen penes me duo prima motiua D. Bonau. plusquam nulla. Sicut nec vlla incommoda adhuc passa est Religio pro horum librorum impressionis expensis. Scripsit Henricus Sedulius sua Commentaria super totam vitam Sancti Francisci iuxta Legendam S. Bonauent. quam in sua Histori Seraphica ipse exarauit. Quæ autem ips in præsenti opere adnotaui, & maximè à hoc quarto Tractatu, valde diuersa sunt, ac diuersi generis Sacramenta.

Refert hic auctor quid sibi acciderit in sæculo.

Quæ dedit Bonauent. in sua Legenda maiori, eadem penè vicentur cum illis, quæ ad finem prologi 1. Stimuli Amoris scripsit ad Fr. Ioannem Eucharistium Minoritam, qui in illud scribendum opusculum repetitis precibus, & instantiis rogauerat, sollicitaueratque. Vnde enim suscepit Amoris stimulum, suscepit & Legendam. *Aperi, inquit, os tuum, & tibi quamuis nudis incorpora infrascripta. Ipsa enim præseruatiua sũt, & cõseruatiua humidi radicalis: quia ea de ligno vitæ suscepi. Caue ergo, ne lignum scientiæ retrahas ab hoc esu, & nudus apparere verearis coram Deo; insipidaque tibi sapida, & sapida tibi insipida videantur. Hic verò modum orandi, viuendi, & meditandi inueniet vir deuotus. In istis iustus ab infimis eripitur. Ad intima tollitur. Ad summa erigitur cum dulcore. Qui ergo voluerit vsque ad perfectum crescere, legat, & impleat quæ scribam, gratia crucifixi irrigante.* Hæc ibi, quæ possunt cuilibet persuaderi circa Legendam S. Francisci, à Ligno vitæ susceptam, gratia Crucifixi irrigante. In vita enim, & gestis Seraphici Hominis, per quem noua facit omnia in Ecclesia reparanda Deus, totum id, quod in Stimulo Amoris scripsit Seraphicus Doctor, practicè inuenitur, vt patet.

Quæ continentur in legenda S. Bonau docent in praxi quę in stimulo Amoris scripsit.

CAPVT I.

Apparuit Gratia Dei, multimode noua in Francisco infantulo, ac præcipuo gratiæ Dei filio, sicut ex eius ortus Nuncio, & loco, & tempore apparebit.

EGimus de vita sæculari Franc. ursu nouorum mensium in vtero Matris suæ expleta; nunc agendũ ex onsequenti de eadem ipsius vita quatenus extra prędictum vterum posita, antequam per Baptisma infans fieret Christianus.

Vita sæcularis Franc. quæ ex mente authoris.

Apparuit Gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, &c. ad Tit. 2. His propriis verbis incepit Bonau. Prologum Legendæ vitæ S. Francisci, quibus vtitur Ecclesia in epistola primæ Missæ in nocte Natiuitatis Domini. Et fortè idcircò illis vsus est, vt ostenderet dignam, nec silentio prætereundam concordantiam inter nascentem Iesum, vt redimeret Mũdum, & nascentem Franciscum, vt Christi Ecclesiam repararet. Ortus Christi totus gratia Dei extitit, totusq; gratiæ Dei filius ipse Christus fuit. *Vir Oriens nomen eius* vocatur *Verbum Caro factum vt habitaret in nobis* apud Zachariam. *Iesus, & vir benè consonant*, explicat Interpres in serm. Dom. 23. post Trinit. *Iesus, ait, Saluator*

Christus totus Dei gratiæ filius.

tor. Ecce vir, *qui virtute sua saluum fecit populum suum*. *Christus à crismate dictus*. Ecce Oriens, *qui illuminat sedentes in tenebris*. *Illius viri manus ipsius est Misericordia*. Hęc Interpres, in quibus dum ostendit Christum & vt Saluatorem, quia virum, & vt illuminatorem omnium sedentium in tenebris, & vmbra mortis, quia vt Orien tē; & vt Christum à Chrismare dictum ob gratiæ Spiritus Sancti vnctionem, & vt misericordem in sua natiuitate, totum pariter ipsum vt gratiæ Dei filium in Virginis vtero ex gratia Spiritus Sancti conceptum, & ex Spiritu Sancto è Maria Virgine natum patefacit. Quare in eius ortu iure meritò canit Ecclesia, *Apparuit Gratia Dei Saluatoris nostri, &c.*

Bellum inter peccatū, & gratiam tēporib. Christi, & Franc. aduentus.

Peccatum & gratia sunt duo inter sese contradictoria, seu contraria perenni certamine ad inuicem pugnantia. Peccatum temporibus aduentus Christi, & Francisci, vnius ad redimēdum hominem à Patre missi, alterius missi à Christo ad suam reparandam Ecclesiam, pari lege contrariorum id operabatur contra Dei gratiā, quod operabatur Dei gratia contra peccatum. *Sanus factus est Homo*, *& sustulit grabatum suum*, Ioann. 5. Idem homo vel redimendus à Christo, vel reparandus à Francisco, in homine illo triginta & octo annos habente in infirmitate sua, intelligendus est iuxta Augustini, & aliorum veterum Patrum doctrinam. Et hoc ratione diuersarum operationū inter peccatum, & gratiam, dum pari hostilitate, natiuoque discrimine ad inuicem digladiantur. Explicat namque Interpr. noster fer. 6 Dom. 1. in principio in hunc modū historiam illam. *Sicut peccatum*, inquit, *habet eneruare vigorem, effugare splendorem, generare torporem, sic diuina gratia habet sanitatem inducere*. Ecce sanus factus est. *Claritatem immittere*. Homo, inquo. *Fœtidam tepiditatem excludere*. Et sustulit grabatum tuum.

Tria facit peccatum, & tria etiam gratia.

Certum est, Gratiam Dei (ortam siue in Christo summo auctore, & filio primogenito Gratiæ, siue in Francisco, quem Gratia Authoris, & primogeniti gratiæ concepit, & peperit veluti secundogenitum in multis fratribus) prædicta tria operata esse contra peccatum. Peccatum enim tum in Mundo redimendo, tum in Ecclesia reparanda eneruarat (imò destruxerat, quantum erat ex parte sua, quæ ad Dei destructionem intrinsecè tēdit) diuinæ pietatis vigorem. Effugarat clementiæ splendorem. Genuerat maximum torporem circa omnimodam legis, & mandatorum Dei obliuionem.

Peccatum quam destructiuū fideliū temp. ortus Franc.

Ratione huius pugnæ, in qua gratia diuina militat contra peccatum, tum Sanctorum Patrum clamores, tum fideliū suspiria, illi in veteri Testamento expectantes Redemptorem, hæc in nouo optantes Reparatorem, toto tempore implorauerunt gratiam Redemptoris in Christo, & gratiam Reparatoris in Francisco.

Gratia redēptionis indiguit mundus in Christo, & gratia reparationis per Franc.

Indigebat enim homo, tunc maximè in gratuitis eneruatus, obtenebratus, fœtidus, vtraque gratia, vt vel redemptus, vel reparatus benignius inuitaretur ad ipsam, salutem sibi inducentem, vtilius regularetur per immissam claritatem, & mentaliter expiaretur, vel consecraretur per exclusam fętidam tepiditatem. Vnde idem Interpres noster fer. 4. Dom. 1. Quadrag. in principio, *Diuinam gratiā*, inquit, *debet homo omni tempore implorare triplici ratione, videlicet*,

1 *Quia homo ad ipsam benigniter inuitatur*, ad illam nimirum procurandam in anima sanitatem, quam dum expulit peccatum, ipsam potentissimè eneruat.

Diuina gratia omni tēpore ob tria implorãda.

2 *Quia ad ipsam vtiliter regulatur* sui splendoris radiis, quos vbi effugat peccatum, aduersus omnem regulam, siue legis Dei, siue conscientiæ vt cœcus irruit homo.

3 *Quia ad ipsam mentaliter expiatur, vel consecratur*. Prius namque peccatum torporis fœditate templum Dei, quod est ipse homo, spurcitiis suis sacrilegè profanarat.

Apparuit ergo gratia Dei ex oriente Christo, primogenito gratiæ Dei, adnascēte Frāc. secundogenito gratiæ Dei. Ortus est enim Christus vt gratiā Redēptionis ceu author gratiæ elargiretur mundo. Ortus est etiam Franciscus, vt gratiam Reparationis ex mandato Redemptoris, ceu authoris gratiæ Dei, & primogeniti gratiæ Dei humillimus seruus effunderet Ecclesiæ. Et dum in vtriusque ortu apparuit hæc gratia Dei, tria operata est contra peccatum in animabus, vel à Christo redemptis, vel à Francisco in Christo renouatis. Hæc tria possunt esse illa, de quibus Interpres feria 5. in capite Ieiunii in principio. *Gratia diuina*, inquit, *tria habet facere in anima. Culpam expiare*. *Vitam renouare*. *Mentem confirmare*.

Quomodo gratia Dei in ortu Christi & Francisci apparuerit.

Apparuit denique *gratia Dei Saluatoris nostri* diebus illis, in quibus natus est seruus Dei Franciscu. Nam ad hoc natus, vt esset gratiæ De filius, quomodo eum nuncupat cap. 2. Ionau. in principio suæ conuersionis, vbi pulchra antithesi, qui eum, nomine Perus genuerat, dicitur ab ipso *Pater carnis*. Genitum verò (relicto illius nomine, quod ab ipso acceperat geni-

Franciscus filius gratiæ dictus à Bonau.

genitore) *filium gratiæ* appellat. Ad hoc pariter gratiæ genitus effectus est Franciscus.

1 *Vt Ecclesia, ab eo reparanda venerans in tali Reparatore superaffluentem* Dei misericordiam, ipsius erudiretur exẽplo. Impietatem, & sæcularia desideria funditus abnegaret. Christo, à quo fundata, sed à malis Christianis penè eruta, conformiter viueret; & ad beatam spem desiderio indefesso sitiret.

Euangelicæ perfectionis Antesignanus.

2 *Vt Ecclesia, Euangelico Duce destituta, & à lucis, & pacis via miserrimè aberrans*, respiceret in Franciscum, in quem idcirco tanta Deus excelsus benignitatis suæ condescensione respexerat. Fecerat ipsum Euangelicæ perfectionis professorem, ducem, atque preconem. In lucemq; dederat credentium, vt testimonium perhibendo de lumine, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino præpararet.

3 *Vt Ecclesia, multis in partibus, ac tota nocturnis peccatorũ tenebris obscurata*, inimica Deo, in quem dirum bellum impudenter gerebat *oculos suos in Franciscum dirigeret*, veluti in quandam *stellam matutinam* in medio nebulæ, claris micantem vitæ, & doctrinæ fulgoribus. Nouiter planè exortam, ad dirigendos in lucem irradiatione præfulgida sedentes in tenebris, & vmbra mortis. *Franciscum intueretur* veluti *peregrinum quemdam Arcum præfulgentem inter nebulas gloriæ* Signum in se Dominici fœderis repræsentantem.

Multimodè tenetur ecclesi. inspicere in Franc.

Pacem & salutem euangelizantem hominibus. *Franciscum cerneret* veluti & ipsum *nouum Angelum veræ pacis* existentem secundum imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris, in cuius ortus nomine (quo etiam fuit Franc. vocatus in baptismate à matre, scilicet Ioannes) nomine, inquam, & re gratia Dei apparuit. Nam Franciscus quoque destinatus à Deo, vt viam pararet in deserto altissimæ paupertatis, & tam exemplo, quam verbo pœnitentiam prædicaret. Prophetali quoque repletus spiritu, necnon & Angelico deputatus officio (iam ante supernæ gratię præuentus donis, dehinc virtutis inuictę adauctus meritis) incendio Seraphico totus ignitus, *& vt vir Hierarchicus*, de quo paulò infra, Curruque igneo sursum vectus, ipsum venisse in spiritu, & virtute Eliæ Orbis comprobauit vniuersis.

Franc. Angelus Apoc. 7. descẽdens ab ortu Solis.

4 Vt demum Ecclesia, quæ signũ Dei viui, quod Christus viuus per vulnera, & clauos in Cruce acceperat, perdiderat, iam à suorum filiorum mente obliteratũ, intelligeret, designatũm ipsi fuisse Franciscum sub similitudine illius Angeli, de quo Apoc. 7. scilicet ascendentis ab ortu Solis, signumque Dei viui habentis. Quo signo passionis Christi memoriam, in suis deperditam, per impressam in carne sui Reparatoris visibilem, profundamque vulnerum, & clauorum signaturam, mirabiliter renouaret. Hęc omnia scripsit Bonau. in prologo veluti cõsequentia illius, quod præposuerat principio illis verbis, *Apparuit gratia Dei*, &c. Respiciens vtique ad ea, per quæ talis Dei gratia, quæ apparuit in ortu Christi, nasci voluit Franciscus. Quæ autem in præsentialibus scribere nunc intendo, & nonnulla noua, ac peculiaria arcana simul patefacere; ad tria argumenta, iam præsignata in huius capitis titulo, reducere consului. Cuius primum respiciet locum, ad quem cælitus annunciatus vt nasceretur, & quo natus Franciscus, & ab vtero matris suæ effusus. Secundum, Principes sub quibus natus. Tertiũ, tẽpus, & signum sui ortus.

Tria sequẽtibus tractãda veniũt

SECTIO I.

Franciscus Assisias, peculiarissimus gratiæ Dei filius, natus est in Præsepio in medio duorum animalium. Ibi namque, Dei Legato id admonente, Pica Puerpera primogenitum suum enixa est, tribus Hierarchijs, Diuina, Angelica, & humana simul collætantibus, Satanica verò Monarchia summè è regione sese attristante.

E*T ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocẽ similem omnibus emisi, plorans, &c.* Sap. cap. 7. Sequens Interpres noster analogiam suam cõceptus naturalis cum conceptu spirituali, quam libro antecedenti fusè, ac fundamentaliter cum ipso enucleauimus, perueniensque ad tempus partus vtriusque concepti, ita scribit loco citato serm. 2. Dom. 3. post Pascha. *Et quando embryo parturiretur, subito vadit manibus ad os, &c.* Embryo, vt diximus, fœtus est in vtero conceptus, antequam lineamenta suæ speciei accipiat, quod ferè solet accidere circa quadragesimum secundum à conceptu diem. Sed Interpr. per illud aduerbium *quando*, futuro tempori ab eo directũ, demonstrat embryonem,

Fœtus ad perfectionẽ redactus subito manib. vadit ad os.

nem, seu conceptum fœtum, & iam ipsum ad suam perfectionem redactum, & ad tempus quo parturiretur. Cur autem subitò vix editus fœtus humanus vadat manibus ad os, reddit rationem inferius in concordantia fœtus spiritualis cum naturali, illis verbis, *Et cum paritur, subito vadit manibus ad os. Per hoc signatur, quod quilibet sua natiuitatis memor debet manum superponere ori suo, ne delinquat in lingua sua. Quia vt dicit Salomon Prou. 21.* Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustia animam suam, &c.

Fœtus vix editus cur ad os manibus vadat.

Memoria humanæ natiuitatis in ortu infantuli per illam impositionem manus ad os, os ipsum patefacit in priori voce, inter clamores & fletus pronunciata, vt ait Rex Salomon, *& primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Prima enim vox illa est, quæ in puerorum abecedario princeps est apud Hebræos, Græcos, Latinosque, eamque Hebræi *Aleph*, Græci *Alpha*, Latini *A.* nuncupant. Puellæ autē nascenteshaud A primum pronunciant, sed E. Lyranus apud Glossam postillarē. *Masculus nascens, gemendo profert A. fœmina verò E. Quasi conquerentes de primorum Parentum transgressione, propter quam nascuntur filij, & filia ira, & miseria. Vnde versus,*

Masculus nascens profert A. fœmina vero E.

Omnis masculus A *nascens*. E *fœmina profert*.
A *dat Adam genitor*, E *dedit Eua prior*.

Dum ergo vix natus infantulus, vixque infantula exorta vadunt manibus ad os, osq; infantuli A. illud verò infantulæ E. statim emittunt plorantes, instruuntur ab ipsa natura, vt memores sint Adæ, & Euæ linguarum. Parentum enim primorum lingua tum esu fructus prohibiti (gustus enim in lingua est) tum excusatione circa patratum scelus peccauerunt contra Dominum.

Primam ergo vocem omnibus cōmunem, quam emisit Franciscus in ortu suo, A. extitit. Cum illa egrediens ab vtero matris pariter & ab ipso pietatem traxit, quæ pietas prior fuit in infantulo, quam ploratus, vel si non prior, saltem cum ipso: Litera A. in Alphabeto princeps; erat apud Romanos boni ominis nota, dicebatur enim litera salutaris. Cicero pro Milon. Erat enim nota *absolutionis*, sicut C. *condemnationis*. Natus est Franciscus, vt esset Legislator, & Reparator Euangelicus, liberansque ab illis ligaminibus, quibus soluerat Satan omnia mala, vt ipsam sic ligatam, pedibusque, manibusque catenis ferreis constrictam, in postremum excidium securè impelleret.

Litera a nota salutaris est.

Igitur in eius ore gignens eum Natura posuit cum oculorum prolatu literā A. vt nunquam sui ortus obliuisceretur, memor omnium ærumnarum, quas Adam, ore, & lingua dupliciter peccans, intulit posteritati. Gratia autem Dei parturiens Franc. annunciauit per primam ipsius vocem bonum omen Ecclesiæ, lachrymosis oculis, oreque Apostolico ab eo salutariter absoluturæ.

Fra. per primas voces, & lacrimas bonum omen annunciauit Eccl.

Hanc, ni fallor, meditationem annuere voluit Bonau. in prologo, vbi propriè introducens se ad opus illud legendæ condendum cum præfatis verbis Apostoli. *Apparuit gratia Dei, &c.* ortum Francisci mirabili arte, paucis verbis, plurimisq; arcanis refertum, videtur haud obscurè indigitare. Explicans verò literaliter apparitionem, & aperitionem sexti sigilli, intelligensque per Angelum, ascendentem ab ortu Solis, habentemque signū Dei viui ipsum Franciscum, subdit in specie pro maiori huius veritatis robore illa verba, *Ad quod quidem fideliter sentiendum, & piè, non solum inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum; & planctum, &c.* vt supra. Officium, quod habuit Franciscus fuit circa trium Legum institutionem, vt sic, & ceu Angelus ascendentis ab ortu Solis, & ceu Apostolus nouus, ab ipso Christo immediatè mittendus, simul cum Lege Euangelica triformiter repararet Ecclesiam. Quare primam vocem emittens in ortu per literam A. ipsum declarauit & Angelum, & Apostolum salutarem, à quo, flente vix nato, ad fletū & planctum à fletu suo, & planctu suo vocari debebat Ecclesia.

Litera A. quam primò emisit Fran. quam salutaris eccl.

PVNCTVM I.

Patria ortus Frācisci Assisium, Vrbs Vmbrica, in parte orientali sita.

B. Bartholom. Pisanus noster per illa verba, *ab ortu Solis*, vnde ascendere debebat Angelicus vir Franciscus, haud immeritò intelligit duo, scilicet Christū Iustitiæ Solem, & istud misticè, & Vrbem Assisiatem exorti infantuli patria, & istud iuxta chorographiā Prouinciæ Vmbriæ. Sic legitur apud ipsum lib. 1. Conform. fructu 1. pro secunda parte, vbi prophetiam, seu reuelationem de Francisco ex Apocal. 7. annectit cum postremis verbis cap. 6. quæ etiam spectant ad sexti sigilli aperitionem. Exinde infert statum miserabilem totius Ecclesiæ tempore Federici II.

ci II. necnon & Francisci ad reparandam Ecclesiam missionem. Cum autem hunc eundem Ecclesiæ statum in præcedenti libro sub aliis figuris sufficienter retulerimus, solum hic aduertimus Lectorem, Pisanum ibi in hoc confundisse historiã; quod Summi Pontificis Alexandri Tertii, arripientis ad Venetos fugam haud persecutionibus Federici I. sed tyrannidi Federici II. attribuerit. Electio Federici II. in Romanorum Imperatorẽ contigit post annos 30. scilicet anno Christi 1212. post obitum Alexandri III. anno 1181. defuncti. Paritas forsan inter alterum & alterum Federicum potuit faciliter decipere Pisanum, licet possint eadem Federici II. tempora ad ortum Francisci referri, imò ad illius conceptionem, vt iam diximus. Ex quo enim incepit Francisci, siue concepti, siue exorti vita (imò ex quo siue ante nouum Testamentum, vel in veteri, vel in sibillinis oraculis, siue in nouo, & in aliis probatis Scripturis vaticinata) ad omnem tyrannidem Ecclesiæ vsque in Mũdi finem, primò à præcursoribus Antichristi excitatam, postremò ab ipso Antichristo excitandam, reperitur ordinata.

Mendum historicum corrigendum.

Igitur Pisanus expendens verba illa Apocalip. *Ascendentem ab ortu Solis* circa personam Francisci, ita interpretatur. *Sed vnde venerit?* scilicet Franciscus. Ad quod respondet dupliciter. *Dicit Ioannes*, ait, *quod ab ortu Solis: quia à Sole Iustitiæ Christo transmissus. Vel ab ortu Solis, quia de Ciuitate Assisy, ad ortum Solis posita*. Vtraque responsio consona admodum videtur illis aliis verbis, *habentem signum Dei viui*. Signum apud Scriptores Latinos multiplicem habet intelligentiam, etsi sit parua quædam nota, indicans totius rei qualitatem, teste Donato, ad illud Terentianum Arid. *Vide num eius color pudoris signum vsquam indicat*? Et Ouid. 2. Metamor.

Signũ quid proprie sit, & ad quæ referri possit.

Sed silet, & læsi dat signa rubore pudoris.

Signa etiam ad salutem sunt apud ipsos prognostica. Sunt & notæ illæ, quæ pecudibus inuruntur. Hinc duodecim *illa sidera*, quæ in Zodiaco animalium figuris imaginamur, signa dicuntur. Sunt enim notæ quædam, quæ ad naturam Solis referuntur. Eorum nomina sunt. Aries. Taurus. Gemini. Cancer. Leo. Virgo. Libra. Scorpius. Sagittarius. Capricornus. Item signum dicitur Vexillum ab effigie animalium, quæ in vexillis fieri consueuerunt. Statuæ quoque, & sigilla, & miracula, & alia sub signi nomine venire solent. Signum pariter, & signaculum pro eodem solent vsurpari; Licet signaculum sit nonnunquam veluti effectus sigilli, quod est diminutiuum à signo. Propriè autem signaculum, quocumque modo effectum, & à quacumque causa ortum habens, est signum alicui rei impressum vt lateat, quousque reseretur. Quod benè explicauit etiam Interpres super illud Iob, loquens de sanctis viris. *Et stellas clausit quasi sub signaculo*. Quid simile item dixit super Cãt. 8. de Christo, habente signum Dei viui, cum esset Deus, & homo: cumque ceu summi Amoris sui miraculum in quinque plagarum signis, veluti in suæ passionis vexillo, vt essent salutis prognostica, exprimente sponsæ suæ animæ dilectæ, illis verbis. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*. Explicat enim, vt dictum est superius, *In corde voluntas, in brachio notatur operatio, quæ duo signaculo passionis Christi debent insigniri*. Istud tamen insigne tam interius, quam exterius debet esse signaculum, scilicet secretum, ne videat dextera tua quid faciat sinistra tua, &c.

Cur 12. Zodiaci sidera signa appellentur.

Discrimen inter signũ, & signaculũ.

Signum filii Dei viui ab ortu Solis, vbi conceptus, & natus, & Cruci affixus ascendit; nam vbique ab ortu vsque ad obitum exaltatum fuit. Oriens Franciscus veluti Angelus ab ortu Solis Iustitiæ, scilicet ab ortu Christi ascendit. Ortus nãq; Christi insignia tulit ab ipsa sua natiuitate. Ab hac incipiens Christo suo Frãc. assimilari, vt mox videbitur, incepit quoq; ab illis signis, ac mirabilibus, quæ prognostica euidentia fuerunt, ipsum talem futurum in Ecclesiæ reparationem, iuxta possibilitatem puri hominis, qualis ab ortu suo vsque ad signa passionis suæ Christus extitit, redimens Mundum.

Signa, siue insignia ortus Christi explicuit ab ortu suo Frãcisc.

Alio modo. Ascendit ab ortu Solis nascens Franciscus, *quia de Ciuitate Assisy, ad ortum Solis posita*. Immò & Vrbi Orientali Ierusalem conformi, vt scribunt aliqui apud Vadingum in App. ex quo ipse leuiter, ac transeunter adnotaui in primo Tomo Hierarch. fol. 17. & 19. Sed in tom. 2. fol. 421. vbi Assisiatem Ciuitatẽ nuncupo nouam in Occidente Ierusalem, quæ scripsi haud existimo contemnenda. Nonnulla etiam arcana legi possunt in 3. tract. huius operis, vbi de D. Clara, nec vt puto vulgaria, neque à re præsenti aliena. Inferius etiam ad punctum 3. §. 4. fortè pandemus Vrbem Assisiam in Mundi speculo, scilicet Francisco ita nuncupato in inscriptione liminari Sacelli ibi erecti, vbi prius erat stabulum, quo natus vir Seraphicus in medio duorum animalium. Ascendit ergo ab ortu Solis Franciscus non solum quia

Vrbis Assisii præconia

Vrbs

Vrbs vnde ascendit ad ortum Solis in illa Vmbriæ regione sita; sed quia etiam ipsa Vrbs Assisias similitudinem Vrbis orientalis Ierusalem positione sua, & ambitu suo haud parum conformis videtur.

Regio Vmbriæ vmbrā patefecit in ortu Franc.

Ipsa quoque Regio, seu Prouincia Vmbriæ in statu ecclesiastico cum in nomine vmbram exprimet, & in significatu (tempore maximè natiuitatis Francisci) vmbram illam indicarit, illud suo modo verificari fecit in Francisci ortu, quod in Christi ortu canit Ecclesia ore Isaiæ ex cap.9. *Populus*, inquiens, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitatibus in regione vmbra Mortis, lux orta est eis.* Magna lux claruit in ortu Christi, & in ortu Francisci. Sed lux in Christi ortu magna ex se per excessum infinitum. Lux verò in ortu Francisci magna in Christo, & per Christum,& per accessum ad ipsum maxima similitudine eminens, quāuis infinite à luce Christi recedēs.Illa lux essētia magna,& primò, & nouissimè magna in Redemptore Deo,& homine.Hæc participatione,magna in Reparatore, puro homine, & à primo, & nouissimo prima, & nouissimaeffecta, quia in pluribus vnica,adhuc aliquam aliam lucem sibi parē non vidit Ecclesia.

Magna lux in Fran. ortu exorta est.

Hac magna luce,in oriente Prouinciæ Vmbriæ exorta, interpretationem, quæ fertur de *Ierusalem*, vbi dicitur *visio pacis suæ*, in significatione suæ similitudinis Vrbs quoque deferebat Assisias in Franc. ortu. Nam tota Ecclesia, quæ Ierusalem militans etiam dicitur, videns, & admirans postea lucem magnam,in Francisco ex Vrbe Asisias exortam,*Visionem* quoq; *pacis suæ* hic in terris intuita est, per quā reparata est. Per quam, scilicet, cessante criminū,scelerū,errorum,tyrannidumque bello, in quo reperiebatur, sub Seraphicæ, Apostolicæque lucis ductu in viam pacis, & cælestis pacis visionem pedes filiorum suorum direxit, prout hucusque dirigit,dirigetque postremò contra ipsum tenebrarum principem Antichristum, à tot, tantisque præcursoribus longè antè præmonstratum. Ad hæc apertè faciunt verba Bonau. ex duobus locis. Priora verba sunt illa, quæ rescripsimus ex prologo, & spectant ad ortum Francisci, vt diximus. Incipiunt. *In ipsum namq; &c.* & terminant, *per admirandam potentiam spiritus Dei viui*. Ibi namque legimus,datum esse ab ortu suo Franciscum *in lucem credentium, vt testimonium perhibendo de lumine,viam lucis, & pacis ad corda fideliū Domino prœpararet*. Ibi exortum eum reperimus quasi *stellam matutinam in medio nebulæ*, claris inde vitæ micantem, & doctrinæ fulgoribus sedentes in tenebris, & vmbra mortis irradiatione præfulgida dirigentem in lucem.

Orta lux Franc ad totius Eccl.directionem.

Demonstratur ex verbis Bonau.

Ibi quoque propter duo natum Franciscum audimus, primum vt *tamquam arcus refulgens* inter nebulas gloriæ signum in se Dominici fœderis repræsentaret.Pacem & salutem euangelizans hominibus. Secundū,veluti ex illo priori consequens, vt & ipse infantulus existeret postea debito tempore *Angelus veræ pacis*, secundū imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris, &c.Ibi demum noscimus omnia, eò scripta à Seraphico historico, reducēda esse ad aperitionem sexti sigilli, quando vidit Ioannes *alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui, &c.*

Id monstrauit visio super ædiculā de Portiuncula.

Posteriora Bonau.verba, quæ superius libro antecedenti retulimus, sunt ad finē secundi capituli *in illa visione super Domum Portiunculæ, super quam ingens de Cælo splendor adueniens, seque vndique diffundens* per innumeros homines, cœcitate percussos, facie in Cælum directa, & genibus flexis in huius Ecclesiæ stantes circuitu (qui omnes prætensis manibus in altum, lachrymabiliter clamantes ad Deum, misericordiam postulantes, & lumen) *vnicuique lumen imbuit, & salutem desideratam concessit.* Ad hæc, quæ statim subdit, vt verificatum ostendunt clamorē Angeli,ascendentis ab ortu Solis, de quo sic in textu cap. 7. Apocal. *Et clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens, nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorū.* Inquit enim sic. *Hic est locus, in quo Fratrum Minorum Ordo à S.Francisco per diuinæ reuelationis instinctum incboatus est.* Reparationem Domus suæ mandauit Christus Francisco *in Domo S.Damiani*. Reparatio Ecclesiæ inde incepit è Domo Virginis. Quotquot in huius Domus circuitu clamabant ad Deum, misericordiam postulantes, & lumen, denotabant Catholicæ Ecclesiæ clamores, optantes a Deo per Matris Virginis intercessionem remedium, ne amplius adeò cęcè Christiani Christi fidem in interitum præcipitarent. Et quia exorta erat lux Francisci in regione Vmbriæ ad plagam orientalē Ciuitatis Assisii, & diffundenda primario erat ad omnem Ecclesiam per institutionem Ordinis Minorum, ideo conueniens fuit, vt in eo loco exaudirentur Ecclesiæ clamores, Deus ex Iudice mutaretur in Patrem, cœci sanitatem, & lumen reciperent, ex quo Ecclesiæ reparatio exordia susciperet. Satis de priori loco,

Repar. Domus Dei in eccl. S Damiani mādata Franc.

co, vbi natus Franciscus, qui fuit Vrbs Assisias.

PVNCTVM II.

Locus proprius ortus Francisci præsepium, seu stabulum fuit, Domui suæ vicinum.

Fran. primo genitus in multis fra. trib. repar. eccl.

PRæcipuum, singulatéque admodum locum, in quo Domina Pica enixa est, effudens non solum primogenitum suum, & hæredem domus suæ, sed etiam domus Christi (qui in eam reparandam primogenitum constituit in multis Fratribus, & suorum vulnerum, & clauorum primum hæredem Franciscum) extitisse *præsepe*, seu *stabulum*, vbi erant *Bos*, & *Asellus*, communiter fertur. Quam veritatem Scriptores plurimi, teste Vadingo in apparatu, concorditer fatentur, commendantque simul, vt par est, altissimum Diuinæ Prouidentiæ consilium, dum etiã à stabulo, à quo exordia suscepit Redemptoris vita, & vitam Reparatoris Ecclesiæ suæ incepisse demirantur. Angelus Domini, Dominique sui Legatus formam, speciemque peregrini mendici assumens, accedensque ad ostium palatii, vbi Domina Pica doloribus peracerbis vsque ad mortis periculum cruciabatur, vt pareret, nec tamen poterat parere, monuit ipsam per illius ancillam, certioremque effecit tum de periculi euasione, tum & de celeri ac felici editione prolis, si tamen aliquod vicinum stabulum quæreret, quia ibi, & nõ alibi fętus gignendus nasciturus erat. Quod cum Pica absque mora id fecisset, vixque stabulum domus suæ vicinum, vbi erat fœnum, & duo animalia prædicta, intrasset, superque iacuisset, fęnum, aluo, & animo grauescens, & plus angoribus, & doloribus pressa, mira celeritate, & sine fere vllo labore, vel aliarum fœminarum adiutorio, Franciscum enixa est. Adhuc iure mutatum in sacellum (vt aliquo pacto assimilaretur stabulo, in quo natus Christus) extat illius stabuli Franciscani memoria, ita literis aureis in superiori ostii lapide sculptis expressa. *Hoc Oratorium fuit Bouis, & Asini stabulum, in quo natus est Franc. MVNDI SPECVLVM.*

Angelus sub forma peregrini.

Stabulum, in quo natus Franc. mutatum in sacellum.

In Angelo illo, Dominæ Picæ intra Præsepe in medio duorum animalium Francisci ortum suadente (id quod de nullo alio Institutore Religionis adhuc legitur) erant tria, nimirum Persona, propria ipsius Angeli. Persona impropria, seu fantastica in illo corpore assũpto sub aspectu hominis peregrini. Et officium, siue exercitium mendicandi.

I.

Persona propria Angeli, suadentis Dominæ Picæ ortum Francisci in stabulo. Indicantisque tum cælestis & creatæ, tum supercælestis, & increatæ Hierarchiarum ob illius nouum ortum gratulationem.

QVantum ad personam propriam, Angelus ille totam Hierarchicham Spirituum supernorum Rempublicam, nouem ordinibus distinctam, tunc proculdubio præsentasse haud inconsultò coniecto. In ortu namque Francisci, *vir Hierarchicus* natus est, inquit Bonauent. loco allegato in prologo. Quid autem denotet talem encomium, profundissimè, ac æquè proprijssimè de Francisco pronunciatum, perquirendus eius intellectus (& quidem alius ab illis, quos superius posuimus) perquirendus, inquam ex eiusdem Bonauenturæ doctrina in op. de Ecclesiast. Hierarchia cap. 1. pat. 1. Cũ secundum Dionysium, inquit, Hierarchia sit sacrarum, & rationalium rerum ordinata potestas, debitum in subditis retinens principatum; manifestum est, *triplicem esse Hierarchiam, secundum triplicem ordinatam à Deo potestatem, scilicet Diuinã, Angelicam, & Humanam.* Est itaque

In Angelo D. Picæ misso tria contemplanda.

Prima Hierarchia supercelestis, siue Diuina, quæ consistit in tribus increatis Personis. Huic statim subdit.

Secunda est cælestis, siue Angelica, quæ completur in bonis Angelis, & Beatis.

Tertia est subcælestis, scilicet Humana, quæ in prædestinatis hominibus perficitur, & præcipuè in Prælatis. Hæc Bonau. qui statim ordinans Hierarchiam humanam per correspondentiam ad Angelicã iuxta tres ordines saluandorum, scilicet Religiosorum, Prælatorum, & Actiuorũ, priori ordini constituit figuraliter *Danielem*, veluti typum claustralium, contemplationi addictorum, ac virtuti abstinentiæ, non solum ab illicitis, verum etiam à licitis. Posteriori *Noemum*, Arcæ gubernatorem, qui formam gerit Prælatorum, assignat. Postremo verò ordini proponit *Iobum* veluti cętus actiuorum, & coniugatorum symbolum circa pietatis, & misericordiæ opera. Iob enim fuit coniugatus.

Hierarchia triplex, supercælestis, cælestis, subcælestis.

Itaque ex hac Bonauenturæ doctrina in Diuina Hierarchia *Deus*, in essentia vnus, & in Personis trinus, erit in seipso

per

per essentiam, & ex seipso ordinatis processionibus *supercælestialiter Hierarchichus.* In Angelica Hierarchia, tribus Hierarchijs distincta, & nouem Ordinibus compacta, totus ille Beatorum Spirituum *cætus* erit à Deo, & in Deũ *calestialiter Hierarchichus.* Demum in humana Hierarchia *Populus Christianus* saluandus erit in ordine ad Hierarchiam Angelicam quoad gestorũ conformitatem (& ad Hierarchiã Diuinam tum quoad summum exemplar, tum quoad fruendorum originem) *subcalestialiter Hierarchichus,* & Hierarchichus tripliciter.

Populus christianus in vita religiosa summè hierarchichus.

Hierarchichus primò, quia si ex ordine claustralium, & Religiosorum est, primis ordinibus Hierarchicis, in quorum 1. Seraphim. 2. Cherubim. 3. Throni, assimilabitur. Angelis horum trium ordinum (ait Bonauentura loco cit. ad finem) qui officio, & dignitate sunt cęteris sublimiores, comparabiles sunt viri summæ perfectionis, Religiosi videlicet, & claustrales. Qui tanto maiores meriti æstimantur, quanto ad altiorem vitæ perfectionem ex voti proposito obligantur. Et ideò nomen, & officium Angelorum, qui Deo sunt viciniores, sibi vendicant. Qui amoris incendio inflammati, ac sapientiæ dono præditi, diuinæ iustitiæ se conformant. Vnde dicuntur

1 *Seraphim*, idest ardentes, vel incendentes, propter incensionem, & feruorem Charitatis.

2 *Cherubim* propter plenitudinem cælestis sapientiæ, & cognitionem diuinę veritatis.

3 *Throni* verò propter amorem iustitiæ, & perpendiculum æquitatis.

Hierarchichus in pręlatione, sed minus altè.

Hierarchichus secũdò erit Populus Christianus saluandus. Si est de ordine Prælatorum triplicem ordinem Hierarchichũ secundæ Hierarchiæ per expressam similitudinem repræsentabit. Nam (inquit Bonau. ad fi. cap. 4. par. 1.) media Hierarchia continet Dominationes, Virtutes, & Potestates, secundum Dionysij ordinationem. Nam *Dominationes* vsum dominandi edocent. *Virtutes* vigorem conformandi se Deo inferioribus viriliter exhibent. *Potestates* malitiam aduersariorum cohibent, atque arcent. Istis tribus Angelorum ordinibus, quorum nomina sonant in dominium, virtutem, & potestatem, omnis prælationis authoritas correspondet.

Omnis prælatio est propter tria.

Nam omnis Prælatio est propter tria principaliter à Domino ordinata. 1. Quia per ipsos vult Deus homines per fidem veritatis, & mores sanctitatis ad Dei similitudinem reformare. 2. Vel lites rescindere, ac discordes ad concordiam reuocare. 3. Aut coercere rebelles, & malitiam reformare.

Ad morum disciplinam, & correctionem est instituta *Dignitas Sacerdotalis.*

Ad reformandam concordiam inter homines, & pacem conseruandam ordinata est *Authoritas iudiciaria.*

Triplex authoritas.

Ad malitiam coercendam concessa est *Potestas sæcularis, Imperialis scilicet, & regalis.* Prima auctoritas est purè spiritualis. Tertia est purè temporalis. Sed media est mediocris, scilicet partim spiritualis, partim temporalis.

1 Illi igitur, qui præeminent *in ministerio Pontificali*, siue *Sacerdotali* assimilantur *Ordini Dominationum.*

2 Qui verò ex officio præcellunt in authoritate iudiciali, conformitatem habent cum *Ordine Virtutum.*

3 Sed qui altiores transcendunt in potentia sæculari, cõfigueantur *Ordini Potestatum*, &c.

Hierarchichus infimo loco in subiectione.

Hierarchichus tertiò erit Christianus Populus saluandus, si est in illo infimo ordine, qui ad statum Actiuorum, ac subiectionis pertinet. Vltima Hierarchia secundum Dionysium (ait Bonauentura in exordio cap. 1. p. 3.) continet Principatus. Archangelos, & Angelos. Et hi tres Ordines referuntur ad statum subiectionis, sicut præcedentes tres respiciunt statum Prælationis. In subditis autem tria considerantur, scilicet *Obedientia* respectu Dei, & Prælati. Et vitæ *Innocentia* respectu sui. Et *Misericordia* respectu proximi. Vt sic viuant iusti quoad ad Deum, & Prælatis, eis exhibendo obedientiam debitam, & reuerentiam. Sobriè quoad se, innocenter viuendo, & conseruando vitæ munditiam. Et piè quoad proximũ, ei liberaliter subueniendo, & impartiendo misericordiam. Vnde qui

1 *Maiorum suorum imperio humiliter acquiescunt*, *Principatibus configurantur.* Qui verò

2 *Vitæ innocentiam seruant, & innocenter viuunt*, *Archangelis assimilantur.* Sed illi, qui

3 *Operibus pietatis, & eleemosynæ sua peccata redimunt, & indigentibus liberaliter subueniunt, Angelos imitantur.*

Subiectio hierarchica circa tria est.

Subditi igitur (claudit Bonauentura) humiles, & verè obedientes Principatibus. Continentes, siue Innocentes Archangelis. Misericordes, & Pœnitentes, Angelis comparantur, &c.

Totus vitæ sæcularis Francisci cursus; infantia, pueritia, adolescentia, & principio iuuentutis terminatus, in illa perbreui, miraque duarum partium synopsi

cap. 1.

cap. 1. Legendæ à D. Bonauent. inclusus Ibi in statu subditi, patri terreno vt filii carnis, sed à laqueis carnis circa lapsus mortales liberi, & Patri cælestis vt filii gratiæ obedientis, adeo vt vir *Hierarchichus* per comparationem ad Principatus, ad Archangelos, ad Angelos inuenitur Franciscus, vt pene antonomasticè illi tale encomium Bonauentura tribuerit. Id quod ex prædictis in libro præcedenti, & etiam prædicendis in sequentibus potest quilibet sibi facillimè persuadere. Dixi antonomasticè respectu circumstantiæ status sæcularis, in quo reperiebatur Frãciscus antequam vocaretur à Deo, & de quo sufficienter est dictum superius.

Franc. vita in sæculo prodigiosè hierarchicha

Igitur vita sæcularis Francisci, a qua incepit per subiectionem esse vir Hierarchichus, excellenter, & prodigiosè Hierarchicha inuenta est ob assiduam præuentionem auxiliorum Dei, de qua ibidem Bonau. Hinc postea vitam huiusmodi congruè ordinauit Deus, vt in prælatione sub Diaconatus ordine (quem ordinans Hierarchiam Eccles. Bon. tertio loco ponit loco cit. cap. 1. par. 1. post Episcopos, & Presbyteros: Deinde ponit Subdiaconos, Acolytos, Exorcistas, Lectores, Psalmistas, Ostiarios) etiam hierarchicè emineret, vt in cunctis ferè sine exemplo reperiretur. Atque eò eminentior in Prælatione fieret, quò subiectior exemplo Christi & videri, & esse exterius, interiusque voluerit. Tertio modo, quam summè Hierarchichus euaserit per supremæ Hierarchiæ imitationem ex se patet.

Idẽ & extra sæculum

Vt vir deinde, triplex & per excellentiam Hierarchichus Franciscus iuxta doctrinam Bonau. (nam alibi ex doctrina Interpretis talem, sed alio modo ipsum diximus) tripliciter quoque Hierarchichus euasit, triplicem ordinem instituendo. Quippe in quolibet Ordine S. Francisci extat vita Religiosa, & Claustralis, licet non ita propriè in tertio ab ipso immediatè fundato. At hic ab aliis postea ad dignitatem clausuræ redactus est. Extat demum in vnoquoque Ordine Franciscano hierarchicha Prælatio. Extat & hierarchicha subiectio. Et denique in vnoquoque vita actiua ancillatur cõtemplatiuæ. Per hanc triplicem Hierarchiam Seraphicam renouata est, ac reparata à viro Hierarchicho Franc. Hierarchia Ecclesiastica, ac per consequens reparatæ sedes trium Hierarchiarum cælestium. Ad has quippè reparandas per Redemptionem, ac fundationem Ecclesiæ, missus est à Deo Christus vt Dominus; sed ad reparandas per renouationem, & restaurationem Ecclesiasticæ Hierarchiæ,

Christus per redempt. & fundat. eccl. reparauit sedes Angelicas, Fra. per reparationẽ ecclesiæ.

missus est à Christo seruus suus Francisc. Id planè demonstrat Bonau. passim cit. ad finem cap. 2. illis verbis, *Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum.*

Angelici Legati D. Picæ missi dotes.

Angelicus ille Legatus, quem vt præcipuum Nuncium suum Dominæ Picæ misit Deus, dotes, & simbola explicabat illius alterius Angeli, de quo Ioannes in Apoc. c. 10. *Vidi alium Angelum fortem, descendentem de Cælo. Amictum nube, & Iris in capite eius, &c.* Hunc Angelum pro Christo, transfigurato in corpore mortali, sumit Interpres noster ser. 2. Dom. 2. in Quadrages. Ipse autem pro eodẽ Christo, etiam transfigurato, sed non amplius mortali, sed glorificato, & à Iudice in Patrem per ortum Francisci mutato nunc accipio. *In Angelo* (inquit Interpres) *notatur plenitudo munditiæ. In alio* (*scilicet à malis, quos anteuiderat Ioannes*) *iustitiæ fortitudo, valetudo potentiæ. In descensu magnitudo clementiæ, &c.*

Angelus præmonens ortũ Franc. in stabulo alio Apoc. Angelo similis.

Illa tria, ab Angelo, de quo nunc sermo, præsentata (prout in Christo indignato aduersus humanum genus tunc erant) nimirum *plenitudo munditiæ, iustitiæ fortitudo, & valetudo potentiæ*, posuerant in illius dextera tria fulmina ad idẽ humanum genus in cinerem redigẽdum. *Plenitudo munditiæ sua* dederat Christi dexteræ primum fulmen contra luxuriosos. *Iustitiæ fortitudo* dederat secundum fulmen contra superbos. *Valetudo potentiæ* dederat tertium fulmen contra auaros. Verum quod quarto loco ostendit Angelus, præmonens ortum Francisci in præsepio in medio duorum animalium, fuit *Magnitudo clementiæ Christi*. Hæc enim transfigurans ipsum à Iudice in Patrem, annunciabat mundo per Legatum suum in nascente infantulo illum virum Hierarchichum.

Huius Angeli legatio congrua fuit

Qui fortè dandus eiusdem Angeli in custodiam, deberet omnem Ecclesiasticam, Christianamque Hierarchiam renouare, ac proinde adimplere reparationẽ sedium Angelicarum, vt posset dicere cum D. Paulo, *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi*, quantum scilicet ad exequutionem, non autem ad superplenam sufficientiam; quia *copiosa apud eum redemptio*.

Qui meritò ab Angelo annunciandus, vt in stabulo oriretur. Nam ipse infantulus ibidem ad similitudinem Christi, seruum suum clementer mittentis, Ange-

lus esse debebat, Iride coronatus,ad eam pacem annunciandam Ecclesiæ, quam Hierarchici spiritus cęlestes in ortu Christi, supercælestialiter Hierarchici annunciarunt Mundo.

Qui ob hanc ab ipso annunciatam pacem lætitia communi tum Ecclesiasticam, tum Cælestem Hierarchiam (iam huius sedes per illius reparationem à viro Hierarchicho, & Angelo Pacis Iride coronato reparandæ) adimpleret. Ad hanc suadendam veritatem statim in apparitione Gratiæ Dei, quam in Christi ortu cantat Ecclesia,annectit duo Bonau. in prologo post ortum stellæ matutinæ in Franc. scilicet Arcum refulgētem inter nebulasgloriæ,& Angelū veræ pacis nuncium, illis verbis. *Et tamquam Arcus refulgens inter nebulas gloriæ signum in se Dominici fœderis repræsentans, pacem & salutem euangelizauit hominibus. Existens & ipse Angelus veræ pacis, &c.*

Arcus cælestis, & nuncupatio Angeli pacis, cur in Fran. immediatè legantur.

Quid autem significare voluerit Bonauentura per illa verba,adiuncta Arcui refulgenti, scilicet *inter nebulas gloriæ*, possumus intelligere ex Interprete nostro paulò ante adducto. Nam vbi explicat de alio Angelo Apocalip.prædicto, qui erat amictus nube, illa verba vltima, *Et Iris in capite eius*, ita scribit loquens de Christo transfigurato, ac glorioso. *Iris erat, idest, vidi eum coronatum dotibus quatuor corporis, in quatuor coloribus Iridis figuratis*. Sunt enim in Iride quatuor colores, correspondentes quatuor elementis. Et figurant quatuor dotes. Homo enim cōpositus ex quatuor elementis, ex quolibet trahit vnam dotem; quando scilicet trahentur elementa ad optimam proportionem. *Nam nunc ignis offuscatur ex aliorum permixtionem. Sed tunc conuerteretur in claritatem. Aer prægrauatur,graui infectus admixtione.Sed tunc cōuertetur in agilitatē. Aqua inspissatur ex turbulenta admixtione. Sed tunc conuertetur in subtilitatem. Terra etiam nunc multis scissuris exposita tunc permutabitur in impassibilitatem.* In hac doctrina nequaquam vult demonstrare Interpres causas efficientes radicales,& primarias, & proximas quatuor dotum corporis glorificati (de qua eò egregius, quo subtilius, & euidentius B.Ioan.Duns Scotus in 4. dist.49.) sed effectus harum causarum, vnde illæ quatuor mutationes iuxta numerum quatuor elementorum deriuantur in corpore glorificato.

Quatuor colores in Arcu cælesti pro quatuor corporis beati dotes.

Christus ponens suæ similitudinis formam, seu imaginem propter modum nascendi in Francisco, se transfiguratum demonstrauit à Iudice in Patrem. Seque Angelum veræ pacis constituit, Iride coronatum inter nebulas gloriæ, amictū nube, ex qua transitur ad cælestem gloriam, quadrifariè ad corpora Beatorum in æternæ pacis Regno transfundendam. Antea enim assiduū scelerum bellū,in suæ fidei,ac religionis destructionem cōmotū belligerantem Deum, & Deum vltionum ipsum constituerat. Et quia agendum erat de renouatione totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quam ipse sanguine suo fundauerat, & consequenter de reparatione sedium Hierarchiæ cælestis, descendit ipse de Cælo per similitudinem in Frācisco suo ceu Angelus fortis, amictus nube, cum Iride in capite suo. Nam Franciscus ceu Arcus cælestis,& veræ pacis Angelus ad debellandam, & expugnandam impudicitiam missus,munditiæ plenitudo sibi à Christo fuit collata. Missus ad debellandam, & expugnandam superbiam, iustitiæ fortitudo per summę humilitatis robur illi pro fundamine totius operis exequendi elargita est. Missus ad debellandam, & expugnandam auaritiam valetudo potentiæ inuictæ, in altissima, ac noua paupertatis vi posita, insueto vincendi modo ipsi primitus concessa ad miraculum. Talis verò Christi descensus sub figura Angeli pacis in Francisci ortu ex magnitudine clementiæ suæ ortum habuit.

Christus quomodo in Franc. ortu transfiguratus ex iudice in Patrem.

S.Fran. plenitudo munditiæ. Iustitiæ fortitudo, Valetudo potentiæ

Congruum igitur fuit, vt Angelus Domini ortus Franc. in stabulo prænuncius esset, tamquam is,qui particeps cum suis cælestibus conciuibus,communis, & nouæ lætitiæ, succedaneos, nouosque euentus, vtrique Hierarchiæ terrestri, necnon & cælesti per Franciscum virum Hierarchichum, ac veræ pacis Angelum auspicatissimos præmonstraret. B.Pisanus noster generaliter,specialiter,& magis propriè ostendens Franciscum in veteri, ac nouo Testamēto simul cum Christo multimodè figuratum, astruit primò ibi in 2.par.fructus, & conformitatis 1. hanc communem doctrinam, loquens de virtutibus, & gratiis B.Franc.& nomine Seraphico illi proprio in Ecclesia. *Insuper, ait, cum in Ordine Seraphico vt in supremo omnis perfectio reluceat inferiorum Ordinum: Ideo B.Franc. qui ipsis Saraphim fuit similis, per ipsos, & eorumdem figuras, & consequenter omnium inferiorum Ordinum, scilicet Cherubim, Thronorum, Dominationum, Virtutum, Potestatum, Principatuum, Archangelorum, Angelorum,potest designari, & figurari*. Hæc ibi Pisanus, in quibus videtur vt vir Hierarchichus cælestiaiter Franciscus,&c.

In cælesti Hierarchia omnis perfectio relucet ex Ordine Seraphim.

Deinde idem Author fruct.3.lib.1.in 2.parte scribit hæc alia, in quibus distinguit

guit duas Hierarchias, alteram cælestem, terrestrem alteram. Circa priorem Hierarchiam (de posteriori inferius) hæc subdit. Ad propositum nostrum, inquit, de ortu, & natiuitate Francisci, tam in esse naturæ, quam gratiæ. Quidam lætificati sunt, ipsum futurum agnoscentes; & hi dupliciter distinguuntur. Quia quidam sunt supercælestes, & superiores, vtpotè cælestes spiritus. Alii sunt inferiores, & terrestres, idest homines. *Superiores, & calestes cum B. Franciscum in speculo illo Diuino cernerent cum suis perfectionibus (ipsum enim non puto eis absconditum fuisse) proculdubio de eius ortu, & aduentu lætati sunt*. Sic constituta Cælesti Hierarchia in lætitia de ortu Francisci viri Hierarchici à Pisano ob rationem præallegatam, confestim distinguit huiusmodi lætitiam in generalem, & specialem. In generalem, quia supercælestes, & superiores spiritus lætati sunt propter quinque. Primò, inquit, in zelo animarum. Secundò in amore ad Dominum. Tertio in obseruantia diuinorum mandatorum. Quarto in puritate. Quinto in abiectione terrenorum omnium. De quibus ipsi in se nihil habent. Ex hac generali Cælestis Hierarchiæ lætitia transit mox idem Doctor ad peculiarem eiusdem exultationē, huiusque pandens causam, ita ordinatè procedit, incipiens ab Ordinibus supremis, & descendens gradatim ad medios, & ad infimos. *Et quia*, inquit, *in agnitione adhibitorum fuit eis similis, & conformis*, scilicet Franciscus. *Et specialiter*

Quinq; motiua generalis lætitiæ cælestis hierarchiæ de ortu Franc.

In Hierarchia suprema lætati sunt

Alia motiua specialia, primo in supremis ordinibus.

1 *Seraphim*, quia ipsum sciebant eorum incendio igniendum, & consortio copulandum: ac in sede Luciferi ipsum pro premio locandum. Prout referatum est Fratri Pacifico, & Fratri Leonardo de Assisio, & Diabolus, vt supra dictum est, confessus est. Si ergo gaudent de aliquo, qui ad eorum ordinem assumitur, & eorũ reparatur ruina: Multò fortius de Beato Francisco, qui ita futurus erat in re quādoque, & aliquando in esse gratiæ. Quia tamen futura sunt eis præsentia, lætati sunt meritò in B. Francisci ortu, & natali.

2 *Cherubim* quoque lætati sunt, eum agnoscendo diuinorum arcanorum mysteriis imbuendum.

3 *Throni*, in ipso præuidentes, Deo præparari habitaculum singulare. Et Deo totaliter vniendum.

In media Hierarchia læta celebrarunt.

Secundo in medijs

1 *Dominationes*, concipientes per ipsum Franciscum carnis supercilium spiritui subiiciendum.

2 *Virtutes*, per ipsum miracula fienda.

3 *Potestates*, per eum intelligendo, Dæmones, & ipsorum virtutem, ac dominium prosternendum.

In infima Hierarchia lætati sunt.

Tertio in infimis.

1 *Principatus*, ipsum Franciscũ Principem, singulari Christi insignitione tam in Ecclesia militante, quam triumphante instituendum.

2 *Archangeli* per eum secreta cælestia hominibus intimanda.

3 *Angeli*, eius prædicatione, & suorum agnoscendo ad Dominum conuertendos. *Quare* (concludit Pisanus) *Beati Spiritus perpendentes in arte prima, & speculo diuinali, per B. Franc. & suos ob prædicationem, vitam, & exemplum Mundum conuertendum, quo ipsorum ruina reparatur, de B. Francisci ortu, & aduentu mirum in modum sunt gauisi*. Hucusque B. Pisanus, cuius excursus innititur doctrinæ Interpretis nostri, vt infra patebit in §. vltimo puncti sequentis.

Omnis Hierarchiarum Angelorum iubilus in Franc. ortu vnde.

Verùm fons, & origo omnis Angelicę Hierarchię hilaritatis vnde in Francisci viri Hierarchici ortu? Nonne ex diuinæ Hierarchiæ summæ Trinitatis, Angelum mittentis, iubilo? *Vltimo* (inquit idem Pisanus ad finem tertii fructus) *cælestis gratulatur, & gloriam recipit ipsa B. Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ex effectibus mirandis in B. Francisco peragendis, & per ipsum B. Franciscum actitandis. Sicut artifex in suo artificiato, & ex eo commendatur, & laudatur, ac in ipso complacet, & delectatur*. Vide inferius §. vlt. puncti 3. præsentis sectionis.

I I.

Persona impropria Angeli in illo corpore assumpto peregrini formam iure meritò patefaciebat.

Peregrinus propriè differt ab hospite.

ET hæc personata in Legato illo cælesti apparentia non caruit suis sacramentis. Vox ista *Peregrinus* vel in sua propria significatione, vel in aliena, & vt aiunt translatitia, seu metaphorica, a Latinis vsurpatur. Primo modo. Peregrinus propriè dicitur aduena, qui extra eam versatur regionem, ita appellatus à pera-

peragrando. Et differt ab hospite, quod Peregrinus simpliciter eum significat, qui in sua Ciuitate non est. Hospes, qui in aliena Ciuitate est, Quæ differentia patet melius ex propria significatione hospitis. Hospes namque ille dicendus, vt differat à peregrino, qui vel alterum hospitio suscipit, vel ab eo excipitur. Propriè autem dicuntur hospites amici diuersarum patriarum, qui se mutuò recipiunt cum alter in alterius patria peregrinus est. Ouid. lib.1. Metam. & Cicer. pro Deiotato. *Per dexteram istam, quam hospes hospiti porrexisti*. Hospes item pro peregrino accipitur, vt apud eundem Ciceronem Acad. 1. paulò infra adducendum.

Peregrinus per translationem

Secundo modo per translationem peregrinus habet quoque duplicem intellectum. Nam primò dum dicimus peregrinas arbores, quæ ad nos aliunde sunt aduectæ, ipsas sic demonstramus veluti à propria regione, vbi plantari solent ac nasci, peregrinari. Secundo vbi exprimimus peregrinas aues, peregrinam faciē, has res idcircò ita nuncupamus, quia à quotidianis nostris auibus, ac faciebus longè aliæ sint; quasque apud nos non sumus soliti videre.

Christus Messias in hoc Mundo dupliciter peregrinus

Messias Christus vtroque pariter modo fuit *peregrinus, & solus peregrinus*, sicut eum nuncuparunt duo Discipuli; quibus se iunxit in itinere Emmaus. Fuit peregrinus primo modo, & quidem dupliciter, scilicet origine, & ortu. Origine, quia eius patria, ac sedes, non terra, sed Cælum erat. *Cælum mihi sedes est. Ego non sum de hoc Mundo*. Ortu peregrinus itidem extitit, quia in aliena terra natus; nam *à summo Cælo egressio eius*.

Item secundo modo peregrinus Christus ipse primus fuit, & solus, & nouus, nec habebit secundum. Ipse namque solus vt homo & Deus redemit Mundum, tradidit legem Euangelicam, fundauit Ecclesiam Catholicam. Hanc quoque peregrinationem suam communicauit in plurimis Francisco, vt à principio sui ortus Reparator Ecclesiæ suæ peregrinus appareret, atque etiam in propria patria ipsi Redemptori Mundi similis. Et ortui Francisci, cui debebat à principio sui esse non patria esse terra, sed Cælum (qui vt alienā terram existimare debebat Mundū etiam in ipso mercaturæ exercitio) meritò in loco alieno, & adhuc inter homines diuites, & ciuiles minimè excogitato præsepium in medio duorum animalium destinandum. Sic quemadmodum Christo, Deo & homini, Mundum redempturo, peregrinanti in vtero Matris extra patriam suā peregrinum extitit pro eius

Communicauit suam peregrinationē Francisco

ortu præsepium: ita Franc. puro homini, Ecclesiā Christi reparaturo, & peregrino tum intra patriam, tum intra Matris aluū effectò, peregrinum fuit stabulum, à domo sua alienum, necnon & ortui suo valde idoneum. *Nos in nostra Vrbe peregrinantes, errantes, tanquam hospites tui libri quasi domum deduxerunt*, legimus apud Tullium supra citatum.

Insuper in forma illa Angeli peregrini Christi peregrini, euntis in Emmaus formam, quam post resurrectionem phantasticè assumpserat, & in hac Christi forma exordia vitæ infantuli Francisci in stabulo bis peregrini, reperio. Vbi Christus se nihil scire demonstrauit de his, quæ circa personam suam facta fuerant in Hierusalem, interrogatus à duobus Discipulis, in Castellum Emmaus euntibus, vnus ex illis, cui nomen Cleophas, dixit. *Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in ea his diebus?* Lucæ 24. Super quem textum ita Interpres noster ad literam serm. fer. 2. Paschæ. Ly, *solus* non facit exclusionem aliorum peregrinorum, cum multi alii peregrini tūc essent in Hierusalem, *Sed notat exclusionem cognitionis ab illo, sic apparente*, vt sit sensus. *Cum multi peregrini venerint in Hierusalem his diebus, mirum est, quod tu solus inter eos ignoras, quæ facta sunt in ea. Beda. peregrinum putabant, cuius vultum non cognoscebant*.

Cur Christus post Resur. solus peregrinus

Christus Dominus patria & moribus, iam natus in peregrino stabulo, peregrinus, & solus peregrinus in Hierusalem semper extitit ab ortu vsque ad obitum. Item & vt peregrinum à se semper tenuit, & vt talem cōtempsit Mundus, quem ipse contempsit, & contemnendum docuit; quia *Mundus eum non cognouit. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*, quomodo poterat esse ciuis Ierusalem, vbi potuit pati, & crucifigi corpore ab inimicis, sed non anima à Satana, qui ad eius deicidiū Pharisæos, & Scribas inuitarat? Corpore, & anima crucifixus fuit cum eo malus latro. Corpore à Iustitia, anima à Dæmone per scelerum carnifices. Verùm ita solus peregrinus extitit moraliter Christus circa vitia, quibus carens, aduena & peregrinus fuit in Mundo, ipsum ob id minimè cognoscente, & contemnente, & crucifigente, vt nullus possit ei substantiuè, & totaliter assimilari, sicut potest comparatiuè, & aliqualiter, vt possit etiam veluti solus, & peregrinus moraliter inueniri, & nuncupari.

Peregrinatio duplex corporalis, & moralis

In Hierusalem, quæ erat Ecclesiæ militantis symbolum, quidquid contumeliæ, passionis, & mortis sustinuit Redemptor

noster

Peccata sũt pharisæi

noster, opera Pharisæorum ipsi contigit. *Peccata* (exponit misticè Interpres serm. fer.3.Hebdom.2.in Quadrag.) *vocari possunt Pharisæi, non solum ratione, qua diuidunt, verum etiam ratione, qua condemnant. Item etiam quia adscribunt hominem familiæ Dæmonis*. Vnde in Ap. 19. vocantur character Bestiæ. Hæc ibi. Et in sermone Dom.de Passione, loquendo de immanitate, moraliter sacrilega Pharisæorum, & Scribarum, scilicet peccatorum, quam committunt in Templo couscientiæ, vbi Christus disputat, & docet, ait. *O quot sunt hodie, qui lapidant Christum, idest salutem, & ipsum fugant de Templo conscientiæ*. Alibi etiam demonstrat in anima, à Diabolo, cuius familiæ ascripta est, spiritualiter per crimina crucifixa, atque in ea simul crucifixum & Christum.

Peregrinatio moralis in Franc. incępit ab ortu suo.

Nascens Franciscus, intra propriam patriam in Matris vtero antea aliquantò peregrinans vsque ad alienum stabulum, ibi in loco alieno vt peregrinus, à principio sui ortus nésciuit, quæ ibi gesta erant, vel fiebant circa plures peccatores: Et quæ Diabolus, circa personam suam maximè eò tutior, vix expleto anno septimo ætatis suæ, quo nascebatur ad mercaturæ exercitium, facere expectabat, Vrbs Assisias & ratione partis orientalis, quò sita est, & ratione ipsius situs figurã Hierusalem (& in ortu Francisci totius Ecclesiæ militantis in toto Orbe diffusæ, & à Francisco renouandæ) præferebat, vt supra dictum est. In educatione inter vanos, ac lasciuos iuuenes diffusus ad gaudia, & intentus negotiis mercaturæ, quam prodigiosè, ac peregrinè Franciscus excelluerit, eo quod *superno sibi assistente præsidio*, lætaliter minimè peccauit, vt colligitur ex D. Bonau. cap.1. Legendarum maioris, ac minoris, superius demonstratum est. Itaque vt peregrinus, & solus peregrinus, natus in alieno stabulo, vt peregrinus etiam, & solus peregrinus à principio extitit circa ea, quæ in Hierusalem occidentali Ciuitatis Assisii, imò & totius Orbis, Caro, Mundus, & Diabolus parabat aduersus animam suam, inhiantes vt eam moraliter crucifigerent in immanibus lasciuiæ, & auaritiæ patibulis. Ipse etiam peregrinus, & solus peregrinus iuxta doctrinam, & exemplum Christi, & Apostolorum iam à principio post emundationem culpæ originalis Ciuis Sanctorum effectus, etsi inter vanos, & lasciuos iuuenes nutritus, & in mercaturæ negociis intentus. Etenim, inquit Bonau.supra adductus, & infra iterum adducendus. *Nec inter lasciuos iuuenes quamuis effusus ad gaudia post carnis petulantiam abijt. Nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, sperauit in pecunia, & thesauris*. Solus deinde peregrinus Franciscus tum ex quo maiori impulsu statuit totaliter peregrinus esse in Mundo per omnimodum contemptum sui ipsius, & rerum caducarum. Nam statim Vrbs Assisias non amplius eum cognoscens, velut stultum luto, saxis, clamoribus eum pertractauit. Tum postea vix incepta ab eo vita regulari, in condenda Fratr.Min. lege, in qua scripsit illa verba. *Sint aduenæ, & peregrini*.

Quam peregrina in Frãcisco moralis peregrinatio in vita sæculari

Quando verè in patria sua peregrinus Franc.

Tum demum eo modo, quo exposuit Interpres ex Beda, quia in illa forma, quam ex triplici Christi mandato assumpserat, vt repararet Domum suam, adeò ceu peregrinum, & nouum intuitus est eũ Romanus Pontifex, vt expulerit illum à se indignanter, peregrinum putans, cuius vultum interiorem nequaquam tunc cognoscere poterat, sicut paulò post cælesti visione monitus, perfectè cognouit.

Solus peregrinus in patria sua Frã. nascens in stabulo

Et vt paucis cunctam Francisci ab ortu vsque ad obitum peregrinationem, qua actis, & gestis solus peregrinus fermè in omnibus tanquam vnicus typus Christi, visus est, concludam: *vt solus peregrinus in sua patria, natus est in stabulo in medio duorum animalium*. Nam sicut Christus sic quoque natus est, vt ceu in omnibus rebus suis solus peregrinus redimeret Mundum; ita Franciscus, vt in Christo, & cum Christo, solo peregrinante ab vtero Matris suæ, repararet Christi Ecclesiam, & ob id in gestis suis peregrina quadam assimilatione esset Christi peregrinus imitator. Natiuitas peregrina Redemptoris respondit peregrinæ morti per crucifixionem, qua redemptio consummanda erat. Illa contigit in Præsepe Bethlemitico; hæc super Caluariæ montem. Pari modo alibi peregrinatus est Franciscus, ortus in stabulo intra Vrbem Assisium, à qua in vtero Matris adhuc clausus peregrinatus est, Alibi deinde crucifixus ab ipso Christo, scilicet super Alueruiæ montem. Peregrina illa natiuitas tum circa locum, tum circa modum nascendi, peregrina quoque crucifixio circa vtrumque. Iure ergo Angelus ille Legatus peregrini formam assumpsit, vbi quæ tractare debebat, circa illum infantulum versabantur, qui vt aptus esset in reparanda Christi Ecclesia, ab ipso loco ortus sui vsque ad vitæ finem solam Christi Redemptoris peregrinationẽ imitari debebat.

Peregr solus cum Christo Fran. in Assisio, & Aluernæ monte

Hanc certè peregrinationem explicare voluit Bonauentura in cap.14.vbi agens de patientia Francisci, & transitu mortis,

& hora

& hora illa extrema Parentem, & Legislatorem suum nudum super terrã, manu sinistra thesaurum pectoris sui, scilicet laterale vulnus abscondentem, profunda mente contemplans, sic accensus corde, & lacrymosis oculis admirabundus prorupit. *O verè Christianissimum virum, qui & viuens Christo viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari.* Francisci vita extra Matris suæ vterum à loco alieno, & à stabulo incepit, ac per consequens inde sola incipiens esse loco, & natiuitate peregrina cum sola vita peregrina Christi, in alieno stabulo quoq; exorti, consentaneũ fuit, vt ex quo incepit viuere, vt Reparator fieret Ecclesiæ, & viuens Christo, viuenti vt redimeret Mundum, & moriens morienti, & mortuus mortuo eò peregriniùs assimilaretur in omnibus, quò perfectiùs studere debebat, ipsi in cunctis conformari, & expressa illius promereri similitudine decorari.

Vita Franc. ab eius ortu incepit esse peregrina

III.

Angelus ille, Dei Legatus, & peregrinus, meritò quidem vt mendicus videri voluit.

MIsit Nuncium suum Deus *ad Virginem desponsatam Viro*, vt annunciaret illi, Dei Filiũ è suis visceribus carnem assumpturum, ac nasciturum. Ex hac annunciatione de aduentu, & ortu Christi, & Christi & Apostolorũ mendicitas post nouem mensium impletionẽ statim ditissima Paupertatis suæ insignia, in terra aliena peregrinans, super Bethleem Præsepe cum maxima totius cælestis Curiç admiratione, & multa pompa explicauit.

Mendicus ille propriè nuncupatur, qui victum ostiatim quæritat. Et, vt refert Festus, Verrius dictum putat à tribus. Vel à mente, quod mentem eius fefellerit fortuna. Vel à medendo, quod precetur omnes, vt vitæ suæ medeantur cibo. Vel quod manu indiceret. Cum ergo mendicare idem propriè sit, quod alimenta expostulare ostiatim, potest etiam ille appellari mendicus, qui aliena hospitia quæritat. Mendici enim pari solertia victum, quo sustentari, & locum vbi diuerti possint, postulant. Quid simile contigit Christo Redemptori tempore ortus sui. Ipse namque nasci in Patria sua nolens, voluit, in Virginis aluo adhuc clausus, ortuique vicinissimus, & peregrinationem cum illa, ac nutricio suo suscipere, & quodam specimen mendicitatis ostendere in quæritando, & non inueniẽdo locum in diuersorio, vt ait Euangelium, & in nascendo intra præsepium extra diuersorium in medio duorum animalium ad publicam viam. Imò ex ipso loco alieno, quæsito, inuento, & liberè accepto, quia nullius patroni erat; eò magis suæ mendicæ paupertatis (nondum ipse natus) peregrina trophęa innotuerunt. Mendicitatis, mendiciue ethimologia, à Verrio tertio modo explicata, vtitur Interpres noster, loquens de cæco illo mendico Lucæ 18. qui clamorosis vocibus, positus secus viam, postulabat à Iesu, vt misereretur sui. Ibi namque in fer. Dom. 1. in Quinquages. agens de materiali, ac spirituali mendicitate, ita inquit, alloquens vnumquemque nostrum, & rationem reddens, cur hodie adeo importunè, & clamorosè mendicẽt pauperes. Et cum interrogaueris, ait, clamabis, *Miserere mei fili Dauid.* Allega propriam calamitatem, & implora diuinam benignitatem. Et quia tibi non sufficit, pete subsidium aliorum. Vnde de hoc cæco dicitur, quod erat *mendicans, idest quasi manu indicans. Antiquitus enim non erant pauperes ita importuni, sicut modò sunt. Quia solum manu indicabant suam paupertatem. Sed nunc facti sunt importuni clamoribus, quia refriguit charitas subuenire debentium.* Igitur tu mendica, idest manuali opere, aut exercitio indica tuam miseriam. *Quia sola lingua non sufficit, nisi adsit conformitas operis, &c.* Hucusque Interpres.

Mendicitas in Christo nascente in præsepio suæ trophæa explicauit

Cur hodie mendici adeo importuni, ac molesti sint.

Mendicus vnde dictus.

Christi, nondum nati mẽdicitas.

Vix conceptus Christus intra pauperculæ Virginis aluum, statim duplex pondus ad illam paupertatem impulit ipsũ, quæ ad opus Redemptionis amplectendum, incipiendum, prosequendum, & complẽdum videbatur ipsi magis idonea, atque conueniens. Vnum equidem pondus prouenit ex suæ ditissimæ pietatis visceribus. Alterum verò ex præcordiis maternis. Illud maius isto, ac proinde mendicitatem, quæ antea non erat in Matre, sicut inerat paupertas, tanto auidius amplecti curauit, quantò adiutorio Matris suæ locum, vbi nasceretur, voluit mendicare. *Pauper Christus est* (inquit idẽ Interpres serm. fer. 5. Hebdom. 2. in Quadrag.) *quia filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Mendicus est, manu indicans, & petens à te beneficium, &c.* Loquitur ibi Interpres de spirituali mendicitate Christi per comparationem ad Lazarum mendicum, vlceribus plenum. Sed potest etiam transferri ad eius corporalẽ mendicitatem, quam incepit ex pauperculæ

Duplex pondus Christũ nondum natum impulit ad paupertatem mendicam.

culæ Matris vtero, vt dictum est. Tunc enim adeo mendicus apparuit, vt neque puerulus, & infantulus proprium locum habere voluerit, vbi haud suum caput solummodo, sed totum corpusculum reclinaret. Eum namque Mater sua, à qua petiit istud beneficium, factus apud Matrem suam, & Nutricium suum mendicus, & faciens Matrem suam, & Nutriciū suum mendicos, *reclinauit in Præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio*.

Mendicitas Christi pauperrimi ab eius incunabulis incepit

De mendicitate Christi ab eius fermè incunabulis nonnulla prælibauimus ex Bonauentura super cap. 6. Regulæ lib. 3. sect. 1. cap. 2. Alia eiusdem Doctoris, ad eandem materiam spectantia, habe, Lector, in opusculo de Paupertate Christi contra Magistrum Gulielmum, ex quo fortè etiam alia pauca inferius adnotabimus. Ibi tractat Author duas quæstiones, alteram de Paupertate eius vel quātum ad abrenunciationem, vel quantum ad mendicationem. Alteram de pauperibus validis præcipuè regularibus, an ad opera manualia sint adstricti. Mendicitatem Christi, ante ortum suum alienū locum, & locum iumentorum, vt ibi nasceretur, petentis, aliquo pacto, tangit Bonau. art. 1. primæ quæst. super illud Luc. 9. *Vulpes foueam habent*, &c. Ait enim Glosa in persona Christi (inquit Author) *Ego tantæ paupertatis sum, vt nec hospitium quidem habeam, nec meo vtar tecto*.

Ita & Francisci mendicitas.

Exemplum Christi, & Matris Christi, atque Discipulorum Christi quantum ad paupertatem mendicam, & Euangelicam transiit meritò per mirabilem, nouamq; imitationem in Francisco, & eius Regulæ, vbi præscribitur huiusmodi mendicitas, professoribus. Sicut enim melius fuit Christo in tali paupertate, ac mendicitate redimere Mundum, ac fundare Ecclesiam suam, quam in diuitiis, & cōmoditatibus sæculi, sic melius quoque esse iudicauit, eandem paupertatem, ac mendicitatem Reparatori Ecclesiæ suæ ante ortum quoque communicare, & huiusmodi Ecclesiæ reparatio ijsdem fundamentis Euangelicis, atque Apostolicis, quibus illam ipse fundauerat, ac firmauerat inexpugnabili stabilitate admoneret. Fuisse deinde Franciscum in Ecclesia reparanda propagatorem Euangelicæ, & Apostolicæ paupertatis, ac mendicitatis, sicut Christus fuit in ea fundādā inferius explicabimus. Igitur meritò etiam Angelus, Dei Legatus, sub peregrini, & mendici forma videri voluit, vt Francisci mendicitatem Christi mendicitati simillimam ab ipso in alieno stabulo ortu præmonstraret. Eumque veluti Ecclesiæ Christi Reparatorem, ac Christianæ Reipublicæ renouatorem promeritum.

PVNCTVM III.

Pica Puerpera in medio Bouis, & Asini super stabuli fœnū cū primogenito suo enixa est primogenitū, et hæredem mercaturæ Christi. Itē prouidum humilitatis exemplar, triplicem sapientiæ Christi Museum. Fragmen molare, & paruū lapidem, & Mundi speculum, cum maxima Ecclesiasticæ tum veteris, tum noui Testamenti Hierarchiæ hilaritate.

NAtus Franciscus à Domina Pica, seu martialis Picus, vt in præcedenti libro adnotauimus, natusque ad ditissimæ, ac locupletissimæ domus suæ primogenituræ titulum, natus est etiam vt exerceret Mercaturam, quæ eò maximè tempore (quomodo etiam ex nunc in pluribus Europæ Vrbibus apud viros nobiles, nedum ciuiles, ac semipatritios) in vsum erat, & morem. Bos vnus in illo ortus sui stabulo, & Asinus vnus dū ligati erant, & vix nati infantuli, lingua soluta, & clamitans a. a. a. a. hæc in abecedario puerorum princeps litera, inter infantiles gemitus repetita, boni ominis voculas exprimebat. Denotabant enim illa absolutionis prognostica, quæ eò in mercatoribus ad exaltandam Dei misereentis trophea prodigiosiora, quo difficiliora ad dissoluendum, ac rumpendum ligamina, quibus tum veluti Boues miserè constringuntur sub Diaboli iugo mercatores, inter quos Petrus Bernardoni ex Moriconum stirpe, ac Francisci Genitor, erat peculiarissimus, ac pinguissimus Bos. Tum etiam insinuantur, vt ad tumulum Asini sepeliantur.

A, a, a, clamās & plorans Franc. signa boni ominis præsonabat.

I.

Sub ipso temporalis Mercaturæ vexillo militaturus Franciscus, Eum Christi mercaturæ explicaturum insigne ipsius ortus in medio duorum animalium præmonstrauit.

OMnem Mercatorum cateruam sub Boum ad iugum, arātium terram, è

qua

qua, dum rumpitur, exeunt talpæ. Et Piscatoris ad fluminis ripam. Et tumulis, in quo legitur hæc inscriptio *Sepultura Asini*, vexillo, congregat Interpres noster. Nam explicans primò moraliter figuram Boum, quos flagello suo eiecit de Templo Dominus, vt scribitur in cap. 2. Euangelij Ioannis. *Moraliter qui per Boues intelliguntur?* interrogat, & statim ita respondet in serm. fer. 3. Dom. 4. Quadrag. *Dediti Mundi delectationibus*, & qui solum de consolationibus curant corporis, animam negligentes: & isti sunt per illos stultos mercatores figurati, de quibus Luc. 14. *Iuga Boum emi quinque. Emunt Boues 2. quos probat stultos esse mercatio; quia dant conscientiam, & animam suam pro pretio*, Prouer. 7. *Mulier*, idest sensualitas, pretiosam animam viri rapit. *Isti ad morem Boum semper arant terram, Cælum negligentes. Quia ad morem talpæ excæcati*, in terrenis versantur, nec vnquam mentem suam erigunt ad superna. Et certè puluis terrenæ affectionis excæcat eorum oculos. Isti semper paleas comedunt, de quibus fornax Inferni est succedenda.

Mercatorum vexilli hieroglyphicũ, ex quatuor conflatum.

Cur Bobus mercatores comparandi.

Paleas inquam illas, quas filii Israel in Ægypto colligere cogebantur, ad constituendum lateres terrenos, idest opera immunda. Vnde cocti in fornace cordis igne inordinati desiderij, fabricant inde habitacula diuersa Pharaoni, idest Dæmoni. Insuper spreto iugo Dei, iugo se subijciunt inimici, de quo Psal. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum*. Imò si aliquando iugum Domini imponatur ipsis, vt portent, & Arcam scilicet pœnitentiæ, in qua lex cõtinetur, calcitrant, nec eam vsq; ad terminum perducunt; sicut benè figuratum fuit 2. Reg. Faciunt ipsam cadere, siue abijciunt, vt iam non in domo Domini, deponatur; sed in domo *Obededon*, qui interpretatur *Seruus sanguineus*. Prouerb. 7. *sequitur eam*, scilicet mundanam consolationem, *quasi Bos ductus ad victimam, & ignorat, quod ad vincula trahatur stultus*. Isti sunt illæ Boues macie confectæ, qui pascebantur in ripa fluminis Ægypti, &c. Huculque Interpres.

Deferentes Arcam Domini, recalcitraps.

Qui dum tales Boues in ripa fluminis Ægypti pascere dicit, proditur secundò tertia pars stemmatis propositi, explicans simul in Mercatorę vexillo Piscatorem ad ripam fluminis. *Merebuntur Piscatores*, ait Isaiæ 19. *& lugebunt omnes, in flumen mittentes hamum. Et expandentes rete super faciem aquæ emarcescent. Confundentur, qui operabuntur linum, plectentes, & texentes subtilia*. Super quem textum aggregat Interpres quatuor hominum genera, quæ etsi inter se circa negotia sua diuersa sint, militant tamen omnia sub mercaturę vexillo.

Quatuor genera hominũ ad lucrum inhiantium

1 *Piscatores sunt huius Mundi amatores*, solliciti, & curiosi circa diuitias, & delicias.

2 *In flumen mittentes hamum sunt Mercatores falsi*, qui quasi esca falsæ pulchritudinis cooperiunt hamum suę mentis, vt capiant eum, qui emere cupit.

3 *Expandentes rete super faciem aquarum sunt maledicti vsurarij*, qui in rete vsuræ magnos, & paruos compræhendunt.

4 *Qui operantur linum, plectentes, & texentes subtilia*, scilicet argumenta, *sunt praui Legista, & Decretista, & Aduocati*. Hi omnes in fine vitę suę, cum iam non potuerunt villicare, lugebunt, quia diuitijs, quas solliciti acquisierunt, tam ardentes amauerunt, ita miserrimè denudantur, marcescent. Quia eorum animæ à corpore egressæ Dæmonibus tradentur, æternaliter puniendæ. Ita Interpres ibi; qui ideò hæc quatuor hominum genera simul ponit, quia vbi mercatura inualescit, ipsa potissimum huius Mundi amatores mercatores suos efficit, sollicitos, & curiosos circa delicias, & diuitias. Ipsa quos capit, & hamo, & rete passim capit. Ipsa indiget Legistis, Decretistis, & Aduocatis circa plura.

Hęc quatuor improborũ hominũ genera cũ mercatura inueniuntur

Tertio, imò quarto loco pro omnimoda intelligentia totius vexilli mercaturæ stemmatis fauet idem Interpres loquens de diuitis Epulonis sepultura, super illum Luc. 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno*. Cui addit Hier. 22. aiente de filio Iosiæ, qui fuit Ioachim Rex Iudæ, *Sepultura Asini sepelietur extra portas Hierusalem proiectus*. Nota, inquit Interpres, Sepultura Asini talis est. Dominus eius pellem retinet; & carnes canes deuorant; ossa nuda in sterquilinio remanent. Per ossa, quæ diu durant, anima significatur. Pellem, idest bona exteriora filij retinent. Carnes vermes deuorant, Animam Dæmones rapiunt. Vnde Eccl. 19. *Cum morietur homo, hæreditabit bestias*, idest bestiales filios hæredes habebit. Et serpentes, idest Dæmones, & vermes. *Talem sepulturam habuit iste diues, qui in Inferno sepultus est*. Hæc Interpres totum aggregatum mundanæ mercaturæ vexilli quatuor rebus cõflati referans, incipiens à Bobus symbolo, terminansque ad Epulonem pinguissimum Bouem, Asini sepulturæ tumulatum.

Sepultura Asini in diuturum remanente quæ

Vnã Petri Bernardoni domum Mercaturæ vexillũ altè, ac fastu plurimo explicantem, hæc quatuor hominum genera fre-

frequentabant. Peperit Pica eius coniux dũ ille vt Bos veteranus, & pinguis trahebat iugum vsque ad Gallos, expectabatq; sepulturam Asini (licet nonnulli putent, ab ea liberatum fuisse per Francisci primogeniti sui merita, quorum sententiæ non contradico) peperit inquam extra domum suam in stabulo coram Boue, & Asino, ibi ligatis infantulum Franciscum, primogenitum domus paternæ, & negotijs, & hæreditati illius legitimum successorem. A terrenis vnguiculis, vt aiunt, educarunt ipsum, vt post aliqualem literarum peritiam, mercaturæ intenderet. Sicque vt militaret sub Mercaturæ vexillo, sicut de facto sub illo militauit vsque ad annum ætatis suæ 25. Bouinam, asininam, piscatoriam insapientiam, atque talpæ cœcitatem, quamuis in vexillo paterno Frã. corporaliter explicaret, sub illo tamẽ animo, ac moribus nequaquã militabat, sed sedulo exercitio tantummodo.

Ob meritis Fran. Petrus eius pater saluatus est

Intendebat profectò sollicitè ad lucra, sed nunquam eiusmodi eius intentio maculauit animam. Nunquam potuit ad talpæ cœcitatem eum reducere, vt fieret Piscator circa illicitos ad res mundanas amores. Vt in flumen mitteret hamum, & caperet eos per fraudem, & dolum, qui ab eo emebant. Vt expanderet rete super faciem aquarum per maledictam vsuram. Vt se cum plectentibus linũ, & texentibus subtilia per nefarios contractus immisceret. Vt fieret Bos ad imitationem Patris, & cum eo deinde expectaret Asini sepulturam. Idcirco enim inter hæc iumenta in præsepe eum nasci voluit Christus, qui etiam natus est in medio eorumdem iumentorum, vt ipsius mercaturæ tactus primogenitus, & hæres, sub ipso paterno vexillo ipsius Christi explicaret insigne. Haud damnans mundanam mercaturam in se, sicut nec eam damnauit Christus, sed mercaturæ pericula euitans ad miraculum, & licitæ quoque mercaturæ trophæa extollens ad prodigium. Sic enim decebat, vt quemadmodum Christus in fundanda Ecclesia suam spiritalem, euangelicamque mercaturam primus amplexus est, ita in reparanda Ecclesia mercatorem vnum eligeret, qui veluti vir nouus sub potentissima, ac peregrina gratiæ suæ tutela adhuc intentus ad lucra, nullo modo in pecuniæ, & thesauris speraret. Sed sub mercatoris, ac negociatoris Christi insigne, in Christo speraret, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei &c.* Istud peculiarissimum gratiæ miraculum, istud nouum in Ecclesia prodigium voluit demonstrare Bonau. illis verbis, pluries superius adductis, sed nunquam, vt puto molestè. *Cum iuuenili ætate post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercationũ negotijs intenderet superno tamen sibi assistente præsidio, inter cupidos mercatores, quanquam intentus ad lucrum, nõ sperauit in pecunia, & thesauris.*

Mercaturæ licitæ trophæa extulit Franc. mercator ad stuporem

Sub ipso mercaturæ paternæ vexillo, Christi insignia explicauit Franc.

Sub hoc adeo miro præsidio superno eius proprium vexillum, licet nondum ita notum sibi, sicut postea, signari certè ex tunc poterat imagine Pici martialis, seu Gryphi, qui eleuans vnguibus in aere corium Bouis, lapidibus plenum, & in sua forma Bouis fictè accommodum, præcipitem fieri inter montis saxa relinquit. Picum, & Griphum idem esse apud Latinos, iam supra fusè explicatum est. Griphos infestos esse Equis, itidem ibidẽ dictum. Ferunt etiam alij scriptores, Griphes, Boues, quibus pascuntur, persequi. Capiunt ipsos vnguibus, & ob ingens, quo potiuntur robur, altè subleuant, dantque mox præcipites, vt per saxa, ac rupes ictu vehementiori frustratim collisos, commodius, ac citius deuorentur. Montes inaccessibiles, quos hæ feræ immanissimæ incolunt, lapidibus pretiosis abundare scribitur. Hinc Mercatores percelebres excoriantes nonnunquam Boues, implent coria eorum lapidibus, & ita accommodant per campestria, montibus illis vicina, ac si viui essent, ibique pascerent. Rapiunt & hosce Boues voracissimi, ac fortissimi Griphes iuxta solitum; sed dum illos casui relinquunt, ex collisione, ac ruptione coriorum dispersi hinc inde lapides, cadentesque super lapides pretiosos, qui ibi sunt magni, & multi, plurima ipsorum particulas, ac frusta impellunt deorsum, vt possint absque multo labore, nec tanto periculo colligi. Verùm an hæc enarratio fabulosa sit, an vera, quemadmodũ an Griphes sint veri, vel fabulosi, lector iudicet. Nam mihi in præsentibus sufficiet veram demonstrare huiusce relationis allegoriam circa rem, quam nunc pertracto.

Griphes bobus pascuntur.

Montes, quos incolunt, abundant gẽmis.

Natus Franciscus à parente Mercatore inter symbola Mercatorum, & sepulturæ Mercatorum, scilicet inter Bouem, & Asinum, & in stabulo in medio illorũ super fœnum effusum, ab vtero Picæ puerperæ exiuit vt Picus, & vt Griphus, sicut superius monstratum est. Ergo præseferens Griphi similitudinem ab ipso ortu, præseferebat quoque genuinam quandã inimicitiæ paritatem aduersus illicitam mercaturam. Locus enim eius natiuitatis, & modus nascendi palã indicarunt, ipsum non Petro parenti suo carnali, in mercaturæ negotiis assimilandum, sed parenti suo Christo, cuius gratiæ filius erat.

Locus, in quo natus Franc. indicauit ipsum vt mercaturæ Christi hæredem.

erat. Euectus, vix factus idoneus ad mercaturam, id statim deinde probauere, vt dictum est. Hostis ipse declaratus illicitę mercaturę à principio, eam primo in suo Boue excoriauit, ceu iustus, sincerusque Mercator natiui odii cultro. Impleuit corium eius lapidibus operum contrariorum, constanter solidorum, quibus eam dilapidare semper intendit. Deinde vt generosus, robustissimusque Griphus altè eam eleuans, vt funditus præcipitaret, iam miserrimo casu eam inter saxa proiecit, ex quorum scissione collegit tãdem lapides pretiosos innumeros in ipsa vita sæculari. Inter quos inueniens pretiosam margaritam Euangelicam, Christi mercaturam (cuius paulò post in altissima paupertate effectus est primogenitus, & hæres) exercere incepit à Mundi contemptu. *Cum autem* (ait Bonau. cit. cap. 1. post medium) *ex frequenti orationis vsu flamma desiderij cælestis in eo vehementer succresceret, & iam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum; ac velut prudens negotiator Margaritam inuentam excogitabat, venditis omnibus, comparare. Adbuc tamen qualiter id ageret ignorabat: nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio à Mundi contemptu sumat initium, &c.*

Franc. natus ad licitam mercaturã ceu hostis in illicitam

In altissimæ paupertatis mercatura primogenitus, & hæres Christi Fit.

Audiuimus hucusque pueriles Francisci plorantis voces, iam super fœnum stabuli effusi, ceu prognostica salutaria ad Christi negociationẽ, & eò in magnũ illicitæ mercaturæ excidium, quò in maximum licitæ, atque iustæ decorem. Audiamus modò eundem infantulum quasi aliunde Boui illo blandientem: Imò & admiremur ipsum, & voculis suis, & clamoribus suis, & lachrymis suis auspicatissima sui ipsius, & totius Ecclesiæ prognostica in Boue illo, coram quo natus est, exprimentem.

Infantulus Franc. blanditur Boui

Cognouit Bos possessorem suum, Isaiæ 1. Hoc dictum spectat ad Christi natiuitatem, in Præsepio Bethleemitico contingẽtem. Si autem potest aliunde alicui Ecclesiæ viro sancto applicari, non videtur magis adaptandum, quam Francisco, intra præsepe Vrbis Assisij super fœnum in medio duorum animalium edito, & ex ipso ortu nascenti Christo simillimo. Quomodo autem vt possessorem suum cognouerit Bos ille Franciscum, possumus dicere, quod cognouerit vt suæ moralis similitudinis dignum patronum. *Boues*, inquit Interpres noster loco citato fer. 3. Hebdom. 1. Quadrag. *signant statum Pœnitentium, qui vomere proscindunt terrã proprij corporis, vt radificent scientiam virtutum, &c.* Isai. 1. *Cognouit Bos possessorem suum*. Item. Bos Bethleemiticus cognouit possessorem Christum, quia veniens vt Agricola in Mundo ad seminandum Euangelicum semen quo plantaret Ecclesiam suam, Bobus proculdubio indigebat. Ipse quoque ante omnes in ara Crucis ad complementum totius operis immolandus erat. Postea Apostolici Boues, eius consodales, coadiutores, & discipuli, ad martyria trahendi. Idipsum possumus dicere de Francisco, vt ex prædictis in libro antecedenti planè liquet. Et nunc amplius planum fit ex pulchra Doctoris nostri interpretatione super illud Christi Matth. 11. ad Discipulos suos. *Tollite iugum meum super vos*. Et Interp. serm. 8. de Apostolis. *Ergone Boues sunt? Sunt qui mare, & lutres, idest Baptisterium Templi sustentent*, 3. Reg. 7. *Fecit & bases decem, & lutres decem super bases, & mare æneum, & boues 12. subter mare, &c.* Mare æneum, idest baptisterium in introitu Templi ponebatur, quia Baptismus est ianua sacramentorum. *Hunc Apostoli tamquam Boues duodecim vbique portauerunt*, quia per vniuersum Mundum baptismum Christi prædicauerunt, *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis*. Marci, & Matth. vltimo. Hæc Interpres, qui illis verbis *per vniuersum mundum* tangit misterium non solum numeri duodenarij, sed etiam distributionem 12. Boum sub mare æneum. Nam in textu habetur. *Et stabant super duodecim Boues, è quibus tres respiciebant ad Aquilonem. Et tres ad Occidentem. Et tres ad Meridiem. Et tres ad Orientem.*

Boues prò pœnitentibus.

Pro Apostolis Christi agricolæ bobus.

Hocquoque modo distribuit suos 12. Apostolicos Boues Franciscus, iam ipse ab ipso Christo è Cruce, & à Christi Vicario authoritate Apostolica missus, vt vbique repararet Ecclesiam. Iuit ipse ad gentes barbaras, & paganas, & ad nationes christianas, & eius discipuli cum ipso, & sine ipso, sed ab ipso missi ierunt: & cum baptismate Christi & doctrinam Christi, & vitam Christi, & Apostolorum Christi tria quoque baptismata religiosa detulerunt, & contulerunt, & propagarunt. Atque in hunc modum per totum Mundum vel prædicantes vnum baptisma fluminis, vel dilatantes tria pœnitentiæ baptismata iuxta tres Ordines à Francisco institutos quadriformiter repararunt Catholicam Fidem, restaurarunt Religionem Christianam, renouarunt Legem Euangelicam. Prout adhuc per triũ Legum Franciscanarum professores Seraphici

Et pro discipulis Franc. agricolturæ Christi hæredis

raphici

raphici eadem apostolicè prosequi inquantum possunt, & prout ipsis his temporibus datum, minimè desistunt, iam per vtrumque Orbem veterem, nouum ad Americanos, & Indos amplè diffusi.

I I.

Sapienter iugandam vnicam Francisci Humilitatem, binamque superbiæ stoliditatem sub Christi iugo mansuescendam, erudiendamque, Bos & Asinus, in quorum medio ille natus est, indicarunt.

VOcibus suis clamorosis infantulus Franciscus dum iacens supra fœnum præsepis principem literam alphabethalem, *A*, repetitis fletibus naturaliter promebat, illa eadem litera & Bouem, & Asellum simul, in quorum medio positus erat puer, demonstrabat. Iuxta vetustum Ægyptiorum morem circa sacra hieroglyphyca agit Pierius Valerianus de vtroque iumento, de Boue scilicet, & Asino, & quæ de vtroque refert, valde inter se diuersa sunt. De Boue scribit lib. 3. De Asino lib. 12. In hoc iumento ferè omnia, quæ exponit, infelicia explicant prognostica tum in politica, tum in christiana, ac religiosa vita, ludibrio, ac vituperio promerita. Ibi rerum, arcanorumque commixtio vilitatem, vili animali, à Deo, & sacris alieno respondentem, vndique spirat. Conflatur enim ex ignauia, petulantia, impudentia, populi Iudaici schemate, egregio principio citò destituto. Stoliditate, ludibrio, indocilitate, irrisione. Sophistiarum nugis. Adulatorum illecebris & similibus, quorum figura Asinus est. Duo tantum sunt apud eundem Scriptorem inter tot infelicia, quæ de Asino ibi explicantur, aliquãto digna, illud scilicet, quo per ipsum vitam eremiticam, & solitariam intelligit author, licet eò loquatur de Onagro, Asino siluestri. Aliud est quia cap. 19. ceu boni ominis tale iumentum affert, explicans in simulacro Asini ab Augusto dicati, quatenus idem Augustus ab huiusmodi iumẽto victoriæ præsagium ceperit. Et in augurali, inquit, si quis ægrotat vidisse Asinũ, qui à lapsu se sustulerit, iudicat cum conualiturum in omnibus, dicente quopiam. *Viden vt Asinus sese erexerit decumbentem indicat surrecturum.*

Hieroglyphica de Asino omnia penè vituperanda

Duo tantum videntur boni ominis.

Bos autem ferè in cunctis tum inter scriptores sacros, tum prophanos, rerum bonarum imago est. Habes etenim figuratas in Boue apud Valerianum præfatũ Temperantiam, & Modestiam. Habes & petulantiæ phrenum, & amatorios obtutus, & bonorum obsequium, & auditum promptum, & terræ frugiferæ lætitiam, & frugum opulentiam, iustitiam. Denique multa alia optimè auspicata, faustaque in Boue habes, potissimũ Christum, Apostolos, inter quos præcipuus est S. Lucas euangelista, cunctosque viros illustriores, qui in Ecclesia virtutibus & gestis apostolicis floruerunt. Alibi tamen Interpres vbi per Asinum intellexit luxuriæ vitiũ, per Bouem etiam in malam partem explicuit vitium superbiæ, ita in sermone Dom. 17. post Trinit. super illud Christi Lucæ 19. *Cuius vestrum Asinus, & Bos*, &c. Et Franciscus quoq; in hæc vitia principaliter dimicaturus nascebat, eaq; simul iugaturus erat sub triplici Obedientiæ, Paupertatis, Castitatis iugo firmis pluriũ præceptorum ligaminibus. Sed reuertamur ad propositum argumentum.

Quæ autem feruntur de Boue, omnia pene felicia sunt.

Bos Christi, & Apostolorum simbolũ est.

Primam vocem, quam infans Christus, mifticus Salomon, *emisit plorans* in præsepio, *A*, extitit. Qua litera & Asinum expressit, & Bouem, in quorum medio nasci voluit. Etenim non solum in vocabulo Asini prima litera est A (eo quod nascens homo siue in palatio, siue in quolibet alio loco pretioso, viliue, nascitur vt filius iræ ad laborem Asini, & ad stoliditatem, ignauiãq; asininam, bestialem, impudentem, petulantem, ferocem, & superbam culpæ, quæ dũ insolescit in Deũ, Asino peiorem tractat hominem) verum etiam in Boue eadem vocalis prima inuenitur, vt ipse Valerianus ibidẽ ad cap. 12. demonstrat. Phœnices populos Syriæ, Iudæis conterminos ingenij acumine plurimum valuisse, primosque literarum, & nauigandi artis primos inuentores extitisse, putarunt Rufus ex Dionysio, Lucan. lib. 3 & alij. Hi quoque populi primæ vocalis nomen Bouem appellabant, eo quod sicut à matre natura infantilis ætatis ab ipso ab vtero exitu prima litera alphabeti ori ponitur; ita etiam terra mater communis, cuius simbolum Bos, prima omnium humanæ consuluit infirmitati. Prima alimenta subministrauit. Prima omnium rerum vsus, vtilitatem, & varietatem elargita est. Vide eundem Valer. ibidem.

Litera A. pronunciata à Christo, in stabulo adrescente, ad Asinum, & Bouem potest referri.

Moneo tamen obiter lectorem, vt in literis liminaribus me id hic facturũ ipsi promisi, ferè in cunctis scriptis meis istam dictionem *litera* haud duplici *tt*, sed simplici adnotatam reperiri. Quamuis enim ratione etymologiæ primam syllabam videatur debere corrigere (creditur enim *litera* dicta quasi *litura*) vbique tamen apud veteres Poetas eandem producit.

Litera dictio non est geminanda in prima sillaba.

Superflua itaque anxietas eorum potest videri, qui primam huius dictionis syllabā producere non audent, nisi geminata consonante. Insignis autem illorum temeritas, qui eam nullo veterum exemplo corripiunt, friuoloque, ac incerto etymo freti, ab vnanimi veterum omnium consensu non dubitant discedere. Hunc morem hodie potissimum sequuntur sinceræ, candidæque Romanæ latinitatis (quæ apud Italos semper solidior, viuidiorque extitit, vt fatetur Augustinus) haud quidem tam ignari, quam sicut & Nationis inuidi. Vide Manutij dictionarium Romæ impressum anno 1580.

Igitur litera, A, tum in ore Redemptoris Mundi, tum in ore Reparatoris Ecclesiæ, vtrius in stabulo super fœnum in medio duorum animalium, Bouis, & Asini effusi, & Bouem, & Asinum indicabat. Nam vtriusque liganda felicissimè primū erat leui onere, suauique iugo obedientiæ iugo summa Humilitas. Et postea cum eadem super aram Crucis vario martyrij genere sacrificanda. Illius à Patre vt Dei & hominis missi, vt redimeret Orbē. Istius à Christo missi ceu puri & noui hominis, vt renouaret Orbem. Christi, iam Patri obedituri vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Francisci, iam Christo passione obedientiam præstaturi. Sic constricta amborum iuxta Bouis simbolum, quod in litera, A, exprimebant, obedientiæ iugo Humilitas, hoc absoluere debebat (vt optimum præsagium in eadem litera A, pro signo absolutionis à Romanis assumpta, præfiguratum) miserrima Asini simbolici ligamina, quibus Christi tempore genus humanum, Francisci tempore Ecclesia Romana peruiliter detinebantur. Hoc ergo facto tam Christi, quam Frācisci hanc Asini absolutionē principales, multiplicesque, futurasque vtriusque victorias ab ipso ortu videtur demonstrasse. Christus namque non solum nascens in præsepe habere voluit Bouem vt suæ iugandæ humilitatis, sacrificandæque obedientiæ simbolum, verum etiam & Asinū voluit habere veluti suarū victoriarum simulacrum. Propterea sedens super Asinam, & pullum Asinæ noluit triumphalem ingressum Hierosolimis celebrare, nisi prius iumenta illa solueret. Pariter & voluit Deus, vt in stabulo, loco iā ortus Reparatoris Ecclesię simul cum Boue extaret & Asinus; huncque deinde illo ascenderet, in vna iam reparata Ecclesia absolutum, post recepta sacra stigmata. Hisque circuiret Vrbes, & Oppida, & Pagos per biennium. Hisque deferret secum, ceu renouatum in sua carne sanguineum Christi triumphum, super Caluariæ montem longe ante à Redemptore celebratum, & post sæcula duodecim super Aluerniæ montē in Reparatore Ecclesiæ suæ Franc. noua inuentione ab ipso Redemptore renouatum. Quo triumpho idem iugum ferreū posuit Christi hostibus Franciscus, ab eo deuictis, quod idem Christus antea posuerat. Et vt denuo quasi pari vi, ac robore vincerentur, & ad pristinam vilitatem asininam (iam denuo impudenter, stultè, ignauè insolescentes in maximam Ecclesiæ ruinam) redigerētur, Francisco pro eadem reparanda Ecclesia reseruauerat.

Analoga quædam paritas literæ A tum in ore Christi infantuli, tum Francisci.

Asinus victoriarum principaliū Christi, & Franc. simulacrum.

Post sacra stigmata super asellum circuit Vrbes Franc.

Super historiam de Christo, funiculorum flagello Oues, & Boues, & Columbas, &c. è Templo Hierusalem expellente, vt habetur Matth. 21. quæ moraliter exposuit Interpr noster fer. 3. Hebdom. 1. Quadrag. videntur tres Ordines à Francisco (Christi oue præcipua, quia excellēter misericorde, Christi Boue singulari admodum, quia apostolica pœnitentia excelso, Christi Columba perunica, quia immaculata virginitate, & sublimi contemplatione egregio) institutos, haud obscurè patefacere. *Moraliter*, inquit, *quid per oues, quid per boues, &c. nudanda est vna expositio*. Nudat statim, diuiditque iuxta ordinem Euangelicum trifariè hanc vnā, & verè vnicam expositionem in hunc modum.

Franc. Christi ouis, bos, & columba præcipua.

1 *Oues*, ait, *signant opera misericordiæ*. Quia cibant carne. Potant lacte. Induunt lana. Et breuiter, *Ouis secundum se tota vtilis est*. Psal. *Oues eorum fœtose*.

2 *Boues signant statum pœnitentium, qui vomere proscindunt terram proprij corporis, vt radificent scientiam virtutum*. Isaiæ 1. *Cognouit Bos possessorem suum*. Sed circa id paulò ante.

3 *Columbæ signant illos, qui per contemplationem ad Deum volant*, non inuenientes in diluuio huius Mundi vbi pes suus, idest affectus quiescat. Quia nihil inueniunt, nisi cadauera putrida peccatorum. Hæc Interpres, ex cuius doctrina possumus per Boues intelligere Fratres, & Sorores Tertij Ordinis S. Francisci, in quo Misericordiæ opera semper fœcunda, vt oues fœtosę extiterunt. Per Boues verò Ordinem Minorum, cuius alumnos antea Fratres de Pœnitentia nuncupauerat Institutor. Ipsi namque vitam Apostolorum, qui per Bouem significantur, vt diximus, profitentur. Demum per Columbas D. Claræ Ordinem congruè capimus, cum Columba Virginum claustralium, pennis contemplationis volantium genuinū simbolum extet.

Tres Ordines S. Franc. tribus rebus comparati.

Sed

Sed dices, idem Interpr. declarans statim seipsum, ita subdit. Hæ tres differentiæ sunt, quibus respondent tres fructus. *Bobus*, idest coniugatis tricesimus, quia implent præcepta in fide Trinitatis. *Ouibus*, idest viduis sexagesimus, quia multiplicant opera præceptorum per opera misericordiæ, in quibus insistunt *Columbis*, quæ sunt pueri, idest virgines debetur fructus centesimus. Ergo pro Bobus iuxta mentem Interpretis illo in loco nõ possumus rectè Fratres Minores intelligere. Respondeo, quod idem Bos apud ipsum est Apostolorum simulacrum, vt paulò supra dictum est. Imò ex eodem loco colligitur istud idem ex alia immediata de Bobus interpretatione, quę talis est, & quidem Minorum vitæ, tribus votis, & multis præceptis, quæ alii Religiosi non habent, iugatæ valde propria. *Nota*, ait, *de Bobus, quibus imponitur iugum, scilicet obligatio præceptorum. Quia vinculum signat charitatem, qua ligat membra cum capite Christo. Et ex charitate vnitur, & coniungitur homo cum proximo*. Alis huius geminæ charitatis Bos Apostolicus Frãciscus altè volans, factus est Seraph, & Ordo Minorum Seraphicus, tamquam quì ligat, eleuatque membra sua tanto Christo propinquè, quantò Seraphim, & Apostoli sunt ipsi Christo vicini. Et tantò propensiori pondere ea impellit ad proximum, quanto illa eleuatio maiorem vim ipsis addit, vt ad illum celerius descendant.

Obiectio quædam soluitur:

Obiectionem verò, quæ posset fieri Interpreti aduersus suam interpretationem super historiam allegatam ipse proponit, & soluit illis verbis. *Sed si hæc ista signant, cur Saluator expellit ea de Templo? Responsio. Ista sunt diuinæ oblationi deputata. Non enim in Templo vendi debent, sed liberè offerri*, Leuit. 20. Omnis oblatio, quæ offertur Domino absque fermento, *scilicet inordinatæ intentionis*, fiet. Vnde & Augustinus. *Sine macula, & simila, sine furfure sibi præcepit offerri*. Hactenus Interpres.

Obiicit in seipsum Interpr. & statim respondet.

Iugata ergo in Boue Apostolico Francisci eadem prorsus humilitas (quæ se in Christo per obedientiæ votum, vt placet Suarez, & aliis, adstrinxit ad Patrem) iuga tria instituit per trinam legem, triplici Ordini ab ipso fundato traditam, Christus ipse iacens in præsepio in medio duorum animalium tanquam Rex humilis, & mitis corde & ex tunc eligens stultitiam Crucis, vt sapientes mundi confunderet, in literæ A expressione prædicabat Apostolis, à quibus sequendus erat, & cũ quibus redimere debebat genus humanũ, & fundare Eccl. Christianam. Nec aliud prædicabat, nisi illud. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth. 11 Et etiam Franc. ad eiusdem Ecclesiæ reparationem mittendus ex ipso stabulo Christo assimilatus, idipsum prædicabat suis apostolicis consociis per eandem literam A, sibi ad eundem finem adiungendis. Et tamille, quam hic iugo humillimè obedientiæ subijciendi, Christus iugo obedientię Patris, Franciscus iugo obedientiæ Christi, illud prædicabant propter septem, quæ explicat Interpres serm. 8. citato de Apostolis. *Tollite iugum meum super vos.*

Per lit. A. idem prædicabat Frãc. quod & Christus in stabulo

1 *Quia zelatio, vel pænitentia*, siue tribulatio est iugum suaue, & leue propter multam societatem, quia omnes Sãcti in tribulatione fuerunt, 1. Petr. 5. Act. 14. Quia ergo multos habemus socios in tribulationibus, leues debent videri, quia & Christus est socius, Psal. 90. Cum ipso sum in tribulationibus, &c. Tollite iugũ meum super vos

Leue Christi iugũ propter patientiam

2 *Propter amoris coniunctionem*, quoniam omnia amara dulcia facit amor. Et eum extinguere possunt quasi nulla. Cãt. vlt. *Aquæ multæ*, &c. Vnde leue fit, quod benè facit onus. Tollite iugum meum super vos

Ob amoris coniunctionem.

3 *Propter admixtam consolationem*. Psal. 92. 2. Corinth. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, &c.* Tollite iugum meum super vos

Ob admixtã consolationẽ

4 *Propter expectantis præmiationem*, Gregor. *Consideratio, vel expectatio premij imminuit vim flagelli*. 2. Corinth. 4. Genes. 49. Tollite iugum meum super vos

Ob præmii expectationem.

5 *Ad gehennæ*, vel Purgatorii comparationem, Iob 6. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*. Tollite iugum meum super vos

Ob purgatorii comparationem

6 Propter vitiorum exigentiam. *Quia quidquid patimur* (vt dicit Grego.) *peccata nostra meruerunt. Et leuiter ex merito quidquid patimur ferendum est*. Tollite iugum meum super vos

Ob vitiorũ exigentiam

7 Quia iugum Diaboli est importabile. Ierem. 16. *Seruietis dijs alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*.

Ob iugum Diaboli importabile.

Hæc prædicabat Christus in stabulo, nascens mitis, & humilis corde in medio duorum animalium, respiciensque, exprimensque in litera A, quam flens, & clamans formabat Bouem & Asinũ. Bouem ratione suæ magnæ humilitatis onere leui, & iugo suaui obedientiæ obligandæ. Asinum ratione diabolici iugi, vndique grauis, & amari, sub quo genus humanũ eo vilius apparebat, quò ignauius, stultius, impudentiusq; recalcitrabat contra Deum. Nec sine Bouis iugo ab ipso Domino

mino

mino assumendo, alijsque imponendo, ab importabili Diaboli iugo poterat liberari, transformarique ex Asino in Ouem, Bouem, & Columbam ob dignos fructus pœnitentiæ, ab ore Christi prædicandæ, & ab eo amplectendæ iuxta triplicem eius statum. Quia Bobus scilicet coniugatis debetur fructus tricesimus. Ouibus, idest viduis debetur fructus sexagesimus. Columbis, idest virginibus debetur fructus centesimus. Idem possumus philosophari de Francisco, pariter & in stabulo nato, & in medio duorum animalium ad similitudinem Christi, ex cuius mandato eius Ecclesiam reparare debebat. Explicans in scuto vno trium Ordinum ab eo instituendorum simbola, scilicet Ouem pro Ordine Pœnitentium. Bouem pro Ordine Minorum. Columbam pro Ordine clarissarum, quibus triplicem fructum prædictum pœnitentiæ ab ipso prædicatæ per vniuersam Ecclesiam renouaret. Frangeretque asininum iugum, quo Diabolus omnem Christianitatem præmebat.

Quomodo asinus in peccatore transformandus in ouem, bouem, & columbam.

Apparens in Francisci ortu eadem *Gratia Dei Saluatoris nostri*, quæ apparuit in Christi natiuitate, sicut scribit Bonau. in prologo: Iacensque Franciscus super stabuli fœnum in medio duorum animaliũ, sicut antea iacuerat Christus, præter alia, ad quæ Francisci ortus dirigebatur, quæque ibidem affert Bonau. singulare admodum, atq; præcipuum est illud circa rem nostram, quo probat Angelum sexti sigilli ascendentis ab ortu Solis Franciscũ ad literam significasse. Ibi namque memorat Francisci *Officium, quod habuit vocandi ad fletum, & planctum, caluitium, & cingulum sacci, &c.* Hanc autem vocationem prognosticatam fuisse in fletibus & lacrimis, & vocibus ipsius Francisci iacentis in præsepio, possumus sic suadere ex Interprete nostro. Ipse namque in serm. Dom. 1. Aduentus explicans misticè illud Lucæ 21. *Erunt signa in Sole:* addensq; illud aliud Apocal. 6. *Factus est Sol niger vt saccus cilicinus*, sacco, inquit, nostræ humanitatis cooperuit lucem suæ diuinitatis. *Posui* (ait Psalmista) *vestimentum meum cilicium*.

Arcanũ quodã singulare inter alia in Franc. ortu.

Et quid tibi, Dei fili, & cilicio? Hac veste non Deus, sed reus. Non Creator, sed peccator meritò debet indui. Pœnitentis, non peccata dimittentis est vestimentum. Quid ergo tibi, & cilicio? Multum quidem & per omnem modum peccatori homini necessarium. *Quia pœnitet me fecisse hominem*; idest pœna tenet me pro homine, Isai. 43. *seruire me fecistis*, &c. & Isaiæ *Laboraui sustinens*. Factus est ergo Sol niger quasi saccus cilicinus. Sub cilicio carnis abscondit se candor Lucis æternæ. *Verè tu es Deus absconditus*, Isai. 43. *Quasi absconditus vultus eius*, Isai. 53. Et benè dicitur abscõditus, hamus enim diuinitatis absconditus fuit esca humanitatis. Vt (sicut dicit Isaiæ 27.) occideret cœtum, idest Diabolum, qui est in mari, idest in mundo salso, & amaro. Vnde Iob 40. *In oculis eius quasi hamo capiet eũ*, scilicet Behemoth. Hucusque Interpres, qui statim ostendens locum huiusmodi capturę. & materiã visibilẽ hami, capientis huiusmodi cętũ, statim subdit hæc alia,

Filius Dei sub cilicio carnis in præsepio.

Sub quo absconditus occidit cętum

Humilis capit superbum, Isai. 11. *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum sam mittet*. Noster infans pannis inuolutus. Præsepio reclinatus, manu suæ potentiæ traxit Aspidem Regulum, idest Diabolum de foramine, vel cauerna, idest peccatorum conscientia. Factus est ergo Sol niger quasi saccus cilicinus. *O primus. O nouissimus. O sublimis, & humilis, & vilis*. Hacce admiratione clausit Interpres illam pulchram imaginem, in qua sub figura Solis, sacco cilicino induti, ostendit intra præsepium, & inter duo iumenta humillima, ac vilia infantulum Iesum Christum Deum, & Hominem, vt primum, & noissimum, vt sublimem, humilem, & vilem. Et consequẽter vt talem, obedientiæ paternæ mandato iugatum, hamo suę diuinitatis sub esca humanitatis humiliatũ, capientem Aspidem Regulum, scilicet Diabolum. *Humilis capit superbum, noster infantulus serpentem antiquum*. Sic capiens Diabolum delusit Diabolum veluti stolidum Asinum; nam ipse Interpres asininam stoliditatem superbiæ, & ferocitati Luciferi attribuit. Quamobrem vna humilitas, vna vilitas Christi, obedientia paterna iugati, & ad pœnitentiæ prædicationem addicti sub sacco cilicino suæ humanitatis, quæ in sua quoque veste hominis pauperis, & vilis, & pœnitentis indicabat personam, dupliciter stolidam Luciferi elusit superbiam. Primò in seipso, simplicem formam hominis humilem, vilemq; illi obiiciens. Secundò in illis, in quarum conscientiæ foramine ceu aspis, & in eiusdem cauerna ceu regulus commorabatur.

Humilis infantulus cepit superbũ Diabolum.

Sub iugo obedientiæ delusit asininã fatam superbiam.

Nouitas gratiæ Saluatoris nostri Iesu Christi, apparentis in Francisci ortu intra præsepium in medio duorum animalium, vt humilitatem, & vilitatem Saluatoris Mundi ipse ceu Reparator Ecclesiæ participaret, erudit nos, sic dicens. Hic est ille infantulus, ortus vt stella matutina inter nebulas gloriæ, in quo, sacco cilicino induto erunt signa Solis Iustitiæ,

Nouitas gratiæ Dei apparẽ. in ortu Franc.

quæ

quæ ab eius pœnitentia, Orbi prædicata incipient apparere. Sub ipsomet sacco cilicino abscondetur tamquam vir diuinus, licet in propria existimatione vt reus damnandus. Tanquam renouator Christiani Orbis, licet apud se ceu maximus peccator, ab ipso Orbe expellendus. Tamquam alter Christi Præcursor, Deiq; Præco pœnitentiam in remissionem peccatorum prædicaturus, licet pœnitentis magna criminum mole pressi exprimet formam. Dum iste infantulus taliter nascitur ad Christi similitudinem, qualiter ad Christi imitationem esse debebit, ipse quoque absconditus sub visibili cilicio, iam abscondens sub carne spiritum quemdam diuinum, occidet cœtum, idest Diabolum, qui in Mundo falso, & amaro penè cuncta bona, quæ in Ecclesia reliquerant Christus, & eius Apostoli, deuorarat. Iste idem infantulus humillimus capiet serpentem antiquissimum, & superbissimum, & sub apostolici Bouis iugo tam in seipso, quam in alijs asininã Luciferi impudentiam illudet. Hic demũ infantulus positus nunc in præsepio *delectabitur ab vbere super foramine Aspidis, & in cauerna Reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet*. Dumque ab ipso ortu incipit ascendere ab Oriente vt Angelus, habiturus signum Dei viui, officium suũ erit, fulgẽtibus in ipso Solis Iustitiæ signis *vocandi ad fletum, & planctum, caluicium, & cingulum sacci*. Sic namque effectus deinde interius, & exterius Christo similis, erit ipse & primus, & nouissimus, & sublimis, & humilis, & vilis, vt eo amplius eluderet Luciferum, quò sublimius euectus ad sedem illius vnde corruit, & ex Angelo factus est Diabolus, & ex Diabolo ad asininam translatus stoliditatẽ, in quã potissimum, ipso infantulo aduersus ipsũ nunc adnascente, suos sequaces transformat. Formans cum tanta scelerum, errorumque diuersitate monstruosum, nouumque quodam portentum, in quo Asinus vnus aliam vultuum quadriformitatem vltra propriam formam exprimit. Nimirum formam Cœti, seu Behemoth. Formam Serpentis. Formam Aspidis. Formam Reguli.

Sub cilicio carnis infantulus Franc, qualis

Quomodo Franc. erit & primus, & nouissimus, & sublimis

III.

Pica Puerpera super stabuli fœnum in medio duorum animalium nouem Picas canoras peperit in vno Primogenito, quo renouauit, fundauitque in Ecclesia triplex Christi, Apostolorumque Museum.

Haud mirabitur Lector, si explicans tertiò punctum hoc tertium, ex Poetarum figmentis, fabellisq; nonnulla prælibare cohibeor. Domina Pica, pia, ac nobilis mulier Assisias, quem peperit in stabulo primogenitum suum, Propheta fuit, Vates, & Poeta, & Orator, Theologusque Seraphicus, auctorque opusculorum, quæ tribus tomis ordinauit Vadingus, suæque scholæ fundator, vt diximus in primo Hierarchiæ tomo. Eius Poesis Lyrica & poetica, & poemata apostolica inter opuscula ad tom. 3. impressa stilo Italico illius temporis (quem Dantes aliquantò expoliuit, sed Petrarca structura, numero, phrasi, vocibusq; decorauit, ampliauitque) inueniuntur. Fuisse Franciscum bonum, optimumque Poetam, haud ex eius metri constructione, constitutione, aut mensura, carminũque elocutione deducendum; sed ex cordis eius inflammatione, quæ ignitam medullam sub duris, impolitisque versuũ corticibus contegit. Patet ex Cicerone, Oratorum Latinorum Principe, gnaro quidem in poetices theorica, secus autẽ in praxi. *Bonus Poeta*, inquit lib. 2. de Orat. *nemo sine inflammatione animorum existere potest, & sine quodam afflatu quasi furoris.* Talis inflammatio tum in diuina, tum in humana, sacra, prophanaque poesi, Amor est, operibus ostendendus. *Hoc* enim *amore*, ait Interpres noster ser. 6. in Passione, *ligantur mentes, & animæ*; & paulò infra, *sed debet ostendi operibus*.

Tria B. Francisci cantica poetica tantum occurrerunt Vadingo; alia namque vel ad B. Claræ primogenitæ suæ, eiusque sectatricum solamen modulata, vel similia huius generis, temporis, inquit, iniuria, vel verius Fratrum incuria periere. Canticum primum intitulatur, *Canticum Fratris Solis*, sed caret numero, ac metro poetico, spectatque potius ad solutam poesim, licet in pluribus ob multarum vocum consonantiam melodiam referat. Canticum secundum, seu Cantiuncula, epodis decem singulis suis versiculis conflatis, rimulisque alternatim distributa, omnis, quã format harmoniam, ex æstuãti Diuini Amoris igne erumpit. Compo-

Franc. fuit propheta, & vates, & poeta, & orator, & theologus seraphicus, &c.

Bonus poeta nemo sine inflammatione, ac furoris afflatu

Tria solummodo cãtica inter alia à B. Fran. edita inueniuntur

suit

fuit namque eam Franciscus in actu stigmatizationis. Incipit, *In foco l'Amor mi mise, &c.* deciesque ad numerum epodorum, in fine cuiuslibet epodi hunc eundē versiculnm repetit, *In foco l'Amor mi mise.* Tertium cāticum constat epodis 31. carminibus verò 364. ad summum longius secundo, cuius versiculi (qui in singulis epodis sunt 7. exceptis 1. cuius sunt 9. & 10. cuius sunt totidem) solum complent numerum 74.

Canticum 2. quale

Canticum 3. quā lōgius a

Cantiuncula illa secunda metro, & vocibus regulatior videtur cantione tertia. Hæc post ruptam Frācisci carnem, quinque partibus à Christo perforatam, composita est à Francisco. Ruptio illa cruenta non minuit Seraphici hominis incendium, etsi hoc foras erupuerit, sed magis auxit, quemadmodum interior illa flamma, qua ignea Francisci anima Christo suo igneo assimilabatur, vbi antea erat vna, facta est deinde bina in exteriori similitudine. Sicque vterq; totus homo in Francisco euadens in Christo, summo Seraphinorū Seraphim, Seraphicus, duplex illa cum Christo similitudo duplicauit necessariò amoris incendium. Vehemens huiusce geminati amoris accrementum describens postea Seraphicus Poeta, haud mirum si minus regulatè modulatus est, quamuis valde maiori carminum mole. Vehementia enim Amoris, teste Bernardo serm. 9. in Cant. excessu, impetuque desiderii, rationis, consilii, iudicii, pudorisque reparaculum frangit, vt postea dicemus. Incipit,

Amoris Dei vehementia qualis in amātibus

Amor de Caritate, perche m'hà si ferito? &c Finit,

Amor, Amor la morte te domando, &c.

Vtramque rescribemus infra simul cum traditione latina, prout rescripsit in tertio opusculo citato Vadingus.

Hunc Prophetam, & Vatem, & Poetam Pica Puerpera peperit in stabulo in medio Bouis, & Asini. Et aduertendum Quod post recepta sacra stigmata, super Asellū (vt dictum est) ibat Franciscus quasi Poeta Seraphicus, à Christo plagis suis, & clauis laureatus: qui publicum triumphum splendida humilitate, ac purpurea vilitate circumfertum celebrans, super idem ipsius Christi triumphi iumentum, denuo in ipso Crucis stultitiam sub Bouis Apostolici iugo cunctam impudentiæ, ac petulantiæ stoliditatem Luciferi, Mundi, Carnis, à qua liberauerat Ecclesiam, subiugasse declarabat. *O præclaram emendatricem vitæ Poeticam* exclamauit, Tull. 3. de Oratore. Sed Poetica sua Franciscus, se præclarè transformatum in Christum, cecinit,

Franc. poeta plagis, & clauis Christi laureatus

Amor, Amor Iesu si pietoso,
Tu me te dai in te trasformato.

Ac proinde totam Ecclesiam emendasse, ac renouasse. Christo iam igitur Cruci cōfixus Franciscus tam carne, quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum: verum etiam sitiebat cū Christo crucifixo multitudine saluandorum. *Faciebat proinde quoniam propter excrescentes in pedibus clauos ambulare non poterat, corpus emortuum per Ciuitates, & Castra circumuehi, vt ad Crucem Christi ferendam cæteros animaret.* Ita Bon. cap. 14. in princ. Sed Francisci, ita publicè ducti vehiculū Asellus erat, vt communiter ex ipso Bonau. fertur. Super hunc currum triumphalem tot ora Christi triumphum harmonicè acclamabant, quot erant in circumducto Francisco vulnera. Et in Francisco, vt Vate in Ecclesia canebat illud poeticū epodi 24. cant. 2. citatæ, Christum alloquens, vt infra.

Et me fecere Poetam Pierides, cantauit Virgil. 9. Ecl. Pieria est Regio in finibus Macedoniæ inter Axium, & Aliacmonē fluuios. Plin. lib. 4. cap. 10. & Strab. lib. 10 teste Plinio ibidem. Hinc Pierides Musæ, quod in Pieria ex Ioue, & Mnemosine natæ sint. Dies Pierij, quos impendimus literarum studiis, leguntur apud Statium 1. Sil. Nuncupantur etiam Musæ *Castalides* à fonte Castalio, non procul à Delphis in Phocide ad radices Parnassi Montis. Vnde & Apollinis, & Musis sacer creditur. Ita dictus à Virgine Castalia, quæ Apollinem fugitans, præcipitata, in fontem versa est. Dicuntur quoque *Camenæ* hæ Musæ, Iouis & Memoriæ filiæ, vel a cantus amœnitate cum Varrone, qui testatur appellatas esse ab antiquis *Carmenas*, & *Casmenas*, postea, adiecta *r*, & *s*, Camœnas. Vel ob tria cum Festo, aut à carminibus, aut quod canunt antiquorū laudes, *aut quod sint castæ mentis præsides*.

Cur Musæ dicantur Pierides, & quæ earum parētes,

Cur etiam & Camænæ appellētur

Pari modo dicuntur hæ Musæ Parnassides, Heliconiades, Hipocrenides, Pegasides, Aonides ab Aonia, Focidi confine. Citherides, vel Citheriades ab Acticæ regionis Monte, qui Citheron dicitur. Thespiades à Thespia, Oppido Heliconæ vicino. Pimpleides à Pimpla Traciæ Mōte, vel à fonte Pimpleo, in radice eius Mōtis sito. Libethrides à fonte Macedoniæ in ea regione, quæ Magnesia dicitur. Item demum Aganippides dicuntur Musæ.

Parnassus Mons est in Phocide, vt scribit Plinius lib. 4. cap. 3. & Strabo lib. 8. & 9. Duos habet vertices, teste Herodoto in Vrania, alterum Pithorea, alterū Hyampeum. Citheron, & Helicon haud sunt iuga Parnassi, vt malè putauit Seruius, sed

De Parnasso monte synopsis

sed sunt duo montes diuersi, & disiuncti. Citheron procul est à Parnasso circiter triginta passuum millia, Helicon verò quindecim. Parnassum sacrum faciunt Baccho, & Apollini. Hic esse scribunt Apollinis Delphici Templum. Hinc fons Castalius Musis sacer. Hic habitauere Pieres, natio Thracia. Vnde Pierius Mons & Pierides Musæ. Sub Parnasso habitauerunt etiam Hiantes Populi, vnde aqua Parnassi fontis Hiantida dicunt. Hinc fontes Atticam versus Hipocrene, & Aganippe. Hi duo fontes, Boetiæ prior, à Cadmo monstratus, posterior non procul ab Helicone. Vterque Musis sacer; vtrumque factum esse à Pegasi Equi alati vngula (vnde & fontem Caballinum Hipocrenem nuncupat Persius ad verbũ reddens vocem græcam) Poetæ fabulantur. Et Apollinem dicunt Musarum Patrem, Principemque eò auctorem fuisse carminis, Præsidem Vaticinii, Citharæq; Lyræque, quæ nobis cælestis harmoniæ imaginem monstrant, inuentorem. Idcircò in medio Musarum semper ponitur.

Montis Parnassi præconia.

Bacchus, cui etiam Parnassus sacer, Deus vini putatur, nuncupaturque etiam Liber Pater, quod nomen Ioui, eius Parenti attribuunt, & Apollo Liber etiam appellatur. Vis vini maxima quidem, & tam in sacris, quam in prophanis rebus potentiæ, & fortitudinis, & roboris plurimi simbolum est. Hinc sicut Mons idem & Baccho, & Apollini, & Musis sacer est, ita & Bacchus, idest fortitudo strenua, diuinusque furor, & Apollo, & Musæ benè simul stare possunt. *Bonus namq; Poeta,* vt diximus cum Tullio, *nemo sine inflammatione animorum existere potest*. Hac puto de causa Romanos in eodem Altari statuam Herculis, & Musas collocasse. Reciproca enim videtur sympathia inter virtutem heroicam, cuius simbolum vinum, & Herculem, & Poesim. Virtus namque heroica materiem Poesi frequẽter administrat. Poesis vero virtuti heroicæ splendorem, nomenque tribuit. Altera ab altera immortalis fit. Altera tuba alterius est, altera huiusce tubæ flatus est. Vide Eumeniũ apud Alexandrum Taxonium lib. 9. quæst. 12. contra Plutarchum.

Cur etiam Parnassus Baccho sacer

In eodem altari Hercules cum Musis apud Romanos

Musæ nouem finguntur, nec plures, nec pauciores. Musa latinè cantus, & Musica à Musa deducta. Plato autem in Cratylo Musas dictas putat quasi *aio tu Musas*, ab inquirendo. Vnde ab antiquis interdum vocatæ sunt Mosæ. Alij Musas dictas putant quasi *Omo iusas*, quod inter omnes disciplinas similitudo sit. Vnde & Musæ ita pingi solent, vt se mutuo tenentes, Choros ducant. Sunt etiam qui dictæ putent *Apotumutin*, quod est bona, honestaque disciplina instituere. Cur autem sint nouem, explicant ex obiectis, circa quæ versantur, & ob quæ græcanica nomina ipsis imposita.

Musæ nomẽ vnde deductum

Variæ sent. super etim. Musæ.

1 Dixerunt *Calliopen* à bonitate vocis, ob quam

Carmina Calliope libris heroica mandat.

2 Dixerunt *Clio* à gloria, & celebritate rerum gestarum.

Clio gesta canit transactis tempora reddit.

3 Dixerunt *Erato* vel à canẽdis amoribus, vel quod cantus ab omnibus desideratur. Nam

Plectro gerens Erato, saltat pede, carmine, vultu.

4 Dixerunt *Thaliam* à voluptate, ac lasciuia cantus.

Comica lasciuo gaudet sermone Thalia.

5 Dixerunt *Melpomenem* à canendo, & modulando, hoc est à concentu faciendo. Sed quomodo?

Musarum nomina, & officia

Melpomene thragico proclamat mæsta boatu.

6 Dixerunt *Terpsicorem*, scilicet à delectandis choreis. Vnde à quibusdam dicitur Citharistria.

Terpsicore affectus citharis mouet, imperat, auget.

7 Dixerunt *Euterpem* à suauitate concentus.

Dulciloqui calamos Euterpe flatibus vrget

8 Dixerunt *Polyhimniam* à multitudine vel cantus, vel memoriæ.

Signat cuncta manu, loquitur Polyhmnia gestu.

9 Dixerunt *Vraniam*, vel à cælestium rerum cantu, vel à cantus diuinitate.

Vrania Cæli motus scrutatur & astra.

Hæ sunt nouem Musæ fictæ quidem, sed factæ ab inuentione ad significandas bonas disciplinas. Hæ, inquam, sunt nouem Poetarum Musæ cum suis interpretationibus, adiunctis totidem carminibus Virgilianis, quibus immediatè sunt hæc duo alia,

Apollo in medio Musarũ ponitur

Mentis Apollineæ vis has mouet vndique Musas.

In medio residens, complectitur omnia Phœbus.

Locus ille Musis, & studijs consecratus in Macedonia circa Olympum montem *Museum* communiter appellant: vide Steph. Transfertur nihilominus ad omnia loca, studijs dicata: Vnde Strabo scribit, apud Alexandriam fuisse celeberrimum *Museum*. Plin. lib. Epist. ad Fũdan.

Museũ quid significet

O mare, ò littus, verum, secretumque Museon.

Iam superius in principio libri antecedentis ad sect.1.cap.1. adnotatum est, fabulari, in Aues Picas mutatas esse Pieridas, scilicet nouem Musas. Vide ibi,& hic tãtùm inspice Ouidianam metamorphosim in 6. sic decantatam.

Musę cur mutatæ in Picas

Plangere dumque volunt, per brachia mota leuatæ,
Aere pandebant nemorum conuicia Picæ.
Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
Raucaque garrulitas studiumque immane loquendi.

Pica igitur Puerpera, & Pica fœmina Musarum simbola explicans in nomine, quem fudit super stabuli in medio duorum animalium fęnum, Picas cunctas in se solo patefecit. Ipse namque solus canens etiam illud Virgilianum, *Et me facere Poetam Pierides*, Museum illud nouũ, peregrinumque apparuit, aperiens omnes cælestes Musas, scilicet gratias cælestes.& virtutes inclitas secum habens, in quo renouatam in seipso Christi, & Apostolorum vitam,pari voce, atque harmonia tales Musæ cecinere. Propterea Christi, & Apostolorum Museum haud inconsultè Franciscum nuncupauimus. Apollo, seu Phębus in hoc Museo Deus verus. & nõ fictus ab ipsa infantia audire fecit suarum Musarum cantum illum, & melodiam illam, quam in eius adolescentia explicauit Bonau. cap.1. illis verbis, loquens de Francisco. *Aiebat*, inquit, *post cum iam perfectè Christum induerat, quod etiam existens in habitu sæculari, vocem diuini expressiuam amoris audire vix vnquam sine cordis immutatione valebat*, &c. Ista immutatio simpatica in corde Francisci musicam illam faciebat,quam iuxta adagium cõmune ipse docet Diuinus Amor. Qui ipsum Franciscum Poetam suum effecit,trahentem ab vtero Picę cum pietate (ob quam veluti ex consonanti corda eadem immutatio oriebatur in eius corde, vt dixit ibidem Bonau. paulò supra immediatè) cælestes Picas, in moribus illius hanc apud ipsum Bonauenturã formantes harmoniam. *Porrò*, inquit, *mansuetudinis lenitas cum elegantia morum. Patientia, & tractabilitas supra humanum modum. Munificentiæ largitas vltra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indicijs, quædam videbantur esse præludia, quod copiosior super eum foret in posterum diuinæ benedictionis abundantia effundenda.*

Verum veri Dei, triplexque Museum Franc.

Morum harmonia in Franc. adolescente.

Hæc abundantia deinde ad facundiam illam priscam,quam tradunt de Picis,in quas Musas mutatas refert Ouid. prorupit,studiumq; immane loquendi (immane inquam ob dulcem amoris diuini, teste Nazianzeno, & ob amaram in amorem prophanum tyrannidẽ) quo in Christo,& in Apostolis fundauerat Ecclesiam,quam postea ab immane loquendi, & operandi studio amoris mundi in excidium positã, in Francisco reparauit. Sed hoc vocabulum *immanis* est etiam apud Latinos *ingens*, *immensus*. Et in Museo Francisci tota eius Poesis diuinitus inspirata,inflammata, infusa, & ingenti superfusa plenitudine charitatis, & sapientiæ Dei, nouo Theologiæ cantico (de quo Interpr. vbi *Theologiam canticum nouum appellat,in auribus Numinis resonans*) supernam Apostolorum ebrietatem patefecit, sicut legitur in Actis, & poeticè canit Ecclesia.

Diuini amoris facundia in prophanũ amorem immanis.

Musto madere deputant,
Quos spiritus repleuerat.

Sed audiamus ex Bonauentura quales deinde in vita Regulari in Apostolico Francisci Museo Picæ,seu Pierides loquaces;qualis harum Picarum cantus,& harmonia, & qualibus vocibus musicalibus hæc harmonia efformata.*Inaudita*,inquit, *deuotionis affectu fontalem illam Bonitatem in creaturis singulis, tamquam in riuulis degustabat, & quasi cælestem concentum perciperet in consonantia virtutum, & actuum eis datorum à Deo ipsas ad laudem Domini more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur.*

Franc. cen verus Orpheus,et Amphion,à quo reparanda ecclesia

De Poeta Thrace Orpheo fabulatur, quod cum esset Calliope, & Apollinis filius, à Mercurio, siue cum aliis à Patre Apolline Lyram acceperit,eaque tantum valuerit, vt illius cantu syluas, & saxa mouerit, fluuiorum cursum prohibuerit, feras mitiores reddiderit, vxorem Euridicem descendens ipse ad Inferos de manu Proserpinæ liberauerit. Quid simile autem fingitur de Amphione, Iouis, & Mercurii filius, à quo accepta Lyra adeo suauiter canebat, vt saxa ad struendos muros Thebanos traxisse dicatur. Quod ideò fictum, quia eloquii suauitate homines rudes,& incultis moribus ad obsequij ciuilis pellexit disciplinam.

Quis Orpheus, quis Amphion

At Franciscus ex Picæ Matris suæ vtero trahens pietatem, hancque colens ab infantia cum virtutum Musis, hisque percutiens Lyram, quam Deus, cuius filius erat, tradiderat, canensque creaturis singulis inanimatis, vegetantibus, insensibilibus,illas hortabatur ad Dei laudem. Quo pacto corda peccatorum siluescentia, ac saxea ita mouebat, vt deperditam rationalitatem ipsis restitueiit, & ad culturam virtutum Christi,& Apostolorum reduxerit.Prohibuit fluuiorum,inundantium Ecclesiam vniuersam impetum. Feras humanas mansuefecit. Sponsa

Christi

Christi è Satanæ manibus potentissimè eripuit. Lapides dispersos ad constructionem reparandæ Ecclesiæ mirabiliter traxit, eloquiique suauitate ob earundemque virtutum consonantiam, cælestemque concentum (vnde & ipse verè diuinus vates inauditæ deuotionis affectu, cui originalis fomes materna pietas, in fontalem illam bonitatem per ipsas creaturas immersus) homines rudes, & incultis moribus ad obsequii non solum ciuilis, sed etiam euangelici, apostolici, seraphici pollexit disciplinam.

Quis in portatile Fran. Museo Apollo

Hoc diuinum, seraphicumque Museũ portatile per totum Orbem, in quo Apollo verus, scilicet Sol iustitiæ Christus cum disciplinarum cælestium Musis, mirabilis doctrinæ copia affluentibus, & maxima vi, & potentia callentibus, quodammodo ostendit Bonau. cap. 12. illis verbis. *Aderat equidem seruo suo Francisco ad quacumque pergeret is, qui eum vnxerat & miserat spiritus Domini, & ipse Dei virtus, & sapientia Christus, vt sana doctrina verbis afflueret, & magna potentia miraculis coruscaret.* Musas dici eo quod *sint castæ mentis præsides*, supra attulimus ex Festo. Et de Francisco tradit Bonauent. cap. 11.

Musæ castæ mentis præsides.

Penetrabat ab omni labe purum eius ingeniũ misteriorum abscondita. Et vbi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis Sicque Amor Diuinus musicam in ipso faciens, docens, colens, in totius Ecclesiæ tractionẽ, & oblectamen eius Museũ montes eminentiores meritorum, fontes limpidiores gratiarum, cum Equo, pennis seraphicis alato, alboque Christi, cui simillimus Franciscus, continebat, vnaq; cum Camęnis suis, cum Picis suis, quas ex pietatis vteri materni Picæ Puerperæ deduxerat.

Franc adolescens, & poeta, laureatus iugo, triumphat super asellum

Verum dum adhuc contemplor natum Franciscum in stabulo in medio Bouis, & Asini, oportet etiam eum perscrutari, admirari, obsequi vt nouum Christi Vatem, non solum prout habentem in se cæleste Museum, sed etiã prout coronatum iugo obedientiæ Christi, quo illi respondit in vrbe Augubi, *Domine quid me vis facere*, vt diximus cum Bonau. cap. 3. Simulque cernere ipsum triumphantem super dorsum Asini, qui nouo triumphatori, ad Capitolium, ad quod ab infantia pergit Christus, pergenti, erit currus, & quadriga, & hostes victi, & apparatus, & applausus publicus. Describit aliquo modo, tametsi communibus verbis, Interpres noster sub nomine Viri iusti istum Francisci triumphum, retrahens ipsum ex triumphis Christi, in die Palmarum triumphanti imaginẽ. Intueamur quæso triumphantẽ Poetam nostrum, audiamusque choros musicales, illius triumphum celebrantes, omnemque triumphi pompam inspiciamus. *Moraliter*, inquit, *Rex, sedens super asinam, & pullum eius est Iustus, carnem reprimens, & appetitum eius refrenans*. Vnde Hierem. 31. *Virgo Isreal adhuc ornaberis timpanis tuis, & egredieris in choro ludentiũ.* In timpano, quod est pellis mortua, in ligno extensa, carnis mortificatio. In choro, vbi voces resonant vnitæ, concordantia designatur. *Anima ergo timpanis ornatur, & in choro ludentium egreditur, cum carnis mortificatione, & virtutis concordia decoratur.* Vnde Dauid Psalm. 150. *In timpano, & choro laudate Deum.*

Quis verè Rex, sedens super asinã, & pullum.

In istum Poetæ nostri diuini, iugo obedientiæ ad Deum ab adolescentia in statu sæculari obligati (iamque positi super Asinam carnis, & pullum Asinæ, idest appetitus) celebrandum triumphum, mirandum virtutum Museum magna põpa concurrit. Imo ex quo puerulus, specimen quodam triumphi Christi per Vrbis Assisii vias mirandum in modum pluries ipsi contigit. Refert enim Bonau. cap. 1. post vltima illa verba præallegata *diuinæ benedictionis abundantia diffundenda*, istud exemplum immediatè. *Quidam sanè vir de Assisio valde simplex, vt creditur eruditus a Deo, cum aliquando per Ciuitatem eunti obuiaret Franciscus, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, asserens omni fore Franciscum reuerentia dignum. Vtpote qui esset in proximo magna facturus, & ob hoc ab vniuersitate fidelium magnificè honorandus.*

Publicus Fran. triumphus, mirusque in pueritia

Spiritus Domini repleuit Orbem terrarũ, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis, Sapient. 1. Medietatem huius sententiæ ita exponit Interpr. noster serm. 2. in die S. Pentec sicut iam aliàs diximus. Et hoc, quod continet omnia habet sciẽtiam vocis, *idest homo animal rationale, quod continet omnia quatuor elementa, ex quibus omnia constant, habet scientiam vocis, quia intelligit, quando Spiritus Sanctus loquitur.* Vnde Bernardus, *Totiens spiritus loquitur, quotiens bona cogitamus*: vnde Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Sic legimus contigisse in solemnissimo Christi Vatis summi, ac Prophetæ magni in die Palmarum triumpho. *Plurima enim turba strauerunt vestimenta sua in via, &c. dicentes: O sanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini*, Matth. 21. Hæc siquidem acclamans, publica, tam noua, insueta, miranda, festiuaque collocutio puerorum, rusticorum, plebeiorum, hominum rudium, ac simplicium ex præcipua Spiritus Sancti motione oriebatur,

Homo continẽs omnia scientiam habet vocis

vt communiter Sancti Patres declarant. *Osanna* (ait Doctor noster) *interpretatur salus, vel salua obsecro. Osanna ergo, idest salus, est filio Dauid; vel à filio Dauid, vel filio, idest per filium. Benedictus, idest immunis à peccato. Et ideo singulariter benedictus es, ò tu Christe, qui venis in nomine Domini*: idest qui venturus es. Nam qui primum in forma serui apparuisti, tandem in gloria Domini apparebis: *Osanna in excelsis*, idest salua in excelsis, quasi diceret, qui saluasti redimendo in terris, salua obsecramus nos in Cælis. Hæc Interpres ibi.

Osanna in excelsis quid denotet

Ille vir admodum simplex de Assisio quotiens ad pedes Francisci pueri, deponens pallium, sternabat vestimentum, vt super ipsum transiret, totiens eruditus interius à Deo per scientiam infusam vocis, qua Spiritus Sanctus per eum loquebatur, asserebat duo. Vnum vt effectum, aliud verò vt causam talis effectus, & vt causam duplicem, alteram influentem in eius gesta personalia. Alteram in bonum vniuersitatis fidelium, vt propterea ab eadem vniuersitate publico honore exaltandus esset Franciscus ab ipsa sua pueritia. Dicebat primò vir ille simplex, proijciens vestimentum suum ad pedes Francisci, quod Franciscus foret omni reuerentia dignus. Addebat secundò, *quod esset in proximo magna facturus*, ecce prior causa, quam diximus. *Et ob hoc ab vniuersitate fidelium magnificè honorandus*. Ecce posterior causa prædicta. Ni fallor sicut his verbis, in quibus per os hominis rudis, & simplscis loquebatur Spiritus Sanctus, haud obscurè demonstratus fuit Vir Sanctus veluti Reparator totius Ecclesiæ, Christo in gestis, & actibus simillimus; sic suo quoq; modo per vestimēt. ad illius pedes, ea loquendi forma illi festiuè acclambatùr. *Osanna fili Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini*. Salus namque in tota Ecclesia à Francisco benedicto, qui ab omni culpa læthali immunis venit. Ipse saluauit in excelsis, & ipse filius Dauid, idest Christi crucifixi, valde vnicus dupliciter, missione, & similitudine. Missione, quia è Cruce immediatè eum misit Christus, ter ei mandans, vt iret, & repararet domum suā, quę tota destruebatur. Similitudine, quia ab alia Cruce ipse pariter Christus immediatè præter internam sui ipsius conformitatem in mente, tribuit quoque & conformitatem in carne per plagas, & clauos.

Vir simplex sternebat pedibus Fran. vestimēt. duplici ex causa.

Dicitur 1. Reg. 24. *quod Dauid habitauit in deserto Engaddi*. Vbi Interpres distinguens triplex desertum, scilicet vterum Virginis, illud Euangelicum Matth. 4. & desertum Crucis, & in quolibet demonstrans introductum Christum, ita inquit in principio super figuram Dauid, loquēs de deserto Crucis. Dauid manu fortis est Christus, qui manibus in Cruce affixis aereas potestates debellauit. *Ecce quam mirabilis fortitudo, ligatis manibus proprium deuincere inimicum*. A duplici deserto Crucis Dauid Christus filium gratiæ suæ Franciscum constituit ceu alterū Dauidem sibi admodum conformem, vt per eum pari modo, quo in fundatione Ecclesiæ suæ debellauerat hostem, & in eiusdem reparatione ipsum debellaret. In priori deserto intra Eccl. S. Damiani apud Assisium super Crucem ligneam antiquā vidit Franciscus depictam Crucifixi Domini imaginem solummodo, & audiuit simul corporeis auribus, cuius corde etiā percepit, allocutionem. Sed in posteriori super Aluerniæ montem apud Florentiam, oculi corporeis intuitus est Franc. ipsum Christum sub specie Seraph Cruci affixum, & auribus mentis audiuit illius verba ineffabilia. In priori contuitu, atque perstupendo auditu, totus in ingētem obstupectionem conuersus fuit, totus à sua quoque mente alienus effectus aliquantisper apparuit. *Tremefactus Franciscus, cum esset in Ecclesia solus, stupet ad tam miranda vocis auditum*, cordeque percipiens diuini virtutem eloquii, mentis alienatur excessus. Bonau. cap. 2.

Magna vtiq; fortitudo ligatis manibus hostem vincere

Dauid manu fortis Christus est

Ea tunc tēporis obstupefactio, atq. alienatio alium fecit Franc. tum ratione officii sibi à Christo ter demandati, tum ratione idoneitatis ad eiusmodi officium, quod tandem requirebat valde præcipuā similitudinem ipsius Francisci cum Christo. Hinc in posteriori contuitu alienatio Franc. rursus alium à se fecit ipsum, eumdemque cum Christo, à quo perfectissima similitudine corde, & carne, spiritu, & corpore, interiusque exteriusque crucifixus est. Tuncque Dauid Christus (qui in lignea Cruce super Caluariæ montem totaliter de hoste triumphans, consummauerat Redemptionem, ita dicens, *consummatum est*) in Cruce carnis Francisci consummatam ostendit nouam hanc, de qua loquimur reparationem Ecclesię suę. Sicque vbi prima vice in adolescentia iugo obedientiæ laureatus Franc. triumphauit, sedens super Asinam, & pullum Asinæ per mirandam carnis, & appetitus subiugationem: Secunda vice laureatus plagis, & clauis Christi, super Asellum circuiens Vrbes, & Castra, non amplius carnis, & appetitus triumphum sui ipsius deferebat, sed Christum triumphantem, iterum de hoste suo in seipso victoriam obti-

Alienatus Franc ad vocem Christi è cruce alius factus est.

Iterumque magis alius factus est in stigmatizat.

Quales nouem Camœnæ in illo Franc. triumpho

obtinentē. Sed quale tunc in illo triumpho in Francisco Museum, scilicet Musarum applaudentium concursus? Qualis Calliopen, circa heroica Francisci triumphatoris gesta bonitate vocis conspicua? Qualis Clio, à celebritate rerum gestarum Francisci gloriosa? Qualis, inquam, Erato à canendis amoribus inter Christum, & Franciscum ab omnibus concupita? Quæ in illo triumpho Francisci Vatis Thalia, haud voluptuoso, ac lasciuo sermone comicè gaudens, sed amatorio, ac virgineo, quo liber canticorum plenus est? Quæ Melpomenes concentuosa, ac melodica? Quæ Terpsicore in delectandis Choreis vnica, ac Citaristria mirabilis? Vbi Euterpen, cantu suauissima, Polyhmnia quantò multimoda cantu, tantò varietate cantus delectans. Vrania, res cælestes, ac diuinas in illo triumpho celebrans? Visne cernere, ac videre, & audire hasce Camœnas cum Apolline, & Phœbo veluti in vno Museo in vnico Frãcisco sacris stigmatibus laureato, atque triumphatore vectas, intuere ipsum quæso primo super montem Aluernã circa actum stigmatizationis, deinde post stigmatizationē super Asellũ circumuectum. Atq; in ore suo diuinas Camœnas tam ibi, quam hic auscultare non pigeat.

PRIMVM MVSEVM SERAPHICVM super Montem Aluernam celeberrimum.

Textus Historiæ D. Bonau.

Fran. imperterritus circa amoris diuini conflictus

ET licet propter multã austeritatem vitæ præteritæ, Crucisque Dominicæ baiulationem continuam imbecillis iam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrij sustinentiã vigorosius animatus. Exercuerat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Iesu *in lampades ignis, atque flammarum, vt aquæ multæ charitatem eius tam validam extinguere* non valerent. Cant. 8.

Tempus, & locus apparitionis Christi sub specie Seraph

Cum igitur seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, & compassiua dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi; quodam mane circa festum Exaltationis Sanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit Seraph vnum, sex alas habentem tam ignitas, quam splendidas, de Cælorum sublimitate descendere. Cumque volatu celerrimo perueniss et ad aeris locum, Viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum Crucis, manus & pedes extensos habentis, & Cruci affixos. Duę alæ super caput ipsius eleuabantur. Duæ ad volandum extendebantur. Duæ verò totum velabant corpus.

Forma illa Christi Seraph qualis.

Hoc videns, vehementer obstupuit; mixtumque mœrore gaudium cor eius incurrit. Lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo à Christo sub specie Seraph cernebat, se conspici. Sed Crucis affixio compassiui doloris ipsius animam pertransibat. Admirabatur quamplurimum in tam inscrutabilis visionis aspectu; sciens, quod passionis infirmitas cũ immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conueniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino reuelante, quod ideo huiusmodi visio sic Diuina prouidentia suis fuerat præsentata conspectibus, vt amicus Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformãdum. Disparens igitur visio, &c. vt paulò infra.

Cur Dominus in illa forma Frãc. apparuerit

Reuelatio Christi Frã. effecta circa illam formã

Hæc scripsit Bonau. cap. 13. Legendæ maiori, quæ postea Seraphicum Francisci Museum cantauit, referens actum stigmatizationis.

CAN-

CANZONETTA.

Conflitto d'Amore trà Francesco, e'l suo Serafino Christo in stimmatizarlo.

I.

Calliope Heroica.

Qual cosa più heroica in questa vita

In foco l'Amor mi mise,
In foco l'Amor mi mise.
In foco d'Amor mi mise
Il mio Sposo nouello,
Quando l'Anel mi mise
L'Agnello amorosello.
Poiche in prigion mi mise,
Ferimmi di coltello,
Tutto il cor mi diuise.
In foco l'amor &c.

II.

Clio Gloriosa.

Qual più gloriosa, ch'esser da Christo stimmatizato

Diuisemi lo core,
E'l corpo cadde in terra,
Quel quadrel de l'amore,
Che balestra disserra.
Percosse con ardore,
Di pace fece guerra.
Moromi di dolciore.
In foco l'Amor.

III.

Erato desiderata.

Qual più desiderata.

Moromi di dolciore,
Nè ven marauigliate,
Ch'ai colpi mi son date
Da lancie innamorate
E'l ferro è lungo, e lato
Cento braccia, sappiate,
Che m'hà tutto passato.
In foco d'amor.

IV.

Talia Comica.

Comico spettacolo di Amor celeste.

Poi si fer le lancie spesse,
Che tutto m'agonizaro:
All'hor presi vn pauese,
E i colpi più spessaro,
Che niente mi difese;
Tutto mi fracassaro
Con tal forze le stese.
In foco d'amor.

V.

Melpomene tragicamente Armoniosa.

Concento in sua lieta mestitia più harmonioso

Distesele sì forte,
Ch'io diffidai scontarle,
Onde campai da morte.
Ti moui contra ragione,
Gridando molto forte,
Vn trabucco rizzoe,
Che mi diede nuoue sorte.
In foco d'amor.

CANTIVNCVLA.

Conflictus Amoris inter Franciscũ, & eius Seraphinum Christum illum stigmatizantem.

I.

Calliopen Heroica.

Quæ res plus in vita hac heroica

Vssit ardenti mea corda flamma,
Vssit ardenti mea corda flamma,
Vssit ardenti mea corda flamma,
Gratior Sponsi species nouelli,
Annulum quãdo dedit Agnus insons.
Ast vbi me carcere clausit arcto
Ilicet ferro feriens acuto,
Rupit impresso mea corda telo.
Vssit ardenti me corda flamma
Ignis Amoris.

II.

Clio Gloriosa.

Quę gloriosior, quam à Christo stigmatizari.

Rupit impresso mea corda telo,
Corpus ingenti cecidit sub ictu:
Lectus è pulchra calamus pharetra,
Viribus missus validis, quiete
Pacis excussa, tulit arma belli:
Torreor dulci exanimatus æstu.
Vssit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

III.

Erato desiderata.

Quæ desiderabilior.

Terreor dulci examinatus æstu.
Mitte mirari, fuit hic amantis
Impetus teli, quod acuta ferro
Cuspis oblongo tegit, atque lato:
Percutit pectus, pedibusque centum
Extat infixo grauis hasta ligno.
Vssit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

IV.

Thalia Comica.

Tragicomicum Diuini Amoris spectaculum

Inde telorum subiere nimbi,
Et procellosæ furit ira pugnæ:
Munior velox rutilante parma;
At magis crebro feriente ferro,
Lucido incassum tego pectus ære,
Me nimis fortis lacerante dextra.
Vssit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

V.

Melpomene tragicè Harmonica.

Concentus in sua læta męstitia magis harmonicus.

Tam potenti ardore vibrabat ictus,
Duxerim vt vanũ excipere ingruentes,
Fugerim & certæ occubuisse morti.
Bella non æqua ratione tentas,
Clamo: at is fortes iterando pugnas
Mouit inuicta noua bella dextra.
Vssit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

VI.

VI.

Terpsicore Citarista.

Così forma i balli dilettevoli l'Amor di Dio

Le forti, che mandaua
Eran pietre piombate,
Che ciascheduna grauaua
Mille libre pesate.
Si spesse le gittaua,
Non le harei mai numerate,
Nulla mai mi fallaua.
In foco d'amor.

VII.

Euterpe Soaue.

Soauità come senza anima, e però ineffabile

Non m'haurebbe mai fallato.
Sì ben tirare sapeua:
In terra ero io sternato,
Aita non mi poteua,
Tutto ero fracassato.
Niente più mi sentiua,
Com'huomo, ch'era passato.
In foco d'amor.

VIII.

Polinnia Varia, e molta.

Quì il breue è vario, & è molto

Passato non per morte,
Ma da diletto ornato.
Poi rimessimi sì forte
Dentro il corpo tornato,
Che seguì quelle scorte,
Che haueuano guidato
Nella superna corte.
In foco d'amor.

IX.

Vrania Celeste, e Diuina.

Quì il canto rimira il Rè del Cielo, e il Cielo

Poiche tornato fui,
Tosto armato mi fui,
E à Christo feci guerra,
Caualcai in sua terra,
Scontrandomi con lui.
Tostamente l'afferro,
Mi vendico di lui.
In foco d'amor.

X.

Apolline in mezo alle noue Muse.

Christo amãte è la guida delle sacre Muse

Poiche fui vendicato,
Io feci con lui patto.
Perche prima era stato
L'Amor molto verace:
Di Christo innamorato.
Hor son fatto capace,
Sempre lo cor formato
Di Christo consolato,
Infra l'Amor mi mise
In foco.

VI.

Terpsicores Citharistria.

Sic format placidas choreas Dei Amor

Saxa plumbato iacit acta missu,
Saxa quæ pondo grauiora mille,
Sicut æstiuæ rabies procellæ,
Densa non vllo numeranda sensu
Vndique expetum patiere pectus,
Irrito nunquam recidente nisu.
Vssit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

VII.

Euterpes Suauis.

Suauitas velut exanimis, ac proinde ineffabilis

Irrito nunquam cecidere nisu,
Missa tam docta iaculantis arte.
Iamque prostratos vigor omnis artus
Liquit, & corpus lacerum refracti
Fugerant sensus, iacui supinus,
Pallida exanguis velut vmbra mortis.
Vssit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

VIII.

Polybimnia Varia, ac multa.

Varia hic breuitas est & intellectu multa

Non tamen dulci fugiente vita
Gaudio, at cunctos inhibente sensus,
Fortis hinc vires reuoco priores,
Et citius vestigia sector alma,
Quæ viam celsi referant Olympi.
Vssit ardenti mea corda flamma
Ignis amoris.

IX.

Vrania Calestis, ac Diuina.

Hic cantus Cæli Regem Cælumque respicit

Pristinæ postquam rediere vires,
Armor, & Christo pia bella porto,
Fertiles eius peragrando campos,
Obuium amplectens auidis lacertis,
Implico nunquam pereunte nexu,
Impetus tanti generosus vltor.
Vssit ardenti mea corda flamma.
Ignis amoris.

X.

Apollo in medio nouem Musarum.

Christus amans sacrarum Musarũ Dux est

Vindice at postquam pia bella dextra
Ritè confeci, propero citatus,
Pacis immotæ stabilire leges.
Namque sinceri meus igne amoris
Arserat Christus: placida in quiete,
Iam fruor solamine, iam perenni
Roborat mitis mea corda Christus.
Vssit ardenti mea corda flamma,
Vssit ardenti mea corda flamma,
Ignis Amoris.

SYNOPSIS

De argumento, auctore, tempore, necnon & traductore huius Cantiunculæ.

Habet Christianus amor sua prælia.

1 PArabolicis, & obscuris verbis edidit hoc Canticũ Seraphicus Poeta, integrum, mirandumque Museum in peramanti pectore gestiens, amoris modulamine. Expressit eo nihilominus quos cœlestis Cupido ictus inflixit, & quos vicissim habuit cum Christo acriores, sed dulciores cõgressus. Habet enim & amor Christianus sua prælia, suas admittit, & emittit sagittas, quibus hinc inde amoris faces incenduntur. Amori condonanda est præsumptio, cum Christo ineundi duellum, & ad pugnam velle, quem honori, vel timori debuit habere. Nam *Amor* (teste Bernar. serm. 83. in Cant.) *reuerentiam nescit. Non horret. Non stupet. Non timet. Non miratur, Vacant hæc omnia penes amantem. Cæteros in se omnes traducit, & captiuat affectus.* Et serm. 44. ibid. *Quæ amat, amat, & aliud nouit nihil.* Profectò *calix inebrians est amor Christi*, & extra se rapit amantem donec plenè potiatur amato.

Quæ amori vehementi propria.

Huiusce poetices seraphicæ matereis

2 Descriptionem hãc Poeticam præcipuè referendam iudicat cum Senensi, statim citando Vadingus vbi supra, ad ineffabiles illos in monte Aluernæ conflictus, quibus amoris pugil Franciscus ab ipso amore quino sauciatus vulnere, totus amor euasit. Id quod singillarim parere potest ex epodo 2. iuxta scriptionẽ meam nondum impressã, in limine huius operis cũ aliis opusc. adnotatã. Intus ardens, & exterius suũ amorẽ repræsentans. Illã habes Tom. 4. operum D. Bern. Senen. serm. 4. extrau. in fine, vbi expresse Francisco tribuitur. Et qui author est indicis eiusdem tomi, illam ita indicauit, *Francisci Canticum*.

Author traductionis latinæ quis.

3 Latinũ fecit metro sapphico Chifellius Antuerpiensis, qui erudito, & planè heroico carmine Bellum Granatense descripsit, Singulis epodis additis anteà vtrinque intitulationibus, suam ipse vnicuiq; Camenam accommodaui. Posti emò Apollinem apposui, vt totum complerẽ Museum, Picis suis, seu Musis nouem Ducem Phœbum, scilicet Christum sequentibus (quem Pica Puerpera supra fœnum in medio duorum animalium effudit) consertum admiraculum.

Secundum Francisci, Sacris Stigmatibus laureati Musum Christi triumpho, ab illo super Asellum publicè circumuecto, quadrifariè ex D. Bonauentura applaudit.

Textus Historiæ D. Bonauenturæ.

Causa efficiens sacr. stigm. Christus.

DIsparens igitur visio, mirabilẽ in corde ipsius reliquit ardorem; sed & in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus eius, & pedibus apparere cœperunt signa clauorum, quemadmodum paulò ante in effigie illa viri Crucifixi conspexerat.

Causa materialis caro Franc.

Manus enim, & pedes in ipso medio clauis confixæ videbantur, clauorum capitibus in interiori parte manuum, & superiori parte apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda, & nigra, ipsa verò acumina oblonga, retorta, & quasi repercussa, quæ de ipsa carne surgentia, carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod sæpè sanguinem sacrum effundens, tunicam, & femoralia respergebat.

Causa formalis quinque vulnera & quatuor claui.

Franc. cruciatus corpore, agonizat anima pro stigmatum absconsione.

Cernens autẽ Christi seruus, quod stigmata carni tam luculẽter impressa socios familiares latere nõ possent; timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno fuit positus dubitationis agone, vtrum videlicet quod viderat, diceret, vel taceret. Vocauit proinde aliquos ex Fra-

Fratribus, & generalibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit, & consilium requisiuit.

Consulit magis familiares quid agẽdum.

Quidam verò ex Fratribus, gratia Illuminatus & nomine intelligens, quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad Virum Sanctum. Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios, scias tibi ostendi aliquando sacramenta diuina. Timendum propterea iure videtur, ne si quod pluribus profuturum accepisti, celaueris, pro talento abscondito repræhensibilis iudiceris. Ad cuius verbum motus Vir Sẽctus, licet alias dicere solitus esset, *Secretum meum mihi*; tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ. Addens, quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam dum viueret, alicui hominum aperiet. Credendum sanè tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph in Cruce mirabiliter sibi apparentis.

Reuelat sacramentum B. illuminato, & aliis.

Postquam igitur verus Christi Amor in eandem imaginem transformauit amantem, quadraginta dierum numero, iuxta quod decreuerat in solitudine consummato, superueniẽte quoque solemnitate Archangeli Michaelis, descendit Angelicus Vir Franciscus de Monte, secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis manu figuratam artificis; sed in carneis membris descriptam digito Dei viui. *Et quoniam sacramentum Regis abscondere bonũ est.* Tob. 12. Ideo secreti Regalis Vir conscius, signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum quia Dei est ad gloriam suam magna reuelare, quæ facit Dominus ipse, qui signacula illa secretè impresserat, miracula quædã apertè per ipsa monstrauit, vt illorum occulta, & mira vis stigmatum manifesta pateret claritate signorum, &c.

Causa finalis sacr. stigm. Bonum vniuersæ Eccl.

Hactenus Bonau. cap. 13. Legenda Maioris.

FErens ergo Crucifixi effigiem Franciscus (patefaciensque eiusmodi, vnicæque effigiei causas quatuor, scilicet efficientem, materialem, formalem, & finalẽ, de quibus fusius in peculiari opusculo) ferebat quoque secum, patefaciebatque simul lauream certaminis Christi. Siquidem Christo crucifixo laureatus super montem Aluernam tamquam super nouum Dei, iterum in carne Christi patientis Parnassum ipse quoque dicebat nobile triumphum Crucis, celebrans alteram Christi victoriã de Principe huius Mundi super Caluariç Mõtem subiugato. Sed ibi in lignea per seipsum Redemptionem, hic verò in carnea Cruce per Franciscum consummando Reparationẽ (alteram ab Apostolis, & successoribus, alteram à tribus Ordinibus prosequuturã, hancque illius executionem adimpleturam) hostem suum vicit Saluator. Poterat proculdubio altera vice Francisci Museum quadriformiter, scilicet ex eius causis quatuor Christi triumphum, quem ipse circumuectabat per Vrbes, & Castra super Asellum, illa Ecclesiæ in Dominica de Passione hymnodia celebrare, ac modulari.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis.
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor Orbis
Immolatus vicerit.

1 Idque poterat equidem haud alia bonitate vocis per carmen heroicum cũ sua *Calliope* seraphica arte celebrare, eiq; applaudere.

2 Haud alia *Clio* gestorum Christi extollere gloriam.

Quale Francisci Museũ sacr. stigmat. laureati & super Asellum circũ uecti.

3 Haud alia *Erato* reciprocos inter se, & dilectum suum canere amores.

4 Haud alia *Thalia* comico, virgi neoque metro huiusmodi triumphi nouũ sacramentum exprimere.

5 Haud alia *Melpomene* modulamine plurimo currum triumphalem cum aliis comite Camenis.

6 Haud alia *Terpsicore* illis Chorearum addere delectamentum.

7 Haud alia *Euterpe* cunctarum suauitatem sua vim accrescens melodiæ.

8 Haud alia *Polyhmnia* omniũ cantum multitudine magnum, ac varietate plus placidum efficiente.

9 Haud demum alia *Vrania* celestẽ, ac diuinum illius peregrini triumphi spectaculum commendare, quam illa, ab ipso cum aliis Seraphicis Pieridis non vocali sermone circumuecta, sed illo, quẽ exprimebant vulnera, & claui. His tamen sermo vt cordis, & corporis auribus perno-

pernotesceret ex quatuor inter sese valde respondentibus prorumpebat ad certam peculiarissimam concordiam, quæ sine vllo vocis sonitu, id quod ex illius celebritate triumphi Crucifixi Dei Amor in Fracisco laureatus prætendebat, efficacius suadebatur mortalibus. Explicat Bonauentura ibidem singula horum quatuor argumenta, quibus Interpres concordat.

Quadriformiter harmonicus Fr. explicans Christi crucifixi triumphum.

I° *Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clauos ambulare non poterat, corpus emortuum per Ciuitates, & Castra circumuehi, Vt ad Crucem Christi ferendam cæteros animaret.* Hoc primum, quod prætendebat Amor crucifixus, triũphans super Asellum per Franciscũ plagis quinque, & clauis quatuor laureatus, principalissimum fuit, vt canit Ecclesia Franciscana in festi Sacrorum Stigmatũ Oratione. Sed qualis hæc animatio, & à quibus ferendam Christi Crux? *Signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium*, Ezech. 9. Vbi Interpres Dom. infra oct. Natiuitatis Domini. *Isti soli signo Dominicæ Passionis nõ contradicunt, quia ipsum in fronte deferunt. Qui sunt isti gementes, & dolentes, nisi pœnitentes, spiritu pauperes, qui in Cruce gloriantur, & super abhominationibus, quæ fiunt in Mundo, dolent, & gement*, Infideles verbo, & opere contradicunt. Vnde Apoc. 1. Corinth. 1. *Prædicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Falsi Christiani contradicunt.

Qui signo Crucis non contradicũt

II *Fratribus quoque dicebat. Incipiamus, fratres, seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus.* Hoc secundum, quod prætendebat Amor Crucifixus, triumphans super Asellum per Frãciscum plagis quinque, & clauis quatuor laureatus; Iustitiæ, ac sanctitatis naturã in viris maximis demonstrabat per comparationem ad Christum. Opera viri iusti comparat Interpres noster pomis Solis, & Lunæ, explicans illud Deuter. 33. *De pomis fructuum Solis, & Lunæ terra Ioseph repleatur.* Poma, inquit, opera iusti significant propter rotunditatem perfectionis. Pulchritudinem puræ intentionis. Odorem bonæ operationis. *Hæc poma sunt Solis, & Lunæ, idest dilectionis Dei, & proximi, quæ duo quemlibet perfectum faciunt.* Ita Interpr. in serm. Dom. Septuag. Vide etiam ipsum serm. Dom. 4. post Epiph. Cum verò poma sint parum durabilia, cito corrumpantur, deficiant; nunc sint, nunc desint; ideo ipsis viri iusti, ac perfecti opera comparauit, vt ostẽderet iustitiæ, ac sanctitatis naturam. Aliàs namque docuerat, iustum semper sibi

Opera viri iusti sunt poma Solis, & Lunæ.

incipientem videri, tamquam si cuncta opera ab ipso effecta, etsi magna fuerint, peregrina, ac valde eminentia, veluti poma ita euanuerint ab eius existimatione, ac desiderio progrediendi ad noua, meliora, ac maiora, vt transacta tamquam si nunquam fuerint extiterint, & ad profectum nihil valuerint, nihilque soliditatis, ac durabilitatis habuerint.

Cur autem poma, quæ breui marcescunt.

Nec Franciscus poterat melius ore suo declarare missum esse in mundum, & in Christo passo, & crucifixo, vt passum, & crucifixum venisse vt passum, & crucifixum Christum circumferret, illum vt Redemptorem Ecclesiæ, seipsum vt eius Reparatorem, illi simillimum, quam talibus verbis, *Incipiamus fratres, &c* Nonne etiam veluti incipientem, vel incipere optantem in opere redemptionis seipsum demonstrauit Christus duobus discipulis Emmaus, vbi ad illam Cleophæ responsionem, & interrogationem, *Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti ea, quæ facta sunt in illa his diebus*, hoc solo verbo *quæ*? respondit, & iterum simul interrogauit, vt audiret ab illis quæ passus fuerat illis diebus in Ierusalem? Demonstrauit ignorare, quæ in passione, & crucifixione effecerat, & quibus redemptionem profecerat, & simul se ceu solum peregrinum sub mortali forma se patefecit. Quasi iterum peregrinans à Patre, optansque incipere quæ ad optatum, optimumque finem reduxerat, sit solius Redemptoris Mundi, omnis iustitiæ ac sanctitatis capitis egregium facinus. Atque illorum etiam, qui ipsi maximè assimilantur, vt fuit præcipuè Franciscus, Ecclesiæ suæ Reparator. *Incipiamus fratres, &c.*

Egregiũ facinus circa bona opera quod erit

III *Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leprosis, sicut à principio ministraret, corpusque iam præ labore collapsum reuocaret ad pristinam seruitutem.* Hoc fuit tertium, à Diuino Amore, triumphante in Francisco super Asellum, & in eo clauis, & plagis Christi laureato prætensum, quod aliam analogiam Francisci cum Christo exprimit. Interpres noster, nuper citatus, loquens etiam de duobus discipulis præfatis, Luca & Cleopha, tres conditiones vt Christus ad nos veniat, & appropinquet, ab ipso proponuntur. *Prima*, inquit, *est conditio deuotæ affectionis. Secunda est conditio sanctæ recordationis. Tertia est conditio piæ lamentationis.* Circa primam conditionem, ex interpretatione huius vocabuli *Emmaus*, quod est *desiderium consilij*, demonstrat sancti desiderij proprietatem, ob quam vtitur illo D. Bernardi, *Bonum desiderium, seu bona voluntas, origo est, & mater omniũ bono-*

Qui importet bonum desiderium.

bonorum. Desiderium est de re nondum obtenta. *Desiderium est libido eius, quæ nondum adsit videndi*, ait Cicer. 4. Tuscul. Dum istud desiderium manet in sua origine, seu radice, semper videtur in suo principio, quamuis ad optatum finem illorum, ad quæ antea ferebatur, peruenerit. Illa tamen vt possessa, & obtẽta quia transierunt, reliquerunt in voluntate maiorem cupidinem vt denuo desiderarentur. In hũc modum, *Omnia desiderata magis quam assiduè perspecta delectant*, testatur idem Cicero post reditum ad Quir.

Magis delectant desiderata, quam prospecta

Hinc Christus, vt sequitur Interpres in secunda conditione, vbi *illi duo discipuli de morte eius loquebantur, ad memoriam reducentes passionem, iunxit se cum illis*. Cur autem id fecerit, explicat in tertia conditione ex ipsamet associatione Christi cum illis, & ita subdit. *Præterea considera Domini humilitatem, quo humiliter vadit cũ eis tanquam socius, neque dedignatus est hos discipulos inferioris gradus*. Adde modo, si placet, hanc interpretationem, cum altera immediata super illud verbum Christi, *Quæ?* & dum ibi quodam nouum desiderium veluti semper in origine, ac principio incipiendi, quæ profecit in Redemptione, in eo reperies, hic verò quodam specimen humilitatis redeundi ad pristinum, & multiplicare Cruces, vtrumque veluti præcipuè hæreditarium illi reliquisse ne dubites, cui ceu hæreditariam effecit suæ Crucis baiulationem, suiq; triumphi per clauos, & plagas gestationem. Flagrans extitit desiderium in Christo *ad humilitatis redire* primordia; similiter & in Francisco. In Christo autem substantiuè post consummatam redemptionem, & post resurrectionem. In Francisco verò comparatiuè & ante obitũ post recepta sacra stigmata, quibus declaratus fuit completissimus Ecclesiæ Reparator. In vtroque idcircò flagrabat huiusmodi desiderium, quia, vt diximus, *Omnia desiderata, magis quam assiduè perspecta, delectant.*

Christi humilitas post resurrectionem.

Hanc Franc. effecit hæreditariam.

IV *Proponebat, Christo Duce, se facturum ingentia, & fatiscentibus membris spiritu fortis, & feruidus nouo sperabat certamine de hoste triumphũ. Neque enim languor, vel desidia locum habet, vbi amoris stimulus semper ad maiora perurget.* Hoc fuit quartum, quod prætendebat Diuinus Amor, vectans in Francisci Asello cum ipso Francisco, plagis, & clauis Christi laureato Christi triumphum; scilicet certamini noua certamina, victoriis victorias nouas, nouosque triumphos triumpho annectere. Illa duo verba, *Christo Duce*, in ducto ab Asello Francisco stigmatibus laureato explicanda veniunt ex Interprete nostro, qui in fine serm. Dom. 13. post Trinit. super illud Dauidicum, *vt Iumentum factus sum apud te, &c.* ita explicat, apponens Regis Dauidis iumento Regis Christi asellum. *Iumentum dictum quasi iuuamentum, est obedientia, quæ dicit*, vt iumentum factus sum apud te, &c. *Dum enim alienæ voluntati anima supponitur, tunc adiuta superfertur. Dum enim portat, portatur*. Et paulò infra. *Et nota, quod nullus potest reuerti in Hierusalem, nisi super iumentum obedientiæ imponatur*. Vnde Dominus sedens super Asinum ingressus est in Hierusalem. De hoc iumento Neæm. 2. *Et inuentum (vel iumentum) non erat mecum, nisi animal, cui sedebam*. Corpus nostrum, quod debet esse quasi iumentum humile, obediens, & abiectum, cui supersedere debet anima, in hoc Mundo non debet habere locum, quia locus hominis est super omnia. Vnde in Psalm. *Constituisti eum super omnia*, &c. Hæc docuit ibi Interpres sub simbolo Asini.

Flagrans desiderium in Franc. post sacr. stigm. quid prætenderit.

Iumentũ vnde dictũ, & quod significet.

Christus Dominus, Dei filius naturalis, formam serui accipiens, sub Patre Duce ratione virtutis obedientiæ peregit omnia, consummauitque pro Mundi redemptione. Super Asinum ingressus est triumphans in Hierusalem, & sub peregrini specie non refugit cum Luca, & Cleopha ire, & itinerari humiliter; vt quæ passus erat in Ierusalem, Patri suo obediens, audiret; quasi iterum cupidus reuertendi ad pristina. Sed ad hæc reuerti iam multò ante concupierat, imò & dum pẽdebat in Cruce, viribus exinanitus, ac destitutus, & à suis derelictus, prout ostẽdit illo solo verbo, *Sitio*. Nam spiritu fortis iterum sitiebat ad pristinam subiectionem, & abiectionem Patris cælestis, Matris terrenæ, & nutricis sui deuenire, in cuius rei indicium inter Bouem, & Asinũ nasci voluit, infans quoque super Asinũ in Ægyptum fugere, & ante triumphum Crucis super Asellum triumphans intrare, nunquam in hoc Mundo habens locum proprium, ac permanentem.

Christus resur. humiliter itineratur cũ Luca & Cleopha.

Quid in Cruce sitiendo optauerit.

Sitiebat istam subiectionem, & abiectionem iam confixus in Cruce repetere; nam *se facturum* denuò *ingentia cupiebat*, *& facescentibus membris*, in ipso mortis agone *spiritu fortis, & feruidus nouo sperabat certamine de hoste triumphum. Neq; enim languor, vel desidia locum habet, vbi amoris stimulus sẽper ad maiora perurget*. Quod tamen non potuit per se obtinere sitiens in Cruce Christus tempore redemptionis Mundi, obtinuit tempore reparationis Ecclesiæ per Franciscum, integro biennio crucifixum, & Christi doloribus vndique circumductum. Et Franciscus obtinuit

Sed quod ibi sitiendo non obtinuit, obtinuit in Franc.

etiam in Christo id, quod sitiebat in Cruce Christus, vt in nullo esset illi dissimilis.

Hæc sunt illa quatuor, quæ est Bonau. rescripsimus, appositis postillaribus Interpretis nostri concordantiis, vbi Franciscum super Asellum, Christi plagis, & clauibus laureatum, Christique crucifixi triumphum in seipso celebrantem contemplati sumus. Ex ipsorum inter sese ad inuicem correspondentium resultat vtique alterũ harmonicum, seraphicumq; Museum, eundemque celebrans triumphum, eique applaudens, vt patet. Quod videtur etiam demonstrare idem Bonau. ibidem, vbi statim per substentatiuam coniunctionem, quæ est *autem*, ita annectit prædicta. *Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum nõ repugnaret, sed præcurrere niteretur.* Quare omnes concorditer seraphicæ Musæ in solo Francisco laurea Crucifixi donato, & super Asellum circumuecto, coram quo super fœnum in stabulo à Pica Puerpera effusus est, non cessabant carminibus haud metricis; sed ab omni numero solutis, per Ciuitates, & castra.

Quanta in Franc. carnis ad spiritum concordia.

1 *Ad Crucem Christi ferendam cæteros animare*. Non cessabant.

2 *Dicere Fratribus. Incipiamus fratres seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum proficimus*. Non cessabant in Francisco

3 *Flagrari etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leprosis sicut à principio ministraret, corpusque iam pro labore collapsum reuocare ad pristinam seruitutem*. Denique non cessabant proponere Francisco

4 *Se, Christo Duce, facturum ingentia, & fatiscentibus membris spiritu fortis, & feruidus, nouo sperare certamine de hoste triumphum*, &c.

Tametsi istud in Franc. Museum haud Poeticũ metro, sed soluta oratione, habemus tamen aliud metricè Poeticum circa eundem triumphum ex tertia Cantione, ab eo modulata post recepta sacra stigmata. Verum tale Museum videtur respondere nouis Choris, seu Ordinibus Angelorum, in tres Hierarchias dispositis; adeo vt singulis Choris singulæ Musæ aliquo pacto consonent. Cantio illa constat epodis, seu partibus 29. quã 27. distribuendæ pro cunctis Ordinibus Hierarchicis, nouem Angelicis Francisci Musis adiunctis. Postremæ verò pro Christo Iustitiæ Sole, omnẽ Angelorum Principe, & propheta, qui etiam est Sol, omnium Musarum Præside, relinquẽdo, progrediendo ab imis ad summas, & ab his ad increatam, & supercælestem Hierarchiam. Vbi autem reperiet Lector, testari Franciscum in epodis 2. 3. 17. & 21. nunc cor suum perdidisse, nunc Christũ eum se furatum esse, nolim credat id ea dixisse Seraphicum virum iam vtroque homine in Christum transformatum ex vehemẽti imaginatione, siue iuxta vulgarem loquendi modum, sed reapse, ac verè. Quid simile enim fertur de D. Catharina Senensi, sacris stigmatibus & ipsa interius tantum donata, vt legitur in eius vita. Sed Catarinæ restituit postea cor suum Christus; at Franciscus biennio integro viuens in Christo solo, vnde vita eius viuebat. Quod autem canit Franciscus in illa cantione, concordat antiphonæ 2. vesperarum in festo Sacr. Stigmatum illo rithmo.

Distributio Musarum in 3. Museo efficienda.

Franc. cor traxit Christus eũ stigmatibus.

Crucis apparet Hostia
Tensis in Cruce brachijs,
Sex alis tecta varijs,
Tum vultus elegantia,
Quæ Francisci cor attrahit,
Augens ei charismata.
Suaque Sacra Stigmata
In eius carnem protrahit.

Tertium

Tertium Francisci Museum. Ad idemmet celebrandum triumphum Cælesti Hierarchiæ, hæcque supercælesti respondens. Sed ore Francisci, Stigmatibus sacris laureati decantatum.

INFIMA GERARCHIA.

Angeli. Vrania.

I.

Gli Angioli in sù amando Dio, in giù gouernando gli huomini

Amor de Charitate,
Perche m'hai sì ferito?
Lo cor tutto partito,
Et arde per amore.
Arde, & incende,
Nullo troua loco.
Non pò fugir, perche l'è ligato;
Si se consuma come la cera al foco.
Viuendo more, languisce stemperato;
Domanda potet fugire vn poco,
E in fornace trouase locato.
Oime eo o sun menato
A sì forte languire,
Viuendo così morire,
Tanto monta l'ardore.

II.

Han virtù, che sempre viuifica, corrobora, e nò mai manca.

Innanzi ch'io prouasse, domandaua
Amor, à Christo pensãdo pur dolzura.
In di pace di dolzezza star pensaua
For d'ogni pena, e poi sede in altura.
Prouo tormento, qual non cogitaua,
Che'l cor me se fende per calura.
Non posso dar figura
De que sostegno semblanza,
Ch'io moro in dolceranza.
Et viuo senza core.

III.

Han virtù di sempre prouocare a cose diuine.

Hò perduto core, e senno tutto,
Voglia, e piacere, e tutto sentimento.
Ogni bellezza mi par fango brutto
Deliicie, e ricchezze perdimento.
Vn arbore d'amor cun gran frutto
In cor plantato ma dà pascimento.
Che fè tal mutamento
In mi senza demora,
Iettando tutto fora
Voglia, e sonno, e vigore.

Arcangeli. Polinnia.

IV.

Gli Arcãgeli annunciano cose maggiori, e molte.

Per comperar l'amoretutto, hò dato
Lo Mundo, e mi ho tutto per baratto.
Se tutto fosse mio quel ch'è creato
Darialo per amor senz'ogni patto.
Et trouomo d'amor tutto ingannato,
Che tutto hò dato, e non sò o io son tratto.

Per

INFIMA HIERARCHIA.

Angeli. Vrania.

I.

Versus Iambici Trimetri.

Angeli sursum diligunt Deum, deorsum gubernant homines.

Quid vulneratum perdis, ò amans Amor?
Mihi cor reuulsũ facibus æternis flagrat,
Facibus amoris. Nusquam tutum malè
Reperit quietem: vincula præcidunt fugam.
Vritur, & ardetqualiter ceræ solet
Populante flãma mollis absim globus.
Et vita mors est: moritur, viuens perit,
Languetque moriens: dumque meditatur fugam,
Fornace media conditum sese videt,
Quo rapior eheu, qui dolores me manent?
Tanti est amoris ignis. O amor, ò amor.

II.

Eorũ virtus viuificat, roborat, nũquã deficit.

Nescius amorem, nempe inespertũ mihi,
Olim expetebam, meũ credens bonũ,
Dulcedinisque pace poscebam frui.
At pœna, quæ me torquet insontem, inscium?
Tantos dolores ego ne speraui miser?
Diræ perusta corda discindunt faces.
Aperire nequeo voce, quod patior malum.
Amore morior, cordis & viduus gemo.

III.

Anacreontici.

Angeli habent virtutẽ motiuã semper in diuina procedentem.

Mihi corda vulsa nuper
Abiere, passa vulnus
Manibus superni amoris,
Et viuo mentis expers,
Expersque sentiendi.
Iam forma sordet omnis,
Et pulchritudo sordet
Dites valete campi,
Lautæ valete mensæ,
Luxusque delicati.
Post hac valete gemmæ,
Aurique fulgurantis.
Et fulminantis orbes.
Me sola amoris arbor
Plantata corde summo,
Fructu beat beato
Hic me repentè totum
In alterum nouauit,

Reiecit

Per amor son desfatto,
Pazzo si sun creduto;
Ma perche io son venduto,
De mi non hò valore.

V.

Credeuame la gente reuocare,
Amici, che sono for de questa via;
Ma chi è dato più non se pò dare,
Nè seruo fare, che fuga Signoria.
Innanzi la petra porriase mollare,
Che l'amore, che me ten in soa balia.
Tutta la voglia mia
D'amor si è infocata,
Vnita, trasformata,
Che li torrà l'amore.

Destinati à più degne cariche.

VI.

Foco, nè ferro non la può partire.
Non si diuide cosa tanto vnita.
Pene, nè morte iam non pò salire
A quell'altezza doue stà rapita.
Sotto si vede tutte le cose zire,
Et ella sopra tutte stà grandita.
Anima com'è salita
A posseder tal bene,
Christo, da cui te venne,
Abrazal con dolzore.

Vnitissimi cō Dio per special familiarità.

Principati. Euterpe.

VII.

Io non posso veder creatura,
Al Creator grida tutta mente.
Celo, nè terra me dà dolzura,
Per Christo amore tutto m'è fetente,
Luce del Sole si me pare oscura,
Veggendo quella fazza resplendente.
Cherubin son niente
Belli per ensegnare,
Seraphin per amare,
Chi vede lo Signore.

Il soaue della riuerenza spetta à i Principati massimamente

VIII.

Nullo donca mai me reprenda
Se tal'amore mi fà pazzo zire.
Iam non è core, che più se defenda
D'amor si preso, che possa fuggire.
Pensi zascun como cor non si fenda,
Cotal fornace como possa soffrire.
S'eo potesse inuenire
Anima, che me intendesse,
De me pietate hauesse,
Che me se struzze'l core.

Lo stesso dono communicano all'inferiori.

IX.

Che Celo, terra grida, e sempre clama,
E tutte cose ch'io dibbia amare
Zascuna dice: Cuu tutto core ama
L'Amore, che n'hà fatto briga d'abbrazzare;
Tutte nui hà fatte per ti à se trare,
Vego tanto abundare
Bontade, & cortesia
Da quella luce pia,
Che se splande de fore.

E li soggettano alle leggi d'obbedire con farli liberi.

MEDIA

Reiecit & priorem
Mentem, vigorem, amorem.

Archangeli. Polymnia.

IV.

Item Anacreontici.

Merearer vt tenellum,
Nihil mihi reliqui,
Quin & creata cuncta,
Gazas, opes, & aurum,
(Si gazas, opes, & aurum,
Et quidquid est bonorum
Rex ipse possiderem)
Darem volens, libensque.
Mercarer vt tenellum,
Sed me fefellit ille
Amore sauciatum.
Quid, stulte, quid querelas,
Quid vana verba fundis?
Emancipatum amori,
Diuenditumque iam me
Pretium reliquit omne.

Archangeli maiora annunciant, & multa.

V.

Elegiaci.

Dulcis amicitiæ iūcti mihi fœdere quōdā
Insanis dudum vocibus vsque sonant.
Ah gressum reuoca, infelix, quo pergis amice?
Nescia turba Dei est, turbaque amoris inops.
Parcite clamosi me diuexare sodales.
Nam qui ego Dñi seruus amoris agam?
Mōtani ante rigor poterit mollescere saxi,
Quā Rex è nostro corde recedat amor.
Vrit amor, me torquet amor, sum factus amori,
Alter amor: nostri est victor amoris amor.

Dignioribus ministeriis destinantur.

VI.

Hinc mihi non vnde, non flamma, nec auferet ensis;
Nō dolor hunc nexū dissoluisse queat.
Quo rapior? via nulla parat, mortique doloriqne,
Et subtus celso è vertice cuncta iacent.
O animæ, ad culmē qui te vexere bonorū!
Christus amor, Christi pectora dulcè te. (ne.

Deo ob præcipuā familiaritatem vnitissimi sunt.

Principatus. Euterpe.

VII.

Versus Anapestici.

Omnia sordent, quidquid & æther
Magno circum ligat amplexu,
Et quidquid humus fœcunda parit,
Diuite vena. Dulcis Iesu
Propter amorem nil dulce mihi est.
Aurea Phœbi lampas, amœnæ
Regia lucis, iubare exuta
Pęnè videtur. Facit hoc Christi
Nitidus multo lumine vultus.

Suaue reuerentiæ donū Principatib. præ cæteris spectat

VIII.

Arguat ergo nullus amatorem,
Si videt inopem mentis amentem:
Iam

Idem donū communicant inferioribus

MEDIA GERARCHIA.

Potestà. Terpsicore.

X.

Amor voglio plu, se plu podesse.
Ma como plu à mi lo cor iã non troua
Plu che me dare con ciò che volesse,
Non posso questo è certo senza proua.
Tutto l'hò dato, perc'io possedesse
Quell'amatore, che tanto me renoua
Bellezza antiqua, & noua,
Dapoi che t'hò trouata,
O luce smesurata
De si dolce splendore.

Le Potestà riducono potentemente alla somiglianza di Dio, mouendo gli affetti.

XI.

Vegando tal bellezza si son tratto
For de mi, non sò, ò sun portato.
Lo cor se strugge como cera desfatto;
De Christo se retroua figurato.
Iam non se trouò mai tal baratto,
Per vestir Christo tutto, ò spoliato
Lo cor si trasformato,
Amor grida, che sente,
Anegata è la mente,
Tanto sente dolzore.

Traggono alla bella luce, e bótà diuina i cuori

XII.

Ligata è la mente cum dolceza;
Tutte se destende ad abbrazzare.
E quanto plù resguarda à la beleza,
Tanto for de se plù fà zetare.
In Christo tutta posa cum ricchezza,
De si memoria nulla pò seruare.
Ormai ad si plu dare,
Altra cosa non cura,
Nè può perder valuta
De si omne sentore.

Ogni anima è suddita, e ligata alle potestà superiori.

Virtù, Melpomene.

XIII.

In Christo trasformata quasi è Christo,
cum Dio vnita tutta stà diuina,
Sopra ogni altura è si grãde acquisto
De Christo, e tutto'l suo, stà Regina;
Or dunca io potesse star plù tristo,
De colpa domandando medicina.
Nulla ce plù sentina,
Doue troui peccato.
Lo vecchio ne mozato,
Purgato ogni fetore.

Le Virtù virilmente, e armonicamẽte serbano il moto della Deiformità

XIV.

In Christo è nata noua creatura,
Spogliata homo vecchio è fatto nouello,
Ma tanto l'amore monta cum arduta,
Lo cor par che se fenda cum coltello,
Mente cum senno tolle tal calura;
Christo se me tra tutto tanto bello.
Abrazo me cum ello,
E per amor si clamo,
Amor che tanto bramo
Famme morir d'amore.

Presiedono à i defensori della santità, che fa ogni cosa noua.

XV.

Per ti amor me consumo languendo,

Et

Iam nullo valent vulnus amoris,
Nulla catenas pellere corda.
Quin age quisquis miserum incusas,
Reputa tecum quid cor possit
Diuina pati tela, vel ignes.
O si quisquam conscius esset
Vulneris huius! Sique doleret
Miserans nostros pectoris æstus.

Sub dunque dulcib. sebedientiæ legibus.

IX.

Sapphici.

Clamat æternum Polus, atque tellus,
Omnia & clamant: Amor. O Amorem
Quisquis est pleno bibe cordis haustu.

MEDIA HIERARCHIA.

Potestas. Terpsicoren.

X.

Item Sapphici.

Plura donare, modo plura possem
Omnium nudus, tibi blandienti,
O verus semper noua pulchritudo,
Pulcher Iesu.

Potestates impelluntur effectibus ad diuina.

XI.

Item Sapphici.

Tu rapis mentẽ mihi: cor liquescit.
Instar & ceræ fluit innocenter.
Mercium quale est genus hoc? Iesu
Induant vt se mea corda semet
Exuunt! nosco genus: est amoris
Aurea merces.

Trahunt ad pulchra Dei lucem, & bonitatem.

XII.

Iambici Dimetri.

Dulcedo mentem colligat,
Et mens in amplexu ruit,
Quantoque pulchritudinem
Magis intuetur, vritur,
Christoque semet induit
Oblita semet; omnia
Exuta, sed non indiga.

Omnis anima potestatibus sublim. sit subdita.

Virtutes. Melpomene.

XIII.

Item Iambici Dimetri.

Induta Christum, numini
Coniuncta, penè numen est,
Omnemque supra verticem
Dicata Christi gratiis
Regina sceptra possidet.

Virtutes in mutabili virilitate Dei formẽ motũ modulanter conseruant.

XIV.

Nunc ergo mœror diffuge
Sentina namque est criminum
Exhausta: priscus occidit
Homo: recessit pestilens
Fœtor: medela constitit.

Præsunt sanctitatis in crimina propugnatorib.

XV.

Christo innouatus exui
Antiqua vitæ nomina;
Sed nempè tanti flammeus
Amoris ignis est mihi,
Cor penè cultro finditur,
Dum mens calore absumitur.
Me Christe pulchrè attrahis,

Ample-

Et vò stridento per ti abrazare.
Quando te parti, si more viuendo,
Sospiro, e plango per ti rittrouare.
E ritornando e'l cor se vá stendendo,
Che in ti possa tutto trasformare.
Donca plú non tardare,
Amor or se me soueni,
Ligato si me tiene,
Consumame lo core.

Fanno agonizare per la giustitia, che trasforma il cuore.

Dominationi. Talia.

XVI.

Resguarda dolce amore la pena mia,
Tanto calor non posso soffrire.
L'amor m'á preso, non sò o io me sia,
Que faza, ò dica, non posso sentire,
Como smarito si vò per la via,
Spesso strangosso per forte languire.
Non sò como sostegnere
Possa tal tormento,
Lo qual cum passamento
Da me fura lo core.

Le Dominationi signoreggiano, e e instruiscono con spettabil piacere

XVII.

Cor me furato, non posso vedere,
Che diba fare, e que spesso faza,
Et chi me vede dice vol sapere,
Se amor senza acto á ti Christo plaza.
Se non te plaze, que posso valere?
De tal mensura la mente malaccia.
L'amor, che si m'abbraccia
Tolme l'operare,
Voler, & operare
Perdo tutto sentore.

Tolgono ogni atto sconstumato, riformando à Deiforme somigliãza.

XVIII.

Sappi parlare, or sun fatto muto:
Vedeua, e mo son ceco deuentato.
Sì grande abisso non fù mai veduto,
Tacendo parlo, fugo, e son ligato.
Scendendo salgo, tengo, e son tenuto
De fora sun dentro, caccio, e sou cacciato.
Amor smesurato,
Perche mi fai impazzire,
E in fornace morire
De si forte calore Christo.

Ordinano alla somigliãza di Dio. Cõfondono le cose humane.

SVPREMA GERARCIA.

Troni. Erato.

XIX.

CHRISTO.

Ordena questo Amore, tu che m'ami.
Non è virtù senza ordene trouata.
Poiche trouare tanto me brami,
Sia la mente con virtù renouata,
Ad mi amare voglio che tu chiami
La Charitate, qual sia ordenata.
L'arbore si è prouata
Per l'ordene del frutto,
Lo qual demonstra tutto
Doni cosa e'l valore.

Li Troni togliono l'estremità. Nella Virtù si desidera il mezo.

XX.

Amplector illum, & clamito,
Amore da da vt occidam.
Amore victus langueo,
Et semiuiuus ardeo.
Tu si recedis, ò Amor,
Non lacrymis, non fletibus,
Suspiriis singultibus
Cor inquietum temperat,
Donec redibis, ò Amor.

Faciunt agonizare pro iustitia, quæ cor transformat.

Dominationes. Thalia.

XVI.

Item Iambici Dimetri.

Quid ergo, quid moraberis,
Ah vulneratum respice.
Tantos dolores perpeti,
Mens sauciata pernegat.
Qui sim, vel vbi, vel quid loquar,
Mediterque, agamque, nescio.
Vt mentis expers compita
Pererro, sæpè spiritum
Languore fractus vix traho.

Dominationes dominãtur, informant, instruuntque spectabili voluptate.

XVII.

Imparque iam doloribus
Mihi cor meum furantibus,
Quæ sint agenda, nescio.
Quin & rogatus audio,
Num Christo amorem comprobes
Non actuosum? Si improbas
Esse actuosus non queo.

Actus malos tollunt, reformant enim ad Deiformem similitudinẽ.

XVIII.

Asclepiadei.

Iam facundus eram: nunc taciturnitas
Vocem surripuit. Quin vigiles modo
Conniuent oculi. Dum taceo loquor,
Euinctus fugio. Desilio simul,
Atque vnà salio. Deprimor, opprimo.
Pro rerum facies monstraque maxima,
Nullis visa locis! Quid patior miser?
Diuinis pereunt corda coloribus.

Ad Dei similitudinẽ ordinant, humana cõfundunt.

SVPREMA HIERARCHIA.

Throni. Erato.

XIX.

Ad prædicta numero antecedenti, ita Christus per hos versus hexametros respondet.

Pone modum tu quisquis amas malesanus amoris
Ordine gaudet amor, nam gaudet & ordine virtus,
Quæsitum inuenias, qua me ratione docebo
Carpe viam virtutis amans: Comes addita virtus,
Dux erit vna viæ: veterem obliuiscere cultum,
Virtutisq; sacram generosior indue vestẽ,

Throni ab omni extremitate remoti ob mediationem quã virtus optat.

Me

X X.

Tutte le cose, che aio create
Sun fatte cun numero, e mensura,
Et allor fin son tutte ordenate,
Conseruase per orden tal valura;
E molto plù ancora Charitate
E ordenata in la sua natura.
Donca com per calura
Anima tù se impazzita?
Fora d'ordene tu se vscita,
Non te infrenò el feruore.

Sono immediatamente congionte à Dio, in cui non è estremità.

X X I.

Animo ò Francesco.

Christo lo cor tu mi hai furato,
E dici che ad amare ordin la mente,
Como dapoi, che in ti sum mutato
De mi pò esser remaso conuenente?
Si come ferro, che tutto è infocato,
E aere dal Sol fatto relucente,
De lor forma perdente
Son per altra figura,
Così la mente pura
De ti è vestita Amore.

Il loro ministerio non è di necessità, ma di felicità in ogni eccesso.

Cherubini. Clio.

X X I I.

Ma da che perde la sua qualitate,
Non pò la cosa da si operare,
Como è formata si ha potestate
Opera cum frutto si puote fare.
Donca si è transformata in veritate
In te sol Christo, chè se dolce amare.
A ti si pò imputare,
Non a mi quel ch'io fazo·
Però seo non te plazo,
Tu n'à non placi amore.

Deiuidi sono i Cherubini per la gloriosa influenza del diuino lume

X X I I I.

Io son ben questo, che seo sum impazzito,
Tu summa sapienza me l'hai fatto,
Et quo fo da ch'io fui ferito,
Et quando cum l'amor feci baratto.
Che mi spogliando fui da te vestito,
A noua vita non sò como fui tratto,
De mi tutto disfatto:
Hor sun per amor forte,
Rotte son le porte,
Et iazo teco amore.
A tal fornace perche me menaui,
Se tu voleui, che hauesse temperanza,
Quando si smesurato me te daui
Tolleui da me tutta la mesuranza.
Poiche picciolello tu me bastaui,
Tenerti grande non aggio possanza;
Onde se ce fallanza,
Amor l'è tua, non mia,
Perocche questa via
Tu la facesti Amore.

Riceuono l'occulto lume della suprema sapienza, e lo communicano.

X X I V.

Tu dal'amor non te defendesti,
De Celo in terra e'l te fè venire,
Amore à tal bassezza descendesti,

Sono vnicamente pieni d'alimento deifico.

Me mulcet moderatus amor: compesce furentem.
Sic decus arboribus præbent sua pendula poma;
Et pretium sobolis frondosæ est gloria matris.

X X.

Aspice cuncta manu & verbo fabricata petenti,
Ponderibus dimensa suis, numeroque, modoque,
Et finẽ sortita suum. Sic vertitur ordo.
Legibus his, atque hunc seruat Natura tenorem,
Hunc mage seruat amor. Nimiis cur ignibus ergo
Deripis, aut quæ te dementia cępit amantem?
Cōprime vesanos malesani pectoris æstus.

Deo, in quo nulla extremitas immediatè iuncti sunt.

X X I.

Subijcit Anima, vel S. Franciscus.

Pentametri.

Cor mihi furatus cogis habere modum?
In te mutato quid superesse potest?
Sic igne in medio ferrea massa calet.
Aere sic vestit Sole micante iubar.
Sic perit ipse aer, sic perit ipse chalybs,
Haud aliter mẽtẽ Christe resoluis amor

Eorum ministerii haud necessitatis est, sed felicitatis.

Cherubini. Clio.

X X I I.

Item Pentametri.

Quid mens quid faciat, nō potis ipsa sui?
Si te, Christe, refert mens mea, facta tua,
Culpa tua est, quidquid victus amore gero.
Desipio? per te sum rationis egens,
Mentis inops? Amor est, qui facit esse inopem.

Deiuidi sūt Cherubini ex gloriosa diuini luminis influẽtia,

XXIII.

Anacreontici.

In igne cur locabas,
Si temperantem amabas?
Tenelle me coquebas,
Quid grandior patrabas?
Hanc semitam parasti
Amor mihi. Quid errem.
Tua omnis ergo culpa.

Occultū supremæ sapiētiæ lumen recipiunt, aliisque communicant

X X I V.

Tu vulneratus ipse
Amoris es sagittis.
Te deuocauit ethra,
Terrisque collocauit.
Nudumque, pauperemque;
Non tecta, non agelli
Nouere possidentem;
Vt diuites egestas
Tua, Christe, nos bearet.
Ardes amore viuens,
Et occidens amore.

Deifici alimenti vrifica repletione superfusi.

Com'homo despetto per lo Mōdo zire.
Nè casa, nè terre non volesti,
Tal pouertate per mi arricchire.
In vita & in morte
Mostrasti per certanza
Amor desmesuranza,
Che ardeua in lo to core.

Serafini. Calliope.

XXV.

Com'ebrio per lo Mondo spesso andaui,
Amor te menaua com'homo venduto,
In tutte cose amor sempre mostraui
De ti quasi niente perceputo;
Che stando per lo templo si gridaui,
A beuer vegna chi hà sostegnuto.
Sete d'amor hauuto,
Chel gli sera donato
Amor smesurato,
Che pasce con dolzore.

I Serafini sono gl'Heroi i più infiammati in se, e infiammatiui degl'altri

XXVI.

Con sapienza non te contenesti,
Che'l tuo amore spesso non versasse:
D'amor, non de carne tu nascesti
Humanato amor, che ne saluasse:
Per abbracciarne in Croce si correſti,
Io credo che però tu non parlasti,
Nè te amor scusasti
Dauanti à Pilato,
Per compir tal mercato
In Croce dell'amore.
La sapienza vego, che celaua,
Et solo amor si podea vedere;
Et la potenza iam non si mostraua,
Che l'era la virtute in dispiacere.
Grāde era quell'amore che se versaua,
Altro che amore nō potendo hauere,
Nel viso, nè il volere,
Amor sempre legando,
Et in Croce abbracciando
L'homo con tanto amore.

Solleuano à Dio quelli, che accendono col foco della carità.

XXVII.

Donca Iesu s'io son sì innamorato
Inebriato per sì gran dolcezza,
Che me reprende, s'io vò impazzato,
Et in perdo senno, & ogni fortezza?
Poiche l'amore t'hà sì ligato,
Quasi priuato d'ogni sua grandezza.
Come saria mai fortezza
In me di contradire,
Ch'io non voglio impazzire
Per abbracciar te amore?

Son fissi, e immobili alla cōtemplatione delle cose eterne.

Saraphini. Calliope.

XXV.

Item Anacreontici.

Ibas amore victus
Ceu ebrius per orbem;
Prædaque te triumphans,
Amor superbiebat.
Amore nil vacabat,
Tuque ipse te vacabas.
Et templa cum subisses;
Sic voce personabas:
O qui sitis, adesto,
Ades huc; sitim leuabo;
Mercede qua bibendi?
Amore, amore, amore.

Seraphini sūt Heroes cælestes inflammati, & inflammatiui.

XXVI.

Horatiani,

Non sempiternæ vis sapientiæ.
Celauit ignes pectoris aureos,
Quin sæpè versaris amoris
Largus opes, grauidumque cornu.
Te lapsum Olympo Virginis in sinum
Amor puellum non caro vestiit.
Amore captus tu subisti
Quadrifidæ mala signa quercus.
Hæsere voces, verbaque faucibus
Amoris ergo; cum taciturnior
Causam tueri denegasti
Iudicio expositam prophano.
Tu nempè amoris victima nobilis
Esse expectabas. Insuperabilis
Sic robur immortale dextræ
Vinxit amor latebrisque clausit.

Quos igne charitatis accendunt, sursum ducunt.

XXVII.

Glyconici.

Ergo si facit ebrium,
Si mentis facit inopem,
Si vires amor eripit,
Amor te quoque perdidit,
Iniecit tibi vincula,
Ademitque potentiam
Contra queis ergo viribus
Nitar? Quid mihi roboris
Has vt sustineam faces?

Sunt ad fixā, & immobilē æternorum contemplationem.

Super-

Supercælestis, & increata Hierarchia Christus Sol Iustitiæ. Apollo Sol materialis, atq. illius typus. Vsque illuc ascendit Francisci Amor, tripliciter in suo triplici Museo Hierarchichus.

XXVIII.

Et quell'amor, chi mi fà impazzire,
Pari che à ti tolessi sapientia.
E quell'amor che sì me fà languire,
A te per me si tolse la potentia.
Non voglio ormai, nô posso sofferire,
D'amor son preso, non fazzo tetinêtia.
Datame la sententia,
Che d'amor io sia morto,
Iam non volgo conforto,
Se non morir d'amore.

L'amor di Dio più stra uagante, oue più vario.

XXIX.

1 Amor, Amore, che sì m'hai ferito,
Altro, ch'amor non posso cridare.
Amor, amore sì forte m'hai rapito,
Lo core sempre spande per amore,
Per te voglio spasemare.
Amor che core conoscerà,
Amor per cortesia
Fame morir d'amore.

Più auuiua oue piu fa apparir la morte.

2 Amor, amore Iesu son zonto à porto.
Amor, amore Iesu dammi conforto.
Amor, amore Iesu si m'ha infiammato.
Amor, amore Iesu io son morto.
Fammi star amor sempre abbrazzato,
Cum teco trasformato
In caritate, & in somma veritate.
Amor, amor, amor,
Ogni cosa clama amore.
Amor tant'ei profundo,
Che più t'abbraccia,
Tanto piu ti brama.
Amor, amor, tu ei cerchio rotundo
Cô tutto el core, che têcia sêpre t'ama;
Che tu tei strame, e trama per vestire,
E cos dolce, che sempre crida, amor, amor, amor.

Trasforma con carità, e verità.

3 Quãto tu mi fai amor, no'l posso fare;
Amor, amor tanto amo de ti
Amor, amore ben credo morire;
Amor tanto preso m'hai.
Amor, amore fammi in te transire.
Amor dolze languire,
Amor mio desioso,
Morir sì dilettoso,
Anegami in amor.
Amor, amor, lo cor mio se spezza.
Amor, amor, tal sente ferita.
Amor Iesu tramme alla tua bellezza

Quanto più si nomina, tãto più prouoca a chiamarsi.

XXVIII.

Glyconici.

Qui me desipere impulit,
Hic mentem eripuit tibi?
Qui me languidulum facit,
Te imbellem quoque reddidit.
Nolo, nec queo perpeti
Amoris fera prælia.
Vicisti Pater optime.
Do manus, Amor accipe.
Iam sententia constitit,
Amore vt peream breui.
Iam solamina respuo,
Amore at cupio mori.

Del amor quanto effectibus magis varius, eò magis præter ordinem & insuetior.

XXIX.

Iambici Trimetri.

Amoris vnum os, & cor sonat,
Amore cor liquesit. O Amor, mori,
Amor me permitte. Iesu Amor, ò Amor!
Iam teneo portus, æquoris vici minas
O Amor Iesus, ò Amor quantas faces!
O Amor Iesus, ò Amor, vita aufugit.
Da, da beatos dulcis amplexus amor.
Muter in amorê: deseram memet mihi
Mortuus, amori viuus, atque amor nouus.
Amor, ò amor, amor, omnia exclamãt amor.
Magis expetitus, quò magis amante simplex.
O circulus
Tu cordis es.
Tu vestis es.
Et dulcis es.
O amor, amor,
O amor, amor!

Mutat amantem in amorem.

Omnia exclamãt amor

Iambici.

Moriar amore, moriar. O languor meus;
Beata mors, æquorque dulcitudinis
Immerge memet, ingrue profundo, obrue.
Cor dissipatur, ò amor, ò amor, ò amor!
Tu vita cordis huius, ò amor! animæ
Spõsus es Iesus dulcis. Amplexu in tuo
Moriar amor mi. Si pius, si dulcis es,
Fac muter in te. Moriar: ò felix dolor!
Vbi sũ? Quid hoc est? Spes mea, ò Iesus amor.
Quiesce amor,
Et dormi amor.

Amoris quies, & dormitio.

Rapisce l'amore, e distrugge.

Amor, amor, per te sonto rapita.
Amor, amor, viua non me desprezza;
Amor, amor, l'anima teco vnita.
Amor, tu sei sua vita,
Iam non se pò partire,
Perche la fai languire,
Tanto strugendo amor:
Amor, amor, de Iesu desideroso.
Amor voglio morire,
Te abrazando.
Amor dolce Iesu meo Sposo,
Amor, amor, la morte te domando:
Amor, amor, Iesu si pietoso
Tu me te dai in te trasformato.
Pensa, che eo vò spasemando.
Non so o io me sia,
Iesu speranza mia,
Ormai và dormi in amore.

Dormire in amore è vn riposo senza quiete.

Triplicem Hierarchiã ordinauit Deus.

HIc finis tertii, ac postremi Musei ex omnibus, quæ proposuimus, & iam Picam Puerperam in vno infantulo, primogenito, viro Hierarchicho euasuro, effudisse super fœnum in stabulo in medio duorum animalium, satis demonstratum est, nec vt puto contemnendis argumentis, ac paralellis. In hoc vltimo Museo respondentiam nouem Camænarum cum nouem Cælestis Hierarchiæ Ordinibus postillariter, tum italicè, tum latinè apposuimus ad margines, prælibando aliquantò concordantiam ex D. Bonauent. doctrina in opusculo de Ecclesiastica Hierarchia. Quam concordantiam possem modo fusè explicare, nisi viderem rem superuacaneã fore, & melius amittendam, quam adducendam. Ibi etiam Seraphicus Doct. quadrifariè distinguit Hierarchiam (& iam supra dictum) secũdum triplicem, vt ait, ordinatam à Deo potestatem. Scilicet Diuinam, Angelicam, & humanam. *Est itaque* (sequitur statim par. 1. cap. 1.) *prima Hierarchia supercælestis, siue diuina, quæ consistit in tribus increatis personis, Secunda est cælestis, siue Angelica, quæ completur in bonis Angelis, & Beatis, Tertia est subcælestis, scilicet humana, quæ in prædestinatis perficitur, & præcipuè in Prælatis, &c.*

Apolli, ac Phœbi fabula, potestates insignia.

Apollo, vt Deus fabulosus (ita nuncupatus, quia abigit mala) idem est ac Phębus, Iouis, & Latonæ filius; qui eodem partu cum Diana redditus, diuinationis, & sapientiæ Numen à Poetis existimatus est, dictus *Phœbus quasi lux vitæ*. Huic, vt fertur ex Macrobio, & aliis, variæ fuerunt potestates. Nam fuit auctor carminis. Præses vaticinii. Sagittandi peritiam habuit. Artem medicinæ, qua percelluit, & citharam adinuenit. Hic Apollo dicitur *Liber*, quod liberè vagetur per aerem. Dicitur & *Nomius*, idest Pastor, quod Admeri Regis pascerit armenta. Teste Porphyrio istud idem Numen apud superos Sol est. Liber pater in terris. Apud Inferos verò Apollo. Quare triplici insigne eius effingebatur simulacrum; scilicet *Lyra*, quæ nobis cælestis harmoniæ imaginem monstrat. *Gryneo*, nemore iuxta Ciuitatem Asiæ Clazomenem, in quo colebatur, & hoc modo terrenum Numen demonstratur. *Sagittis*, quibus infernus Deus iudicabatur & noxius, licet id non ei ita proprium. Vnde hæc vox *Apollo* nunc *perdo* apud Latinos denotat, nunc *iuuo*. Perdo, quod non paucos nimio æstu crederetur extinguere. Iuuo ab abigendis morbis. Hac de re spicula, quæ ei assignabat vetustas, haud dexteræ ponebat, sed sinistræ, quasi ad iuuandum promptiorem, quam ad nocendum, ipsum demonstrans.

Vox Apollo duo importat.

Apollo, Phębus, & Sol idem sunt.

Dum Sol est Apollo, *solus ipse est obscurans suis splendoribus cætera sidera*, ait Interpres noster Dom. 11. post Trinitatem, vbi mox addit, explicatq; Poetarum, Pictorumque inuentionis arcanum, ita scribens. *Depingitur autem cum quatuor Equis, & secũdum illos habet quatuor naturas; nam quando oritur, splendens est; cum ascendit, calidus; quando est in meridie, ardens; cum declinat ad occasum, tepescens. Sol est Christus*, sequitur & cætera Vide ibi paralella, quæ & alibi nos aliàs transcripsimus. Nemus propriè sylua est, voluptatis causa comparata, plena amœnitatis. Nemora (inquit Nonius) significant syluas amęnas. Nemoribus & Musæ, & Nimphæ ponuntur, sonantes ibi, saltantes, cantãtes, choreas ducentes, carmina edentes, Apollinem sequentes. Nemus etiam, teste Sipontino, appellabatur Locus quidam haud longè ab Aricia, in quo lacus est, quod Speculum Dianę dicitur. Veri Apollinis Christi in Cælo adest nemus, in quo est Dei speculum, *tamquam Marè vitreum simile christallo*. Ibi etiam cum ipso Apolline extant Pierides angelicæ, & apostolicæ, & omnium Sanctorum cum lyris, & tympanis, & citharis suis. Ibi magnum illud Museum, & tripliciter ingens celebrans præconia filii Dei, constanti amoris sagittas vibrantis, cui proprium est semper iuuare, perdere vero impropriissimum. Ipsum quoque Apollinẽ lyra sua citharizantem sequuntur, hymnosque dulces personant tria illa æterna Musea.

Quod in cælis diuini Apollinis nemus.

Expli-

Explicat id pulchrè, & ferè totum pandit Interpres noster super cap. 55. Isaiæ. *In lætitia egredimini*, scilicet à corpore. *Et cum pace deducimini* ad Patriam cælestem. Montes, *id est Angeli*. E colles, *id est Apostoli*, cantabant coram vobis laudes. *Et omnia ligna regionis*, idest animæ Sanctorum, *plaudent manibus* de vestro consortio. *Exultantes, & Dei filium laudantes*. Hæc ibi Interpres, & quidem valdè egregiè.

Triplici Museo cælesti præest Christus.

Amor Dei, & proximi omnem perfectionem dicit etiam in Angelicis Ordinibus, quibus talis amor communis est, tametsi diuersa sint eorum munera, officia, gradus. Hinc opera viri iusti dum comparat Interpres *Pomis Solis, & Lunæ, idest*, ait, *dilectionis Dei, & proximi, quæ duo quælibet perfectum faciunt*, statim subdit hæc alia. *Hæc duplex dilectio in hora nona, circa quam Paterfamilias exijt, designatur. Perfectio enim geminæ dilectionis perducit ad perfectionem angelicæ beatitudinis, quæ in nouem Ordinibus ab Ezech. 28 distinguitur, vbi loquitur ad Luciferum sub typo nouem lapidum, &c.* Vide superius. Ex nouem ergo lapidibus pretiosis totus Olimpi creaturarum Parnassus cælestis, ac perennis constat. Ibi *Amor* per omnes Ordines *Musicam* docet, ac carmina construit. Præest cunctis, inferis, terrestribus, cælestibus; nam *si ascenditur in Cælum illic est, si descenditur in Infernum adest* Sol Iustitiæ Christus. Qui dum harmonico concentu rapit illud triplex, æternumque, hierarchichumque Museum, eleuatque vsque ad illam summè vnam, supercælestemq; & increatam Hierarchiam, audiri vult eius melodia à suis, hic in terris adhuc degentibus. Imo ipsemet cum ipsis vult esse, & mansionem apud ipsos facere. & non ipse solus tantùm, sed simul cum eo tota supercælestis, & increata Hierarchia, nimirum Trinitas omnis, cui obsequitur cuncta Hierarchia cælestis, scilicet Angelorum, Apostolorum, Beatorum, vt habetur ex Interprete nostro in sermone de multiplici cœna super illud Lucæ 15. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, scilicet ego & Pater, & Spiritus Sanctus, vt explicat Glossa.

Increata, ac que supercælestis Hierarchia in viatoribus.

Sic introductus verus Apollo Christus in viatoribus cũ increata Hierarchia, cura est Spiritus sapientiæ, quæ à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto inseparabilis est, tametsi Verbo approprietur, vt quilibet introducatur super illum æternum Parnassum, quo per cælestium contemplationum sonat etiam auribus Dei eius vox dulcis, ex omnium Camænarum virtutũ mitis carminibus efformata. *Homo introduci debet à spiritu sapientiæ per contemplationem cælestium*, docet Interpres serm. 2. Dom. 1. Quadrages. Iste autem sapientiæ spiritus *Amor est*, & tota Trinitas Amor, licet appropriatè dicatur de tertia Persona. Is Amor dilectio est, & dilectio, ait Interpres serm. Dom. 12. post Trinitatem, *Deum, & proximum ligat*. Quomodo autem fiat istud ligamen, ita declarat immediatè. Hæc est linea (ait) de qua Dominus Iob 30. *Quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt?* Deus, inquit, tetendit lineam dilectionis suæ super animam, vt ipsa se extendat vsque ad dilectionem proximi, *Super quo nisi super Iesu Christo bases, idest animæ puræ intentionis, quibus tota fabrica virtutum innititur, sunt solidatæ*. Videne omne virtutum Museum super Christi bases fundari debere?

Introductio veri Apollini Christi in nobis.

Homo introducendus est à spiritu sapientiæ ad cælestia.

Bases virtutum animæ Christu

Modum exercendi, vt perueniatur ad sapientiam veram per meditationem; & orationem, docet Bonau. in opusc. quod inscribitur, *Incendium Amoris*, cap. 1. & 2. In 3. vero cap. agens de contemplatione, qua ad veram quoq; sapientiam perueniẽdum, *Per contemplationem* (inquit in principio) *transit mens nostra ad supernam Hierusalem, ad cuius instar Ecclesia est formata, secundum*, Exod. 25. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. *Necesse est enim*, subdit, *Ecclesiam militantem conformari triumphanti, & merita præmijs, & viatores Beatis secundum quod possibile est. In gloria autem triplex est dos, in qua consistit perfectio præmij, scilicet, Summæ Pacis tentio. Summæ veritatis visio. Summæ charitatis fruitio.* Hæc ibi Bonau. qui statim constituens in anima cõtemplante summam Hierarchiam, cuius tres Ordines Throni, Cherubim, Seraphim, eam construit ex tribus, scilicet ex sopore Pacis respectu Thronorum. Ex splendore veritatis respectu Cherubinorum. Ex dulcore Charitatis respectu Seraphinorum. In hac etiam Hierarchia cælesti, ac summa, sed Angelica, & creata, ponit quoque Hierarchiam supercælestem, diuinam, & increatam, haud per excrescentiam, sed per spiritalem existentiam, siue pereminentem sessionem, velut in proprio throno. *In his enim tribus*, ait, *requiescit Deus, & habitat tamquam in solio proprio*. Ascensus autem *ad soporem pacis* fit per gradum *viæ purgatiuæ, quæ consistit in expulsione peccati*. Ascensus *ad splendorem veritatis* fit per gressum *viæ illuminatiuæ, quæ consistit in imitatione Christi*. Ascensus ad dulcorem charitatis fit per gressum *viæ vnitiuæ, quæ consistit in susceptione Spiritus Sancti*. Itaque (infert Doctor)

Quomodo in anima cõtemplante summa Hierarchia reperiatur.

In tribus Ordinibus requiescis Deus.

In sũ na hierarchia requiescit in creata ceu in solio proprio.

ctor) *qualibet via habet gradus suos, per quos ascenditur ab imo, & tenditur usque ad summum*. Priori viæ assignantur ab ipso gradus septem, quibus perueniri possit ad soporem pacis. Quorum

1 *Pudor in recordatione flagitij* quãtum ad magnitudinem, multitudinem, turpitudinem, ingratitudinem.

2 *Timor in circumspectione iudicij*, & hoc quadruplicis, scilicet dissipationis operis. Excæcationis rationis. Obdurationis voluntatis. Condemnationis finalis.

3 *Dolor in æstimatione damni*, quantum ad amissionem diuinæ amicitię. Ad perditionem innocentiæ. Ad vulnerationem naturæ. Ad dissipationem vitæ præteritę.

4 *Clamor in imploratione subsidij* quadruplicis, scilicet Dei Patris. Filii Redemptoris. Virginis Matris. Ecclesiæ triumphantis.

Gradus viæ purgatiuæ quibus ascéditur ad soporem pacis

5 *Rigor in extinctione fomitis, siue incentiui* quadruplicis. Ariditatis, quæ est desidia. Peruersitatis, quæ est malitia. Voluptatis, quæ est concupiscentia. Vanitatis, quæ est superbia.

6 *Ardor in appetitu martyrij*. Propter perfectionem remissionis offensæ. Propter purgationem maculæ. Propter satisfactionem pœnæ. Propter perfectionem sanctificationis, vel vt habent alia exemplaria exactionis concupiscentiæ.

7 Loco occurrit *Sopor in obumbratione Christi*, vbi est status, & requies, quando homo sentit, se protegi sub vmbra alarum diuinarum, vt non vratur ardore concupiscentiæ, nec timore pœnæ. *Ad quod non potest perueniri, nisi per appetitum martirij. Nec ad appetitum martirij, nisi extinxerit incentiuum. Nec ad extinctinem incentiui, nisi implorauerit subsidium. Nec ad implorationem subsidij, nisi deploret damnum. Nec ad deplorationem damni, nisi timeat iudicium. Nec ad timorem iudicij, nisi recordetur, & erubescat flagitium.*

Post hæc statim enumerat septem alios gradus perueniendi *ad splendorem veritatis* in via illuminatiua per Christi imitationem.

Gradus viæ illuminatiuæ, quibus ascéditur ad splendorem veritatis.

In primo gradu, *per affectum rationis* consideratur *quis est*, qui patitur. In secundo *per affectum compassionis, qualis est*, qui patitur. In tertio *per admirationis aspectum, quantus est, qui patitur*. In quarto *per deuotionis excessum, qua causa patitur*. In quinto *per assimilationis amictum, qualis forma patitur*. In sexto *per amplexum Crucis, quanta sint* quæ patitur. In septimo *per intuitum veritatis*, quod ex hoc consequitur, quod patitur. Percurrens breui calamus Seraphicus horum septem graduũ explanationem, in septimo gradu septem alia declarat his verbis. Septimo considera, quid ex hoc consequitur, quod patitur, & veritatis radium intuere per contemplationis oculum. *Quoniam ex hoc, quod Agnus passus est, septem signacula libri aperta sunt. Liber iste est vniuersalis rerum notitia, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per passionis Christi efficaciã reserata, scilicet. Deus admirabilis. Spiritus intelligibilis. Mundus sensibilis. Paradisus desiderabilis. Infernus horribilis. Virtus laudabilis. Reatus culpabilis.* Cuncta autem hæc septem manifestata esse per Christi Crucem, ibi mox ostendit Doctor, qui transiens deinde statim ad viam vnitiuam perueniendi ad dulcorem charitatis spiritus, sub numero pariter septenario proponit, & exponit. Vt exempli gratia

Sit primus gradus *Vigilantia sollicitans* propter Sponsi pulchritudinem.

Gradus viæ vnitiuæ, quibus ascenditur ad dulcorem charitatis.

Sit secundus gradus *Confidentia confortans* propter Sponsi certitudinem.

Sit tertius gradus *Concupiscentia inflammans* propter Sponsi dulcedinem.

Sit quartus gradus *Excedentia eleuans* propter Sponsi celsitudinem.

Sit quintus gradus *Complacentia quietans* propter Sponsi pulchritudinem.

Sit sextus gradus *Lætitia delectans* propter Sponsi plenitudinem.

Sit septimus gradus *Adhærentia conglutinans* propter amoris Sponsi fortitudinẽ. *Hoc ordine*, inquit, *progredi debes qui vis ad perfectionem charitatis, & amorem Spiritus Sancti pertingere.*

Huiusce ordinis expositionem quære apud ipsum, apud quem etiam ibidem inuenies gradus perficiendi aliter distinctos secundum triplicem differentiam triplicatam, triplici Hierarchiæ consonã. In eo ordine inuenies amaritudinem, gratitudinem, similitudinem, & singulas circa tria, vt omnia sint nouem. Vbi autem loquitur de perfectione gratitudinis, videtur ibi constituere quodam spiritale Museum, in quo sacræ Camænæ cantant, lætantur, amplexantur: inquit enim. *Sequitur perfectio in gratitudine, in qua est vigilantia exurgens ad canticum propter beneficiorum vtilitatem. Lætitia exultans ad iubilum propter donorum pretiositatem. Beneuolentia accedens ad amplexum propter dantis libertatem.* Ex his immediatè redit ad similitudinem iam propositam, & declaratam per aspectum veritatis eleuatũ ad superiora; per affectum charitatis dilatantẽ ad exteriora, per actum virilitatis ordinatum ad interiora. Quod facit, ni fallor, vt prædictum Museum ad diuinam referat, eleuetque Hierarchiam, sibiq;

Gradus proficiendi triplice secundum triplicem hierarchiam.

Perfectio in gratitudine constituit quodã Museum.

sibique Deum constituat præsidem. *Nota,* inquit, *quod aspectus veritatis debet esse erectus ad incompræhensibilia, & hæc sunt misteria Summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea, & hoc dupliciter. Vel per positionem, vel per ablationem. Primum ponit Augustinus. Secundum Dionysius, &c.*

Trinitatis misteriũ trifariè consideratur.

Vtramque viam, positiuam scilicet, & ablatiuam, siue, vt nuncupant alii apud ipsum, affirmatiuam, & negatiuam declarat Bonau. Sed negatiuam, & modum quoque exercendi circa eam eminentiorẽ ostendit. Aspectus autem veritatis per statum erectionis ad incompræhensibilia Trinitatis misteria, siue communia, siue propria, siue appropriata, siue media inter hæc, & illa, & tam per viam affirmationis, quam negationis declaratur ibidẽ à Bonau. sed appropriata tripliciter hierarchicha, iuxta triplex eorum discrimen positiuè constituit, sicquè ponit duo, quorum alterum ordinat in Deo, alterum docet vt directiuum ad illud per exercitationem iuxta triplicem supernorum spirituũ Hierarchiam. De priori ita scribit. *Deinde in diuinis sunt appropriata secundum triplicem differentiam.*

Appropriata positiua in diuinis triplicia.

I Prima appropriata sunt Vnitas. Veritas. Bonitas.

1 *Vnitas* attribuitur *Patri*, quia origo.

2 *Veritas* attribuitur *Filio*, quia imago.

3 *Bonitas* attribuitur *Spiritui Sancto*, quia connexio.

II Secunda appropriata sunt. Potestas. Sapientia. Voluntas.

1 *Potestas* attribuitur *Patri*, quia est principium.

2 *Sapientia* attribuitur *Filio*, quia est Verbum.

3 *Voluntas* attribuitur *Spiritui Sancto*, quia est donum.

III Tertia appropriata sunt. Altitudo. Pulchritudo. Dulcedo.

1 *Altitudo* attribuitur *Patri propter vnitatem, & potestatem.* Nihil enim est aliud altitudo, quam singularis, & vnica potestas.

2 *Pulchritudo* attribuitur *Filio propter veritatem, & sapientiam.* Nam sapientia multitudinẽ idearum, veritas autẽ æqualitatem includit. Pulchritudo autem nihil aliud est, quam æqualitas numerosa.

Tria in Deo & triplex status erectionis ad illa.

3 *Dulcedo* attribuitur *Spiritui Sancto* propter bonitatem, & voluntatem. Vbi enim summa bonitas iuncta est cum volũtate, ibi est summa charitas, & summa dulcedo. Est igitur in Deo *Altitudo terribilis,* & hic est erectionis. *Pulchritudo mirabilis,* & hic est status contemplationis. *Dulcedo desiderabilis,* & hic est status glorificationis. *Hæc est igitur erectio per viam affirmationis. Sed alia est eminentior per viã negationis. Quoniam, vt dicit Dionysius, Affirmationes incompactæ sunt. Negationes verò, licet videantur minus dicere, plus tamen dicunt.* Post breuissimam huius secundæ viæ declarationem, in qua, inquit, *modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior: tanto fructuosior, quãto affectio proximior,* statim subdit alterũ vt directiuum ad illam diuinã, & increatam Hierarchiam, in suis nouem appropriatis affirmatiuis triplicem, triplicemq; pariter circa viã negationis; inquit enim Bonau. ibidem. *Et hic modus erectionis est per abnegationem trium, ita quod in negationibus illis sit ordo, incipiendo ab inferioribus vsque ad superiora.* Inspiciamus tale directiuum, quo ipse Seraphicus Doctor terminat totum illud opusculum, cõcludens eius caput tertium. Vt ergo, inquit, in hac eleuatione veritatis aspectus se valeat exercere, nota, quod

Modus erectionis [illegible] per viam negationis triplicem [illegible] & intimior.

In prima Hierarchia veritas est

1 *Aduocanda* per gemitum, & orationem, & hoc est *Angelorum*.

Veritas in 1. Hierarchia quomodo reperiatur.

2 *Audienda* per studium, & deuotionem, & hoc est *Archangelorum*

3 *Annunciãda* per exemplum, & prędicationem, & hoc est *Principatuum.*

In secunda Hierarchia Veritas est

1 *Adeunda* per refugium, & commissionem, & hoc est *Potestatum*.

Quomodo in 2. Hierarch.

2 *Apprehendenda* per zelum, & æmulationem, & hoc est *Virtutum*.

3 *Associanda* per sui contemptum, & mortificationem, & hoc est *Dominationum.*

In tertia Hierarchia Veritas est

1 *Adoranda* per sacrificium, & laudẽ, & hoc est *Thronorum*.

Quomodo & in tertia.

2 *Admiranda* per excessum, & contemplationem, & hoc est *Cherubim.*

3 *Amplexanda* per osculum, & dilectionem, & hoc est *Seraphim*.

Nota diligenter prædicta, quoniam in illis est fons vitæ.

Verum cui scribit Bonau. eique suadet, vt hæc diligenter ab eo adnotentur, ipse explicet in prologo, & me solum confundat, me solum arguat, me solum damnet, nec desinat tamen mei commisereri, meque emollire, & suorum verborũ igne saxeum hoc pectus scindere. *Istum librũ,* ait, *offero intuendum, non philosophis, non mundi sapientibus, non magnis Theologis, infinitis*

Opusculum incẽdii amoris cui directum.

finitis quæstionibus implicatis. Sed rudibus, & indoctis. Magis Deum diligere, quã multa scire conantibus. Non enim disputando, sed agendo scietur ars amandi. Arbitror autem ea, quæ hic continentur, ab istis quæstionariis, & in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi. *Vnde nec eis scribere decreui, nisi postpositis & oblitis cunctis, quæ ad mundum pertinent, solis Conditoris inardescant desiderijs mancipari. Primo quidem, vt omnem terrenam dignitatem fugiant. Omnem ostentationem scientiæ, & vanam gloriam odiant. Demum Paupertati altissimæ se conformantes, orando, & meditando diuinæ dilectioni iugiter assistant.* Vide reliqua post epistolam dedicatoriam in limine huius operis.

Ars amandi Deum non disputando, sed agendo addiscenda.

Huic diuinæ dilectioni, atque amoris Dei incendio iugiter assistens Franciscus in suo triplici Museo, Præsidem semper habuit verum Apollinem Christum, Solẽ Iustitiæ, ceu vitæ fontem. Rudis ipse, & imperitus ita agendo didicit amandi artem, vt amando summam veritatem Christum, in ipsum tandem anima, & corpore se totum transformarit. Ipseque euaserit in tali arte amandi Deum (summum hierarchicantem; & in sua Hierarchia supercælestem, & increatum) per amorem Crucifixi vnicus Magister, primitiuus, & nouus. Quilibet vir iustus vt Solem repræsentat Interpres noster propter tria: ait enim in serm. Dom. 12. post Trinitatẽ. *Sol lucidus est, calidus, & rotundus: & vir iustus lucet proximo. Calet Deo. Rotundus est in seipso.* Hoc est, quod dicit Apostolus: *Sobriè, & iustè, & piè viuimus in hoc sæculo.*

Vir iustus Sol est propter tria.

Sed Frãciscus in suo vero Iustitiæ Sole, iam sui Musei, hierarchicè triplicis vero Apolline, factus est valde excellenter Sol. Quia valde excellenter lucidus proximo, valde excellenter calidus Deo, valde excellenter rotundus in seipso admiratus est. Eleuatus cum tali Sole inter suas Camænas ad supremum increatæ Hierarchiæ amorem per amorem Crucifixi, in quem totaliter iam transformatus fuit per eius plagas, & clauos, totus amor euasit. Ex tanto amore seraphicè, vehementerque edoctus simplex, idiotaque Franciscus ad rusticanam poesim, musicamq; excitatus à suis diuinis Camænis, post verum Apollinem cursitantibus, alteram hymnodiam illam, priori longè rudiorẽ, cecinit. In qua nec vnus fermè epodus est & nonnunquam nec vnus versiculus est, in quo non resonaret amor: imò passim in vno versiculo totus numerus metricus solo amore ex maiori parte constare videtur. At in postremis epodis totus absortus intra caminũ Diuini Amoris reperitur, ardens totus vehementer in seipso. Ardens totus vehementer transformatus in Christum. Ardens totus vehementer immersus in Diuinitatis fornacẽ. Ardens totus vt vir Hierarchichus, & cũ triplici Hierarchia, cælesti & creata vsq; ad supercælestem, & increatam Hierarchiam vehementia ineffabili effusus per gemitum, & orationem cum *Angelis*. Per studium & deuotionem cum *Archangelis*. Per exemplum & prædicationem cum *Principatibus*. Per refugium & commissionem cum *Potestatibus*. Per zelum & æmulationem cum *Virtutibus*. Per sui contemptum & mortificationem cum *Dominationibus*. Per sacrificium & laudem cum *Thronis*. Per excessum & contemplationẽ cum *Cherubinis*. Per osculum & dilectionem cum *Seraphinis*. Sicque à vitæ fonte absortus, vbi dixit, *Non sò ò io mi sia, Iesu speranza mia, Ormai vâ dormi in amore*, in hac ipsa veluti irrequieta quiete amplius ardebat *vt Angelus*, *vt Archangelus*, *vt Principatus*. Amplius ardebat *vt Potestas*, *vt Virtus*, *vt Dominatio*. Amplius ardebat *vt Thronus*, *vt Cherubinus*, *vt Seraphinus*. Atq; vlterius amplius ardebat intrans totus, & totaliter Hierarchiam increatam. In huiusmodi requie melodica irrequietè ab ipso amore stimulatus, ita prorumpebat (siue vigilans, siue dormiens, siue comedens, siue bibens, siue vel exteriori, vel interiori operans homine) ita inquam prorumpebat, addens vltimo versiculo Bonau. in cap. 8. par. 2. Stimuli Amoris.

Sed Franc in Sole Iustitiæ Christo Sol excellenter effectus.

Franc. vt vir tripliciter hierarchichus vsq; ad increatam hierarchiam effusus.

Melodica in Franc. requies irrequieta.

1 *Vâ dormi in Amore. O Amor quid tibi tribuam, qui me fecisti diuinum?* Viuo ego iam non ego; viuit autem in me Christus. Gal. 2.

2 *Vâ dormi in Amore. Inenarrabilis est virtus tua ò Amor*, qui lutum in Deum transfiguras. Quid ergo te potentius? Quid dulcius? Quid iucundius? Quid & nobilius obsecro?

3 *Vâ dormi in Amore. Bone Amor*, qui terrena ponis in Cælum, deficio tui memor, & facio me vniri dilecto.

4 *Vâ dormi in Amore. O felix Amor*, qui nos facis languidos, sponsi nostri amplexibus sustentari.

Stimulus vehemẽtissimi amoris Frãcisci, amorẽ alloquentis circa sex.

5 *Vâ dormi in Amore. O desiderabilis Amor*, qui summis delicijs reples gentes. *Sed si liquefacta es ad verbum eius (ò anima mea) quomodo sustines amplexus eius*, quomodo non es consumpta ad oscula eius? Si liquefacta es ad affatum eius, quomodo nõ es absorta cum intras per vulnera, & per venas ad cor eius? Sed ò mira dulcedo, & mira iucunditas, vt quod non meremur nominare, possimus masticare.

Vâ

Amans anima quid sit amare, nescit

6 *Và dormi in Amore. Non mereor esse ancilla, & facta sum in delicijs clarissima. Quis sufficit tanti amoris etiam scintillam modicam intueri? Quid est hoc? Nescio. Capere nequeo, inquit, sed obstupesco admiratione, iucundior delectatione, inebrior exultatione.*

Non sò ò io me sia,
Iesu speranza mia,
Ormai và, dormi in Amore.
Vbi sum, quid est hoc?
Spes mea, Iesus Amor,
Quiesce Amor, dormi Amor.

Obseruatio synoptica super argumento, tempore, auctore, atque traductore huius alterius Cantici. Necnon & monstrosa diuersorum vocabulorum conflatione.

CVncta hæc paucis enucleat vnà cum portentosa vocabulorum mixtione Vadingus citatus, ita scribens.

Diuini amoris vehementia non ratione fertur, sed desiderio.

1 Hoc cantico, ait, describit eleganter (*Franciscus*) Amoris vehementiam, quæ (teste Bernard. serm. 9. in Cant. post principium) *desiderio fertur non ratione. Quæ nec iudicium præstolatur. Nec consilio temperatur. Nec pudore frænatur. Nec rationi subijcitur.* Dulcique inito colloquio cum Christo, ostendit nullas esse amoris metas, nullam mensuram. Seque totum, disruptis rationis reparaculis, in amoris potestatem redactum.

Canticũ etiam post stigmatum receptionẽ edidit.

2 Post stigmatum receptionem modulatum hoc carmen iudico. Ex eo quod sæpius se percussum meminerit, & clarius sibi iam ostia aperta esse recenseat, quod ad vulnerum hiatus retulisse videtur. Acceptum refero secundo Codicis MS. Assis. & Bernardino Senensi dum Tom. 4. eius operum serm. 16. extraordinario, qui est de D. Fracisco, ante finem habeatur principium eiusdem sub eius nomine, & pro reliqua parte remittatur Lector ad sermonem feriæ 6. Parasceues, vbi integrum habetur. Non me latet, in aliquibus editionibus repositum hoc Canticum inter cætera B. Iacoponi. Sed multa habet de inflictis vulneribus, de apertis sibi ostiis, aliaque id generis, quæ magis propria Francisci videntur.

Transtulit illud in Latinum P. Iacobus S.I.

3 Illud vario carminis genere latinũ reddidit in suo in Franciscum affectu *Iacobus Lampugnanus* Italus ex Societate Iesu, ita vt verba ipsa secutus sit in plurimis. Aliquãdo tamen institerit soli sententiæ, & pauca quædam contraxerit, vel dilatarit, stylumque aliquando demiserit, prout ad sensa viri amantissimi explicanda visum est commodius. Cæterum obscurissima quædam interpretatus est ex ingenio, cum nesciret quæ vis, & notio subesset vocabulis illis antiquis. Hactenus Vadingus.

Mixtio vocabulorũ portentosa in hoc a. cant.

Adde, vocabula illa antiqua in præscripta cantione vsque huc sparsa reperiri per varias nationes. Ibi enim voces, & notæ omnes mixtione quadam extrauaganti & Latinæ videntur esse, & Hispanæ, & Gallæ, Prouenzales, Lombardæ, & Etruschæ, & Neapolitanæ, & Siculæ, Calabræ, & Appulæ, ad extremos Salentinos, seu Hidruntinos nostros, & similes, &c. Eundem stylum lingua rudissima tenuit B. Iacoponus Minorita, nobilis Tuderrinus, vir doctus tum iuris prudentia, tum literis humanis, & eruditione clarus. Fuit Dantis Aligeris, Poetæ sui tẽporis idiomate Etrusco maximi non solũ contemporaneus, sed etiam illi amicitia coniunctus. Claruit sub Bonifacio VIII. obiit sub Clemente V. anno Domini 1306 Nouam Francisci scholam ingressus, adeo in ea profecit, vt & ipse, vt diximus in 1. tomo Hierarchiæ, nouæ pariter scholæ princeps euaserit. Circa mundi, & sui ipsius contemptum, & in sequendam Crucis Christi stultitiam vnicus extans.

Natio, professio, & [illegible] B. Iacoponi Minoritæ.

Poterat quidem Franciscus exemplo Dauidis, Vatis, ac Poetæ eximii (qui, teste Britone in defensione Lirani nostri contra Burgensem, materiem Psalmorum aliis tradidit, vt metro harmonico componerent, vel, vt ipse puto, tradidit rudem illorum compositionem, vt meliorem, & cultiorem efficerent) poterat inquam Franciscus idipsum efficere, tradens carmina sua siue ante, siue post sacra stigmata scripta, socio suo Fratri Pacifico Piceno, qui cum egregius, præcipuusque ea tempestate Poeta esset in sæculo, meruerat coronari ab Imperatore Federico II. Et vir ille doctus, & sanctus illam Magistri sui poesim saltim ad meliorem, etsi non ita politiorem phrasim (ablatis ab ea tot vocabulis vilibus, contemptibilibus, & ad risum vt plurimum prouocantibus, relicta tamen religiosa, ac pia simplicitate) faciliter redigere. Sicut iam fecerat B. Cæsarius de Spira, cui Franc. tradidisse primam Regulam suam, ornandam sententiis Euangelicis, vt appareret ex illis, quod tota Euangelica erat, non autẽ exponendam, sed relinquendã in verbis suis simplicibus, quibus eã scripserat, prout ipsi Altiss. reuelauerat, cõmuniter ferunt nostrates, vt aliàs pluries adnotatum est. Quare quod effecerat B. Cæsarius

Cur noluerit Franc. poesim suã aliis tradere, vt expolirent.

tius circa sententias ad ornamentum Regulæ, fecisset quoque B. Pacificus circa vocabula carminum Francisci. Attamen voluit vir Dei, vt sicut Regula in sua simplicitate, ac ruditate latina, prout inspirauerat vt sic eam scriberet Altissimus seruabatur, ita & carmina italica remanerent. Nã idem Diuinus Amor dum quæ stulta sunt Mundi, quæ vilia, quæ ignobilia, quæ contemptibilia, quæ infirma, quæ paupera in vita, in veste, in habitaculis, in suppellectile, in verbis & factis, ac demum in omnibus & cunctis elegerat, eligere quoque complacuit in ipsius Ecclesiæ Reparatore Francisco. Alias quomodo potuisset vtroq; idem Diuinus Amor hanc Ecclesiam aut diuinitus fundare, aut cælitus reparare, nisi Dei odium expugnaret, huiusmodi fundationẽ, hancque reparationem impediens? Sed istud odium Dei vnde? Nonne ex superbia vitæ? Sed hæc superbia vitæ quæ contra Dei Amorem, eiusque facinora digniora eligit tanquam Dei odium fouentia? Nonne quæ Mundi sapientiam amplecti docent, quæ pretiosa, quæ nobilia, quæ existimabilia, quæ fortia, & quæ verbis & factis locupletissima sunt non minus, quam vanissima? Hoc est illud D. Pauli ad Corinth. 1. cap. 1. *Fratres, videte vocationem vestram, &c.*

Vilia, & cõtemptibilia diuini amoris genuina.

Hanc Apostolicam doctrinam in sua schola docuit Diuinus Amor per Christũ fundans Ecclesiam Catholicam; hanc docuit per Christi discipulos, rudibus & humilibus verbis, & variis linguis, vt omnium captaret beneuolentiam. Hanc ipsam postea doctrinam, reparans eandem Ecclesiam per Franciscum, & eius sectatores, renouauit, nouam scholam per ipsum erigens. Quare haud mirum si Francisci Museum eiusmodi Amoris Dei loquens lingua, & ipsius explicans vehementiam, eandem tenere voluit in verbis vilitatem, quam in aliis tenebat. Vt ita ab eo edoctus, qui vilia in ipso elegerat, & illo mixto idiomate, omnia in omnibus etiã in verbis factus, omnes quoque amanti Christo lucrifaceret.

Cur voluit illũ monstruosum stilũ in illo Cant. Franciscus.

Porrò Diuini Amoris artificii, & virtutis, & ostensionis spiritus ignari dum prouocantur ad risum, & ad derisionem Poesis Francisci (in quem defectum longe ante inciderat ipse Augustinus nondũ catholicus effectus, nec baptizatus, codicẽ Biblicum contemnens) ipsis dicendum cũ D. Paulo totum id, quod Corinth. 1. c. 2. scribit Apostolus. Quodque deinde B. Iacoponus (ita voluit nuncupari ex contemptu) obseruare studuit, factus discipulus, & imitator S. Francisci, addensque nouum stultitię Crucis Christi genus, nouamque Apostolicæ, necnon & Seraphicæ vilitati vilitatem, ceu admirabilis nomine, gestis, & carminibus Minorita.

Derisoribus Poesis Franc. q. id enunciandum.

Poterat ex se Iacoponus, qui mira dixit, fecit, & scripsit, ex culta, & polita elocutione iuxta Etruscam illius tempestatis linguam, qua vsus est Dantes eius amicus, cui & ipse eruditione quoque, & peritia in Poesi Italica haud quidem impar, edere carmina. Cur autem noluerit id efficere, sed potius sequi Patris Francisci stylũ, vt melius impetu spiritus Spiritus S. atque Amoris Dei, & Prophetiæ doni velaret misteria, mouit ipsũ vilitatis amor, & contemptus sui ipsius, & Mundi, vt videtur aduertere Vadingus in libro de Scriptoribus Ordinis Minorum, fol. 180. vbi sic loquitur de eius poetandi genio, & arte. Rithmos, & Poemata multa lingua rudi Etrusca mixtis crassioribus verbis Tudertinis, Calabris, Siculis, Neapolitanis, *vilem vestem tum in corpore, tum in carmine affectans*, composuit, quæ libris septem distinxit, & notis illustrauit Franciscus Fresatus Minorita. Prodierunt Romæ anno 1558. deinde auctiora Ven. in 4. ann. 1617. &c. Sic sub illa vili corporis, & carminum veste nouã affectans B. Iacoponus humilitatẽ, pretiosam margaritam spiritus Prophetici, amorisque diuini sub rudibus corticibus contegebat.

B. Iacopon. carminibus suis voluit imitari parẽtẽ suũ Franc.

Disputat Alexander Taxonus Mutinẽsis lib. 9. quæst. 15. idiomate Italico; Num *ab hinc annis trecentis melius quam præsenti ætate Italicè scriberetur*. Ante responsum ad eam quæstionem, inuehitur in Linguæ Latinæ propugnatores, stabilitque veluti axioma, thesimque irrefragabilem, ac pro bono publico vniuersalem, atqui indubitabilem, vtilius longe esse omnes cuiusuis generis professiones, artes, doctrinasq; illa scribi lingua, qua communiter loquitur, vti faciebant Græci, ac Latini, & iam Hispani efficere inceperunt. Hoc Taxoni dictum adeo vniuersaliter pronunciatum ita iuxta politicam sæcularem, & disciplinas humanas intelligendum venit, vt omninò remoueat à se codicem Biblicum, quamuis non absolutè, sed quia ita expedit eo modo, quo explicat Bellarminus tom. 1. controuer. lib. 2. cap. 15. de editionibus vulgaribus verbi Dei. Dogma commune est omnium hæreticorum nostri temporis in hoc vnanimiter concurrentiũ, oportere scilicet scripturas omnibus permittere, imò & tradere in sua lingua. Et cum publicè leguntur, & cantantur, vt in sacris officiis id quoque fieri lingua propria, & materna. Ita Ioannes Brentius non minimus inter Con-

Lingua Italica Etrusca quo tempore floruerit.

Explicatur quædã Alexandri Taxonis thesis.

Dogma hæreticorũ communissimum circa libros sacros.

Confessionistas Lutheranos in Confess. Vvirtemberg. cap. de horis canonicis. Caluinus lib.3.Instit. cap.20. §.33. Kemnitius in exam.4.sess. Concil.Trid. Quod idem alii omnes reipsa docent, dum passim vertunt scripturas in linguam Germanicam, Gallicam, Anglicam,& iisdem linguis publicè scripturas legunt, & canunt. Et hodie ob maximam imprimendi scripta commoditatem ferè vbique sacros libros quadam monstrosa vocum mixtione vertunt hæretici (non secus ac eadẽ mixtio legitur in Iacoponica poesi) vt sic maternis abundet sub vna,eademq; radicali lingua idiomatibus, exempli gratia, Saxonicis, Sueuis, Augustanis, Tigurinis, & sic de similibus.

Vulgaris translatio sacrorum librorũ haud omnino olī prohibita.

Catholica Christi Ecclesia non prohibet omninò vulgares translationes, vt Kemnitius impudenter mentitur. Nam in indice librorum prohibitorũ à Pio IV. edito Reg.4. videtur concedi lectionem eiusmodi librorum iis, qui facultatem ab Ordinario obtinuerint. Prohibetur tamen, ne passim omnibus sine discrimine concedatur eiusmodi lectio: & ne in publico, & communi vsu Ecclesiæ scripturæ legantur, vel canantur vulgaribus linguis, vt in Cuncilio Trident. sess.22. cap.8.& can.9.statuitur. Ita Bellarminus citatus. Verum hodie iure merito nullam per hanc quartam regulam impressionẽ, atque editionem de nouo tribui facultatem Episcopis,vel Inquisitoribus,aut Regularium Superioribus concedendi licentiam, emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, declarat Index de anno 1663. ad Regulas Indicis Clem. VIII.circa 4.Regulam. Cum hactenus,inquit, mandato, & vsu S.Rom. & Vniuers. Inquisit.sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias legendi,vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam Noui, quam Veteris Testamenti partes quauis vulgari lingua editi. Et insuper Summaria, & Compendia etiam historica eorundem Bibliorũ, seu librorum Sacræ Scripturæ quocumq; vulgari idiomate conscripta, quod quidem inuiolatè seruandũ est.Ita Index ibi.

Hodie verò penitus interdictur.

Igitur, sequitur Bellarminus, contenti simus illis tribus linguis, quas Dominus titulo Crucis suæ honorauit Ioan.19. & quæ omnium consensu antiquitate, amplitudine, & grauitate omnibus aliis præstant. Ac demum quibus ipsi libri diuini ab auctoribus suis initio scripti fuerunt, hoc est Hebræa, Græca, & Latina. De quibus S.Hilar. præfat. in Psalm. penès eundem Bellarm. citatum, qui ad finem eiusdem cap.15. circa irreuerentiã, & contemptum hodie maximè practicatũ ex vulgaribus sacrorum librorum traductionibus adducit duorum grauissimorũ Patrum testimonia, Basilii Græci,& Hieronymi Latini. Hi quidem, ait, non iudicabant expedire, vt omnes homines sine delectu scripturas tractarent, etiamsi id non posset eo tempore facile impediri, cum Græca, & Latina lingua,quibusdam populis adhuc essent vulgares. Refert Theodoretus lib.4.Histor. cap.17. cum Præfectus Culinæ Imperat.nescio quid de scripturis protulisset, eo à Magno Basilio repræhensum audiuisset, *Tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere*. Quid obsecro nunc diceret S.Basilius si pharmacopolas, sutores, caupones, tabernarios, agasones, mulierculas, cæteros opifices etiam è pulpitis sacra eloquia tractare apud Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas videret. Lege Hieronymum in epist. ad Paulinum de studio scripturarum, & Hieronymi querimonia nunc maximè locum habere ne dubites in tota Germania,& Gallia. Omnes enim opifices non solum viri, sed etiam fœminæ scripturas habent in manibus, & ex earum lectione, ad imperitiam suam adiungunt indocilitatem, & arrogantiam. Quia enim possunt verba Apostoli recitare, & allegare libros, & capita, putant se omnia scire, nec vllo modo doceri se patiuntur. Vide Ioannem Cochleum in libro de vita, & actis Lutheri ad an 1522 Nec facile illud Taxonicum pronunciatum concede, ne præter sacros libros humanas quoque siue scholasticas,siue morales, siue politicas disciplinas, quas latinè scribi consultius visum est, in contemptum iri coneris asserere.

Quid senseri: t antiqui Patres circa vulgare: scripturæ traductiones.

Corruptelæ recentiorum hæreticorũ circa re hãc monstrosæ.

Ergo Taxonus respondens quæstioni principali haud acquiescere placet sententiæ illorum, asserentium, aurei sæculi authores in Etrusca, seu Tusca lingua eos extitisse, qui ab anno Domini 1300. vsque ad 1400. vel parum vlterius scripserunt. Tunc enim temporis scripsere (& hoc putat huiusce sententiæ fundamentum Taxonus) Bocaccius, Petrarcha, Ioannes Villani, Dantes,& quos nos Patres huius linguæ vocamus, ceu primos, qui illi esse præstiterint, eamque illustrarint. Vnde concludunt, quod sicut ea tempestate in sua suprema puritate floruit hæc lingua,ita nunc in maiori parte corrupta sit, ac deteriorata. Quod autem non esse id verum, ibi Taxonus ad oculum demonstrat, nec ipse ab eo dissentio. Etsi enim linguæ quemadmodum & homines rudes adnascantur, & eo rudiorem nostram Italicam adnatam esse-

Aurei sæculi authores in Etrusca lingua iuxta sẽten.Taxoni.

credendum, quò ex Latinæ linguæ, aliarumque extranearum, ac barbararum simul in miserrimis Italiæ excidiis admixtarū corruptione sua initia acceperit; nihilominus magis ac magis cultu, politia, vocibus selectissimis, ac significatiuis, & in multa copia quàm ante, eloquentiori, gratiori, ac candidiori stylo hodie florere, ditioremque esse, & ferè à cunctis nationibus in existimationē, praxis ipsa demonstrat. Itaque in prædictis Auctoribus veneramur huiusmodi linguę culturæ originem, eosq; pariter vt Patres, & Magistros colimus. In hoc tamen sæculo apud eruditos melioratam, locupletatam, expurgatam à pluribus vocabulis, quæ penes eosdem auctores remanserant, ac subinde ab innumeris vocibus vulgi, ac plebeis, monstrosisque subtractā, illustriorem redditam, & non amplius corruptam, deturpatam, obscuratam eiusmodi linguam, pro comperto habemus. Et iuxta illud Fauorini Philosophi, *Viue moribus præteritis, loquere verbis præsentibus*, melius videtur tum soluta oratione, tum matrica loqui, ac scribi lingua Etrusca præsenti, quam præterita, moderna, quam antiqua.

In præsenti sæculo lingua Etrusca apud eruditos quam florida.

Tempore ergo S. Francisci ad ann. circiter 1225. quo edidit Seraphicus Vates præscriptas cantiunculas (nam eius stigmatizatio contigit anno præterito 1224. obitus verò 1226.) lingua Italica ad Tuscos communis rudis erat, & qua loquebantur viri nobiles, vel qua scribebant viri docti, atque eruditi siue prosa, siue versu, in quo clarebat B. Pacificus noster prædictus, inceperat aliquantum expoliri vocum meliorum electione. Sæculis deinde succedaneis, ab anno scilicet 1300 vsque ad annum 1400. & aliquantò vltra adeò respectu temporum præteritorum facta est in sua elocutione expolitior, atque elegantior, ac nobilior apud Bocaccium, ac Ioannem Villani soluta oratione, carmine verò apud Dantem, & Petrarcham (sed hic longe Dante accuratior, & illa gloria emeritus, qua multa pompa hic Romæ triumphauit ad instātiam Regis Neapolis Roberti, veri doctorum virorum, eruditorumque scriptorum Mecenatis) vt alia omninò visa sit à transacta, & veluti ad summam perfectionem redacta; sed haud nostra melior. Iacoponus noster florebat Dantis tempore, vt ex dictis patet. Franciscus Petrarcha viuebat ad annum 1350. obiitque piè, sanctèque (teste Bellar. de Scriptor. Eccl. ab anno 1300. ad 140.) anno Christi 1374. ætatis suæ 70. Igitur Poetæ nostri, Franciscus & Iacoponus carmina apostolica, Diuini Amoris sacramenta velantia, viliter scripserunt ob rationes supra adductas, cum vterque potuisset ad illam politiam, ac stylum ea reducere, quæ illis temporibus apud meliores scriptores vigebat. Dogma namque apostolicum est 1. ad Corint. cap. 1. Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est. Iis autem qui salui fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi? &c.* Et verè stultā fecit hanc Mundi sapientiam, verè sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobauit, vbi in monstroso illo Francisci, & Iacoponi poetandi modo, amoris vehementia in quandam prorumpens amentiam desiderio, non autem ratione ferri poterat. Nec iudicium præstolari. Nec pudore frenari, nec consilio temperari, quin variis linguis loqueretur, & viliter loqueretur, & contemptibiliter loqueretur, vt sic dici poterit: *Vbi sapiens?* in poesi scilicet Francisci, & Iacoponi, *Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi?* At nos conqueramus cum Interprete nostro fragmen molare, & Mundi speculum in ortu Francisci super stabuli fœnum in medio duorum animalium; simulque in vtraque perquisitione lætitia magna cum omni Ecclesiastica, & humana Hierarchia perfundamur.

Lingua Etrusca tempore S. Fran. qualis erat.

Sæcula B. Iacoponi, & Fran. Petrarcæ.

Cur Fran. & Iacoponus tam ruditer ediderint sua carmina

I V.

Pica Puerpera super stabuli fœnum effudit cum infantulo primogenito suo, iecitque tum fragmen molare, & Satanæ ceruicem confregit. Tum paruum lapidem, in quo fundans Ecclesiam Franciscanā, et reparans Romanam filius suus, corruit Mundi statua.

HOc itidem argumentum in huius puncti tertii titulo cum præcedentibus aliis tribus iam explicatis quarto loco propositum, nunc breui, Deo fauente, per Interpr. nostrum enucleandū est. Ad quod faciendum, iuxta prophetiam B. Cyrilli de Francisco, ad similitudinem petræ, ac lapidis vaticinato, vt superius declaratum est, duabus parabolis Euangelicis, totidemque veteris Testamenti histo-

historiis, & vna visione per misticum intellectum iactam propositionem explanabimus.

In quolibet corporis sensu sunt duo instrumenta

Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, ideo habe me excusatum Lucæ 14. Hanc puto rusticanam, vilemque excusationē totus Orbis Christianus repetebat Christo eo tempore antequam mitteretur ei Franc, quando, inquam, reparatione, instauratione, reformatione maxima indigebat. Quod ita probo ex glossa Interpretis nostri in serm. Dom. 2. post Trinit. Quinque iuga, inquit, sunt quinque corporis sensus. Sicut enim boues in iugo combinantur, ita duo instrumenta sensus nobis seruiunt. Duæ enim sunt aures, duo oculi, duæ nares. In gustu etiam duo instrumenta, lingua & palatum. In tactu duæ manus. *Hi sunt decem Principes*, de quibus Eccl. 7. *Sapientia confortauit sapientem super decem Principes Ciuitatum.* Sapientia est amor, & contemplatio Dei, *qui confortat sapientem*, idest anima, quæ amoris saporem degustat, *super decem Principes Ciuitatis*, idest super omnem delectationem quinque sensuum corporis. *Illa enim verè satiat, ista totum euacuat. Illa indulcat, ista amaricat. Qui illi seruit, liber est. Qui isti, miser & seruus.* Iuga quinque boum emit, qui infelici commercio, sopore amoris Domini contempto, se quinque sensuum delectationi infelici subiicit miserabili seruituti. *Vtinam tolleret homo super se iugum Domini suaue, & non Diaboli.*

Hæc instrumenta dicūtur boues, & principes.

Primo Regum 11. dicitur. Ascendit Naas Ammonites, & pugnauit contra Iabes Galaad. Sequitur. *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Sequitur. Insiluit spiritus Domini in Saul, &c. Nota figuram. *Naas interpretatur Serpens, quod benè conuenit Diabolo, qui in Serpente primos Parentes decepit. Ammonites interpretatur populus mœroris, vel comprimens, vel coangustans.* Naas ergo est Ammonitarum Pater, qui antiquus serpens, qui & Sathanas, princeps est malignorum, qui sunt in mœrore tristitię, qui secundum Apostolum *mortem operantur. Hi comprimunt, & coangustant vitam Sanctorum. Vnde quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, id tribulatio iusto.* Impius viuit impiè, idest ad vilitatem pii, *quia contubernia malorum frixoria sunt iustorum.*

Naas serpentis Diaboli simbolum.

Maligni cōprimunt vitam iustorū, & ponunt in frixorio.

Naas ergo pugnat contra Iabes Galaad aceruus testimonii. *Hæc est anima, quæ prius à vitijs habet exsiccari, postmodū Dominica passione repleri.* Contra hos pugnat Naas, vt eruat oculos dextros, sciens quod oculo dextro eruto, vnusquisque ad bellum minus vtilis existat. *Oculus dexter est visus discretionis, quem Diabolus nititur eruere, & sinistrum, idest amoris mundani respectum relinquere, sciens quod qui æterna non desiderat, terrenam prosperitatem amat. Si per terrena tenetur quis, de facili in bello cadit.* Qui animam suam ab obsidione & infestatione Diaboli voluerit liberari, necesse est, quod sequitur.

Diabolus nititur eruere oculūdextrū idest virtutē prudentiæ, seu discretionis.

Insiluit spiritus Domini in Saul, &c. Saul interpretatur *inunctus*, qui in sui Regni principio, qui hanc Ciuitatem liberauit, bonus fuit. Ideo virum iustum significat, gratia Dei inunctum, in quem cum spiritus Domini, idest contritio cordis insilit, tunc peccatis suis præteritis irascitur, & sic vtrumque bouem in frustra concidit. Qui oculos, quibus illicita concupiuit, lacrymis conterit. Vtrumque bouem occidit, qui duas aures, nè de cætero audiant detractionem, vel adulationem, timoris diuini spinis sepit, & sic de cæteris sensibus. *Vt quot in se habuit oblectamenta, tot de se inueniat holocausta*, &c.

Iustus dicitur vir inunctus.

Omnia hæc concordat, & exponit loco citato Interpres noster, quæ ad duo capita reducta, primo loco apparet quidē imminens excidium Ecclesiæ, per serpentis, ac Satanæ molimina tempore ortus S. Francisci excitatum, ac fermè peractum. Secundo verò loco eiusdem Ecclesiæ reparatio planè videtur per pœnitentiam, ad quam prædicandam Franciscus nascebatur, ceu illius Reparator. Qui mutando Mundi commercium in cōmerciū Christi, & quærendo cum Christo, mercatore cælesti bonas animarum saluandarum margaritas (inter quas inueniens vnam margaritam, scilicet fidem catholicam, & Ecclesiā Romanam, daret omnia sua) se totū, & suos totos cum ea emeret &c. Eisque restitueret principatum decemuiratus per amoris Dei, & contemplationis Dei sapientiam, cui delectabili, saturabili, dulcique libertate deseruirent, excussa prius quinque iugorum boum miserrima sarcina, infamique tyrannide Qui insurgens in Naas, liberaret Iabes Galaad, scilicet animas, exsiccans eas à vitiis, postmodum Dominica passione, quam in omnimodam oblitionem vniuersa Christianitas posuerat, repleret. Nec solum hoc; verum etiam restitueret toti Ecclesiæ, Naas Diaboli ceruice confracta, oculum dextrum præfatum, vt propterea ceu fragmen lapis molaris à prouidentia Dei per Picam Puerperam super stabuli fœnum in medio duorum animalium (super quem, & in medio quorum Virgo Maria lapidem Christū proiecit) proiiceret.

Quomodo sensib. quinque principatus decēuiratus restituendus.

Huius

Vineam suã vallat Deus temperantiç muro, fortitudinis sepe.

Huius veritatis demonstratio pendet à parabola de vinea, Matthæi 21. quæ est Ecclesia Hebraica, iuxta sensum literæ,& est Ecclesia Catholica iuxta sensum misticum, & est Anima iuxta sensum moralem. *Hanc vineã* (exponit Interpres serm. fer.6.Dom.2.in Quadrag.) *Deus vallauit muro, & antemurali, quod est Temperantia*, &c, A Temperantia transit statim Interpres sub simbolo muri ex sepe, ad *Fortitudinem* haud corporalem, *quæ habetur à bestys, sed mentis, & animæ, quæ non concutitur ex aduersis*, Mox loquens de huiusce vineæ torculari: *Torcular*, inquit, *est iustitia, quæ præmit omnes vuas*. Nota, *Vuæ sunt delectationes*, quarum quædam albæ, quia spirituales; quædam nigræ, quia corporales. *Omnes autem præmuntur in torculari Iustitiæ. Vinum eis rubrum, idest charitatis exprimitur dulcedo, fæcibus vtique procul pulsis.* Vbi postea declarat immediatè Interpres significatum Turris, in hac eadem vinea ædificatæ, ita subdit.

Dat quoque torcular iustitiæ, tertium prudentiæ.

Turris est prudentia, vulgariter enim prudentia est lux directiua, &c. Et est discretio. Hæc est *Turris Libani*, quæ cãdidatio interpretatur, Cant.7. *Quia candida, & clara est prudentia,& nunquam marcescit. Contra Damascum*, idest contra peccati tentationem. Damascus interpretatur propinans sanguinem, idest peccatum, & est tentatio, quæ peccatum generat. Vel Damascus sanguinis poculum, &c. In hac Turri speculatrix est Prouidẽtia, Memoria,& Inspectio, quæ sunt partes prudentiæ Principalis est prouidentia.

Hæc prudentia discretio est.

Quod si dicas, muliere armasti,& muniuisti hanc Turrim, quare eam mulieri commisisti? *Respondeo; immo ipsa est, quæ dat tibi victoriam de hostibus*, Iudicum 4. *In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tendetur Sisara*, idest exclusio gaudii, scilicet Dæmonis. *Per manum fœminæ percussit illũ Dominus Deus noster*. Iud. 13. De hac figura Iudicum 9. *De Abimelech, qui expugnabat oppidum, siue Ciuitatem Thebeam, in qua Turris alta, ad quam confugerant Ciues, &c.* Vide historiam.

Prudẽtia vt mulier fortis, dans victoriam de hostibus.

Abimelech Diabolus est

1 *Abimelech*, idest Patris mei Regnũ, *Diabolum*, qui Regnum Dei supplantare nititur, fratribus interemptis, significat. Hic oppugnabit oppidum Thebes, quæ facta mea interpretatur, idest anima, vel conscientia, in qua facta, & merita collocantur.

2 *Turris est prudentia, siue discretio*, ad quam oportet confugere.

Propugnaculum est circumspectio.

3 *Propugnaculum* est circumspectio, in qua oportet homines commorari, si volunt pugnare cum Dæmone.

Mulier, quæ fragmen molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius, est prouidentia, quæ debet videre illa, quæ procul sunt, quæ scilicet ventura, vel quæ procul venire possunt. Procul quidem non prospera solum, sed & aspera. Igitur *dum Abimelech nititur supponere ignem*, idest feruorem inordinati desiderii, & fumum facere, idest vanam gloriã immittere, quæ licet ad modum fumi citò euanescat, tamen interdum excæcat oculos sapientum.

Mulier contringens caput Abimelech fragmine molari, est prouidentia.

4 Debet igitur hæc *Mulier iacere Molã, idest Christum*, vt exponit Petrus Damianus in epistola de continentia clericorũ. Est enim, vt ibidem dicit, lapis ille, de quo loquitur Euangelium præsens, quod *super quem hic lapis cadet, confringet eum. Tunc autem mulier, idest prouidentia hunc accipit lapidem, quando considerat seueritatẽ diuinæ sententiæ, & tunc percutit, & frangit caput Abimelech, idest Dæmonis, & sic oppidum liberatur, hoc est vinea sic munita.*

Molaris lapis est Christus.

Ex tota hac Interpretis nostri doctrina clarè apparet, quod eruto à Diabolo dextro oculo, scilicet prudentia, ac discretione, simulque memoria, prouidentia, & inspectione à vinea siue Ecclesiæ, siue animæ, cuncta in direptionem, & interitum abire necesse est. Capta enim turris, statim temperantia diruitur, fortitudo desinit, iustitia non amplius consistit. Hæc omnia contigisse tempore suo, declarat immediatè Interpres, continuans allegoriæ expositionem, sicque dolenter loquens cum Propheta. Sed proh dolor! quod dicit Hierem.5. *Ego*, inquit Deus, *plantaui te vineam electam, omne semen verum*, quia seminauit temporalia, corporalia, & spiritualia. *Quomodo igitur*, inquit, *conuersa es mihi in prauum, vinea aliena*? Nonne conuersa est in prauum, quæ nuncios Domini perimit, & extinguit?

Capta à Dæmone turri prudentiæ, cuncta diripiuntur.

1 Nota. *Primi nuncij sunt lex naturæ*, quam habes scriptam in mente. Isti nuncii nunquam venient, nisi tempore debito, quia nunquam, nisi postquam homo venit ad annos discretionis, tunc incipiũt fructum petere. Sed isti perimuntur, dum scilicet rationis iudicium per passionem aliquam delectationis, iræ, ac ambitionis excæcantur.

Primi nuncii in lege naturæ.

2 *Secundi nuncij sunt diuina præcepta, & illi sunt plures.* Istos nuncios Deus mittit, quando studendo, vel audiendo informaris. Sed de istis peius agitur, quam de primis.

Secundi legis scriptę

3 *Tertiò mittitur Filius Dei, dum scilicet ibi occurrit crucifixus pro te ante oculos cordis tui*. Sed in veritate tu facis peius, quam fecerunt isti, de quibus in Euangelio.

Missio filii Dei crucifixi in lege euang.

gelio, Quia saltem isti permiserunt intrare vineam, licet postmodum eiecerint. Sed tu nullo modo permittis. Quinimmo ipsum perimis antequam huic vineæ per inspirationem valeat propinquare, & ideo timendum iudicium, quod sequitur. *Malos malè perdet, & vineam suam dabit alijs cultoribus, qui facient fructum eius.* Quia tradetur finaliter peccator in manu inimici. *Et si dicas, quem fructum faciet inibi Dæmon? Respondeo, quod faciet fructum iustitiæ, & vindictæ, quæ est fructus, in quo Dominus delectatur. Istis fructibus finaliter Deus pascitur, qui modo pascitur fructu misericordiæ, &c.*

Iustitiæ, & vindictæ Dei dulces sunt fructus.

Hæc postrema Interpretis verificata sunt deinde in Ecclesiæ Orientalis vinea, ex quo Dæmon occupata ibi Turri prudentiæ, ac discretionis, circumspectionis, & prouidentiæ, erutoque simul oculo dextro genti illi à maximo vsque ad minimum, tradita est vinea barbaris agricolis, facientibus ibi iustitiæ, & vindictæ fructus. Ad quod excidium cum proximissima esset vinea vtriusque Ecclesiæ, & iam Diuina vindicta ad ipsam similibus agricolis quamprimum tradẽdam accinxerat sua fulmina, Saracænorum colluuie simul cum scelerum, errorumque colluuione malè eam infestantibus, Deus tamen mutatus ex Iudice in Patrẽ per Matrem suam Virginem, prouidit de vna fœmina, vt lapidis molaris fragmine, scilicet Francisco, lapidi Christo ab ipso ortu simillimo, illideret capiti Abimelech, & confrigeret cerebrum eius. Sic enim recuperato oculo dextro in liberata à Dæmone Turri, restituta temperantia, fortitudine, iustitia, remissisque nunciis legis naturæ, ac legis Euangelicæ, atque ecclesiasticæ, suscitata, ac propagata, ac propugnata Christi Crucifixi memoria per tres Ordines, & totidem leges à Francisco instituendas, *instar reparatæ triplicis fabricæ* (verba sunt Bonauenturæ ad finẽ cap. 2. Legendæ pluries superius repetita) *ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum.*

Fragmen molare Franc. in mola Christo ad reparat. Ecclesiæ

Explicatis parabolis Euangelicis, atq; historiis veteris Testamenti, nunc remanet iuxta promissa vnica visione explicãda, ex veteri & ipso Testamento deprompta.

Vix effuso Francisco Ecclesiæ Reparatore super stabuli fœnũ in medio duorũ animalium, super quem etiam & in medio quorum effusus fuit & Christus Redemptor omnium, & fundator Ecclesiæ, sic eum allocutus est Deus ipsa ortus sui die per Hieremiam. *Ego quippe dedi te hodie in Ciuitatem munitam. Et in columnam ferream. Et in murum æneum super terram Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt. Quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.* Ierem. in fine cap. 1. cuius etiam maior pars quadrant valdè Francisco ante eius ortum, & in ortu, & post ortum circa aggressionem operis, sibi præcipuè de reparanda Eccles. ter à Christo commissi, ac mandati. Sed præallegata verba adducit Interpres ad declaranda Ecclesiæ Catholicæ arcana sub figura statuæ Nabuchdonosor Reg. cuius posteritas ex ære, & ferro &c. Aduertendum tamen, quod vbi dupliciter explicat eandem figuram, scilicet allegoricè, & moraliter, primo modo pro Ecclesia Christi, secundo pro Mundo, Ecclesiæ Christi aduersario; ad admirabilem illius statuæ erectionem, huius miserrimum casum statim annectit, non aliunde contingentem, quam ex vnius parui lapidis, abscissi de Monte percussione. Molem ergo, structuramque omnem statuæ allegoricæ ita breui describit Interpres in serm. Dom. 22. post Trinitatẽ, super illa verba Matth. 18. de seruo rationem cum Rege suo reddente; *Cum non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, &c.*

Allocutio Dei ad Frãciscũ super stabuli fenũ effusum.

Vxor peccatoris, inquit, est cupiditas Mundi, filii, falso ac malè acquisita, malè retenta, ac malè consumpta. Hæc est Statua Nabuchdonosor, de qua Dan. 2. Huius statuæ caput ex auro optimo erat. Pectus autem, & brachia de argento, &c. Nota historiam. *Statua ista allegoricè est Sancta Ecclesia.* Quæ

Peccatoris vxor, ac familia.

1 *In Apostolis habuit caput aureum.* Cant. 5. *Caput eius aurum optimum.*

2 *Brachia, & pectus,* in quibus maior est virtus, habuit Ecclesia de argento tẽpore *Martyrum*, qui in certamine fortes perstiterunt. Vnde eidem Ecclesiæ sponsus ait Cant. 1. *Murenulas aureas faciam tibi vermiculatas argento.* Murenulæ sunt catenæ, quæ virgulas auri, & argenti texuntur. *Murenulæ Ecclesiæ fuerunt Humilitas, & Paupertas, quas habuit tempore Apostolorum, & Martyrum.* Quæ vt decore magis essent, ipsorum sanguine quasi argento fuerunt vermiculatæ, idest rubricatæ. *Argentum cum auro sanguis Martyrum, in quo stolas suas dealbauerunt, cum humilitate, & paupertate Apostolorum mentis nostræ oculis mirabilem exhibent pulchritudinem.*

Statua Nabuchdonos. pro Ecclesia catholica.

Humilitas, & paupertas tempore Apostolorũ & Mart. Murenulæ Eccl.

Item

Æs, & ferrũ in statua Ecclesiæ pro Cõfessorib.

3 Item Ecclesia *æs, & ferrum habuit in Confessoribus*, qui sono suæ prædicationis prauitatem hæreticam confregerunt. Vnde Moyses Deuteronom. 33. *Ferrum, & æs calceamentum eius*, scilicet *Aser*. Aser interpretatur beatus, *& significat Chorum Confessorum, qui ære prædicationis, & ferro constantiæ inuincibilis calceati, calcauerunt super serpentes, & scorpiones, idest Hæreticos, & Schismaticos*. Ad id immediatè probãdum adducit Interpres præfatam Dei ad Hieremiam allocutionem, quam vtitur Ecclesia in festo Præcursoris Christi, propter illius sanctificationem in vtero Matris suæ, cui assimilatus & Franciscus à Bonauentura, vt planè superius dictum est. Vnde (ait statim Interpres) Hieremiæ loquitur Dominus. *Dedi te in Ciuitatem munitam. Et in columnam ferream. Et in murum æneum super omnem terram, &c.* Nota ista tria, subdit Interpres. Ciuitatẽ. Columnam. Murum.

Ciuitas munita humilitas.

In Ciuitate munita Humilitas, quæ verè munit, & muniendo custodit.

Columna ferrea charitas.

In Columna ferrea fraterna Charitas, quę sustentat.

Murus æneus patientiæ inuincibilitas & prędicat. assiduitas.

In Muro æneo patientiæ inuincibilitas, & prædicationis assiduitas. Quia eius Sancti Confessores, Hieronymus, Augustinus, Ilarius, cæterique Ecclesiæ Doctores habuerunt ista, ideo fabricatores mendacii deuicerunt. Post hæc statim Interpres considerans in huiusce statuæ pedibus ferrum, & lutum simul, qualis erat in pedibus, quibus tunc debiliter innitebatur Ecclesia (vt meritò eam collabentem Innocentio III. monstrauerit visio) annectit hæc pauca.

Item Ecclesia paupercula tempestate conuulsa, in fæcibus Mundi quasi in pedibus habet ferrum, & lutum, tam in Clericis, quam laicis. In ferro auaritia. In luto luxuria. Sub eadẽ visione statuæ Nabuchdonosor fuit ab Angelo præmonstrata, ac declarata Francisco Minorum Religio, ab eo fundata, ob maximam similitudinem Religionis Franciscanæ cum Ecclesia Romana, ab eo reparanda. Nec explanatio illa Angelica multũ differt ab hac Interpretis nostri, vt videri potest apud Vading. tom. 1. Annal. Istud tamen aduertendum, quod vbi Minorum Religio, & Ecclesia Cathol. habet ferrum, & lutum in pedibus, videtur significari, quod in seipsa semper durabit vsque ad finem Mundi, iuxta promissa, facta à Christo, vel Petro Vicario suo, vel Frãcisco Reparatori suo. Nam pedibus suis in illis, qui eam in seipsis sustinebunt, paruo lapidi Christo, & minutis lapidibus Apostolorum per humilitatem, & paupertatem Euangelicam constantissimè veluti in tutissimis basibus inhærentibus calcabit ferrũ, & lutum eorum, per quos eam Satan præcipitem ire indefesso studio, ac labore quolibet tempore conabitur.

Ferrum auaritiæ simbolum, lutum vero luxurię.

Statua prædicta mũdi, Ciuitatis Babiloniæ, & Sinagogæ Satanæ simbolum.

Porrò ostendens moraliter Interpres ex consequenti Statuæ Mundi, in Ciuitate Babilonica, ac Satanæ Sinagoga pereminentis miserum casum, ad statuę Ecclesiæ Catholicæ erectionem, siue in maiori parte, siue in particulari in quolibet mũdano sequutum, ita subdit. Moraliter à principio Mundi duæ fuerunt Ciuitates, scilicet Ecclesia, & Babilonia. Statua ista significat Mundum, Ciuitatem Babilonię, Synagogã Satanæ, quæ quasi imago est. Os habet, & non loquitur, quia habet ramunculum auaritiæ in ore. Oculos habet, & non videt, quia stercus luxuriæ excæcauit eam. Aures habęt, & non audit, quia tamquam serpens vnam auriculam applicuit ad terram, aliam cauda obturat, ne audiat vocem incantantis.

Quid in tali statua aurũ.

1 *Cuius caput* ex auro erat. *Aurum significat sapientiam Mundi, vel carnis*, quæ insipida est, quia stultitia est apud Deũ.

Quid argentum.

2 *Argentũ eloquentiam*, quæ est Ægypti viua rana. De his duobus dicit Dominus Ezech. 16. *Tulisti vasa decoris tui de auro meo, quæ dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas*, & fornicata es in illis, &c. *Tunc sibi facit idola, quando gratiam sensus, & eloquentiam vitæ prauitate corrumpit*. Et fornicatur in eis, scilicet Prælatus, quãdo vanam gloriam in Mundi prostibulo ex ipsis quærit.

Quid æs, val de resonans

3 *Æs, quia multũm sonat*, vanam gloriam significat. Vel in ære diuitiæ notantur, quæ valde sonant. *Vocauerunt* (inquit Psal. 48.) *nomina sua in terris suis*. Vnde Ezech. *Egressum est nomen tuum in gentes*. Non in Angelos. Non enim exprimitur nomen *Diuitis, & purpurati, sed Lazari pauperis, & vlcerosi*.

Quid ferrũ.

4 *Ferrum obstinationem significat*. Vel in ferro potentia designatur, qua confringit pauperes. *Sed tu, Domine, dentes peccatorum contriuisti*. Hæc est illa *Bestia terribilis*, de qua Daniel. 7. *quæ dentes ferreos habebat*, &c. *Lutum* significat amorem temporalium. Vel in luto intelligitur misera cato.

Lapis paruus Iesus Christus hanc mũdi statuã contriuit.

Hanc statuam contriuit lapis paruus Iesus Christus, qui, vt subditur, *abscissus est de monte*, idest natus de Virgine, *sine manibus*, idest sine opere virili, *& percussit statuam in pedibus, & comminuit eos. Tunc pariter contrita sunt ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inuentus est in eis*.

Sic

Sic Christus in primo aduentu suo percussit statuam Mundi, quam non ex toto destruxit, sed in die iudicii ex toto destruet. Hucusque Interpres de statua Mundi vniuersaliter per sensum moralē redemptionem respicientem, etsi nō vniuersaliter quantum ad suum esse naturale siue humanum, siue elementare, ac cæleste, ab vno parui lapidis Christi ictu in fauillam redacta, quemadmodum in extremo die funditus eruenda. Sed per eundem sensum quantum ad vnumquemque virum mundanum quantumuis magnum in suo paruo mundo, in quo mūdus magnus veluti monstrosa quadam statua videtur totus consurgere, ita sequitur immediatè, coniungens visionem Danielis parabolæ Euangelicæ de seruo præfato. Vel adueniente, inquit, lapide, idest mortis duritie, percutietur, & conteretur, & tunc aurum sapientiæ, argentum eloquētiæ, æs diuitiarum, ferrum potentiæ comminuetur, & in nihilum redigetur, & à vento dispergetur, quia caro vermibus, diuitiæ parentibus, & anima Dæmonibus tradetur. Vnde Apocal. 14. *Cecidit, cecidit Babilon illa magna*, scilicet meretrix, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Idest inebriauit mundum. Benè ergo dicitur. *Iussit eum Dominus venundari, & vxorem, & filios*. Quia, vt ibi dicit Glossa, *pro cupiditate mundi, & carnis operibus malis quasi vxorem, & filios pœnas æternas exsoluet*. Hactenus pro re nostra Interpres.

Lapis paruus etiā mortis statuā singulas cuiusdam norū destruit

Certum est, Christū vt lapidem paruū humilitate, paupertate, modicitate, despectione, de monte humillimæ Ancillæ excisum duo in fundatione Ecclesiæ suæ simul & semel effecisse. Alterum fuit in eius erectione ad formam statuæ, ex auro, argento, ære, ferro, &c. conflatæ, iuxta primam explicationem Interpret. nostri. Alterum verò in mortali percussione statuæ mundi, & mundanorum; nisi enim statuam hanc in eius aduentu prosterneret, nullo modo illam statuam fundare potuisset. Sic ex paruulo lapide super illius stabuli fœnum in medio duorum animalium viliter proiectus, factus est *Ciuitas munita*, ob inexpugnabilē humilitatis arcē, atque inuictū huius virtutis præsidiū. Factus est *Columna ferrea* ob fraternam charitatem, qua natus ipse vt primogenitus Virginis, iam extans vnigenitus Patris æterni, omnes electos suos fratres, & veluti secundo genitos per adoptionis gratia declarauit. Factus est *Murus æneus* ob *patientiæ inuincibilitatem*; quæ tunc maximè inuincibilis visa est, cum eius caro in Caluariæ Monte super Crucis patibulum ceu omnis sceleris rea confossa fuit, & eius vita inter sceleratos occubuit. *Ob prædicationis assiduitatem*, cuius vltimis in lignea Cruce verbis Redemptionis consummationem, quam in pœnitentiæ Cruce prædicare inceperat, declarauit, dicens, *Consummatum est*.

Christus duo fecit vt paruus lapis in fundanda Ecclesia,

Sic factus Ciuitas munita. Columna ferrea. Murus æneus

Franciscus & ipse natus vt petra, siue lapis modicus, paruulus, despectus, & vilis, in stabulo vt talis inter vilissima, atque humillima iumēta effusus est. Nam de ipso prophetatus est B. Cyrillus, sub simbolo petræ, vt dictum est in præcedenti libro. Pari enim modo se gerere debebat in Ecclesiæ reparatione, eo quod statua Ecclesiæ à Mundi statua vndique fermè oppressa erat pedum ferro, scilicet superbiæ, crudelitatis, & auaritiæ. Atque testa, & luto impudicitiæ vniuersaliter conculcata, ac vilis reddita. Vnde oportuit; vt in erectione illius statuæ hanc statuam idemhomuncio fero ictu percuteret, & mortali casu prosterneret. Renouans eas virtutes, quibus Christus, & Apostoli illam fundauerant, & in fraternitate cum Christo, ac per Christum ex eius fratre factus primogenitus non solum Piæ Puerperę (ex qua in Monte Vrbis Assisiatis in stabulo inter Bouem, & Asellum vt lapis paruulus, lapidi Redemptoris persimilis genitus) sed ipsius Matris Christi, quæ prima spiritualiter Franciscum ad hoc dum peperit, in Ecclesiæ reparationem ipsa designauit. Quam postea veritatem tempore approbationis Regulæ visio cælestis Romano Pontifici Innocentio III. monstrauit. Expellens namque antea Christi Vicarius Franc. plus humilitate, vilitate, paupertate quā corpore, ac statura paruū, veluti si tunc illi obijcerit lapideum offendiculū. vidit mox ipsum sub iisdem prioris expulsionis motiuis, & ceu firmā basim appositam Catholicæ Ecclesiæ statuæ, in Laterana Basilica figuratæ, ne ea funditus rueret. Atq; ex consequenti inspexit quoque Dei famulum vt lapidem paruū, Mundi, & mundanorum statuam, quæ in statuam Ecclesiæ Romanæ præualebat, mortali ictu percutientem, ac prosternentem. Videbat namque (refert Bonauent. cap. 3. in fine, & ex eo Breuiar. Romanum) *in somnis Pontifex, vt retulit, Lateranensem Basilicam, fore proximam iam ruinæ, quam quidem homo pauperculus, modicus, & despectus proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat*. Quid est hoc, ô Christi Vicari Innocenti? Nonne tu idem ille nunc es, qui in Franciscum vti in paruum, durū, asperumque lapillum paulò ante, scilicet præterita die ita malè offenderas, vt ceu talē

Quomodo in his Fran. cū Christo conuenerit.

Fran. vt pauperculus, vt paruulus, modicus, & despectus sustinet immēsum Eccles. colossum.

longè à te indignanter proijceres? Cur modo hic ipse paruus lapis, haud oculis tuis prius diues, & pretiosus ceu adamas vel carbunculus constitutus, quia in illius interiori homine non statim potuisti Dei thesaurum, ab oculis tuis tunc absconditum intueri, idoneus tibi apparet, vt sua eadem paruitate, nuditate, duritie, paupercula modicitate, ac despectione, ob quam heri expuleras, sustinere possit ingentem Lateranensis Basilicæ columnem, & in ea totius Ecclesiæ molem, miserrimę ruinæ propinquissimam? Num tibi monstrauit Deus, quod ipse Franciscus vt lapis offensionis, non amplius pedibus, & capiti tuo, sed capiti, tum Abimelech Diaboli, tum statuæ Mundi ad illius cerebri, & ad illius plantarum fractionem, atque ad vtriusque casum (& vt lapis mutatus in tria, scilicet *in Ciuitatem munitam, & in Columnam ferream, & in murum aneum*) tribus ordinibus, totidēque legibus pristinæ erectioni sicut tempore Apostolorum statuam Ecclesiæ releuabit, non solum eam reparando pro tunc, sed in posterum perenniter sustentando? Hæc vtique monstrata mihi fuere, responderet Innocentius, illis ijsdem verbis, quibus statim vocatus coram se Frāciscus, toti curiæ ita testatus est, eo præsente: *VERE HIC EST ILLE, QVI, OPERE, ET DOCTRINA CHRISTI SVSTENTABIT ECCLESIAM.*

Sic vidit eū Inn. III. sicq. testatus est de eodem.

V. & VI.

In stabulo in medio duorum animalium ortum cum Francisco Mūdi Speculum. Coram ipso tota humana, noui, veterisque Testamenti siue terrestris, siue Cælestis Hierarchia plurimum gauisa est. At Satanæ Regnum ingenti mærore turbatum.

HÆc duo fuerunt postrema argumēta, in præsenti puncto supra posita, & examini solitò exposita. Prius argumentum inscriptum legitur in limine superiori Sacelli ad locum stabuli, vulgariter nuncupati, *San Francesco il piccolo*, hoc est S. Franciscus paruus, vel infantulus & quò ortus Franciscus erecti. Epigraphen est, prout adhuc aureis notis legitur, & iam supra rescripsimus in principio. *Hoc Oratorium fuit Bouis, & Asini stabulum, in quo natus est* FRANCISCVS MVNDI SPECVLVM. Quæ inscriptio distincta est duobus inconcinni metri versiculis. Sacellum verò, ait Vading. §. 3. in App. non longè distat ad finem eiusdem plateæ ab ædibus paternis, eiusque curam & possessionem habent Patres Conuentuales Tradidimus à principio nonnulla sub metaphora Speculi, vbi de Francisco, in loco, qui dicebatur Speculum à summo Pontifice expulso. Vide lib. 3. cap. 1. pro primo euentu. Quare nunc Speculum Francisci super stabuli fœnum in medio Bouis & Asini sub aliis reflexibus, & paucis breui contemplandum, & haud iisdem arcanis, de quibus supra, patefaciendum.

Inscriptio sacelli in loco ortus Franc.

1 *Candor est lucis æternæ, & Speculū sine macula, &c.* ait Sap. 7. de Christo Redemptore. In quem locum Interpres feria 6. in Parasceuen. *Sicut videmus, inquit, quod Speculum clarificatur sputo, sic Christus fuit Iudæorum sputo clarificatus, at contemptu, ac contumelia.* Sed hæc eadem diuini speculi clarificatio per contemptum, & cōtumeliam donne incepit à stabulo, immunditijs, tenebris, & omni mœrore pleno? Ab ipso enim stabulo, super quod noua stella trium Regum Magorum Dux stetit, nocte media, *Circumfulsit Dei claritas*, in cuius medio stans Angelus, dixit Pastoribus Lucæ 2. *Nolite timere, ecce enim euāgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid. Et hoc est vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*, &c. Quid est illud, *& hoc erit vobis signum*? Est, ni fallor, signum clarificationis diuinæ Speculi Christi, ex ipsa humilitatis, contemptus, vilitatis obscuritate præsepij admirandum in modū erumpentis. Christus enim, sputis Iudæorum, & cōtemptu & cōtumeliis clarificandus, longè ante ab ortu suo in tam vili loco clarificatus est. Agens Bonau. cap. 6. Legendæ de Francisci humilitate, ita incipit. *Omnium virtutum custos, & decor humilitas copiosa virum Dei vbertate repleuerat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator, cum in veritate* SPECVLVM *esset* & SPLENDOR *omnimodæ sanctitatis.* Verum Sicut hæc Humilitas Francisci ortum habuit à stabulo, à quo & Christi humilitas incepit, ita pariter & huiusmodi omnimodæ sanctitatis speculum, & splendor, in stabulo apparere, ac micare debeat. Et licet ex tunc non tam manifestè in terris eius candor, ac fulgor innotuerit, innotuit tamen supernis spiritibus, vt propterea Dei Legatus sub peregrini mendici specie Franciscum super stabuli fœnum nasci-

Speculum Christi ab ortu super fœnum præsepis clarificatum.

Ita pariter & Francisci speculū, omnimoda sanctitate clarū

nasciturum annunciauit Matri, doloribus partus cum vitæ periculo laboranti.

Decuit, vt Christus, in stabulo natus, speculum illud esset sine macula, & illius bonitatis imago, qui vt sic miserat ipsū ad restituendum, redimendumque illud rationis speculum, quo fracto, imaginem Dei genus humanum ob peccatum in iumentinam formam turpiter, viliterque mutauerat. Quamobrem cum natum legimus, & credimus in præsepio in medio duorum iumentorum. Diuina imago relucens in speculo immaculato humanitatis assumptæ, iacuit inter iumenta, vt irrationalem speciem, in quā culpa transformauerat hominem, ab homine tolleret, daretque ei rationis speculum, in quo inspiceretur Dei imago mirum in modū restituta. Similiter idipsum videtur decuisse in opere reparationis per Franciscum, & per suos incipiendæ, prosequendæ, perficiendæ, consummandæ. Ac per cōsequens pari loco nasci debebat Christus Redemptor, *Speculum sine macula, & imago bonitatis* paternæ, & Franciscus Reparator *Speculum Mundi, & omnimodæ sāctitatis splendor*, & imago bonitatis Christi tam mente, quam corpore. Imago namque Dei Patris, & Dei Filij, & Dei Spiritus Sancti bonitatis idcircò in vtroque Incarnati Verbi homine ineffabiliter eluxit, quia vterque homo in Christo expressit illam non solum interius per animam, sed etiam exterius per carnem. Nec voluit sine ista (licet cum illa sola potuisset) totius Trinitatis bonitate deperditam imaginem Dei, per culpæ malitiam destructam, in homine restituere. Eodem modo se gessit idem Redemptor per Franciscum, reparans eandem imaginem, speculumque rationis vndique obscuratum, deformatum, ac penè confractum restituens.

Natus Christus in med. iumentorū vt speculum ad restituendum in homine rationis speculū.

Similiter & Franc. mūdi speculum.

Ostendite mihi numisma census, dixit Iesus cauillosis, calumniosisque Pharisæis, qui consilium inierant, vt caperent eum in sermone Matth. 22. At illi obtulerunt ei denarium Et ait illis Iesus. Cuius est imago, & superscriptio? *Nota ista tria* (exponit Interpres in serm. Dom. 23. post Trinit.) *denarium, imaginem, & superscriptionem. Sicut denarius imagine Regis, sic anima nostra Sāctæ Trinitatis imagine signatur.* Vnde Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Idest lumen gratiæ, qua reformatur imago tua in nobis, qua tibi similes sumus. *Signatum*, idest impressum rationi, quæ est superior vis animæ, qua similes sumus Deo, *cui impressum est lumen illud vt sigillum ceræ. Vultus ergo Dei ratio nostra accipitur, quia sicut per vultum quis cognoscitur, ita per speculum rationis agnoscitur Deus. Hæc autem ratio per peccatum deformata est, propter quod homo dissimilis factus est Deo, sed per gratiam Dei reparata.* Vnde Apostolus Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.*

Per rationis speculum agnoscitur Deus.

Gratia ista Dei apparuit tum in Christi speculi sine macula natiuitate, vt canit Ecclesia, tum in Francisci, Mundi speculi ortu, vt fert Bonauent. in prologo Legendæ. Sed in Christi natiuitas Saluator missus fuit, vt hac ipsa gratia redimeret hominem, eique restitueret rationis speculum. In Franc. autem ortu Reparator missus, vt per eandem gratiam ipsum hominem repararet, vt exprimunt vltima verba Interpretis nostri, *Hæc autem ratio per peccatum*, &c. Alia arcana, de Francisco vt speculo supra adnotata loco citato, potest Lector huc facillimè flectere.

Eadem Dei gratia apparuit super Christi præsepium, & Franc. stabulum.

II Editum Mundi Speculum super stabuli fœnum, causa potissima extitit, vt Mundus orthodoxus fermè totus, ad quē reparandum, reformandum, decorandūq; nascebatur Franc. in terrena Hierarchia gauisus esset, & è conuerso tota Diaboli Monarchia turbaretur, iam in maximam cōfusionem redacta. *Dico autē vobis, quod gaudium erit Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, Lucę 15. Vbi Christus parabolis parabolas intexens, parabolam de oue perdita, & à suo Pastore magno labore, nec minori hilaritate inuenta, declarat, comprobatque lætitiam Angelorum super vno peccatore, &c. Parabolam deinde de drachma item perdita, ac lætanter à Muliere post laboriosam perquisitionem inuenta, alia parabola de filio prodigo, quæ est tertia, & vltima ibidem patefacit, atque enucleat. Quas tres parabolas sicut Redēptioni generis humani, simul & fundationi Ecclesiæ Catholicæ, iuxta literam referre necesse est, ita quoque cogit congruentia, eas applicandas cæteris paribus reparationi, ac restaurationi eiusdem Ecclesiæ, vt ex multis argumentis, supra adductis in pluribus præsentis voluminis locis, apertè liquet. Circa cælestis Hierarchiæ gaudium in Francisci viri Hierarchici ortu, diximus cum Pisano ad finem §. 1. punct. 2. Nunc verò applicando allegatum textum in hoc loco, vtimur doctrina Doctoris nostri ita ipsum interpretantis per respectum parabolæ de oue perdita in serm. Dom. 3. post Trinit. eique parabolas de filio prodigo, ac de drachma egregia concordantia connectentis. *De bono communi*, ait, *commune debet esse gaudium*. Cum enim innocentia restituitur, gratia reparatur, non est mirum si homini, & eius conscientiæ

Tres parabolæ euangelicæ fundationi eccles. & eius reparationi respondent.

De communi bono, cōmune debet esse gaudiū.

tiæ est gaudium. Vnde etiam sequitur. *Dico autem vobis, quod gaudium erit Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente*, idest innocentiam recuperante.

De quo gaudio ibidem. *Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius*, &c. In stola prima Baptismus, vel innocentia. In annulo fidei formatæ signaculum; quo illuminatur anima. In calceamentis carnis mortificatio, peccati abominatio, mundi despectio. Hæc filio pœnitenti dat, super cuius pœnitentia *maius gaudium in Cælo, quam super nonaginta nouem iustis*, scilicet tepidis, qui se reputant iustos. Vnde Eccl. 7. *Noli esse multum iustus*. Sequitur tertium.

Tepidi etiā dicuntur iusti

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam. Mulier hæc significat animam, de qua concordantia 2. Regum 14. in historia de Muliere Thecuite, quæ superius lib. 7. explicata est iuxta mentem Interpretis, qui deinde rediens ad hanc parabolam, ita annectit. *Drachma est nummus certæ quantitatis, habens imaginem Regis*. Nota, quod per decē drachmas decem Decalogi præcepta designantur. Quæ mulier, idest anima suscepit à Domino obseruanda, quod si obseruasset vtique permansisset. Vnde interroganti, quid faciendo vitam æternā haberet, respondit Dominus Matth. 19. *Serua mandata*. Mandatorum obseruatio est ad vitam ingressio. Sed quia refriguit charitas, & abundauit iniquitas, ideo sequitur. *Etsi perdiderit drachmam vnam*. Drachmam perdit, qui charitatem dimittit, *in qua est imago sui Regis, sine qua ad octauam beatitudinem nullus peruenire poterit*. Hæc Interpres, hilaritatem Hierarchiæ Cælestis cum gaudio Hierarchiæ terrenæ ita coniungens circa ouem perditam, & drachmam, & vtramq; magno gaudio inuentam, & filium prodigū iam & ipsum perditum, & penè extinctū, sed à patre festiuissimè receptum, & in pristinum statum exsuscitatum & restitutum, sicut in Christi ortu eandem vtriusque Hierarchiæ hilaritatem, ad gaudium pro illorum trium inuentione ordinatā, coniunxit Euangelium Lucæ 2. Quam concordantiam aduertens vt necessariam Bonau. paulò ante allegatus scripsit cap. 3 in opusculo Incendii Amoris. *Necesse est Ecclesiam militantem conformari triumphanti, & merita præmijs, & viatores Beatis, secundum quod possibile est*.

In decē drachmis præcepta decalogi.

Drachmam perdit, qui charitatem dimittit.

Ad eandem inuentionem ouis perditæ, & drachmæ perditæ, & prodigi perditi vtique prædestinatæ & natiuitas Christi Fundatoris, & natiuitas Francisci Reparatoris Ecclesiæ. Hæc namque sine huiusmodi ouis, huiusmodi drachmæ, huiusmodi prodigi inuentione nec fundari poterat à Christo per redemptionē, nec ad pristinum statum reduci à Francisco per reparationem, vt manifestè patet. Igitur tam in illius, quam in huius ortu *Apparens Gratia Dei Saluatoris nostri*, gaudium magnum factum est in Cælo, & gaudium magnum factum est in terra, quia per Speculum sine macula Redemptoris mundi, & per mundi Speculum Reparatoris Ecclesię, lux magna orta est cælestibus, ac terrestribus, imo & ipsis infernalibus. Sed illis ad exultationem quammaximam, istis ad mæstitiam quammultam.

Ad tria prędestinatæ natiuitas Fundatoris, & natiuitas Reparatoris eccl.

Hanc concordantiam, ac conuenientiam aduertens consultissimè Pisanus citatus fruct. 3. pro 2. parte: Ibi circa Francisci ortum duos distinguit ortus, & circa de ambobus gratulationem tres etiam gratulationes meditatur. Ortus illos duos (alterum de genitrice Pica, alterum de matre Religione, quādo omnibus dimissis, Christo totaliter inhærendo spiritualiter Cælo, & Ecclesiæ quis nascitur) ponit in Francisco Pisanus proportionaliter per respectum ad ortus naturæ, & gratiæ, naturę per egressionem carnalem ab vtero matris, gratiæ per baptismum primum, ac demum per perfectam Christi imitationem. Nam vtroque modo renascitur Deo, seu ortus primo modo perficitur in secūdo, licet haud pari gradu in cunctis gaudiū deinde de aliqua re prout in scriptura legimus, ad tria capita reducatur. Tale igitur gaudiū vel respicit obiectum futurum, vel obiectum præteritū, vel obiectum præsens.

Duo in Frācisco ortus, & tres pro his hilaritates.

Tres hilaritates ex sacra pagina.

1 Gaudiū de obiecto futuro expressit Abacuch. 1. *Gaudens gaudebo in Domino*, & Ioānes 16. vbi Christus dixit discipulis suis, *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum*.

Prior de re futura.

2 Gaudium de obiecto præterito Anna Mater Samuelis patefecit 1. Reg. 11. *Exultauit cor meum in Domino*. Et Psalmista. *Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine*. Et Actuum 5. dicitur. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij*, &c. Sic & Apostoli gaudent, & lætantur, viso Domino. Sic & Mariæ Ioannis 21. Iacob de Ioseph Gen. 46. *Lætus moriar, quia faciem tuam vidi*. Hester 8. *Iudæis noua lux oriri visa est gaudium*, &c.

Posterior de re præterita

3 Gaudium de obiecto præsenti habetur apud Ioann. 10. in suscitatione Lazari, quando dixit Christus, *Gaudeo propter*

Postrema de re præsenti.

pter vos. Et ad Philipp. 3. vbi Apostolus *gaudeo, & congratulor vobis.* & apud Luc. 2 Angelus Domini ad Pastores, *Annuncio vobis gaudium magnum.* Cuncta Ecclesiasticæ, humanæque Hierarchiæ tum veteris, tum noui Testamenti lætitiam ad tria prædicta obiecta Pisanus reducit post enarratum cælestis Hierarchiæ iubilum vniuersum. *Gaudium de futuro* videtur ex quatuor concludere. Sunt, ait, & lætitia perfusi inferiores, & terrestres B. Francisci ortū tam in esse naturæ, quam gratiæ; eum talem scientes futurum. Vtpotè

Gauisi sūt de futuro in Franc. ortu Prophetæ veter. testam.

1 *Prophetæ veteris Testamenti,* qui tēpora futura agnouerunt. Et consequenter sanctos futuros inspexerunt, quia sic ipsis à Deo iam reuelatum fuit.

Item multi alii noui testamenti viri sancti.

2 *Multi etiam in nouo testamento,* habentes spiritum propheticum. Nimirum Ioannes Apostolus, & Euangelista, qui statum totius Ecclesiæ vsque ad finem diuina reuelatione agnouit. D. Paulus, B. Cyrillus, & Polycarpus Diaconus, & Abbas Ioachim, & alii, de quibus fructu 1. & conformit. par. 1. Hi agnoscentes ipsum B. Franciscum destinandum, & stigmatibus decorandum, & diem ipsius præuidētes, iuxta dictum Christi Ioan. 8. *Abrahā vidit diem meum, & gauisus est,* lætati sunt, & gauisi. In signum cuius Abbas Ioachim super cap. 7. prophetiæ Cyrilli, afflatu diuino, atque cælesti iubilo repletus, erat namq; vir sanctus, ac pius, ita penè extra se raptus iteratis vicibus hilariter suspirabat. *O quā gauderem, si tantum patrem cū filys mererer videre.* Videbat eum spiritu, tamen & corporaliter eū optabat videre. Et quemadmodū fertur de Ioachimo, ita pariter & de aliis dicendum est. *Quomodo enim homo existens in gratia, facta sibi aliqua reuelatione de aliquo sancto futuro, & miris per ipsum fiendis posset gaudio priuari, & lætitia, sic agnoscendo? Quare nec præfati de ortu B. Francisci tam in mundum, quam in Religionem non potuerunt non lætari.* Et inferius idem fermè sub aliis verbis repetens, & magis explicans, ita subdit.

Probatur ratione ex Dei reuelatione.

3 Hi omnes diuina insinuatione Beatum Franciscum, & sanctitatem eius sciētes, de vtroque eius ortu, & natiuitate sunt lætati. Dauid clamat *se lætatum in his, quæ dicta sunt ei.* Quare & isti dicentes cū Psalmista, *Lætabor super eloquia tua sicut qui inuenit spolia multa.* Quomodo, inquā, habentes charitatem Dei, scientiam Dei, & diuinæ voluntati conformes, possent de B. Francisci ortu non gaudere? Ex quo videbant eum

1 *A Deo Patre directum, vt Mundum renouaret.*

2 *A Deo Filio electum, vt suam vitam perageret, & Crucem baiularet.*

3 *A Spiritu Sancto, cuius Templum debebat esse, perfectum per sanctificationē, & virtutum ornamentum.*

B. Fran. quo modo in sua missione ad totam Trinitatem refertur.

Humanam vtriusque Testamenti Hierarchiam distinximus in titulo præsentis paragraphi in cælestem, ac terrestrem iuxta duas Ecclesias, militantem scilicet ac triumphantem. Nam quotquot saluantur ex militibus Ecclesiæ viatorum, vnde cōstat Hierarchia Ecclesiastica terrestris, aggregantur facti compræhensores in Hierarchia cælesti humana. Hæc quoque de Francisco (Patriarcha, & Propheta, & Apostolo, & Martyre per nouū martyrii genus, vt Bonau. ait, & Doctore, & Confessore, & Virgine, & omnium Sanctorum imitatore) lætata est exultatione de futuro, quod declarat statim idem Pisanus, sic annectens, & potest etiam lætitiæ de præsenti applicari.

Quare si Angeli in Paradiso lętati sūt, atque homines id degentes, à Deo inspirati: Quid homines in Patria cum Angelis, & Deo coniuncti? Certè & ipsi gauisi sunt de destinatione, & natiuitate Beati Francisci vtraque.

I *Gauisi sunt Patriarchæ* in filiis electis Beatum Franciscum eis fore coæquandum.

II. *Gauisi sunt Prophetæ* attendentes, eum spiritu prophetico radiandum.

III. *Gauisi sunt Apostoli,* eis vita & Mundi contemptu conformandum.

Lætitia octo ordinū Hierarchiæ humanæ veter. & noui test. in Cælis de Franc. ortu.

IV. *Gauisi sunt Martyres,* voluntate & opere eis sociandum.

V. *Gauisi sunt Doctores,* per eum cętū informandum.

VI. *Gauisi sunt Confessores* in eorum numerum, & collegium computandum.

VII. *Gauisæ sunt Virgines,* virginali puritate decorandum.

VIII. *Gauisi sunt Sancti omnes,* scientes per B. Franciscum eorum numerum multiplicandum. Etsi de ortu iusti recti gaudent & iusti, vt dicit B. Ambros. quare & de ortu B. Francisci vtroque præfati sunt gauisi, & lætati: vtpotè *in Speculo Diuino* de B. Francisco magnalia intuentes.

Gaudium de præsenti, & de futuro simul refert deinde Pisanus ad duo, quorum primum respicit Picam Puerperam, secūdum verò Henochum, & Heliam. De præsenti, inquit, & de futuro.

Gauisi sunt de præsenti, & de futuro simul primò Pica Puerpera.

1 *Gaudium habuit, & lætitiam Mater ipsius B. Francisci, vocata Domina Pica. Quæ morum præclaritate, & virtute velut altera Elisabetha, spiritu irradiata diuino, cū B. Franciscum concepisset, sciens quæ fienda erant per ipsum filium suum, non solum lætata est, vt Elisabeth in ortu eius; sed ipsum* Ioan-

Ioannem in sacro Baptismo vocauit. Dans intelligere, B. Franciscum puerum filium suũ Sancto Ioanni Baptistæ similandum in pluribus, & conformandum. Si enim B. Franciscus similis factus est filio Mariæ Domino Iesu Christo; à fortiori S. Ioanni Baptistæ. Istud à fortiori probat Pisanus paralellis duodecim, nunc excedentibus, nunc conuenientibus, in quorum septimo ad Matris Picæ encomium sic dicit. *Sanctus Ioannes Matrem intercessiuè spiritu prophetico repleuit. B. Francisci Matrem Dominus Prophetam fecit. Quæ admirantibus viciuis de filio suo, scilicet Francisco, eum futurum gratiæ prædixit filium.*

Picæ Puerperæ encomia iuxta legendã B. Thomæ de Cellano.

Id concordat cum antecedentibus, quę scripserat idem Pisanus fruct. 1. pro 2. par. vbi sic. *Vndecimo B. Franciscus qualis esset futurus declaratus fuit à sua Matre, prout narrat Thomas de Cælano in Legenda B. Frãcisci.* Nam Francisco adhuc existenti in habitu sæculari, magnanimitate, & morum honestate; admirantibus conuicinis Ipsa Francisci Mater diuinitus instructa dixit. *Quid putatis iste filius meus erit? Meritorum gratia Dei filium ipsum noueritis affuturum.* Fuit Thomas de Cellano Prouinciæ Pennensis, S. Francisci discipulus & socius, qui ex Crescẽtii Æsini Generalis Minist. & generaliũ comitiorũ Ianuensiũ præcepto, ampliauit librũ de vita & miraculis S. Francisci, quem Gregor. IX. eidem Sancto familiaris approbauerit. Incipit. *Placuit Sanctæ vniuersitatis vestræ.* Communiter vocatur a Patribus *Legenda antiqua.* Alteram *Legendam Minorem* prius ediderat, quæ legebatur in Choro. Vadingus de Scriptor. quem quoad legendæ maioris approbationem cõsula. Lector ad an. 1244. num. 10. S. Bonau. alloquens de Pica Puerpera Franc. c. 2. circa incarcerationẽ filii sui dilectissimi in propria domo à parente suo effecta, ait. *Post modicum verò tempus Patre à patria discedente, Mater eius* (scilicet Francisci) *factum mariti non approbans, & inflexibilem filij constantiam emolliri posse non sperans, à vinculis absolutum, abire permisit,* &c. In quibus verbis commendans Bonauent. Dominæ Picæ pietatem, ostendit simul ex inflexibili filii sui constantia infallibile eiusdem nobilis, & piissimæ fœminæ (spiritu irradiatæ diuino, nec ignaræ de fiendis per filium suum) dictum suum, ac vaticinium suum, de eo quamcitius verificandum.

Et etiam D. Bonauent.

Secundò gauisi fuit Enoch, & Elia in terrestri Paradiso.

2 Gaudium de præsenti, & de futuro refert Pisanus ad Enochum & Eliam, alterum in prima Mundi ætate ad annum, iuxta Chronologiam Bellarmini 622. scilicet annos ante diluuium 1034. à Deo translatum; alterum longe post diluuium nimirum in quinta Mundi ætate, sub Rege Iuda Ochozia, quem ponit idem Bellarminus ad annum Mũdi 3090. De Enochi translatione cap. 5. Gen. de Eliæ verò cap. 2. Reg. 4. Hi duo magni veteris Testamenti fuerunt, & adhuc sunt Heroes, quorũ prior septimus ab Adam Patriarcha, adhuc viuente Adamo, cuius erat Trinepos; posterior verò Propheta, in cuius virtute missi duo Christi Præcursores, scilicet Ioannes Baptista, ac Franciscus: *Et hi quoque ortum, missionem* (ait Pisan.) *& natiuitatem B. Franc. in Mundũ in esse gratia, & Religionis agnoscentes: maximo gestiere gaudio, maximaque lætitia lætati sunt.* in terrestri Parad. vt probat hist. de B. Ben. Aretino. Sic ergo vir Sanctus Enoch, & Elias Propheta pręclarus, vnusquisq; eorũ de B. Francisco est lætatus. Nec immeritò cum simile simili gaudeat, & lætetur. B. enim Pater Franciscus cũ fuerit Enoch in oratione, voluntatis diuinæ impletione, & Dei beneuolentia: Ac Elias verbo ignito, zelo, vitæ austeritate, contemplatione: Ac in curru igneo subleuatione, & transfiguratione. De cuius ortu vt sancti & iusti gauisi sunt. *Sic ergo apparet quomodo aliqui de præsenti gauisi sunt, & lætati de B. Francisci ortu, & natiuitate, tam in esse gratiæ, quam naturæ.*

Ibi Enoch & Elias gauisi sunt, audientes venisse Franc. in mundo.

Si autem quis ad historiam de B. Benedicto de Aretio eneruandam, infirmandamque opponeret sententiam Benedicti Pererii Societatis Iesu, asserentis, probantisque validis rationibus, vt ipse existimat, terrestrem Paradisum primorum Parentum dirutum fuisse ab vniuersali diluuio, atque Enochum, & Eliam in vitam aliam à vita nostra translatos, vt loquitur Augustinus, non autem in prædictum Paradisum, haud erit difficile obiectioni eius satisfacere; imò hac nostra historia, quam certam esse non ambigimus, communem antiquorum Patrum sententiam affirmatiuam, quam minus conformem suæ particularis sacræ Script. ipse putat, tam de terrestri Paradiso à diluuio præseruato, quam de Enocho, & Elia inibi translatis, validiorem reddere asserimus. Quam historiam si Pererius legisset, fortè melius excogitasset, pendissetque illam tractationem, placitum Iansenii, & aliorum paucorum recentiorum in sua singularitate relinquens. Disputatio Pererii, *an Paradisus terrestris etiam nunc extet,* potest legi in lib. 3. super Genesim quæst. 5. Alia deinde, *vtrum Enoch sit in Paradiso terrestri,* reperitur lib. 7. quæst. 7.

Adhuc extare Paradisũ terrestrem, probatur.

Subscribo Pererio non versari circa disputationem de fide illas duas quæstiones, quemadmodum dogma fidei est,

Obiectioni principali Pererii satisfit.

Deum

Deum creasse Paradisum terrestrem, atq; Enochum, & Eliam in alteram vitam transtulisse. Verum haud satis rationabiliter, vt ipse opinatur, posse admitti priorem ex tribus responsionem, quam ipsemet adducit) & ipse meliorem puto in suam obiectionem, quæ est totius certaminis Achilles) quòd scilicet iuxta literā Sacræ Scripturæ Genes. cap. 5. Diluuium omnia deuastauerit, præter terrestrē Paradisum, à Deo ob plures congruentias, quas nunc mitto, iure meritò reseruatum, minimè concederem. Cum non viderim, maiorem vim in allegata propositione illa, quam continet circa vniuersalissimū culpæ originalis diluuiū ea Apostoli propositio, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*; 1. Cor. 15. A diluuio illo aquarum anno vno totam terram occupantem, seruauit octo animas rationales, irrationales plurimas intra Arcam Deus, vt habemus ex Sacra Scriptura; à diluuio autem culpæ originalis seruauit Deus solā Deiparam, quod non ita expresse habemus ex scripturis, sicut ex sacris scriptoribus, & hodie ex communi consensu Ecclesiæ Catholicæ. Igitur vniuersalius dicendum culpæ originalis diluuium diluuio illo aquarum, ex culpa actuali causato. Mors enim diluuii ob culpam primorum parentū omnes animas rationales euertit, excepta Virginis Mariæ animam.

Diluuiū mysticum, culpæ originalis, diluuio Geneseos vniuersalius est.

Nunquam autem ratione carentem Concilia Oecumenica, Romanique Pontifices existimauerunt clausulam exceptiuam super illud adeo vniuersale, ac catholicum Apostoli axioma, agendo de originis puritate Matris Christi, licet aduersa sententia in tot sæculis tenuerit. Ergo communis SS. Patrum sententia de Paradisi terrestri à diluuio seruati duratione rationabilior, quam sententia aduersa existimāda, cum clausula exceptionis versetur circa propositionem Scripturæ non tam amplè vniuersalis, sicut est illa Apostoli Pauli. Congruentia illa de reseruatione peculiari Paradisi terrestris à cataclysmo Geneseos, vt locus congruus vitarum Enochi, & Eliæ vsque ad finem Mundi tollit locorum multiplicationem sine necessitate, si non concederetur alia regio pro habitatione Enochi, & Eliæ, sed illa eadem solummodo, quæ fuit Adami, & Euæ. Et licet Augustinus dicat, ad aliā vitam à vita nostra traslatos esse Enochū & Eliam, haud exinde concludendum, aliam horum Patrum vitæ fuisse regionem, aliam vitæ primorum Parentum ante peccatum, quę in Paradiso longè alia fuit à vita nostra. Fuisse Enochum & Eliā in aliam regionem à regione Paradisi translatos, & inibi non extitisse terram, quæ est propria, ac naturalis habitatio hominis viatoris etiam ante peccatum, & in statu innocentiæ, quo Enoch & Elias carebāt, quia in Adā peccauerant, nō credo, quod rationabiliter excogitari posset.

Exceptio de reseruatione Paradisi à diluuio, rationabilior est, quā sententia ad uersa.

Enochum & Eliam ibi nunc esse probatur.

Rupertus lib. 3. comm. in Genesis cap. 33. *Enoch & Eliam ductos esse*, inquit, *in secretam quandam, & amœnissimam terræ regionem, vbi in magna carnis, & spiritu quiete viuant, quousque ad finem Mundi redeant, & communem debitum soluant*, quod sumpsit ex D. Gregorio, vt adnertit Perer. cit. quæst. 3. lib. 7. vbi etiam quæstione 5. vtrum Enoch in terris viuens nunc videat essentiam Dei, vtramque sententiam probabilem demonstrat. Illam tamen terram adeò amœnam, ac beatam Enoch nequaquā fuisse Paradisum terrestrem, contendit Cornelius à Lapide, attamen durasse Paradisum terrestrem vsque ad diluuium, ex duobus probat. Primò, quia Deus expulso inde Adam posuit super ostiū eius Cherubinum. Secundò, quia in Ecclef. 44. Enoch raptus legitur in Paradisum, non cælestem, addit ipse, sed terrestrem. Mox dicit fortè probabilius esse nunc Paradisum terrestrem non extare, quia dirutum à diluuio. Quare ex Cornelio necesse est dare duas translationes Henochi, alteram ante diluuium, & hanc in Paradisum terrestrem, alteram post dirutum Paradisum, hanc verò in aliam terrā Vel saltem haud hac altera translatione concessa, necesse esset affirmare remansisse ibi seruatā à diluuio, & solum iterum Paradisus illò restitutus, quòd esset contra Pererium, & seipsum sententiam Pererii probabiliorē, licet hesitanter facientem. Igitur melius ac rationabilius apparet axioma scripturale allegatum à Pererio minimè extendi ad Paradisum terrestrem in Mundo elementari, & in parte orientali quoad locū, & situm præcipuū nobis ignotū, vbi sicut tempore Adæ alia vita à vita nostra, & longè meliori Enoch & Elia fruuntur.

Sentent. Cornel. à Lapide

Demum Pisanus loquens de tertio modo gaudendi quantum ad obiectum præteritum, ita concludit illam conformitatem 3. *Fuerunt*, inquit, *& sunt multi, qui lætantur, & gaudent de B. Francisci ortu vtroque, & natiuitate pro præterito*. Gaudet enim

Qui lætati sint de præterito in vtroque Franc. ortu.

1 *Mater Ecclesia*, ad cuius directionē, & operationem, vt Christus dixit, B. Franciscus erat à Deo destinatus, & directus. Gaudet

2 *Ierusalem superna*, idest Ciuitas cælestis, cuius Ciuitatis factus habitator, & Ciuis, eam nobilitat sua gloria

cum

cum comitiua suorum. Gaudent

3 *Omnes Angeli, & Sancti cæteri*, quorum consortio insertus, inter ipsos stigmatum impressione præcellit priuilegio speciali. Gaudet

4 *Sancta Dei Genitrix* semper Virgo Maria, cui deuotissimus seruus fuit, & filius. Et per eius obtentum multas gratias à Domino Iesu Christo obtinuit. Gaudet

5 *Ipse Ordo Fratrum Minorum* cum Ordine Sororum, & Fratrum de Pœnitentia, quorum Pater, & Institutor fuit ipse B. Franciscus, cuius institutionibus optimis dirigitur, & protectionibus quotidie adiuuantur. Gaudet

Alia ab ante dictis Vrbis Assisii præconia.

6 *Assisij Ciuitas*, quæ hunc peperit Orbi, cuius sanctitate, & miraculis diuulgatur in Mundo, & declaratur, &c. Huius sexti loci occasione, excurrat iterum calamus circa nonnulla alia Ciuitatis Assisii, antiquæ, inclitæ, felicisque preconia.

1 Assisii clara Vrbs apud priscos scriptores, eius namque meminerunt Plinius, Ptolemeus, Procopius, aliique. Et ex vetustissimis inscriptionibus colligitur fuisse, *Romanorum municipium*. Erant antiquitus *Municipia Ciuitates suo iure, & legibus vtentes*. Muneribus tamen Populi Romani, & honoribus fungentes. Erantque municipes melioris conditionis, quam coloni. Propriè *Municipes* dicuntur, qui in Ciuitatem Romanam recepti, munerũ participes fiunt. Sub Romanorum Imperio tamdiu feliciter conquieuit Assisium, quamdiu Romanis Pontificibus à Magno Constantino dono data est. Illam deinceps Longobardorum gens barbara, qui eius opes miserabiliter depopulati sunt, in Ducatum Spoleti adnumerarunt, donec à Romanis Pontificibus recuperata, eorundem imperium, optima pace florens, decorat, veneraturque.

Assisiũ erat antiquitus Romanorũ municipium

Tẽpore Apostolorũ amplexa est Christi fidẽ.

2 Christi Euangelium ab Apostolorũ temporibus iam inde amplexa est Assisiũ, cum scilicet eorum missi Crispoldus, Britiusque in Vmbria, nobili Prouincia, Christi fidem plantauerunt. Tametsi altiores radices egerit *Ruffino* inuicto, sanctoque Episcopo prædicante, quem Fabianus Papa ad hoc ipsum illuc direxerat anno 237. nobilique martyrij gloria est coronatus.

3 Assisium (ait Vghellus Abbas in sua Italia sacra tom. 1. fol. 540. in princ.) tametsi satis clara Ciuitas, quod antiquissimum Romanorum Municipium. Quod eam supini colles ad spectaculum extulere: Quod antiquorum scriptorum illam doctissimi calami celebrarunt: Quod armis, opibusque olim fuit insignis: *Nullus tametsi arbitror inficias ierit, multo clariorem videri debere, quod illa duo Christianæ Paupertatis lumina cæcutienti Orbi effudit, CLARAM scilicet, atq; FRANCISCVM, eo præsertim tempore, cum tria illa, Orbis ingentia mala, concupiscentia scilicet carnis, oculorum, ac superbia vitæ penè omnes obruissent mortales.* Hæc Vghellus breui, satis luculenter, & verè.

Quasi clara effecta in ortu DD. Francisci, & Claræ.

Municipium Romanorum fuerat olim Assisias, sed per Franciscum, & plures vtriusque sexus eius sequaces Assisiates facta est Imperii Ecclesiastici munimen. Edidit enim in stabulo in medio duorum animalium mundissimum *Mundi Speculũ*, ad Ecclesiæ reparationem, & Christi bonitatis imaginem ordinatum. Nã Christus *Speculum sine macula, & imago bonitatis paternæ*, penè pari modo, vt ita exordiretur redemptionis opus, ortus est. Assisiũ ergo per ortum Francisci, & per ipsum Franciscum trinam basim, nè funditus excideret Ecclesia, trium Ordinum, triumque legum institutione cælitus apposuit. Decem Fratres Minores, quorum duos genuit sæculo, & Francisco vidit Assisium suæ celeberrimæ cathedræ Antistites.

Municipiũ Imperii Ecclesiastici nuncupandum.

Vghellus qui supra à S. Ruffino, à quo Ecclesia illa Episcopalis nomen accepit, vsque ad annum 1641. numerat Episcopos 46. Anno 1206. erat, inquit, sacer Præsul *Simon Vanduccius* Assisias Vindoni, quando accepit Franciscum expoliatum, & nudatum, inter brachia sua recollegit illum, habentem supra nudam carnem cilicium, suoque sacerdotali pallio cooperuit, materiemque primi eius sacci vilissimi dari iussit. Deinde Romæ, vt aduertit Vadingus, domui Ioãnis Cardinalis S. Pauli introduxit, sub cuius tutela Regulę confirmationem obtinuit ab Innocentio III. Franciscus, vt fusè scripsimus tum 1. tomo Hierarchiæ, tum in 1. libro huius operis. Idem Præsul etiã anno 1223. publicauit Indulgentiam de Portiuncula. Et 1228. Ecclesiam S. Georgii Monialium S. Claræ tradidit 1238. Vindoni successit

S. Ruffinus martir 1. Eclei. Assisii Episc. eiusq. Titularis.

1 *Fr. Crescentius Aesinus*, aut Narniẽsis, Generalis Ordinis Minorum Minister, electus illius Vrbis Episcopus ab Innocẽtio IV. 1247. Successor Crescentii

2 *Fr. Nicolaus Anglus* Minorita, Alexandri IV. prædicti à confessionibus, & ab eodem electus 1258. Huic successit

3 *Fr. Illuminatus Theatinus* Ordinis Minorum, electus ab Ecclesiæ Capitulo, confirmatus à Gregorio X. anno 1274.

Decẽ habuit Episcopos Minoritas.

4 *Fr. Simon*, Illuminato consodali in Religione, successit 1281. à Martino IV. sublatus.

5 Fr.

5 *Fr. Pastor* Senascuderius Gallus, electus 1337. postea S.R.E.Cardin. 1350. Cui successit

6 *Fr. Nicolaus Fuccis*, Petri filius, Assisias 1339. Hic fuit Romæ Vicarius.

7 *Fr. Iacobus*, antea Episcopus Fundanus, translatus ad Assis. Ecclesiam 1369.

8 *Fr. Thomas de Recanio* Amerinus, ad ann. 1369.

In quibus vrbs Assisias Franc. vt mũdi speculum contemplata est.

9 *Fr. Nicolaus* Petri, successit Thomę, electus 1379.

10 *Fr. Nicolaus Vaminius* Assisias, Innocentii VII. Pœnitentiarius, electus Episcopus 1405. Hosce Præsules decem Minoritas rescripsit Vghellus ex Vadingo, quos Mundi Speculum Frãciscus traxerat antea ad institutum, & professionem Ordinis Minorum. In his etiam Ciuitas Assisias Franciscum, Speculũ Mundi, illorumque Patriarcham, & parentem contemplata est, vt magis ac magis in dies cresceret circa materiam lætandi, quod ipsa tale Mundi Speculum, super stabuli fœnum effusum pepererit Orbi. Gaudet

7 *Tota Italia* (sequitur Pisanus) cum Prouincia Tusciæ, quę in Franc. celebris habetur vbiq; Et eius factis, & gestis prę aliis patriis honoratur, & eruditur. Gaudent

Aliorũ gaudia in ortu Franc. ex Pisano sub num. 8.

8 *Animæ in Purgatorio degentes*, quæ eius natalitio (& præsertim si de aliquo trium Ordinum ab eo institutorum fuerunt) à pœnis liberantur, & ad gaudia volant Paradisi. Gaudent

9 *Omnes malè habentes*, & variis detentis infirmitatibus, cuius inuocatione cum precibus à Deo perfectissimè liberantur, & curantur. Gaudent

10 *Mortui*, qui eius meritis resuscitãtur à Deo, de quibus conformitate, & fructu 39. tractatur. Gaudent

11 *Peccatores*, qui eius precibus de morte ad vitam suscitantur, vt pœnitentiam peragant. Qui gratiam inueniunt in præsenti, & misericordiam, & gloriam in futuro, iuxta promissa à Christo Beato Francisco. Gaudent

Infidelium lætitia.

12 *Infideles*, quorum terra filiorum B. Francisci, ac fratrum insigni martyrio coronatur, & sanguine irroratur; ac per filios B. Francisci ad lumen veræ fidei deducuntur. Gaudent

13 *Ipsius deuoti*, cuius patrocinio in præsenti proteguntur ab hostibus, & demum cælestium bonorũ participes fiunt. Gaudet

14 Et vltimò, & gloriam recipit *ipsa Beata Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, vt supra dictum est.

Omnia gaudia simul sũt quatuor & decem.

Hæc quatuordecim gaudia veluti quidam miri reflexus erumpunt à *Mundi Speculo* Francisco, super fœnum stabuli in medio duorum animalium effuso. Erumpunt, inquam, versus Matrem Ecclesiam, & Ierusalem supernam.

Versus omnes Angelos, & Sanctos, Sãctarumq; Christi, & Francisci Puerperam Virginem Mariam.

Versus Ordines Minorum, Clarissarũ, ac Tertiariorum, necnon & Vrbem Assisiatem.

Versus Italiam, & animas Purgatorii: Et omnes malè habentes.

Versus mortuos, & peccatores, inter quos ipse *Fr. Didacus*, cui dignum cognomentum *Res putrida*, ab omnibus abiiciẽda, omniumque sceleratorum sceleratior.

Patefiunt veluti reflexus quidam ex mundi speculo Franc. erumpentes.

Versus infideles, & deuotos, & ipsam Summam Trinitatem, in Cælis regnantẽ, cunctorumque spiritualium gaudiorum fontem, & originem. At tot ingentis lætitiæ reflexus versus Satanæ Regnum, tenebrosum, & cunctarum afflictionum eruptio hiatusq; ipsi sũt, qui maximè sola ortus Francisci reminiscentia augent in dies mœrorem, & confusionem orci spiritibus. Ex hac Satanæ, suique totius regni tristitia potissimũ per legem contrariorum, argumentatur Pisanus, vbi supra de gaudio de præsenti, hilaritatem Angelicæ hierarchiæ circa ortum Francisci, & iam aliàs diximus. Primò, inquit, lætati sunt Angeli. Sicut enim in Christi ortu tripudium gessere magnum, sic piè credendum est factum in B. Francisci natiuitate. Quod etiam astruitur per locum ab oppositis. *Angeli, & Dæmones etsi natura sint conformes, difformes tamen sunt gratia, merito, & voluntate. Et quod vni placet, alteri displicet. Et de quo vnus, scilicet Dæmon, deflet & plorat; alius, scilicet Angelus, cantat, laudat, & iubilat. Sed in B. Francisci natiuitate Dæmones infernales maximo sunt affecti terrore, & dolore.* Ergo patet, quod Angeli lætati sunt. Hæc Pisanus.

Tandem cõcluditur cũcta hæc lætitia per Satanæ tristitiã

Quod autem id verum sit de Dęmonibus, probat hoc exemplo, quod fructu 1. pro 2. parte his verbis adducit. *Decimo octauo fuit B. Franciscus à Dæmonibus declaratus qualis esset futurus.* Nam vt habetur in legenda antiqua, dæmoniaco à Francisco liberato, ipse Diabolus interrogatus de sanctitate B. Francisci (antequam ipse B. Pater vbi erat ipse inuasus accederet) Sacerdoti & aliis inter alia dixit. *Quod in hora natiuitatis B. Francisci tanta facta est in Inferno commotio, quod omnes crediderunt, iudicium futurum aduenisse.* Et tandem videntes, quod iudicium non para-

In hõra ortus Fran. totus Infernus cõmotus est.

parabatur, dixerunt, pro certo aliquem esse natum, qui ipsum commoueret Infernum, & destrueret. Et tunc à Principe tenebrarum missi in omnem terram, *hunc B. Franciscum natum in illa hora reperierunt, pro certo tenentes per ipsum eos fore, & suos destruendos*. Sicut fructu 3. & conformitate plenius dicetur, &c. In quo loco addit Pisanus. *Et tunc, vt dixit præfatus Dæmoniacus de extinctione pueri B. videlicet Francisci ordinarunt. Statuentes, si ipsum nequirent superare, contra ordinem ipsius se uituros, &c.* Diaboli coniecturam illam magis auxit, certamq; reddidit circumstantia loci, & modi nascendi B. Francisci, loco & modo nascendi Christi similium. Non enim natus est super alieni stabuli fœnum Franciscus in medio alienorum iumentorum, Bouis & Asini ex necessitate, sed ex consultatione Angeli, sicut contigit Christo, qui etiam ita nasci voluit, sicut oblatus est, quia ipse voluit.

Christus in præsepio vt speculum solare ad speculum Frāc. in stabulo directum.

Commouit Diaboli Regnum *Mundi Speculum*, super stabuli fœnum habens tā propè inde Bouem, hinc Asellum, quorū simbola humilitatem, ac mansuetudinem explicantia ipsum magis clarificabant, vt magis tenebras tartareas terreret. Christus in præsepio Bethleemitico in speculo suo se ostendit lucem Mundi, & iustitiæ Solem, ignem missurum in terram, vt ipsam accenderet. Ex tunc vt talis, & vt simul Redemptor habuit (ni fallor) præcipuum quondam respectum ad Franciscum, cuius ortum in præsepio præordinauerat. Nascens enim ibi Mundi Speculum idoneum admodum, vnicumque inde repertum est ad speculi solaris Christi recipiendos radios, quibus valuit in reparandam Christi Ecclesiam ingruentissimas criminum tenebras dissipare, terram accendere, fugareque Dæmonia, totumque Infernum noua, ingentique commotione turbare.

Christus lux inflammatiua cordium.

Patet ex doctrina Interpretis nostri, ita aientis de Christo in serm. Sabb. Dom. 4. Quadrag. *Sic verè lux Christus inflammatiua cordium, ignem venit mittere in terram, nec vult aliud, nisi vt ardeat*. Ita se ostendit in ipso præsepio, &c. Sed hic ignis (sequitur Interpres) non accenditur, nisi vbi eius lucis radii aggregātur. *Hoc autē solum fit in humilibus, qui tenent locum centri, quia æqualiter à tumore circumferentiæ tenentur*. Quia ad circumferentiam qui sunt habent cor tumidum, & inflammatū. Insuper semper ambulant in magnis in corde suo, & circumferuntur hinc inde variis tentationibus cogitationes.

Humilitas tenet locum centri.

Solus autem humilis stabilis, & ad instar centri. Ibi fit aggregatio radiorum diuinorum. Ibi fiunt inflammationes. Exemplum huius de Speculo concauo. Sunt enim speculum, quia ipsorum vita est *speculum, & terra* ab omni macula polita *per mansuetudinem*, quia nullam continet austeritatem. *Concauum per humilitatem, & ideo ex eo ignis accenditur, sicut experientia docet*. Vide Interpretem supra lib. 3. euentu 1. fol. 46. Et quam benè in suis verbis Parentis sui speculum Mundi (in stabulo Assisiatis exortum, ac speculo solari Christi, intra præsepium Bethleemiticum nati recta linea, vt suos radios, ignem, & inflammationē per miros, nouosque reflexus reciperet, expositum) delineauerit, perpende obsecro. Sicut ergo Aselli humilitas, Bouisq; mansuetudo præmonstrarunt Christum in præsepio vt *Speculum*, humilitate *concauum*, aggregans in se per reflexū ad Patrem totum ignem diuinum, *mansuetudine* terreum ab omni macula liberum, nullam continens austeritatem: ita pariter idem in Francisco eadem iumenta simbolicè patefecerunt, vt typus prototypo conformis esset, & vterque speculum Mundi appareret in medio illorum animalium. Alter vt Deus & Homo, alter vt purus homo. Ille vt Mundi Redemptor, à Patre ceu speculum concauum, & terreum missus, vt mitteret ignem in terram, ipsumque accenderet; hic verò vt Mundi Reparator, quem Christus misit, speculumque sibi simillimum effecit, vt extinctum ignem, ab ipso antea accensū, exsuscitaret. Meritò ergo inscriptum limen Oratorii Francisci *Hoc Oratoriū fuit Bouis.* Ecce *mansuetudo* terrenæ, ac virgineæ substantiæ speculi nati infantuli Frācisci, lenitatem ac pietatem è Matris vtero trahentis. *Et Asini*. Ecce *Humilitas* Francisci, per quam eius speculum concauum euasit ad miraculum. *In quo natus est Mundi Speculum*. Ecce tota Speculi Francisci fabrefactio ab ipsis iumētis, in medio quorum natus Christus, hieroglyphicè patefacta.

Est veluti speculum con. cauum, & terreum.

Humilitas, & mansuetudo in speculi Christi & Francisci.

Contemplida hæc conclusio.

SE-

SECTIO II.

Tempus ortus Francisci in stabulo quoad tria. 1. Quoad Principes, sub quibus natus. 2. Quoad statum Ecclesiæ Romanæ, per quã natus. 3. Quoad annum, mensem, diem, horam, quando natus.

EXplicata prima Sectione, iuxta antea præmissa, ac principio promissa, de Nuncio, & loco ortus Francisci, nunc resoluimus, ne scriptitatio adeò fusè excurrat secundam hanc sectionem de tempore ortus Francisci omni breuitate possibili pertractare, eaq; pariter, quæ in cunctis hisce quatuor argumentis primitiua, ac noua videntur per synopsim, iactis hinc inde punctis nonnullis ad tollendum è medio tedium, aperire,

PVNCTVM I.

Lucius III. Optimus Pontifex in pace viuens cum Imperatore Federico I. Aenobarbo, natus est Franciscus.

SVbitò, vix natus Christus in Præsepio Bethleemitico cum Domini Angelo desuper annunciante Pastoribus magnum pro ortu Saluatoris gaudium, *Facta est multitudo militiæ cælestis laudantium Dominum, & dicentium. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. Illa cælestis vox *Pax* benè tunc sonuit, tum ob natum infantulum, qui erat Rex pacificus, vt canit Ecclesia, pœnitentiam, & pacem toti Orbi annunciaturus, tum ob statum Imperii Romani sub Octauiano Augusto, qui cunctis per Orbem ab eo domitis gentibus, totum Orbem vniuersali vbique, & tranquilla pace composuit, sicut ipsa Ecclesia die 25. Decembris in Martyrologio solemniter intonat. Itaque tempore publicæ pacis sub Cæsare, qui omnia politicè pacificauerat, natus est Christus Rex Pacificus in præsepio.

Pax in Christi ortu statim cælitus insonuit.

Persimile arcanũ reperio in ortu Francisci, intra præsepium Assisianum nati. Nam si ad infantuli nascentis personam respicimus, cum ipsum nuncupet Bonau. in prologo, vt diximus, *Angelum veræ pacis*, tuba illa Interp. nostri, quæ Num. 10. tertiò conuocabat ad festum, tunc cælitus personuit verbis illis Naum 1. *Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem. Celebra Iudas festiuitates tuas.* In quo textu Interpres veluti Regem pacificum (ad regendum haud regnum temporale, quod aborruit Christus, sed seipsum in Christo, & pro Christo, & tribus Ordinibus, ac Legibus ad triformiter erigendum Christi regnum spirituale per reparationem Ecclesiæ suæ) explicat Franciscum eo penè modo, quo ipse illius ortus modum antea præmonstrauerat. *Qui cælestis gloriæ*, ait, *festiuitatem euangelizat, vt fecerunt Angeli in ortu Christi, verè pacem annunciat*. Quam qui prædicat (vt prædicauit Christus vt Redemptor Mũdi, & Franciscus vt Reparator Ecclesiæ) *non in valle stat voluptatis, ad quam feces decurrunt, sed super montes vitæ excellentis, quia ibi steterunt pedes Domini*. Sed vbi ceperũt stare pedes Domini, orientis ex alto ob vitæ excellentis altitudinem, ceperunt quoque & stare Franc. pedes, ad sublimissima montium virtutum Christi iuga peruenemẽtes. Ex alto enim & Franc. ortus, quia ex imo stabuli & ipse patefactus.

Pariter & in ortu Franc.

Pacem annũciat qui cælestis gloriæ festiuitatem euangelizat.

Si postea respicimus personas Principum, qui tunc in Francisci ortu regebant Orbem, alter vt Romanus Pontifex in Monarchia Ecclesiastica, alter vt Romanorum Imperatore, in Monarchia Augusta sæculari, reperimus Lucium III. Lucensem eodem anno 1181. in quo natus Franciscus, vix elapso vno mense, creatũ Papam, scilicet die 3. Septemb. & Federicum I. Ænobarbum, cuius Imperiũ, quod durauit annos 37. ad annum 29 peruenerat. Mira res certè circa euentum horum duorum Principatum in ortu Francisci. Nam conceptus vir sanctus, inita pace inter Alexandrum III. & Federicum, Lucius etiam in pace vixit cum hoc Cæsare, adeo Vrbi, & Orbi Christiano pergraui. Itaque tota Ecclesia Occidentali, inter Pontificem, & Imperatorem in pace posita, conceptus est Franc. in vtero Matris suæ, sub Alexandro III. & natus in stabulo sub Lucio III. Quamuis animi Lucii, & Federici haud ita semper pacifici essent, atque abundè ipse Pontifex Lucius multas vrbanas calamitates passus sit, ob quas haud in sede sua Romana, à qua expulsus obiit; sed Veronæ, in cuius Ecclesiæ Cathedrali Mausoleo hoc funerale epigramma incisum legitur.

Pacis christiani orbis in conceptu, & in ortu Franc insignia explicata

Luca dedit Lucem tibi, Luci, Pontificatum
Ostia. Papatum Roma. Verona mori.
Imò Verona dedit tibi Lucis gaudia. Roma
Exilium. Curas Ostia. Luca mori.

Obijt S.P. DD. Lucius Papa III. Anno MCLXXXV.
Die XXV. Nouembris.

PVNCTVM II.

Signum vocale Lucij III. miserabiliorem vtriusque Ecclesiæ, potissimum Orientalis statum, ad quem felicitandū Franciscus oriebatur, quamcitò fiendum præmonstrabat.

Discrimina, & ærumnæ Eccles. Orientalis sub Lucio III. qui in pace vixit cum Cæsare Federico I. Aenobarbo præfato, & militia Cruce signatorū eam succurrere sedulo incumbebat, breui scripsit Ciacconius in illius vita, & gestis tom. 1. ad annum 1181. Sub Pontificatu Lucii (ipso etiam Ciacconio adnotante) Alexius Imperator mense Octobri 1183. occisus est. Cui successit Andronicus, qui annis duobus nondum exactis imperans, coactus abdicauit. Signum vocale, quod assumpserat Lucius illud fuit. *Adiuua nos Deus salutaris noster*. Respiciebat profectò hac oratione Christi Vicarius ad statum Ecclesiæ, quam perplurima mala, præsertim orientalia vexabant. Tractabant Veronæ Lucius, & Federicus simul sūma cura negotia pro bono statu vtriusque Ecclesiæ, & Imperii. Federicus autē sua potius quærebat, in malefactis persistens, quam Ecclesiæ commoda, quā sacrilegè incōmodare per schismata, tēporaliter, ac spiritualiter tātopere studebat, vt ob id præfatus Alexand. III. in Conc. Claram. eū excōmunicarit. Exorauit nihilominus Federicus Lucium post alias expostulationes parum iustas, & post iustissima postulata à Lucio, sed à Cæsare non concessa, vt Henricum filium suum, iam in Germania Regem appellatum, & Aquisgrani coronatum, Imperiali diademate ornaret. Pontifex verò se id facere recusauit, quoniam neminem alium, eo superstite, Imperatorio nomine honestari debere cōueniens esse dicebat. Hoc enim hæreditarium Imperium filii per successionem demandare esset. Quod cunctis Principibus Christianis grauissimum fore cognoscebat. *Quare* (subdit Ciacconius) *simultates inter vtrumque paulatim exortæ, in aliquam perniciem publicam erupturæ videbantur, ni fato cessissent, atque ita exulceratis vtrinque animis, Concilium est dimissū. Fridericus Imperator magno rerum apparatu Henricum filium per Lambertum Archiepiscopum, Regem Italiæ, fauentibus Mediolanensibus, coronauit. Lucius Romanos auersatus, Veronæ sibi subsistendum putauit.* Hæc ibi Ciacconius, sub anno 1184. annis duobus nondum expletis antequam Pontifex obiret.

Eccl. orientalis ærumnæ.

Acta Lucii cum Feder. circa negotia Eccles. & Imperii.

Simultates inter Luciū & Feder. in Conuētu Veronēsi.

Imperator Federicus obiit post sex annos ab obitu Lucii, scilicet anno Domini 1191. cui successit Henricus, & Lucio successit Vrbanus III. Calamitates subsequētes temporales, ac spirituales vtriusque Ecclesiæ, & Imperii, & Ecclesiæ Orientalis sub Federico, quæque sub Lucio eodē imminebant, superius indicauimus Quare etsi simultates inter Lucium, & Federicum non statim ob decessum Lucii in aliquam perniciem publicam eruperint, vix tamen illo extincto, illicò apud Vrbanum VI. successorem adeo iterum turbauit Christianam Rempublicam Imperator, resque Ecclesiasticas confudit, vt ipse Christi Vicarius Veronæ resoluerit eum anathemate plectere, sed in gratiam Veronensium, ipsum super hoc humillimè rogantium, Ferrariæ detulit anathematis promulgationem, quam ibi, morte præuentus, exequi non potuit.

Post obitum Lucii in maximum Christianitatis detrimentum eruperunt.

Euentus deinde succedanei in successoribus Cæsaribus, maximè sub Federico II. vndique ibi excidium bonorum morū, Religionis, & Fidei Catholicæ nedum boni regiminis politici iam aliàs enarrati sunt. Itaque signum vocale Lucii in illis verbis ex Ps. 43. *Adiuua nos Deus salutaris noster*, hosce quoq; euentus inspiciebat, indicabatque illo iuuamine à salutari Deo Ecclesiam extremè indigere, quó vniuersaliter repararetur, ac reformaretur.

Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super Equum rufum. Et ipse stabat inter mirteta, quæ erant in profundo, Zachar. 1. Vbi

Inter-

Nox pro mi sticorū profunditate.

Interpres sermone secundo post Pascha.

1 *Per noctem*, in qua cernitur visio, significatur misticorum profunditas.

2 *Vir super Equum rufum* Saluator est, cuius vestimenta: idest *caro rubra sanguine Passionis*, qui captiuo populo in *Equo rufo* ostenditur in Apocal. Ioannis.

Christus Equus rufus inter mirteta.

3 *Hic stat inter myrteta*, idest, *Angelicas potestates*, quæ ei etiam *in profundo*, idest in carne posito ministrabant, Matthæi 4. *Et accesserunt Angeli, & ministrabant ei*. Vel Myrtetum est locus, vbi Myrti nascuntur. Myrtus est species arboris boni odoris, & temperatiuæ virtutis: dicta, eo quod magis sit littorea. *Myrtus significat viri iusti munditiam*, quæ odoris boni quoad proximum, temperatiuæ virtutis quoad seipsum, quæ in littore, idest cordis compunctione magis se habet. De qua Isa. 55. *Pro saliunca ascendet abies. Et pro vrtica crescet Myrtus. Saliunca*, inquit, est salsa, genus arbusti, vel salicis. *Abies* dicta, eo quod præ cæteris arboribus altius eat.

Mirtus Angelorum, & iustorū simbolum.

Saliunca est auaritia amara, & infructuosa, de qua cum Dominus gratiam menti infundit, *Abies* cælestis contemplationis ascendit. *Vrtica* dicta, eo quod tactus eius corpus adurat. Est enim igneæ naturæ, *& significat carnis luxuriam*, pro qua Dominus inter myrteta, idest inter illos, qui virtute munditiæ, odore bonæ famæ in profundo humilitatis Deo seruiunt. *Notanda hic quatuor sunt virtutes, Pudor bona famæ. Munditia vitæ. Compunctio mentis. Profundum humilitatis*. Hic illius Interpretis nostri commentarioli finis.

Salianca pro auaritia.

Abies pro contempl. cælesti.

Vrtica pro luxuria.

Quatuor virtutes, inter quas moratur Christus

Subdendum modo è regione disticon illud, ex probatissimo authore, tempora ortus Francisci in Federico I. & Cæsaribus sequentibus, & in sceleribus communibus, conculcātibus cum Pastoribus Ecclesiæ, & viris probatis Ecclesiam ipsam, patefaciens.

Quam malè conculcat Myrteta odorosa Caballus.

Pascitur vrticis vilis onager Equus.

Desumptum videtur, seu potius effictum ad imitationem alterius distici prouerbialis, ac documentalis, quo Horatius epist. 14. ad Villicum suū (ab eo reprehensum, ob desiderium viuendi ad lupanar, & popinas in Vrbe, & iam fastidientem rura, quæ antea tacita præce petierat) ita claudit.

Instituit Horat. Villicū suū suis moribus inepta inhiantem.

Optat ephippia Bos piger: optat arare Caballus.

Quam scit vterque, libens censebo, exerceat artem.

Vbi Interpres Dionysius Lambinus sic declarat. *Ephippium* (inquit Nonius) tegmen Equi, ad molem vecturam paratum. Acron notat alijs *ephippia* esse sagmata, idest onera, alijs ea, quæ propè iugum Equis curulibus imponuntur. Prouerbiū conuenit in eos, qui muneris functionē, ac conditionem, sibi accommodatam fastidiunt, alienam, & ad quam inepti sunt expetunt. *Clitellæ boui sunt imposita, planè non est nostrum onus, sed feremus modo, si me amas, sim annuus.* Cicer. lib. 5. ad Atticum. Et Pindarus apud Plutarchum. *Equus currui aptus est, Bos aratro. Ephippiū* porrò, alio modo, *sella*, Equi tergo imponitur, vt in eo insidens, commodius vehatur Eques. *At ipsa Boum terga* (verba sunt Tullij lib. de Nat. Deorum 2.) declarant *non esse se ad onus accipiendum figurata. Ceruices autem natæ ad iugum, tum vires humerorū, & latitudines ad aratra extrahenda.* Vide aliud proberbium apud eundem Interpretem ex Maximo Tyro.

Bos piger, &c. qui ad arandum natus est, non ad vehendum, neque ad cursum vt Equus. *Quam scit vterque libens*, &c. Dicterium est vulgatissimum. Quam quisque didicit eam artem exerceat Aristophenes in Vespis apud Ath. lib. 8. *O rem minimè aptam meis moribus, O illum verum erdoi ti*, Cicero, qui supra.

Exercēda ab vnoquoque ars sua.

Ad Villicum suum, moribus suis inepta optantem scripsit Horatius, pluribus documentis instruens illum circa ea, quæ conditioni suæ apta erant, illam epistolā 14. citatam. Habet & Christus Villicum suum parabolicum apud Euangelium Lucæ 16. Sed Villicum iniquitatis, ac propterea Villicum apud ipsum diffamatum, tanquam bona Domini sui dissipantem. Quod ita interpretatur Doctor noster in serm. Dom. 9. post Trinit. Villicus propriè dicitur Villæ custos, sed ponitur hic pro Oeconomo, idest dispensatore, qui vniuersam substantiam domus dispēsat. *Iste Villicus quemlibet hominem significat, cui Dominus commisit triplicia dona, scilicet naturalia, gratuita, & temporalia. Sed infelix duo prima dissipat, mortaliter peccando. Tertium male expendendo, & male congregando.* De ista dissipatione qualiter fiat, habetur Prou. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum est, quod sustinere non potest. Per seruum cum regnauerit*, &c. Terra à superiori parte, qua teritur, dicta, mentem hominis significat, quæ multis, & varijs cogitationibus teritur, trita mouetur, mota dissipatur, dissipata gratuitis spoliatur, & in naturalibus vulneratur. Mouetur, inquam, per seruum, &c. *Seruus regnans est corpus recalcitrans*, de quo Eccles. *Cibaria virga, & onus Asino. Panis disciplina, & onus seruo*, &c. Et paulò infra

Villicus Euangelicus quis.

Triplicia dona villico suo cōmittit Christus.

Terra pro mente nostra.

Stultus animo quando sapientior.

decla-

declarat Interpres quodam maledictum quaternarium ex quatuor adagiis conflatum, vt habetur Prouerb. 19.

Stultus animo quando sapientior.

1 *Pestilente flagellato stulto sapientior erit*. Stultus scilicet animus sapientior erit, quod non deliciis, sed lacrymis inebriabitur, pestilente, idest corpore flagellato, eo modo, vt dictum est.

Puer cur dicatur corpus

2 *Stultitia alligata in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eum*. Puer est corpus, puerilia agens, poma & flores temporalium quærens, in cuius corde alligata est stultitia, idest amor temporalium, quam virga pœnitentiæ fugat.

Mulier odiosa pro peruersa cogitatione.

3 *Per mulierem odiosam cum matrimonio fuerit assumpta*. Mulier à mollitie dicta, quasi molliens Herum, est peruersa cogitatio, quæ tunc est odiosa, cum ad mentis consensum perducitur. Tunc in matrimonium assumitur, cum foris opere exercetur.

Domina est ratio. Ancilla sensualitas.

4 *Item per ancillam, quæ fuerit hæres Dominæ suæ*. Domina est *Ratio*, Ancilla *Sensualitas*, quam etiam terra sustinere non potest, cum sibi ipsa dominationem vsurpauerit rationis. *Isto maledicto quaternario Villicus ingratus dissipat bona Domini, & ideo diffamatus est apud illum*. Ita Interpr. ibi. *Isto quoque* (adde & tu) maledicto quaternario ingratissimus Domini Dei Villicus Federicus I & filius eius Henricus huius nominis I. & successores, maximè Otho IV. & Federicus II. dissipauerant bona temporalia, & spiritualia Ecclesiæ. Sub exemplo horum Villicorum ex Equis generosis mutatorum in Boues, & onagros sub asinino iugo, iuxta doctrinam Interpretis nostri, crimina, & hæreses Saracænorum, Schismaticorum, & Hebræorum colluuies liberè grassabantur. Erat vnusquisque Equus, sed niger, de quo aliàs, ac proinde tyrannus conculcator myrtetorum aduersus Equũ rufum, qui vt Saluator inter odorosa myrteta siue Angelica, siue iustorum stat, sed tunc temporis (vndique penè his myrtetis carens Ecclesiæ Hortus) stabat vt Iudex inter saliuncas, & vrticas, vt cum his vniuersum penè genus humanum eradicaret.

Maledictum quaternariũ nobis valde noxiũ quod.

Istud idem quater. in totius Eccl. ruinam

Hic idem Equus niger ephippia arare cum Boue & Asino optans, non amplius quæ sua erant curans, sed à moribus suis aliena, haud secus quam Horatii Villicus inter lupanar, & popinas Vrbis viuere cupiens, fastidiensque rura, quæ antea tacita prece petierat. Sic sub monstroso corpore in ipsa specie Equi nigri remanens, & simul in formam onagri viliter se transformans, saliuncas, & vrticas comedebat. *Gaudium onagrorum pascua gregum*, Isa. 32. Duo sunt genera onagrorũ, ait Interpres Dom. 5. post Pascha, *Vnum habet cornua, & est in Græcia*, de hoc dicitur Iob 39. *Quis dimisit onagrum liberũ, & vincula eius quis soluit? Aliud est in Hispania*, & de hoc dicitur Iob 11. *Vir vanus erigitur in superbiam, & quasi pullum onagri se liberum natum putat*. Similiter in hoc Mundo sunt duo genera onagrorum, *scilicet superborum*. Quidam enim sunt, qui de cornibus dignitatis superbiunt. Alii sunt, qui sola mentis vanitate in superbiã erigunt se, & iugum obedientiæ à se excutiunt. Gaudium enim onagri sunt pascua gregum, idest pauperum, scilicet qui bona pauperum pascunt, & diripiunt, à Diabolo diripientur. In pascua enim, & direptione bonorum tam temporalium, quam spiritualium quilibet cuiusuis generis hominum, siue Deo diuersimodè sacrorum, siue mundanorum, ac sæculariũ Equus niger factus, simul & onager siluester, saliuncis & vrticis, de quibus supra, impletur, impinguatur, siue potius inflatur, vt sub Diaboli iugo viliter arans, tandem crepet.

Onagrorum genus dupl.

In binæ superbiæ symbolum,

Dum ergo clamabat in suo vocali signo Papa Lucius III. *Adiuua nos Deus salutaris noster*, Equum rufum, hoc est Saluatorem iterum optabat inter myrteta, iam ab Equo nigro, vilique onagro expulsum ab Ecclesia, & in Ecclesiæ excidium ob communem Christi sanguinis conculcationem iudicem factum. Nisi enim rediret hunc Equum rufum, haud fugari poterat Equus ille niger simul & onager, & Ecclesia saluari, ac reparari. Quoniam *pro saliunca non poterat abies ascendere, & pro vrtica myrtus crescere*. Sed Francisci ortus clamoribus Optimi Christi Vicarii Lucii III. respondens, de proximo ostendit, quod idcirco nascebatur Franciscus inter Bouem & Asinum, inter quos etiã natus Saluator Mundi, quia renouare debebat vitam Saluatoris, & auferre cum asinina, siluestri, & efferа forma Equum nigrum ab Ecclesia; vt denuò (iam illa adiuta, ac reparata) videret Saluatorem inter odorosa myrteta per Beatum Franciscum, quadriformiter mirabilem, iuxta quatuor virtutes præmemoratas, ac triformiter idoneum ad vicem Equi rufi gerendam, atque ad saluandam triformiter Ecclesiam. Factus simul circa odorem bonæ famæ odoratissimus. Circa munditiam vitæ mundissimus. Circa compunctionem mentis compunctissimus. Circa profũdum humilitatis humilissimus. Quo quaternario benedicto in maledictum, prædictumque Villici iniquitatis quaternarium posset destruere quadrigam illam

Modus reparandæ eccl. per Franc.

Franc. quadrifariè mirabilis factus triformiter Eccl. reparauit.

illam, de qua Zach. 9. præmonstrans Frācisci ortum, & Lucu III. vocem axauditam.

Dispergam quadrigam ex Effraim, & Equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli. Vbi Interpr. Dom. 1. in Ram. Palm. depingit tempora sua sub Federico II. Equo nigro, qui poterat dici Equus Ierosolimitanus, factus iam Rex Ierosolimitanus ob matrimonium cum Iole filia Ioānis Bremensis Regis Iersolimitani, & Imper. Constantinopolitani, seu potius administratoris illius Imperii pro genero suo Balduino. Sed iste Ioannes in extremo vitæ suæ professus est institutum Minorum, vt dictum est in B. Bened. Aretino. *Quadriga*, inquit Interpres, *quæ quatuor rotis voluitur, est abundantia Clericorū, quæ consistit in quatuor, scilicet in latitudine possessionum. In multiplicatione præbendarū, & redditumm. In lautitia ciborum. Et in lasciuia vestium*. Hanc quadrigam Dominus disperdet, & ascensorem eius proiiciet in mare infernale. *Et disperget Equum, id est superbiam spumantem, & effrenem religiosorum, qui sub habitu religionis, sub prætextu sanctitatis magnos se putant*, sed magnus, & potens Dominus, qui humilia respicit, & magna deponit, *istum Equum proyciet de Ierusalem calisti, in quem nullus intrabit, nisi qui se humiliauerit vsque ad mortem, mortem autem Crucis, &c.*

Feder. 2. cur equus Ierosolimitanus.

Per aduentū Franc. in mūdum Deus destruit quadrigam mundi.

Hæc Interpres, quæ Federico (qui omnia iura tum Pontificia, tum Ecclesiastica non solum subuerterat, sed quasi sua effecerat, & innumera bona Ecclesiasticorū, ac Regulariorum vsurpauerat) & ipsius adhærentibus ex omni statu & conditione, quam benè quadrent, nulla indiget explicatione. Ipse quadriga in abundantia Clericorum, quam subripuerat, & currus, & auriga, & Equus Ierosolimitanus, superbus, effrenis, spumans, tot vicibus anatemate papali innodatus, & à Christi Vicario, & ab ipso Christo proiectus, nullum deinde habuit ita infestum, ne ita liberè posset amplius in totalem excidium circa res spirituales Ecclesiæ iret, nisi humillimus Franciscus, & eius Ordines, ac imitatores, in Apostolica humilitate fundati. Ille conceptus, & ortus vt Gryphus, vt diximus, hique pariter vt Gryphi, cum tanto parente patrizantes, geniti, & educati pro reparatione Romanæ fidei, quæ totius regiminis Christi, nec non politici in Orbe orthodoxo, basis est, ac sustentaculum.

Mores, & genium Feder. 2. in ecclesiasticos.

PVNCTVM III.

Annus ortus Francisci iuxta quadruplicem acceptionem multiformiter auspicatissimus.

ANnus quadrifariè iuxta Latinos Scriptores, Vel Naturalis artificialis, & sic quadriformis. Vel astronomicus, & sic triplex. Vel deriuatiuus, & sic quadruplex. Vel demum ecclesiasticus: & sic sacer, & in sua temporum quiniformitate trinus. Quibus modis haud quidē paucam, sed amplam profectò, multāque Franciscanus Annus administraret mihi dicendi materiam circa plurima arcana de eius, & Ecclesiæ, & Frācisci felicitate, nisi hasce ambas præiactas sectiones breui pertractare à principio constituerim.

Multiplices de anno acceptiones.

I.

Annus naturalis artificialis quadriformiter vnus.

HIc Annus tempus est, mensibus XII. diebus 365. & horis circiter sex, quibus Sol cursum suum conficit, constatum. Dicimus autem hunc annum naturalem, ob cursum naturalem Solis, artificialem verò ob eius distinctionem; eius namque originem primo Eudoxus, post Hipparcus, deinde Ptolemeus, ad vltimum Cęsar deprehendit. Talis annus per tot sęculorum circuitus auspicatissimè renouatus est in Francisci ortu. In duodenario mensium huiusce anni numero considerandа ex Interprete nostro illud Apocal. 12. *Et in capite eius corona stellarum duodecim*, Fidei Apostolicæ vniuersalitas, gratiæque cælestis superfluitas, & abundātia, quæ tunc in Saluatoris nostri, fundatoris Ecclesiæ ortu, & aduētu apparuit; tum quoque in Reparatore Ecclesiæ, vt toties dictum iuxta mentem Bonauēturę. Missio, ac natiuitas Francisci ad restaurandam fidem, & vitam Apostolicam, & ad effundendam mortalibus perabundanter, & vniuersaliter gratiam reparationis totius Christianæ Reipublicæ, ac Religionis Romanę, ordinata erat. Numerus enim duodenarius non solum iuxta Sāctorum Patrum mentem vniuersalitatem dicit, verum etiam iuxta Arithmeticos quandā superabundantiam denotat. Quod adnotauit

Annus naturalis quadriformis, quid denotet in Franc. ortu.

Duoden. numerus vniuers. & abūdans.

tauit Innocentius III. & nos alias declarauimus, Quadriformitas anni sæcularis, ac naturalis, artificialisque consistit in quatuor eius tempora, diuisa in suos menses, quorum misticum intellectum in persona Francisci aperuimus ex Interprete nostro sect. 4. cap. 5. libri præcedentis.

II.

Annus Astronomicus triformis.

Annus astronomicus triplex.

ANnus Astronom. apud priscos Script. minimè inuenitur. Ipse tamen eum nuncupo Astronomicum, varietatis, ac distinctionis gratia, & ob aliquem respectum peculiarem ad Mathematicorum considerationem. Olim annus dicebatur triplex. Primus *Lunaris* triginta dierũ. Annus Archadum trimestris fuit. Aegytii Lunæ senio annum terminabant. Apud quos etiam singula millia annorum quidam vixisse produntur. Secundus Annus *Solaris* appellabatur ex mensium duodecim numero; dictus etiam Solis anfractus, cum peractis 365. diebus, & quadrante, ad eadem siderum loca redit; vt propterea *Annus vertens* quoque nuncupatetur. Tertius annus dicebatur *Annus magnus*, quem esse voluerunt omnibus planetis in eundem locum recurrentibus. Et hoc fit secundum Ciceronis Hortẽsium post annos duodecies mille noningentos quinquaginta quatuor solares. A quibusdam ponitur etiam Annus Saturni, qui est quadraginta annorum.

Annus Solaris, & Lunaris in Franc. ortu qualis.

Primus annus Solaris, & Lunaris ortus Francisci, parui Mundi Seraphici ob magnum Mundum Ecclesiasticum, vtroq; anno carentẽ geniti, dici potest misticè hoc pacto iuxta illud Gen. 1. *Fecit Deus duo Luminaria, Luminare maius, vt praeesset diei, & Luminare minus, vt preesset nocti*. Explicat enim Interpres noster serm. Dom. 1 Aduent. *Maius Luminare est Angelicus spiritus. Luminare minus est anima hominis. Vnde dicitur Luna quasi lucentium vna. Ad hoc enim hominis anima creata est, vt cælestia sapiens, tamquam vna ex illis beatis spiritibus Creatorem laudaret.* Vterq; is annus haud mensibus, hebdomadibus, diebus, atque horis coarctandus, sed perennitati, atque æternitati sacrandus, circuit vitam Francisci adeo sublimius, vt quotquot percurrerit in ipso gesta, & acta, cuncta patefaceret supra hominem seraphica cum excessu quodam supra ipsos Seraphicos Spiritus ratione accessus ad summã, singulamque approximationem ad gesta, & acta Christi.

Quam felix, & excellens hic binus annus in Frãc.

Hic binus annus ad tantam excellentiam, ac felicitatem constitutus, ac sublimatus idcirco fuit, vt binum quoque annum, scilicet Solarem, & Lunarem restitueret Ecclesiæ: Solem, & Lunam, quibus indigebat, in ipsa resuscitans, & viuificans sicut temporibus Solis Christi, & Lunæ Apostolorum. Patet ex verbis Interpretis ibi immediatè positis super illud Ioelis 2. *Luna conuertetur in sanguinem*. Et Apocal. 6. *Luna tota facta est vt sanguis*. Sed ex nimia, ait, terræ vicinitate contraxit nigredinem, & amisit claritatẽ. *Ideo necesse est, vt si ipsam vult recuperare, prius tota vertatur in sanguinem*. De qua Hebr. 11. *Accipiens Moyses*, &c. vsque ad illa vltima verba, *Et sine sanguinis effusione non fit remissio*. Ecce quomodo Luna (sequitur Interpres) tota facta est vt sanguis. *Sed quid Moyses? Quid sanguis? Quid aqua? Quid lana coccinea?* &c. Respondet ipsemet ad sua iterrogata, his verbis.

Peccator Moises simbolicè est propterquinque.

Cum misericors, & miserator Iesus Christus venit in peccatorum mentem, tunc Moyses accipit sãguinem, &c. Moyses est peccator, iam conuersus de aquis Aegypti, qui ista quinque debet accipere, scilicet

1 *Sanguinem dolorosæ contritionis*.
2 *Aquam lachrymosæ confessionis*.
3 *Lanam innocentiæ, & puritatis*.
4 *Coccineam fraternæ charitatis*.
5 *Hysopum veræ humilitatis*.

Librũ cordis sui debet peccator aspergere sãguine, & aqua.

Cum illis debet aspergere *librum*, idest sui cordis secretum, & *omnem populum* suarum cogitationum; & *Tabernaculum*, idest corpus suum. *Et omnia vasa eius*, idest quinque sensus in sanguine contritionis omnia mundantur, cum proposito tamen confitendi. Sine contritione vero non fit remissio peccati. Hucusq; Interpr. quæ dum flectimus multa cum ratione ortui Francisci, totum id, quod operatus est Franciscus pro reparanda Romana fide, ob quam renouauit Ecclesiæ annos Solarem, & Lunarẽ, planè demonstrant.

Franc. annos solarem, & lunarem renouauit in Ecclesia.

Si enim vnaquæque anima, a Francisco tribus Ordinibus, & Legibus reparanda per *sanguinem* dolorosæ contritionis, per *aquam* lachrymosæ confessionis, per *lanam* innocentiæ, & puritatis, *coccineam* fraternæ charitatis, per *hyssopum* veræ humilitatis, ex nimia terræ vicinitate contraxerat nigredinem, & amiserat claritatem, certum est, quod vtrumque annum fermè perdiderat. Obscurato enim luminare minori, luminare maius coruscare nequibat. *Ad hoc enim anima hominis* (cuius symbolum Luna) *creata est, vt cælestia sapiens tamquam vno ex illis beatis spiritibus* (quorum symbolum Sol) *Creatorem laudaret, & cum Dei filijs iubilaret*. Huc trahe, si placet, quadrigam solarem naturalẽ, & misti-

misticam Interpretis alibi explicatam ex serm.Dom.10.post Trinit. Admodū enim confert anno solari nostro, de quo nunc sermo. Deinde pro anno Lunari, semper pleno in sua plena Luna, tota nocte lucēte, annecte illud Ecclesiast. *Quasi Luna plena, quæ tota nocte lucet*, quæque etiam alio encomio de Sole iuncta est; annecte, inquam vtrumque, prout idem Interpres explicat Dom.12.post Trinit.

Annus itidem Magnus ortus Francisci annus in præsenti nuncupandus profectò idq; per respectum ad res magnas, à Frāc. exequendas, atque in diurnis conscribendas æternis. Opus maximum, pro quo nascebatur Franciscus eò magna, & nunquam explenda temporis duratione mensurandum erat, quò magnis, ac nunquam excidendis operibus peragendum. *Difficile est magna agere, & de magnis apud se fiduciam non habere*, dixit Interpr. exemplo Iob cap.1. *qui scidit vestimenta sua, & tonso capite corruit in terra*. Vide ipsum in serm.Dom.10.post Trinit. Hæc duo magna, ac mirabilia, & magno, ac perenni anno celebranda in Francisco, magnum opus reparationis Romanæ fidei aggrediente, prosequente, ac consummante, retulimus ex D.Bonauentura cap.6.de Francisci humilitate.

Annus magnus in Frāc. ortu qui.

Item Annus magnus annus ortus Frāncisci, quia infantulus, qui nascebatur, ad magna facinora, & cuncta Deo, Angelis & hominibus auspicatissima nascebatur. Ipse ante omnia vocibus infantilibus ex stabulo ipso ad duas magnas cœnas Ecclesiam Catholicam magna fame pressam feliciter inuitabat. *Homo quidam fecit cœnā magnam*, Lucæ 14. Vbi Interpres tria proponit argumenta in princip.serm.Dom.2 post Trinit. ita dicens. Vbi tria tangenda. *Primum est Cœnæ magnæ præparatio, & vocatio in principio. Secundum inuitatorum excusatio. Tertium, pauperum, & debilium introductio*. Quæ tria Interpretis circa binā magnam cœnā versantur, quarum altera vocatur cœna pœnitentię, altera cœna gloriæ. *Nota*, subdit, *quod duplex est cœna, pœnitentiæ scilicet, & gloriæ, & sine prima non venitur ad secundam*. Postquam explicasset Interpres huiusce magnæ cœnæ apparatum, pergit ad inuitatos, & per hos, renuentes ire ad magnam Dei cœnam contra inuitantis desiderium, demonstrat ad viuum vocationem illorum, quibus principio reuelans Christus, tradensque Legem Euangelicam pro implenda sua magna cœna, fundansq; simul Ecclesiam Catholicam, postea reuelauit, tradiditque eandem legē, prout in medullam redactā Francisco suo. Per ipsum namq; fundans

Magnus ortus Franc. annus ob duas magnas cœnas.

Vocatio accumbētium ad magnam Dei cœnam per Christū, & Franc.

Ecclesiam Seraphicam, iterum renouauit illam magnam cœnam, ob cuius penè totalem priuationem sub magna fame interitui proxima ipsa Catholica Ecclesia reperiebatur. Qui se primum excusauit, nō posse ire ad magnam cœnam, quia emerat Villam, ambitiosos & fastosos homines repræsentabat. Qui verò ita pariter fecit ob quinque boum iugorū emptionem, hos denotabat, qui quinque sensuū delectationibus, ac voluptatibus detinentur. Qui verò dixit, *Vxorem duxi, ideo non possum venire*, carnales animos denotabat. Ita Interpres ibi.

Ambitiosi, sensuales, carnales magnā Dei cœnam fugiunt.

Tunc iratus Paterfamilias, dixit seruo suo, Exi citò in plateas, & vicos Ciuitatis, & pauperes, & debiles, & claudos introduc huc. Tribus primis recusantibus venire ad cœnam Domini (sequitur Interpres) mittitur seruus, vt introducat pauperes, debiles, & claudos, &c. *Raro enim delinquunt, quibus peccandi illecebra desunt, & citius cōuertuntur ad Deum, qui non habent in Mundo vnde delectentur. Vnde felix est miseria, quæ ducit ad meliora, & felix nigredo, quæ candorem parit. Destituti enim à mundanarū rerum abundantia, vt pauperes, à corporis sanitate, vt debiliores, cæci, & claudi, quibus peccandi deest illecebra, facilius introducuntur ad cœnam Domini, &c.*

Felix est miseria, quæ ducit ad meliora.

Hic demonstrat Interpres iuxta sensum literalem de bina magna cœna Euangelica initia Ecclesiarum, Christianæ scilicet per Christum, & Franciscanæ per eundē, sed mediante Francisco. Quia nec Ecclesia Christiana, nec Religio Franciscana (illa ad Legis Euangelicæ, atque ad Catholicæ Religionis fundationem, hæc verò ad vtriusque reparationem fundata) exordia habuere à potentibus, & diuitibus, & sapientibus huius Mundi, in quibus ambitio, sensuum delectatio, carnis voluptas implentes ad summum humana corda, eaque circa gustum spiritualiū miserrimè deprauantes, magnam cœnam pœnitentiæ, ac gloriæ haud appetunt, immo spernunt. A viris longè inferioris ordinis, longè minus rebus mundanis irretitis, longe à malitia, ac peruersitate distractis, vt monstratum est in principio huius operis, & alibi pluries, Ecclesiæ Romana, & Franciscana sua primordia recognoscunt. Atq; eò feliciores sunt, quò à miseria inceperunt. Illos namque, quos *Pauperes* existimabat Mundus, quia pauca, vel mediocri substantia potitos. *Debiles*, quia eorum robur, vel nullum politicè in armis, aut literis, vel admodum tenue. *Cæcos*, quia lumine illo destitutos, in quo excæcantur Principes, ac Proceres sæculi. *Claudos*, quia illa vi colossæa, qua

Ab hac miseria cœperunt Eccles. Romana, & Franc.

 passim

passim Statua Nabuchdonosor monstrosè terret imperia, omninò carebant. *Hos, quos Mundus despectos deserit* (ait Interpres addens figuram pueri Ægyptii) *Christus in amorem suum conuertit, & cibo verbi diuini pascit, & duces itineris sui facit. Quia quandoque quod vtile est peccatori assumit.*

Subdit deinde statim aliam allegoriam à prædicta circa hæc quatuor genera hominum, quibus Christus, & Franciscus fundauerunt Ecclesias suas, eos ad cęnam magnam pęnitentiæ, & gloriæ vocantes, atque introducentes, ille per redemptionem generis humani, hic verò per reparationem Christianæ Reipublicæ. Nam in *pauperibus* horrida explicat *auaritiæ* insignia. In *debilibus* infausta patefacit *iracundiæ* hieroglyphica. In *cæcis* immundissima demonstrat *luxuriæ* simbola. In *claudis* demum superbiam vitæ exprimit. *Superbus enim claudus est*, ait, *quia rectis gressibus per viam humilitatis non potest incedere*, &c. Sed hac via potuit incedere, incessitque Christus & Franciscus; vterq; enim humillimo, ac vili præsepio natus, vterq; in medio duorum animaliũ positus, vterque inuenit modum, *vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis*, auaritiæ, iracundiæ, luxuriæ, ac superbiæ, magnum illum Annum, & Iubilæi annum, quem magnum nuncupabant Hebræi, præmonstraret, intimaretque mortalibus.

In pauperibus auaritia. In debilibus iracũdia. In cœcis luxuria. In claudis superbia

Probatur. Tuba in veteri Testamento inuitabat ad tria, scilicet ad bellum, ad epulum, & ad festum, docet Interpr. serm. Dom. 3. post Trinit. applicans ad Tubam confessionis, vocantem, ait, ad bellum Dæmonum, ad epulum pœnitentiæ, & ad festũ gloriæ. Annus Magnus Iubilæi apud Hebræos singulis quinquaginta annis celebrabatur; quique annus lætus ac sanctus erat ex Dei mandato Leuitici 12. Celebrabatur tempore autumnali, quia in Polestina fructus debebant esse maturi, iuxta Diuinum præceptum. Quo tempore etiam annum septimum Sabbaticum colebant, qui erat annus quietis. Vide Perer. lib. 1. in Genes. Priuilegia illius magni anni, ac Iubilæi tria potissimum, nam in eo primò remittebantur omnia debita, ideo vocabatur annus remissionis & gratiæ. Secundò serui fiebant liberi. Tertiò auitæ possessiones redibant ad legitimos hæredes sine vllo pretio, aut compensatione, Leuit. cap. 25. Causæ autem celebrandi eiusmodi magni anni, seu iubilei, quinque assignantur, quarum postremam habes typicè, vtpote quatenus erat quidam typus perfectissimæ remissionis, siue iubilæi Christianorum. Quod fieri, ac celebrari debebat in quadruplici magnæ, ac

Tuba veteris testamẽti inuitabat ad tria.

Annus magnus iubilęi hebræi in autumno.

Eius priuilegia tria, causę quinque.

Fuit magni iubilæi christianorũ typus.

spiritualis lætitiæ plenitudine, nimirum in plena remissione peccatorum, in bona conscieñtia, in spe firmæ beatitudinis æternæ, in vnione, & amicitia cum Deo. Ad hoc autẽ magni anni iubilæi typici festũ non amplius legalis veteris Testamenti, sed Euangelica tuba debebat vocare gentes per Christum, & ad magnum epulum prædictarum magnarum cœnarum, scilicet pęnitentiæ & gloriæ inuitarè. Vide Rupertum apud opusculum nostrum M.S. pluries allegatum de anno iubilæi Sacrorum Stigmatum in principio.

At in gratiam præsentis argumenti Franc. ortus cõtigit iuxta præsuppositionẽ meam in Autumno, atque die Sabbati, ac fer. 4. Octobris, in qua die obiit, sicque in eo dici potest Iubilæum, de quo loquimur, etiam annus septimus, & Sabbaticus. Verum collige hoc magnum iubilæum in festo solemni, & vniuersali totius Ecclesiæ pro ipsius reparatione, per Franciscum celebrandum, ratione maximæ conformitatis inter Christum, & Franciscum, & inter opus redemptionis, & opus reparationis. Habes huius concordantiæ figuram ex Genes. 26. *Seminauit Isaac in terra Gerisa, & in ipso anno inuenit centuplum.* Isaac (exponit Interpres serm. Dom. in Sexag.) *interpretatur gaudium. Et significat Christum, qui est gaudium Sanctorum.* Qui, vt dicit Isai. 35. *Gaudium*, scilicet de glorificata Christi humanitate, *& lætitiam obtinebunt de totius Trinitatis visione.* Hoc plenum iubilæum in magno, maximo, ac perenni anno ex Christi redemptione celebratur in vita æterna, sed haud sine celebratione anni magni iubilæi, in hac temporali vita celebrandi. Sicut nec ad magnam cœnam gloriæ peruenire potest, nisi prius gustetur magna pœnitentiæ cęna, vt dictum est. Quare Interpres statim ita annectit ibi.

Annus iubilæi magnus in Franc. ortu qui.

Isaac noui testam. Christus Redemptor.

Eius redemptio ad duplex iubilęũ ordinata.

Hic noster *Isaac seminauit in terra Geraræ*, quæ interpretatur incolatus, & significat hunc Mundum, Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus*, idest peregrinatio mea, *prolongatus est*. In terra ergo Geraræ, idest Mundo, seminauit tria genera seminum.

1 *Laudabilis vitæ sanctitatem.*
2 *Cælestis Regni prædicationem.*
3 *Miraculorum operationem.*

Isaac Christus tria genera seminũ seminauit.

Et in ipso anno inuenit centuplum. *Et nota, quod tota vita Christi dicitur annus remissionis, & benignitatis*, &c. Hic magnus annus iubilæi vitæ Christi Redemptoris incepit à præsepio, à quo incepit totius cælestis Curiæ gaudium, & lætitia. Durauit intra fines Palestinæ annis 33. Eius celebritas diffusa, ac propagata deinde per totum Orbem per Apostolos, & Discipu-

Tota vita Christi annus magnus remissionis & benignitatis

Tota vita Christi annus magnus remissionis, & benignitatis.

scipulos Christi, ac ab horum imitatoribus successiuis sæculis variis temporibus in parte renouata, ac restituta in Orbe Christiano, demum adeo in obliuionem postmodum venerat cum ipsa vita, passione, ac morte Redēptoris, vt laudabilis vitæ sanctitas, cælestis regni prædicatio, miraculorum operatio, neq; ad suum quid nominis remanserint. Vnde Annus iubilationis per remissionem, & benignitatē vitæ Christi, in quo centuplum per multas annorum centurias inuenerat Ecclesia, mutatus videbatur in tempus infaustum in ipsius Ecclesiæ explanctationem.

Franc. secundus Isaac noui Testam. Christo simillimus.

Sed nascens secundus *Isaac* noui Testamenti, supple Franciscus, priori Isaac, scilicet Christo ab ipso ortu simillimus, natum quoque est terræ, Cælique nouum gaudium, vt demonstratum est, ac per consequens renouatum, restitutumque perfectè est Annus plenissimi iubilæi magnus. Franciscus enim in ortu suo autumnali, ac de die Sabbati hunc magnum annum, annumque Sabbaticū præmonstrauit. Ipse namque factus secunda tuba post Christum in nouo Testamento, inuitansque ad bellum contra Dæmones, ad epulum magnæ cœnæ pœnitentiæ, & ad festum gloriæ per trium Ordinum institutionem, triumque legum lationem, illa tria (quæ affert Interpres, nuncupans Christi vitam annum remissionis, & benignitatis) perfectè, completèque, & ad miraculum innouauit. Nimirum *Laudabilis vita sanctitatem. Cælestis gratiæ prædicationem. Et miraculorum operationem.* His enim tribus celebrata est reparatio Ecclesiæ quadruplici magnæ, ac spiritalis lætitiæ plenitudine; nimirum in plena remissione peccatorum, in bona consciētia, in spe firma beatitudinis æternæ, in vnione & amicitia cum Deo. Sic fuit Ecclesia Romana fūdata per Redemptorem Christum. Sic pariter & innouata per Reparatorem Franciscum. Igitur vtriusque vita dupliciter dicenda Annus Magnus remissionis, & benignitatis ob duo magna Iubilæa celebrata ab vniuersa Ecclesia, alterum pro Christi redemptione, alterum pro Francisci reparatione.

Annus magni iubilæi pariter & Franc.

Annus deriuatiuus quadruplex.

1. Sententia de anni deriuatione.

ET verè quadruplex item Annus nuncupandus quantum ad eius nominis deriuationem, ob quatuor sententias circa suam ethimologiam. Prima sententia est eorum, existimantium, Annum deriuari, seu deduci ab *Am*, circum, & *No* fluo. Secunda sententia est Seruii, qui ab *Anulo* deriuat Annum, quod in se redeat quasi Anulus. Cui videtur subscribere Maro, ita alludens.

2. Sent. quæ deriuat ab annulo.

Atque in se sua per vestigia labitur annus.

3. Sententia.
4. Sententia.

Nam mēsibus in se currentibus voluitur. Sol enim per duodecim Zodiaci signa excurrit. Vnde apud Ægyptios ante inuentas literas Dracone picto suā mordente caudam indicabatur. Tertia sententia est illorum, qui annum deduci volunt à Græco *ananeio*, quod est *renouo*. Quarta sententia putat annum sic dici à voce Græca *ennos*, vnde & *triennon*, quod nos dicimus *trinum*.

Tres priores sentent. parū differunt.

Tres priores sententiæ videntur ad idē deducendę per conuenientiā, licet per diuersas semitas, seu nomina. Si enim Annus ita dicitur, quia circuit, & fluit, tali vtique circuitu, fluxuque nonne apparebit ceu Annulus circumductus, ac circūfluēs. Si deinde eiusmodi Annuli circuitio, ac fluxibilitas semper noua est ex eius motu, quo constat, vtique ab eius iugi, ac nunquam intermissa renouatione pariter & nuncupandus. Hinc mos apud Romanos, qui in duo tempora diuidentes annū; scilicet in æstatem, & hyemem, alium annulum nimirum leuiorem deferebant in æstatem, grauiorem verò in hyeme. In ortu Franc. sub simbolo Annuli, ad formam Draconis Ægyptiorum deducti inspiciamus Annum, quatenus nonnulla arcana fidei catholicæ, quæ annularis misticè extat, prodit nouiter adnotemus. In annulo anni ortus Franc. annulū cū Dracone taliter annectamus, qualiter ex Interprete nostro figuram sumimus.

Iudi[illegible] dua[illegible] anim. omni[illegible] li[illegible] consortio viduata.

Assumpsit & annulos, ait sacer textus Iud. 10. describens Iuditham, in interitum Olophernis, eiusque exercitus pro omnimoda populi Dei liberatione profligationem multa cura sese exornantem. In descriptione misticæ Iudithæ suæ depinxisse pariter, licet communi forma, Interpretem nostrum Dom. 16. post Trinit. Francisci animam, in Satanæ, Dei Ecclesiam vexantis exercitum destructionem creatam, iam plenum est.

Ipsa semper sine fœtoris peccati cilicio.

1 *Iuditha* enim, ait Interpres, *Vidua extitit*, quia *sola*, & *diuisa* à coniugali consortio. Et Frācisci anima ita *sola*, ac *diuisa* fuit ab ipso ortu vsque ad obitum à consortio Mundi, carnis, ac Dæmonis virginali puritate decora, vt ipsa sola meruerit eligi ad opus arduum illud, nouum & insuetum, & à sæculo nondum auditum, sicut fuit totius Ecclesiæ reparatio.

2 *Iuditha abstulit à se cilicium*, quod est

est *fœtor peccati*, ait Interpres. Et Francisci anima *ab omni peccato lethali* caruit etiam inter ipsas Mundi vanitates, vt toties probatum est.

Sine vestimẽto viduitatis inter ipsas Mundi vanitates.

3 *Inditha exuit se vestimento viduitatis.* Vestimentum viduitatis est *peccatum mortale*, explicat Interpres. Et Francisci anima, *quæ lethaliter nunquam peccauit*, exuta fuit ab hoc vestimento à gratia præueniente, eamque confirmante, in iustitia, & sanctitate ante lapsum, quod haud obscurè docet Bonauentura, vt aliàs pluries dictum est.

Lauit se assiduis pœnitentiæ fletibus.

4 *Inditha lauit corpus suum*, idest *opera carnis lachrymis pœnitentiæ*, inquit Interpres. Et Francisci anima ob continuam dilecti sui allocutionem tota liquescens ergà amorem dilecti, totum cor adeo liquefecit, vt per oculorum riuulos in fletum quasi totum effuderit, redditus iã idcirco præ nimio, & assiduo fletu veluti cæcutiens Franciscus. Ita lauit opera carnis à maculis leuibus, quas contraxerat in sæculo, vt caro ipsius ad quendam apicem status innocentiæ peruenerit, vt refert Bonau.

Vnxit se myrrha optima ob carnis mortificationem.

5 *Inditha vnxit se myrrho optimo*, myrrha optima legit Interpres, *idest*, subdit, *carnis mortificatione, vt occidat vermen concupiscentiæ*. Et Francisci anima circa istã spiritalem vnctionem excelluit fermè sine exemplo.

6 *Inditha in crinis sui discriminatione* solertem *discretionem in distinguendo singulas cogitationes mentis* ostendit, qua Francisci anima peregrina sapientia in separando pretiosum à vili, prædita fuit. In impositione *mitræ* super caput suũ significauit *stabile propositum boni operis in mente*, quod Francisci anima ceu murus æneus, ceu columna ferrea, ceu munitissima Vrbs ab ortu vsque ad obitum mirificè seruauit. In vestimenti iucunditatis suæ indumento opera charitatis, quibus anima Francisci claruit ad stuporem, indicauit.

Et cunctà alia Iudithæ ornamenta spiritualiter assumpsit in Olopherně Diabolum.

7 Cum Iuditha Francisci anima *induit sandalia pedibus suis, idest cõgressus operum euangelicis muniuit præceptis*, quibus deinde omnem Minorum legem Franciscus solus inter cunctos Ordinum Monasticorum, seu Regulariũ institutores impleuit. *Assumpsit dextraliola, idest remunerationem vitæ æternæ* supra omnem Sanctorum cœtum ob sedis primi Angeli acquisitionem. *Assumpsit & lilia, idest castitatem, & munditiam* virginalem, & ita insignem, vt vulnerum & clauorum Christi meruerit insigniri. *Assumpsit inaures, idest denotiones obedientiæ* amore cuius nouitio vnius horæ, nedum aliis, & ipsis Sociis, quibus promittebat in itineribus obedientiam, & obserbat, subiici cupiebat. Tandem penultimo loco, vt habetur expressè in textu assumpsit *& annulos, idest*, postillat Interpres *signaculum fidei formatæ*. Vnde Lucæ 15. *Date annulum in manu sua. Annulus in manu est fides in opere, vt per opera fides clarescat, & per fidem opera confirmentur*. Vltimò *ornauit se* Iuditha, & cum Juditha Francisci anima, *omnibus ornamentis*. Idest cæteris virtutibus, quibus ornatur anima, nec simplex anima, sed illius Reparatoris Ecclesiæ, qui penè in cunctis ab ipso ortu vsque ad obitum Redemptori Mundi conformis extitit. Psal. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*.

Textus autem Iudith ibi haud dicit assumpsisse vnum annulum, sed plures, numerum autem horum annulorum nequaquam explicat. Verum vbi modo loquimur de anno ortus Francisci sub simbolo annuli in gratiam fidei catholicæ ab ipso reparatæ, ac restitutæ, dicamus tot annulos assumpsisse Iuditham, quot habebat in manibus digitos, vt nulla pars esset in illis, cuius naturalem pulchritudinem annulorum aurum, gemmæque non decorarent. *Digiti dicti* (teste Interprete serm. Dom. 12. post Trinit.) *quia decenter iuncti existant*. Quod autem denotent mistice explicat serm. 1. in die Sancto Pentecostes, & taliter explicat, vt videatur manibus fermè solius hominis spiritualis Francisci, fidei catholicæ Reparatoris, pulchrè conuenire. Scribit enim sic. *Et nota, quod sicut in manibus sunt decẽ digiti, sic sunt decẽ genera disciplinæ. Mortificatio propriæ voluntatis. Abstinentia cibi, & potus. Censura silentij. Vigiliarum in oratione pernoctatio. Lachrymarum effusio. Lectionis discreta occupatio. Corporalis exercitatio. In alterius necessitate compassio. Vilitas habitus. Sui despectus*.

Multos annulos assumpsit Iudith, & fortè decem

Decẽ digiti in duab. manibus proijde cem disciplinæ generib.

Nonne in his decem generibus disciplinæ, veluti in decem digitis, vnus fidei formatissimæ annulus (in annulis decem, haud in substantia, quia *vna fides*, sed varietate operum multiplicatus) isto proprio modo fulsit in Christi, & in Apostolorum digitis, ratione summæ humilitatis in antiqui Draconis interitum (de quo Interpres Dom. 21. post Trinit. vbi dicit, *quod in Dracone notatur spiritus superbiæ*) contra quem sic decuit fabricari, ac fundari Catholica Religio?

Annulus fidei in Frãc. cum decem aliis.

Hæc eadem fides, ac Religio penè vsq; ad omnimodam destructionem ab ipso antiquo Dracone in omni hominũ vtriusque sexus statu redacta erat, introducta denuo in Ecclesia eius pristina superbia per

per propriæ voluntatis mortificationis, abstinentiæ cibi & potus, silentii censuræ, orationis, lachrymarum, sacræ lectionis, corporis spiritualis exercitii, vilitatis habitus, ac sui despectus æradicationem. Hinc vt per reparationem ad pristina quasi exordia reduceretur, decuit iterum reintegrare fidei formatæ signaculũ, annulumque, quod esset vnum in substantia, sed in decem aliis operum annulis per decem genera disciplinæ multiplicatum. Imò decuit cum his ipsum denuò apostolicè colligare, & in magnam, fortemque illam caterуam excellenter, nouiterque reducere; de qua Interpres Dom. 21. post Trinit. super illud Apocal. 20.

Vidi Angelum descendentem de Cælo, habentem clauem abyssi. Angelus, inquit, est vir iustus, *qui tunc de Cælo descendit, cum vita sua statum in terra viuens secundum cæli puritatem informare satagit*. Talis fuit Frãciscus, vt Angelus veræ pacis missus, teste Bonau. Hic habet clauem abyssi, & catenam. *Clauis est discretio, qua vir iustus claudit, & aperit abyssum cogitationum. Claudit eam restringit, aperit eum discernit*. Et de Francisco suo canit Ecclesia Franciscana, O Iudex homo mentium. *Catena in manu est pœnitentia in opere*. Vnde catena dicta, quasi capiendo pluribus modis teneat. Dum enim contritio confessioni, confessio satisfactioni, satisfactio dilectioni proximi coucatenatur, *fit magna catena, qua vir iustus ligat Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas*. Faciens hanc magnam cœnam Franciscus, eaque capiens Draconem Diabolum, ligansque eum pedibus Ecclesiæ (ceu de ipso per illius reparationem iterũ Franc. triumphans sicut tempore Christi, & Apostolorum) sculpsit deinde Christus in annulo suo in memoriam illius anni, in quo, ad annulum catholicæ fidei innouandum exortus, Draconem victum veluti insigne singulare, huiusmodi fidei Francisci Reparatoris de iure debitum. Id autem contigit in actu stigmatizationis; nam consummans tunc per Franciscum magna sanguinis effusione, nouaq; crucifixione triuam Reipublicæ Christianæ, ac fidei Romanæ reparationem, annulumque prædictum illi tradidit. Quod videtur cecinisse ipsum Franciscum in 1. epodo cantici 2. superius allati, vbi de 1. Museo Francisci. Sic enim principiò ter repetens amoris ignem, vulgari prorupit carmine.

Sic ligauit magna, ac forti catena draconem Diabolum.

Annulus fidei cathol. cũ draconis icone proprius Franc.

In foco l'Amor mi mise,
In foco l'Amor mi mise,
In foco d'Amor mi mise
Il mio Sposo nouello,

In actu stigmatizationis traditũ illi a Christo

Quando l'Anel mi mise
L'Agnello amorosello. &c.

Annulus Pyrrhi Regis, qui aduersus Romanos bella gessit, non ignobilis famæ extitit. In illius gemma Achates nouem Musæ, cum insignibus suis singulæ, & Apollo, tenens cytharam, videbantur, non impressis figuris, sed ingenitis. Testatur Solin. cap. 11. probatque ex Plinio, & aliis illud naturæ miraculum Maiolus colloq. 18 de lapidibus. In annulo fidei Francisci totum illud Museum, quod triplex in ipso fuisse demonstrauimus, genuinũ proculdubio est. Sicut etiam pariter Quadriga Solaris in annuli gemma sculptam, quam refert Galenus. Quadrigam enim Solarem Christi, Apostolicam & Euangelicam, de qua agit Interpres aliàs allegatus alibi descripsimus, loquentes de Francisco, & de eius Regula, necnon de nonnullis eius coapostolis, & discipulis. Seleuci annulus anchoram exprimebat. Pompei verò Leonem, Plinii iunioris Bithiniæ Proconsulis quadrigam, & alii aliorum annuli, alia stemmata, seu icones habebant in gemmis? Ipse verò ob allatam rationem in Draconis formam effinxi Francisci annulum in gratiam anni sui ortus, quia hac etiam forma Ægyptii annum significabant. Etiam legimus Regẽ Macedoniorum, Arium, elegisse in annulo suo Aquilem vnguibus Draconẽ perstringentem. Vide M.S. nostrum in vita S. Antonii de Padua, vbi de eius ortu.

Pyrrhi annulus cũix. Musis, & Apolline.

Quadriga solaris in annuli gemma

In aliis vel anchora, vel quadriga.

Vel Aquila dracone vnguibus perstringens.

Annus Ecclesiasticus, in sua temporum quiniformitate Trinus. Vbi præsertim de Kalendario Gregoriano ad annum 1582. In quo nulla facta est mutatio natalis circa S. Franc. solemnitatem.

Voco Trinum Annum Ecclesiasticũ, cuius tempora quinque ad Christianum, Apostolicumque ieiunium ordinata, ob tria, quæ in ipso nunc pendo, & ex quibus dici pòtest nunc chronologicus annalisticus. Nunc historicus diaricus, tunc mathematicus astronomicus. Primum spectat chronologiæ circa certã annorum numerationem, qua vtuntur Annalistæ. Exempli gratia Hebræi à creatione Mundi per eius ætates annos suos calculabant. Romani ab Vrbe condita per Olimpiades. Nos verò à Christi ortu. Secundum, quod modò inspicio in anno Ecclesiastico, respicit historiam Ecclesiasticam diaristicam. Nam ordinans ipsum Eccle-

1. Annus Eccles chronologicus, annalisticus.

2. historicus diaricus.

3. mathematicus astronomicus.

Ecclesia per suum Calendarium, cuilibet festo singulorum Sāctorum suum propriū diem assignat. Tertium videtur spectare Mathematicis Astronomicis, quorū opera in pluribus Ecclesia videtur indigere, maximè circa aureum numerum, Epactarū Cyclum, Lunationes, & Solis cursum, Literarum Dominicalium, Festa mobilia. Mathematicorum iuuamine anno Domini 1582. Gregorius XIII. reformauit, emendauitque Calendarium, iuxta Moysi præceptum, & Concilii Nicæni præscriptum. Contigit ea emendatio præacto antea libro quodā Aloysii Lilii, Antonij Lilii, artium, & medicinę Doctoris Fratris: hos duos nominat expræsse Constitutio illa 74. cæteros suppresso nomine. Non tamen tacendus Christophorus Clauius S.I. vir in rebus potissimum Astronomicis tunc temporis valde eminens, & inter primos pro reformando Calendario Gregoriano ea tempestate Magister; qui in libro super Sphæram Ioannis de Sacro Bosco demonstrat quatuor. 1. *Vtilitatem* Astronomiæ ad Theologiam, Metaphysicam, Physicam, Medicinam, Poeticam, Nauticam, ac Cosmographiam, ad Rempublicam administrandam. 2. *Necessitatem* pro personis Ecclesiasticis. 3. *Magnum eius pretium* apud veteres. 4. *Delectationem, & voluptatem*, pro qua valdè eam existimauerunt Reges, & Imperatores. Tertium probat, adducens exemplum circa reformationem Calendarii Gregoriani, ita scribens. Viris in Ecclesiastica dignitate constitutis pernecessaria est Astronomia, teste Augustino, ad congressus, oppositionesque Luminarium, ad mobilia festa, & id genus alia, decus & statum Ecclesiæ respicientia accuratius discutienda. Ob cuius Astronomiæ neglectum factum est, vt hactenus vsq; ad annum Domini 1583 à vera sacri Paschatis obseruatione, aliarumque celebritatem mobilium tantum, plerumque exorbitauerimus, vt Iudæi, Turcæ, & cæteræ gentes mirum in modū ignorantiæ nos arguerint.

Cur sic nuncupetur.

Astronomiæ vtilitas. Necessitas. Magnū pretium. Voluptas.

Ob eius neglectum Ecclesiæ decor offuscatur.

Quod quidem plurimi, ac grauissimi Mathematici sæpius, ac quidem vehementer deplorauerunt. Cui tamen malo Nicolaus V. Leo X. & plerique alii Pontifices maximi dicuntur sæpe remedium voluisse adhibere, si, vt modò, tunc temporis eximiorum, ac præstantium Astronomorum eis copia fuisset, quibus tutè curā emendandi Calendarii, corrigendique potuissent committere. Habet etenim Astronomia inter cæteras propè modum infinitas, hanc insignem vtilitatem, quod anni certas metas, & partium anni iustā descriptionem, notatis diligenter Aequinoctiis, & Solstitiis Veris, demonstrat, menstrua spatia definit, dierum, noctiumque vices, & interualla, & quantitates accuratissimè metitur, atque distinguit.

Eius inter infinitas prærogatiuas ad Calendariū dos.

Diuina autem bonitate, ac prouidentia factum tandem est, vt nostris temporibus Gregorius XIII. Pont. Opt. Max. vltimam manum Calendarij Romani correptioni apposuerit, æquinoctiaque ac solstitia ad tempora Concilii Nicæni reduxerit. Quo fit, vt sacrosanctum Pascha cum reliquis festis mobilibus in posterum rectè semper iuxta decreta Sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum sumus celebraturi. *Qua in re & ego annis non paucis iussu eiusdem Summi Pontificis non paucorum study, atque operæ collocaui, ac de explicatione noui Calendarii satis magnum volumen iussu Clementis VIII. Pontificis Maximi anno 1603. edidi.*

Opera Clauii principaliter Calendarium reformatum Gregor. xiii.

Hæc Clauius, & meritò quidem, quia Aloysius ille, quem memorat Constitutio Gregorii prædicti, motiuum proximum dedit ad Calendarii reformationem præsentato ab eius fratre Antonio de Lilio post illius obitum libro quodam egregio de Aureo numero, Equinoctiis, Epactis, Solstitiis, Pleniluniis circa festa mobilia, Aduentus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadcagesimæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, festum SS. Trinitatis, Corpus Domini, &c. Quem librū ipsa Constitutio refert, dicitque in pluribus reuisum, acælioratum

Verùm sicut hæc quæstio de Paschatis celebratione die Dominico, in quo surrexit Dominus, an cum Hebræis decimaquarta Luna siue sit dies Dominico, siue non, diu vexauit Ecclesiam, teste Bellarmino 2. p. Chronol. sub anno Christi 163. Ita quoque circa præfixionem Equinoctiorum vernalium, & solstitiorum, quæ Hebræi posteriores dereliquerunt, nec amplius expectant, coactam fuisse Ecclesiam, ipsa nolente, errare, idem Bellarm. demonstrat. Nondum enim (quamuis Concilium Nicænum tres regulas inueniendi diem Paschæ constituerit) potuerunt Mahometici ita fixè annum cæleste cum anno nostro accommodare, quin sæpenumero irrepserit aliqua, inuita Ecclesia, errandi occasio.

Quis dederit motiuum proximū ad Calend. Gregorianum.

1 Regula ad inueniendum Paschæ diem iuxta Concilium Nicænum fuit, vt semper agatur post diem 21. Martii, quia illo die erat æquinoctium Veris, & Pascha post æquinoctium agi debet.

Tres regulæ pro inueniēda die Paschatis.

2 Regula fuit, vt post 20. Martii expectetur Luna 14. & post eam diem quæreretur Pascha. Pascha enim agi debet in tertia hebdomada Lunæ, idest 14. exclusiuè

siuè, vsque ad 21. exclusiuè. Et ad inueniendum Lunam composuerunt Ciclum aurei numeri. Vbicumque enim in Calendario inuenitur aureus numerus illius anni, ibi est Nouilunium.

3 Regula fuit, vt post Lunam 14. occurrentem post 20. diem Martii expectaretur dies Dominicus, & ille esset Pascha.

Istæ regulæ illo tempore, & sequentibus annis multis optimæ fuerunt. Verè enim tunc erat æquinoctium 21. Martii, & verè aureus numerus tunc indicabat diem Nouilunii. At à multis iam sæculis ante annum correptionis experientia docuerat æquinoctium non esse fixum 21. Martii, sed semper anticipare: similiter aureum numerum non indicare amplius nouilunium fideliter. Vnde Bellarminus lib. 3. cap. 12. de cultu Sanctorum in recētiores hæreticos eo tempore, quo tractabat illam controuersiam, ita scripsit ad finem capitis citati, referens sextum errorem nostrum circa celebrationem Paschatis. Nunc, ait, æquinoctium est 10. Martii, & nouilunium inuenitur quatuor diebus ante ipsum aureum numerum. *Ex quo intelligimus, tempore Concilij Niceni nō fuisse exactè deprahensum motum nec Solis, nec Lunæ. Ecclesia autem semper antiquas illas regulas seruat. & inde sæpissimè cogitur errare, etiamsi nolit. Sicut anno superiore, idest 1579. celebratum est Pascha 19. die Aprilis, cum debuisset celebrari 15. Martij.* Hæc Bellarm. qui confutans quintum errorem Nouatianorum, ab hæreticis Lutheranis Magdeburgensibus amplexum, adducit octo rationes in contrarium, quarum postrema duo eiusdem generis miracula continet.

Hæ tres regulæ diu antiquæ fuerūt

Sed post multa sæcula non ita.

Nouatiani decretum ediderunt inscriptum *adiaphoron*, liberum scilicet vnicuique esse, debere agere Pascha quando velit. Vnde Centuriatores cent. 2. cap. 6. col. 119. dicunt, nec Apostolos, nec Apostolicos viros vllam legem dedisse Ecclesiæ de celebratione Paschæ; sed reliquisse Christianis integram libertatem. Et ibidem arguunt Romanos Pontifices, quod propter rem indifferentem excommunicauerint Arianos. Sed Centuriatores longe ante redarguerunt

Nouatianor. error circa diem Paschę

1 Canon 8. Apostolorum, vbi iubentur deponi Episcopi, vel Presbiteri, qui Pascha egerint ante æquinoctium cum Iudæis.

At contra eos, & modernos sunt

Canon 8. Apost.

2 Veteres Patres, qui semper habuerunt pro hæreticis quotquot pertinaces fuerunt in opinione Asianorum, asserentium, Pascha necessariò agi debere Luna 14. cum Iudæis.

Veteres Patres.

3 Eorundem SS. Patrum de hac re sollicitudo ab ipso huius controuersiæ principio, vnde idcircò celebrata prouincialia Concilia.

Eorundem sollicitudo

4 Concilium Nicænum præfatum, in quo post quæstionem de fide cōtra Ariū, nihil magis dignum sibi visum est, quam diligenter discutere, ac determinare circa diem celebrationis Paschatis.

Concilium Nicænum.

5 Concilium Antiochenum cap. 1. in quo excommunicantur qui legem Nicænam de Paschatis dierum non seruant.

Concil. Antiochenum.

6 Maxima Patrum cura, quæ semper viguit apud eos, ne erraretur in celebrādo Paschate. Sicut tempore S. Ambrosii, tempore Innocentii I. tempore Leonis Papæ, &c.

Maxima Patrum cura.

7 Generalis prouidentia Ecclesiæ, quæ vt scribit Leo ep. 64. ad Martianum delegata fuerat Episcopo Alexandrino cura semper supputandi, & indagandi diem Paschatis, quem ille Apostolicæ Sedi Romanæ indicabat. Ac deinde Apostolica Sedes vniuersæ Ecclesiæ diem illū præscribebat. Cuius moris meminit etiam Concilium Arelatense 1. cap. 1. & Innoc. I. ep. 11. ad Aurelium.

Generalis Ecclef. prouidentia.

Ergo in redargutionem eorundem Magdeburgensium (quorum parens Lutherus subscribens errori quorundam Cappadocum, qui Pascha vt festum immobile semper celebrabant die 25. Martii, placensque sibi hunc ritum, relicta cursus Lunæ obseruatione, ne videremur iudaizare) octaua Bellarm. ratio, quam conantur infringere Magdeburgici, sed frustra, vt ipse demonstrat, ita se habet. Vltimo probatur diuino testimonio, quod refert Paschasius Episcopus Lilibetanus, vir celeberrimus, qui nomine S. Leonis Magni præsedit anno Christi 451. Concilio generali Chalcedonensi iv. 630. Episcoporum contra Eutychetem, & Dioscorum. Scribit ipse ep. ad Leonem, & est 63. inter epist. S. Leonis, ortam fuisse tempore Zozimi Papæ post annos centos à Concilio Nicæno quæstionē de Paschate, quod Occidentales dicerent Pascha celebrrndū illo anno 25. die Martii. Orientales autem 22 Aprilis. *Porrò in quadam Ecclesia Siciliæ solebat singulis annis facer fons diuino miraculo per se repleri ipsa nocte Paschatis, qua Catechumeni baptizandi erant. Illo autem anno cum ex præscripto Zozimi Pascha ageretur 25. Martij, fons inanis, & aridus mansit. Deinde 22. Aprilis fons repletus est, atque ex eo intellectum est, errasse Occidentales in celebratione Pascha.*

Error de Paschatis die celebrat sub Papa Zozimo miraculo detectus.

Quale miraculum contigisse etiam anno Domini 573. scribit Sigebertus in Chronico; eo enim, inquit, anno fons Baptis-

Baptismalis in Hispania diuinitus impletus est in Sabbato veri Paschatis, quod tunc Galli rectè seruabant, Hispani autẽ malè. Quare si res esset omninò indifferens, vt putant cum Nouatianis Lutherani Brandeburgici, nunquam Deus talibus miraculis commissum errorẽ demonstrasset. Anno illo prædicto 1579. in quo error ille contigit circa celebrationem Paschatis ob deperditam ab æquinoctio vernali sedem propriam cępit affigi aureus numerus Calendarii Gregoriani.

Lex iudaica de Paschate 14. Luna 1. mensis.

Lex Iudaica Exod. 12. præcipit Pascha fieri post æquinoctiũ vernum; iubet enim fieri Luna 14. primi mensis, qui is erat, cuius decimaquarta dies incidebat in æquinoctium vernum, aut illud proximè sequebatur. Vnde etiam Iosephus lib. 7. Antiquit. cap. 13. dicit Pascha fieri, Sole in Ariete existente, & opposito ipsi Lunæ. Quem ritum iuxta Concilium Nicænum Ecclesia Catholica semper tenuit veluti typum diei Paschatis Christianorum, licet sæpè inuita errauerit. Et sic eò amplius reperta est nunquam iudaizare suos permisisse, quo Iudæi posteriores Iosepho, vt notat Epiph. hæres. 70. non amplius obseruabant æquinoctium. Vnde facti ipsi cœci & Duces cœcorum, videbantur sequi ab illis Christianis, qui cum Iudæis Pascha faciebãt, ac proinde merito damnati. Putabant hi sequi legem Iudæorum cum reuera delirium Iudæorum sui temporis sequerentur, ex quo videbãtur cogi vno anno bis Pascha facare, & alio anno nunquam. Quod demonstrat Bellarm. ibidem ad secundum errorem de Paschate contra Quartadecimanos, qui innitebantur ritui Ioannis Euangelistæ, semper celebrantis Pascha die 14. siue esset Dominica, siue non. At Ioannes Euangelista voluit se Iudæis ad fidem conuersis in illis initiis accommodare, quod & Apostolus Paulus ob eandem causam circumcidit Timotheum. Apostolus tamen Petrus Romæ instituit, Pascha fieri die Dominico, & hoc magis esse sequendum. Vide Bedam lib. 3. histor. cap. 25. apud eundem Bellarm.

Hanc sẽper tenuit, tenetque catholica Eccl. etsi erret aliquãdo.

Quartadecimanorũ error.

Gregorius ergo XIII. vt omnem ansam errandi circa rem hanc è medio tolleret correxit Calendarium anno Christi 1582. sicut constituerat Concilium Tridentinũ, cuius priorem partem circa Breuiarium perfecerat Pius V. sed posteriorem circa Calendarium ipse Gregorius, post longũ studium, maximamque curam insigniorũ Mathematicorum sui temporis, suã correptionem infallibilem se reddidisse, haud immeritò credidit; non enim antequam omnibus Principibus Christianis eã mitteret perpendendam, examinandam, probandamque tradere voluit Ecclesiæ, eiq; mandare, vt obseruetur, prout adhuc obseruat. Ipse, vt aiunt, & Æquinoctium Vernum restituit in pristinam sedem, a qua iam à Concilio Nicæno vsq: ad præfatum annum 1582. decem circiter diebus præcedendo recesserat, quod à Concilio ad 12. Calend. Aprilis fuerat constitutum, & xiv. Lunam, Paschatem suo in loco reposuit. Insuper idem Pontifex viam quoque tradidit, & rationem, qua caueatur, vt in posterum & æquinoctium vernum, & 14. Luna Paschalis à propriis sedibus nunquam remouerentur. Quid etiam agendum docuit, quando Luna 14. cadet in die Dominico, ne cum Iudæis in aliquo conueniremus.

Calendarii Gregoriani constitutio circa Pascha

Diligentia ne vnquam cum hebręis communicemus.

A Concilio Nicæno anno Christi 318. celebratum vsque ad præsentem diẽ præcesserunt anni 1348. Per tot annorum cẽturias semper studuit Ecclesia Catholica circa Paschæ celebrationem die Dominico, in quo Christus resurrexit, in nullo cum Hebræis conuenire, & in omnibus præcepto Moysi, & Concilio Nicæno sese conformare. Sæpè errauit, eo quod repertum est tempore Concilii Nicæni motum nec Solis, nec Lunæ fuisse exactè deprehensum. Illa generali Ecclesiæ prouidentia, de qua paulò ante ex epist. 64. Leonis ad Martianum optima quidem tunc temporis extitit, atque vt profectò talem, & vt fortè regulam, & exemplar temporum futurorum, ipsam retulit loco cit. Bellarm.

Sed quod nunc ipse animaduerto in proposito nostro illud est, quod cum à canonizatione B. Francisci, facta à Gregorio IX. Perusiæ anno 1228. post annum secundum illius obitus vsque ad annum 1582. in quo Gregorius XIII. reformauit Calendarium, præterierũt anni 438. nihil tamen in eo anno innouatum est circa diem obitus, & festum S. Francisci. Nam post diem 4. Octobris immediatè, scilicet dies 5. in quo obiit S. Theresia per subtractionem decem dierum à dicto mense Octobr. dictus est decimus quintus. Atq; in eo tota moles illius reformationis fũdata, ac stabilita est. Ita explicat Breuiarium Romanum vbi de anni correctione, eiusque necessitate, ac Calendario Gregoriano iuxta tenorem memoratæ Constitutionis. *Vt enim* (inquit num. 5.) *Aequinoctium Vernum ad 12. Calend. Aprilis restitueretur, statuit Gregor. XIII. vt dicti decem dies in mense Octobri ipsius anni 1582. eximerentur, vt post quartam diem Octobris, Sancto Francisco sacram sequens dies non esset quinta, sed decimaquinta Octobris. Et ita*

Nulla facta est mutatio circa festum S. Franc.

error,

error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momentò temporis fuit correptus. Hinc est, quod iuxta hanc Calendarii Gregoriani emendationem festum S. Teresiæ, quam canonizauit Gregorius XV. & facta est dupliciter Gregoriana, cadit haud in die 5. Octobris, in quo decessit bis Seraphica Virgo illa (anima, etsi non habitu Franciscana) sed in die decimaquinta.

Festi S. Theresiæ celebratio.

Ex hoc arcano colligimus, annum Ecclesiasticum in sua Gregoriana correctione, Mathematicorum industria elaborata, respexisse ad venerationem Reparatoris Ecclesiæ, pro quo, sic Deo ordinante, nulla facta est sibi mutatio circa illius solemnitatem ad diem 4. Octob. in qua etiam ille natus est. Pari modo dicimus eundem annum Ecclesiasticum ante correctionem ortum Francisci quiniformiter respexisse veluti ab ipso nouiter felicitatum, ceu præmonstratiuum tam magni viri, qui virtutem abstinentiæ per ieiuniũ ecclesiasticum in cętu fidelium sicut tẽpore Christi, & Apostolorum, quadragesimæ quadragesimas, tẽporibus tempora superaddens, nouo quodam modo restitueret. Quinque sua tempora Annus Ecclesiasticus ea peculiarissima facit, in quibus solemnia, publicaque celebrat ieiunia. Primũ tempus quadragesimã inspicit quatuor alia quatuor anni circulationes, in quarũ qualibet tria ieiunia vna hebdomada persoluenda præcipit Ecclesia.

Cur festum S. Franc. in suo loco relictum.

Agit breui synopsi Interpres noster de isto ieiunii Anni Ecclesiastici quinario in serm. 3. Dom. 1. Quadrag. Eius doctrinam, vnde nonnulla peculiaria arcana circa legem Minorum abbreuiatam, & in vigilia S. Andreæ Apostoli per Honorium III. Bulla Apostolica confirmatam, prælibauimus, ibi reperiet Lector. Quare pariforma hic eam nunc anticipatè repetere haud puto necessarium; & eo maxime, quoniam id, quod breui modo afferre placet, satis erit profectò, quia diuersa continet arcana ab ea, quæ ibi Minorum Legem peculiariter complectuntur.

Quinarii ieiunii anni ecclesiast.

In actuali ieiunio quadragesimæ S. Michaelis Archangeli de mente Septembri recepit Franciscus Sacra Stigmata, & tot numero ipsa recepit, quot tempora singulis annis ieiunium suum celebrat Ecclesia. Sic Christus Bulla sua sanguinea roborans tres Francisci legislationes (vt fusè probabimus ex Bonauentura in posteriori Tomo) declarauit quoq; ipsum Franciscum in virtute ieiunii triformem, complectũq; Fidei Romanæ Reparatorẽ. Pariterque ostendit, quod in eius ortu felicissimus potuit dici Annus ille Ecclesiasticus, ceu quinque suorũ ieiunii temporum indicatiuus, quod quinquie etiam ad gloriã ieiunii plagandus erat à Christo Franciscus ieiunans, vt nulla remaneret in Ecclesia pars, quæ ab eo reparata non esset completissimè.

Quinq. Franc. stigmata ad quinq. tẽpora anni Ecclef. quomodo referẽda.

Virtus abstinentiæ corporalis per ieiunium, & etiam quadragesimæ quatuor temporum poterat in illo ortus Francisci anno his verbis exultare. Infelicissimè tempora mea iam à multis sæculis pertransiere, & adhuc miserrimè perseueiãt, nam sanguinis prædominium in vere augens in dies Christianorum in quolibet hominum sexu, & statu ad luxuriandum sine vllo pudore stimulos, corrumpensque idcirco omnis caro viam suam, finem vniuersæ carnis iam venisse, vel ad minus imminere probatur. Prædominium coleræ in æstate ad iracundiam mortaliũ pectora prouocantis, & hæc ad impia bella, barbarasque tyrannides Ecclesiam Catholicam penè funditus erutã in dies constituunt. Prædominium malancholiæ in Autumno ad tam monstrosam sobolescentiã nutriit adhuc, educauitq; capitale acediæ vitiũ inter Ecclesiasticos, Religiosos, sæculares, & Domus orationis, quæ est Domus Dei, in latronum speluncam palã redacta videatur. Prædominium phlegmatis in Hieme in tam magnam duxit pigritiam, ignauiamque (vnde omnis amplexandi virtutum facinora cõtristatio) rerum sacrarum studium, potissimũ circa ea, quæ sunt fidei, quæque faciunt ad bonos mores, ad Dei cultum, atque ad Religionis profectum, vt in communem profanationem ob illius ablationẽ omnimodã sacrilega impietate transierit, vicinissimumque Ecclesiæ excidium indicarit.

Prosopopeia virtutis abstinentiæ corporalis in Franc. ortu adgaudentis.

Hæc sunt quatuor anni Ecclesiastici tempora, & in his hodie quatuor prædicti humores dominantur, imò liberrimè debaccantur, omnia fidei bona depopulantes. Sed cur ita? Certè ex eo, quia ieiunandi lex, ad horum humorum reprimendam insolentiam, ac petulantiam, necnon & vitia, quæ ex hisce oriri solent, instituta, excidit omninò, nec amplius obseruatur, imò contemnitur, persequitur, impugnatur. *Aduertendum* (ait Interpres loco cit. ex Innocentio III. approbans abstinentiæ prosopopeiam) *quod Ecclesia tradidit hæc quatuor ieiunia quatuor temporum, ad quatuor humores, quibus in quatuor prolabimur vitia, temperandos.* Nam in *Vere* dominatur *sanguis*, quo homines ad *luxuriam* stimulantur. In *Æstate cholera*, qua ad *iracundiam* excitantur. In *Autumno melancholia*, qua ad *acediam*, siue

Quatuor ieiunii Ecclef. tempora cõtra quatuor vitia instituta.

mesti-

Luxuriã, iracundiã, acediam, pigritiam.

mæstitiam inclinantur. *In Hieme phlegma, qua ad pigritiam applicantur. Ad horum quatuor humorum effectum comprimendum spirituali medicina voluit in anno Ecclesia hac quatuor tempora ieiunari.*

Sed iam natus est (subdit abstinentia) Reparator Ecclesiæ, ob cuius ortum fas est modo omnem mœrorem in veram, plenamque hilaritatem conuertere. Hic hic cælestis Infantulus, in stabulo in medio duorum animalium natus, dum plorat, & flet, apparuisse gratiam Dei Saluatoris nostri diebus istis nouissimis ostẽdit, vt quamcitius in talis gratiæ filii exemplo tota erudiretur Ecclesia, atque ad se funditus restaurandam, renouandãque, funditus quoque impietatem, & sæcularia desideria abnegaret, Christo conformiter viueret, signumque pœnitentialis Crucis mea manu explicandum sequeretur, iam tum quatuor anni temporibus, tum quadragesimalis ieiunii tempore feliciter renouandis, ac meliorandis per vitæ Apostolicæ restitutionem, ac reuiuiscentiam. Hæc protulit abstinentiæ corporalis ieiunii virtus in signum lætitiæ ob Francisci ortum, cuius primus fletus, ploratusque in stabulo quintum quoq; tempus ieiunandi quadraginta diebus singulis annis, exemplo Moysi. Eliæ, & Christi, iuxta præceptum Ecclesiæ, atque etiam ratione mitterii præmonstrauit.

Primos Frãc. in stabulo ploratus tẽpus quadragesimæ præmonstrauit.

Nec quidem circa hoc quintum tempus me fallit Interpres, qui post explicatas causas numeri dierum quadragesimę, ita annectit loco cit. Potest etiam alia ratio assignari, pro eo quod numerus 40. est numerus pœnitentiæ, & laboris, in cuius figuram fuit populus Israel 40. annis in deserto. *In cuius signum puer statim natus plorat, non tamen ridet citra quadragesimum diem, vt dicit Philosophus in libro de Animalibus. Designans, quod est vita pœnitentia, non gaudij, sed mæroris.*

Aduertendum etiam, quod Annus ille Ecclesiasticus ortus Francisci erat annus *embolismalis* (vt paulò post dicimus iuxta sententiam recentiorum) scilicet erat annus excrescens. Pariter de numero 40. dierum quadragesimæ profert Interpres ibidem ex Innocentio tres causas, quarum prima cõtinet tria exempla, scilicet Moysis ante legem, Eliæ in medio legis, Christi in fine legis. Secunda causa amplectitur præceptum nobis factum circa decimas ex omnibus soluendas, *quod etiam ad decimas temporis debet extendi*. Tertia causa, ait, *propter misterium designatum. Quadragenarius enim numerus est abundans, cuius partes aliquotæ simul iunctæ ad quinquagenarium Iubilæi, qui rẽquiem, & remissionem signat, perueniunt.* Hæc Innocentius, claudit Interpres.

Numer. 40. dierũ ieiunii exemplaris præceptiuus & misterialis est, scilicet abundãs.

Istam pariter abundantem excrescentiã ipse aduerto in ieiunio quatuor temporum iuxta doctrinam eiusdem Innocentii, quam referens Interpres ibi paulo ante, vbi post explicatam causam prioris ieiunii Ecclesiastici, scilicet vigiliarum, ita sequitur de secundo ieiunio.

Secundum est quatuor temporum, & istud correspondet primitiis, quas Populus Israel tenebatur offerre. Has primitias Ecclesiæ non solum ad fructus, sed etiam ad tempus voluit adimplere, & ideo statuit, *quod iuxta quatuor tempora anni, videlicet Ver, Aestatem, Autumnum, & Hyemẽ quatuor temporibus homines ieiunarent, in qualibet vice tribus diebus iuxta numerum trium mensium, in quolibet præmissorum temporum contentorum. Et sic sunt duodecim ieiunia iuxta numerum tot mensium.* Hucusq; Interpres ex Innocentio.

Ieiunia 4. tẽporum 12. iuxta numerũ mẽsiũ totius anni.

Inter numeros pares, quos nuncupant vel perfectiuos, vel defectiuos, vel superexcedentes, & abundantes, ponunt Arithmetici communiter numerum duodenarium. Quem cum intrent 12. vnitates, 6. dualitates, 4. ternarii, 3. quaternarii, & duo senarii, partibus quinque, quæ sunt 1. 2. 3. 4. 5. necessariò constatur. Hæ partes simul iunctæ, atque enumeratæ augent numerum ad quatuor plus: nam non remanet amplius 12. sed excedit vsque ad numerum 16. Itaque quemadmodum Innocentius numerum 40. dierum ieiunii quadragesimalis in eius accretione vsque ad numerum 50. misteriale dicit, quia vt superabundans, superabundantem Iubilæi gratiam denotat, pariter & ipse numerum duodenarium in 12. ad paritatem mensium quatuor temporum ieiunii Dei gratiam perabundantem significare non ambigo. Vtramque gratiæ Dei abundantis effusionis tum in ieiunio quadragesimali, tum in ieiunio quatuor temporum quasi funditus exiccauerat communis fidelium ingratitudo, quia omnia Dei, & Ecclesiæ præcepta in maximum, extremumque contemptum adeo tunc peruenerant, vt non amplius videretur expectandum tempus à Dei clementia pro remedio, sed potius à Dei vindicta Ecclesiæ omnis deplorandam cernere eradicationem. Misit tamen Deus, præualens iræ suæ Matris suæ clementia, remedium, misso cælitus Francisco, vt ex omni parte collapsam, vndique quoque repararet Ecclesiam; & quoad ieiunii tempora longè abundantem per Ecclesiam Minorum redderet ipsam vltra numerum, ab ea omnibus antea præfixum. Ieiuniorum nume-

Numerus 12 est numerus superabundans.

Dei gratiam superabundã tem indicat.

numerus, cunctis fidelibus cuiuſuis profeſſionis communis explet ſummam 62. Nam 40. ſpectant ad quadrageſimam. Duodecim ad quatuor tempora. Decem ad ſolemnitates principaliores feſtorum immobilium, vt Chriſti, B. Virginis, & Apoſtolorum; vel mobilium, vt eſt feſtum Pentecoſtes ſolummodo. Sciendũ tamen ieiunia tria quatuor temporum poſt Cineres connumerari inter 40. ieiunia quadrageſimæ; ac per conſequens numerus ieiuniorum quoad impletionem præcepti apud omnes conſtabit ex 59.

Chriſtiani ad 59. ieiunia obligantur.

Veniens autem Franciſcus, & inſtituens tres Ordines, adeo pœnitentiam circa abſtinentiam ieiunii ſpiritualis, & corporalis reſtituit, reparauitque, auxitque per ſolum Ordinem Minorum, addens ſupra illum numerum alia ieiunia 88. quorum 40. ex præcepto ſub mortali. incipiunt à feſto omnium Sanctorum, vſq; ad Natiuitatem Domini, cætera verò 48. etiã ſub mortali ſingulis ſextis feriis per totum annum aſtringunt. Ipſe tamen Vir Sanctus in tota vita ſua ſeptem quadrageſimas magno ieiunii rigore ſeruauit. Quæ autem obligant Minores quadrageſimæ, duæ ſunt, altera eſt quadrageſima ſolita Eccleſiæ, cunctis Chriſtianis communis, altera autem eſt quadrageſima omnium Sanctorum, &c. Igitur Annus ipſe Eccleſiaſticus emboliſmalis in ortu Franciſci quodam præſagium fuit de ſua excedenti innouatione circa ſua quinque ieiunii tempora vſque ad medietatem, & amplius. Quæ enim inſtituit ieiunii tempora Franciſcus, nouus Chriſti Moyſes, nouus Elias, nouuſque Chriſtifer in ſua lege, qua legem Chriſti, & eius Eccleſiam reparauit, additis tẽporibus ipſis, ab Eccleſia 62. ieiuniis celebratis ante reparatiōnẽ, reduxerũt ieiuniorum ſummam ad numerum materialem 150. A quo numero excluſis quantum ad præcepti adimpletionem ieiunii quatuor temporum poſt Cineres, & poſt D. Luciam, hæc in quadrageſima omnium Sanctorum contingunt, & octo alijs ſextarum feriarum, quorum quatuor in quatuortemporibus, quatuor verò in quadrageſima communi ſuccedunt, remanent omnia Minorum ieiunia ſub numero 136. Quibus omnibus vſque ad finem Mundi abſtinentiæ corporalis in Eccleſia per Minores reparatio proſequenda eſt.

Quam amplè pœnitentiã per ieiunia reſtituit Franc.

Minores vero ad 150. ieiunia cũ illis chriſtianorum, tenẽtur.

Nunc denique occurrit nobis Annus Eccleſiaſticus prout reſpicit Chronologorum Annaliſtarum arithmeticam ſupputationem, & hanc primo loco poſuimus; nam de anno ortus Franciſci diariſtico immediatè agendum. Sed incepimus ab eius parte mathematica, ſeu aſtronomica veluti à digniori, & eminẽtiori. Annaliſtæ ergo noſtri iuxta chronologiam temporum ſunt varii anno vno circa Franciſci ortum. Alii dicunt ipſum natum eſſe Anno Domini 1181. quam ſententiam mihi amplecti placuit tom. I. Hierarchiæ in principio. Alii verò cum Baronio annum ſequentem 1182. ortui Franciſci præfigunt. Sic Vadingus, & poſt ipſum alii poſteriores ferè omnes. Vide loc. cit. Hierarch. Iuxta hanc alteram ſententiam (quam videtur ſequi Franciſcus Bordonus, Vir doctus, & pius, in ſuo Chronologio Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis S. Franciſci num. 1. cap. 11. de origine & vita S. Franc, ſed inconſtanter, vt patere poteſt ibi ſtatim, niſi velit dicere 1182. vt ex mox adnotandis) ita ſcribit ſub num. 17. eiuſdem cap. loquens de anno Emboliſmali. *Annus ipſe natiuitis Franciſci* 1182. (ſed num. 1. cit in principio, *Franciſcus*, inquit, *diuina affluente gratia, ortus eſt anno Dom. milleſimo centeſimo octuogeſimo primo.* hic ſoluta oratione, ibi arithmeticè anno vno minus pluſq; notatur annus Chriſti) *fuit præſagus, & ſignauit tot mirabilia quæ egit:, in eo quod annus ille fuit Emboliſmalis, ideſt excedens alios communes in vna lunatione triginta dierum. Arguens B. Franciſcum futurum eſſe magnum virum, alios excedens in quamplurimis virtutibus, &c.* Probationem eius vide loco cit. Hierarch. noſtræ fol. 21.

AnnusEccleſiaſticus ortus Franc. iuxta Chronologiſtas.

Fuit annus ortus Franc. ſuperabundans in vna lunatione.

Et audi etiam eundem Authorem ad finem prædicti numeri ita ſe proteſtantẽ, Scio magnitudinem virtutis S. Franciſci non dependere ab influxu Lunæ, aut alterius aſtri, ſed à diuina prouidentia, & gratia Dei. Nihilominus prædicta notaui, vt demonſtrarem, aſtra & cætera inſenſibilia creata eſſe pro ſeruitute hominum, dum aliquo modo per eorum notitiam ſpeculamur opera hominum, & ſeruorum Dei. *Prædicta calculatio eſt vera. & certa inſpectione Calendariorum Eccleſiaſticorum apud Clauium, Ioannem Lucidũ, & alios Scriptores.* Hęc Bordonus ibi, cuius proteſtatio, proteſtationi meæ ſimilis, ſuperius adductæ ad ſignum cæleſte conceptionis Franciſci, haud tantæ profectò neceſſitatis, quia eius & mea circa rem hanc pertractatio aſtronomico-miſtica eſt, non autem aſtrologica, genethlaica, innumeris mathematicorum deliramẽtis conferta. Scimus enim magnos Sanctos, & maximè humillimum Franciſcum, ab ipſo ſui ortu Solem, & Lunam admirari, & idcirco eſſe productos, vt eis ſeruirent aſtra matutina; non autem vt aſtrorum influentiis ſubiacerent. Vbi autem certã dicit

Aſtra, & alia inſenſibilia creata ſunt ad ſeruitutẽ hominum.

dicit etiam Calendariorum Ecclesiasticorum inspectionem, haud proinde vult demonstrare infallibilem, vt ex prædictis ex Bellarmino patet.

Quid embolismus iuxta legem epactarum, & lunationum.

Est Embolismus intercalatio, quæ solet fieri vt annorum ratio cum Solis cursu conueniat. Excessus annorum per integras lunationes embolismales est ratione Epactarum. Epacta enim nihil aliud est, quam numerus dierum quibus annus solaris communis dierum 365. annum communem lunarem dierũ 334. superat diebus 11. Cum autem omnes Epactæ circa nouilunia potissimum inuenienda percurrant per continuum augumentum dies vndecim, in quibus annus Lunaris anno Solari minus est, quotiens earum augumentum excedit numerum dierum triginta, vt sint exempli gratia 33. reiiciendi sunt dies illi 30. quos vocant intercalares, seu interpositi, aliàs vna lunatione embolismali, scilicet diebus triginta annus ille maior esset. Nec ratio solaris anni sine illa detractione, quotiens facienda est, cũ anno Lunari posset conuenire in Calendario iuxta regulam epactarum. Concedendo igitur, Franciscum in anno superfluenti vna integra lunatione embolismali natum fuisse, cum Bordono, concedimus etiam præsagum fuisse superfluentiæ gratiarum, donorumque, amplè Franc, elargiendorũ, & per Francisci ortum peculiarissimæ, atque copiosissimæ gratiæ reparationis Ecclesiæ præmonstrasse abundantiam. Hanc enim nõ tacuit Bonau. incipiens pertractare gesta Francisci illis verbis, *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri Iesu Christi*, quibus verbis vtitur Ecclesia in epist. I. Missæ Natiuitatis Domini. Sed id superius explicatum.

Gratia reparationis Eccles. perabũdans fuit.

Verum Baronius (alibi pluries datus, & variè explicatus) alia loquendi forma, & quidem profundissima, arcanis plena, ac valde propria, huiusmodi gratiæ cælestis superfluentiam in ortu Francisci, tã respectu sui, quam totius Christianæ Reipublicæ, ostendit tom. 12. ann. 1182. *Planè Deus*, ait, *Ecclesiam suam in deterius declinantem, collabente deprauata morum disciplina, ad erigendam eam, in conflatorio diuini Spiritus hunc Apostolicum formauit hominem. Qui mundi contemptum, ac paupertatem non affectu tantum (quod ad Sanctorum Patrum imitationem sufficere potuisset) sed effectu etiam consecutus est.* Conflatorium à conflare deriuatum, hic Baronius accipit locum illum, in quo metalla liquefieri solẽt. Interdum enim conflare est liquefacere & signare. Vnde conflare argenteam supellectilem, est liquefacere, & in massam redigere, scribunt Latini Interpretes. Et conflata pecunia idem est apud ipsos ac signata postquam ex massa liquefacta ad cudendi formam redacta est.

Quam superfluens Dei gratia in efformatione Franc. in cõflatorio Spiritus Sancti.

Vbi autem conflatoriis vtuntur metallorum artifices circa res liquefaciendas, signandasq; superabundans ignis necessarius multum quidem illis est. Pari modo Deus (voluit dicere Baron. in eo Franc. ortus anno) volens Franciscum efformare, ipsumq; liquefecit in conflatorio Spiritus Sancti. Ibi liquefacta eius anima, & vterque simul eius homo in Dei amore liquefactus, totusq; ignis effectus ex Bonau. in optimam formam deinde redactus est, vt vterque pariter homo aptus esset ad recipiendam sacrorum stigmatũ consignationẽ. Ibi superabundans ignis diuinus abundans delictorum gelu, sub quo præceps reperiebatur Ecclesia, resoluit in nihilum. Vnde si de Christo Redemptore, Patri suo obedienti intonuit Apostolus Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia*, incepit postea Bonauentura de Francisco Reparatore obedienti Christo suo, cui ter dixerat de Cruce, *Vade Francisce, & repara, &c. Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri, &c.* Et gratia Saluatoris tũc idcirco fuit, vt gratia superabundans per superabundantissimũ ignem, è Cælo missum iterum arderet terrã. Nec certè potuisset Franci. humeris suis erigere Lateranam Basilicam ne funditus rueret, vt vidit Innoc. III. nisi aliunde superabundans ignis Spiritus Sancti per ipsum vim maximam faceret in ponderosissimam, frigidissimamque, ingentemque criminum molem, vt eam radicitus explantaret. *Planè Deus* &c.

Frãc. vtroq; homine diuinitus liquefactus, & cõsignatus.

Ortus Francisci eo anno 1181. in Autumno de Mense Octobris.

AVTVMNVS quidã misticus totius magni anni Fidei Romanæ Iubilęi orbisq; orthdoxi nũcupandus Frãc. cuius ortus Autumno à summa pientissimi Numinis prouidentia destinatus. Et Autumnus, si in eo naturam spectes, tertia pars anni, cæteris tribus aliis pluribus ex causis præferenda. Pars Autumnalis tribus mensibus cõflata inter æstatem, & hyemẽ media est. Hinc melior, & pretiosior sicut virtus, quæ in medio consistit, quã nihil in nobis melius, nihil pretiosius. In hac fiunt moraliter vindemiæ bonorũ morum, collectiones fructuum meritorũ, quemadmodum in Autumno omnia hæc naturaliter fiunt. In Autumno deriuationem

Franc. veluti misticus anni fidei Romanæ Autumnus.

nē si respicis, habes ex nonnullis apud Festum Pompeium, *ipsum ita nuncupari ab agendo. Quod eo tempore coactis fructibus agricolarū opes maximè augentur*. Sic Franciscus ad augendam, erigendamque Ecclesiam, vsque in interitum diminutam, & proiectam, missus est.

Autumni præconia super cæteras anni partes.

Nec quidē fabulosi existimandi Poetę illi, qui Autumni laudū præconia canentes, eumque anni virilitatem, ad ipsius promeritam declarandam eminentiam, nuncupantes. Quemadmodum enim virilitas in homine ætas cunctis aliis perfectior est, ita pariter & aliis anni partibus Autumnus; vtpotè quia in ipso omnia naturæ bona in summa perfectione deueniunt. *Ver* floribus, herbisque abundar, non autem fructibus. *Aestas* habet fructus, hi tamen eo tempore haud sapidi, nec boni sunt nutrimenti. *Hyems* quas habet herbas, exsiccatæ sunt, quas habet & plantas sine frondibus sunt, quos habet fructus, si ex Autumno habet collectos, vel maiori ex parte saporem & colorem amiserunt, vel si non in totum, quod rarò contigit, saltem semiputruerunt. Si verò habet hyems fructus ex maxima colonum industria, & arte, semper extra tempus erunt, ac proindè languidi, imperfecti, illegitimi. Solus Autumnus gloriari potest se habere fructus non solū integra bonitate maturos, & optimos, verum etiam ipsum esse florem omnium fructuum, summè perfectorum, atque ad nutrimentum egregiè exquisitorum. Inter quos dum vindemię diuitię eminēt, hæ solæ, quando aliæ dotes non fuissent, sufficerent proculdubio, vt veluti Regem temporum Verni, Æstatis, Hyemisque Autumni tempus constituamus. Vnde Statius

Coronandus vt temporū Rex racemis suis Autumnus.

Ditemque precatur
Autumnum, & charis gaudet redimita racemis.

Ad hanc Autumni regiam quasi eminentiam referunt recentiores responsum ad quæstionem illam Plutarci, *Cur circa finem Autumni voraciores simus*. Inquiunt enim sic. Vernum tempus ventosum est. Æstiuum ardens. Hiems gelatum. Solum Autumni tempus est temperatum, & adeo hac prærogatiua excellit, vt temperies, quæ experitur in Vere, Autumnalē temperiem in nullo æquare possit. Hinc transitus ille à vehementi æstatis calore, cuius causa elanguentes spiritus comedendi appetitum remittunt, ad Autumni temperiem, ob quam iidem spiritus reuiuiscunt, ad fames nos prouocat.

Cur circa finē Autumni voraciores simus.

Hæ & aliæ referuntur Autumni excellentiæ, vt ipsum pretiosis redimitum racemis super alias anni partes, Principem, Regemque constituant. Sed cunctas vno simplici, ac breui symbolo clausit Interpres noster in serm. Dom. in sexagesimam. Explicans enim ibi textum Gen. 26. nuper citatum, *Seminauit Isaac in terra Gerasa, & in ipso anno inuenit centuplum*, postquam constituerit Christum Annum misticum remissionis & gratiæ per tria seminum genera, & pro *Vere* intellexerit in eius vita tempus prædicationis suæ. Pro *Aestate* tempus passionis suæ. Pro *Hyeme* tempus persecutionis suæ. Pro *Autumno* demum intellexit Resurrectionem suam, *qua exufflatis paleis pœnalitatis, & puluere mortalitatis, illa humanitas Verbi gloriosa, & immortalis reposita est in cellario, idest ad dexteram Dei Patris*.

Quatuor anni partes in vita Christi misticè.

Autumnus pro eius resurrectione.

Sed aduertenda vltima postilla Interpretis super illud, Et in ipso anno inuenit centuplum. *Idest*, inquit, *elegit Apostolos, quibus dictum est, centuplum accipietis, &c.* Istud idem centuplum inueniens Franciscus in reparatione Ecclesiæ, quod antea in eius fundatione inuenerat Christus: & veluti exemplar solius Francisci in eadē reparatione, è Cruce illi ter ex se immediatè præcepta, constituerat vt vitā quoq; suam ceu nouum annum remissionis, & benignitatis mortalibus exhiberet. Factus & ipse in magno Ecclesiæ anno veluti, nouum in prædicatione Ver. Noua in Passione Aestas. Nouus in persecutione Hyems. Nouus in Resurrectione Autumnus: haud surgens corpore, sed surgens gradu, sublimiter, ac gloriosè euectus vsque ad Luciferi sedem.

Hæc quatuor etiam tempora in vita Franc.

Atq; in his quatuor partibus anni vitæ Christi vnicè simillimus. Imò in iisdem partibus factus vnus nouus Autumnus. quadriformiter vnus, quatenus ipse solus electus, vt à morte spirituali ad vitā gratiæ gloriosè Ecclesia tota, & in Vere eius prædicationis, & in Aestate eius Passionis, & in Hyeme ejus persecutionis resurgeret. Iam in mira altissimæ paupertatis institutione, & obseruantia Rex perdiues Regni Cælorum constitutus, nec alio diademate, nisi Racemorum ditissimæ vindemiæ, scilicet donorum, & meritorum splendidè redimitus. Eundem Autumnum, quem destinauit ad ortum Francisci Deus, destinauit, & ad obitū, vt sicut in ortu ostendebat eum gloriosæ resurrectionis Ecclesiæ Principem, ita pariter & in obitu eleuans ipsū ad principem omnium Angelorum thronum.

Ipse Autumnus quadriformiter vnus.

Accipe alium arcanum. Inter quatuor Anni tempora iuxta numerationem, quæ incipit ab æquinoctio vernali, tertio loco in ordine ponitur Autumnus, trium aliorum

aliorum temporum Princeps. Numerus Ternarius, quo æterna gaudent Numina, maximè à Francisco cultus respectu summæ Diuinitatis, in cuius Essentiæ vnitate tres extant Personæ; vnde iuremeritò *Cultor Trinitatis* per quandam peculiarem excellentiam nuncupatus est à Bonauent. In tertio ergo gradu poni Autumnus, & Autumno nasci Franciscus, in quo & mortuus est, habet nonnihil sacramenti, vt video. Quòd si ad historiam Bonau. & aliorum retulerimus, pulchrè quidem ex innumeris Francisci gestis erumpit, potissimum ex his paucis, quæ soli ipsi peculiarissimè conueniunt, & ita iuxta chronologiam temporum disposita, vt quodlibet veluti Autumnus appareat in fidei catholicæ augumento, omnis excidii detrimento ab ipsa sublato.

Cultor Trinitatis per quandam excellentiam Franc.

1 Tribus priuilegiis decoratum solũ Franc. inter omnes Sãctos, maximè Institutores Ord. inuenimus. *Natiuitate in stabulo in medio duorum animalium. Indulgentia plenaria S. Mariæ de Portiuncula, Impressione sacrorum Stigmatum.* Autumnalis temporaliter fuit natiuitas Francisci pro domo sua multipliciter, & autumnalis etiam specialiter pro domo Dei, quæ est Ecclesia, pluribus ex causis, quæ patent. Autumnalis fuit misticè indulgentia illa, in Æstate concessa, & veluti omnium indulgentiarum antesignana, saltem quoad modum, & meritum in tota penè Ecclesia nuncupanda. Autumni initium fermè erat sacrorum Stigmatum tempus, de mense scilicet Septembri die 14. Sed quãtum ad misterium super omnia tempora Princeps maximus extitit, post illud, quod de mense Martio apparuit in Christo super Caluariæ Montem.

Tria peculiaria Franc. primitiua.

2 Ter præcepit Francisco è Cruce Christus suæ Ecclesiæ reparationem. Ratione huius terni mandati tres reparauit Ecclesias materiales, ad quarum numeri sacramentum tres instituit Ordines. Nec incepit primum Ordinem instituere, nisi prius trina libri Euangeliorum aperitione Summæ Trinitatis oraculum exposceret. Hac occasione nuncupat eum Bonau. *Trinitatis Cultorem*, vt pluries dictum est, præcipuè in 1. tract. vbi de Francisco sub Diaconatus Ordine, & alibi. Sic Frãciscus terno oraculo edoctus, ac terna materiali fabrica (licet postea id fecit) ductus in bino ternario (altero pro innouatione Ecclesiæ, altero vero pro triumphò ipsius Ecclesiæ) Autumnus nouus effectus est. *Nam*, inquit cap. 2. in fine, *instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius Sancti Viri duca tu secundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam Christi triformiter renouanda erat Ecclesia.* Ecce primus ternarius. *Trinaque triumphatura militia saluandorum*, Ecce secundus ternarius. Æstatis inde ad finem venit Autumnus vindemiæ defecatæ, vindemiæ sanguinis, multo perabundantis Stigmatum Francisci sub auspiciis trinæ libri Euangelii aperitionis, ter quoque passionem Domini Francisco demonstrantis. *Sanè cum in trina libri aperitione semper Domini passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus passionis antequam ex hoc mundo transiret, &c.* Bonau. c. 13. de sacris Stigmatibus.

Ter præcipitur ei è Cruce Eccl. reparatio.

Autumnus abundans multo Stigm. Franc.

Porrò si voluerimus prædictum sacramentum aliunde perscrutari ex pluribus ternariis, quos misticè expendit Doct. noster, & ad rem nostram peculiarissima vtique forent, prolixum negotium amplecteremur. Satis ergo nunc erit dicere, quod in mistico Francisci Autumno iterũ Ecclesia explicuit illud suum proprium insigne, quod ad finẽ Autumni post dies tres, Hiemisque principio, scilicet 25. Decembris in Christi ortu patefactum est. Insigne istud Ioanni 12. in Apocal. fuit reuelatum, ipso sic testante, quodque in corpore viuius mulieris in Cælo apparentis tria ornamenta cælestia erant. *Signum magnum apparuit in Cælo, Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Amicta Ecclesia Sole Christi, coronata duodecim Apostolorum fide, dedit ei ipse Christus, eius Fundator pro basi sub pedibus Lunam. Cur Lunam, inquies, quæ nihil aliud est, nisi instabilitas? Cur non potius illas stellas, quas posuit in capite pro corona, & denotant ex ipso nomine stabilitatem, & firmitatem? Respondeo ex Interprete, quod nisi hæc Lunæ instabilitas sub pedibus Ecclesiæ poneretur, tota ipsa Ecclesia corrueret, imo neque fundaretur. Fides enim Christi, & Apostolorum eminere debet super rerum caducarum mutabilitatem, quarum euidens signum Luna est. *Rerum caducarum prospera mutabilitas*, inquit Interpres, *debet esse sub pedibus Ecclesiæ, qui sunt omnes Prælati, qui ipsam tamquam pedes corpus debent sustentare. Sed his pedibus tamquam stercora omnia temporalia debent conculcari.* Reddit rationem Interpres (& est argumentum catholicũ, expressum in sacra Scriptura) ex fundatione ipsius Ecclesiæ, sic subdens immediatè. Vndè Act. 4. *Quotquot possessores agrorum erant vendentes, offerebant pretia eorum, quæ vendebantur, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Quia omnia tamquam ster-

In mistico Franc. Autumno Christi insigne explicatur.

Quomodo instabilitas Lunæ sub pedibus Eccl. vt illius fundamentum.

stercora reputabant. Hæc ibi Interpres.

Tria communissima vitia, veluti tres omnium malorum radices, scilicet superbia, luxuria, auaritia, de quibus toties dictum est, Autumnum Ecclesiæ pene mutauerant in Hiemem. Imò ipsam Ecclesiam adeo peruerterant, vt supra caput eius Luna reperiretur instar stellarum coronæ, ab ea maxima appretiatione complexæ, & sub pedibus eius corona stellarũ duodecim instar Lunæ, ab ea vt stercora conculcandæ. Ac propterea eius solaris amictus in nigram vestem mutatus. Sic quasi amittens sua pristina fundamenta, ab ipsis fundamentis collabentem conspexit ipsam supra humeros Francisci Summus Pontifex Innocentius III. ceu ipse Franciscus idoneus à Deo repertus esset, vt ad pristinum statum Ecclesiam ipsam reduceret. Restituendo ipsi coronam stellarum in capite. Iterumque Sole Christo eam vestiendo. Pedibusque suis Lunã sicut tempore Apostolorum conculcandam supponendo.

Hinc est, quod idcircò iuxta Interpretis nostri doctrinam, reperio Franciscum quasi in ipsam imaginem Ecclesiæ transformatum. Sequitur namque ibidem immediatè, transiens à sensu allegorico ad moralem, intelligensque pro Muliere *amicta Sole* fidelem animam, in hunc modum. *Amicta Sole*. Tria sunt in Sole, candor, splendor, calor. *In candore castitas. In splendore humilitas. In calore charitas. Ex his tribus fit pallium fidelis animæ cælestis sponsæ, &c.* Quibus ita explicatis, venit ad illud aliud, *Luna sub pedibus eius*, & per legem oppositorum, tria alia perpendit in Luna ceu simbola, prædictis tribus de Sole aduersa, scilicet *maculam pro luxuria*, quæ destruit *castitatem*. *Obscuritatem pro superbia*, quæ excæcans corda, *lumen humilitatis extinguit. Frigiditatem* odii, & rancoris, quæ omnem *charitatem* è medio tollit. Illis tribus virtutibus excellenter ornata ex duobus luminaribus Sole, & Luna Francisci anima, successit ei corona stellarum duodecim, in quibus Interpres intelligit pulchrè totidem virtutes, sub quaternis ternariis dispositæ. Vt verbi gr. à parte frontis sint *Fides. Spes. Charitas*. A dextris *Temperantia. Prudentia. Fortitudo*. In posteriori *Mortis memoria. Iudicij dies amara. Indeficiens Inferni pœna*. A sinistris *Patientia. Obedientia. Finalis perseuerantia*.

Sol in tribus trium primarum virtutũ moralium hieroglyphicum.

Anima Frãc. mulier amicta Sole, &c.

Igitur in hac imagine perfectissimè quinque ternariis efformatus Franciscus, & per eam totaliter compassiuè transformatus in pristinam formam Ecclesiæ, quã repererat adeo turpiter deformatam, vt quasi non amplius cognosceretur, congruebat equidem, vt Deus mutans turpẽ Ecclesiæ formam, quam ex tribus in Luna repertis contraxerat, in formam imaginis Francisci, iam in priorem formam Ecclesiæ transformati, ipsam reduceret, prout reapse reduxit, vitam Christi, & Apostolicam fidem ei restituens, poneretque corpori suo Solarem vestem, Lunam sub pedibus eius, coronam stellarũ duodecim in capite eius, vt ante. Confirmat ipse Interpr. ea postilla super illud 1. Ioãnis 2. per concordantiam ad alium textũ Isaiæ 14. *Omne, quod est in Mundo, est concupiscentia carnis*. Ecce labor. *Et concupiscentia oculorum*. Idest auaritia. Ecce concussio. *Et superbia vitæ*. Ecce seruitus Diaboli dura. In his tribus demonstrat apertè Interpres totam Ecclesiam à seipsa excisam, nimirum cum corona stellarũ sub pedibus, cum Luna in capite, tenebrisque nocturnis, in quibus ipsa Luna reuoluitur, amicta. Sed paulò post de ipsius Ecclesiæ restitutione in pristinum statum tacitè loquens, & de Francisco illius Reparatore, statim subdit aliud ternarium his verbis. *Contra ista tria Dominus apposuit remedia, scilicet. Vita innocentiam contra carnis laborem. Spiritus paupertatem contra auaritiæ concussionem, vel negotiationem. Sanguinis passionem, vel effusionem contra superbiæ sublimitatem*. Hisce tribus remediis Christus Mundi Redemptor fundauit Ecclesiam, ac per consequens ad eam reparandam, restituendamque penè ad pristinam formam, eligendus erat ille vir, qui in iisdem sibi assimilaretur. Cum autem ad istud opus tam arduum elegerit Franciscum, hinc est, quod circa vitæ innocẽtiam non solum Præcursori suo, sicut decebat, assimilauit ipsum, sed sibi ipsi;

Tria vitia velut omniũ scelerum radix.

Tria remedia, quibus Franc. reparauit Ecclesiã erant Ecclesiæ fundamẽta.

Circa spiritus paupertatem sic
nonum fecit ipsum super
terram, quemadmo.
dum
circa passionem per effusionem sanguinis
super Aluernæ Montem.

Dies

passim Statua Nabuchdonosor monstrosè terret imperia, omninò carebant. *Hos, quos Mundus despectos desierit* (ait Interpres addens figuram pueri Ægyptii) *Christus in amorem suum conuertit, & cibo verbi diuini pascit, & duces itineris sui facit. Quia quandoque quod vtile est peccatori assumit.*

Subdit deinde statim aliam allegoriam à prædicta circa hæc quatuor genera hominum, quibus Christus, & Franciscus fundauerunt Ecclesias suas, eos ad cœnam magnam pœnitentiæ, & gloriæ vocantes, atque introducentes, ille per redemptionem generis humani, hic verò per reparationem Christianæ Reipublicæ. Nam in *pauperibus* horrida explicat *auaritiæ* insignia. In *debilibus* infausta patefacit *iracundiæ* hieroglyphica. In *cœcis* immundissima demonstrat *luxuriæ* simbola. In *claudis* demum superbiam vitæ exprimit. *Superbus enim claudus est*, ait, *quia rectis gressibus per viam humilitatis non potest incedere*, &c. Sed hac via potuit incedere, incessitque Christus & Franciscus; vterq; enim humillimo, ac vili præsepio natus, vterq; in medio duorum animaliū positus, vterque inuenit modum, *vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis*, auaritiæ, iracundiæ, luxuriæ, ac superbiæ, magnum illum Annum, & Iubilæi annum, quem magnum nuncupabant Hebræi, præmonstraret, intimaretque mortalibus.

In pauperibus auaritia. In debilibus iracūdia. In cœcis luxuria. In claudis superbia

Probatur. Tuba in veteri Testamento inuitabat ad tria, scilicet ad bellum, ad epulum, & ad festum, docet Interpr. serm. Dom. 3. post Trinit. applicans ad Tubam confessionis, vocantem, ait, ad bellum Dæmonum, ad epulum pœnitentiæ, & ad festū gloriæ. Annus Magnus Iubilæi apud Hebræos singulis quinquaginta annis celebrabatur; quique annus lætus ac sanctus erat ex Dei mandato Leuitici 12. Celebrabatur tempore autumnali, quia in Polestina fructus debebant esse maturi, iuxta Diuinum præceptum. Quo tempore etiam annum septimum Sabbaticum colebant, qui erat annus quietis. Vide Perer. lib. 1. in Genes. Priuilegia illius magni anni, ac Iubilæi tria potissimum, nam in eo primò remittebantur omnia debita, ideo vocabatur annus remissionis & gratiæ. Secundò serui fiebant liberi. Tertiò auitæ possessiones redibant ad legitimos hæredes sine vllo pretio, aut compensatione, Leuit. cap. 25. Causæ autem celebrandi eiusmodi magni anni, seu iubilei, quinque assignantur, quarum postremam habes typicè, vtpote quatenus erat quidam typus perfectissimæ remissionis, siue iubilæi Christianorum. Quod fieri, ac celebrari debebat in quadruplici magnæ, ac spiritualis lætitiæ plenitudine, nimirum in plena remissione peccatorum, in bona consciētia, in spe firmæ beatitudinis æternæ, in vnione, & amicitia cum Deo. Ad hoc autē magni anni iubilæi typici festū non amplius legalis veteris Testamenti, sed Euangelica tuba debebat vocare gentes per Christum, & ad magnum epulum prædictarum magnarum cœnarum, scilicet pœnitentiæ & gloriæ inuitare. Vide Rupertum apud opusculum nostrum M.S. pluries allegatum de anno iubilæi Sacrorum Stigmatum in principio.

Tuba veteris testamēti inuitabat ad tria.

Annus magnus iubilęi hebræi in autumno.

Eius priuilegia tria, causę quinque.

Fuit magni iubilæi christianorū typus.

At in gratiam præsentis argumenti Franc. ortus cōtigit iuxta præsuppositionē meam in Autumno, atque die Sabbati, ac fer. 4. Octobris, in qua die obiit, sicque in eo dici potest Iubilæum, de quo loquimur, etiam annus septimus, & Sabbaticus. Verum collige hoc magnum iubilæum in festo solemni, & vniuersali totius Ecclesiæ pro ipsius reparatione, per Franciscum celebrandum, ratione maximæ conformitatis inter Christum, & Franciscum, & inter opus redemptionis, & opus reparationis. Habes huius concordantiæ figuram ex Genes. 26. *Seminauit Isaac in terra Gerara, & in ipso anno inuenit centuplum.* Isaac (exponit Interpres serm. Dom. in Sexag.) *interpretatur gaudium. Et significat Christum, qui est gaudium Sanctorum.* Qui, vt dicit Isai. 35. *Gaudium*, scilicet de glorificata Christi humanitate, *& lætitiam obtinebunt de totius Trinitatis visione.* Hoc plenum iubilæum in magno, maximo, ac perenni anno ex Christi redemptione celebratur in vita æterna, sed haud sine celebratione anni magni iubilæi, in hac temporali vita celebrandi. Sicut nec ad magnam cœnam gloriæ peruenire potest, nisi prius gustetur magna pœnitentiæ cœna, vt dictum est. Quare Interpres statim ita annectit ibi.

Annus iubilæi magnus in Franc. ortu qui.

Isaac noui testam. Christus Redemptor.

Eius redemptio ad duplex iubileū ordinata.

Hic noster *Isaac seminauit in terra Geraræ*, quæ interpretatur incolatus, & significat hunc Mundum, Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus*, idest peregrinatio mea, *prolongatus est.* In terra ergo Geraræ, idest Mundo, seminauit tria genera seminum.

1 *Laudabilis vitæ sanctitatem.*
2 *Cælestis Regni prædicationem.*
3 *Miraculorum operationem.*

Et in ipso anno inuenit centuplum. *Et nota, quod tota vita Christi dicitur annus remissionis, & benignitatis*, &c. Hic magnus annus iubilæi vitæ Christi Redemptoris incepit à præsepio, à quo incepit totius cælestis Curiæ gaudium, & lætitia. Durauit intra fines Palestinæ annis 33. Eius celebritas diffusa, ac propagata deinde per totum Orbem per Apostolos, & Discipu-

Isaac Christus tria genera seminū seminauit.

Tota vita Christi ānus magnus remissionis & benignitatis

Tota vita Christi annus magnus remissionis, & benignitatis.

scipulos Christi, ac ab horum imitatoribus successiuis sæculis variis temporibus in parte renouata, ac restituta in Orbe Christiano, demum adeo in obliuionem postmodum venerat cum ipsa vita, passione, ac morte Redẽptoris, vt laudabilis vitæ sanctitas, cælestis regni prædicatio, miraculorum operatio, neq; ad suum quid nominis remanserint. Vnde Annus iubilationis per remissionem, & benignitatẽ vitæ Christi, in quo centuplum per multas annorum centurias inuenerat Ecclesia, mutatus videbatur in tempus infaustum in ipsius Ecclesiæ explanctationem.

Franc. secundus Isaac noui Testam. Christo simillimus.

Sed nascens secundus *Isaac* noui Testamenti, supple Franciscus, priori Isaac, scilicet Christo ab ipso ortu simillimus, natum quoque est terræ, Cælique nouum gaudium, vt demonstratum est, ac per consequens renouatum, restitutumque perfectè est Annus plenissimi iubilæi magnus. Franciscus enim in ortu suo autunnali, ac de die Sabbati hunc magnum annum, annuumque Sabbaticũ præmonstrauit. Ipse namque factus secunda tuba post Christum in nouo Testamento, inuitansque ad bellum contra Dæmones, ad epulum magnæ cœnæ pœnitentiæ, & ad festum gloriæ per trium Ordinum institutionem, triumque legum lationem, illa tria (quæ affert Interpres, nuncupans Christi vitam annum remissionis, & benignitatis) perfectè, completèque, & ad miraculum innouauit. Nimirum *Laudabilis vita sanctitatem. Cælestis gratiæ prædicationem. Et miraculorum operationem.* His enim tribus celebrata est reparatio Ecclesiæ quadruplici magnæ, ac spiritalis lætitiæ plenitudine; nimirum in plena remissione peccatorum, in bona consciẽtia, in spe firma beatitudinis æternæ, in vnione & amicitia cum Deo. Sic fuit Ecclesia Romana fũdata per Redemptorem Christum. Sic pariter & innouata per Reparatorem Franciscum. Igitur vtriusque vita dupliciter dicenda Annus Magnus remissionis, & benignitatis ob duo magna Iubilæa celebrata ab vniuersa Ecclesia, alterum pro Christi redemptione, alterum pro Francisci reparatione.

Annus magni iubilæi pariter & Franc.

Annus deriuatiuus quadruplex.

1. Sententia de anni deriuatione.

ET verè quadruplex item Annus nuncupandus quantum ad eius nominis deriuationem, ob quatuor sententias circa suam ethimologiam. Prima sententia est eorum, existimantium, Annum deriuari, seu deduci ab *Am*, circum, & *No*, fluo. Secunda sententia est Seruii, qui ab *Anulo* deriuat Annum, quod in se redeat quasi Anulus. Cui videtur subscribere Maro, ita alludens.

2. Sent. quæ deriuat ab annulo.

Atque in se sua per vestigia labitur annus.

Nam mẽsibus in se currentibus voluitur. Sol enim per duodecim Zodiaci signa excurrit. Vnde apud Ægyptios ante inuentas literas Dracone picto suã mordente caudam indicabatur. Tertia sententia est illorum, qui annum deduci volunt à Græco *ananeio*, quod est *renouo*. Quarta sententia putat annum sic dici à voce Græca *ennos*, vnde & *triennon*, quod nos dicimus *trinum*.

3. Sententia. 4. Sententia.

Tres priores sententiæ videntur ad idẽ deducendę per conuenientiã, licet per diuersas semitas, seu nomina. Si enim Annus ita dicitur, quia circuit, & fluit, tali vtique circuitu, fluxupue nonne apparebit ceu Annulus circunductus, ac circũfluẽs. Si deinde eiusmodi Annuli circuitio, ac fluxibilitas semper noua est ex eius motu, quo constat, vtique ab eius iugi, ac nunquam intermissa renouatione pariter & nuncupandus. Hinc mos apud Romanos, qui in duo tempora diuidentes annũ; scilicet in æstatem, & hyemem, alium annulum nimirum leuiorem deferebant in æstatem, grauiorem verò in hyeme. In ortu Franc. sub simbolo Annuli, ad formam Draconis Ægyptiorum deducti inspiciamus Annum, quatenus nonnulla arcana fidei catholicæ, quæ annularis misticè extat, prodit nouiter adnotemus. In annulo anni ortus Franc. annulũ cũ Dracone taliter annectamus, qualiter ex Interprete nostro figuram sumimus.

Tres priores sentent. parũ differunt.

Assumpsit & annulos, ait sacer textus Iud. 10. describens Iuditham, in interitum Olophernis, eiusque exercitus pro omnimoda populi Dei liberatione profligationem multa cura sese exornantem. In descriptione misticæ Iudithæ suæ depinxisse pariter, licet communi forma, Interpretem nostrum Dom. 16. post Trinit. Francisci animam, in Satanæ, Dei Ecclesiam vexantis exercitum destructionem creatam, iam plenum est.

Iudi dua anim. omni li. ci sortio vidua ta.

1 *Iuditha* enim, ait Interpres, *Vidua extitit*, quia *sola*, & *diuisa* à coniugali consortio. Et Frãcisci anima ita *sola*, ac *diuisa* fuit ab ipso ortu vsque ad obitum à consortio Mundi, carnis, ac Dæmonis virginali puritate decora, vt ipsa sola meruerit eligi ad opus arduum illud, nouum & insuetum, & à sæculo nondum auditum, sicut fuit totius Ecclesiæ reparatio.

Ipsa semper sine fœtoris peccati cilicio.

2 *Iuditha abstulit à se cilicium*, quod est

est *fœtor peccati*, ait Interpres. Et Francisci anima *ab omni peccato lethali* caruit etiam inter ipsas Mundi vanitates, vt toties probatum est.

Sine vestimẽto viduitatis inter ipsas Mundi vanitates.

3 *Iuditha exuit se vestimento viduitatis.* Vestimentum viduitatis est *peccatum mortale*, explicat Interpres. Et Francisci anima, *qua lethaliter nunquam peccauit*, exuta fuit ab hoc vestimento à gratia præueniente, eamque confirmante, in iustitia, & sanctitate ante lapsum, quod haud obscurè docet Bonauentura, vt aliàs pluries dictum est.

Lauit se assiduis pœnitentiæ fletibus.

4 *Iuditha lauit corpus suum*, idest *opera carnis lachrymis pœnitentiæ*, inquit Interpres. Et Francisci anima ob continuam dilecti sui allocutionem tota liquescens ergà amorem dilecti, totum cor adeo liquefecit, vt per oculorum riuulos in fletum quasi totum effuderit, redditus iã idcirco præ nimio, & assiduo fletu veluti cæcutiens Franciscus. Ita lauit opera carnis à maculis leuibus, quas contraxerat in sæculo, vt caro ipsius ad quendam apicem status innocentiæ peruenerit, vt refert Bonau.

Vnxit se myrrha optima ob carnis mortificationem.

5 *Iuditha vnxit se myrrho optimo*, myrrha optima legit Interpres, *idest*, subdit, *carnis mortificatione, vt occidat vermen concupiscentiæ*. Et Francisci anima circa istã spiritalem vnctionem excelluit fermè sine exemplo.

6 *Iuditha in crinis sui discriminatione* solertem *discretionem in distinguendo singulas cogitationes mentis* ostendit, qua Francisci anima peregrina sapientia in separando pretiosum à vili, prædita fuit. In impositione *mitræ* super caput suũ significauit *stabile propositum boni operis in mente*, quod Francisci anima ceu murus æneus, ceu columna ferrea, ceu munitissima Vrbs ab ortu vsque ad obitum mirificè seruauit. In vestimenti iucunditatis suæ indumento opera charitatis, quibus anima Francisci claruit ad stuporem, indicauit.

Et cunctà alla Iudithæ ornamenta spiritualiter assumpsit in Olophernẽ Diabolum.

7 Cum Iuditha Francisci anima *induit sandalia pedibus suis, idest cõgressus operum euangelicis muniuit præceptis*, quibus deinde omnem Minorum legem Franciscus solus inter cunctos Ordinum Monasticorum, seu Regulariũ institutores impleuit. *Assumpsit dextraliola*, *idest remunerationem vitæ æternæ* supra omnem Sanctorum cœtum ob sedis primi Angeli acquisitionem. *Assumpsit & lilia, idest castitatem, & munditiam* virginalem, & ita insignem, vt vulnerum & clauorum Christi meruerit insigniri. *Assumpsit inaures, idest deuotiones obedientiæ* amore cuius nouitio vnius horæ, nedum aliis, & ipsis sociis, quibus promittebat in itineribus obedientiam, & obserbat, subiici cupiebat. Tandem penultimo loco, vt habetur expressè in textu assumpsit & *annulos, idest*, postillat Interpres *signaculum fidei formatæ*. Vnde Lucæ 15. *Date annulum in manu sua. Annulus in manu est fides in opere, vt per opera fides clarescat, & per fidem opera confirmentur*. Vltimò *ornauit se* Iuditha, & cum Iuditha Francisci anima, *omnibus ornamentis*. Idest cæteris virtutibus, quibus ornatur anima, nec simplex anima, sed illius Reparatoris Ecclesiæ, qui penè in cunctis ab ipso ortu vsque ad obitum Redemptori Mundi conformis extitit. Psal. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*.

Multos annulos assumpsit Iudith, & fortè decem

Textus autem Iudith ibi haud dicit assumpsisse vnum annulum, sed plures, numerum autem horum annulorum nequaquam explicat. Verum vbi modo loquimur de anno ortus Francisci sub simbolo annuli in gratiam fidei catholicæ ab ipso reparatæ, ac restitutæ, dicamus tot annulos assumpsisse Iuditham, quot habebat in manibus digitos, vt nulla pars esset in illis, cuius naturalem pulchritudinem annulorum aurum, gemmæque non decorarent. *Digiti dicti* (teste Interprete serm. Dom. 12. post Trinit.) *quia decenter iuncti existant*. Quod autem denotent mistice explicat serm. 1. in die Sancto Pentecostes, & taliter explicat, vt videatur manibus fermè solius hominis spiritualis Francisci, fidei catholicæ Reparatoris, pulchrè conuenire. Scribit enim sic. *Et nota, quod sicut in manibus sunt decẽ digiti, sic sunt decẽ genera disciplinæ. Mortificatio propriæ voluntatis. Abstinentia cibi, & potus. Censura silentij. Vigiliarum in oratione pernoctatio. Lachrymarum effusio. Lectionis discreta occupatio. Corporalis exercitatio. In alterius necessitate compassio. Vilitas habitus. Sui despectus.*

Decẽ digiti in duab. manibus pro decem disciplinæ generib.

Nonne in his decem generibus disciplinæ, veluti in decem digitis, vnus fidei formatissimæ annulus (in annulis decem, haud in substantia, quia *vna fides*, sed varietate operum multiplicatus) isto proprio modo fulsit in Christi, & in Apostolorum digitis, ratione summæ humilitatis in antiqui Draconis interitum (de quo Interpres Dom. 21. post Trinit. vbi dicit, *quod in Dracone notatur spiritus superbiæ*) contra quem sic decuit fabricari, ac fundari Catholica Religio?

Annulus fidei in Frãc. cum decem aliis.

Hæc eadem fides, ac Religio penè vsq; ad omnimodam destructionem ab ipso antiquo Dracone in omni hominũ vtriusque sexus statu redacta erat, introducta denuo in Ecclesia eius pristina superbia per

per propriæ voluntatis mortificationis, abstinentiæ cibi & potus, silentii censuræ, orationis, lachrymarum, sacræ lectionis, corporis spiritualis exercitii, vilitatis habitus, ac sui despectus æradicationem. Hinc vt per reparationem ad pristina quasi exordia reduceretur, decuit iterum reintegrare fidei formatæ signaculū, annulumque, quod esset vnum in substantia, sed in decem aliis operum annulis per decem genera disciplinæ multiplicatum. Imò decuit cum his ipsum denuò apostolicè colligare, & in magnam, fortemque illam cateruam excellenter, nouiterque reducere; de qua Interpres Dom. 21. post Trinit. super illud Apocal. 20.

Sic ligauit magna, ac forti catena draconem Diabolum.

Vidi Angelum descendentem de Cælo, habentem clauem abyssi. Angelus, inquit, est vir iustus, *qui tunc de Cælo descendit, cum vita sua statum in terra viuens secundum cæli puritatem informare satagit*. Talis fuit Frãciscus, vt Angelus veræ pacis tristius, teste Bonau. Hic habet clauem abyssi, & catenam. *Clauis est discretio, qua vir iustus claudit, & aperit abyssum cogitationum. Claudit eum restringit, aperit eum discernit*. Et de Francisco suo canit Ecclesia Franciscana, O Iudex homo mentium. *Catena in manu est pœnitentia in opere*. Vnde catena dicta, quasi capiendo pluribus modis teneat. Dum enim contritio confessioni, confessio satisfactioni, satisfactio dilectioni proximi concatenatur, *fit magna catena, qua vir iustus ligat Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas*. Faciens hanc magnam cœnam Franciscus, eaque capiens Draconem Diabolum, ligansque eum pedibus Ecclesiæ (ceu de ipso per illius reparationem iterū Franc. triumphans sicut tempore Christi, & Apostolorum) sculpsit deinde Christus in annulo suo in memoriam illius anni, in quo, ad annulum catholicæ fidei innouandum exortus, Draconem victum veluti insigne singulare, huiusmodi fidei Francisci Reparatoris de iure debitum.

Annulus fidei cathol. cū draconis icone proprius Franc.

Id autem contigit in actu stigmatizationis; nam consummans tunc per Franciscum magna sanguinis effusione, nouaq; crucifixione trinam Reipublicæ Christianæ, ac fidei Romanæ reparationem, annulumque prædictum illi tradidit. Quod videtur cecinisse ipsum Franciscum in 1. epodo cantici 2. superius allati, vbi de 1. Museo Francisci. Sic enim principiò ter repetens amoris ignem, vulgari prorupit carmine.

In foco l'Amor mi mise,
In foco l'Amor mi mise,
In foco d'Amor mi mise
Il mio Sposo nouello,

In actu stigmatizationis traditū illi à Christo

Quando l'Anel mi mise
L'Agnello amorosello, &c.

Annulus Pyrrhi Regis, qui aduersus Romanos bella gessit, non ignobilis famæ extitit. In illius gemma Achates nouem Musæ, cum insignibus suis singulæ, & Apollo, tenens cytharam, videbantur, non impressis figuris, sed ingenitis. Testatur Solin. cap. 11. probatque ex Plinio, & aliis illud naturæ miraculum Maiolus colloq. 18. de lapidibus. In annulo fidei Francisci totum illud Museum, quod triplex in ipso fuisse demonstrauimus, genuinū procuIdubio est. Sicut etiam pariter Quadriga Solaris in annuli gemma sculptam, quam refert Galenus. Quadrigam enim Solarem Christi, Apostolicam & Euangelicam, de qua agit Interpres aliàs allegatus alibi descripsimus, loquentes de Francisco, & de eius Regula, necnon de nonnullis eius coapostolis, & discipulis. Seleuci annulus anchoram exprimebat. Pompei verò Leonem, Plinii iunioris Bithiniæ Proconsulis quadrigam, & alii aliorum annuli, alia stemmata, seu icones habebant in gemmis? Ipse verò ob allatam rationem in Draconis formam effinxi Francisci annulum in gratiam anni sui ortus, quia hac etiam forma Ægyptii annum significabant. Etiam legimus Regē Macedoniorum, Arium, elegisse in annulo suo Aquilam vnguibus Draconē perstringentem. Vide M.S. nostrum in vita S. Antonii de Padua, vbi de eius ortu.

Pyrrhi annulus cũ ix. Musis, & Apolline.

Quadriga solaris in annuli gemma

In aliis vel anchora, vel quadriga.

Vel Aquila draconē vnguibus perstringens.

Annus Ecclesiasticus, in sua temporum quiniformitate Trinus. Vbi præsertim de Kalendario Gregoriano ad annum 1582. In quo nulla facta est mutatio natalis circa S. Franc. solemnitatem.

VOco Trinum Annum Ecclesiasticū, cuius tempora quinque ad Christianum, Apostolicumque ieiunium ordinata, ob tria, quæ in ipso nunc pendo, & ex quibus dici pòtest nunc chronologicus annalisticus. Nunc historicus diaricus, tunc mathematicus astronomicus. Primum spectat chronologiæ circa certā annorum numerationem, qua vtuntur Annalistæ. Exempli gratia Hebræi à creatione Mundi per eius ætates annos suos calculabant. Romani ab Vrbe condita per Olimpiades. Nos verò à Christi ortu. Secundum, quod modò inspicio in anno Ecclesiastico, respicit historiam Ecclesiasticam diaristicam. Nam ordinans ipsum Eccle-

1. Annus Eccl. chronologicus, annalisticus.

2. historicus diaricus.

3. mathematicus astronomicus.

Ecclesia per suum Calendarium, cuilibet festo singulorum Sãctorum suum propriũ diem assignat. Tertium videtur spectare Mathematicis Astronomicis, quorũ opera in pluribus Ecclesia videtur indigere, maximè circa aureum numerum, Epactarũ Cyclum, Lunationes, & Solis cursum, Literarum Dominicalium, Festa mobilia. Mathematicorum iuuamine anno Domini 1582. Gregorius XIII. reformauit, emendauitque Calendarium, iuxta Moysi præceptum, & Concilii Nicæni præscriptum. Contigit ea emendatio prædicto antea libro quodã Aloysii Lilii, Antonij Lilii, artium, & medicinæ Doctoris. Fratris: hos duos nominat expræsse Constitutio illa 74. cæteros suppresso nomine. Non tamen tacendus Christophorus Clauius S.I. vir in rebus potissimum Astronomicis tunc temporis valde eminens, & inter primos pro reformando Calendario Gregoriano ea tempestate Magister; qui in libro super Sphæram Ioannis de Sacro Bosco demonstrat quatuor. 1. *Vtilitatem* Astronomiæ ad Theologiam, Metaphysicam, Physicam, Medicinam, Poeticam, Nauticam, ac Cosmographiam, ad Rempublicam administrandam. 2. *Necessitatem* pro personis Ecclesiasticis. 3. *Magnum eius pretium* apud veteres. 4. *Delectationem, & voluptatem*, pro qua valdè eam existimauerunt Reges, & Imperatores. Tertium probat, adducens exemplum circa reformationem Calendarii Gregoriani, ita scribens. Viris in Ecclesiastica dignitate constitutis pernecessaria est Astronomia, teste Augustino, ad congressus, oppositionesque Luminarium, ad mobilia festa, & id genus alia, decus & statum Ecclesiæ respicientia accuratius discutienda. Ob cuius Astronomiæ neglectum factum est, vt hactenus vsq; ad annum Domini 1583 à vera sacri Paschatis obseruatione, aliarumque celebritatem mobilium tantum, plerumque exorbitauerimus, vt Iudæi, Turcæ, & cæteræ gentes mirum in modũ ignorantiæ nos arguerint.

Cur sic nuncupetur.

Astronomiæ vtilitas. Necessitas. Magnũ pretium. Voluptas.

Ob eius neglectum Ecclesiæ decor offuscatur.

Quod quidem plurimi, ac grauissimi Mathematici sæpius, ac quidem vehementer deplorauerunt. Cui tamen malo Nicolaus V. Leo X. & plerique alii Pontifices maximi dicuntur sæpe remedium voluisse adhibere, si, vt modò, tunc temporis eximiorum, ac præstantium Astronomorum eis copia fuisset, quibus tutè curã emendandi Calendarii, corrigendique potuissent committere. Habet etenim Astronomia inter cæteras propè modum infinitas, hanc insignem vtilitatem, quod anni certas metas, & partium anni iustã descriptionem, notatis diligenter Aequinoctiis, & Solstitiis Veris, demonstrat, menstrua spatia definit, dierum, noctiumque vices, & interualla, & quantitates accuratissimè metitur, atque distinguit.

Eius inter infinitas prærogatiuas ad Calendariũ dos.

Diuina autem bonitate, ac prouidentia factum tandem est, vt nostris temporibus Gregorius XIII. Pont. Opt. Max. vltimam manum Calendarij Romani correptioni apposuerit, æquinoctiaque ac solstitia ad tempora Concilii Nicæni reduxerit. Quo fit, vt sacrosanctum Pascha cum reliquis festis mobilibus in posterum rectè semper iuxta decreta Sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum sumus celebraturi. *Qua in re & ego annis non paucis iussu eiusdem Summi Pontificis non paucorum study, atque operæ collocaui, ac de explicatione noui Calendarij satis magnum volumen iussu Clementis VIII. Pontificis Maximi anno 1603. edidi.*

Opera Clauii principaliter Calendarium reformatum Gregor. xiii.

Hæc Clauius, & meritò quidem, quia Aloysius ille, quem memorat Constitutio Gregorii prædicti, motiuum proximum dedit ad Calendarii reformationem præsentato ab eius fratre Antonio de Lilio post illius obitum libro quodam egregio de Aureo numero, Equinoctiis, Epactis, Solstitiis, Pleniluniis circa festa mobilia, Aduentus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, festum SS. Trinitatis, Corpus Domini, &c. Quem librũ ipsa Constitutio refert, dicitque in pluribus reuisum, ac melioratum

Verùm sicut hæc quæstio de Paschatis celebratione die Dominico, in quo surrexit Dominus, an cum Hebræis decimaquarta Luna siue sit dies Dominico, siue non, diu vexauit Ecclesiam, teste Bellarmino 2.p. Chronol. sub anno Christi 163. Ita quoque circa præfixionem Equinoctiorum vernalium, & solstitiorum, quæ Hebræi posteriores dereliquerunt, nec amplius expectant, coactam fuisse Ecclesiam, ipsa nolente, errare, idem Bellarm. demonstrat. Nondum enim (quamuis Concilium Nicænum tres regulas inueniendi diem Paschæ constituerit) potuerunt Mahometici ita fixè annum cælestem cum anno nostro accommodare, quin sæpenumero irrepserit aliqua, inuita Ecclesia, errandi occasio.

Quis dederit motiuum proximũ ad Calend. Gregorianum.

1 Regula ad inueniendum Paschæ diem iuxta Concilium Nicænum fuit, vt semper agatur post diem 21. Martii, quia illo die erat æquinoctium Veris, & Pascha post æquinoctium agi debet.

Tres regulæ pro inueniẽda die Paschatis.

2 Regula fuit, vt post 20. Martii expectetur Luna 14. & post eam diem quæreretur Pascha. Pascha enim agi debet in tertia hebdomada Lunæ, idest 14. exclusiuè

siuè, vsque ad 22. exclusiuè. Et ad inueniendum Lunam composuerunt Ciclum aurei numeri. Vbicumque enim in Calendario inuenitur aureus numerus illius anni, ibi est Nouilunium.

3 Regula fuit, vt post Lunam 14. occurrentem post 20. diem Martii expectaretur dies Dominicus, & ille esset Pascha.

Hæ tres regulæ diu antiquæ fuerũt

Istæ regulæ illo tempore, & sequentibus annis multis optimæ fuerunt. Verè enim tunc erat æquinoctium 21. Martii, & verè aureus numerus tunc indicabat diem Nouilunii. At à multis iam sæculis ante annum correptionis experientia docuerat æquinoctium non esse fixum 21. Martii, sed semper anticipare: similiter aureum numerum non indicare amplius nouilunium fideliter. Vnde Bellarminus lib. 3. cap. 12. de cultu Sanctorum in recẽtiores hæreticos eo tempore, quo tractabat illam controuersiam, ita scripsit ad finem capitis citati, referens sextum errorem nostrum circa celebrationem Paschatis. Nunc, ait, æquinoctium est 10. Martii, & nouilunium inuenitur quatuor diebus ante ipsum aureum numerum. *Ex quo intelligimus, tempore Concilij Niceni nõ fuisse exactè deprehensum motum nec Solis, nec Lunæ. Ecclesia autem semper antiquas illas regulas seruat. & inde sæpissimè cogitur errare, etiamsi nolit. Sicut anno superiore, idest 1579. celebratum est Pascha 19. die Aprilis, cum debuisset celebrari 15. Martij.* Hæc Bellarm. qui confutans quintum errorem Nouatianorum, ab hæreticis Lutheranis Magdeburgensibus amplexum, adducit octo rationes in contrarium, quarum postrema duo eiusdem generis miracula continet.

Sed post multa sæcula non ita.

Nouatianor. error circa diem Paschę

Nouatiani decretum ediderunt inscriptum *adiaphoron*, liberum scilicet vnicuique esse, debere agere Pascha quando velit. Vnde Centuriatores cent. 2. cap. 6. col. 119. dicunt, nec Apostolos, nec Apostolicos viros vllam legem dedisse Ecclesiæ de celebratione Paschæ; sed reliquisse Christianis integram libertatem. Et ibidem arguunt Romanos Pontifices, quod propter rem indifferentem excommunicauerint Arianos. Sed Centuriatores longe ante redarguerunt

At contra eos, & modernos sunt

1 Canon 8. Apostolorum, vbi iubentur deponi Episcopi, vel Presbiteri, qui Pascha egerint ante æquinoctium cum Iudæis.

Canon 8. Apost.

2 Veteres Patres, qui semper habuerunt pro hæreticis quotquot pertinaces fuerunt in opinione Asianorum, asserentium, Pascha necessariò agi debere Luna 14. cum Iudæis.

Veteres Patres.

3 Eorundem SS. Patrum de hac re sollicitudo ab ipso huius controuersiæ principio, vnde idcircò celebrata prouincialia Concilia. Eorundem sollicitudo

4 Concilium Nicænum præfatum, in quo post quæstionem de fide cõtra Ariũ, nihil magis dignum sibi visum est, quam diligenter discutere, ac determinare circa diem celebrationis Paschatis. Concilium Nicænum.

5 Concilium Antiochenum cap. 1. in quo excommunicantur qui legem Nicænam de Paschatis dierum non seruant. Concil. Antiochenum.

6 Maxima Patrum cura, quæ semper viguit apud eos, ne erraretur in celebrãdo Paschate. Sicut tempore S. Ambrosii, tempore Innocentii I. tempore Leonis Papæ, &c. Maxima Patrum cura.

7 Generalis prouidentia Ecclesiæ, quæ vt scribit Leo ep 64. ad Martianum delegata fuerat Episcopo Alexandrino cura semper supputandi, & indagandi diem Paschatis, quem ille Apostolicæ Sedi Romanæ indicabat. Ac deinde Apostolica Sedes vniuersæ Ecclesiæ diem illũ præscribebat. Cuius moris meminit etiam Concilium Arelatense 1. cap. 1. & Innoc. I. ep. 11. ad Aurelium. Generalis Ecclef. prouidentia.

Ergo in redargutionem eorundem Magdeburgensium (quorum parens Lutherus subscribens errori quorundam Cappadocum, qui Pascha vt festum immobile semper celebrabant die 25. Martii, placensque sibi hunc ritum, relicta cursus Lunæ obseruatione, ne videremur iudaizare) octaua Bellarm. ratio, quam conantur infringere Magdeburgici, sed frustra, vt ipse demonstrat, ita se habet. Vltimo probatur diuino testimonio, quod refert Paschasius Episcopus Lilibetanus, vir celeberrimus, qui nomine S. Leonis Magni præsedit anno Christi 451. Concilio generali Chalcedonensi iv. 630. Episcoporum contra Eutychetem, & Dioscorum. Scribit ipse ep. ad Leonem, & est 63. inter epist. S. Leonis, ortam fuisse tempore Zozimi Papæ post annos centos à Concilio Nicæno quæstionẽ de Paschate, quod Occidentales dicerent Pascha celebrandũ illo anno 25. die Martii. Orientales autem 22 Aprilis. *Porrò in quadam Ecclesia Siciliæ solebat singulis annis sacer fons diuino miraculo per se repleri ipsa nocte Paschatis, qua Catechumeni baptizandi erant. Illo autem anno cum ex præscripto Zozimi Pascha ageretur 25. Martij, fons inanis, & aridus mansit. Deinde 22. Aprilis fons repletus est, atque ex eo intellectum est, errasse Occidentales in celebratione Pascha.*

Error de Paschatis die celebrat sub Papa Zozimo miraculo detectus.

Quale miraculum contigisse etiam anno Domini 573. scribit Sigebertus in Chronico; eo enim, inquit, anno fons

Baptis-

Baptismalis in Hispania diuinitus impletus est in Sabbato veri Paschatis, quod tunc Galli rectè seruabant, Hispani autẽ malè. Quare si res esset omninò indifferens, vt putant cum Nouatianis Lutherani Brandeburgici, nunquam Deus talibus miraculis commissum errorẽ demonstrasset. Anno illo prædicto 1579.in qup error ille contigit circa celebrationem Paschatis ob deperditam ab æquinoctio vernali sedem propriam cępit affigi aureus numerus Calendarii Gregoriani.

Lex iudaica de Paschate 14. Luna 1. mensis.

Lex Iudaica Exod.12.præcipit Pascha fieri post æquinoctiũ vernum; iubet enim fieri Luna 14.primi mensis, qui is erat, cuius decimaquarta dies incidebat in æquinoctium vernum, aut illud proximè sequebatur. Vnde etiam Iosephus lib. 7. Antiquit.cap.13.dicit Pascha fieri, Sole in Ariete existente, & opposito ipsi Lunæ. Quem ritum iuxta Concilium Nicænum Ecclesia Catholica semper tenuit veluti typum diei Paschatis Christianorum, licet sæpè inuita errauerit. Et sic eò amplius reperta est nunquam iudaizare suos permisisse, quo Iudæi posteriores Iosepho, vt notat Epiph. hæres.70. non amplius obseruabant æquinoctium. Vnde facti ipsi cœci & Duces cœcorum, videbantur sequi ab illis Christianis, qui cum Iudæis Pascha faciebãt, ac proinde merito damnati. Putabant hi sequi legem Iudæorum cum reuera delirium Iudæorum sui temporis sequerentur, ex quo videbãtur cogi vno anno bis Pascha facare, & alio anno nunquam. Quod demonstrat Bellarm. ibidem ad secundum errorem de Paschate contra Quartadecimanos, qui innitebantur ritui Ioannis Euangelistæ, semper celebrantis Pascha die 14. siue esset Dominica, siue non. At Ioannes Euangelista voluit se Iudæis ad fidem conuersis in illis initiis accommodare, quod & Apostolus Paulus ob eandem causam circumcidit Timotheum. Apostolus tamen Petrus Romæ instituit, Pascha fieri die Dominico, & hoc magis esse sequendum. Vide Bedam lib.3.histor.cap.25. apud eundem Bellarm.

Hanc sẽper tenuit, tenetque catholica Eccl. etsi erret aliquãdo.

Quartadecimanorũ error.

Gregorius ergo XIII.vt omnem ansam errandi circa rem hanc è medio tolleret correxit Calendarium anno Christi 1582. sicut constituerat Concilium Tridentinũ, cuius priorem partem circa Breuiarium perfecerat Pius V.sed posteriorem circa Calendarium ipse Gregorius, post longũ studium, maximamque curam insigniorũ Mathematicorum sui temporis, suã correptionem infallibilem se reddidisse, haud immeritò credidit; non enim antequam omnibus Principibus Christianis eã mitteret perpendendam, examinandam, probandamque tradere voluit Ecclesiæ, eiq; mandare, vt obseruetur, prout adhuc obseruat. Ipse, vt aiunt, & Æquinoctium Vernum restituit in pristinam sedem, a qua iam à Concilio Nicæno vsq: ad præfatum annum 1582. decem circiter diebus præcedendo recesserat, quod à Concilio ad 12.Calend. Aprilis fuerat constitutum, & xiv. Lunam, Paschatem suo in loco reposuit. Insuper idem Pontifex viam quoque tradidit, & rationem, qua caueatur, vt in posterum & æquinoctium vernum, & 14.Luna Paschalis à propriis sedibus nunquam remouerentur. Quid etiam agendum docuit, quando Luna 14. cadet in die Dominico, ne cum Iudæis in aliquo conueniremus.

Calendarii Gregoriani constitutio circa Pascha

Diligentia ne vnquam cum hebręis communicemus.

A Concilio Nicæno anno Christi 318. celebratum vsque ad præsentem diẽ præcesserunt anni 1348. Per tot annorum centurias semper studuit Ecclesia Catholica circa Paschæ celebrationem die Dominico, in quo Christus resurrexit, in nullo cum Hebræis conuenire, & in omnibus præcepto Moysi, & Concilio Nicæno sese conformare. Sæpè errauit, eo quod repertum est tempore Concilii Nicæni motum nec Solis, nec Lunæ fuisse exactè depræhensum. Illa generali Ecclesiæ prouidentia, de qua paulò ante ex epist.64. Leonis ad Martianum optima quidem tunc temporis extitit, atque vt profectò talem, & vt forte regulam, & exemplar temporum futurorum, ipsam retulit loco cit. Bellarm.

Sed quod nunc ipse animaduerto in proposito nostro illud est, quod cum à canonizatione B.Francisci, facta à Gregorio IX.Perusiæ anno 1228.post annum secundum illius obitus vsque ad annum 1582.in quo Gregorius XIII. reformauit Calendarium, præterierũt anni 438.nihil tamen in eo anno innouatum est circa diem obitus, & festum S.Francisci. Nam post diem 4.Octobris immediatè, scilicet dies 5.in quo obiit S.Theresia per subtractionem decem dierum à dicto mense Octobr. dictus est decimus quintus. Atq; in eo tota moles illius reformationis fũdata, ac stabilita est. Ita explicat Breuiarium Romanum vbi de anni correctione, eiusque necessitate, ac Calendario Gregoriano iuxta tenorem memoratæ Constitutionis. *Vt enim* (inquit num.5.) *Aequinoctium Vernum ad 12. Calend. Aprilis restitueretur, statuit Gregor. XIII. vt dicti decem dies in mense Octobri ipsius anni 1582. eximerentur, vt post quartam diem Octobris, Sancto Francisco sacram sequens dies non esset quinta, sed decimaquinta Octobris. Et ita error,*

Nulla facta est mutatio circa festum S.Franc.

error, *qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correptus*. Hinc est, quod iuxta hanc Calendarii Gregoriani emendationem festum S. Teresiæ, quam canonizauit Gregorius XV. & facta est dupliciter Gregoriana, cadit haud in die 5. Octobris, in quo decessit bis Seraphica Virgo illa (anima, etsi non habitu Franciscana) sed in die decimaquinta.

Festi S. Theresiæ celebratio.

Ex hoc arcano colligimus, annum Ecclesiasticum in sua Gregoriana correctione, Mathematicorum industria elaborata, respexisse ad venerationem Reparatoris Ecclesiæ, pro quo, sic Deo ordinante, nulla facta est sibi mutatio circa illius solemnitatem ad diem 4. Octob. in qua etiam ille natus est. Pari modo dicimus eundem annum Ecclesiasticum ante correctionem ortum Francisci quiniformiter respexisse veluti ab ipso nouiter felicitatum, ceu præmonstratiuum tam magni viri, qui virtutem abstinentiæ per ieiuniū ecclesiasticum in cętu fidelium sicut tēpore Christi, & Apostolorum, quadragesimæ quadragesimas, tēporibus tempora superaddens, nouo quodam modo restitueret. Quinque sua tempora Annus Ecclesiasticus ea peculiarissima facit, in quibus solemnia, publicaque celebrat ieiunia. Primū tempus quadragesimā inspicit quatuor alia quatuor anni circulationes, in quarū qualibet tria ieiunia vna hebdomada persoluenda præcipit Ecclesia.

Cur Festum S. Franc. in suo loco relictum.

Agit breui synopsi Interpres noster de isto ieiunii Anni Ecclesiastici quinario in serm. 3. Dom. 1. Quadrag. Eius doctrinam, vnde nonnulla peculiaria arcana circa legem Minorum abbreuiatam, & in vigilia S. Andreæ Apostoli per Honorium III. Bulla Apostolica confirmatam, prælibauimus, ibi reperiet Lector. Quare pariforma hic eam nunc anticipatè repetere haud puto necessarium; & eo maxime, quoniam id, quod breui modo afferre placet, satis erit profectò, quia diuersa continet arcana ab ea, quæ ibi Minorum Legem peculiariter complectuntur.

Quinarium ieiunii anni ecclesiast.

In actuali ieiunio quadragesimæ S. Michaelis Archangeli de mense Septembri recepit Franciscus Sacra Stigmata, & tot numero ipsa recepit, quot tempora singulis annis ieiunium suum celebrat Ecclesia. Sic Christus Bulla sua sanguinea roborans tres Francisci legislationes (vt fusè probabimus ex Bonauentura in posteriori Tomo) declarauit quoq; ipsum Franciscum in virtute ieiunii triformem, completūq; Fidei Romanæ Reparatorē. Pariterque ostendit, quod in eius ortu felicissimus potuit dici Annus ille Ecclesiasticus, ceu quinque suorū ieiunii temporum indicatiuus, quod quinquie etiam ad gloriā ieiunii plagandus erat à Christo Franciscus ieiunans, vt nulla remaneret in Ecclesia pars, quæ ab eo reparata non esset completissimè.

Quinq. Fräc. stigmata ad quinq. tēpora anni Eccles. quomodo referēda.

Virtus abstinentiæ corporalis per ieiunium, & etiam quadragesimæ quatuor temporum poterat in illo ortus Francisci anno his verbis exultare. Infelicissimè tempora mea iam à multis sæculis pertransiere, & adhuc miserrimè perseuerāt, nam sanguinis prædominium in vere augens in dies Christianorum in quolibet hominum sexu, & statu ad luxuriandum sine vllo pudore stimulos, corrumpensque idcirco omnis caro viam suam, finem vniuersæ carnis iam venisse, vel adminus imminere probatur. Prædominium coleræ in æstate ad iracundiam mortaliū pectora prouocantis, & hæc ad impia bella, barbarasque tyrannides Ecclesiam Catholicam penè funditus erutā in dies constituunt. Prædominium malancholiæ in Autumno ad tam monstrosam sobolescentiā nutriit adhuc, educauitq; capitale acediæ vitiū inter Ecclesiasticos, Religiosos, sæculares, et Domus orationis, quæ est Domus Dei, in latronum speluncam palā redacta videatur. Prædominium phlegmatis in Hieme in tam magnam duxit pigritiam, ignauiamque (vnde omnis amplexandi virtutum facinora cōtristatio) rerum sacrarum studium, potissimū circa ea, quæ sunt fidei, quæque faciunt ad bonos mores, ad Dei cultum, atque ad Religionis profectum, vt in communem profanationem ob illius ablationē omnimodā sacrilega impietate transierit, vicinissimumque Ecclesiæ excidium indicarit.

Prosopopeia virtutis abstinetiæ corporalis in Franc. ortu adgaudētis.

Hæc sunt quatuor anni Ecclesiastici tempora, & in his hodie quatuor prædicti humores dominanrur, imò liberrimè debaccantur, omnia fidei bona depopulantes. Sed cur ita? Certè ex eo, quia ieiunandi lex, ad horum humorum reprimendam insolentiam, ac petulantiam, necnon & vitia, quæ ex hisce oriri solent, instituta, excidit omninò, nec amplius obseruatur, imò contemnitur, persequitur, impugnatur. *Aduertendum* (ait Interpres loco cit. ex Innocentio III. approbans abstinentiæ prosopopeiam) *quod Ecclesia tradidit hæc quatuor ieiunia quatuor temporum, ad quatuor humores, quibus in quatuor prolabimur vitia, temperandos*. Nam in *Vere* dominatur *sanguis*, quo homines ad *luxuriam* stimulantur. In *Æstate cholera*, qua ad *iracundiam* excitantur. In *Autumno melancholia*, qua ad *acediam*, siue

Quatuor ieiunii Eccles. tempora cōtra quatuor vitia instituta.

mesti-

Luxuriã, iracundiã, acediam, pigritiam.

mestitiam inclinantur. *In Hieme phlegma, qua ad pigritiam* applicantur. *Ad horum quatuor humorum effectum comprimendum spirituali medicina voluit in anno Ecclesia hac quatuor tempora ieiunari.*

Sed iam natus est (subdit abstinentia) Reparator Ecclesiæ, ob cuius ortum fas est modo omnem mœrorem in veram, plenamque hilaritatem conuertere. Hic hic cælestis Infantulus, in stabulo in medio duorum animalium natus, dum plorat, & flet, apparuisse gratiam Dei Saluatoris nostri diebus istis nouissimis ostẽdit, vt quamcitius in talis gratiæ filii exemplo tota erudiretur Ecclesia, atque ad se funditus restaurandam, renouandãque, funditus quoque impietatem, & sæcularia desideria abnegaret, Christo conformiter viueret, signumque pœnitentialis Crucis mea manu explicandum sequeretur, iam tum quatuor anni temporibus, tum quadragesimalis ieiunii tempore feliciter renouandis, ac meliorandis per vitæ Apostolicæ restitutionem, ac reuiuiscentiam. Hæc protulit abstinentiæ corporalis ieiunii virtus in signum lætitiæ ob Francisci ortum, cuius primus fletus, ploratusque in stabulo quintum quoq; tempus ieiunandi quadraginta diebus singulis annis, exemplo Moysi, Eliæ, & Christi, iuxta præceptum Ecclesiæ, atque etiam ratione misteiii præmonstrauit.

Primos Frãc. in stabulo ploratus tẽpus quadragesimæ præmonstrauit.

Nec quidem circa hoc quintum tempus me fallit Interpres, qui post explicatas causas numeri dierum quadragesimæ, ita annectit loco cit. Potest etiam alia ratio assignari, pro eo quod numerus 40. est numerus pœnitentiæ, & laboris, in cuius figuram fuit populus Israel 40. annis in deserto. *In cuius signum puer statim natus plorat, non tamen ridet citra quadragesimum diem, vt dicit Philosophus in libro de Animalibus. Designans, quod est vita pænitentiæ, non gaudij, sed mæroris.*

Aduertendum etiam, quod Annus ille Ecclesiasticus ortus Francisci erat annus *embolismalis* (vt paulò post dicimus iuxta sententiam recentiorum) scilicet erat annus excrescens. Pariter de numero 40. dierum quadragesimæ profert Interpres ibidem ex Innocentio tres causas, quarum prima cõtinet tria exempla, scilicet Moysis ante legem, Eliæ in medio legis, Christi in fine legis. Secunda causa amplectitur præceptum nobis factum circa decimas ex omnibus soluendas, *quod etiam ad decimas temporis debet extendi*. Tertia causa, ait, *propter misterium designatum. Quadragenarius enim numerus est abundans, cuius partes aliquota simul iuncta ad quinquagenarium Iubilai, qui requiem, & remissionem signat, perueniunt*. Hæc Innocentius, claudit Interpres.

Numer. 40. dierũ ieiunii exemplaris præceptiuus & misterialis est, scilicet abundãs.

Istam pariter abundantem excrescentiã ipse aduerto in ieiunio quatuor temporum iuxta doctrinam eiusdem Innocentii, quam referens Interpres ibi paulo ante, vbi post explicatam causam prioris ieiunii Ecclesiastici, scilicet vigiliarum, ita sequitur de secundo ieiunio.

Secundum est quatuor temporum, & istud correspondet primitiis, quas Populus Israel tenebatur offerre. Has primitias Ecclesiæ non solum ad fructus, sed etiam ad tempus voluit adimplere, & ideo statuit, *quod iuxta quatuor tempora anni, videlicet Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemẽ quatuor temporibus homines ieiunarent*, in qualibet vice *tribus diebus iuxta numerum trium mensium, in quolibet præmissorum temporum contentorum. Et sic sunt duodecim ieiunia iuxta numerum tot mensium*. Hucusq; Interpres ex Innocentio.

Ieiunia 4. tẽporum 12. iuxta numerũ mẽsiũ totius anni.

Inter numeros pares, quos nuncupant vel perfectiuos, vel defectiuos, vel superexcedentes, & abundantes, ponunt Arithmetici communiter numerum duodenarium. Quem cum intrent 12. vnitates, 6. dualitates, 4. ternarii, 3. quaternarii, & duo senarii, partibus quinque, quæ sunt 1. 2. 3. 4. 5. necessariò conflatur. Hæ partes simul iunctæ, atque enumeratæ augent numerum ad quatuor plus: nam non remanet amplius 12. sed excedit vsque ad numerum 16. Itaque quemadmodum Innocentius numerum 40. dierum ieiunii quadragesimalis in eius accretione vsque ad numerum 50. misteriale dicit, quia vt superabundans, superabundantem Iubilæi gratiam denotat, pariter & ipse numerum duodenarium in 12. ad paritatem mensium quatuor temporum ieiunii Dei gratiam perabundantem significare non ambigo. Vtramque gratiæ Dei abundantis effusionis tum in ieiunio quadragesimali, tum in ieiunio quatuor temporum quasi funditus exiccauerat communis fidelium ingratitudo, quia omnia Dei, & Ecclesiæ præcepta in maximum, extremumque contemptum adeo tunc peruenerant, vt non amplius videretur expectandum tempus à Dei clementia pro remedio, sed potius à Dei vindicta Ecclesiæ omnis deplorandam cernere eradicationem. Misit tamen Deus, præualens iræ suæ Matris suæ clementia, remedium, misso cælitus Francisco, vt ex omni parte collapsam, vndique quoque repararet Ecclesiam; & quoad ieiunii tempora longè abundantem per Ecclesiam Minorum redderet ipsam vltra numerum, ab ea omnibus antea præfixum. Ieiuniorum nume-

Numerus 12. est numerus superabundans.

Dei gratiam superabundãtem indicat.

numerus, cunctis fidelibus cuiusuis professionis communis explet summam 62. Nam 40. spectant ad quadragesimam. Duodecim ad quatuor tempora. Decem ad solemnitates principaliores festorum immobilium, vt Christi, B. Virginis, & Apostolorum; vel mobilium, vt est festum Pentecostes solummodo. Sciendū tamen ieiunia tria quatuor temporum post Cineres connumerari inter 40. ieiunia quadragesimæ; ac per consequens numerus ieiuniorum quoad impletionem pręcepti apud omnes constabit ex 59.

Christiani ad 59. ieiunia obligantur.

Veniens autem Franciscus, & instituens tres Ordines, adeo pœnitentiam circa abstinentiam ieiunii spiritualis, & corporalis restituit, reparauitque, auxitque per solum Ordinem Minorum, addens supra illum numerum alia ieiunia 88. quorum 40. ex præcepto sub mortali. incipiunt à festo omnium Sanctorum, vsq; ad Natiuitatem Domini, cætera verò 48. etiā sub mortali singulis sextis feriis per totum annum astringunt. Ipse tamen Vir Sanctus in tota vita sua septem quadragesimas magno ieiunii rigore seruauit. Quæ autem obligant Minores quadragesimæ, duæ sunt, altera est quadragesima solita Ecclesiæ, cunctis Christianis communis, altera autem est quadragesima omnium Sanctorum, &c. Igitur Annus ipse Ecclesiasticus embolismalis in ortu Francisci quodam præsagium fuit de sua excedenti innouatione circa sua quinque ieiunii tempora vsque ad medietatem, & amplius. Quæ enim instituit ieiunii tempora Franciscus, nouus Christi Moyses, nouus Elias, nouusque Christifer in sua lege, qua legem Christi, & eius Ecclesiam reparauit, additis tēporibus ipsis, ab Ecclesia 62. ieiuniis celebratis ante reparationē, reduxerūt ieiuniorum summam ad numerum materialem 150. A quo numero exclusis quantum ad præcepti adimpletionem ieiunii; quatuor temporum, post Cineres, & post D. Luciam, hæc in quadragesima omnium Sanctorum contingunt, & octo alijs sextarum feriarum, quorum quatuor in quatuortemporibus, quatuor verò in quadragesima communi succedunt, remanent omnia Minorum ieiunia sub numero 136. Quibus omnibus vsque ad finem Mundi abstinentiæ corporalis in Ecclesia per Minores reparatio prosequenda est.

Quàm amplè pœnitentiā per ieiunia restituit Franc.

Minores vero ad 150. ieiunia cū illis christianorum, tenentur.

Nunc denique occurrit nobis Annus Ecclesiasticus prout respicit Chronologorum Annalistarum arithmeticam supputationem, & hanc primo loco posuimus; nam de anno ortus Francisci diarístico immediatè agendum. Sed incepimus ab eius parte mathematica, seu astronomica veluti à digniori, & eminētiori. Annalistæ ergo nostri iuxta chronologiam temporum sunt varii anno vno circa Francisci ortum. Alii dicunt ipsum natum esse Anno Domini 1181. quam sententiam mihi amplecti placuit tom. 1. Hierarchiæ in principio. Alii verò cum Baronio annum sequentem 1182. ortui Francisci præfigunt. Sic Vadingus, & post ipsum alii posteriores ferè omnes. Vide loc. cit. Hierarch. Iuxta hanc alteram sententiam (quam videtur sequi Franciscus Bordonus, Vir doctus, & pius, in suo Chronologio Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis S. Francisci num. 1. cap. 11. de origine & vita S. Franc, sed inconstanter, vt patere potest ibi statim, nisi velit dicere 1182. vt ex mox adnotandis) ita scribit sub num. 17. eiusdem cap. loquens de anno Embolesmali. *Annus ipse natiuitis Francisci 2182.* (sed num. 1. cit in principio, *Franciscus*, inquit, *diuina affluente gratia, ortus est anno Dom. millesimo centesimo octuogesimo primo.* hic soluta oratione, ibi arithmeticè anno vno minus plusq; notatur annus Christi) *fuit præsagus, & signauit tot mirabilia quæ egit: in eo quod annus ille fuit Embolismalis, idest excedens alios communes in vna lunatione triginta dierum. Arguens B. Franciscum futurum esse magnum virum, alios excedens in quamplurimis virtutibus, &c.* Probationem eius vide loco cit. Hierarch. nostræ fol. 21.

Annus Ecclesiasticus ortus Franc. iuxta Chronologistas.

Fuit annus ortus Franc. superabundans in vna lunatione.

Et audi etiam eundem Authorem ad finem prædicti numeri ita se protestantē, Scio magnitudinem virtutis S. Francisci non dependere ab influxu Lunæ, aut alterius astri, sed à diuina prouidentia, & gratia Dei. Nihilominus prædicta notaui, vt demonstrarem, astra & cætera insensibilia creata esse pro seruitute hominum, dum aliquo modo per eorum notitiam speculamur opera hominum, & seruorum Dei. *Prædicta calculatio est vera. & certa inspectione Calendariorum Ecclesiasticorum apud Clauium, Ioannem Lucidū, & alios Scriptores.* Hęc Bordonus ibi, cuius protestatio, protestationi meæ similis, superius adductæ ad signum cæleste conceptionis Francisci, haud tantæ profectò necessitatis, quia eius & mea circa rem hanc pertractatio astronomico-mistica est, non autem astrologica, genethlaica, innumeris mathematicorum deliramētis conferta. Scimus enim magnos Sanctos, & maximè humillimum Franciscum, ab ipso sui ortu Solem, & Lunam admirari, & idcirco esse productos, vt eis seruirent astra matutina; non autem vt astrorum influentiis subiacerent. Vbi autem certā dicit

Astra, & alia insensibilia creata sunt ad seruitutē hominum.

dicit etiam Calendariorum Ecclesiasticorum inspectionem, haud proinde vult demonstrare infallibilem, vt ex prædictis ex Bellarmino patet.

Quid embolismus iuxta legem epactarum, & lunationum.

Est Embolismus intercalatio, quæ solet fieri vt annorum ratio cum Solis cursu conueniat. Excessus annorum per integras lunationes embolismales est ratione Epactarum. Epacta enim nihil aliud est, quam numerus dierum quibus annus solaris communis dierum 365. annum communem lunarem dierũ 354. superat diebus 11. Cum autem omnes Epactæ circa nouilunia potissimum inuenienda percurrant per continuum augumentum dies vndecim, in quibus annus Lunaris anno Solari minus est, quotiens earum augumentum excedit numerum dierum triginta, vt sint exempli gratia 33. reiiciendi sunt dies illi 30. quos vocant intercalares, seu interpositi, aliàs vna lunatione embolismali, scilicet diebus triginta annus ille maior esset. Nec ratio solaris anni sine illa detractione, quotiens facienda est, cũ anno Lunari posset conuenire in Calendario iuxta regulam epactarum. Concedendo igitur, Franciscum in anno superfluenti vna integra lunatione embolismali natum fuisse, cum Bordono, concedimus etiam præsagum fuisse superfluentiæ gratiarum, donorumque, amplè Franc. elargiendorũ, & per Francisci ortum peculiarissimæ, atque copiosissimæ gratiæ reparationis Ecclesiæ præmonstrasse abundantiam. Hanc enim nõ tacuit Bonau. incipiens pertractare gesta Francisci illis verbis, *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri Iesu Christi*, quibus verbis vtitur Ecclesia in epist. 1. Missæ Natiuitatis Domini. Sed id superius explicatum.

Gratia reparationis Eccles. perabũdans fuit.

Verum Baronius (alibi pluries datus, & variè explicatus) alia loquendi forma, & quidem profundissima, arcanis plena, ac valde propria, huiusmodi gratiæ cælestis superfluentiam in ortu Francisci, tã respectu sui, quam totius Christianæ Reipublicæ, ostendit tom. 12. ann. 1182. *Planè Deus*, ait, *Ecclesiam suam in deterius declinantem, collabente deprauata morum disciplina, ad erigendam eam, in conflatorio diuini spiritus hunc Apostolicum formauit hominem. Qui mundi contemptum, ac paupertatem non affectu tantum (quod ad Sanctorum Patrum imitationem sufficere potuisset) sed effectu etiam consecutus est*. Conflatorium à conflare deriuatum, hic Baronius accipit locum illum, in quo metalla liquefieri solẽt. Interdum enim conflare est liquefacere & signare. Vnde conflare argenteam supellectilem, est liquefacere, & in massam redigere, scribunt Latini Interpretes. Et

Quam superfluens Dei gratia in ef. fo matione Franc. in cõflatorio Spiritus Sancti.

conflata pecunia idem est apud ipsos ac signata postquam ex massa liquefacta ad cudendi formam redacta est.

Vbi autem conflatoriis vtuntur metallorum artifices circa res liquefaciendas, signandasq; superabundans ignis necessarius multum quidem illis est. Pari modo Deus (voluit dicere Baron. in eo Franc. ortus anno) volens Franciscum efformare, ipsumq; liquefecit in conflatorio Spiritus Sancti. Ibi liquefacta eius anima, & vterque simul eius homo in Dei amore liquefactus, totusq; ignis effectus ex Bonau. in optimam formam deinde redactus est, vt vterque pariter homo aptus esset ad recipiendam sacrorum stigmatũ consignationẽ. Ibi superabundans ignis diuinus abundans delictorum gelu, sub quo præceps reperiebatur Ecclesia, resoluit in nihilum. Vnde si de Christo Redemptore, Patri suo obedienti intonuit Apostolus Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia*, incepit postea Bonauentura de Francisco Reparatore obedienti Christo suo, cui ter dixerat de Cruce, *Vade Francisce, & repara, &c. Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri, &c.* Et gratia Saluatoris tũc idcirco fuit, vt gratia superabundans per superabundantissimũ ignem, è Cælo missum iterum arderet terrã. Nec certè potuisset Franci. humeris suis erigere Lateranam Basilicam ne funditus rueret, vt vidit Innoc. III. nisi abunde superabundans ignis Spiritus Sancti per ipsum vim maximam faceret in ponderosissimam, frigidissimamque, ingentemque criminum molem, vt eam radicitus explantaret. *Planè Deus* &c.

Frãc. vtroq; homine diuinitus liquefactus, & cõsignatus.

Ortus Francisci eo anno 1181. in Autumno de Mense Octobris.

AVTVMNVS quidã misticus totius magni anni Fidei Romanæ Iubilęi orbisq; orthdoxi nũcupandus Frãc. cuius ortus Autumno à summa pientissimi Numinis prouidentia destinatus. Et Autumnus, si in eo naturam spectes, tertia pars anni, cæteris tribus aliis pluribus ex causis præferenda. Pars Autumnalis tribus mensibus cõflata inter æstatem, & hyemẽ media est. Hinc melior, & pretiosior sicut virtus, quæ in medio consistit, qua nihil in nobis melius, nihil pretiosius. In hac fiunt moraliter vindemiæ bonorũ morum, collectiones fructuum meritorũ, quemadmodum in Autumno omnia hæc naturaliter fiunt. In Autumno deriuationem

Franc. veluti misticus anni fidei Romanæ Autumnus.

nē si respicis, habes ex nonnullis apud Festum Pompeium, *ipsum ita nuncupari ab agendo. Quod eo tempore coactis fructibus agricolarū opes maximè augentur*. Sic Franciscus ad augendam, erigendamque Ecclesiam, vsque in interitum diminutam, & proiectam, missus est.

Autumni præconia super cæteras anni partes,

Nec quidē fabulosi existimandi Poetę illi, qui Autumni laudū præconia canentes, eumque anni virilitatem, ad ipsius promeritam declarandam eminentiam, nuncupantes. Quemadmodum enim virilitas in homine ætas cunctis aliis perfectior est, ita pariter & aliis anni partibus Autumnus; vtpotè quia in ipso omnia naturæ bona in summa perfectione deueniunt. *Ver* floribus, herbisque abundat, non autem fructibus. *Aestas* habet fructus, hi tamen eo tempore haud sapidi, nec boni sunt nutrimenti. *Hyems* quas habet herbas, exsiccatæ sunt, quas habet & plantas sine frondibus sunt, quos habet fructus, si ex Autumno habet collectos, vel maiori ex parte saporem & colorem amiserunt, vel si non in totum, quod rarò contigit, saltem semiputruerunt. Si verò habet hyems fructus ex maxima colonum industria, & arte, semper extra tempus erunt, ac proindè languidi, imperfecti, illegitimi. Solus Autumnus gloriari potest se habere fructus non solū integra bonitate maturos, & optimos, verum etiam ipsum esse florem omnium fructuum, summè perfectorum, atque ad nutrimentum egregiè exquisitorum. Inter quos dum vindemię diuitię eminēt, hæ solæ, quando aliæ dotes non fuissent, sufficerent proculdubio, vt veluti Regem temporum Verni, Æstatis, Hyemisque Autumni tempus constituamus. Vnde Statius

Coronandus vt temporū Rex racemis suis Autumnus,

Ditemque precatur
Autumnum, & charis gaudet redimita racemis.

Ad hanc Autumni regiam quasi eminentiam referunt recentiores responsum ad quæstionem illam Plutarci, *Cur circa finem Autumni voraciores simus*. Inquiunt enim sic. Vernum tempus ventosum est. Æstiuum ardens. Hiems gelatum. Solum Autumni tempus est temperatum, & adeo hac prærogatiua excellit, vt temperies, quæ experitur in Vere, Autumnalē temperiem in nullo æquare possit. Hinc transitus ille à vehementi æstatis calore, cuius causa elanguentes spiritus comedendi appetitum remittunt, ad Autumni temperiem, ob quam iidem spiritus reuiuiscunt, ad fames nos prouocat.

Cur circa finē Autumni voraciores simus.

Hæ & aliæ referuntur Autumni excellentiæ, vt ipsum pretiosis redimitum racemis super alias anni partes, Principem, Regemque constituant. Sed cunctas vno simplici, ac breui symbolo clausit Interpres noster in serm. Dom. in sexagesimam. Explicans enim ibi textum Gen. 26. nuper citatum, *Seminauit Isaac in terra Gerasa, & in ipso anno inuenit centuplum*, postquam constituerit Christum Annum misticum remissionis & gratiæ per tria seminum genera, & pro *Vere* intellexerit in eius vita tempus prædicationis suæ. Pro *Aestate* tempus passionis suæ. Pro *Hyeme* tempus persecutionis suæ. Pro *Autumno* demum intellexit Resurrectionem suam, *qua exsufflatis paleis pœnalitatis, & puluere mortalitatis, illa humanitas Verbi gloriosa, & immortalis reposita est in cellario, idest ad dexteram Dei Patris*.

Quatuor anni partes in vita Christi misticè.

Autumnus pro eius resurrectione.

Sed aduertenda vltima postilla Interpretis super illud, Et in ipso anno inuenit centuplum. *Idest*, inquit, *elegit Apostolos, quibus dictum est, centuplum accipietis, &c.* Istud idem centuplum inueniens Franciscus in reparatione Ecclesiæ, quod antea in eius fundatione inuenerat Christus: & veluti exemplar solius Francisci in eadē reparatione, è Cruce illi ter ex se immediatè præcepta, constituerat vt vitā quoq; suam ceu nouum annum remissionis, & benignitatis mortalibus exhiberet. Factus & ipse in magno Ecclesiæ anno veluti, nouum in prædicatione Ver. Noua in Passione Aestas. Nouus in persecutione Hyems. Nouus in Resurrectione Autumnus: haud surgens corpore, sed surgens gradu, sublimiter, ac gloriosè euectus vsque ad Luciferi sedem.

Hæc quatuor etiam tempora in vita Franc.

Atq; in his quatuor partibus anni vitæ Christi vnicè simillimus. Imò in iisdem partibus factus vnus nouus Autumnus, quadriformiter vnus, quatenus ipse solus electus, vt à morte spirituali ad vitā gratiæ gloriosè Ecclesia tota, & in Vere eius prædicationis, & in Aestate eius Passionis, & in Hyeme ejus persecutionis resurgeret. Iam in mira altissimæ paupertatis institutione, & obseruantia Rex perdiues Regni Cælorum constitutus, nec alio diademate, nisi Racemorum ditissimæ vindemiæ, scilicet donorum, & meritorum splendidè redimitus. Eundem Autumnum, quem destinauit ad ortum Francisci Deus, destinauit, & ad obitū, vt sicut in ortu ostendebat eum gloriosæ resurrectionis Ecclesiæ Principem, ita pariter & in obitu eleuans ipsū ad principem omnium Angelorum thronum.

Ipse Autumnus quadriformiter vnus.

Accipe alium arcanum. Inter quatuor Anni tempora iuxta numerationem, quæ incipit ab æquinoctio vernali, tertio loco in ordine ponitur Autumnus, trium aliorum

stercora reputabant. Hæc ibi Interpres.

Tria communissima vitia, veluti tres omnium malorum radices, scilicet superbia, luxuria, auaritia, de quibus toties dictum est, Autumnum Ecclesiæ pene mutauerant in Hiemem. Imò ipsam Ecclesiam adeo peruerterant, vt supra caput eius Luna reperiretur instar stellarum coronæ, ab ea maxima appretiatione complexæ, & sub pedibus eius corona stellarū duodecim instar Lunæ, ab ea vt stercora conculcandæ. Ac propterea eius solaris amictus in nigram vestem mutatus. Sic quasi amittens sua pristina fundamenta, ab ipsis fundamentis collabentem conspexit ipsam supra humeros Francisci Summus Pontifex Innocentius III. ceu ipse Franciscus idoneus à Deo repertus esset, vt ad pristinum statum Ecclesiam ipsam reduceret. Restituendo ipsi coronam stellarum in capite. Iterumque Sole Christo eam vestiendo. Pedibusque suis Lunā sicut tempore Apostolorum conculcandam supponendo.

Hinc est, quod idcircò iuxta Interpretis nostri doctrinam, reperio Franciscum quasi in ipsam imaginem Ecclesiæ transformatum. Sequitur namque ibidem immediatè, transiens à sensu allegorico ad moralem, intelligensque pro Muliere *amicta Sole* fidelem animam, in hunc modum. *Amicta Sole*. Tria sunt in Sole, candor, splendor, calor. *In candore castitas. In splendore humilitas. In calore charitas. Ex his tribus fit pallium fidelis animæ cælestis sponsi, &c.* Quibus ita explicatis, venit ad illud aliud, *Luna sub pedibus eius*, & per legem oppositorum, tria alia perpendit in Luna ceu simbola, prædictis tribus de Sole aduersa, scilicet *maculam pro luxuria*, quæ destruit *castitatem*. *Obscuritatem pro superbia*, quæ excæcans corda, *lumen humilitatis extinguit. Frigiditatem* odii, & rancoris, quæ omnem *charitatem* è medio tollit. Illis tribus virtutibus excellenter ornata ex duobus luminaribus Sole, & Luna Francisci anima, successit ei corona stellarum duodecim, in quibus Interpres intelligit pulchrè totidem virtutes, sub quaternis ternariis dispositæ. Vt verbi gr. à parte frontis sint *Fides. Spes. Charitas*. A dextris *Temperantia. Prudentia. Fortitudo*. In posteriori *Mortis memoria. Iudicij dies amara. Indeficiens Inferni pœna*. A sinistris *Patientia. Obedientia. Finalis perseuerantia*.

Sol in tribus trium primarum virtutū moralium hieroglyphicum.

Anima Fräc. mulier amicta Sole, &c.

Igitur in hac imagine perfectissimè quinque ternariis efformatus Franciscus, & per eam totaliter compassiuè transformatus in pristinam formam Ecclesiæ, quā repererat adeo turpiter deformatam, vt quasi non amplius cognosceretur, congruebat equidem, vt Deus mutans turpē Ecclesiæ formam, quam ex tribus in Luna repertis contraxerat, in formam imaginis Francisci, iam in priorem formam Ecclesiæ transformati, ipsam reduceret, prout reapse reduxit, vitam Christi, & Apostolicam fidem ei restituens, poneretque corpori suo Solarem vestem, Lunam sub pedibus eius, coronam stellarū duodecim in capite eius, vt ante. Confirmat ipse Interpr. ea postilla super illud 1. Ioānis 2. per concordantiam ad alium textū Isaiæ 14. *Omne, quod est in Mundo, est concupiscentia carnis*. Ecce labor. *Et concupiscentia oculorum*. Idest auaritia. Ecce concussio. *Et superbia vitæ*. Ecce seruitus Diaboli dura. In his tribus demonstrat apertè Interpres totam Ecclesiam à seipsa excisam, nimirum cum corona stellarū sub pedibus, cum Luna in capite, tenebrisque nocturnis, in quibus ipsa Luna reuoluitur, amicta. Sed paulò post de ipsius Ecclesiæ restitutione in pristinum statum tacitè loquens, & de Francisco illius Reparatore, statim subdit aliud ternarium his verbis. *Contra ista tria Dominus apposuit remedia, scilicet. Vita innocentiam contra carnis laborem. Spiritus paupertatem contra auaritiæ concussionem, vel negotiationem. Sanguinis passionem, vel effusionem contra superbiæ sublimitatem*. Hisce tribus remediis Christus Mundi Redemptor fundauit Ecclesiam, ac per consequens ad eam reparandam, restituendamque penè ad pristinam formam, eligendus erat ille vir, qui in iisdem sibi assimilaretur. Cum autem ad illud opus tam arduum elegerit Franciscum, hinc est, quod circa vitæ innocētiam non solum Præcursori suo, sicut decebat, assimilauit ipsum, sed sibi ipsi;

Tria vitia velut omniū scelerum radix.

Tria remedia, quibus Franc. reparauit Ecclesiā erant Ecclesiæ fundamēta.

Circa spiritus paupertatem sic
nonum fecit ipsum super
terram, quemadmo-
dum
circa passionem per effu-
sionem sanguinis
super Aluer-
næ Mon-
tem.

Dies

PVNCTVM IV.

Dies ortus Francisci dies quartus Octobris, in quo obijt. Dies Saturni, quo regnante ætas auri. Dies septimus, in quo requieuit Dominus. Dies Sabbati Deiparæ consecratus.

I.

Cur Auctor assignet ortui Francisci mensē Octobris.

MENSIS ortus Francisci, Gratiæ Dei filii, in quo Gratia Dei apparuit, October erit, in sententia mea, ex præsuppositione haud leui deducta, nec gratis mihi concedēda. Ipse namq; præsuppono, vt tota moles scripturæ meæ in tuto (sub ipsa tēporis incertitudine) consistere possit, Franciscum annum expleſſe vitæ suæ 45. paucis horis fortè minus vtpotè qui natus sit in media nocte. Tanti enim vixisse Franciscum, scilicet annos 45. asserunt absolutè Chronistæ nostri communiter sine vllo alio additamento, vel explicatione, aut quæstione, nū scilicet anni 45. totius vitæ Francisci incompleti fuerint, vel completi, in principio, vel in medio, aut in fine. Bonau. cap. vltimo. Transiit autē venerabilis Pater ex huius Mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducētesimo vigesimo sexto, quarto nonas Octobris, die Sabbathi in sero, sepultus in die Dominico, &c. In quibus verbis habemus annum & diē Ecclesiasticum obitus S. Patris.

Annus, & dies ecclesiasticus obitus Franc.

Annos ætatis eius 45. alii deinde enumerauere, vt *cum D. Antonino Boni quique* (ait Vadingus num. 37. ann. 1226.) *notarunt Scriptores*. In Legenda Minori apud Breuiarium nostrum lect. vlt. 2. noct. Oct. S. Franc. Tandem, dicitur, cunctis in eum completis mitteriis, orans & psallens Vir beatus, obdormiuit in Domino, & anima illa, &c. In nullo horum locorum ætas Francisci memoratur à Bonauēt. Et tamen iuxta formam loquendi Vadinghi loco citato, videtur contrarium. Fortè in Legendæ minoris, quæ per Breuiariū dispersa legitur, & mihi nondū innotuit, exemplari, extat Francisci ætas. Vide etiam ipsum Vadingum in app. §. 2. num. 1. contra Marianum, qui anno Christi 1181. ortum esse Franciscum scribit. Nullibi tamen Vadingus modificauit assertionem suam, vt non diceret absolutè Franc. annos vixisse 45.

Alii assignāt ipsi mensem Septembris

Non desunt tamen ex recentioribus, qui asserant, obiisse Franciscum anno ætatis suæ 44. & diebus octo. Hanc sententiam refert Bordonus loco cit. sub nu. 14. his verbis, loquens de quindenis ternariis totum cursum vitæ Francisci constituentibus. Adde, inquit, quod cursus totius vitæ illius compleuit ternario quindennio, nam quindecim triplicati constituūt 45. annos, quibus Franciscus in Mundo vixit Deo, & hominibus: *Hoc est annos 44. & octo dies, vt infra patebit*. Hæc ille, apud quem illud, *vt infra patebit*, non potui adhuc in suo Chronologio reperire. Legi tamen apud Henricum Sedulium infra citandum, totius annos Vitæ Francisci fuisse 44. attigisse 45. Sed quantum tempus attigerit ab anno 45. non explicat Auctor ille.

Ann. 40. & dieb. 8. dicunt vixisse Franc.

Ex hac sententia primò saluatur illorū assertum, qui tenent contra Marianum, quem ipse adhuc sequutus sum, Franciscum natum esse anno Christi 1182. Huic enim anni si addas annos vitæ Franc. 44. perficit annum Christi 1226. in quo obiit iuxta communem sententiam. Secundò potest faciliter perueniri & ad numerum dierum mensis, in quo natus est Franciscus, & ad qualitatem ipsius diei ortus illius ex litera Dominicali, quæ anno illo 1182. erat C. si enim obijt die 4. Octobris in sero, anno ætatis suę 40. & diebus octo. signum est, quod natus sit die 26. Septēbris, in quo complens annos 44. & ingrediens limen anni 45. à die 26. Septēb. vsque ad quartum diem Octobris, octo tantum dies interponuntur, sicque 4. die Octobris decessit. Item si litera Dominicalis erat C. vt ponit etiam Bordonus ex Ioāne Lucido, & aliis, dicendum est Beatum Franciscum natum esse in die Dominico. Referamus eius formalia verba ex loco cit. num. 1. Franciscus, ait, ex honestis, & catholicis parentibus, &c. ortus est anno Domini millesimo centesimo octuagesimo primo, die vigesima sexta Septembris, Ecclesiam feliciter regente Lucio III. Lucensi, 29. Augusti electo præcedenti anno 1181. defuncto 25. Nouembris 1185. Illum diem 26. Septembris Sancto Infanti assignat Fr. Saluator de Vitalibus, vir pius in suo Floreto fol. 149. his verbis. *Natus est in Mundo Franciscus Seraphicus in Ciuitate Assisij, die Dominico circa exitum mensis Septembris. Eo enim anno 1182. currebat litera Dominicalis C. affixa prædicto diei 26. infra quem alia non reperitur. Signum euidens, quod eo die fuit Dominica circa exitum Septembris.*

Ex quo numero deducitur ortus Franc. ad an. 1182.

In quo die natus Franc.

In hac Bordoni enarratione ille primus error circa annum ortus Francisci 1181. vel suus non est, vel si suus, certè inuoluntarius est, atque ex inaduertentia commissus. Contradicit enim annus ille sententiæ, cui ipse cum Fr. Saluatore memorato post paucos alios versiculos subscribit.

Lapsus Bordoni ex inaduertentia circa ann. ortus Franc.

bit. Contradicit anno, quem cogitur creationi Lucii III. præfigere. Nam cum esset Pontifex ille anno 1181. non autem anno antecedenti, scilicet 1180. creatus, ita planè necesse est asserere, dum dicit natum Franciscum anno 1181. quæ est sententia Mariani sibi aduersa.

Non potuit nasci Franc. die 26. Sept. in die Dominica.

Insuper alius error videtur ex affixione literæ Dominicalis illius anni dum eã affigunt diei Dominico ad 26. Septembris, in quo natum dicunt Franciscum, pro eo quod extinctum faciunt anno ętatis suæ 44. & diebus octo. Numerus siquidem dierum correspondere tempori ętatis, sed qualitas diei contradiceret numero dierum obitus Francisci, qui contigit die Octobris 4. vt communiter ex D. Bonauentura asseritur, & solum cum diei qualitate conueniret. Quod ita demonstratur.

Ipsi testantur cũ Lucido, & aliis, quod dies Dominicalis illius anni erat C. ergo coguntur etiam testari, quod Franc. obierit die Octobris 2. in Sabbato, quod est contra communem sententiam, & contra ritum totius Religionis, & Ecclesiæ Romanæ, quæ die 4. Octobris, in quo obiit Franciscus, celebrat solemne festum. Etenim à Dominica die inclusiuè, cadente die 26. Septembris, habentis dies 30. vsque ad diem 4. Octobris inclusiuè, septẽ dies enumerantur. Igitur vel Franciscus natus est die 26. Septembris in die Veneris, vt possit cõcludi eius obitus die 4. Octobris de Sabbato, & sic necessarium esset affirmare literam Dominicalem anno illo 1182. non esse C. sed aliam, pro qua inaduertenter posuit Fr. Saluator C. Vel si erat C. aut error fuit in Calendario, quod ipse poterat statim aduertere, aut errant qui asserunt B. Franciscum annos ætatis suæ 44. & dies octo tantum explesse. Nam, vt diximus, cogerentur asserere ex præfixione literæ Dominicalis, ab ipsis adductæ, natum fuisse die Septembris 26. in die Dominico, mortuum verò die 2. Octobris in Sabbato.

Probatur argumento ad hominem.

Similem modum conuincendorũ quorundam Cappadocum, errantium circa tempus celearationis Paschatis tenet Bellarm. supra allegatus ad tertium errorẽ. Cappadoces ex S. Epiphanio hæres. 50. semper celebrabant Pascha ceu festum fixum, & immobile, die 25. Martii., sicut nos semper celebramus Natalem Domini die 25. Decembris. Putabant enim Christum eo die passum fuisse, & ipso die passionis Pascha agendum credebant. Similis fuit error Gallorum in principio Ecclesiæ, semper Pascha celebrantium 25. Martii, quod putarent eo die Christum

Sic cõuincit Bellar. Cappadoces, errantes circa diem Pasch.

resurrexisse. Hic error summè placet Luthero, vt supra tetigimus. Bellarminus autem contra hunc errorem non solum adducit consensum totius Ecclesiæ, statuẽtis Pascha die Dòminico semper celebrãdum, verum etiam inniti secũdum quosdam falso fundamento, sic demonstrat, Christus, vt illi docent, non potuit resurgere 25. Martii, nec etiam pati; nam passus est die Veneris, & surrexit die Dominico secundum Euangelia omnia. Constat etiam Christũ passum esse, & resurrexisse anno ætatis suæ 33. vel 34. secundũ alios. Portò anno Christi 33 die 25. Martii non fuit feria 6. nec dies Dominica, sed feria 4. Anno autem Christi 34. die 25. Martii fuit feria 5. vt ex litera Dominicali patet. Nam anno Christi 33. currebat litera D. anno 34. litera C. die autem 25. Martii semper est G. Ita Bellarm. ibi.

Celebrabãt illi Pascha semper die 25. Martii

Anno ætatis suę 33. vel 34. surrexit Christus.

Pari modo in casu nostro possumus nũc asserere in dictos recẽsiores. Ipsi enim dum non recedunt à communi sententia Franciscum mortuum die 4. Octobris in Sabbato, duo pariter secundum sententiam propriam excogitant: vnum, quod Franciscus natus sit die 26. Septembris, & in hoc verum dicunt, sed ex propriæ sententiæ suppositione, quod scilicet Franc. vixerit ann. 44. & dieb. 8. Alterum est, quod 26. dies Septembris erat dies Dominicus ex litera Dominicali C. illius anni 1182. in quo natum supponunt Franciscum; sed istud non videtur posse subsistere, quia sequeretur Franciscum obiisse die Octobris 2. vt probatum est. Deducunt itidem ex tali sententia præfati Recensiores, conceptionem Francisci contigisse anno antecedenti, scilicet 1181. ad diem 26. Decembris, & in hoc etiam verũ dicunt ex præsuppositione. Vide eundem Bordon. ibidem sub num. 19. Hæ duæ certæ ex incerta historia deductiones conueniunt mecum in tribus. Primo circa conceptionem in signo cæleſti, sub quo conceptum esse Franciscum, & natum esse Christum superius lib. 8. ad finem demonstratum est. Secundò circa ortum eius, qui Autumni tempore contigit, siue 26. Septembris natus dicatur, siue die 4. Octobris, sub quo obiit. Tertio circa fundamentum sententiæ, vtraque enim sententia, scilicet tam illorum, qua mea fundatur in communi illa historia, qua asseritur Franciscum obiisse anno ætatis suæ 45. Qui annus apud illos est annus inceptus solummodo, apud me vero completus. Quæ autem deductio melior sit, ne possit dici ita apertè deductio excogitata, vel accommodata, sed cum fundamẽto (scribere enim absolutè sine vlla declara-

Duo inferũt recensiores ex propria sentantia.

Recensiorũ sententia cũ sententia authoris in tribus cõuenit.

claratione, obiisse Franciscum in ætate ann.45. & huic numero defecisse menses vndecim,& dies 22.non videtur grauitati, & exactæ historiæ integritati valde consonum) alii iudicent.

Sententia authoris Martyrolog. valde diuersa ab aliorum sententia.

Autor Martyrologii, vt aduertimus in 1.Hierarchiæ tomo fol.19.natũ esse Franciscum scribit anno Domini 1182. subditque statim §.1. ad diem 4.Octob. *Ioannes prius vocatus à Matre, eo quod circa festum S.Ioannis Baptistæ enixa sit, dehinc Franc.à Patre,&c.* Itaq; vbi præfati recensiores subtraxerunt ab annis 45. ætatis Francisci menses vndecim, & dies 22. Author Martyrologii (qui nullum patronum supra allatæ sententiæ affert) subtrahit tantum menses 3. & dies 10. Ipse autem iuxta absolutam historicorum assertionem, D.Antonini, & aliorum, quos suppresso nomine ceu bonos Scriptores citat Vadingus vbi supra,nihil subtrahẽdo à numero annorum ætatis Parentis nostri, eum vt completissimum præsuppono, dum nullus ex prædictis incompletum fuisse dicat,quod quidem Vadingus, indefessus, oculatusque rerum Franciscanarum indagator, si vt talem, & in tam notabili subtractione illum apud historicos reperiisse, minimè quidem tacuisset. Verisimiliter tamen ipse subtraho paucas quasdam horas,vt infra declarabo. Mensis ergo apud Bordonum ortus Francisci Septembris. Apud auctorem Martyrologii Iunius. Apud me October.

Author declarat sententiam suam.

OCTOBER Mensis ita dictus est,quod octauum locum teneat à Martio,qui primus ineuntis Anni mensis erat. Quomodo numerant in eorum Calendario incipientes annum à Martio, quem dicunt *Nisan*,& loco octauo ponunt *Marhesuan*, qui nobis est October. Hic Mensis sub tutela Martis Romanorum tempore erat. Hic sacrabatur Libero. Hic vindemiæ ascribebatur. Mars, Deus gentium,belli præses dictus, teste Varrone lib.4.de ling. Latina, quod *maribus in bello præsit*. A Poetis Mauors dicitur per epenthesim, *quod bella vertat*. Fuit Iouis, & Iunonis filius. Ouidius fabulatur folius Iunonis, quæ, monente Flora, in campis Olericis inuenit florem, quo ab ea tacto, vt Flora monuerat, statim concepit sine viro, & peperit filium,quem Martem nominauit. Habuit Mauors suos Sacerdotes Salios, ita nuncupatos, quod in portandis ancilibus,hoc est paruis scutis saltare eos mos erat. *Hinc exultantes Salios, &c.* Virgil.8. Æneid.Liuius lib.10.scribit. *Numa Salios duodecim Marti Gradiuo legit, tunicæque pictæ insigne dedit,& super tunicam aeneum pectori tegmen, calestiaque arma, quæ Ancilia appellantur, ferre, ac per Vrbem ire canentes carmina cum tripudijs, solemnique saltu iussit.* Vocat hic Liuius Ancilia arma cælestia. Fertur enim Numæ Pompilii tempestate de Cælo decidisse Ancile, vnamque editã vocem, *Omnium potentissimam fore Ciuitatem, quamdiu in ea mansisset.* Quare facta sunt eiusdem generis plura,quibus id misceretur, ne internosci cæleste posset. Vnde Ouidius referens hanc historiam, nomenq; Ancilis explicans, ita cecinit lib.4. Fastorum.

Mensis Octobris prærogatiua.

Sacratus olim Marti Iunonis filio.

Salii sacerdotes in Tẽplo Martis.

Ecce leui scutum versatur leniter aura
Decidit. A populo clamor ad astra venit.

Ancile Vrbis Romæ quid propugnaculum.

I. *OCTAVO MENSE GENITVS FRANCISCVS*, & meritò quidem. Nam octauus numerus dignus est, tum quia octo sunt Euangelicæ Beatitudines, tum quia ad Domini resurrectionem refertur,teste Interprete nostro,alias allegato. Et Francisci ortum Deus non solum ad octo prædictarum beatitudinum restitutionem,atque innouationem sicut tempore Apostolorum ordinauerat, vt Ecclesia vniuersa spiritualiter resurgeret, verum etiam omnem medullam Euangelicæ Legis in ipsius Legis Euangelicæ reparationem, in Francisci Regula mira synopsi inspirare, reuelare, ac tradere.

Christus Mauors magna vertens in fundatione Eccl.

II. *MAGNA VERTERAT CHRISTVS*, fundans Ecclesiam suam, redimensque Mundum, quia verterat diabolica regna, magnumque generis humani vicerat,ligaueratq;tyrannum,supra Equũ nigrum equitantem, vt pluries diximus cum Interprete nostro. Sic apparuit ab ipso ortu suo Christus vt verus Mauors gẽtium, quas,repudiata synagoga,adhuc morans in præsepio in tribus Regibus Orientis ad se vocauit. Factus deinde Christianorum,quorum vita bellum continuum,Præses, cuius Pater Deus, cuius Mater Virgo,illum,nesciens virum,ad tactum floris Spiritus Sancti concipiens, effundensque super stabuli fœnum. Hic Mars tradens cælitus Vrbi Ecclesiæ militantis Euangelicæ fidei Ancile, constituit suos Sacerdotes anciliatos, vesteque polimita, scilicet variata virtutibus (vt infra ex Interprete) eos induit. Hi fuerunt eius Apostoli, & Discipuli, qui Vrbem totam, scilicet omnes Mundi partes, per quæ cuncta Ecclesia diffundenda erat, gaudentes, ac lætantes discurrerent, Martis sui præconia cantantes, eiusque nomen vndique exaltantes,exultantes & ipsi ad conspectum tyrannorum, Ancileque fidei vsque ad sanguinis effusionem retinentes. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu*

Ipse cælitus tradidit vrbi Eccl. ancile.

Instituit suos sacerdotes anciliatos.

Iesu contumeliam pati, &c. Actorum 5.

Sed vbi huius fidei Euāgelicæ Ancile? vbi sacerdotes Salii nouissimis illis temporibus? vbi Ciuitas Ecclesiæ ante Francisci ortum? Referant illius temporis Scriptores, loquantur euentus, dicant duæ præcipuæ visiones, in quarum altera statuerat Christus tribus fulminibus ferè Mundum totum in fauillam redigere; in altera verò Laterana Basilica sese præcipitem prodiebat. Christi indignatio in miserationem mutata, venienfque remedii tempus, peperit Pica in stabulo primo genitum suum veluti Picum martialem, vt dictum est, & peperit de mense Octobri, Marti, gentium Deo sacro, vt ipse Mensis esset quasi prænuncius, quod per Franciscum Mauors Christus iterum magna Diaboli molimina pro Ecclesiæ reparatione subuersurus esset, suosque sacerdotes Salios anciliares, numero duodecim principio, cuius vniuersitatis numerus innumeros alios sequentes significaret vsque ad Mundi finem, denuò institueret. Qui tempore potissimum spiritalis vindemiæ induti vt in primæua Ecclesia, cursitantes, & canentes, post Ducem suum Frācifcum sibi simillimum, & in renouato bello contra Mundum, contra carnem, contra Diabolum sui vicem gerentem, dulces hymnos personarent, suorumque Apostolorum choreas efformarent, & in cunctis cum illis in hac arte (præcipuè nominis sui exaltationē, fidei renouationem, Euangelii promulgationem, disciplinæ imitationem) sub noua norma, ac forma conuenirent.

Idipsum fecit in reparatione Eccl. per Franc. Mauors Christus.

Salii Apostolici à Franc. instituti.

Illorum vestis duplex, scilicet exterior, & interior, & vtraque quantitate, & qualitate Apostolica. Exterior lanea, sed ruuida, ac cilicina, colore autem thalassica (Italicè *bigia*) interior polymita, ac stragulata, materia, ac forma preciosissima, & hæc variè picta, & pro eorum insigne, quod haberet ad pectus æneum tegmen. De hac veste interiori Interpres in serm. Dom. 4. post Pascha loquens de Christo vt Polimitario, aut suæ diuinitatis & humanitatis vestem animæ fidelis efformante. *Tali acu noster Polimitarius facit tunicam polymitam, variarum virtutū colore distinctam animæ fideli.* Vnde Prou. 7. Strangulatam vestem fecit sibi. *Vestis strangulata, quæ est multiplici variata colore, byssus castitatis, & purpura Dominicæ passionis est indumentum animæ fidelis.*

Tradidit suis Minorib. anciliatis duplicē vestē.

Vidisti iam Lector ex Interpr. contexturam vestis interioris in Sacerdotibus Saliis, Marti Christo seruientibus, nimirum in Fratribus, & Sororibus trium Ordinū Franciscanorum, quibus Ecclesia reparanda erat, & ad Apostolicam vindemiā iterum reducenda, in cuius prognosticū Franciscum de mense Octobri iuremeritò natum facimus. Sed cerne modò ex eodē tegmen æneum ad formam muri effictū, cum hac inscriptione. *In muro æneo Patientiæ inuincibilitas, & prædicationis assiduitas*, ita Intepres superius adductus ex sermone Dom. 22. post Trinit. Vt autem nunc planè scire possis spiritale significatum Ancilorum, ab his Saliis gestatorum, ex Interprete nostro, necesse est prius aduertere quid sit Ancile, quid clypeus, quid scutum. *Ancile* antiquitus scutum breue erat (authore Festo) ita ex vtroque latere recisum, vt nullus angulus videri posset, & summum, imumque eius latus medio pateret. Dictum ab *Am*, & *Cæsum*, quasi *ancisum*, quod cecinit Ouidius citatus.

In qua veste ceu Minorū insigne æneū tegmen.

> *Idque Ancile vocat, quod ab omni parte recisum est.*
> *Quemque notes oculis, angulus omnis abest.*

Vel dictum ab *agcon*, quod est cubitus. Vel ab *agcos*, remedium, quoniam pestilentiæ remedium fuit, Romæ cælitus immissum. Clypeus, & Clypeum scutum maius erat, & tantum peditum, ita dictū vel quia celabat totum corpus, vel à clepere, quod est furari ab ictibus. Vel cum Plinio lib. 35. cap. 3. à sculpendo, celandoque, vt dicatur clypeus quasi sculptus. Scutum genus armaturæ minus, ac propterea ad differentiam clypei, Equites eo vtebantur, vt notat Seruius. Vnde Liu. lib. 6. Clypeis ante Romani vsi sunt, deinde postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere. Igitur clypeū maius, scutum minus, Ancile item scutum breue, quod idem est, licet vtroque origine, & existimatione, & forma valde diuersum.

Tempore pestilentiæ cælitus traditū Romæ ancile.

Tria hæc genera armorum iuxta sacras literas, atque Francisco, & eius sequacibus pro restauranda Ecclesia tradita, reperio apud Interpretem nostrum. De clypeo, & scuto simul super 2. Regum 1. ad illud verbum, *Clypeus fortium*; & super illud Eph. 6. *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ac tertio super illud Iosue 8. *Leua manum ad clypeum*, &c. Superque loca hęc profert pulchra valde, egregiaq; concordantia in serm. Dom. 3. post Trinit. & ad rem nostram peculiarissima, *Clypeus est fides iuxta illud*, sumentes scutum fidei, &c. *Fides temporalia abycit, quia in ipsorum abūdantia perit.* Sic incepit fides in primitiua Ecclesia, per temporalium abiectionem in Christo, in Virgine, in Apostolis fundamentalis. In aliis verò sequentibus, maximè

Clipeum & scutum fidei quomodo fundauit Ecclesiam

ximè Religionum Institutoribus, in quibus semper viguit perfectionis schola, affectu tantum circa huiusmodi temporalium abiectionem nutrita fides, ac propagata. Sic postea nouissimis temporibus, quorum meminit Bonau. perierat vsque penè ad interitum ipsa fides in ipsa rerum temporaliũ abundantia miserrimè suffocata. Sequamur modò reliqua Interp. quia reperiemus quomodo restituta sit in pristinũ statũ hæc fides sub tutela Mauortis Christi per Frãciscum, & eius Ordines.

Restitutum deinde ad pristinũ per Franc.

In hoc clypeo, sudit, *viri iusti solent fortiter pugnare. Vnde Iosue* 8. Leua (*inquit Dominus Iosue*) manum ad clypeum, qui in manu tua est, contra Vrbem Hay, quoniam tradam eam tibi. *Clypeus in manu est fides in opere, quam cum à terrenis eleuamus, Hay, quæ interpretatur aceruus lapidũ, abundantia temporalium capitur, & succenditur. Capitur vt pauperibus distribuatur. Succenditur, cum feruore spiritus quasi pulnis, & cinis reputatur.* Clypeum manu leuat cõtra Hay, qui operibus fidem adiuuat, quibus Mundi superbiam, & abundantiam contemnendo deuastat. Bene ergo dicitur, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul quasi non esset vnctus oleo. *Superbi, & auari fidem Christi, & gratiam baptismi, quæ sunt vncti in sterquilinium abijciunt, dum temporalia quærunt.* Hæc Interpres.

Temporalia scutum fidei proiiciunt in sterquilinijs.

Adiunge modo, Lector, si placet, assertum Baron. paulò ante rescriptum ab illis verbis. *Planè Deus Ecclesiam suam*, &c. cuius vltima periodus, *Qui*, scilicet Franciscus, *mundi contemptum, ac paupertatem non affectu tantum (quod ad Sanctorum Patrum imitationem sufficere potuisset) sed effectu etiam consequutus est*. Ergo clypeus fidei, desuper missus est ad primeuæ Ecclesiæ primordia fundanda, & iam à terrenis eleuatus, capta & succensa, idest spreta, & pauperibus dispersa, rerum temporalium copia. Sed post aliquot sæcula penè totus vbique deperditus, & in sterquilinium proiectus à superbia, & auaritia, inde eleuatus est à Francisco, & sequacibus, & ad pristinum decorem, & honorẽ restitutus: Nam ipse Franciscus solus renouationem Ecclesiæ suis principiis, à quibus fides Christi exciderat, conformauit perfectè. Affectu scilicet, & effectu dilapidans abundantiam rerum temporalium, qua fides perierat, capiensque Vrbem Hay, eamque succedens. Is fidei clypeus fuit Francisco, & sequacibus paruum scutum, & breue scutum, idem ac ancile in sua origine, quia è Cælo venit ad omnimodam liberationem fidei ab illa pestilentia, per quam *Omnis caro corruperat viam suam*. Paruum fuit vt granũ sinapis ob suam humilitatem, sicut principio in fundatione Ecclesiæ extitit, & vitale liberauit fidem à sua vilitate. Restaurauit Vrbem Ecclesię sicut tempore Apostolorum. Tutauit illam vsque ad extrema Antichristi tempora.

Clipeus fidei ceu Ancile desuper missus.

Ex cælesti huiusmodi clypei, scuti, & ancilis demissione cum præfatis vestib. data sunt Minoribus ancilia, in quibus sculptum illud candelabrum, de quo Exodi 25. *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo, scyphos, & spherulas, & lilia ex ipso procedentia sex calami regredientur de lateribus*. Explicat enim Interpres de charitate, quæ in Christo fuit summa, in Virgine maxima, in Apostolis maior charitate omnium sequacium. In Francisco autem charitas ad summam Christi charitatem, ad maximam Virginis charitatem, ad maiorem Apostolorum charitatem æquè respexit iuxta omnimodum posse, etsi non eadem in substantia. Fuit inquam, hæc Francisci charitas adeo singularis per conformitatem ad illos tres gradus simul, maiorem, maximum, summum, vt tandem exclamans sine intermissione, *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, dissolui, & scindi meruit ab ipso Christo, & esse cum Christo in quinque partibus rupta per quinque stigmata, & cum Christo interius, exteriusque ipsa sola per patentia vulnera, & clauos sanguine rubrefieri, & in propria crucifixi hominis carne crucifigi. De hac charitate propriè loquitur Interpres, exponens prædicti candelabri aurei simbolum. *Charitas*, inquit, *cum fuerit nata* (sicut nata est cum Francisco, quo nascente *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri*) *nutritur. Cum fuerit nutrita, roboratur. Cum fuerit roborata, perficitur. Cum ad perfectionem venerit, dicit, Cupio dissolui, & esse cum Christo*. Sed hæc dissolutio patens in hac vita, sicut patuit in Christi corpore ante dissolutionẽ animę à carne, vbi vnquã ita peculiarius visa est, sicut in Franc. corpore? In ipso namq; vsque ad vltimum gradum possibilitatis verificatum est id, quod sequitur Interpr. ita subdens. *Hic apertè progressus, & perfecta charitas insinuatur*. Fit etiam candelabrum charitatis de auro mundissimo. Nullius enim vitii recipit admixtionem. Quæ sicut aurum cæteris metallis, sic præeminet cæteris virtutibus.

Ancilia Minorum cum suis in fine dis ic

Tres gradus mirabile in Franc. charitate.

Christus cãdelabrum ex auro mundissimo.

Spherulæ candelabri aurei charitatis Francisci, sub cuius charitatis insigne sub titulo seraphico tres Ordines militant in Ecclesia, ceu ancilia describuntur ab Interprete ibi immediatè. *In spherula verò, annectit, quæ circumuoluitur sollicitudo erga* pro-

Spherula viri iusti quæ.

ximi necessitatem. Sicut in ancilijs, siue paruis scutis spherulatis Sacerdotum Saliorum Martis maxima cernebatur sollicitudo erga Vrbem Romam, pro cuius necessitate, vt liberaretur scilicet à pestilentia, missum fuit sibi cælitus Ancile. Quare sollicitiilli duodecim Sacerdotes ad celebranda choreis, & carminibus Martis præconia, hæc celebratio necessaria videbatur Numæ, vt ipsa Roma excitaretur gratitudini, & ad petenda à belli Præside, quæ sibi necessaria erat sub tanti Numinis tutela.

Sed in ancilijs, seu spherulis Seraphicis (quibus Minores ad vestigia illius infantuli, qui nascebatur, vt esset Dux eorum Seraphicus, excurrere debebant totū Orbem ad subueniendam totam Rempublicam Christianam per restitutionem ancilis fidei Christi à loco sordido in locum suum pristinum) simul cum candelabro aureo pro icone, vel stemmate, & scyphi, & lilia, & sex rami exprimendi erant. Explicat enim Interpres in Sciphis humilitatem cum compunctione mentis. In Lilijs munditiam castitatis. In sex ramis, sex charitatis brachia. *Tria à dextris quibus amplectitur Deus*. Nimirum

Brachia charitatis quoad Deū tria.

1 Peccatorum abominatio. Psalm. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*.

2 Temporalium conculcatio. Apost. Philip. 3. *Omnia reputaui tanquam stercora, vt Christum lucrifacerem*.

3 Cælestium contemplatio. 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*. Tria alia charitatis brachia, quibus amplectitur proximus.

1 Delinquenti parcere, Lucæ 3. *Dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt*.

Tria etiam quoad proximum.

2 Errantem corrigere, Iacob. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem à via sua errore, &c.*

3 Esurientem reficere, Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.*

Quantum ad gaudium, hilaritatem excurrendo Minores ceu noui Sacerdotes anciliati, & solliciti, lætissimique cultores Mauortis Christi, sufficere potest sententia Interpretis pauló ante adducta super illud Lucæ, *Congratulamini*. *De bono communi*, ait, *commune debet esse gaudium*. *Cum enim innocentia restituitur, gratia reparatur, non est mirum, si homini, & eius conscientiæ est gaudium*.

III *MARS IVNONIS FILIVS*, &c. Iuno Saturni filia fuit, &, vt fabulantur Poetæ, & soror, & coniux. Phisici interpretantur, per Iunonem intelligi aerem ob summam aeris cum æthere similitudinem, vt proinde Iouis & coniux, & soror existimetur Iuno. Vide Cicer. 2. de Natura Deor. Iunonem quadrinominem, si fas erit vti hoc nomine, nuncupabimus. Ei namque multa sunt nomina, præsertim hæc quatuor. Est enim *Curetis*, quæ vtitur curru, & hasta, Virg. 1 Æneid. Est & *Lucina*, quæ partubus præest. Terent. in And. Est *Regina*. Virg. 1. Æneid. Et demum & *Pronuba* est, quia præest nubentibus.

Iunò, Saturni filia pro aere.

Flos campi Christus, & *Lilium conuallium*, Cant. 2. non autem horti alicuius particularis, quia pro omnibus natus, ac datus, & in publica via, & in communi præsepe exortus, & expositus. Vide Interpr. in serm. Dom. 15. post Trinitatem. Ad contactum huius floris *gratia Dei* peperit in Ciuitate Assisii intra alienum stabulum Franciscum, Dei gratiæ filium à Bonau. nuncupatum, qui de ipso etiam scribere incipiens, ita exorsus est. *Apparuit Gratia Dei Saluatoris nostri Iesu Christi*. Peperit hæc gratia Dei in Francisco de mense Octobri Mauortis Christi Vicegerentem, vt & ipse in eius nomine veluti nouus Mauors reparandę Ecclesiæ magna Diaboli molimina, sicut tempore fundationis Ecclesiæ, subuerteret. Hæc ipsa Gratia in Domina Pica & coniux, & soror summi & veri Iouis Dei, tota aer fuit, scilicet tota cælestis. Hæc item vt tota aer eo idoneum ad magnorum, & multorum hostium euersionem concepit, peperitque filium, quo & vt aereus deinde ipse apparuit etiam ab ipsa in ipsa sæculari vita natiuitate. Nunquam enim talis filius lætaliter peccauit. Nunquam fuit terrenus, quamuis terrenè, ac vanè nutritus, sed semper cælestis, & in magnā vim carnis, Mundi, & Diaboli magnanimus. Verum adimaduertendum, quod Iuno, scilicet aer cælestis gratiæ in stabulo Assisii peperit prima vice Franciscum ex D. Parente Pica in gratia Dei concipiente, & gignente hunc suum primogenitum. Nam secunda vice adhuc in vita sæculari altera deinde Iuno, & alibi peperit illum, nimirum flatus, & aer ille, quem ter percutiens vox Christi crucifixi intra semierutam S. Damiani Domū extra Vrbem Assisiatem, ter quoque allocuta est Franciscum illis verbis. *Vade, Francisce, & repara Domum meam, quæ vt cernis, tota destruitur*. Cum enim *vox sit percussio aeris respirati*, vt definit Philosophus, hic respirans aer, ab ore Dei afflatus, iterum genuit Franciscum vt totus aereus esset, & totus Mauors, Iunonis, scilicet aeris vocis Christi primogenitus in reparatione Ecclesiæ.

Ad floris Christi contactum peperit gratia Dei Franc.

Totus aereus Franc. ab aere vocis Christi genitus.

Ter Christi voce percussit aer aures Francisci è Cruce.

Quid? Num Mauors Franciscus, quia vt aereus posteriora natalia ab aere vocis

cis Christi Cruci affixi recognoscit? Vtiq; sic est, testante Christi Præcursore (cuius imitatoriam similitudinem, vt loquitur Bonau. in prologo, ferè in cunctis transtulit postea in Franciscum Christus) *Ego vox clamantis in deserto*, Lucæ 3. Vbi Interpres ponderans serm, Dom. 4. Aduent. in hoc breui textu vocem clamantem, & desertum, ita videtur describere Christũ alloquentem de Cruce Franciscum in Ecclesia S. Damiani. *Vox*, inquit, *est prædicatio. Clamans Christus. Desertum ipsius Crux. Vox est in aere. Et prædicator solus debet esse aereus, idest cælestis, vt eius conuersatio sit in Cælis*. Hæc pulchre de more Interpr. Igitur clamans ter Christus de deserto Crucis intra Ecclesiam desertam, ac derelictam, illa in aere eius vox parturiuit Franciscum ad nouam vitam, quę apta esset ad triplex exequendum de eius reparanda domo mandatum. Quare hic idem, eiusmodi vocis Christi aer, veluti nouum belli, ad magna Diaboli regna euertenda, præsidem, Mauortemque efficiens Franciscum, totum aereum ex tunc potissimum reddidit, totam suam vocem constituit, qua in prædicatione aereas profligaret potestates, & innumeros sequaces aereos pariter efficeret. Restituens pedibus Domini scabellum illud, quod Satanas destruxerat, de quo Exodi 24. vbi scriptum est, quod sub pedibus Domini *Erat quasi opus lapidis saphirini, & quasi Cælum, quod serenum est*. Sed quale istud opus, ex saphiro & Cælo commixtum? Audi quæso Interpr. loco citato immediatè, vbi idem argumentum comprobat his verbis.

Prædicator quomodo esse debeat in aere.

Franc. ex aere vocis Christi prodiens.

Saphirus colorem habet aeris. Opus lapidis saphirini est vita iusti prædicatoris, qui mentis humilitate est subiectus pedibus Dominicæ Incarnationis, & in aere suspensus contemplatione cælestis beatitudinis. Porrò quo pacto illud scabellum pedum Domini destruxerit Satan eo tempore ortus Francisci, accipe etiam ab ipso Interprete, ea tempora describente, & in eis vindicem Deum aduersus Ecclesiam in Ecclesia S. Damiani, omnimodæ ruinæ vicina (in qua vox Christi in aere suspensa, aereum pepererat Franciscum) ab eodem Christo figuratum. Explicans Interpres septem vitia capitalia, quæ ad destructionem generis humani tunc maximè parauerat Diabolus, eisque extremè prouocauerat Dei iram contra mortales, vtitur illo textu Apoc. 19. Ibi enim legitur testari Ioannem, Audiui vocem magnam de Cælo dicentem septem Angelis. *Ite, & effudite septem phialas iræ Dei in terram.*

Franc. Mauors aereus restituit scabellum pedũ Domini.

Septẽ vitia capitalia.

Aer, quem vox illa magna percusserat percussit quoque desuper excitatus Ioannis aures. Aeris tamen illius motio quot articulabat verba, tot in aerem, à lue capitalium criminum vniuersaliter infectum cælestem furorem loquebantur. Aduertendum tamen ex illo textu, quod postrema phiala iræ Dei effusa est in aerem. Nam primus Angelus effudit phialam suam in terram. Secundus in mare. Tertius super flumina, & fontes aquarum. Quartus in Solem. Quintus super sedem bestiæ. Sextus in flumen magnum Euphratem. *Septimus in aerem*. Ecce septena Interpretis postilla statim.

1 *Per terram*, Auari & vsurari.

2 *Per mare*, Superbi & inflati.

3 *Per flumina*, & fontes aquarum, Luxuriosi.

4 *Per Solem*, Vanagloriosi.

5 *Per sedem* Bestiæ, inuidi, & acediosi.

6 *Per flumen Euphratem*, quod interpretatur abundantia, ebrii, & gulosi.

7 *Per aerem*, falsi religiosi.

Aer infumatus à terrenorum cupiditate sunt falsi religiosi.

Hoc vltimũ, post sex antedicta, in quibus multa arte septem vitia capitalia perstringit, & aliis scripturis explicat, ita demonstrat ex cap. 8. eiusdem Apoc. *Obscuratus est aer de fumo putei*. Et Inteerpres: *Puteus est cupiditas, cuius fumus omnes ferè religiosos infumauit*. Ergo fumus cupiditatis tunc destruxerat scabellum prædictũ pedum Domini. Idem enim prorsus est illud infumare, quam destruere. Cum autem hæc cupiditas in vltimum malum reducat Christianam Rempublicam, ideo Interpres vltimo loco eam posuit cum textu illo Apocal. 16. Atque hac de re etiam extra septem vitia capitalia eam constituit, nõn quod ad ea non pertineat, vel ipsa sola esset omnia vitia; sed quia omnium malorum postremum malum est, omniaque mala quasi in ea consummentur. Infumatus, turbatus, & caliginosus redditus ea tempestate aer religionum à cupiditate immoderata, hæc sola septem Hidræ stigię capita exprimebat; ipsã sola, vna in cunctis monstrosè, monstrum quoque ipsa erat septiforme, quod malo exemplo nutriebat in aliis auaritiã, & vsuram. Superbiam & inflationem. Luxuriam. Vanagloriam. Inuidiam, & Acediam. Quo pacto ipsa præsertim iram Dei ad excidium Ecclesiæ prouocauerat.

Malum Religiosorum exemplum prouocat potissimã iram Dei.

Verum luno vitalissimi aeris gratiæ Dei genuit primo in Francisco ex contractu floris Christi Nazareni, *Apparens gratia Dei Saluatoris nostri Iesu Christi* de mense Octobri Mauortem suum ceu præsidem belli renouandi contra Diabolum

in

in horum septem vitiorum interitum. Postea aer ille respiratus à voce Christi de Cruce creauit Franciscum, illumque constituit, declarauitque vt talis esset, & aereus esset, & scabellum pedum suorum in Ecclesia cum ipsa Ecclesia restitueret sicut tempore Apostolorũ. Ex qua restitutione, per tres Ordines, & tres Leges à Francisco efficienda, remouerentur faciliter septem phialæ iræ Dei, iam remoto fumo cupiditatis religiosæ, ac redeunte aere in sua pristina puritate. Hacque puritate fieret in Francisco *ignita Curulis* in Curru igneo euecta, cui Solaris globus pro mira hasta inseruiret, ad tenebras ab aere vniuersi Orbis profligandas. Fieret *cælestis Lucina*, quæ innumeris partibus spiritualibus iam nouiter penè tota genita Ecclesia præsideret. Fieret *Regina altissima*, & vnica in altissima paupertate, cuius Regnum Cælorum est. Fieret denique *Seraphica Pronuba* in illarum nuptiarum celebratione, quæ tres sunt iuxta Interpr. nostrũ in Do. 20. post Trin scilicet *Nuptiæ Vnionis hipostatica*, & hæ celebratæ in Tẽplo veteri B. Virginis. *Nuptiæ iustificationis*, & hæ quotidie celebrãtur in Templo animæ fidelis. *Nuptiæ glorificationis*, & hæ cebrantur in Templo gloriæ cælestis. Ad has præfigurandas triplices nuptias, sine quarum cõpleta restuaratione Ecclesia à Francisco, ab aere vocis Christi genito, minimè reparari potuisset, tres Ordines instituit Franciscus, tresque eis Leges tradidit.

Paritas in Franc. quadrinomis.

IV *VINDEMIÆ ADSCRIPTVS OCTOBER*, quia ipse fert vini, omnia lætificantis, abundantiam, Mensemque abundantem hac de re potissimum nuncupant. Ponderat acutè Interpres noster impiam illam Pharisæorum cordium angustiam, in Concilio contra Iesum ita expressam. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit*? Ioann. 11. & addens statim tanti irregulati, ac stulti, vt ita dicã, mœroris ore ipsorum, & Christianorum eiusdem farinæ hominum causam: *Quia*, inquiunt, *eius signa nostris mentibus non apponimus, nec aspicimus ea. Relinquimus a quo finaliter relinquemur, si ea non piè & dulciter sentiamus*. Si dicas, quæ nam sunt illa signa? Respondeo, quod multiplicia, quia non desinit nobis ostendere signa, aut amoris, aut rigoris, quibus nos dignatur reuocare ad pœnitentiam. Vnde nobis ostendit.

Signa multa in Christo. In euersione vini sanguinis sui tria inspecie.

1 *Signa erigentis, vel indulgentis fiduciæ.*

2 *Attrahentis, siue porrigentis clementiæ.*

3 *Corrigentis, siue erigentis iustitiæ, &c.*

Hæc tria argumenta ita explicat ibi immediatè Interpres.

Istud est signum sanguinis pro nobis effusi, quod est signum excessiuæ dilectionis. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Apoc. 1. sicut benè figuratum fuit Gen. 49. de Iuda *Lauabit*, inquit, *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ palliũ suum*. Istud enim vinum non est aliud, quam sanguis pretiosus Domini, quo debeant inebriari corda fidelium. Istud siquidem vinum expressum fuit in torculari Crucis, *& ex ipso lota est stola nostra*, dum scilicet à peccato sumus loti; *& pallium nostrum*, dum scilicet innocentia est restituta. Ita Interpres, qui statim ibidem vsque ad finem illius serm. fer. 6. in Passione ostendit dignis scripturis *non solum Christi sanguinem*, ceu nobis amoris signũ, *verum etiam* (vt in argumento illo triformiter distributo proposuerat) *ceu signum* magnæ fiduciæ, & magnæ clementiæ, & corrigentis iustitiæ. Ceu signũ *magnæ fiduciæ, dũmodo in ipsum per ingratitudinẽ nõ operiamus* iuxta illud Iob 16. *Terra ne operias sanguinem meum*. Ceu signum diuinæ *Clementiæ*, quæ attrahit, vel porrigit per intinctionem sanguinis Agni Christi, iuxta figuram Exodi 12. de sanguine Agni Paschalis. *Intinctio sanguinis*, inquit, *est memoria, vel assumptio Passionis Christi, vt sit in corde per meditationem*.

Vinum perabundans est sanguis Christi.

Est signum magnæ fiduciæ.

Et post nonnulla alia infert eandem fiduciam, & clementiam his verbis. Et vis benè videre fiduciam huius sanguinis? Quia non clamat vindictam, vt sanguis Abel, sed misericordiam. Benè igitur signum erigenti fiduciæ. Cant. 8. *Pone me vt signaculum, &c.* Attrahentis clementię. *Numquid aliud significant Dei beneficia, peccatoribus abundè collata, nisi clementiam diuinam, quæ semper attrahere ipsos conatur?* Quod ita demonstrat sub simbolo Arcus, de quo Gen. 9. *Arcum meum ponam, &c. Arcus iste*, ait, *est securitas diuinæ iustitiæ. Hic ponitur in nubibus, dum scilicet diuinam iustitiam in pluuiam beneficiorum conuertit. Quæ sunt signa fœderis, & dilectionis, & amicitiæ inter Deum, & terram*, idest peccatorem. *Tertium signum corrigentis iustitiæ*, Isai. 11. *Leuauit Dominus signum in nationes, & congregabit profugos Israel. Et dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*. Verè plagæ, pro quibus anima vulneratur. *Est etiam signum comminantis sententiæ in reprobos, à qua nos præseruet misericors Dominus*. Sic conclusit Interpres totum illum sermonem.

Item & magnæ clementiæ.

Sic est arcus positus in nubibus.

Omnia signa amoris sui Christus, misticus Autumnus, de quo supra in Octobri mense, scilicet in abundanti collectione

Omnia signa amoris sui in mense Octobris misticè ostendit Christus.

ne fructuum octo Beatitudinum, & vini pretiosissimi in vindemia suæ passionis perabundè fusi. Signa eius, ceu prognostica infausta de amissione gentis,& loci, à Romanis tollendorum, vt vanè suspicabantur, timuerunt Iudæi, Credebant miselli, quod relictis illis, illud eminens damnum, quod compertè vicinum esse malè coniectabant, euitarent. Sed accidit contrarium, & illud idem fermè accidit, quod deinde iam sub illis signis fundata, ac stabilita Ecclesiæ Christianæ moles in se experta est. Verum relictis huiusmodi signis à Christianis,vt liberè explicare possent Satanæ insignia sub ductu superbiæ, luxuriæ,& auaritiæ, quæ cuncta alia scelera secum traherent, lacerauit, conculcauit,scidit, perdidit infelix Ecclesia signa erigentis, vel indulgentis fiduciæ. Attrahentis, siue porrigentis clementiæ. Corrigentis, siue erigentis iustitiæ. Quamobrem terra Ecclesiæ Romanæ operiens sanguinem Christi sui per ingratitudinem; ablataque ab eius corde sanguinis Agni intinctione, vidit super se irruentes Romanos Cæsares, Occidentales, atque Orientales,quorum postremos, vt antecessores prætéream, vltimum sui excidium tutè minitati sunt, & penè opere compleuerant Federicus I. Henric.VI. eius filius, Otho IV. Federicus II. & alii Reges, & Reguli,& Proceres,sæculares,& Ecclesiastici eorum Romanam authoritatem excelsam, tonantem, fulminantem sequentes.

Oblita ab Eccles.tempore ortus Franc.

Nihilominus orto Francisco de mense Octobri, eius natiuitas prænuncia extitit de restituendæ vindemiæ passionis Christi. Nam si verum fateri volumus, ex tũc Arcus fœderis ceu Christi indiciũ apparuit in nubibus Cæli super Vrbis Assisii Orizontem, quia ex tunc ob præcipuum illum nascendi modum infantulus ille exprimens,plorans & flens, litera A. Arcũ prædictum quamcitius appariturum, ac posíturum à Deo in nubibus Cæli. annũciabat, quamuis signum comminantis sententiæ Dei veluti reprobam explantãdam Ecclesiam valdè proximè demonstraret. Ita planè contigit, nam Diuina Iustitia ad preces Virginis in pluuiam beneficiorum conuersa est. Quæ pluuia restituit copiosum sanguinis Christi vinũ per Franciscum, integro biennio pluentem à quinque corporis sui canalibus ingentem sacrati cruoris vini copiam, clamantemque non vindictam vt sanguis Abel,sed misericordiam vt sanguis Christi. A quo effusus est quatenus vt effunderetur ipse manibus suis eos canales aperiret exterius, quos Christi charitas aperuerat interius, & ne vltra transiret, illud carnis obstaculũ, quod ipse Christus dignatus est remouere, impediebat.

Abũdè Franciscus effudit viuum pretiosi liquoris.

Idem Arcus fœderis in signum abundantis pluuiæ sanguineæ prætactus videtur à Bonauentura in prologo citato, vbi ad *apparitionem gratiæ Dei Saluatoris nostri Iesu Christi* in ortu Francisci, primò ipsũ nuncupat *Arcum refulgentem inter nebulas gloriæ, signum in se Dominici fœderis repræsentantem*, Deinde *Angelum veræ pacis*, ad imitationem Præcursoris Christi. Postremò *Angelum ascendentem ab ortu Solis*, & illum eundem, qui in aperitione sexti sigilli apparuit Ioanni Apocal.7.*& signum Dei viui* habebat, cuius munus, *& officiũ erat vocandi ad fletum, & planctum, caluicium, & cingulum sacci, signandique Thau super frontes virorum, &c.* Quæ omnia apertè demonstrant iuxta illud Psal. *Fiat Pax in virtute tua,& abundantia in turribus tuis*, Mensem Octobrem misticum (quo lustris quamplurimis caruerat spiritualis Annus Ecclesiæ) per Franciscum ad pristinum restituendum fore. Vindemiãque passionis Christi renouandam, ac proinde per Renouatorem suum denuò lauandam Ecclesiæ stolam in vino sanguinis Christi, & in sanguine *vuæ pallium suum.*

Noua arcana ex prol. Bonau.

V Reassumptis ab Ecclesia hac stola in vino lauata, & pallio in sanguine vuæ, iterum dicauit eam Franciscus, in Octobri natus *Libero Patri*, haud sicut tempore Romanorum, sed Apostolorum. Hi namque ex superfluenti Spiritus Sancti musto, vinoque cælesti ebrii spiritualiter effecti, ad illam insuetam variarũ linguarum loquacitatem, miramque eloquentiam prorupuere, qua stupore maximo totum Orbem conuerterunt. Quod donum nec defuit postea per suos Minores in Ecclesia, ab ipsis reparata per vitæ Apostolorum renouationem.

Istud donum reapse experta est in Interprete nostro, vt alibi diximus; misticè verò in cunctis,iuxta explicationem eiusdem Interpretis, ita docentis serm.2. in die Sãcto Pentecosten ad finem. *Qui Sancto Spiritu replentur, varijs linguis loquuntur. Variæ linguæ sunt varia de Christo testimonia, vtpote Humilitas, Paupertas. Patientia. Obedientia. Quibus tunc loquimur, cum ea in nobis ipsis alijs ostendimus. Viua est loquela, cum loquuntur opera. Cessent,obsecro verba, loquantur opera. Verbi sumus pleni, sed operibus vacui.* Hæc ibi.

Donũ variarum linguarum in reparanda Eccl. quale in Minoribus.

Plenitudo operum in Apostolis Christi superauit plenitudinem, ac multitudinem linguarum. Nullus amplius tunc loquebatur variis linguis,Christi virtutibus conformibus ex repletione vini Spiritus Sancti.

Sancti. Nam *Humilitatem Christi* in barbaram linguam mutauerat superbia vitæ. *Paupertatis Christi* lingua ferè in obliuionem abierat, vigente auaritiæ loquela. *Patientiæ Christi* idioma furor bellicus tẽporalis tyrannorum, ira effrenis hæresum & impietatum penè dixerim, destruxerat. *Obedientiæ Christi*, tam Patri æterno, quam parentibus carnalibus exhibitæ, nec amplius recordabantur mortales. Sed his restitutis in pristinam libertatem linguis & idiomatibus per Franciscum, & suos tres Ordines, innouata iam Christi fide per totũ Orbem, iterum Ecclesia *varijs linguis locuta est* per suos Apostolos, *prout Spiritus S.* vinum cæleste magna copia effundens in eorũ cordibus, *dabat eloquijs illis*.

Liber, qui & Dionisius, vini repertor, multiplex est.

LIBER, cui dicatus October, Bacchus est, quem alio nomine Dionysium nuncupant, & multas alias appellationes illi fabulæ tribuunt. Ad rem nostram eo modo faciunt, quæ sub nomine Dionysii, pro quo Dionysia festa Athenis, in honorem Dionysii instituta, sic feruntur. Dionysius vini repertor. Multos autem fuisse Liberos, Dionysiosue, ostendit Diodorus, quorum longè celeberrimus est, qui ex Semele, & Ioue genitum referunt. Hunc namque tertium faciunt, & Thebis Bœotis natum, & *Liberum* appellatum, iuxta quatuor sententias. Prima sententia Liberum dicit à liberando, quasi libertatis Deus esset. Secunda, quod Bœotiæ vrbes liberas fecerit, pugnans pro Bœotiæ libertate, vt loquitur Plutarchus. Tertia, quia vinum curas soluat, & mentem ab illis liberet. Quarta, quod vino vsi liberè loquantur. Seneca autem lib. 1. de Tarquil. vitæ subscribens tertiæ sententiæ, Liberũ appellatum dicit, *non ob licentiam linguæ, sed quia liberat seruitio curarum animum, & tristitiæ medetur*. Hæ quatuor sententiæ in vnum digno quidem nexu conueniunt, dum per effusionem nati infantuli Francisci de mense Octobri ipsum Franciscũ, (tum vt effusurum diuersimodum vinum in libertatem animarum, & Ecclesiæ, tum vt Libero diuini amoris Numini, in terreni amoris tyrannidis interitum consecratum) mente reuoluimus.

Cur Liber dicatur quatuor sentent.

Franc. exiit è Christi lateris vulnere ob duas rationes.

E vulnere lateris Christi exisse Franciscum, prout ipse Christus cuidam monstrauerat, suadet visio, quæ in Chronicis legitur. Ad cuius sacramenti intellectũ valeret admodum vulgatissimum illud Gregorii IX. ex antiqua prosa carmen.

Prima ratio ex Gregorio IX.

Verum de Christi latere
Nouus Legatus mittitur.
In cuius sacro corpore
Vexillum Crucis cernitur, &c.

Ipse tamen aliud arcanum illa claui Paradisi, scilicet lancea, quæ aperuit in Cruce Christi latus, nunc patefacere intendo. Ad aperitionem Dominici lateris *exiuit sanguis, & aqua*, vt testatur Euangel. Ioan. cap. 19. *Aqua scilicet Baptismatis*, explicat Interpr. serm. Domi. 6. post Trinit. *Et sanguis redemptionis. Aqua propter corpus*, quia *aquæ multæ populi multi*. *Sanguis propter animam*, quia *anima viuit in sanguine*. Quibus verbis infert statim hanc thesim. *Totum ergo Deo debemus, qui totum redemit, vt totum possideret*. Hæc ibi Interpres.

Aqua lachrimarum Christi pretiosissimum vinũ fuit.

Vini simbola totus sanguis, qui sub Torculari Crucis versauit Christus, explicat, vt prædictum. Aqua etiam omnis, quam lachrimis instillatam pluries ab oculis suis emisit ipse Christus, vinum extitit pretiosissimum. Eo namque adeò inebriatus fuit in operis Redemptionis aggressionem, vt omnium temporalium, etiam propriæ vitæ (cognoscens omnium peccatum, ad quod delendum per mortẽ Crucis missus à Patre fuerat) obliuisceretur. Hinc in illa parabola de homine quodam descendente ab Hierusalem in Hierico, quem latrones expoliauerant, vulnerauerantque, ac semiuiuum reliquerant, intelligens in Samaritano, illius curam agente, seipsum. *Alligauit* (ait textus sacer Lucæ 10.) *vulnera eius, infundens vinum, & oleum.* Quid autem voluerit ostẽdere per hunc curationis modum declarat Interpres noster in serm. Dom. 13. post Trinitatem his verbis. *In oleo, quod illuminat, peccati significat agnitio. In vino, quod inebriat, lachrymarum compunctio, qua anima inebriat, vt temporalium obliuiscatur.*

Lachrimæ ceu vinũ potentissimum inebriant.

Inebriata hoc vino ipsa Christi anima, oblitaq; vitæ corporis, ex tot huius oculis fleuit, teste Bernardo, quando *Factus est sudor eius* in Horto *tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terra*, quot vehemens ebrietatis diuinæ interior pressura, præualens ipsimet maximi terroris vehementiæ, aperuit exterius per totã carnem poros. Apparens tunc maximè totum Christum in vtroque homine veluti aceruum racemorum, à duplici torculari calcatum, ac pressum. Grandiores tamen oculi in corpore Christi fuerunt quinque plagæ, vnde veluti ab amplis canalibus effudit ceu lachrimarum vinum totum sanguinem. Hinc è vulnere laterali vt ostenderet inseparabilitatem inter sãguinem venarum sui corporis, & aquam venarum suorum oculorum, sanguis & aqua simul & semel exierunt. Aqua verò ad demonstrandum baptisma, sanguis autem pretium Redemptionis. Aqua in ordine ad corpus, sanguis in ordine ad animam redimendorum.

Totus Christi sanguis ceu lachrimarum vinũ

Pari modo videtur se gessisse in negotio reparandæ Ecclesiæ, cum in Francisco Reparatore suo, ab ipso immediatè electo simillimam effusionem aquæ lachrimarũ ex nimia, raraq; vini amoris Dei ebrietate legamus; & ita exorbitantẽ, continuam, & insuetam, vt de nullo alio adhuc quid simile reperiatur. Itaque vinum lachrimarum, harumque ebrietas vnica extitit in viro sancto. Vnica pariter fuit in ipso vini sanguinei effusio è quinque vulneribus super Aluernæ Monte. Fuit simul & ingens in ipsa actuali stigmatizatione, in qua, vt ferunt, penè totus Franciscus in proprio sanguine adnatauit. Ingens quoque extitit, integro biennio perfluens. Christi Baptisma in aqua lachrimarum Francisci ostendit suam figuram, immò sua trophea explicauit. Pariter & eius sanguis in illius sanguine vtrumque patefecit aduersus vinum illud, quod contra fidem baptismalem, & contra Christi sanguinem potẽtissimè armat Satan; de quo vino Interpres Dom. 2. Quadrag. *Vinum est inepta lætitia, quæ facit animam ebriam & mœchari cum mundo, vel cum hoste, &c.* Franciscus verò tum Christi baptisma in aqua lateris sui figuratum, tum Christi redemptionẽ, in ipsius lateris sãguine monstratã in opere reparationis Ecclesię propagauit strenuè in partibus infidelium, ac barbarorum, vt copiosę redemptioni Christi copiosa reparatio Francisci responderet. In partibus autem fidelium adimpletionem vtriusque prosequutus est Franc. per institutionem trium Ordinum, ac trium in ipsis baptismatum flaminis, seu pœnitentialium, de quibus aliàs dictum superius.

In Franc. effusio lachrimarum, & sanguinis ex ebrietate amoris Dei nimis rara.

Ad hoc aliquo pacto ostendendum secretum ipse Christus, erigens brachium dextrum exire fecit Franciscum è lateris sui vulnere, è quo super Caluariæ Montẽ à lancea vnius militis aperto exierat sanguis & aqua. Quasi diceret loquens his verbis; vnde exierãt aqua baptismatis, & sanguis Redemptoris abundè, & vterque liquor vt pretiosum vinum, inebrians, & lætificans; at illud ceu vinum album sicut aqua propter corpora, illud verò vt vinum rubrum propter animas redimendorum; meritò exire debet & ille, qui & aqua, & sanguine reparauit Ecclesiam meam, propagauit baptismum meũ, adimpleuit ea, quæ deerant passioni meę quantum ad saluandorum operationem. Sic abundauit vtrumque vinum, album scilicet, & rubrum in meo Reparatore vt in peculiari riuulo, quemadmodum in me Redẽptore abundarat, sed vt in fonte; & tam in me Redemptore, quam in meo Reparatore per me inebriata est ab vbertate domus meæ, & torrente voluptatis vini mei potata. Mensis ergo ortus Reparatoris mei dicandus vtique mihi Libero Numini, atque vero omnis libertatis christianæ Deo, qui reperi nouum vinum in nouæ legis, & Ecclesiæ fundatione. Quam postea per Franciscum à Satanæ seruitute liberauĩ, ad pristinam tranquillitatem reduxi. Liberam eloquentiam aduersus tyrannos elargitus sũ; subtraxique à molestissimis illis curis, quę circa res Mundi, carnis, & Dæmonis animas, meo sanguine redemptas, miserrimè vexabant. Totum ergo debet mihi homo, & totum Francisco: mihi vt Redemptori, Francisco vt Reparatori. Ipse namque totum redemi in homine, Franciscus totum reparauit, vt tam ipse, quam Franciscus totum hominem possideremus.

Inde Eccles. reparatio copiosæ Christi redempt. respondit.

Secunda ratio authoris haud leuis ponderis.

II.

Dies ortus Francisci ixta sex eius acceptiones.

DIES sex modis solet explicari. Nam vel est Grammaticalis. Vel Significatiuus. Vel Ciuilis. Vel Solaris. Vel Annualis. Vel Hebdomadarius.

Dies sex modis accipitur.

1 *Dies Grammaticalis* respicit Grammaticorum declinationem. In numero enim singulari tam masculinè, quam fœmininè dies à Grãmaticis pronunciatur. In numero verò plurali tãtum masculinè declinant. Illud tamen interest, quod dies in fœminino genere denotat tempus indeterminatum; & ideo diminutiuum est *Diecula*, quod significat breue tempus, & moram. Dies verò cum tempus significet 24. horarum, vel etiam spatium illud ab oriente Sole ad Solem occidentem, generis masculini est, nam illud tempus est determinatum. Sic diem æternum, & diem hodiernum potius dicimus, quam hesternam, vel hodiernam. Contra verò pro tempore incerto dicimus longa dies, non autem longus dies. Hinc

Dies grammaticalis respicit variã gramaticorũ declinationẽ

2 *Dies Significatiuus* in fœminino tempus denotat, vt est apud Iuuen.

Dies significatiuus denotat tẽpus, aut lucem.

Longa dies igitur quid consulit? &c.

Et apud Virgil. 11. Æneid.

Multa dies, variusque labor mortalibus æui,
Retulit in melius.

Iureconsulti item Bima, Trima, Quadrima dies vsurpant pro tempore biennii, triennii, quadriennii. Sed confunditur quandoque hæc differentia, vt videre est

est apud Virgil. 2. Æneid. Tulliũ ad Q.F. Plinium lib. 13. cap. 24. Interdum etiam significamus diem pro luce, tenebras vero sub noctis nomine. Virg. 6. Æneid.

Noctes, atque dies patet atri ianua Ditis.

Dies ciuilis lucem, & tenebras amplectitur hor. 24.

3 *Dies Ciuilis* constat horis 24 & lucem, tenebrasque continet. Prout continet hic dies lucem, nouem tempora particularia, seu temporis partes illi tribuũt, singulisque partibus sua præcipua nomina, vt tradit Macrobius lib. 1. cap. 3. Primum tempus est apud ipsum *noctis inclinatio*. Secundum *Gallicinium*, seu Galli cantus, quod tum Galli cantent. Tertium *Conticinium*, cum & Galli conticescunt, & homines quiescunt. Quartum *Diluculum*, cum incipit cognosci dies. Quintũ *Mane*, cum dies est clarus. Sextum *Meridies*, diei medium. Septimum *Occiduum*, quod & *serum* vocatur, & nox suprema tempestas, hoc est diei nouissimum tempus, sicuti est expressum in duodecim tabulis. Octauum *Vespera*, stella, quam Græci Hesperam noncupant, alii alio modo declinant. Nonum *Crepusculum*, vespertinum à crepero, quod dubium significat, tanquam lux dubia, quod incertum sit id tempus noctis, an diei existat. Prout autem item is dies amplectitur noctem, triformem dixerunt. Primam à prima eius face, à crepusculo exordiente, quod tunc primũ faces, hoc est lumina inferri incipiunt. Secundã à cubando, & sic *Concubiam* appellabant. Tertiã ab inidoneitate rerum agendarum temporis, & sic *Intempestam* vocabant.

Primo modo diuiditur in noue partes.

Secundo modo in tres.

Cur autem hunc diem Ciuilem nuncuparint, communis ratio affertur, quod in aliis, atque aliis Ciuitatibus, & regionibus, alio, atque alio modo obseruaretur.

Dies ciuilis Atheniensiũ

Athenienses diem ciuilem auspicabantur à sole occidente ad Solem iterum orientem.

Babiloniorũ

Babilonij ab ortu Solis ad Solem secundò exorientem.

Vmbrorum.

Vmbri, inter quos natus Franciscus, à meridie ad meridiem subsequentem.

Romanorũ.

Romani autem à media nocte ad mediã noctem, quorum à nobis quoque consuetudo obseruatur: adeout si quid ante mediam noctem gestum sit, id præcedenti diei adscribatur, Quod à media nocte subsequenti diei annumeretur.

Dies naturalis 12. horas habet.

4 *Dies Solaris* ille est, qui ab ortu ad occasum currit, & 12. tantum horas, & lucem tantum amplectitur, & in tantum à die ciuili distinguimus, & solarem eum nuncupamus, in quantum non continet tenebras, licet ciuilis etiam sit, & vt sic principio distinctius. Vide paulò infra vbi de hora ortus Francisci.

Dies annualis triplex. Festus Profestus. Intercisus.

5 *Dies annualis* dicitur, quia est dies totius anni ex institutione Numæ. Numa enim instituit *dies festos* pro celebrandis festibus. Dies profestos, qui vacui erant à festiuitatibus (Italicè, giorni di lauoro,) *Dies intercisos*, qui erant Deorum, hominumque communes. Et hi ex parte festi, & ex parte profesti erant. Dicebanturque intercisi, quod veluti diuisi essent, partemque sibi Dii, partemque homines vendicarent. Vide Macrobius primo Saturn.

Dies hebdomadarius quis.

6 *Dies Hebdomadarius* ita nuncupabitur, quia pertinet ad hebdomadam, quæ cum constet diebus septem, quilibet dies sumit nomen ab aliquo Planeta. Ordo Planetarum astronomicè, Saturnus. Iuppiter. Mars. Sol. Venus. Mercurius. Luna. Quibus retrogrado ordine, sed mutato in enumerandis septem totius hebdomadæ diebus vtimur, Cur autem nomina hi dies à Planetis vsurpent, ordinẽ autem minimè obseruent, quæstio fuit Plutarci, ad quam argumento astronomico respondet Sifilinus cap. 36. histor. Dionis. apud Alexandrum Taxonũ lib. 2. quæst. 11. apud quem etiam habes ex Angelo Politiano in suis Miscellaneis, quod dies Saturni in diem sabbati, diem verò Solis in diem Dominicum mutauerunt Christiani in gratiam Magni Constantini, prout in eius laudes testatur Niceph. Vide si placet eundem Scriptorem loco citato, percurreque subscripta, ne putes hæc modo ita singulatim, atque accuratè adnotata frustranea esse, atque a proposito argumento longe aliena, nec authoris intentioni fauere.

Dies Sabb. ac Domin. iuxta ritum Christianorum à ritu Ethn. mutati

DIES ortus Francisci, in quo *apparuit*, eluxitque *Gratia Dei Saluatoris nostri Iesu Christi*, siue accipiatur grãmaticaliter, siue significatiuè, siue ciuiliter, siue naturaliter, siue annualiter, siue hebdomadaliter, vt ita dicam, nonnisi felicissima prognostica afferre *poterat toti Mundo*. Diẽ, in quo Franc. natus est dupliciter trinum, totidemque auspicatissimũ dicere possumus, prout referre videtur duplici triduo, seu bino dierum ternario. Declaremus misterũ primò ex illo Gen. 1. *Fiat lux, & facta est lux. Et tenebræ erant super faciem abyssi*, ad cuius scripturæ intellectum legitur Exodi cap. 10. illud triduum, in quo *tribus diebus facta sunt tenebræ palpabiles in terra Aegypti. Vbicumque autem habitabant filij Israel erat lux*. Explicat Interpres Dom. in Septuag. valde ad propositum nostrum vtriusque textus con-

De die hebdomadario paulò inferius.

Primum triduũ misticẽ à die ortus Franc. feliciter auspicatum.

concordantiam, ita scribens. *Homo patitur ignorantiam diuinæ cognitionis, & suæ fragilitatis, & nescit discernere inter bonum, & malum, & hoc est triduum, de quo dicitur in Exodo, quod tribus diebus, &c.* Tres dies sunt, Cognitio Dei. Sui ipsius. Discretio boni & mali. Pro duobus primis orat Augustinus, dicens. *Domine da mihi cognoscere te, & me.* De tertio Gen. 2. habetur, quod *Lignum scientiæ*, idest discretio boni, *erat in medio Paradisi*. idest in mente hominis.

Prima dies illuminat ad cognoscendam animæ nostræ dignitatem. Eccl. 10. *Serua in mansuetudine animam tuam, & da illi honorem.* Sed miser homo *cum in honore esset, non intellexit*, Psal. 48.

Secunda dies illuminat ad cognoscendũ propriam infirmitatem, Michæ. 6. *Humiliatio tua in medio tui.* Medium nostri est venter, thesaurus stercorum, in cuius consideratione Superbia nostra humiliatur. Arrogantia deprimitur. Vana gloria exsufflatur.

Tertia dies illuminat nos ad discernendum inter diem, & noctem. Lepram, & non lepram. Mundum, & non Mundum, quæ valde necessaria est.

Nam mala sunt vitia stultorum: *Errore sub ipso*
Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.

Vbi sunt serui Dei, ibi lux est.

His verò diebus sunt tenebræ palpabiles in terra Ægypti, & super faciem abissi. *Sed vbicumque sunt serui Dei filij Israel lux est, de qua dixit Dominus, Fiat lux, & facta est lux.* Hucusque Interpres.

In die ortus Franc. dixit Deus fiat lux & facta est lux.

Sic videtur se gessisse Deum in illa prima die, in qua condidit paruum Francisci Mundum pro magni Mundi orthodoxi reparatione. In primo enim die illo ob apparitionem gratiæ Dei, &c. facta est lux magna per seruum Dei Franciscum, contra Aegyptii tenebras palpabiles ordinata, quibus Ecclesia lachrimabiliter occupabatur. Lux verè vnica, solius diei illius, ac prænuncia trium dierum memoratorum, ad quos perfectissimè exsuscitandos primum in seipso, postea ad eos mirabiliter renouandos in Ecclesia, nascebatur gratiosus infantulus.

Et ex ipsa luce factum est postea triduum.

Et reuera quantum Francisc. excelluit deinde in Dei cognitione, sui ipsius, & discretione boni & mali ob summam humilitatem (quam Christus ipsi dignatus est peculariter communicare, vt sibi ipsi peculiariter assimilaretur) tanto pariter eminens euasit *in prima die* circa cognitionem dignitatis animæ suæ, & aliarum, pro quibus Christus mortuus erat. *In secunda die* circa discretionem inter diem & noctem, &c. qua carens Ecclesia, eius fides vndique tenebrescebat. Quare dies ortus eius trium horum dierum auspicatissimos prænonstrauit euentus, sicque vario modo in se vnus, trinus erat pariter, ac triduum per respectum ad hosce tres dies. Eratque insuper triplex ille Domini dies, de quo idem Interpres serm. Dom. 5. in Passione, vbi hæc in specie super verba Christi Ioann. 8. *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est, &c.*

Secundũ triduũ misticẽ in eodẽ ortus Fran. die

Nota, ait, ista tria. Exultauit. Vidit. Et gauisus est. *Nota etiam, quod est triplex dies Domini. Natiuitatis. Passionis. Resurrectionis.* De

Dies natiuitatis Christi

1 *Die* Ioel. 3. *In die illa fons de domo Dauid egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Idest in die Natiuitatis. Fons, idest *Christus de domo Dei, & de vtero Virginis* egredietur, & irrigabit torrentem spinarum, *idest refrigerabit abundantiam miseriarum nostrarum*, quibus quotidie pungimur, & vulneramur. De

Dies passionis Christi.

2 *Die* Isai 27. *Meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus*, idest per diem *passionis, in qua sustinuit Dominus æstum, labores, & dolores.* In spiritu suo duro, *dum penderet in Cruce* meditatus fuit qualiter Diabolum damnaret, & humanum genus de manu eius eriperet. De

Dies Resurrect. Christi.

3 *Die* habetur Oseæ 6. *In die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum.* In his quatuor verbis, quatuor glorificati corporis dotes intelligimus. *Viuemus*, ecce Immortalitas. *Sciemus*, ecce Subtilitas. *Sequemur*, ecce Agilitas. *Vt cognoscamus Dominum*, ecce Claritas. *Abraham ergo, idest vir iustus, exultat in die natiuitatis de Verbo incarnato. Vidit oculos fidei ipsum pendentem in Crucis patibulo; cum quo immortalis gaudebit in cælesti Regno.* Hæc Interpres.

Dies ortus Fran. ad duo re ferendus est.

Dies ortus Francisci vel respicit solitariè natum infantulum, vt virum iustum, & eo excelsiorem in Ecclesia euasurum, quo & virum Hierarchichum effecturum, vt dixit Bonau. Vel in Francisco vt viro iusto respicit collectiuè omnes alios iustos, & electos ab ipso triplici trium Ordinum, ac Legum robore in Ecclesia reparandos, ac saluandos. Vtroque modo prædictum secundum triduum videtur vnus ille Franc. ortus dies aliquo pacto cõplectere. Quis enim adeo vnquam inter alios iustos tam præcipuo modo lætandi exultauit de die Natiuitatis Domini, de die Passionis Christi, & de eius Resurrectione, & glorificatione, sicut Franciscus?

Primo ad ipsum infantulum nascentem.

Nonne Franciscus primus extitit in Ecclesia, qui exemplum posteritati reliquerit,

rit, vt singulis annis in toto terrarū orbe erectis publicè, ac priuatè præsepiis cultu quodam nouo, ac pio celebraretur Christi Natiuitas? Nonne pariter solus Franciscus ob peculiarem gratiam inspiciendi oculo fidei Christū crucifixum meruit ipsis corporeis oculis sub specie seraphica eundem Cruci affixum, non solum ad aeris locum intueri, sed in propria carne, ad quam accessit ille, & seipsum crucifixum insueta crucifixionis forma fabrefecit? Et quid dicam circa Christi Resurrectionem, cum spiritus eius, vix è corpore solutus, reliquerit in carne patentia communis resurrectionis vestigia? Itaque in die Natiuitatis Christi in Christum natum, in die Passionis Christi in Christum crucifixum, in die Resurrectionis Christi in Christum resurgentem solitus semper fuit se transformare Franciscus. Quamobrem celebrans dies 25. Decembris Christi natiuitatem apud Grecium visus est cum Christo infantulo, illum vlnis suis cōplectens. Se totū immergēs longe supra solitum in meditanda in die Exaltationis S. Crucis super Aluernæ Montem Christi passione, Christum passum interius, exteriusque recepit. Obiens die 4. Octobris, cum signis quinque vulnerum patentia resurrectionis signa, extincto corpore remanserunt. Ergo dies ortus Francisci ipsum natum infantulum respiciens, triduumquoq; seu tres dies, nimirum, diem Christi nascentis, diem Christi patientis, diem Christi resurgentis respicit.

Fran. in diebus natiuit. & passionis Christi, & resurr. eius, se transformabat in Christum.

Itidem etiam pensitandum, quatenus ad omnes iustos idem ortus Francisci referatur. In Francisco Reparatore Ecclesiæ si eius modum nascendi inspiciamus, natum respicimus Redemptorem Mūdi. Verumq; enim natum legimus super stabuli fœnum in medio duorum animaliū. Atque in vtriusque natiuitate legimus apparuisse Gratiam Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, &c. Si verò attendamus cur in hunc modum huiusmodi Reparator Ecclesiæ natus, statim concipimus, cū propterea sic natum, vt crucifixus cū Christo, Christum crucifixū repræsentaret Orbi, & Christum crucifixum in Orbe renouaret, ac parturiret. Ipsumque deinde Christum in carne propria, & exanime veluti iterum surrexisse, & gloriosum apparuisse admirandum in modum patefaceret. Cum Abraham ergo quilibet vir iustus videns ortus Francisci diem, gauisus est. Nascebatur enim Franciscus, vt fons de domo Dauid, scilicet Christus refrigeraret per ipsum abundantiam miseriarum Ecclesiæ, quibus quotidie & semper à malo in peius pungebatur, & vulnerabatur. Nascebatur, vt iterum ipse Christus in spiritu suo duro per diem æstus in Cruce corporis Francisci Diabolum damnaret, & humanum genus liberaret. Nascebatur demum vt Christus, qui crucifixionem suam, & seipsum per eam renouauerat in Francisco, in ipso quoque tum spiritualiter, & gloriose in resurrectione spirituali Ecclesiæ suæ, per Franciscum resurgentis, tum etiam quasi corporaliter sed similitudinariè in illius corpore miro modo confossus, miro quoque modo resurgeret.

Secundo referendus ad omnes iustos ab eo saluādos.

III.

Dies ortus Francisci prout dies Saturni.

DIES hebdomadarius, scilicet illius hebdomadæ, in qua ortus est Franc. de mense Octobri, fuit dies 4. eiusdē mensis, & iuxta numerum dierum creationis Mundi fuit septimus, *in quo requieuit Deus.* Qui dies non amplius dies Saturni more ethnico, sed more Christianorum, dies Sabbati nuncupabatur, sic statuente Ecclesiā ex placito Magni Constantini, vt diximus. Eodem die obiit Franciscus, quia eodem die expleuit annum integrū vitæ suæ 45. licet non eadem hora. Nam obiit die Sabbati in sero, natus est autem in nocte media, vt infra ex haud leui coniectura, seu verisimiliter indicabitur. Quasi videatur Ecclesia celebrare in vno & eodem die natiuitatem, & mortem Francisci. Nomina septenorum hebdomadæ dierum per correspondentiam ad septem Planetas, quæ vt Numina adorabantur, haud sine aliqua ratione imposuit antiquitas.

Ab antiqui dies hebdomadarios nūcupati sunt nomine Planetarum.

Primæ horæ cuiuslibet diei argumento astronomico demonstrantes dominari proprium suum Planetam, ab illo tribuerunt ei nomen. Exempli gratia primæ horæ primæ diei dominium dixerunt habere *Solem.* Primæ horę secundæ diei *Lunam.* Primæ horæ tertiæ diei *Martem.* Primæ horæ quartæ diei *Mercurium.* Primæ horæ quintæ diei *Iouem.* Primæ horæ sextæ diei *Venerem.* Primæ horæ septimæ diei *Saturnum.* Quapropter primam hebdomadæ diē, quę nūc Christianis Dominica est, nuncuparunt diem Solis. Secundam diem Lunæ. Tertiam diem Martis. Quartā diē Mercurii. Quintam diem Iouis. Sextā diem Veneris. Septimam diē Saturni, dixerunt

Singuli Planetæ dominātur primā horam singulorū dierum quibus dant nomen.

xerũt,hancq;Ecclesia dixit postea Sabbatum. Regulam inueniendi regimen singulorum Planetarum supra singulas primas horas dierum, habes breui, ac faciliter apud præfatum Taxonum loco citato.

S P.Franciscus obiit anno Dom.1226. die Sabbati in sero, quarto Octobris die, & die Dominico fuit sepultus, ait Bonauentura. Hoc eodem mense, die, & hora natum Franciscum, ex sola præsuppositione, vt dixi, ipse assero. Nec litera Dominicalis illius anni 1226. scilicet D. vt est apud Ioannem Lucidum, qui etiam eandem literam assignat anno nostro ortus Franc.1181. sententiæ nostræ videtur aduersari, eo quod eadem litera D. diei 4. Octob. affixa tum in ãno ortus Frãc.1181 tũ in anno obitus 1226.cogeret asserere, neque in die Sabbati in sero natum esse, neque eadem die, completo anno ætatis suæ 45. extinctum, sed die Domminico immediato. Quandoquidem dies quilibet vel est Ecclesiasticus ciuilis tantum, vel Ecclesiasticus ritualis tantum,seu alio modo. Annus Ecclesiasticus duplex, ciuilis, & ritualis. Dies Ecclesiasticus ciuilis incipit in Romana Ecclesia à media nocte ad mediam noctem, & sic dies ortus, & obitus S.Frãcisci erat dies Sabbati in sero, qui incepit à media nocte diei Veneris præcedentis immediatæ,& durauit vsque ad mediam noctem diei Dominici succedentis. Dies Ecclesiasticus ritualis dum spectat ad celebrationem festorum quantum ad eorum officium,non eodem modo incipit, sed à primis vesperis antecedentis festi. Et sic tam illa nox media Sabbati diei 4. Octobris, in quo natus est Franc. anno 1181. tam illud serò etiam Sabbati,in quo extinctus ann.1226. quoad officium ecclesiasticum, quod tũc recitabatur die Dominica, respiciebat literam Dom.D. haud ratione diei ciuilis, qui erat Sabbatũ, sed diei ritualis quoad primas vesperas, Dominicæ succedentis in illo Sabbato post meridiem decantatas. Dies ergo ortus Francisci ciuiliter spectabat ad Sabbatum, ritualiter verò ad Dominicam.Hac distinctione,vt puto, remanet in sua veritate D.Bonau.& aliorum sentantia, quam amplexa est Ecclesia Romana, quæque est meæ præsuppositæ sententiæ circa diem ortus Francisci fundamentum.

Ann.1181.in quo ortus est Fran.& 1181 in quo obiit currebat lit. Dominic. D.

Annus ecclesiasticus duplex, ciuilis & ritualis.

Dies ortus Franc. ciuiliter erat Sabbatum, ritualiter Dominica.

Ortus est igitur Franciscus,filius gratiæ Saluatoris nostri, in eius ortu apparentis ad vitam sæcularem in die Saturni,secundum Gentiles. In die septimo secundum libros sacros. In die Sabbati ad 4.diem Octobris secundum Calendarium Christianorum.

SATVRNVS, vt Gentiles tradunt,petẽs ex Oraculo edoctus,& à Ioue à regno pulsus, asilum apud Italos, diuque apud Ianum Regem latitans, ea pars Italiæ Latium dicta est. *Hoc regnante ætatem auream fuisse* fingunt, terramque sua sponte expertem vomeris, & aratri, peperisse fruges; communes & nullis designatas limitibus agrorum possessiones fuisse.Regnãtibus in Ecclesia tum potestatiuè, tum moraliter plurimi visibiles, & inuisibiles tyranni, quorum Princeps Diabolus, ac proinde illa ætas tota ferrea effecta,ortus est in die Saturni Franciscus Italus. Ipse namque illam ætatem ferream ad auream ætatem, haud more Gentilium (licet & ad horum mutandos mores ex ferreis in aureos illius ortus directus) sed more Christianorum, & sicut Christi, & Apostolorum temporibus reducere debebat. Et ab Italia eam incipere priusquam per totum Orbem diffunderetur vsque ad remotiores fines Ethnicorum, Scytarum, Barbarorum, & vsque ad Mundi finem. Animarum vita ætate, siue melius duratione, quam vocant æuum Scholastici, per se interminabilis est; pariter & corporum ætas post communem resurrectionem. Ætas vitæ nostræ in hac peregrinatione finem habet. Post hanc peregrinationem nullum ampliùs agnoscit finem.

Regnante in Italia Saturno ætas aurea introducta.

Tiranni visibiles,& inuisibiles in ortu Franc.

Dum hic sumus inter mortales, ætas nostra in vtroque homine ferrea est, si malè viuamus; si verò benè, est ætas aurea. Hinc Interpres noster animam,benè viuentem in bona gratia Dei, auream nuncupat. Auream boni subditi consciẽtiam dicit. Auream Charitatem, Reginamque virtutum omnium hanc virtutẽ Theologicam appellat, quæque apud ipsum est ornamentum virtutum, connexionem, & ligamentum membrorum corporis mistici, estque Deus ipse, qui charitas est; & eius caput aurum optimũ. Igitur omnis ætas sub regimine aureæ charitatis,in cuius ligamento aureo splẽdore fulgent virtutes Cardinales, moralesque, politicæ, & facultates omnes, & artes, aurea dici debet. E contrario autẽ omnis alia ætas regimini charitatis multimodè aduersa ferrea appellanda. *Fugit arma ferrea*, Iob.20. Vbi Interpres Dom. 13.post Trinit. *Arma ferrea sunt necessitates vitæ præsentis, quæ durè premunt, &c.* Quæ necessitates si naturales sunt, minus premunt quã morales, quæ oriuntur ex criminum consuetudine: illis namque nos premit natura, quæ mater communis est, his

Mala vita est ætas ferrea bona verò aurea.

his verò Satan, qui tyrannus est animarum.

Hæc ætas ferrea hisce ferreis annis premens vigebat tempore ortus Francisci. Ad hanc in fauillam cum tota penè Ecclesia, ferrea ætate pressa redigendam, armauerat tria sua fulmina Christi dextera. Quia verò mutanda erat à Francisco, Ecclesiæ Reparatore in ætatem auream, voluit Deus, vt die Saturni nasceretur, & fabula de Saturno mutaretur in veram historiam per Franciscum, per quem idcircò mutaretur & Christus à Iudice in Patrem. Id, ni fallor, declarare voluit Deus, vbi semel vidit B.Leo, conscientię, & Ordinis regiminis Francisci secretarius, emissam cælitus super viri Sancti caput, cum eleuatus ferè vsque ad nubes, miro clarore circundatus, oraret, Schedam quandam aureis literis ita inscriptā, *Hæc est Gratia Dei*. Vide tom.1. Hierarch. fol.25.

Consignata aurea scriptura hæc Dei gratia, coronansque Francisci caput, incepit ab eius ortu, eiq; scriptura hæc Dei in Baptismate nomen tribuit, vocans eum *Ioannem*. Quia sæculum ferreum peccati, cuius molis pondus extremum excidium minabatur Ecclesiæ, Franciscus in Dei gratia per eiusdem Ecclesiæ erectionem mutauit in aureum. Arma ferrea Satanę abstulit, iuxta illud, *Si fortior illo superueniens, vicerit illum, vniuersa arma eius auferet, &c.* Lucæ 11. In quem locum pulchrè Interpres alibi datus ex serm.2. Dominicę 3. in Quadrag. loquitur de victoria Humilitatis contra superbiam, cuius arma ferrea quinque sensus corporis sunt, quamq. in Redemptione Mundi, & in fundatione Ecclesiæ debellauit Christi humilitas. Et in quā etiam alius sibi similis, edoctus iā illa in schola eius lectione, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth.11. Simile opus aggredi potest vt aggressus est humillimus Franciscus, reparans eandem, quam idem Christus fundauerat Ecclesiam. *Omnia, inquit, arma in quibus* (fortis armatus Diabolus) *confidebat, aufert &c. Vt de cætero nihil elatum, nihil altum, nihil vitiosum appareat in sensibus corporis, sed humilitatis insignia vbique se repræsentent. Hæc est mutatio dexteræ excelsi*, Isai.19.

Fran. gratia Dei dictus per auream scripturam.

Quia ætate ferream mutauit in ætatem auream

Et qualis hæc mutatio (addo ipse) nisi illa, per quam sæculum illud ferreum in aureum seculum mutatū est per Franciscum, & arma ferrea Diaboli, in aurea humilitatis Christi insignia? Vnde paulò infra Interpres demonstrans illam mutationem idiomate Chananeo ab ipsis sensibus explicatam, ita subdit. *Chananea lingua, idest commutata, quæ de vitijs ad virtutes, de superbia ad humilitatem commutabuntur. Et tunc apparebit in oculis humilitas, & simplicitas. In ore resonabit veritas, & benignitas. Ab auribus remouebitur omnis detractio, & adulatio. In manibus puritas, & pietas. In pedibus reperitur maturitas &c.* O verè aurea ætas illa, quam ortus Francisci de die Saturni præmonstrauit, seu ab ipso Francisco sub insignibus Humilitatis per destructionem ferrei sæculi tyrannorum, & armorum ferreorum Satanæ, & per renouationem temporum Christi, & Apostolorum iterum introducendam.

Et arma ferrea Satanæ in aurea humilitatis Christi insignia.

IV.

Dies ortus Francisci prout dies septimus.

Septimus dies ortus Francisci iuxta sacros libros, dies requiei Domini, & est etiam iuxta diarium meum dies ortus Francisci. *Septima die requieuit Deus ab omni opere suo*, Gen.1. Interpres noster in serm.Dom.Septuag. iuxta appellationem huius Dominicæ, quæ à septem nomen habet, septem aperit arcana, ad numerum septem fidei articulos, deducens eos ex septem diebus creationis Mundi.

In die septimo ortus Franc. contigit.

Ex 1. enim die, in quo *creata est lux* deducit 1. articulum fidei *de Natiuitate Domini*.

Ex 2 die, in quo creatum est *firmamentum*, deducit 2. articulum *de Baptismo*.

Ex 3. die, in quo creata *germina terræ, &c.* deducit 3. articulum *de Passione Domini*.

Ex 4. die, in qua creata *Luminaria cælestia*, deducit 4. articulum *de Resurrectione Domini*.

Sept. fidei articuli cum septem diebus creationis.

Ex 5. die, in quo creata *volatilia*, deducit 5 articulum *de Ascensione Domini*.

Ex 6. die, in quo miro modo *creatus est Homo*, deducit 6. artic. *de Missione Spiritus Sancti*.

Demum ex 7. die, in quo *requieuit Deus ab omni opere suo*, deducit 7. articulum *de Aduentu Domini ad iudicium. In quo*, ait, *requiescemus ab omnibus operibus nostris, & laboribus*. Et inferius. *Ecclesia septimo requiescit articulo ab omni labore, & sudore*, quoniam vt dicit Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lachrimam ab oculis eorum, &c.* Itaque hic Interpres laborem Domini in Ecclesiæ labore ponit, sicut in Ecclesiæ

requie

requie ipsius requiem. Ipsa namque Ecclesia testatur, *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*. Et verè labor Ecclesiæ circa inobseruantiã articulorum, & mandatorum Dei Sponsi sui labor est, sicut requies eius ex fructu, ac profectu obseruantiæ illorum, requies Sponsi sui est.

In septimo articulo requies Ecclesiæ.

Sciendum tamen, quod nonnunquam labor Domini circa Ecclesiam suam peruenit vsque ad extramum lassitudinem, postquam nullam requiem inueniens, veluti inquietum fit cor eius à vindice iustitia, vt prorumpat ad generales punitiones, quibus experiatur quam durum sit, & horrendum incidere in manus Domini, Nascitur Franciscus, & statim Baronius. de quo supra tom. 12. ad ann. 1182. in fine sic scribit. *Deus in conflatorio diuini spiritus hunc apostolicum formauit hominem*. Apponamus huic, adeo profundæ, atque misteriis plenæ sententiæ illud Ierem. 6. *Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum. Frustra conflauit conflator. Malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobũ vocate eos, quia Dominus proiecit illos*. Ad quam explicandam scripturam hæc præadnotauit Interpres in serm. Dom. 4 post Pascha respectu laboris Dei, in nobis laxati.

Cur in conflatorio diuini spiritus formatus Franc. iterũ expenditur.

Sex diebus omnia fecit Deus, *dixit & facta sunt*, Gen. 1. Sexta ætate Verbum caro factum est. Sexta die, & sexta hora passus. Tanta differentia est inter dicere, & facere, quanta fuit inter creare, & recreare. Creatio leuis, & facilis, quia solo verbo, imò sola voluntate. Sed recreatio valde difficilis, quia per passionẽ, & mortem. O cum quanta passione, & angustia, & dolore recreati sumus, & redempti! Et tamen facillimè peccamus. Ideò laborem Domini vacuum facimus. De quo conqueritur Isai. cap. 49. *In vacuũ laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*.

Discrimen inter dicere Dei, & eius facere.

In vacuum laboraui, dicit. *Quia cum peccamus mortaliter, quantum in nobis est, laborem, quem pro nobis sustinuit, vt nos recrearet, vacuum, sine effectu alicuius vtilitatis facimus. Et fortitudo diuinitatis quasi consumpta fuit in infirmitate humanitatis. Nonne videtur fuisse consumpta, cum ille Deus & homo ad columnam tanquam latro ligabatur, flagellis cædebatur. Alapis, sputis, torsionibus vexabatur?* Post hæc statim Interpres ostendit effectum huiusmodi laxitudinis Dei, supplè ad vindictam ob id iustè prouocati, annectitque explicationem præpositæ scripturæ de conflatione Dei, & eius fornace, ac ita subdit. Væh ergo miseris, vanis, & insanis, quos ista à Mundi vanitate non retrahunt. *Vanè fornacem suam consumpsit, quia vani facti sunt, pro quibus est passus. Vnde valde timendum est, ne sicut in principio* (vtpotè Gen. 5.) *Pœnitet me fecisse hominem: sic modo dicat, Pœnitet me redemisse hominem, quia consumpsi fornacem meam. Sed malitiæ eorum non sunt cosumptæ.*

Cur Deũ in vanum laborasse dicatur

Vnde Ierem. 6. *Defecit sufflatorium in igne, &c.* In conflatore diuinitas. In sufflatorio prædicatio. In igne passio. In plumbo, Christi humanitas. In argento, animæ nostræ designantur. In fornace ignis argentum plumbo purgatur, & clarificatur. *Ad purgandam argenti scoriam, idest animarum nostrarum malitiam, conuenerunt Deus & Homo, & ipsius prædicatio. Sed frustra conflauit conflator, & vanè consumpsit fornacem, sufflatorium defecit, & plumbum in igne passionis consumptum fuit. Et sic in vanum sine effectu laborauit, quia malitiæ nostræ consumptæ non sunt, Et ideo argentum reprobum proijcietur in gehennæ sterquilinium*. Quia animæ peccatorum mittentur in stagnum ignis. Hactenus Interpres.

Tria in Christo conflatore in conflãdam Eccles.

Proiecto in sterquilinium argento sinagogæ vt argento reprobo, ob quod conflator Christus in vanum laborauerat, nec post ingentem laborem aliam requiem in ea inuenerat, quam omnimodam lassitudinem mortis, & mortis Crucis; in conflatorio diuini spiritus conflauit, formauitque veluti in septimo die opus Redemptionis, septem fidei articulis conflatum, & requiem multam inuenit, vt ipsa Ecclesia fatetur illis verbis, *Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*. Cum autem istud Ecclesię argentum deterioratum esset, imò rugine multa induratum, & obscuratum vt ferrũ, iterum vt renouaretur indigebat huiusmodi conflatorio: nec defuit opportunis tẽporibus, in quibus eius diuinitas, humanitas, prædicatio, ac passio missis cælitus post Apost. & Discip. multis sanctis viris, Ordinum Institutoribus, de quibus inferius, ample innotuit, nec sine magno labore. Attamen magis ac magis deinde vani effecti mortales per plurima sæcula, etsi pro ipsis fortitudo diuinitatis quasi consumpta remanserit in infirmitate humanitatis, ipsa etiam Christi passio penè totaliter laxata experiebatur. Nam vanè formam suam consumpserat, nec videbatur posse amplius vanos & obcœcatos homines à Mũdi vanitate, in qua extremè superbiebant, luxuriabantur, auaritiæ intendebant, retrahere.

Quam deteriorata hæc Eccles. conflatio tempore ortus Franc.

Requies ergo ob id nulla in Christi pectore

ctore, reddito iam in ipsa pietatis suæ trāquillitate veluti inquieto. Sic cernens, vti in Ecclesia Hebræa, se conflatorem frustra in pluribus ex imitatoribus suis lōgo tempore conflasse, & vanè consumpsisse fornacem suam, & defecisse sufflatorium suum, & plumbum suum in ignē passionis consumptum fuisse, & in vanū sine effectu laborasse, quia malitiæ hominum, septem articulos fidei prædictos paruipendentium consumi non poterant, quasi prorumpens vt vindex, *Pænitet me redemisse hominem*, statuerat proiicere in gehennæ sterquilinium, vt argentum reprobum Ecclesiam omnem. Et iam sumpserat ad hunc effectum tria fulmina, & nisi Virgo Deipara placaret ipsum, ipsiq; monstraret Frāciscum vt virum idoneum ad eam reparandam, innouandam, purgandam, & in statum pristinum restituēdam, vtique vt reprobum argentum in ipso tunc proiecta esset quam miserrimè. Hoc aduertens Baronius, meritò scripsit. *Deus ad erigendam Ecclesiam suam in conflatorio diuini spiritus hunc Apostolicum formauit hominem, &c.* In tali siquidem conflatorio scoria animarum purganda erat, concurrens principaliter Deus & Homo, & ipsius prædicatio. Et ille Deus & Homo iterum crucifixus apparens in Francisco. In quo etiam requiem reperiens, & requiescens in tabernaculo Ecclesiæ per ipsius renouationem, duplicem diem septimum reperiret veluti duplicis requiei suæ diem. Hunc binum diem septimum præmonstrare voluit Deus, vbi ortū Francisci die septimo ad 4. Octobris euenire ordinauit. Nam ad pristinum cultum mirè redactis, ac veluti renouatis per Franc. cum fide catholica luce primæ diei Natiuitatis Domini. Firmamento secundæ diei Baptismatis Ecclesiastici. Germinibus terræ tertiæ diei passionis Domini. Luminaribus cælestibus quartæ diei Resurrectionis Christi. Volatilibus cæli quintæ diei Ascensionis Domini. Creatione spirituali hominis sextæ diei Missionis Spiritus Sancti: cōsequens erat, vt duplex dies septimus requiei Domini ad æternam præfixi requiem succederet.

Franc. vt cōflatoriū diuinū ad eam renouandam efformatum

Duplex dies septimus requiei Domini per Fran. exortus.

V.

Dies ortus Francisci prout dies Sabbathi.

SABBATHVM Christianorum aliud est à Sabbatho Iudæorum. Festum apud ipsos hucusque solemnissimum, eius solum mentio in Decalogo. Festum, inquam, super omnia festa excellentissimum, vel in memoriam beneficii præteriti, scilicet creationis Mundi, vel ad significandum aliquid futurum bonum per aduentum Messiæ, quem dum negant venisse, negando Christum Hebræi, haud mirum si passim vanitatis redarguātur vt delusi à Pseudomessiis, quod notat historicè, ac practicè Simon Maiolus to. 3. de pertinacia Iudæorum col. 1. vrgetque euentus præsentis anni 1666. similis forte illi, de quo idem author his verbis. Anno Christi 1465. Abraham Iudæus Astrologus ob coniunctionem Iouis & Saturni in signo Piscium denunciauit aduentum Messiæ; sed vanitatem eius redarguit tempus iam olim præteritus. Anno itidem 1500. Rabbi Lembein prædicauit aduentum Messiæ, & multi ex Iudæis ei fidem habuerunt. Quin ex Christianis quidam existimarunt propè adesse aduentum Antichristi. Nonnulli Iudæi furnos, pro pinsendis panibus azymis factos, deiecerunt. Quos futurum sperarent, vt anno sequēti Hierosolyma azima pinserent. Sed Rabbi Lemlein tandem conquestus est, impœnitentiam Iudæorum aduentū Messiæ retardare. Indè factum, vt omnes Iudæi anno 1502. in vniuersa dispersione sua diligentissimè pœnitentiam agerent per orationem, ieiunium, & eleemosynas, vt aduentum Messiæ tam propinqui promouerent, sed nihil effecerunt. Cum conscientia igitur cauteriata Iudæi Messiam hactenus expectant. Hæc Maiolus. Sed Messia Christus Saluator noster iam pro omnibus missus, sed à Iudæis crucifixus, venit, & ob id Ecclesia christiana, ab ipso fundata propriè incepit in die Pentecostes. Tunc enim impletis omnibus misteriis redemptionis, promulgatum fuit Euangelium, & post hunc diem cœperunt omitti festa Iudæorum, & eis substitui festa christiana. Primus autem dies festus occurrens sine dubio fuit Dominicus; nam festum Natalis Domini, & Paschæ, quæ etiam antiquissima sunt, nonnisi post aliquot menses occurrerunt. Natum esse Christum die Dominico, sur-

Sabbatū Hebræorum in memoriā beneficii creationis, & expectationem Messiæ,

In hoc secūdo plurimū delusi anno presēti 1666.

Qam excœcati, ac mēte capti Iudæi.

Eccles. christianæ inceptio in Pentecoste

Christus natus die Dominico.

rexisse die Dominico, misisse Spiritum Sanctum die Dominico, primum patet ex litera Dominicali B. affixa 25. die Decẽbris. Secundum ex Euangeliis constat. Tertium ex die Pentecostes, qui fuit 50. à Paschate. Vidè Bellarm. tom. 2. de Cultu Sanct. lib. 3. cap. 11.

Institutio Dominicæ successit sabbatho.

Ratio festi Dominici instituendi fuit vt succederet Sabbatho. Nam ius diuinũ requirebat, vt vnus dies hebdomadæ dicaretur cultui diuino. Non autem conueniebat, vt seruaretur Sabbathum, quia quæ erant in figura in lege veteri, per legẽ nouam finem habuerunt. Itaque Sabbathum ab Apostolis in diem Dominicum versum est. Sabbathum figura erat trium beneficiorum Dei, ad quæ omnia aliæ reuocantur.

1 Figura erat *in sensu allegorico* quietis Christi in sepulchro. Vt enim Deus Sabbatho quieuit ab opere creationis, ita Christus quieuit in Sabbatho ab opere Redemptionis, vt Apostolus obseruauit Hebr. 4.

Sabb. figura erat triũ beneficiorum Dei.

2 Figura erat *in sensu tropologico* mẽtis humanæ ab operibus seruilibus peccatorum. Iudæi enim dum Sabbatho otiabantur, significabant, venturum esse tempus gratiæ, quo liberati homines per Christum à seruitute peccati, quiete & otio spirituali fruerentur. Sic exponit August. tract. 3. in Ioann. & alibi.

3 Figura erat *in sensu anagogico* quietis sanctarum animarum quam post mortem in sinu Abrahæ expectabant, vt idem August. docet epist. 119. & deducitur ex Apost. Hebr. 4. Iam verò propter has ipsas causas, quibus Sabbathum fuit olim institutum, decuit vt post Christi aduentũ mutaretur in Dominicam. Nam quantum ad memoriam præteritorum, dies Dominica longè excellit Sabbathum. Refert enim nobis memoriam Natalis Christi, & Resurrectionis eiusdem, & aduentus Spiritus Sancti; quo die quodammodo nata est Ecclesia. Quantum autem ad significationem futurorum, Sabbathum planè cessare debuit, quia omnia, quę per Sabbathum significabantur futura, iam tunc completa. Nam Christus iam in sepulchro iacuit. Et quies animorum in Deo inchoatur: Et quies illa simplex spirituum defunctorum in sinu Abraham iam est mutata in quietem gloriosam, & beatitudinem, æternaliter duraturam, quam melius significatur per diem Dominicã, quam per Sabbathum. *Sabbathum* (scribit August. epist. citata) *recte datum Hebræis; qui post mortem ibant ad solam quietẽ, Christianis autem data dies Dominica; quia iam reuelata est gloria resurrectionis in Christo. Et quod præcessit in capite; etiam corpus totum expectat.* Vide Bellar. cit.

Sed decuit, vt post Christi aduent. mutaremus in Dominicã.

Ex quo infertendum, Sabbathum mutatum fuisse in Dominicam, relicto etiam Ethnicorum nomine, vt nõ amplius dies Solis nuncuparetur ante etiam Magnum Cõstantinum: nã postea baptizato Constantino, in gratiam eius, vt dictum est, liberè publicatum fuit nomen diei Dominici. Sabbathum verò etiam appellantes Christiani diem Saturni; in memoriã & honorem Virginis Mariæ, de qua scribit Interpres noster in die Sancto Paschæ super historiam de tribus Mariis, *quæ cum transisset Sabbathum, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum*. Et *valde mane vna Sabbathorum*, &c. Mar. 16. Mulieres, ait, Sabbatho siluerunt, quia mandatum erat vt Sabbathi silentium à vespera in vesperam seruaretur. Ideo religiosæ Mulieres, sepulto Christo, cum licuit operari, in vnguentis præparandis occupantur. Ideo à Parasceue vsque ad Solis occasum. Cumque præ angustia temporis non explere potuissent, mox translato Sabbatho in Solis occasu vt operandi licentia rediit, festinanter emerunt aromata, vt venientes vngerent mane corpus Iesu, &c.

Mane vna Sabbath. rũ quomodo intelligendum.

Hæc Interpres ibi, qui illo verbo *mane* ex tunc respõdit hæreticis recentioribus; inter quos præcipui Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 6. & Caluinus in Catena Augustini Morlorati. Hi namque illa duo loca Act. 20. *vna Sabbathi cum venissemus ad frangendum panem*. Et 1. Cor. 6. *Per vnam Sabbathi apud se reponat, &c.* & alia etiam intelligunt de die Sabbathi. Sed Bellarm. nuper cit. constat, inquit, Hebraismum frequentissimum esse, dicere vnum pro primo, vt Gen. 1. *Factum est vespere, & mane dies vnus*, idest primus; nam postea sequitur *dies secundus* &c. Vnus enim cum sit principium numeri pro primo solet accipi. Illud valde mane erat vna dies Sabbathorum, scilicet dies prima, succedens Sabbathis immediatè, quę facta est Christianis dies Dominica. Hæc dies vna, seu prima, hoc inquam mane post illud Sabbathum, quod erat solemnissimum festum Iudæorum, venerunt ad monumentum tres illæ Marię, vt vngerent corpus Iesu, at non repererunt ipsum, quia surrexerat Dominus, ex quo dies illa dies Dominica appellata est, ob quam cessauit apud nos tum Sabbathum hebraicum, tum nomen Solis Ethnicorum, vt dictum est.

Vnus dies, & primus dies apud hebræos idẽ passim.

Turcæ celebrant diem Veneris, in quo tenent natum fuisse Mahometem, & cum eo Orbis terrarum pestem. Quem inchoasse sectam suam tempore Honorii

Turcæ celebrant diem Veneris.

Papæ

Papæ ad ann.626.& anno 629. occupasse Regnum Saracænorum, notat Bellarmin. 2.p.chronol.contra quem etiam natum esse Franciscum exempla deinde, actaque eius, & suorum Ordinum probauere.

Apicularum proprietates ad mellea conficienda.

Istæ Mulieres (sequitur Interpr.) festinabant,laborabant,sicut laborāt Apes in cera, & mellis conficiendis. Vnde de eis dicitur in naturalibus, quod operationes Apum Spiritui Sancto sunt appropriatæ. Quoniam quędam faciunt ceram,& quędam mel, & quædam condensant,& quædam faciunt aquam, & congregant mel. Et quædam exeunt ad operationem in principio diei. Et quædam quiescunt quousque expergefiant ab aliqua.Deinde volant, & exeunt simul ad operandum. Per istam Apem,quæ alias euigilare facit intelligo B.Magdalenam,quæ quia Christum multum diligebat,alias fortè ad vnguenta præparanda sollicitabat. *B. vero Virgo Maria, postquam eius filius sepultus fuit, à Monimento (vt quidam dicunt) nunquam discessit. Sed continuè ibidem lacbrymans vigilauit, donec resurgentem prima videre meruit. Et ideo in eius honorem à fidelibus Sabbathum celebratur.* D.Innocentius Papa huius nominis I. probauit vt Sabbathū ad memoriam Christi Domini sepulturæ seruaretur. Vnde fideles, & maximè Religiosi ad honorem etiam Virginis die Sabbathi ieiunare soliti.

Dies Sabbathi à Christianis Christi Deiparæ dicatum.

Sabbathum extitit dies ortus Frācisci, ita iunctum diei Dominico, in quo sepultus fuit, vt eadem litera Dominicalis illius anni D. vtrumque diem suo modo respexerit. Id quod etiam contigit in Natali Domini ad diem Dominicum de nocte media, in qua fuit terminus Sabbathi, quo die fortè ingressa B.Virgo de sero in præsepe Bethleem,ibi statim nocte media peperit filium suum vnigenitū,ac primogenitū sub litera Dominicali B. vt notat Bellarm.tom.2.controu.lib 3. c.11. quod est de die Dominica. Illa gratia Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ apparuit in ortu Francisci, vt fert Bonau. illa gratiæ plenitudo extitit quam expressit Angelus in die Virginis Annunciatæ, ita dicens, *Aue gratia plena.* Nam in rei veritate ipsa gratia plena concepit, & peperit spiritualiter Franciscum, vt filius gratiæ Virginis diceretur. Ipsa educauit, protexit cum tribus eius Ordinibus,& legibus. Ipsa ad se in domo sua, & in die Sabbathi in Cælum transtulit,& in sedem vnde corruerat primus Angelus, ceu Angelorum Regina, posuit. Deipara enim designauit ipsum filio suo in opus reparandæ Ecclesiæ. Vt & idem Franciscus in Annunciatæ Virginis domo, scilicet in Ecclesia S. Mariæ de Angelo, seu de Angelis concepit, & peperit euangelicæ veritatis spiritum. Constituta sibi, & filiis suis Aduocata, & Patrona ipsa Deipara, ad cuius intercessionem cælitus sibi in eodem loco concessa Indulgentia illa, quæ in omni Ecclesia admodum peculiaris est. Quare vnde exiuit Minorum Ordo vt res noua,& eius Institutor vt nouus homo, & vt nouus Reparator Ecclesiæ, inde etiam exiuit vt gratia noua à gratiæ plenæ superfluentia erumpens prędicta indulgentia,quæ in restauranda Ecclesia noua esset, vtque in tali restauratione noua quoque essent omnia. Vide Bonau.cap.2.ad fin. & cap.2. in princip. iam alibi pluries allegatum.

Fran. oritur in die Sabbathi vt Virginis filius.

Ortus Fran. respexit diē Sabbathi,ac Dominicæ.

Immediatio deinde illa illius Sabbati ortus Francisci, adeo diei Dominico intima haud quidem caruit suo arcano.Nā sicut B.Virgo concepit, & genuit Christum, vt esset per crucem & passionem Redemptor Mundi,& Fundator Ecclesię Christianæ, quæ ipsi ob suam Resurrectionem postea consecraret diem suum, qui Dominicus diceretur. Sic par erat,vt dies, Virgini consecrandus, diei filio dicando immediatus esset. Ipsa namque fuit immediata Mater Christi, & cum ipso filio Redemptore corredemptrix fuit. Similiter contigit in ortu Francisci, qui cum deberet esse Christo Redemptori in reparatione Ecclesiæ simillimo, decebat quidem, vt dies ipsius ortus, qui etiam dies ipsius obitus extitit,fuisset Sabbatum immediatissimum diei Dominico. Vt sic Virgo immediata Mater Francisci etiā cū Francisco, passo & crucifixo in filio suo correparatrix principalior Ecclesiæ ostēderetur.

Denique ipse Interpres in tribus illis Mariis intelligit tres animæ virtutes. In Maria Magdalena intelligit mētis humilitatem. In Maria Iacobi Mundi contemptum. In Maria Salome Pacis iucunditatem. *In his tribus Mulieribus,* inquit, *tres animæ virtutes designantur, scilicet Mentis humilitas. Mundi contemptus. Pacis iucunditas.* Vide declarationem ibi loco citato. Sabbatum ortus Franc.prout immediatū diei Dominico ad Virginem, cui Sabbathum dicatum, & ad filium eius,cui dies sacratus Dominicus,respiciebat. Etenim in tribus præfatis Virtutibus se tam Virgini, quam filio Virginis maximè cōformari debebat. Sicut à Virginis, & Christi gratia peculiari modo genitus,& vt talis sub vtriusque gratia in die Sabbati diei Dominico iuncto oriebatur.

In tribus præfert m virtutibus Virginē, & Christum Franc: imitatus est.

Hora ortus Francisci diurnane, an nocturna. Si nocturna verisimiliter nox media.

HOra sub duplici acceptione venire potest, vtpote quæ illinc fabulam respiciat, istinc verò partem temporis, & hoc tripliciter. Vnde fit, vt hora fabulosa sit vna, hora temporanea triplex. Illa vnius formæ, ista è regione triformis.

Hora fabulosa Dea erat apud Romanos.

HORA fabulosa apud Romanos cuiusdam. Deæ nomen erat, ita dicta à Græco idiomate *Apetis oras*, hoc est venustate,& pulchritudine,cui præesse huiusmodi Dea putabatur. Hanc Romani existimabant esse Hersiliam, Romuli vxorem,quæ post viri sui apotheosin in cælum translata, pro Hersilia vocata est Hora. Vnde Ennius noster.

Teque Quirine Pater veneror: Horamq; Quirini.

Vbi autem hora denotat tempus, quadrifariè explicant eam Latini Interpretes. Primo iuxta morem antiquorum. Secundo propriè. Tertio per synegdochen. Quarto collectiuè per translationem.

Hora pro quatuor anni temporibus.

1 *Hora* dicēda iuxta veterum Scriptorū morē, hi namque accipiebant *Horam* pro qualibet temporis parte,adeout quatuor anni tempora quatuor erant apud ipsos horæ. Hora nempe erat Ver. Hora Æstas. Hora Autumnus. Hora Hyems. Sicque singulis quatuor horis, in quas totum annum disterminabant, tres menses tribuebant. Nimirum *prima hora verna* Martius, Aprilis, Maius. *Secunda hora æstiua* Iunius,Iulius, Augustus. *Tertia hora autumnali* September, October, Nouēber. *Quarta hora hyemali* December, Ianuarius, Februarius.

Hora pro vna parte diei æqualis cum aliis.

2 *Hora* proprie vt hodie vsus habet, est vna pars æqualis ex 24.in quibus dies ciuilis diuiditur. Vnde autem dicantur horæ, tres sunt sententiæ. Prima sententia est Macrobii, qui deriuat horas à Sole, eo quod Ægyptii Solem horam nuncupent. Vt propterea horæ etiā apud Ouidium Solis ministræ figurentur. *Secunda sententia* mauult horas dictas *apo to opo*, quod terminum significat. Siue ab *Orizein*, quod est terminare, definire, vel diuidere. Sunt enim horæ nihil aliud,quam spatia quædam æqualia,in quæ dies diuiduntur. *Tertia sententia*, putat horas deduci ab *apo tis oreos*, quo verbo vrina significatur. Ferunt enim Hermetem Trimegistum horas primus obseruasse ex vrina sacri cuiusdam Animalis, Serapi dicati Deo Aegyptiorum, qui Apis & Osiris dicebatur, & Bos erat. Quippe animaduertens Hermetes, ab eo animali diei & noctis vnius spatio, æqualibus interpositis interuallis,vrinam duodecies emitti,placuit in totidem horas diem ciuilem diuidere. Qui tamen postea duplicato numero in horas 24.est distinctus.

Hora dicatur, triplex sententia.

Hora per synegdochen pro die ciuili.

3 *Hora* etiam quandoque pro die sumitur,& sic pars pro toto iuxta figurā, quam synegdochen vocant. Sic Tullius 3.Ver.illis verbis; *Vt cum horis nostris nos essemus vsi, tu quadragesimo post die responderes*.vbi Asconius Pedan.horas suas vocat viginti dies, qui accusatori dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori. Et Virg.3.Georgic.

Nunquam crastina tollet hora.

4 *Hora* collectiuè sic dicenda, quomodo ea antiquitus dicebatur. Siquidem omnium horarum hominem veteres appellabant illlum, qui feriis pariter, ac iocis esset accommodatus, & qui cum assiduè libeat conuiuere. Atque ita appellatum Asinium Pollionem author est Fabius lib.8.cap.14.circa finem.

Hora ortus Fran.ad omnes has horas respicit.

Haud Dea fabulosa Romanorum, sed diuina, diuaque Gratia,omnis venustatis, ac pulchritudinis animarum sanctarum Prælata, Romanam fidem quamcitius ad pristinam eius horam,venustatem,& pulchritudinem restitudndam respiciens, cælitus exorta apparuit hora illa, qua natus est Franciscus. Hora vere memorabilis, siue complectens quatuor anni horas,scilicet tempora, vsque ad finem Mundi circulariter renouanda, siue respicns vnam tantùm diei ciuilis partem, siue cunctas simul. Ordinabatur enim hora illa ortus Frācisci ad sæcula futura in totius Ecclesiæ beneficium, & in destructionem horarum illarum, quibus in vno Asinio Pollonio videbatur tota Christiana Republica omnes horas suas ducere,sicut temporibus Noe, quando Mundus à diluuio destructus est. Qui etiam destruēdus finaliter ab igne cōflagrationis, quoniam ad prædicta tēpora Noe moraliter reducendus,testatur Christus apud Mat.c.24.*Sicut in diebus Noe,ita erit aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in Arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium,& tulit omnes. Ita erit & aduentus filij hominis, &c.*

Dies ortus Fran.pro nouissimis temporibus in quib.missus.

Dies ortus Francisci denotabat ea,quę memorat tempora nouissima Bonauent. in prologo illis verbis in principio. *Apparuit Gratia Dei Saluatoris nostri diebus*

suis

suis nouissimis in seruo suo Francisco; &c. Quæ vtique tempora futura sæcula vsq; in finem Mundi respiciunt. Reparatio enim totius Ecclesiæ, vsq; ad Antichristi tempora duratura est cum ipsa redemptione, pro cuius exequutione ordinata erat; quæ quidem redemptio extincto terrarum Orbe, præmia prædestinatis, pœnas reprobis in alia vita perenniter tribuet. Fallar, nisi Interpres noster vtramq; expresserit hora vna illa cœnæ euangelicæ, de qua Lucæ 14. *Et misit seruum suum hora cœnæ, &c.* Inquit enim ibi in sermone Dom. 2. post Trinit. ex Glossa. *Hora cœnæ finis est sæculi.* Vnde 1. Corinth. *Nos sumus, in quos fines sæculorum deuenerunt.* In hoc fine *Mittitur seruus, idest Ordo Prædicatorū,* ad inuitatos per leges, & prophetias, *vt repulso fastidio, ad gustandum cœnam se præparent, quia iam omnia parata sunt. Christo enim immolato, introitus Regni patet. Regni apertio est passio Christi, per quam Ecclesia,* vel vir iustus in primam cœnam ingressus, & in secundam ingressurus, dicit, *Factus est Dominus protector meus.*

Horamagnę & binæ cœnæ euangelicæ, horæ ortus Franc. referenda.

Hic propriè vt video hora duplicis cœnæ, & magnæ cœnæ, scilicet pœnitentiæ, & gloriæ (de qua idem Interpres ibidem, & nos superius explicauimus) omnia referuntur ad seruum Dei Franciscum, & ad eius Ordinem, vtrumque temporibus nouissimis pro illustranda Ecclesia missū. Ipsi enim Francisco non solum fuit tec mādatum opus reparationis Ecclesiæ per sensibilem Christi è Cruce allocutionem, verum etiam Christi Vicarius Innocētius III. in approbatione suæ Regulæ, *Dedit ei de pœnitentia prædicanda mandatum,* vt fert Bonau. cap. 3. in fine. Quamobrem à principio Franciscus vocauit Ordinem suum Ordinem Pœnitentium, postea Ordinem Minorum. Quo fit, vt huic Ordini iuris sui sit prædicatio, sicut est obligatio pariendi Sedi Apostolicæ, quæ simul & semel & approbauit ipsum, & dedit de pœnitentia prædicanda mandatum; quasi duę res sint in eo abs se inseparabiles, eius approbatio, & prædicatio. Illa liberè, licet haud sine speciali nutu Dei, à Romano Pontifice elargita. Hæc ab eodem demandata, & illi approbationi veluti anima suo corpori tradita, atque infusa. Hinc in sua reuelata lege tam prima ad caput 17. tam secunda ad cap. 9. egit de Prædicatoribus. Quod exponens Bonau. hæc scripsit in fine. *Patet quod Fratres ex sua professione habent prædicare. In quorum Regula inter omnes speciales tractatus de prædicationis officio continetur. Vnde certissimè constat, quod nullis aliis Religiosis plus competit prædicare ex ratione status sui, quam his, qui hanc Regulam profitentur.*

Ordini Min. quā propria sit euangelica prędicatio.

Approbatio ipsi ceu corpus, prædicatio ceu anima.

Missus hora Cœnæ pœnitentiali Franciscus, & Ordo Prædicatorum, ab ipso institutus, qui antequam diceretur Ordo Minorum, prædicatio euangelicæ pœnitentiæ ipsi iussa à Sede Apostolica, ac præcepta, necesse prius fuit plurimum laborare, vt remoueret ab Ecclesia fastidiū maximum, ac tedium omnimodum, quo veluti super cibo leuissimo, atque cōtemptibili nauseabat virtutes, fame verò insatiabili appetebat vitia; vt propterea inceperit Deus ipsam euomere, imò statuerat, vt ceu rem putrem, & nullo modo amplius retinendam, longe abs se proiicere. Ad istud porrò cōpletè remouendum fastidiū, contigit secunda Christi immolatio, quia prior contingerat in lignea Cruce super Caluariæ Montem. Posterior verò in carne Francisci super Mōtem Aluernæ. Altera pro fundanda Ecclesia, ac Mundo vna lege Euangelica redimendo. Altera autem pro reparanda Ecclesia, & ipsomet Mundo, & Christi, & Apostolorum vita innouāda per trium Ordinum institutionem, triumque legum legi Euangelicæ conformium traditionē. Sic denuò Christo in Francisco immolato, iterum sicut tempore Redemptionis patuit Regni cęlestis introitus. Regni enim illius apertio Passio Christi est, renouata in Francisco ad Ecclesiæ renouationem per eiusdem Passionis innouationem. Quamobrem ipse Legislator Franciscus Regulam suam *Clauem Paradisi* iure meritò nuncupauit.

Duæ Christi immolationes, altera pro redemptione, altera pro reparatione Ecclesiæ.

Hæc vna magna cœnæ hora, in qua ad finem sæculi missus Franciscus, & eius Ordo, sex alias horas misticè amplexa est. Alias Franciscus aggressum ex Dei, & Summi Pontificis mandato arduum opus minimè exequi potuisset. Patet ex doctrina Interpretis nostri, alibi adducta ex serm. Dom. in Septuag. vbi agit de sex animæ virtutibus, & sex dierū operibus, sex horis euangelicis respondentibus. Sex illis horis carens Ecclesia in suis mēbris, adeo dies eius abbreuiatus reperiebatur, vt penè dies suos omnes finierint, & nihil aliud expectarent, nisi nox omnimodæ destructionis. Illas sex virtutes nūcupat Interpres cordis cōtritionem. Oris confessionem. Operis satisfactionem. Dei & Proximi dilectionem. Vitæ actiuæ, & contemplatiuæ exercitationem. Finalis perseuerantiæ consummationem. Ad harum sex horarum renouationem missus est Franciscus, & ad has horas hora illa ortus sui proculdubio ordinata, ac propterea felicissima, auspicatissima, ac beata hora dicenda est. In ea quippe talem, ac

Hora ortus Franc. sex alias horas misticè amplexa est.

Has sex horas Ecclesiæ ab eo reparandæ restituit.

ac tantũ Pica vna Assisias peperit Reparatorẽ Ecclesiæ, per cordis contritionem, oris confessionem, operis satisfactionem, Dei & proximi dilectionem, vitæ actiuæ, & contemplatiuę exercitationem, &c. omnẽ Ecclesiæ noctem in diem mutaturum. Dicat ergo Bon. quod in hora ortus Frãcisci *Apparuit Gratia Dei Saluatoris nostri diebus istis nouissimis in seruo suo Francisco, &c.* Misso cum ordine prædicatorum hora magnæ, ac binæ cœnæ, vt supra.

Sentent. Bordon ex aliis, Fran. de die natum esse asserentibus.

Quo verò tempore illius diei ciuilis, legem & tenebras amplectentis, natus sit Franciscus, Franciscus Bordonus citatus in suo Cronologio, vbi cap. 1. num. 19. ostendit conceptionem Francisci fuisse de nocte, prius tamen resoluit hanc quæstionem sub num. 3 eiusdem cap. ita sciscitans, ac simul ex aliis respondens. *De die, an de nocte inciderit eius dies natalis inquirẽtibus, Respondetur, infantem innocuum quidam volunt natum esse de die.* Quod ita suadet, quia, ait, Peregrinus, qui eleemosinam ex eius domo habuit, admonuit stipem sibi dantem, vt Pica, quæ non poterat in domo parere, ingrederetur stabulum, in quo statim sine vlla difficultate genuisset filium suum, vt accidit. *Modo penegrini non de nocte, sed die eleemosinam quærunt. Rationabiliter ergo inferri potest puerum natum de die.* Hæc Bordonus: quasi non posset ille peregrinus, qui erat Angelus, in sero petere eleemosinam; deinde transacto aliquarum horarum spatio, rationabiliter necessario, vt posset mater grauescens è lecto surgere, seque accommodare, ad pergendũ secretò in illud stabulum alienum, nec domui suæ conticuũ, ibique de nocte parere primogenitum suum. Vide tom. 1. Hierarchiæ fol. 19. Igitur rationabilior apparet his modus dicendi, quod scilicet Francisci ortus potius de nocte contigerit, quam de die.

Sed refellitur, & cōtrarium probatur.

Sed qua hora noctis natus sit Francisc. verisimiliter ipse dicerem, quod natus sit media noctis hora, ab ipso Deo præfixa, qui ortum infantuli in stabulo ordinauerat, vt pariter circumstantiis tam loci, quam etiam temporis sibi assimilaretur. Ducor primum ad hanc amplectendam verisimilitatem argumento allegorico, ex tribus horis Interpretis nostri desumptum.

...ent. authoris verisimillima, ac tripliciter suasiua

Primum locum est illud Petri ad Christum Lucæ 5. *Præceptor per totam noctem nihil capimus, &c.* Vbi Interpres serm. Domin. 5. post Pascha ita explicat. Nox dicitur à nocendo oculis; tenet enim oculos, ne videant. Qui enim in nocte laborat, nihil capit, imo ante capitur. Psalm. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox.* Cum nox, idest obscuritas peccatorum sit in anima, tunc bestiæ, idest Dæmones per ipsam transeunt, ipsam dilaniantes. Qui in nocte, idest obscuritate huius vitę laborat, vt aliquid transitorium inueniat, nihil capit, &c. Par nox erat, in qua laborabat genus humanum, quando natus est Christus, vt eum redimeret, & in qua laborabat Ecclesia, pro qua natus est Franciscus vt eam repararet. Per noctẽ peccatorum transiebant bestiæ, scilicet Dæmones tempore ortus Christi, & tempore ortus Francisci, animas humanas dilaniantes. Harum bestiarum transitus, & excursus vndique liber in media nocte erat, quia tunc, quando profundè dormiunt homines, solent excurrere bestiæ, gregibus, & armentis insidiantes. Idcircò Christus natus est de media nocte, custodientibus pastoribus vigilias noctis in bestiarum incursus. *Dum medium silentium tenerent omnia.* Quæ vtique conuenientia in Redemptore Mundi haud incongrua profectò erit Reparatori Ecclesiæ, ferè in cunctis ipsi Redemptori persimili.

Par nox in Christi, & Franc. ortu misticè.

Par quoque cum ortus vtriusque, & hora.

Secundum locum. *Anima mea desiderabit in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te*, Isaiæ 26. In nocte, scilicet aduersitatis (exponit Interpres Dom. 1. Aduent.) ipsum desiderare, *& in mane prosperitatis ad ipsum vigilare debemus, eiusque passionis memoriale retinere.* Noctem in ortu suo, & mediam noctem, quæ tenebris suis ad summum, & vltimum terminum obscuritatis, & honoris est, elegit Redemptor Mundi, vt totum mane prosperitatis suæ in ipsa vita beata, ac diuina cursu annorum 34. nihil aliud esset, nisi passio, in Crucis patibulo super Caluarię Montem consummanda. Totum pariter mane dierum Francisci in triplici vita, chistiana scilicet, eremitica, ac regulari carens nocte læthalis culpæ cursu annorum 45. prosperitatem spiritualem animæ suæ sub gratiæ cælestis præuentione demonstrauit. In hoc pariter mane adeò retinuit Franciscus memoriale passionis Christi, vt nullus alius in Christum crucifixum interius, exteriusque se ita transformarit, sicut ipse. Vt igitur istud idem mane in illa Franç. vita, iustitia, & sanctitate felicissima nocti summæ aduersitatis, ac pœnalitatis responderet, sicut respondit in Christo Redemptore (quanto in suo mane in termino non plus vltra feliciore, tanto in sua nocte cum nõ plus vltra etiam aduersitate solo) congruum planè fuit, vt ipse quoque Reparator Ecclesiæ media nocte oriretur, & eius aduersitas tãta esset, & passio, quãta & felicitas in vtraque ipsi soli iuxta statũ suũ vnica.

Nox ortus Christi respondit mane vitæ eius

Pariter idip sumsua letur in Franc.

Tertium

Proprius locus Iesu medium est.

Tertium locū, & quidem cæteris præstantius est illud Ioann. 20. *Venit ergo Iesus, & stetit in medio eorum, & dixit eis, pax vobis* Vbi pulchrè Interpres Dominica 1. post Pascha aliàs allegatus. *Proprius locus Iesu medium est. Scilicet in Cælo. In Virginis vtero. In pecoris præsepio. In Crucis patibulo.*

In Cælo.

1 In Cælo, *Agnus qui est in medio throni*, idest in sinu Patris, *reget & deducet illos ad fontes aquarum*, idest satietatem cælestium gaudiorum, Apocal. 7.

In vtero Vir.

2 In vtero Virginis, Isai. 12. *Exulta*, scilicet corde, *& lauda* ore *habitatio Syon*, idest Maria, *quia magnus in medio tui sanctus Israel*.

In præsepio.

3 In Præsepio *in medio duorum animalium*, Isa. 1. *Cognouit Bos possessorem suum, &c.*

In patibulo

In patibulo Ioan. 19. *Crucifixerunt eum eo* (scilicet Iesu) *& alios duos*, Stetit ergo in medio. Sequitur, *Et dixit pax vobis*. Nota de pace prout vis. Hæc Interpres. Iuxta cuius monitum notauit Bonau. de pace prout voluit secundum rationis congruentiam.

Nam incipiens vitam Francisci, reperiensque inter ipsum, & Christum ab ortu ad obitum vtriusque præcipuam, mirandamque similitudinem, reciprocamque harmoniam, exorditus est ab ipsa apparitione *gratiæ Dei Saluatoris Iesu Christi, &c* Quæ quidem gratiæ apparitio tunc facta est, cum apparuit in sua natiuitate Saluator. At Saluator natus est nocte media. Item illa eadem nocte media apparitionis gratiæ Saluatoris, & ipsius Saluatoris, qui nasci elegit in medio duorū animalium, in medio quorum voluit vt & Franciscus pariter nasceretur, & ex tunc sibi conformaretur, *Rex pacificus natus est*, vt canit Ecclesia, & *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*, cecinit Angelus in ipsa media nocte ortus Christi. Sub eadē quoque gratia, quæ in media nocte, & in medio duorum animaliū exoriente Christo apparuit, ortus Franciscus in medio duorum animaliū; qui & vt *Arcus fœderis*, & vt *Angelus veræ pacis* nuncupatus est ab ipso Bonau. Igitur verisimilitas valde rationabilis suadet, vt coniectemus, quod sicut propria hora nascendi Redemptoris Mundi debebat esse nox media, quia *eius locus proprius medium est*; ita aliquo pacto decuit, vt eandem horam appropriaret Reparatoris sui natiuitati. Vt sic respiceret vt Agnus de medio Throni agnum suum, quem suā errantem cū ipso perquisiturum. Respiceret vt magnus de medio Israel paruulum suum Franciscum, in seipso magno magnū affectum.

Eadē gratia Saluatoris, qua de media nocte apparuit in Christo nascente, apparuit in ortu Franc.

Ex propriis medijs suis respexit Christus Franciscum suum.

Respiceret de medio duorum animalium ex præsepio, & de patibulo Crucis ex medio duorum latronum Franciscum suum. Qui ex iis propriis mediis à Christo suo inspectus, propria fieret ei media noctis hora in ortu, & duorum animalium medium, vt in medio Ecclesiæ positus ceu illius Reparator, ab ipso Christo electus, vnicus è medio patibuli fieret mansuetudine, sanctitate, crucifixione in medio Sanctorum.

Secundū argumentum authoris circa suam sententiam.

Secundum, quod me allicit ad hanc verisimilitatem, est cęremonia illa, ritusque, quem ex singulari indulto Sedis Apostolicæ tenet Ecclesia S. Franc. apud Assisium, quò corpus incorruptum Viri Sancti ingenti decore, ac veneratione seruatur, Ibi namque in sollemni festo Seraphici Patris ad 4. Octobris post cantatum officium matutinale, statim in nocte media sicut in sollemnitate Natalis Domini, celebratur Missa, in qua cōmunicant cuncti Religiosi Franciscani Vrbis Assisiatis cuiusuis Instituti, Clerici, Laici, Tertiarii vtriusque sexus, & cuiusuis gegeneris, Nimirum Conuentuales, Obseruātes, Reformati, Capuccini, Tertiarii Ex qua cęremonia videtur, admiraturq; quædam præcipua Dei prouidentia, ad piè coniecturandum, natum esse Franciscum in media nocte in fine quartæ diei Octobris, & super stabuli fœnum in medio duorum animalium. Et ad huius rei memoriam ordinasse Deum eius obitum ad eandem quartam diem Octobris in sero, vt in celebratione eius festi de media nocte, ipsum pariter fuisse persimilem Christo, tum in loco, & in modo nascendi, tum etiam & in ipsa ortus sui hora, medium Christi sui, exemplaris sui in omnibus sibi congruis, ac possibilibus ab ipsa natiuitate tenens.

Cæremonia Eccl. S. Frāc. Assis. in media nocte celebrantis sacrum festi S. Franc.

†

CAPVT

CAPVT II.

VITA CHRISTIANA FRANCISCI.

In qua intra Cathedralem S. Ruffini Vrbis Assisij Ecclesiā vocatum est in baptismate à Matre nomen nati infantuli Ioannes.

Christus dictus à chrismate, christianus verò à Christo

CHRISTVS *à Chrismate dictus*, vt declarat Interpres Dom. 24. post Trinit. additque statim ex Zachar. 2. *Ecce oriens, qui illuminat sedentes in tenebris.* Christianus autem dicitur à Christo, & vita Christiana à vita Christi suspicit nūcupationem, incipitque à baptismali lauacro. Christi Discipuli, inter quos duodecim Apostoli, Antiochiæ primum nominati sunt Christiani, vt scribit S. Lucas cap. 11. Actor. Vita Christiana Francisci durauit in sæculo annis 25. & in tantum hic sæcularem eam minimè nuncupamus, in quantum eius fides baptismalis nunquam fuit in sæculo ab aliquo lethali crimine maculata. Itaque eius tota vita sæcularis illa fuit, quæ in Matris vtero expleuit menses nouem.

Franciscus ergo infantulus ex stabulo, vbi natus est in medio duorum animaliū statim in domū suā ibi vicinā translatus est. *O Beatum virum* meritò exclamat Vadingus in app. §. 3. num. 8. *qui è primo vitæ limine suo assimilatur Creatori*. Sed in principio §. 4. immediati sic breui narrat totam Baptismalis Francisci historiam. Nato Francisco, inquit, fit in Baptismate Christianus. *Neque enim nascuntur, sed fiunt homines Christiani*. August. lib. lib. de S. Virg. cap. 7. Vocatusque IOANNES, à Matre, velut altera Elisabetha suadente. Patre in Gallorum finibus degente. *Adfuit baptismali ministerio Peregrinus, vestitu, & incessu graui*, qui vltro eleuando è sacro fonte infantulo se obtulit. Sed vt oblatum præstitit obsequium, & misteriosæ terminatæ sunt functiones, è circumstantium oculis disparuit *relictis genuum, quæ ad altaris propitiatorium flexit, vestigijs in marmore*. Quod vsque in hodiernum diem inter cæteras reliquias asseruari, crate ferrea munitum *in Ecclesia Cathedrali S. Ruffini, vbi res ipsa successit*, ad leuam ingredientis ipse vidi, traditionemque hanc vniuersalem esse per continua sæcula in illa Ciuitate, & æde ab omnibus accepi. *Extat etiam adhuc in eadem Ecclesia Baptisterium*, in quo sacro purgatus est lauacro, S. Franciscus, necnon, vt fertur *B. Clara*

Homines haud nascuntur, sed fiunt Christiani.

Angelus in specie peregrini, leuauit Franc. in Baptism.

Forma est satis antiqua, materia rudis, durusque lapis. Super fixam habet hanc Italicam inscriptionem. *Questo è il fonte, doue fù battezzato il Serafico P. S. Frācesco.* Ergo ducitur Frācifcus in Ecclesiam Cathedralem S. Martyris Ruffini, primi eius Episcopi, primique, quem Vmbriæ, vt altioribus radicibus Christianam, Catholicamque fidem, quam tempore Apostolorum Vrbs illa susceperat, figeret, firmaretque; Phabianus Papa anno 237. (teste Vghello citato ex aliis, licet Phabianum electum ponat Bellarm. 239.) direxerat, ibique martyrio coronatus est, cuius reliquiæ in prædicta Ecclesia, ab eodem Martyre ita nuncupata, summa veneratione asseruantur.

Baptisterium in quo baptizatur Frāc. & D. Clara.

In ista Ecclesia baptizatus est Franciscus, & factus est Christianus, non vt esset simplex Christianus, sed vt esset primus, qui renouans in Ecclesia, ab eo reparāda, fidem Christianam, illuminansque sedentes in tenebris, & vmbra mortis, nouo martyrii genere circumferret in sua carne Christum. Quiq. veluti alter Christus ab illo chrismate spirituali diceretur per intimam similitudinem compar Christo, quo vnxit postea eum ipse Christus interius in Mente, & exterius in corpore. In mente oleo Spiritus Sancti, proiiciens eū in conflatorio diuini spiritus, vt esset vir Seraphicus, & Hierarchicus. In corpore, sanguine proprio per sacrorum Stigmatū impressionem. Atque ob singularitatem duplicis Chrismatis, dupliciter quoque fieret ex Christiano Christianissimus, succedensq; quarto loco tum inter Leuitas Ecclesiæ, Stephanum, Laurentium, Vincentium, tum inter Patriarchas Basilium, Augustinum, Benedictum, vt scribit D. Bernard. de Euangelio æterno serm. 60. ar. 1. cap. 1. super illud Dan. 3. *Species quarti similis filio Dei*; tali quoque Christianissimi nomenclatura superlatiua eius excellentia innotesceret. Binum istud argumētum Christianissimi habes primò apud Bonau. cap. 8. ante sacrarum plagarum receptionē. Deinde cap. 14. biennio post eius stigmatizationem. Ibi Bonau. agit de pietatis affectu, & quomodo ratione carentia videbantur ad Frācifcum affici. Hic vero patientiam Francisci, & eius mortis transitum refert. Ibi declarans *ingenitam Francisci clementiam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat*, præsertim erga pauperes Christi, sic statim addit in principio. *Cumque in pauperibus christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret*; siqua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat, verum etiam ac si illorum

Quomodo Franc. duplici Chrismate vnctus.

Bis nuncupatur christianissimus à Bonau. Frāc.

illorum propria essent iudicabat esse reddenda. Hic postmodum contemplans Frãciscum nudum super nudam humum, ita seraphico ore, lachrimosisque oculis exclamat. *O vere Christianissimum virum, qui & viuens Christo viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari!* Semel igitur indutus Christo in baptismate Franciscus, semelq; Christianus effectus, bis deinde meruit fieri Christianissimus, vt superlatiua illa nomenclatura, quam vnicè in Ecclesia excullnerit, patefieret. Sed redeamus ad historiam.

Sententia recensiorū de baptismate Franc.

Recensiores, quos citat Bordonus memoratus cap. 1. cit. num. 12. opinantur verisimilirer Baptismum infantis Francisci dilatum fuisse vsque ad octauum diem, qui fuit tertia die Octobris (si volumus loqui congruenter ad tempora) in Ecclesia Georgii, & fuit die Dominico, relatione habita ad diem 26. Dominicam præcedentis mensis; vtrique quoque die affixa est litera C. quæ illo anno 1182. indicabat diem Dominicum. Verisimile autem est, quod eius Baptisma dilatatum fuerit vsque ad illam diem, quia eius pater tempore partus aberat à Gallia, paulò post reuersus tempore congruo, quo interfuit solemnitati huius sacramenti. Differentia Baptismatis per aliquot dies culpabilis non est, quia in lege veteri circũcisio, quæ remittebat peccatum originale, in cuius locum successit nostrum sacramentum, differebatur vsque ad octauam diem, Gen 17. Ergo dilatatio in octauũ diem non videtur irrationabilis, quando periculum perditionis filii nõ est in mora; par enim iudicium videtur esse vtriusque sacramenti in hoc, veteris scilicet & nouæ legis. Tempus conferendi hoc sacramentum est quamprimum, ne pereat anima. Sed dies nulla lege est determinatus. Quare Sotus in 4. dist 5. ar. 3. Vnde inquit. *Cum puer statim baptizari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis die, aut tertia, aut quarta; sed quando commodè potest in Ecclesiam asportari, & mergi, quod est octauo die, vt moris est, aut decima, &c.* Fuit ergo rationabilis ea dilatio, vt pater baptizandi expectaretur, & inculpabilis, quia dies Baptismatis non constringuntur, nec limitantur vno, aut altero die. Hactenus Bordonus ibi, rescribens placitum aliorum.

Sed relicitur vt parum solida.

Dico placitum, haud quia rationabilitatem suæ sententiæ circa eam, vt vocant, differentiam Baptismi, carpere audeam, ne eam gratissimè concederem, sed quia continet duo, quæ videntur directè pugnare veritati historicæ, à Vadingo superius relatæ. Primum est, quo asseritur Francisci baptismate contigisse in Ecclesia S. Georgii, non autem in Cathedrali S. Ruffini, quod contrarium esse, ipse Vadingus demonstrat, vt præmonstratum est. In illa S. Georgii Ecclesia *puerulus literas didicit Franciscus, ibique postmodum primitus prædicauit: postremò ibidem locum primum quietis accepit,* scribit Bonauentura cap. 15. Hanc Ecclesiam tradidit postea Gregorius IX, D. Claræ, ibique constructum Monasterium, quod adhuc sub inuocatione D. Claræ nuncupatur. In quo asseruatur inter cæteras reliquias, pannum illud sericum, quo B. Iacoba Romana de Septemsoliis corpus B. Francisci inuoluit.

Pãnum sericum, in quo inuolutum Fran. corpus

Secundum, quod continet illa sententia, veritati historicæ nec satis conforme sic se habet. Tota illa rationabilitas differendi Baptisma, videtur fundata in eo, quatenus decens fuerit, vt expectaretur reditus Patris à Gallia. At Vadingus scribit, baptizatum fuisse Franciscum, Ioannemq; à Matre, velut altera Elisabetha suadente, nuncupatum, *Patre in Gallorum finibus degente.* Si diceres, illam Matris suasionem debere referri ad Patrem, cui fortè per nũcium Mater ortum infantuli primogeniti retulerit, vocariq; Ioannem peroptauerit, id non tolleret vim argumenti, quia sententia illa apertè testatur, Patrem, expectatum vsque ad octauum diem interfuisse solemnitati, &c.

Nec obiectio in eius fauorem potest suffragari.

Deinde quomodo poterimus primum nomen, quod accepit Franciscus in baptismate nuncupare maternum propriè, & verè, vt vocat Bonau. & alii communiter, si Pater vel præsens per se, vel absens per literas primogenitum suum, suadere Pica coniuge, vocaret in Baptismate Ioannem, licet postea mutauerit ipsum alia ex causa in Franciscum? Peperit Elisabetha, cui merito comparatur Pica à Pisano & Vadingo, Christi Præcursorem, *& factum est,* vt scribit S. Lucas cap. 1. *in die octauo venerũt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine Patris sui Zachariam. Et respondens Mater eius dixit. Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. *Innuebant autem Patri eius; quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens. Ioannes est nomen eius,* &c. Vocauit Ioannem Christi Præcursorem Angelus Domini ante illius conceptionem, & ortum. Vocauit Ioannem Elisabeth ante circumcisionem. Vocauit tandem eum Ioannem in circumcisione Zacharias Pater eius. Quamobrē propriè nomen

Absurda ex recentiorũ sententia contra Bonau.

nomen Ioannis nomen paternũ scriptura extitit, Angelicũ verò nuncupatione, sed responsione maternũ. Ita in proposito, si nomen primũ Frãcisci, in baptismate sibi impositũ ex placito Patris (siue oretenus, quia præsens fuerit in solemnitate, siue per scripturam, quia absens) suadente Matre, deriuasset, vtique haud maternũ propriè, & verè cum Bonau. sed paternum dicendum esset.

Quemadmodum Pater deinde primogenitum suum Ioannem, relicto priori nomine, vocauit Franciscum, vt infra dicemus, nec puto sine consensu vxoris suæ, imò fortè id illi ipse antea suaserat, ne contristaretur. Nec tamen consensus ille, siue placitũ Matris potuit tantillũ aduersari, quin nomen illud posterius nomen paternum ab ipso Bonau. diceretur. Franciscus igitur incepit christianam vitam in Ecclesia S.Ruffini. Qui autem scripserunt in ipso Baptismate non Ioannem, sed Franciscum vocatum fuisse à Matre infantulum nostrum, citantur à Vadingo, & simul confutantur ex Bonau. & aliis in appar. §. 3. Sed de his fortè inferius.

SECTIO VNICA.

Duo explicans sacramenta. Alterum circa genuum vestigia, à cælesti Peregrino, leuante à sacro fonte Infantulũ, in marmore impressa. Alterum circa materiam, & formam, & duritiem vasis Baptismalis.

Christi virtus imprimens vestigia vestimẽtorum in quadã rupe, & alibi.

VRBIS Assisiatis Patriæ suæ in Cathedrali baptizatus est, absente Patre, infantulus noster, suadente Matre parentibus, & aliis, qui duxerũt eũ baptizandũ, vt Ioannem vocarent puerum suũ primogenitum. In sinu Angelici Patrini, sub Peregrini specie (nisi fortè sub illa forma fuerit ipse Christus) accepit Baptisma Franciscus. Vel Angelus misteriosè peregrinans, in sacra illa ministeriali functione leuauit de fonte Franciscum, & num fuerit ipse Christus posset obdubitari ex illis genuum in marmore presbyterii vestigiis, quæ reliquit, & deinde disparuit.

Beda super cap. 4. Lucæ ad illud, *Et duxerunt eum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat; & descendit in Capharnaum Ciuitatem Galilææ, &c.* ita refert ex aliorum relatu apud Glossam Ordin. Dicitur, quod cum Dominus de manibus illorum elapsus per medium illorum de rupis vertice descenderet, atque sub ipsa rupe lateret, *Subitò ad tactum vestis illius saxum illud subterfugit, & ad instar ceræ resolutum, quendam sinum, quo Dominicum corpus reciperetur effecit. Tantæ vtique capacitatis, quanta ipsum corpus extitit quantitatis. In quo vsque hodie vniuersa lineamenta, & rugæ vestis, quæ à tergo Domino fuerant veluti diuini sculptoris expressa manu seruarentur, &c.* Hæc Beda.

Audiuimus etiam à nostratibus Reformatis, loca Terræ Sanctæ de iure incolẽtibus, Dominum Iesum Christum plurima vestigia partium sui corporis lapidibus reliquisse per viam, qua hostes eius duxerunt ipsum, tum à monte Oliueti ad Vrbem Hierusalem per torrentẽ Cedron, tum baiulans sibi Crucem, exiensque in eum, qui dicitur Caluariæ locum, eũ fune ad collum ligata, furiosè trahentes, proiicientes super saxa, & super eadem calcibus, & fustibus percutientes, &c. Item ascendens postea in Cælum, in lapide prędicti Montis Oliueti reliquit peduum suorum impressa signa, ac lineamenta. Quid simile fertur de D.Petro Apostolo, imò ipse vidi anno Domini 1639. in Comitiis Generalibus, & in Congregatione generali anno 1642. in descensu schalæ subterraneæ ad carcerem D.Petri in radice Capitolii. Siue vt refert Breuiar.Rom. die 2. Iulii in commem. SS. Mart. Processi & Martiniani, sub custodia Mamertini in Monte Tarpeio. In qua custodia erumpens ex eius pauimento ad orationem Apostolorum aquæ riuulus, eò baptizati sunt iidem Martyres. Dum ergo Neronis ministri inferrent ibi cum D. Paulo Apostolum, quidam ex illis ambos comprimens, trahensque, impulit bestiali ictu ad lateralem eiusdem schalæ parietem Sacrosanctam Petri faciem; statimque altera eius pars in lapide illius parietis, etsi impolito admodum, rudi, scabroque, remansit adeo ad viuum, intimeque impressa, vt post tot sæcula intra ipsum saxum, ex frequenti fidelium corollarum, labiorumque osculorum contactu haud parum incauatum, vt eius forma mirandum in modum distinctè apparuerit.

Quid simile fertur de D.Petro.

Historiæ pariter rerum Seraphicarum mirum hoc, haud impar præmemoratis adnotarunt in B.Francisci persona, prout hucusque frequens, communisque ceu testis oculata (& ipse etiam iam inspexi, & osculatus sum) fatetur admiratio. Audi Gonzagam p. 2. in Cõu. 18. B. Iacobi Podii Busconis, huius Prou. Romanæ, quem

Et de Beatõ Franc. cuius plura exempla.

1. in Conu. Podii Busconis.

modo

2. Ad Capresenam.

modo incolunt nostri Reformati, & in eorum serie tenet locum 7. *Imminet*, ait, *alteri Reatinæ vallis parti saxosus quidam mons, seraphico P. Francisco olim familiarissimus, prout subitorum, pedum, capitisq; eius vestigia viuo lapidi supra naturam impressa, sacellumque ibidem erectum manifestè satis indicant, &c.* Alii deinde referunt Franciscum apud Capresenam vallem venientē Aluerniam, saxum quodam, quod tetigit, signasse. Et Insula Trasimeni Lacus (vulgo, *Lago di Perugia*) reliquisse plantarum vestigia in quodam lapide, super quem Vir Sanctus posuit pedes descendens de Naui.

3. Ad lacum Trasimenū.

At illud proculdubio mirandum, & ferè illi simillimum, quod retulimus ex Beda de Christo super eum Montis supercilium in manus Iudæorum incidenti: nā Franciscus in rabiem Diaboli super Aluerniæ Montem bis venit. Impingens quadam vice in Dei famulum sub horribili spectro Satan, contrudensque eum, cecidit Vir Sanctus longo tractu per aerē super rupem quandam. *Sed rupis illa diuinitus excepit ipsum, subterfugiens vt mollis cera ad tactum corporis illius, recepitque signa, & figuram eius, tantum spatij cedens, quantum Francisci membris, vt possint ibi tutè manere, necessariū erat*. Item transeunte semel Viro Sācto per arctam quandam semitā ad orā ingentis præcipitii, repentè incidit in horribilem, ac formidabilem effigiem; quam cum ad suas artes non posset reducere, iniectis in eum manibus, voluit à monte in profundissimum hiatū deturbare. Nihil erat, quod animosus Athleta præhenderet, seu quod à casu teneret. *Quare tersam petræ molem amplexus, illi vltro cedenti semet immersit, & tanquam molli cera digitos impressit. Quo dumtaxat remedio manifestum euasit vitæ periculum*. Vide Vadingum ad annum 1224. num. 8.

4. Super Aluerniam bis à Diabolo proiectus

Vicario suo communicauit Christus quodammodo cum auctoritate ligandi, atque soluendi virtutem suam non solum in Dæmones, sed etiam in saxa, vt sicut illi ad eius vocem fugam arriperent, ita hæc ad tactum corporis eius, in testimonium potentiæ Dei cederent, atque in se iconem membrorum retinerent. Idipsum effecit Reparatori Ecclesiæ suæ, in cuius signum, ac prognosticum ipsemet Christus vel immediatè in specie illa hominis, vel per Angelum suum accipere cōplacuit inter brachia sua, atque in baptismate è fonte infantulum leuare. Nec autē solum hoc, verum etiam genuum suorum vestigia in marmore propitiatorii altaris relinquere complacuit. Quasi ex tunc ta-

Cur Deus cō municauerit D. Petro virtutem imprimendi vultū suum in lapide.

citè illis annueret, sicque alloqueretur infantulum. His iconibus, ò magne, ac spectabilis puer, *Exemplum dedi tibi, vt quemadmodum ego feci* ad gloriam tui, ita & tu facias ad gloriam Dei ex Dei virtute. Signaui nunc genibus meis istum lapidem, cuius figuram, in Ecclesiæ constructione signatus, confossusque in Cruce retinui, quoniam in eiusdem Ecclesiæ meæ reparatione ponitur. Tu parē tenebis similitudinem, ac proinde decens erit profectò, vt sicut ipse ad præmonstrandā cruciformē corporis mei consignationē per plagas, & clauos, antea consignaui rupem, & in via torrentis Cedron lapides; pariter & tu ceu præludia consignationis corporis tui, à manibus meis peragendæ, tui ipsius in rupibus, & saxis vestigia relinqueres.

Cur etiā & eandem B. Franc. communicauerit

Et respicientes viderunt reuolutum lapidem tres illæ Mariæ, quæ valde mane vna Sabbathorum venerunt ad monumentū, vt vngerent Iesum, Marc. 16. *Erat quippe magnus valde.* Super quem locum Interpr. in die Sancto Paschæ ita scribit. *Allegoricè lapidis reuolutio reserationem sacramentorum Christi, quæ velamine literæ legis tecta erant, insinuat*. Lex enim in lapide scripta est, cuius ablato tegmine *gloria Resurrectionis est ostensa*, & abolitio mortis antiquæ, & vita nobis speranda perpetua toto cepit Orbe prædicari. *Moraliter lapis reuoluitur, cum per gratiam pondus peccati tollitur, &c.*

Reuolutio lapidis sepulchralis Christi quid allegoricè, & moraliter.

Eadem supernaturalis potentia, quæ reuoluit lapidem magnum ab ostio monumenti Christi, reliquit in marmore altaris propitiatorii Ecclesiæ S. Ruffini vestigia genuum peregrini illi, qui cælitus venit, vt è sacro fontis baptismate leuaret Ioannem. Ergo sicut illa apertio sepulchralis, ob reuolutum lapidem veluti muto quodam ore locuta est allegoricè reserationem sacramentorum Christi in eius Resurrectione; ita quodammodo illud lapidis propitiatorii binum vestigiū, arcana plurima insinuauit de Francisco, in quo debebat surgere ad veritatem vitæ Ecclesia, ab eo reparanda. Et per abolitionem mortis spiritualis, ob quam veluti extincta iacebat, illam perennē sperare in suis vitam, cuius in toto Orbe exordium, sicut temporibus Ioannis Baptistæ, & Christi, & Apostolorum à Francisco incipiendum. Rursus sicut in prædicta lapidis sepulchralis Domini reuolutione moraliter ponderis peccati ablatio per gratiam monstrata est: ita quoq; in illa signatione marmorea Ecclesiæ Sācti Ruffini à genibus peregrini relicta, baptizato infantulo, & Ioannes vocato, aliquid

Ipsi respondet aliquo modo binū vestigium marmoris à peregrino impressum.

aliquid equidem simile præostensum est. Enimuerò signi Thau pœnitentialis Crucis vestigium (vt loquitur Bonau. in prologo) quod Dei gratia, qua vocabatur infantulus ipse, ad quod alludens incepit idem Bonau. prologum Legendæ Francisci his verbis, *Apparuit gratia Dei*, imprimere debebat per ipsum Ioannem sub nuncupatione Francisci; criminum pondus, quo opprimebatur vniuersa Ecclesiã, tollendum erat, & Ecclesia ipsa ab humeris Francisci erigenda.

Vestigiũ illud binũ vt os quodã ad præconia infantuli Frãc. efformatum.

Apertum est illico os mutum Zaccharia, vt benediceret Dominum Deum Israel, plura referando misteria; vbi auditum est nomen filii sui *Ioannes*, ab ipso per scripturam ita vocati. Et in illo marmore, quod fodit genibus suis cælestis peregrinus, vbi infantulus baptizatus accepit Ioannis nomen, impressum est os quodam lapideum, vt ipsum prædiceret benedicendo Deum infantuli baptizati præconia, qui ipsi Præcursori Christi per imitatoriam paritatem multimodè assimilandus erat.

Impressiones in lapidibus, scissuræ, & suffossiones solent nonnunquam in nonnullis mirandis euentibus sine vocibus loqui, vt testatur D. Basilius, Seleuciæ Antistes orat. 15. loquens de signatura illa, quam Saul lancea sua reliquit in pariete, cum quo impius, ingratusque Rex vt Dauidem ipso configeret, in ipsum eã direxerat. *Illam*, ait, *paries excepit, omnibus facinus indicat. Lapis funesta manus monumentum teli sustinuit impressionem, atque audacis facti accusator in natura, sensus ex parte, cadis tulit simbola, &c.*

At marmor illud haud cædis simbola tulit, sed cum vestigiis genuum peregrini quodam binum os accepit, binamque linguam veluti mirandi præconis; qui explicans magni pueri ortum, eiusque innocentiam, ac puritatem, ab eo mira assistentia Dei vsque ad mortem obseruandam, tot encomiis laudaret, benediceretque Deum in Ioanne, domus Moriconum primogenito, quot laudauit, & benedixit Zaccharia in Ioanne Baptista filio suo vnigenito. Ducor ad hanc proportionem ex doctrina Interpretis nostri super illud Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zaccharia filium in desertum*. Ioannes (exponit Interpres in Dom. 4. Aduent.) Prælatum, vel Prædicatorem S. Ecclesiæ significat, qui debet esse filius *Zaccharia*, qui interpretatur *memoria Domini*. *Vt semper habeat in memoria quasi in quodam memoriali Passionem Domini*. Et pauld infra super illud aliud, *Et venit in omnem regionem Iordanis*, ita subdit hæc alia Iordanis interpretatur *Humilis descensus, in quo compassio circa Christum designatur. Prælatus, vel Prædicator descendat, & condescendat, vt proximum iacentem erigat*. Potestne melius, mi Lector, ex persona Ioannis Baptistæ retrahi iuxta Interpretis nostri commentarium idea, atque imago Ioannis nostri Moriconi potissimum circa eius futuram prælationem, & prædicationem sub præfatis circumstantiis, & prærogatiuis? Duo ergo illa in marmore propitiatorii vestigia, seu signa, duas hasce excellentias veluti vaticinantia, in hunc modum quasi locuta sunt.

Io. Baptista pro prælato ac Dei præcone, qui totus debet esse Zacchariæ filius

Descensus prælati in Iordanẽ qualis.

Dum hodie in ista Ecclesia *Ioannis Moriconi* in hoc infantulo, sanctitatem Præcursoris Christi perfectissimè imitaturo, auditur nomen, & ipsemet etiam nouo quodam modo Christum præcursurus est, resonent in nobis veluti duo ora lapidea hæc relicta mirum in modum in hoc marmore vestigia, vt annuncient sæculis futuris mira arcana *de puero hoc, magno coram Domino* euasuro. Præsertim verò resonent nunc hæc pauca; quod ipse erit trium Ordinum Prælatus, & Institutor. Erit Prædicator pœnitentiæ, Ioanni Baptistæ, Christo, & Apostolis simillimus in renouationem totius Christiani Orbis. Erit filius Zachariæ, ita vnicus in memoria passionis Domini, quod ipse solus interius, exteriusque in Christum passum, & crucifixum ceu nouus Reparator Ecclesiæ Redemptori persimilis se transformare merebitur. Erit demum talis iste prodigiosus puer in descensione humilitatis tum per compassionem circa Christum, tum per descensionem, & condescensionem circa iacentem proximum, ab ipso cum tota Ecclesia subleuandum, qualis fuit Christus in fundanda Ecclesia sua. Quare vbi 12. encomia in suo Cantico expressit Zaccharias Pater Ioannis Baptistæ, alter etiam Zaccharias misticus Pater huius Ioannis, simul cũ tota Ecclesia penè eadem encomia ex nunc exprimere potest, sic intonans.

Quod primũ loquantur vestigia lapidea explicatur.

I. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis sua*. Hic enim Puer ille erit, in quo manus Domini erit. Per ipsum namque Christus Dominus visitauit, & fecit reparationem Ecclesiæ suæ, pro qua datus, ac natus: Et iam vt factum habendum id, quod breui per ipsum facturus est Deus.

Fecit Christus per Frã. repar. eccl. suæ.

II. *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui*. Nam iste puer talis apparebit, quod per eum cornu salutis in domo Dauid Christi tam certè, ac potenter erigendum est, vt in tuta Dei

Erexit cornu salutis.

pro-

promissione veluti erectum modo habendum. Nā redacta in nouum statum Ecclesia Catholica, domus Dei ex latronum spelunca reducetur ad pristinum, fietque damnatæ meretricis magnæ dedecus suorum sequacium in horrorem.

III. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum eius.* Nec is natus infans suis prophæticis sanctorum virorum caruit oraculis circa magnalia ab eo efficienda in totius Reipublicæ Christianæ innouationem.

Salus ex inimicis.

IV. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* Et benè hæc vniuersa cantare potest fides, quæ per hunc paruulū quamcitius ab inimicis ab eo subactis salutem adeptura est, & de manu omnium, qui eam odio habent, ac tyrannice opprimunt, aufugitura.

Superaffluētiæ misericordiæ Dei testimoniū.

V. *Ad faciendam misericordiam cū patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.* Ad hoc etiam natus est puer iste, vt vindex Deus, in Ecclesiæ eradicationē iustè armatus, mutarétur in Patrem. Et memor esset illius Testamenti sui sancti, quod condens in Cruce, reliquit Matri suæ Ioannem Euangelistam in filium, & hunc in eo Ioāne Matris intercessione ex tunc designauit ad huiusmodi efficiendā cum Patribus Apostolis, in ipsius vita reuiuiscentibus, misericordiam.

Iusiurando Dei succedens prmissio.

VI. *Iusiurandū quod iurauit ad Abrahā Patrem nostrum, daturum se nobis.* Huic iuriiurando, in Redemptore completo, successit promissio, iam ab Ecclesiæ exordio per Angelum, ascendentem ab ortu Solis, habentemque signum Dei viui Ioanni Euangelistæ præmonstrata. Quod scilicet daretur Romanæ fidei Reparator, & is hic puer Ioannes erit.

Triplex libertas Ecclesię in nouis Apostolis

VII *Vt sine timore de manu inimicorū nostrorum liberati, seruiamus illi.* Propterea namque apparuit in huius infantuli Ioānis Dei gratia, quam nomine ipsemet explicat, vt expulsa scelerum tyrannide sub triplici eius legislatione, triformiq; Ecclesiæ reparatione, triplici quoque filiorum Dei libertate, suaui Christi iugo, leuique onere triformiter restitutis, Deo suo à fidelibus, iam de manu inimicorum suorum liberatis, seruiatur.

Reparator Eccl in filiū perditionis.

VIII. *In sanctitate, & iustitia corā ipso, omnibus diebus nostris.* Reparatio enim Ecclesiæ nostræ Romanæ vsque ad consummationem sæculi in filium perditionis Antichristum proculdubio cum ipsa Redemptione durabit.

Præco & Præcursor Magni Regis

IX. *Et tu Puer Propheta Altissimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Tu enim felix puer præco, & Præcursor magni Regis effectus, ac *prophetali repletus spiritu* præibis enim ante faciem Domini, *vt testimonium perhibendo de lumine, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino præparares. Vt sic viam parans in deserto altissimæ paupertatis, tam exemplo, quam verbo pœnitentiam prædicares.*

Scientiæ salutis dator & magister.

X. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.* Nec alia esset hæc scientia ab illa, quam docuit suos Apostolos, & Discipulos Christus. Hæc enim scientia quæ stulta sunt Mundi elegit in Redemptore Mundi, vt confunderentur sapientes huius Mundi à viris plebeis, ac rudibus, &c.

Oriens ex alto Deus in Franc. ortu.

XI. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Et verè oriens ex alto in huius pueri ortu dicendus est Deus noster. In hoc siquidem puero viscerosa eius, & superfluens misericordia Dei visitauit nos, videns Ecclesiæ indigentia adeo extrema, vt ob eam à Dei iustitia remouenda videtur humana posteritas.

Director ad viam pacis. vt Angelus veræ pacis.

XII. *Illuminare his qui in tenebris, & vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Hic enim natus infans vt Angelus veræ pacis missus est, qui etiā in lucem datus credentium, sedentes in tenebris, & in vmbra mortis illuminabit.

Iuxta horum versiculorum numerum duodecim quoque paralella scripsit Beatus Pisanus noster fruct. & conform. 3. vt superius diximus. Ipse verò accommodans eos ad totidem præconia Ioannis nostri infantuli, ponensque eos in ore mistici Zachariæ; de quo paulò ante, ad bonum totius Ecclesiæ, quam duodecim Apostolorum consortio fundauit Christus, & reparauit Franciscus, resonare feci. Quem genuit Zaccharia Sacerdos ex coniuge sua Elisabetha, *vox clamantis in deserto* ex titit. Matth. 3. Et cur vox Verbi incarnati Præcursor, si vox nihil aliud est quam aeris respirati percussio? Respondet Interpres Dom. 22. post Trinit, (iuxta ea, quæ dixerat in Dom. 4. Aduēt: sed differētia ibi sunt, & nos attulimus supra, vbi de Autumno) *Vox est aer & Ioānes aer non caro erat: Quia nihil carneum, sed totum quod sapiebat erat cæleste.* Id postea verificatum & in Francisco, à Zaccharia, scilicet à memoria Dominicæ passionis genito per vocem Christi crucifixi intra Ecclesiam D. Damiani. Tunc enim positus ante illius imaginē, dicebat ipse cum Iob. 7. *suspendium elegit anima mea,* explicat enim Interpres ibidem paulò supra, & ita penè describit in viro iusto Franciscum; sicut postea descripsit Bo-

Cur vox dictus Christi Præcursor.

Fran. anima ad imitationem Ioann. Bapt. elegit suspendiū.

nau.

nau.ipsum orantem ante eãdem imaginẽ repræsentans, & à voce Christi patientis totum aereum effectũ, atque idcircò terna voce triformis Ecclesiæ reparatio ei, Francisco nomine, sed re Ioanni, præcepta. *Suspendiũ*, inquit, *est eleuatio visionis ad Dominum. Vir iustus fune diuini amoris eleuatur à terra, & pendet in aere dulcedine cõtemplationis, & tunc quasi totus efficitur aer, nihil habens de carne, idest carnalitate.* Quod & perfectissimè completũ est in infantulo nostro, nihil ab ortu suo de carne habẽte, quia spiritualiter conceptus, & natus, & educatus à gratiæ cælestis præuẽtione, totus fuit aer, totus vox clamãtis in deserto pœnitentiæ, totus Ioannes plus imitatione, quam nomine. Quare voce Zachariȩ memoriæ Domini crucifixi potest meritò de eo tota Ecclesia lingua Zachariæ Sacerdotis exprimere canticum, *Benedictus Dominus Deus Israel*, &c.

Vas baptismalis Franc. loco ortus eius simbolicè respõdet.

Fons etiam, in quo baptizatus Franciscus nõ caret profectò suo misterio, cum, vt video, loco eius natiuitatis symbolicè correspondeat. In stabulo ortus Franciscus in medio Bouis, & Asini. Quid vilius, quid abiectius, quid ignobili vtique contemptibinlius stabulo? Et tamen istud elegit in suo ortu Christus, istudque ortui Francisci ordinauit Deus, quia tam ille redimendo genus humanum, quam iste reparando, secundum ea, quæ diximus, vilia, abiecta, contemptibilia, ignobilia elegit, atque ex ipso vtriusque natiuitatis loco innotescere incepit, qualis futura esset amborum vita. Idipsum modo dicam ego, vbi audio Vading. ita de materia, & forma baptisterii, in quo Franciscus sacro purgatus est lauacro, & Ioannes vocatus, scribentem. *Forma*, inquit vt supra, *est satis antiqua, materia rudis, durusque lapis*. Itaque vas baptismale Francisci in sua rudi materia, lapidisque duritie quasi prænuncium extitit rigidæ, asperæ, duræque vitæ, quam in reparanda Ecclesia viliter, contemptibiliter, abiectè, ignobiliter sequi opus erat, vt tam ipsum vas baptismale, quam nomen ab ipso prima vice assumptum, nomine, & re ipsum in eo præmonstrarent Ioannem. Vnde Interpres noster loquens de eodem Ioanne Baptista super illa verba; *Quid existis in desertum videre hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domo Regum sunt, &c.* Obiurgat apostolicè viros religiosos, qui vestiri, ac nutriri delicatè student. Moxq; describens Ioannem Baptistam, ex ipso quodammodo erumpere facit Francisci ideam, Ioannes primò nuncupati, vbi in lapideo vase rudi, ac satis duro baptizatur. *Sed si B.*

In ipso præmonstrata rigiditas, ac durities asperrimæ eius vitæ.

Ioannes, ait, *prænunciatus ab Angelo, sanctificatus in vtero, laudatus à Domino, inter natos mulierum, &c. tanta fuit vsus asperitate;* Quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, reprobandi à Domino (nisi misericordia affuerit) quid debemus facere? Quanta afflictione, quanta asperitate nos affligere? *In deserto ergo pœnitentia sit vilitas habitus*. Ecce Franciscus sub habitu vili in deserto pœnitentiæ ex vilitate loci, in quo natus est ab ipso nascendi exordio, ex nascendi modo præmonstratus. *Asperitas victus*. Ecce eiusdem Francisci circa vitæ asperitatem prænunciatio, ex quo in vase materia rudi, duroque lapide baptizatus est. *Vt verè possimus* sub tãto Duce, ac Legislatore *vocari Religiosi, scilicet relegati ab omni voluptate carnali*, vt ait Interpres ibi.

Franc. idea ex imagine Io. Baptistæ extracta.

Ast nolim putes, Lector, præmonstrasse itidem locum natiuitatis, vasque baptisterii in Francisco illam deformitatem membrorum, aspectusque quam Tigurini in Chronico Matthæi Paris ad eum finẽ excogitauerunt in ipso, quem planè demonstrauimus tract.2.lib.3. cap.1. sect.1. Henricus Sedulius noster, probatæ notæ author (cuius plura rescripta sunt, ac dispersa in Annalibus Vadinghi ad 1. & 2. tomũ præsertim) in comment. vitæ Sãcti Francisci, quam edidit Bonauent. statim post exaratam Bullam canonizationis eius in 1. commentario agit *de sæculo, & ætate Francisci*, in altero mox immediatè scribit *de forma corporis*, atque principio hæc. *Certè non pulcher fuit, sed deformior vultu, & corpore*.

Ex vase baptismali Frãcisci minimè præmonstranda in Fran. corporis deformitas, quę verè in eo non fuit.

Attestatur Bartholomæus Pisanus conform. fruct.8. & conform. fruct. 10. *Membrorum omnium compositionem, sermonem, mores vniuersos depingit hoc verborum penicula*. Vide quæso, amice Lector, totam illam picturam apud ipsum Sedul. deinde loco cit. percurre ipsammet prout eandẽ rescripsimus ex Vadingo, vt possis verè concludere, nullam deformitatem colligi posse ex verbis Pisani neque ex membrorum compositione, neque ex sermone, neque ex moribus in Euangelico Legislatore nostro. Est propriè deformitas, quæ ex se opponitur haud mediocri, sed omnimodæ pulchritudini, qualitas quædam, qua quis turpis dicitur, fœdus, rudis, estque hæc deformitas quædam animi, & corporis prauitas, teste Tullio 1. de Leg. & in Off. Non fuit deformior neque vultu, neque membrorum compositione in partium corporis simmetria in vita sæculari Franciscus, quamuis natura mediocris, & plus paruitati, quam proceritati declinans. Nec etiam fuit facie defor-

Exploditur sententia Henrici Sedulii.

deformior, licet non ita pulcher aspectu. Nec mihi persuadere vnquã potero, florẽ iuuenũ nuncupatum Franciscum ab Vrbe Assisiate patria sua, nisi aliquatenus eius animi ingenua, spectabilisque forma, formæ vultus, membrisque responderet harmoniæ. Depingit eius animi formam Bonau. cap. 1. ita scribens. *Porrò mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia & tractabilitas supra humanum modum; munificentiæ largitas vltra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indicijs, quædam videbantur esse præludia, quod copiosior super eũ foret in posterum diuinæ benedictionis abundantia diffundenda.*

Forma animi Franc. ingenuissima, & ailquatenus formæ corporis respondens.

Formam pariter vultus Viri Sancti, seu faciei, in qua principaliter fœdat personam deformitas, refert idem Bonauent. apud Pisanum cit. confor. & fruct. 10. vbi sic. Vnde S. Bonau. in quarta par. maioris Legendæ dicit, quod B. Franciscus videbatur intuentibus homo alterius sæculi. *Quippe qui mente, ac facie in Cælum semper intentus omnes sursum trahere conaretur*. Hæc Pisanus. Si ergo Franciscus in vita regulari, in qua summa pœnitentię rigiditate ferè cõsumpserat corpus suum, mente & facie omnes attrahebat, sequitur, quod in sæculo delicatè enutritus (nec tamen neque irrationabiliter, neq; vitiosè vsq; ad mortale crimen allectus) certè non poterat esse deformior, vt vult Sedulius, quamuis pulcher non fuerit. Inter pulchrum enim, & non pulchrum datur medium, quo excluditur tam pulchritudo, quam deformitas. Et hoc medium potest dici nec pulchrum, nec deforme, sed quid mediocre, aliquidue ex vtroque temperatum, maximè vbi exclusa huiusmodi deformitate, excellens animi forma concurrit. Durities ergo, ruditasque vasis baptisterialis Franc. præmonstrauit in ipso, Ioanne tunc nuncupato, ruditatem, & duritiem vitæ ad vniformitatem rudis, austeræ, rigidæque Præcursoris Christi vitæ. Sub hac rigiditate ac duritie creuit deinceps illã animi formam, quam descripserat Bonau. explicaueratque longe ante Interpres noster super illud Ioannis Baptistæ, *Erunt praua, indirecta, & aspera in vias planas. Aspera,* inquit, *sunt fortium corda, quæ tunc sunt in vias planas, cum efficiuntur mollia, & mansueta, &c.* Hæc ruditas, rigiditasque vitæ, legi quam scripserat conformis, sub noua illa, & nondum in Ecclesia visa, & adeo aspera, rigidaque veste primò aspectu incussit horrorem Innocentio III. non autẽ deformitas vultus, aut membrorum ex aliquo naturæ defectu, quæ in Franc. non erat, vt eum, quem postea ex se vocari fecit, indignanter expelleret. Si Pontifex vidisset iuuenem Franciscum in habitu sæculari antequam deformis euaderet ob ingentem maciem, ac pallorem sub colore natiuo oliuastro ratione nouæ vitæ, legis & habitus, haud quidem deformem existimasset ipsum, sed potius *florem iuuenum,* moribus & aspectu hilari, placido, modestèque viuido, meritò nuncupatum à suis Ciuibus adiudicasset.

Inter pulchrum, & nõ pulchrũ datur medium

Aspera sunt fortium corda.

Florẽ iuuenum dixisset Inn. 3. si antea vidisset Franc.

CAPVT III.

Vix factus Christianus Infantulus noster, nuncupatusque à Matre Ioannes, auspicatissimum Moriconum stemma felicissimo Libræ signo tum astronomicè, tum misticè iunctum est.

Astrolabium misticum in Francisco.

IN mistico Interpretis nostri Astrolabio pluribus loquendi formis, & tam ad commendationem virtutum, quam vitiorum exprobationem, vnde totum animę regimen pendet, tria loca præcipua reperio, in quorum primo loquitur de Prædicatoribus Dom. 5. post Pascha. In secundo verè de viro contemplationi addicto Dom. 13. post Trinit. In tertio loco de vita spirituali fer. 2. hebdom. 2. in Quadrages. In primo loco super illud Iob. 9. *Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctibus maris*, postquam ex eodem dixerat Stellas esse Sanctos, &c. statim ita annectit, prosequens alia verba Iob allegata. *Cæli sunt Prædicatores sancti, qui pluunt verbis. Coruscant sanctæ vitæ exemplis, intonant pœnas æternæ mortis. Hos cælos extendit Dominus, vt vndique lumen effundant, peccatores cooperiant, & sic caueant, ne se temporalibus implicent*. In hoc etiam loco iuxta illud Ecclesi. 24. *Girum Cæli circuiui sola*, demonstrat Interpres cor iusti vt girum Cæli, à Deo circundatum, defensum, ac protectum. Hinc expendit statim continuans cap. 9. Iob, quid sit misticè Arcturum, quid Oriona, quid interiora Austri, sicut alias declaratum est. Sed afferamus secundum locum super illa verba Iob 11. *Excelsior Cælo est, & facies profundior inferno, &c.* Vbi Interpres vocat primo Cælos Angelos, postea subdit, *vel homo*

Astrolabiũ misticũ quale.

Prædicatores, & Angeli sub simbolo Cælorum

Homo est: cælum, infernus, terra, mareque.

homo Cælum est contemplatione, Infernus tentationum caligine, terra dum fructificat, mare dum mutabilitate agitur, &c.

Sed tertium locum quasi omnia alia comprehendens, integrum videtur comprehendere Astrolabium prędictum, quia omnem spiritualem vitam complectitur. Et Astrolabium nihil aliud est apud Latinos, & Mathematicos, nisi instrumentum, ex quo astrorum motus colliguntur. In vno homine, quem dicunt microcosmũ, idest minorẽ Mundum, pendit Interpres mundos tres, cælestes, elementaresque simul. Homo enim si mundanè viuit, primò mundus ille est, de quo Ioann. 1. *Et Mundus eum non cognouit.* Si iuxta eius naturalem dispositionem consideratur, Mũdus secundò est, vt exponit Augustinus in Genes. Hic Mundus Marci vlt. vocatur *omnis creatura*, prout exponit Gregorius. Denique si homo vitam agit spiritualem, fit tertio Mundus, theologicè, & astronomicè misticus. Ponamus verba Interpretis. *Alio modo dicitur Mundus vita spiritualis.* In qua debet esse *Empyreum*, quasi imperium libertatis, quæ subditur peccato, ne trahatur ad seruitutem. *Firmamentum* diuinorum beneficiorum. *Cristallinum* intelligentiæ & prudentiæ. *Septem Planetæ*, idest vniuersitas studiosæ occupationis. *Terra* constantiæ. *Ignis* charitatis. *Aqua* gratiæ, vel lachrimarum, vel deuotionis. *Aer* deuotæ orationis, qua nutritur charitas, calor scilicet, qui est in corde dilectio Dei, & proximi. Illum Mundum innuit Saluator cum dicit, *Ego autem non sum de hoc mundo*, igitur de alio, *scilicet de spirituali vita*. Hæc ibi Interpres, apud quem etiam in hoc eodem spirituali Mundo sub variis allegoriis, ac sensibus alias stellas, sydera signaque cælestia potes inuenire. Potissimum verò sicut in Sole Christo Dom. 1. Aduent. vbi totus Zodiacus eius sanguine proprio rubens, influensque ad omnimodam, plenamque Mundi redemptionem, quinque plagæ, & quatuor claui. Quem postea Zodiacum integrum transtulit in Franciscum vt iterũ influeret Mundo in suæ redemptionis effectuationem per Ecclesiæ reparationem.

Tres sunt mundi in homine, paruo mundo nuncupato.

1. Mundanus
2. Naturalis.
3. Spiritualis

Regimen naturale Planetarum supe ætates humanas.

Nascuntur homines sub variis Planetis, ac signis Cælestibus, à quibus circa vitam naturalem, animalem, corpoream que, in quam directè influunt, dominantur, & in vitam rationalem, & liberam, quam nullus cogere potest, nisi solus Deus, indirectè. *Omnis enim anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, scribit Diuus Paulus ad Roman. Astronomi dicunt, iuxta eorum regulas, Lunam dominari puero adnascenti vsque ad annum quartum infantiæ suæ, quo tempore idcircò puer semper est in motu ad imitationem Lunæ. Mercurius verò ab anno quarto vsque ad decimumquartum curam eius habet, vnde in hac ætate (quæ tota puritas esse solet, vt proinde ætas puerilis nuncupetur) effectus pueriles Mercuriales dicuntur. Ab anno deinde decimoquarto vsque ad annum 22. vigente adolescentia, Venus eius suscipit regimen; tunc enim homo incipit Mundum cognoscere, scire desiderat, studere, virtutique incumbere. Sol postea regit ab anno 22. vsque 41. hic enim omnium Planetarum Rex, siderumque, astrorumque Princeps, vires, & robur administrat iuuentuti. Succedit Soli ab anno 41. vsque ad 56. Mars; in hac enim virili ætate homo amplius bile abũdat, qua in iracundiam prouocetur. Mox ab anno illo 56. vsque ad 68. senectutis regimen Iuppiter suscipit. In hac namq; ætate solent homines curam habere animæ suæ, solido pollere ingenio, prudentia, consiliis pro se, ac pro aliis quoque. Demum ab anno 98. vsque ad 98. decrepitati dominatur Saturnus. Illa enim ætas adeo morti propinqua, ac semitumulata iugi nutritur malincholia, & in cunctis rebus fastiditur.

1. Luna domin. infãtiæ.
2. Pueritiæ Mercurius
3. Venus adolescentiæ.
4. Sol iuuentuti.
5. Mars virilitati.
6. Iuppiter senectuti.
7. Saturnus decrepitati.

Horoscopos, quos solent genesibus hominum assignare Astronomi, non solum desumunt ex signis Zodiaci, sub quibus huiusmodi geneses contingunt, verũ etiã ex coniunctionibus Planetarum cum illis signis. Signum Libræ, sub quo natum facimus Ioannem Moriconum nostrum, & baptizatum, & christianum effectum, tenet locum septimũ in Zodiaco; & Virgini, quæ est in loco 6. immediatum est. Incipit secundum vulgarem Astronomiam à die 22. mensis Septembris, duratque vsq; ad 22. diem Octobris, succeditque ei in circulatione anni Scorpio. Cæsaris tẽpore octauo Kalendas Octob idest die Septẽb. 24. Sole Libram ingrediente, hodie verò 13. Kal. Octob. scilicet 19. Septemb. æquinoctium succedit Autumnale. Inter signa obedientia, atque hyemalia Libram ponunt Recentiores, eamque figurant stellis octo, quarum sex celebriores, ac nominatiores apud ipsum sunt.

Longam texit disputationem Alexander Taxonus, vir doctus & acutus, num scilicet stellæ Libræ sint cum Sole infelices, & vtrum nasci de mense Septembri, boni an mali augurii sit. Quæ sibi affert lib. 2. q. 13. astronomicè & historicè, varia sunt, necnon proinde curiosa, ac erudita elocutione conserta. Ibi efficaciter ratione & exemplo demonstrare conatur contra

Libræ signũ num felix sit, vel cõtra

tra

tra alios infelix signum nequaquam Libram esse posse. Vbi autem adducit exēplum, sic ait. *Non è adunque intoppo di fortuna il nascere co'l Sole in Libra, e ne vediamo l'esempio d'vn grandissimo huomo, che viue, & è nato sotto quel segno*. Idest. Non est igitur fortunæ offensio, siue offendiculum, nasci cum Sole in Libra. Quod cernimus exemplo maximi viri viuentis. Id quod pariter alii referunt de Aloysio Decimotertio Galliarum Rege, Iusto cognomine.

Ludouic. 13. Rex Galliarū, cognomēto iustus ortus sub signo libræ.

Auctor illius disputationis probans in aliis hoc exemplo sententiam suam, in se tamen valde diuersum contigisse post 37. annorum in Curia Romana laborē, quamuis sub eodem signo natus, & de mense Septembri, fatetur in principio quæstionis. Quare post exactam, prolixamque rei inuestigationem, pro & contra tum circa naturam signi Libræ, tum circa euentus quamplures de eodem mense Septembri, tandem omnia his verbis christianè concludit. *Siche da tutto questo conchiudasi, che ne le stelle della Libra, giunte co'l Sole, senza il voler diuino facciano parti humani in alcuna maniera di lor natura infelici. E che la infelicità mia in particolare da altro, che da quel mese, e da quel segno sia deriuata. Poiche nella mia genitura non è Pianeta alcuno, nè in sua dignità, nè in sua casa, anzi più di loro sono in detrimento, ò cadata*. Hoc est. Itaque ex prædictis omnibus concludatur, quod neque Libræ Stellæ cum Sole iunctæ sine Dei voluntate efficiāt humanos partos in aliquo modo ex sua natura infelices. Et quod infelicitas mea in particulari aliunde, quam ab illo mense, vel signo deriuarit. Quandoquidem in Genesi mea nullus inest Planeta neque in eius dignitate, neque in eius domo. Imo plures ex illis in detrimentum, seu casum insunt.

Christiana Taxoni thesis circa genesim suum sub signo libræ.

Sed eo amplius christiana, ac catholica Astronomia id profitetur circa hominū genesim in vniuersum, quo nonnunquam aliqui ad summam, eminentemque sanctitatis felicitatem ex æterna Dei prædestinatione (haud vt signa cælestia sint ipsorum magnæ sortis horoscopus; sed vt ipsi ad totius Christianæ Reipublicæ bonum certūq; auspicium sint) adnascuntur. Pariter & in ortu Francisci simillimus natus est Mundus ceu illius Archetypi Mundi nouus typus, cuius Empireum, Firmamentum, Christallinum, Planetæ, Astra, Sydera, Signa cælestia ad similitudinem Orbis syderei, propter homines creati, summam felicitatem reparationis Ecclesiæ misticè mortalibus præsagiret.

Natus Frācis vt nouū Astrolabiū spiritale felicitatis Eccl.

D. Gregorius homil. 10. in Euangel. errorem Priscillianistarum confutans (in quem vtinam nonnulli ex modernis Mathematicis nostris in astrologiam iudiciariam, toties ab Ecclesia damnatam, implicati, passim incidant) super Euangelio Epiphaniæ die 2. ad illa verba, *vsq. dum veniens staret* (scilicet Stella Magorum) *supra vbi erat Puer*, Matth. 2. ita ait. *Dum non Puer ad stellam, sed stella ad Puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatū Pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit, Puer fuit*.

Stella in Christi ortu non fuit fatum pueri, sed è contra.

Tale vtiq; prognosticum colligi haud obscurè possumus ex mistico signi Libræ intellectu. Libra prout in ea res ponderantur, est instrumentū illud, quod duas habet lances (Italicè *bilancie*) ex quarū depressione, vel eleuatione, iustum rei pondus deprehenditur. Vnde etiam *Bilancem* vocat eam Cicero 5. Tuscul. Et licet Libra differat quoad formam à Statera, instrumento, quo sine lancibus res ponderantur, ambæ tamen concurrunt circa ponderandi morem, vsumque in pluribus. Quare quod misticè posset multimodè de Libra dici, potest & de Statera pariter explicari. *Christi Crucem stateram corpori illius factam, ad prædam Tartari tollendam*, fatetur Romana Ecclesia, canens de eadem in Dom. de Passione ad hymnum primarum Vesperarum.

Crux Christi libra, seu statera fuit.

Beata cuius brachijs
Pretium pependit sæculi.
Statera facta corporis,
Tulitque prædam Tartari.

Concordat Bonauent. in exposit. Missæ ad orationem, quæ incipit, *Ecce cælestis Pater* &c. è qua singulis diebus haud paucam prælibo pietatis fomenta. Ibi enim leguntur in specie hæc verba. *Illa ergo pietas, quæ filium tuum traxit de cælis, vt in statera Crucis totius Mundi peccata libraret, &c.* Libra ergo (à qua verbum libro, quod est pondero, æquo, &c. vel à verbo libro nomen libra) & statera in Cruce Christi, in qua veluti in bilance hinc & hinc æquè appensum eius corpus, totius Mundi peccata librauit Deus, soluitque pro illis pretium sanguinis eius, idem sunt.

Libra, & statera in Cruce Christi idem sunt.

Hanc eandem libram, stateramq; adeo propriam effecit Reparatori suo Christus Redemptor ab illius ortu, tam astronomicè, quam misticè, vt non solum eum nasci in stabulo ordinauerit, & in rudi vase, ac duro lapide baptizari, ibi, & hic Crucis symbola præmonstrando, verum etiam in dextro infantuli humero vix baptizati eam signo visibili, ac patenti imprimere. Refert Pisanus confor. fruct. 1. pro 2. parte hanc historiam. *Nono B. Frāciscus declaratus fuit per Angelum in specie pere-*

peregrini suæ matri, & nutrici qualis esset futurus. Nam B. Francisco nato, Peregrinus quidam ad domum B. Francisci Patris accessit, & petita eleemosyna, puerum natum petiit videre. Et cum nutrix nollet, de mandato Dominæ Picæ Matris B. Frãcisci, ipsum puerum eidem Peregrino videndum obtulit. *Qui ipsum amplexatum benedixit. Et vt dicitur, humero dextro signum Crucis impressit.* Et tunc dixit astantibus. In vico isto hodie nati sunt duo pueri, iste & vnus alius. Iste erit de melioribus hominibus de mundo. Sed alius de peioribus. Et dixit, quod B. Franciscus propter insidias Diaboli benè custodiretur. Quo dicto, statim ipse Peregrinus disparuit. Hæc Pisanus.

Impressio signi Crucis cælitus relicta dextro B. Franc. infantuli humero.

Ex quo videtur inferri, Franciscum vel eadem die ortus sui ante baptisma Cruce illa signatũ fuisse in humero dextro ab eo Peregrino, vel si post baptisma eadem die natum esse, ac baptizatum. Quod autem refert deindè Pisanus de duabus Pueris illa eadem die, & in eodẽ vico natis; altero de melioribus hominibus de Mundo, qui erat Franciscus, altero de peioribus, ille iam innotuit vniuerso Orbi, hunc autem nondum legi alicui innotuisse. Nisi me decipiet recordatio, meminit me circa illud Crucis signum obseruasse apud recensiores, rubro scilicet colore impressum fuisse in humero dextro Frãcisci, prout adnotaui in primo tomo Hierarchiæ. Ad cuius postea similitudinem B. Siluester, viri sancti Discipulus, vidit ex illius ore Crucem aureã exire in teterrimum Draconem, vt proditum est in vita, & gesta B. Siluestri. Et B. Pacificus vidit in fronte Francisci signũ Thau *colorum varietate distinctum*, vt ait Bonau. Vadingus scribit hanc ipsam historiam ex Legenda antiqua, Henrico Sedulio lib. 1. Apol. cap. 31. num. 4. Rodulpho lib. 1 fol 14. nec tamen meminit illius alterius pueri ortus in eodem vico, & eadem die, nec coloris rubri prædictæ Crucis, quam fuisse infantulo nostro impressam post baptisma fatetur. Exscribamus eius verbã ex §. 4. App. in principio num. 2.

Num autem illa Crucis impressio ante, vel post baptisma relicta, & sub quo colore.

Vt domum, ait, iam Christianus rediit Franciscus, & Nutricis gestaretur in vlnis, venit velut ad stipem præ foribus alius siue ipse idem Peregrinus, Puerumque vt videre, & tangere liceret, efflagitat. Quem vt à Nutrice suscepit *veluti alter Simeon, cum gaudio sacrum tenens pignus, brachijsque dulciter amplectens, & blandè osculatus, eius humero dextro Crucis signum impressit, egregium mox futurum Christi militem, tanquam tessera condecorans, & veluti iam ratione vsum amatorijs, & misteriosis alloquitur verbis.* Reddidit demum Nutrici, & vt sollicitam eius gereret curam, commendauit, dicens. *Scias infantulum, vt maior euaserit, magnum etiam coram Domino futurum, & ad eum peruenturum perfectionis gradum, vt inter perfectissimos Orbis viros veniat commendandus. Hanc ei iam inuident Dæmones virtutem. Caue, ne tua negligentia vel illorum pateat insidijs. Hoc dicto, citius disparuit, nec, diligenter perquisitus in Vrbe, amplius potuit inueniri.* Ita Vadingus ibi, &c.

Confirmat Vading. historiam de Crucis impressione post baptis.

Admonitio angelici peregrini ad nutricem Franc.

Misteriosa nec minus quam amatoria fuerunt pauca verba illa, quibus cælestis Peregrinus allocutus infantulum. Hæc tamen verba quatuor præcesserunt misteria, scilicet amplexatio infantuli à Peregrino, exosculatio, impressio Crucis, & locus huiuscemodi impressionis Crucis, qui fuit nec os pueruli, nec facies; & ex humeris, non sinister humerus, sed dexter fuit.

SECTIO PRIMA
Quatuor Arcanis conflata.

PRIMVM ARCANVM.

Circa amplexum cælestis Peregrini, accipientis Franciscum in vlnis suis.

IN amplexu illius cælestis Peregrini vtriusque brachii, manusque ipsius accepit dulce, amatoriumq; ligamen infantulus, vt refert Vadingus. Quamuis fortè in illo actu id contigerit Infantulo, quod de se fatetur Sponsa Cant. 2. morem Spõsi sui in similibus cõtactibus explicãs illis verbis. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Licet enim hic soli dexteræ attribuatur amplexus, sinistræ autem positio super caput sponsæ ratione misterii: hoc tamen misterium ab huismodi amplexu non excludit sinistram. Docet Interpres explicans amplexum Patris Euangelici erga filium Prodigũ loco citato, loquensq; de gratia suscipiente. *Gratia suscipiens*, inquit, *& hic est amplexus*. Amplexatur enim *sinistra* per promissionem, & *dextera* per glorificationem. Cant. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Itaque Peregrinus ille futurum Christi amplexũ in

in vlnis gratiæ suscipientis tum erga Frãciscum, ab ipso ortu ad eum admissum, & nũquam vsq; ad obitum derelictum, præmonstrare voluit; tum etiam erga Ecclesiam, cui in Christi gratia, qua Infantulus ille vocatus est in baptismate, promittebatur proxima reparatio in amplexu sinistræ, & in complexu dexteræ gloriæ fruitionem ob trinam eius renouationem, ob quam *trina quoque militia saluandorum triumphatura erat*, vt docet Bonau. cap. 2. in fine.

Ab ipso ortu Franc. ad Dei osculum admissus.

SECVNDVM ARCANVM.

Circa eiusdem Cælestis Peregrini osculum, quo infantulum tenerrimè osculatus est.

MIsteriosum itidem extitit illud cælestis Peregrini osculum, quod triplici arcano demonstrari potest.

Quid Dei osculum ad sponsam.

1 *Osculetur me osculo oris sui*, Cant. 1. Vbi Interpres. *Osculum hoc est fœdus perpetua pacis*. Dum enim motus animæ, & sensualitatis sunt ordinati inter se, & soporem suum infundit Deus animæ, tunc est animæ perfectio.

Quid patris familiæ ad prodigum.

2 *Et osculatus est eum*, Lucæ 15. de filio Prodigo, in gratiam Patris per antecedẽtem amplexum restituto, & ad osculum pacis propterea ab ipso Patre admisso. *Absalon* (exponit Interpres Sabb. hebdom. 2. in Quadrag.) *tertio anno admissus est ad osculum Patris. Tertio dico anno post reuocationem*. Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui*. Hæc est vox conscientiæ, quæ redditur peccatori post expulsionem. Iubet afferri tria. 1. *Stolam primam*, idest firmam promissionem patriæ. Secunda autem est immortalitas, quam tunc habebit. 2. *Annulum in manu*, idest fidem, secundũ quam hominem, vel animam desponsat in operatione. 3. *Calceamenta*, idest affectiones, ac desideria, quæ hic poscuntur, ne pedes luto maculentur.

Quid Elisei ad Eliam.

3 *Osculer, oro te, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te*, 3. Reg. 19. de Eliseo arante terram, ad Eliam, quem relinquens boues sequi debebat. Quod ita declarat Interpres Dom. 5. post Trinitatẽ. *Hoc est osculari patrem, & matrem quocumque potest siue de Iudæis, siue de Gentilibus sermone velle corrigere*.

Horum penè trium fuit prænuncium illud vnicum Angelicum, seu diuinum osculum, quo cælitus impressa est Crux in humero infantuli Ioannis dextro. Præmonstrauit enim perpetuæ pacis fœdus, & duplex fœdus eiusmodi pacis. Nam vnum dicebatur fœdus perpetuæ pacis personale, hoc est inter Deũ, & personam Francisci nunquam post reconciliationẽ ex culpæ originalis deletione, in Deum per lethale crimen bellaturi, Aliunde autem fœdus vniuersale erat inter Deum, & Ecclesiam, per Franciscum gratia reconciliationis ad amplexum, & osculum pacis Christi admittendam. Hinc meritò Bonau. in apparitione Gratiæ Dei Saluatoris nostri in Ioanne nostro, nomine, & omine, req; etiam prænunciatæ, eũ vocat Angelum veræ pacis, & Arcũ fœderis, &c. Huius etiã bini fœderis bina recõciliatio alludens & ipsa anno tertio, quo Absalon admissus est ad osculum patris post reuocationem. Factus denique iam puer Christianus in baptismate, & in hoc illa reconciliatio ex fide. At inde ex præseruatione peculiari à culpa mortali per totam vitam ex D. Bonauent. & aliis ferè communiter. Postea in Ecclesia à Francisco reparanda. Vtrique enim cæteris partibus successit stolæ primæ traditio, annuli, & calceamentorum, iuxta prædictam Interpretis postillam.

Osculũ cælestis peregriñi erga infantulũ Ioannem misteriorum prænunciũ fuit.

Porrò nonne & cælestis ille Peregrinus osculatus est in Francisco patrem, & matrem, genus scilicet Iudæorum, & Gentilitatem, ex quibus fundata Ecclesia Catholica, sermone & prædicatione Christi, & Apostolorum, Iudæis, & Gẽtilibus correptis, imò & reuocatis his ab idolatria, ad quod sequuta sunt signa, & miracula; illis ab obseruãtia veteris legis, iam euacuatæ in opere Redemptionis. Si enim renouanda, ac reparanda erat Ecclesia à Francisco, reparandi quoque erant originaliter illi, ex quibus in fundatione sua ipsa Ecclesia etsi constaret, non amplius nec Iudæi erant Iudæi, nec Gentiles erant Gentiles, sed omnes Christiani erant, licet eo tempore parum christianè viuerent, moribusque Hebræos, Gentilesque imitarentur. Vel aliter. Osculatus est Peregrinus ille cælestis vtrumque populum, quia non solum Franciscus tribus Ordinibus, & tribus legibus debebant eos reparare, & reconciliare Deo, verum etiã augere fidem Ecclesię, innumeros ex vtroq; populo ad baptisma vocando, & ad Deum conuertendo. Satis de osculo.

Quomodo cælestis ille peregrinus osculatus in Franc. Iudæos, & Gentiles.

TERTIVM ARCANVM

Circa Crucis signum, ab osculo cælestis Peregrini in dextro Infantuli humero mirabiliter impressum.

Principatus Christi, & principatus Franc. factus est super humerũ per Crucem ab ipsorũ ortu.

SIgnum Crucis reliquit in altero humerorum Francisci diuinum illud cælestis Peregrini osculum. Misterium hoc respondet illi oraculo Isaiæ 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatum super humerũ eius. Et vocabitur nomen eius Admirabilis. Consiliarius. Deus. Fortis. Pater futuri sæculi. Princeps pacis.* Haud alia ex causa paruuli Iesu super humerum eius factus est Principatus, nisi quia datus, & natus vt redimeret Mundum, sex illis nominibus nuncupandus erat. Sed qui, qualisque is Principatus? Respondet Bernardus, quod Crux ipsa, ab eius humeris vsque ad Caluariæ Montem, & cum ea ingens criminũ pondus, ingensque Ecclesiæ moles, ab eo in lege gratiæ fundandæ, baiulanda.

Crux etiam dicitur armilla, principibus propria.

Concordat Interpres super illud enigma Iob. 41. *Nunquid pones circulum in naribus Behemot, & armilla perforabit maxillam eius?* Vbi ille sic scribit Dom. 4. post Pascha. *Armilla, ab armorum dicta virtute, est Crux Christi.* Dicit Isaias 9. *Factus est Principatus super humerum eius.* Hac Armilla Dei filius maxillam Diaboli perforauit, & de eius fauce humanum genus liberauit, Vnde Isai. 37. *Reducam te in viam, per quam venisti.* Per eandem viam amisit dominium, per quam sibi vsurpauerat Mundi dominatum. Decepit siquidem hominem, & mulierem per lignum vetitum, & per serpentem. *Per hominem, idest Christum, & mulierem idest B. Virginem, per lignum Crucis, & per serpentem, idest mortem Christi, quæ significatur per serpentem, quem in deserto Moyses eleuauit in ligno: Diabolus in humano genere perdidit principatum.* Hæc Interpres. Apud quem Armilla Crucis super humerum nati Iesu Principatus est. Principes enim militaturi solent & ipsi vti armilla, vt legitur 2. Regum cap. 1 de armilla brachii Regis Saul, quam attulit Dauid iuuenis ille Amalecita, &c. His pariter armillis, & subreptos principatus solent passim sibi iure adipisci, ac solidare.

Per lignum Diabolus acquisiuit, & amisit principatum.

Erant enim antiquitus Armillæ ornamenta in circulorum modum, quæ viri militares ab Imperatoribus donata, in sinistris brachiis gerere consueuerunt. Dicuntur Armillæ ab armis, quod antiqui humeros cum brachiis Armos vocabant. Vnde arma ab his dependentia sunt vocata. Liu. lib. 1. *Sabini aureas armillas magni ponderis brachio leuo habuerunt.* Sed Saluator Mundi armillam Crucis immensi ponderis in vtroq; brachio habuit, vtroque enim brachio in ipsa ceu in statera, & in bilance, ac Libra appensus est; atque inter duas Cruces, alteram boni, alteram mali Latronis libratus.

Armillæ ab Imperatoribus donari solitæ.

Ergo impressa Crux in humero Francisci ab osculo illo diuino; factus est Principatus super humerum eius, electus ipse vt princeps, & primus in reparanda Ecclesia contra tyrannicum Diaboli imperium, qui denuò pristinum principatũ vsurpauerat. Nec principatus super Francisci humerum fuit sine B. Virginis adiutorio, concurrente & ipsa sicut in opere redemptionis cum Christo primogenito, pariter & in opere reparationis cũ Franc. veluti secundogenito suo. Ibi cum Christo vt corredemptrice, hic cum Francisco vt correparatrice. Et in hunc modum illa sex nomina, debita Redemptori per naturam ex principatu Crucis super humerum eius, conuenerunt deinde Reparatori per gratiam ob eundem principatum Crucis, factum etiam super humerũ eius: & ipse Franciscus factus subinde in Christo, & Virgine per triplicem Ordinem, ac legislationem *Admirabilis* Mundo, Angelis, & hominibus. *Consiliarius* toti Orbi. *Deus* de Deo per adoptiuam filiationem in munere, & vita Apostolica, prout loquitur D. Hieronymus. *Fortis* in remouendo ab vtroque principatu Diabolo. *Pater futuri sæculi* per tot filios, quot in renouanda, ac reparãda Ecclesia generaturus erat. *Princeps pacis*, quia vt Angelus veræ pacis missus, factus sui ipsius princeps, & Rex, & princeps nouæ militiæ super omnem terram constitutus. Sed circa sex hæc nomina alibi etiã pluries dictum sed sub alia dicendi forma. Vide in princ. huius libri 9.

Sex nomina Christi, per Crucis principatum, & in Franc.

At cur, inquies, Crux illa mirabilis impressa ab osculo illius cælestis Peregrini in humero Francisci dextro relicta est, & non potius in humero sinistro? Audi responsum ex *Benedicta* Interpretis nostri *Lingua*, quæ mihi lingua, & os, & osculũ, & oraculum, & omnia. *Mittite in dexteram nauigij, &c.* iussit Christus post Resurrectionem Discipulis suis, qui per totam noctem laborantes nihil ceperunt, vt habetur Ioann. 21. Interpres sic explicat hunc locum & quidem doctè, & acutè, & ad rem nostram valde consentaneè. *In*

Cur osculũ cælestis peregrini in humero dextro infantuli Frã. reliquerit Crucis signum.

In dextera est inuenire, non in sinistra.

sinistra est perdere, quia sinistra dicitur sinens extra. Quidquid pro hoc Mundo facis, totum hic finis, idest dimittis, & sic perdis. In dextra est inuenire, eo quod dextra dicitur dans extra. Si pro vita æterna laboras, de interno labore, vel vita thesauro tibi extra posita datur gratia, per quam possis redire intra. Hæc Interpres, &c.

Et ecce Equus niger, & qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua, &c. Apocal. 9. Hic est Equus ille niger, cuius alias semel & iterum, & frequēter meminimus. Qui primum Ecclesiæ Romanæ, postmodum & religioni Romanæ, & Franciscanę infestus. Sub cuius statera dolosa, sinistrorsum cruciformi, in quã malus latro pependerat, & omnes mundani miserrimè pendent, ventri, & veneri, & ambitioni dedita, effrœnata dominandi cupido, quam sequitur cœca, atque inexperta iuuentus, turpi libertate educata, fota, ac protecta, ventre præambulo, vt inquit Interpres, incedens, titulis, honoribus, priuilegiis, gradibus, extortè obtentis, & sæculi fauoribus fastose gaudens, expertus est etiam primò, & deindè Francisci, & sequacium magnanimitatem, militare vexillū stateræ iustæ Christi dextrorsum explicantium. Hæc statera æquè librata, seu Libra iustissimè staterata, vt ita dicã, more apostolico illam Crisolai, Peripateticæ sectæ Philosophi, missi cum Carneade, & Diogene Stoico Romæ Legati, Libram tunc imitabatur, quam memorat Cicero 5. Tuscul. his verqis. *Quæro quam vim habeat Libra illa Critolai, qui cum in alteram Libræ lancem animi bona imponebat, in alteram corporis, & externa, tantum propendere illam boni lancem putat, vt terram, & maria deprimat.* In vtrisque his bonis cruces duæ, vna bona, alia mala, sicut stateræ duæ, vna dolosa, ac falsa, alia sincera, ac iusta.

Equus niger quis in Ordinibus.

In Equo igitur nigro intelligit Interpres mercenarium, & quemcumque superiorem, qui in ouile ouium non intrat per ostium, sed aliunde. Et aliunde etiam quærit Christum eo modo, quo testatur ipse Christus Ioann. 6. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.*

Quomodo superiores non intrantes per ostium, quærãt Christum.

Dum satur est venter, cantat miserere libenter.

Sessor Equi nigri, non sereno, sed fusco colore operti est spiritus negotiationis. Huiusce sessoris statera est illa ipsa Chanaan de quo Oseæ 12. *Chanaan in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Chanaan, negociator interpretatur, monstratque illam in superioribus siue ecclesiasticis, siue sæcularibus negociationem, per quam iniustè, dolosè, indignèque, subtili nefariaque politica callētes iam in Macchiauelli schola versati, ac versuti, procurant officia ad commoditatem sui, & multam fidei, Ecclesiæ, ac Reipublicæ incommoditatem. *In huius sessoris Equi nostri manu est statera dolosa, quia aliter prædicat, & aliter viuit. Agit aliud, & aliud ostendit. Paupertatem prædicat, cum sit auarus. Castitatem cum sit luxuriosus. Ieiunium, & abstinentiam cum sit gulosus.* Hæc sunt verba Interpretis.

Quid misticè statera dolosa in superioribus.

Ex hac statera dolosa Chanaan format binam crucem suam Diabolus, in altera appendit hominem interiorem, ipsumque durè crucifigit, excruciatque immensè per passiones, & affectiones animi, à Deo, à ratione, & à bona conscientia alieni. In altera verò confodit hominem exteriorem, sensibus conflatum variis modis, vt patet. Verum cælestis ille Peregrinus imprimens osculo suo mirabili in dextro infantuli Francisci humero Crucem, simbolum, seu significatum Libræ, vel stateræ reliquit. Simulque tali signo sacrum Principatum auguratus est, ex victoria præfatæ stateręę dolosę, calumniam quærentis, imò vltimum excidium Ecclesiæ Romanæ, quod postea per ipsum in Ecclesiam Franciscanam molitus est Satan, in quem Interpres noster irruens, ita hanc principaliter reparauit post obitum Institutoris, sicut institutor eius per Minorum Ecclesiam Ecclesiam Romanam reparauerat.

In hanc Frãciscus, & Antonius irruerunt.

Æqua sint pondera, iustus modius, æquusq; sextarius, Leuit. 19. Et Interpres accipiens stateram pro Libra, declaransque illius ethimologiam, ac tropologiam, ibidem paulo post ita subdit. *Statera dicta, quia ex duabus lancibus, & vno medio stylo librata pendeat.* Hæc est ethimologia. *Duæ lances,* sequitur, sunt contemptus mundi, & desiderium cælestis Regni. *Stylus in medio est amor Dei, & proximi. Hæc est statera æqualiter ponderans, vnicuique ius suum tribuens. Mundo contemptum. Deo obsequium, Proximo affectum, &c.* Hæc est tropologia, vnde innotescit ea bina Crux, quã Christus perfectissimè, & valdè propriè ad imitationem sui confodit vtrumque hominem in Francisco, formans deinde manibus propriis ex crucifixione interioris hominis illam exterioris hominis super Aluerniæ Montem crucifixionē, quã ipse super Caluariæ Montem acceperat à Iudæis. Id quidem decebat Reparatori Ecclesiæ, quam Christus miserat contra dolosam Equi nigri stateram, per quam idem Equus niger, personaliter homo, sed moraliter Diabolus non frenatus excurrens,

Libra, & statera apud Interpr. idem misticè

rens, ceu Lupus rapax Christi oues insatiabiliter deuorabat.

Ponam circulum in naribus tuis, & frenũ in labijs tuis, & reducam te in viam, per quã venisti, Isaiæ 37. Vbi Interpres loco nuper citato, scilicet Dom. 3. post Pascha: Circulus dictus, eo quod in circundatione currit. Significat Christum, qui sicut circulus est regressus, vnde egressus. Nam egressus est à Patre, excursus vsque ad inferos, recursus ad sedem Dei. *Circulus igitur positus in naribus Diaboli, quia sapientia Dei incarnata est, vt nos veram doceret sapientiam. Et sic per sapientiam ab eo edoctam, Diaboli insidias, quæ in naribus designantur, admibilaret*. Sequitur. *Et ponam frænum in labijs tuis. Frænum Crux Christi, qua Diabolus infrænatus tamquam Equus non potest nos deuorare sicut consueuerat, &c.* Ita Interpres.

Circulus mysticè Christus est.

Hic positus in naribus Diaboli.

Crux Christi frenum Diaboli.

Ex quo colligimus, quod suo pariter modo Franciscus sicut circulus missus fit, quia exiuit in sua missione à Patre Christo, qui præcepit ei ter, *Vade, Francisce, & repara Domum meam*; & excurrens vsque ad inferos per Christi potentiam, ipsi cõmunicatam, vt totum infernum turbaret, terreret, expugnaretque, tandem recursũ fecit ad sedem altissimam Luciferi, quam Deus summæ eius humilitati retribuit. Sic Franciscus per ipsam Christi sapientiam, quam ab ipso Christo immediatè acceperat (& sicut diuinitus accepit, ita diuinitus aliis communicauit, & Apostolos effecit, quibus Ecclesiam Minorum fundans, Ecclesiam Romanam reparauit) posuit circulum in naribus Diaboli, more Bubali eum viliter, & contemptibiliter trahens, ac victum, & vilipensum reddens: Sic consequenter bina Cruce ipsum ceu Equum indomitum infrœnauit, ne possit adeo liberè Christi animas deuorare, prout antea consueuerat. Pari modo deinde eundem Equum, exsuscitatum in Ecclesiam Minorum ipse Franciscus prius tractauit; postea eius imitatores. iã in illũ etsi extinctum, & in omnes suos causam defuncti Patriarchæ tuentes; in illũ, inquã, terribiliorẽ, ac ferociorem effectum. Et ex eo præcipuè talẽ effectũ, quia aliundè ceu bubalum eũ trahebant amici eius, inter quos iuuenes immoderati, relaxati, immeriti, vilesque, omni modestia expertes, petulantesque, strictiorisque obseruantiæ hostes capitalissimi.

Hic Franc. infrenauit Diabolum.

†

QVARTVM ARCANVM.

Circa coniunctionem Horoscopam Stemmatis Moriconum cum signo Libræ per astronomicomisticè respectũ ad astrolabium Hierarchicum.

Enucleatis Sacramẽtis de cælesti Peregrino, recipiente in vlnis suis post Baptismum infantulum Franciscum, eũq; amplexante, exosculante, alloquente, Crucis signum in dextro eius humero labiis suis imprimente (quod signum etiam habebat quando vidit ipsum Innocentius III. corruentem Laterani Basilicam ambobus humeris sustinentem) nunc remanet demonstrandum, auspicatissimum Moriconum stemma tum astronomicè, tum misticè felicissimo Libræ signo coniunctum.

Fuisse stemma Francisci paternum inter Ciues Assisiates, etsi non adeo nobile, ad minus ciuile admodum, ac semipatritium, colligitur ex Vadingo in Appar. Explicuisse tres Anseres, quorum duo superius, alter inferius subducta in medio scuti stemmatici partitione, vndis supernatantes, retulimus ex eodem Vadingo, adducentes etiam Anserum arcana in 1. tom. Hierarch. fol. 31. Ibi etiam genealogiam Francisci exscripsimus per generationes quatuor tantum, sicut acceperat eam ipse Vadingus ab Archiuiis publicis Assisii. *Bernardonus enim Morico est*, vnde genus illud exordium sumit. Ab hoc

Stẽma Frãc. paternum semipatritium

In eius icone tres Anseres.

1 *Petrus Bernardonus* Coniux *Dominæ Picæ*, cuius genus deperditum, vt idem Vadingus fatetur. Ex hoc post *primogenitum Franciscum* secundo natus

2 *Angelus*, stemmatis propagator, cui primogenitus Richardus, vir quidem perpetua castimonia celebris, secundò verò genitus, à quo genus ad posteros demandatum.

3 *Ciccolus*, qui genuit sex proles, quatuor mares, & duas fœminas. Mares fuerunt, *Franciscutius*, qui eo dignior Francisci pronepos euasit, quo eum in Minorum sodalitio sequi elegit. *Petrucius*, cœlibem agens vitam, ac promeritus & ipse pronepotismi Seraphici propatrui sui. *Bernardus*, de quo postea. *Antonius*, quem Rodulphus vocat Angelum, & hunc habitu Franciscanum, Theologumque insignem, nomenque haud vulgare Ordini Minorum dantem. Proles fœminæ fuerunt.

Genealogia stirpis Frãc. per gradus quatuor.

sunt. *Franciscana*, seu Franciscutia, viro suo iuncta, ac *Clara*, nomine, & professione, in qua Virgo obiit, fuitque Abbatissa S. Angeli in Panti. Igitur ex Ciccolo

5 *Bernardus*, qui ducta vxore, ex eo ortus est.

5 *Ioannes*, in quo Moriconum stemma deficiens, factum est perenne per Ioãnem Infantulum nostrum, natum sub signo Libræ astronomicè, ac misticè, ac sub eo baptizatum, & Christianum effectum.

In Ioan. defecit, sed per Franc. Ioanẽ in baptismate vocatum, perennis facta est.

Etenim iunctum huic signo, adeò auspicato per hunc Ioannem, vbi defecit in illo Ioanne abnepote temporaliter in generatione carnali, incepit sublimius fieri simul cum genere materno (non carnali, iam ab omnium memoria deleto, nec vnquam reperto, sed spirituali) quod multis concurrentibus signis auspicatus est ipse infantulus Franciscus ex primeua sui nominis vocatione, qua in baptismate Ioannes dictus est. Hinc D. Ambros. lib. 1. in Lucam, ad illud, *Fuit in diebus Herodis Regis Iudaæ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vico Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth*, Lucæ 1. ita fatur de Ioanne Baptista, vt legit Ecclesia in vigilia eius Natiuitatis.

Qualis parẽtum Ioannis Bapt. nobilitas.

Docet nos scriptura diuina, non solum mores in iis, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari. Vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas, in iis, quos volumus laudare, præcellat. *Quæ enim alia intentio hoc loco S. Euangelistæ, nisi vt S. Ioannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione*? Sic etiam Sancti Samuel Mater Anna laudatur. Sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias, nec solum Sacerdos, sed etiam de vice Abia, idest nobilis inter superiores familias. Hucusque Ambrosius, qui statim magis declarans mentem suam, de quo scilicet genere loquatur, de carnaline, an spirituali, sic sequitur.

Genus Ioan. Bapt. haud carnaliter, sed spiritualiter sublime.

Et Vxor, inquit, *illi de filiabus Aaron*. Non solum igitur à parentibus, sed etiam *à maioribus S. Ioannis nobilitas propagatur. Non sæculari* potestate sublimis, sed religionis *successione venerabilis. Tales enim maiores habere debuit præmuncius Christi*, vt non repentè conceptam, *sed à maioribus acceptam*, & ipso infusam *iure naturæ, prædicare fidem Dominici videretur aduentus*. Erant, inquit, ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Quid ad hoc referant, qui peccatis suis solatia sua præferentes, sine peccatis frequentibus hominem putant esse non posse, & vtuntur versiculo, quia scriptura est in Ioq. *Nemo mundus à sorde nec si vnius diei vita eius sit in terra*? Quibus respondendum, &c. Vide ibi cum sequentibus verbis illis, & ipse consentio. *Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei*. Sin autem eum qui veterem errorem correxerit, & in eam se vitæ transformauerit qualitatem, vt temperet à peccato, negãt abstinere à delictis, non possumus in eorũ conuenire sententiam, cum legamus: *Quia sit Dominus dilexit Ecclesiam, vt exhibeat ipsam sibi gloriosam, & non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi; sed vt sit sancta, & immaculata*. Hactenus Ambrosius, nec quidem à re nostra alienus, imò valde proximus.

Senten. nonnullorum respondet D. Ambros. per distinctionẽ.

Religionis Catholicæ spiritale, christianumque genus in parentibus Francisci extitisse, iam certa res. Iustitiam verò saltem in ipso actu quo conceperunt, & genuerunt Franciscum, & præsertim in Matre Pica, id piè mihi persuadeo ob meritum conceptæ prolis, Christi reparatoris Ecclesiæ prænunciæ, ac miraculis, merito, munere, passione non solum Ioãni Baptistæ persimilis, verum etiam & ipsi Christo. Tales ergo maiores habere debuit Ioannes Morico, prænuncius Christi, &c. Si negetur de Patre quantum ad iustitiam, quia vir admodum auarus erat, & mercationibus valdè insatiabiliter implicatus, & concedatur de Matre, à qua ab infantia sua traxerat cum ortu pietatem, vt pluries dictum est, sic materna nobilitas spiritualis facta est in Frãcisco sublimissima, quia ad Seraphinorum apicem euecta. Paterna verò carnalis deficiens in Ioanne, Francisci abnepote, cui parens Bernardus, transierat cũ temporali stemmate in Religionis Christianæ genus, quod in Frãc. deinde incepit illustrari virtutibus, & eiusdem Religionis Christianæ Moriconum genus adeo excellens euadere, vt filius genitus meruerit eligi ad ipsammet Religionem Christianam tripliciter reparandam, & ad reducendam Ecclesiam in pristinum statum.

Pia suasio auctoris circa iustitiam parentũ Franc. in actu conceptionis eius.

Quam sublimatum Moriconũ genus per Franc.

Omnimoda deinde generis Moriconũ auspicatio ex coniunctione ad signum cæleste, quod in ortu Francisci, & eius baptisma astronomicè fuit Libra, misticè verò fuit Crux, quæ ab ipso ortu, vsque ad obitum quasi connaturalis effecta est Francisco, cuius tota gloria Crux Christi, in qua natus, sub cuius symbolo baptizatus, in qua deinde in tota vita multimodè educatus, grandæuus effectus, & defunctus, & gloriosus in terris factus. Vnde Bonau. per apostrophen ad Franciscũ, Parentum suum professione, & imitatione

Eius omnis eminentia ex coniunctione cum signo Libræ misticæ.

sibi

sibi conformem post completam legendam, ita amatoriis, & seraphicis verbis loquitur. *Gloriare igitur iam securè in Crucis gloria Christi, signifer gloriose, quoniam à Cruce incipiens, secundum Crucis regulam processisti. Et tandem in Cruce perficiens, per Crucis testimonium quanta gloria sis in Cælo; cunctis fidelibus innotescit, &c.* Crucifixio Francisci in carne propria per plagas & clauos contigit in die Exaltationis Sãctæ Crucis, vt demonstrat Vadingus, & ipse alibi scripsi. In ipsa die celebrans Ecclesia Romana Crucis Christi triumphum, sic canit in antiph. 1. vesp. illius festi. *O Crux splendidior cunctis astris. Mundo celebris, &c.* Cur autem non dicat Ecclesia hanc diuinam Crucem Sole omniũ planetarum Principe splendidiorem, sed cunctis astris, quæ in rei veritate, ac propriè alia sunt à Sole; referam id, quod nunc sentio iuxta præsentis materiei argumentum.

Crux Christi cur splẽdidior cunctis astris celebrata, & non potius Sole ipso lucidior.

Astra sunt illa, ex quibus Astronomi efformant Horoscopos suos, in perscrutandis ex genesibus hominum, quibus peculiaria sidera influentias suas benignè, vel malignè administrant, eorum fatis, seu euentibus futuris. Cum verò omnis felicitatis, nobilitatis, & gloriæ christianis viris debeat esse Crux Christi pro Horoscopo, hinc Ecclesia maioritatem gloriæ eiusmodi Crucis supra cũcta astra cælestia cõmẽdat, quasi in ipsa sola omnia gloriosiora astra inseruiãt, vt felicitẽt quotquot sub auspicatissimis eius aspectibus, atque influxibus adnascuntur. Id quod contigit B. Francisco in ipsa die Exaltationis Sanctæ Crucis iuremeritò stigmatizato. Hinc profundè quidem Bonau. ab ipsa apparitione Gratiæ Saluatoris nostri Iesu Christi (quæ fuit in eius ortu, sicut in Christi ortu, vt demonstratum est, item & in baptismate, in quo gratia Dei vocatus est infantulus, idest Ioannes) *Virum Hierarchicum appellat*. Plura arcana ex hoc multis misteriis pleno vocabulo in antedictis deduximus, & omnia diuersa, nunc istud aliud explicandum, nec profectò à nostra semita extraneum, seu aberrans misterium.

Horoscopos suos ex astris formant astronomi.

Duodecim sidera, seu signa Solis Zodiacum in octaua sphera, seu Cælo stellato situatum, sub quo Sol mouetur, constituunt. Quodlibet subinde signum diuidunt Astronomi in gradus triginta, vt sic trecentis ac sexaginta gradibus cõflari Zodiacum demonstrent. Quadraginta octo imagines cælestes, quas libro antecedenti in conceptione Francisci memorauimus, mille ac duodedicenis stellis cõstare recensiores dicunt. Disterminant ipsas stellas in sex granditates. Omnes continentur in Cælo stellato, cuius granditudinis, seu longitudinis circuitus (si ipsis fides) 1000. Chiliades, vulgo milliones milliariorum supra septuaginta septem millia & nongenta alia milliaria; amplitudo verò illius 235. chiliades supra 23. millia & 300. milliaria complectitur. Distat à nobis Cælum stellatum chiliadibus, seu millionibus milliariorum 130. supra milliaria 7300.

Stellæ omnes 1022. in sex granditudines disterminãtur.

In Cælo hoc stellato, tam longo ambitu, ac per sua diametra tam grandi: tam amplo, inquam, intercapedine pene imperceptibili nedum ingenti, veluti in immenso excelsæ magnitudinis Dei theatro stellæ omnes prædictæ pompa multa cõmorantur. Neque adhuc quomodo ibi moueantur, per quas semitas, & qua vi, internane, & ex se, vel externa, & ab alio incedant, gressus forment regulatissimos ad illum finem pro rerum sublunarium regimine, ad quem summus naturæ Opifex Deus ab exordio suæ creationis præfixit, haud plenè adhuc explicatum cẽseo à recensioribus, antiquorum sententiam, ob ineuitabiles difficultates, quas, vt putant, continet, derelinquentibus.

Cæli stellati circuitus & amplitudo.

Quomodo stellæ moueãtur difficile est explicatu

1 Stellæ primæ magnitudinis circuitu suo comprehendunt, aiunt Mathematici, milliariorum millenarios 150. supra 150. milliaria. Amplitudine verò, seu latitudine millenarios milliariorum 50. cõtinent.

2 Stellæ secundæ magnitudinis continent primo loco 139. milliariorum millenarios supra 260. alia milliaria. Secundo verò loco 44. millenarios milliariorũ amplectuntur.

3 Stellæ tertiæ magnitudinis primo loco 136. milliariorum millenarios supra 140. alia milliaria includunt. Secundo verò loco 43. millenarios.

4 Stellæ quartæ magnitudinis 119. millenarios milliariorum supra 140. alia milliaria primo loco continent. Secundo verò 36. millenarios.

5 Stellæ quintæ magnitudinis includunt primo loco, habentq; 96. millenarios supra 420. alia milliaria. Secundo verò 31. millenarium.

6 Stellæ sextæ granditudinis primo loco habent per circuitum 84. milliariorũ millenarios supra 550. alia milliaria. Secũdo verò loco per amplitudinẽ, seu latitudinem amplectuntur 27. millenarios. Cosmographi aiunt, Terram in sua latitudine continere millenarios milliariorũ decem supra duodeuiginti alia millia. Eius verò medietatem in grossitie à centro ad nos per diametrum amplecti dicunt

cunt quinque millenarios milliariorum supra vndecim alia milliaria. Et per consequens totus globus Terræ in vtroque semidiametro, ab vna superficie ad aliam, cõtinet decem millenarios milliariorum supra 22. alia milliaria. Ex hac mensura colligi potest excessus granditudinis super totam molem terræ vniuscuiusque stellæ cuiusuis granditudinis.

Cunctam granditudinem, siue politicã per temporalem felicitatem, siue christianam, ac moralem per virtutes, quæ molarem omnem astrorum magnitudinem longe antecellunt, Astronomi catholici, qui omnia relinquunt arbitrio Dei, nec libertatem hominis in nullo satagunt lædere, ex stellarum influentiis passim deducunt probabiliter, nihil asserendo circa ea, quę nõ possunt salua eorũ conscientia securè concludere. Et eo modo deducunt, quo possunt, ac sciunt, nec à sacris literis, nec ab Ecclesiasticis, atque Apostolicis mandatis tantillum aberrare conantur. Hi pariter Christiani Mathematici vt totum suum ęthereum Astrolabiũ, longitudine, latitudine, profunditate, altitudine Orbium, ac siderea spectabilitate magnificum, Deo, & inferioribus Intelligentiarum ordinibus catholicè submittant, atque hierarchicè conforment, demonstrant simul ab illis superioribus Hierarchiis, increata scilicet, ac supercælesti, vt vocat Bonau. motum, proprietates, qualitates, & influxus recipere, ordinãt decem orbes cælestes in quatuor Hierarchias, incipiendo à tribus infimis Angelorum, in quibus sunt nouem ordines, & terminando ad supremam, ac supercælestem trium Personarum. Quare, vt ostẽdant, posse nuncupari suum Astrolabium christianum, & sacrum Astrolabium quoque Hierarchichum, adducamus in Ioanne infantulo subsequentia, quæ erunt secundum misticam, & figuratam allocutionem, & iuxta Sanctorum Patrum doctrinam.

Christianorum Mathematicorum accurata obseruatio.

Astrolabium in uiro Hierarchicho Ioanne Infantulo & ipsum Hierarchichum.

Prima, ac infima Hierarchia trium corporum cælestium, cum prima, ac infima trium supernorum Spirituum Ordinum. Hierarchia prior analogia.

I. CÆlum *Lunæ* referunt aliquo pacto sacri Astronomi ad 1 primæ, ac infimæ Hierarchiæ Cælestium Spirituũ Ordinẽ, in quo sunt *Angeli*. Cælum Lunę, subdunt, est longum per circuitum, seu ambitum suum 839. milliariorum millenariis supra alia 60. milliaria. Est largum, amplumque 269. milliariorum millenariis supra alia milliaria 90. Distat à nobis 135. milliariorum millenariis supra alia milliaria 250. Corpus Lunare, iuxta probabiliorem sententiam continet per circuitum 10599. millenarios supra alia milliaria 20. Et vtroque modo totus eius globus circuiens Zodiacum diebus 27. & hor. 8. habensque amicos Iouem, & Venerem, Saturnum, inimicos Martem, & Mercurium, & pro signo suo Cancrum, & sub regimine in septimo climate Flandriam, Hollandiam, Salandiam, Daciam, & Noruegiam, tertiam partem longitudinis, & latitudinis Terræ æquat. Terra namque in circuitu suo 31. milliariorum millenarium supra alia milliaria 500 complectitur: in sua verò longitudine (haud quidem in se, quia non adhuc tota detecta est) sed prout à Cosmographis cognita ab oris Indicis vsque ad Hispanicas 90. millenarios stadiorum; sed per suam latitudinem includit decem milliariorum super 22. alia milliaria. Intra corpus huius Terræ Infernus est, quaternis circumferentiis, seu cauitatibus per circuitum distinctus. Quarum prior respectu nostri vsque ad superficiem terræ erat sinus Adrahæ, vbi Sancti Patres veteris Testamenti morabantur, Hanc partem finxerunt Poetæ Elisios campos dici. Posterior circumferentia vocatur Limbus, locus infantium, qui originali culpæ obnoxii decesserunt. Tertia concauitas dicitur Purgatorium, quem nos de fide profitemur. Quarta est locus damnatorum, qui communiter dicitur Infernus. Distans à nobis 3758. millenariis supra alia milliaria quinque cum dimidio. Circumiens

Cælũ Lunæ in ordine ad Angelos.

Intra terræ viscera quatuor concauitates.

cumiens spatium milliariorum 7875. continensque in sua latitudine, & altitudine 2505. milliaria cum dimidio,

2. Cælũ Mercurii in ordine ad Archangelos.

II. *Cœlum Mercurij* referunt ad secundum primæ, ac infimæ Hierarchiæ cælestium Spirituum Ordinem, in quo sunt *Archangeli*. Longitudo huius Cæli complectitur quinque milliariōrum chiliades, seu milliones cum 408. aliis millenariis supra milliaria alia 290. Latitudo chiliadem vnam continet cum 720. aliis millenariis supra 820. alia milliaria. Distat à nobis hoc corpus cæleste 860. milliariorum millenariis supra 910. alia milliaria. Mercurii corpus est sydus quodam peculiare, quod in eo Orbe solum extat. Eius longitudo continet milliaria 100. mille supra alia milliaria 330. Eius verò latitudo 360. milliaria continet, percurritque Zodiacum cum Sole, & Venere anno vno, cuius signa sunt Gemini, & Virgo; amici Sol, & Luna, & Mars; inimici verò Iuppiter, Venus, & Saturnus; subiecti autem in 6. climate Ægyptus, Græcia, Anglia, Flandria, Slesia, Parisium, Enfordia, ac Vienna Austriæ.

3. Cælũ Veneris in ordine ad Principatus

III. *Cœlum Veneris* referunt ad tertiũ primæ, & infimæ Hierarchiæ Ordinem, in quo sunt *Principatus*. In huius Cæli longitudine ponunr 37. miliones supra 470. miliariorum millenarios. In latitudine 11. milliones supra alia milliaria 920. Distare à nobis, aiunt, 955. millenariis supra alia millenaria 500. Non habet aliud sydus, nisi quod nuncupant sydus Veneris, cuius longitudo 8. millen. supra alia milliaria 210. continet, sed latitudo duo millenarios supra alia milliaria 500. cōplectitur. Anno vno sicut Sol excurrit Zodiacum: amici eius Iuppiter, Mars, & Sol; Mercurius, Luna. Saturnus verò hostis est. Subiiciūtur ei in quinto climate Austria, Arabia, Terra Laboris, Vienna, Augusta, Polonia, Sena, Tigurum, vulgò Suizeri. Sed ad aliam analogiam.

Secundæ, ac mediæ Hierarchiæ trium Corpoeum cælestium cum secunda, ac media Hierarchia trium aliorum Beatorum Spirituum analogia altera.

4. Cælum Solis in ordine ad Virtutes.

I. CÆlum Solis referunt ad primum secundæ, mediæue Hierarchiæ Ordinem, in quo sunt *Virtutes*. Cælum Solis claudit per longitudinem 53. miliarum milliones cum 132. millenariis supra 860. alia milliaria; sed per latitudinem habet 16. milliones. Distat à nobis millionibus septem cum 995. aliis millenariis supra alia milliaria 500. Corpus Solare in hoc Cælo, è cuius parte puriori, ac lucidiori creatum est, quemadmodum & Luna, atque Stellæ, amplectitur in sua longitudine 188. milliariorum millenarios supra alia milliaria 570. Largum deinde extat millenarios 60. Illuminat totum Zodiacum diebus 365. & 6. horis. Eius amici Iuppiter, & Venus: inimici verò Mars, Mercurius, & Luna. Suum signum peculiare Leo est, & anno vno 12. Zodiaci signa percurrit. Dominatur in quarto climate Orienti.

5. Cælũ Martis in ordine ad Potestates

II. *Cœlum Martis* referunt ad secundũ mediæ Hierarchiæ cælestis Ordinem, in quo sunt *Potestates*. Huiuscemodi Orbis longitudo amplectitur milliariorum chiliades, seu milliones 397. cum aliis millenariis 703. Latitudo verò eius continet 126. milliones supra 542. millenarios. Distat à nobis chiliadibus, seu millionibus 263. cum 266. millenarios supra milliaria alia 500. Sydus eius corporeum, quod solum habet, & non aliud sicut omnes Cęli Planetarii; sub Martis nomine appellatur. Claudit in sua longitudine 50. milliariorum millenarios cum aliis milliariis 280. sed in latitudine continet millenarios 16. Martis signa sunt Aries, & Scorpio, Venus amica est; inimici autem Saturnus, Iuppiter, Mercurius, Luna. Explet Zodiaci cursum annis circiter duobus. Dominatur in tertio climate Getulię, Lombardiæ, Craconiæ, Gothiæ, Paduæ, ac Ferrariæ.

6. Cælum Iouis in ordine ad Dominationes.

III. *Cœlum Iouis*, cuius distantia à nobis numeratur per chiliades, seu miliones 70. supra 114. Cuius longitudo ad milliones 450. deducitur, & 378. millenarios, & 500. milliaria, Latitudo verò ad milliones 140. & 438. millenarios, & milliaria 600. distenditur. Cuius corpus sydereum Iouis claudit in sua longitudine 42. millenarios; in latitudine autem 90. millenarios supra alia milliaria 640. Referunt ad tertium mediæ Hierarchiæ Ordinem, in quo sunt *Dominationes*. Sydus Iouis, cuius totus per Zodiacum cursus ann. 12. completur, habet signa Sagittarium, & Pisces. Amicos Solem, Venerem. Mercurium, & Lunam: inimicum Martē. Subiicitque sibi in secundo climate Babiloniam. Persiam. Vngariam. Hispaniam. Coloniam. Subiiciamus & nos tertiò sequentem analogiam.

Tertia

Tertiæ, ac ſupremæ Hierarchiæ Corporum cæleſtium cum tertia, ac ſuprema cæleſtium Spirituū Hierarchia poſtrema analogia.

7. Cælum Saturni in ordine ad Thronos

I. CÆlum Saturni in ſua longitudine circuit per milliones 613. cum 434. millenariis; ſed in ſua latitudine continet 195. milliones vltra 183. millenarios, ac milliaria 600. Dum à nobis diſtat 97. millionibus, & 87. millenariis, & 300. aliis miliariis, Sydus eius, quod vocant Saturni, claudit in ſua longitudine 142. milliariorum millenarios; in latitudine autem 45. millenarios. Signa huius Planetæ Capricornus, & Aquarius, & circiter ann. 30. complet curſum ſuum; cuius amici Iuppiter, Sol & Luna: inimici Mars & Venus. Eius regimen in primo climate Saxonia. Romandiola. Rauenna. Conſtantia. Iſtud Cælum referunt primo ſupremæ Hierarchiæ Ordini, in quo ſunt *Throni*.

8. Cælū Stellatum in ornine ad Cherubinos

II. *Cælum Stellatum*, quod nuncupant octauam ſpheram, ſed à Sac. Scrip. dicitur *Firmamentū*; cuiuſq; longitudinis ſpatia, & latitudinis, & diſtātiæ à nobis iā mēſurata per ſua milliaria, cuiuſque Zodiacum per ſuas itidem partitiones paulò ante tetigimus: referunt ad ſecundum ſupremæ Hierarchiæ Ordinem, in quo ſunt *Cherubini*.

9. Cælum Chriſtallinū in ordine ad Seraphinos.

III. *Cælum Criſtallinum*, quod dicunt nonam ſpheram, referunt ad tertium ſupremæ Hierarchiæ Ordinem, in quo ſunt *Seraphini*. Extenditur Cæli Chriſtallini lōgitudo per tria chiliadum, ſeu millionū millenaria, & 777. milliones ſupra alios millenarios 28. cum aliis milliariis 560. Eius deinde latitudo (quæ diſtat à nobis 599. millionibus, & 995. millenariis ſuper alia milliaria 500.) comprehendit vnum millionum millenarium & 200. milliones ſimul. Philoſophi nonnulli ſomniarunt cum termino motus Cæli Chriſtallini, poſt ann. 300006. ideſt 36. mille finē habituro, finem quoq; ſuū Mundū cōſequuturū. Sed Chriſtus nec penè ipſum finem Mundi ſcire teſtatus eſt in Euangelio. Quartò, & vltimo aſcendentes ſacri Aſtronomi ad ſupercæleſtem, & increatam Trium Perſonarum Diuinarum Hierarchiam, de qua Bonauentura pluries, additur ab ipſis, vt ſequitur.

Summi Corporis Cæleſtis, quod eſt primum Mobile, cum ſupercæleſti, & increata ſummi Dei Hierarchia vnica Analogia.

CÆlum decimum, quod vocant *Primū Mobile*, Deo referunt Sacri Aſtronomici. Deus autem, vt docet Bonauentura part. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia aliàs datus, conſtituit in ſe ante omnem creaturam, ſacrumque Principatum ſuam ſupercæleſtem, increatamque Hierarchiā in tribus Diuinis Perſonis conſiſtentem. Hoc decimum Cælum (ſi eius inſpicis eminentiam ſitus, & loci, & altitudinis, & longitudinis, & latitudinis, & profunditatis, & diſtantiæ à nobis, & motus) ſuper alios Cælos, ſibi inferiores multa cum ratione ipſum perexcellere cognoſces. Is nāq; Orbis primus eſt, Princepſque omniū Orbium cæleſtium, quia altior omnium natura ſua ex ſua creatione. Nec habet aliud Cælum ſupra ſe, niſi Cælum Empireum, quod non mouetur. Princeps eſt longitudine, quia eius circuitus continet ſex millionum millenarios, necnon & 180 alios milliones, & 714. millenarios ſupra alia milliaria 280. Princeps tū latitudine, quæ ambit duos millionū millenarios; tū Diſtantia à nobis, à quibus remotus eſt 999. millionibus, ac 995. millenar. aliiſq; 500. milliaribus. Princeps denique motu ſuo primum mobile eſt, tum quia primò mouetur, tum quia cauſa, & origo eſt inferiorum Orbium motus, quos ſuo impetu, ac potentia ad ſe rapit, vt poſſint horis 24. motum ſuum perficere.

Cur primum mobile Deo referant Aſtronomici.

Primi mobilis triplex dimenſio per ſua milliaria

Eius prærogatiuæ

Ratione huiuſmodi multiplici principatus referunt meritò Aſtronomi primum Mobile ad Deum ſummè Hierarchichum, ſummum omnium motorem, & omnium tum corporalium, tum ſpiritualium rerum motuum. Summum immobile primum, & primum mobile ſine vlla viciſſitudinis obumbratione, *Summa ſphera intellectualis* (iuxta Interpretem noſtrū ex Hermete) *cuius centrum eſt vbique, circumferentia nullibi*. Ab æterno enim mouit ſeipſum ex ſeipſo & moto, & motore, ſecundum noſtrum intelligendi modum. Id namque his terminis pronunciamus, quatenus omni meliori modo explicemus ad executionem illorum decretorū, in tempore peragendam, quæ in ſua æterna Monarchia, & Hierarchia ſtatuere Tres increatæ Perſonæ circa Mundi creationem ſimul cum Mundo rationali.

Verū *in principio* temporis *creauit Deus*

primò Cælum, idest, explicant sacri Interpretes, *naturam Angelicam*. Quia hæc natura Angelica cũ Cælo Empireo creata fuit, & in tribus Hierarchiis distincta, & quælibet Hierarchia in tribus Ordinibus, vt docet D. Thomas. Pro Cælo Empireo, vt diximus, intelligit meritò Interpres noster in suo Mundo & spirituali, & astrolabico *Imperium libertatis*, quod in creaturis tam intellectuali, quã rationali ipsũ excellit. Dũ enim istud libertatis imperium non subditur Inferno peccati, acquirit Empirei Cæli imperium, factum Regni Cælorum possessor, aptumq; conformeque increatæ trium Personarum Hierarchiæ domicilium.

Angeli creati cum cælo empireo.

Bonau. in 4. par. de Ecclesi. Hierarch. ad corroborationem Astrolabii Hierarchici nostrorum Mathematicorum docet in principio. *Nomine Cælorum intelligere possumus statum, & dignitatem tam hominum, quam Angelorum electorum, quorum conuersatio in Cælis est*. Item loquens statim de Cælo Empireo, à quo exorditur totam illam quartam partem Hierarchiæ Ecclesiasticæ (incipiens sub nomine Cælorum ab Angelis, postea deueniens nunc ad Apostolos, nunc ad Iudices, & Prælatos, nunc ad Religiosos, & contemplatiuos, nunc ad doctores Sacræ Scripturæ, nunc firmamenti nomine ad Christum, nunc tandem rediens ad Cæli naturam, & proprietates, concludens de Virgine) ita subdit. *Cælo igitur primo, scilicet Empireo, puritas Angelica comparatur, de quo dicit Basilius*, Cælum primum est natura simplicissimum, de corpulentia habens naturam subtilissimam, & tamen solidissimã. Primum Mundi inferioris contenitiuum, ordinatiuum, & informatiuum. Quod propter suam dignitatem est singularis Dei sedes, siue habitaculum. Hæc omnia Beatissimis Spiritibus congruunt, in quibus singulariter requiescit Deus, per aptissimam voluntatis conformitatem. Vnde dicit Isaias vlt. *Cælum sedes mea est*. Et Psalm. 10. *Dominus in Cælo sedes eius*. Et iterum Psalm. 102. *Dominus in Cælo parauit sedem suam, &c.* Vide Bonau. ibi. Et qualiter ordinato progressu juxta numerum nouem Ordinum Angelorum, nouẽ quoque paralellis omnes spiritus supernos cuiusuis Hierarchię in communi nuncupet Cælos.

Nomine cælorum veniunt omnes spiritus cælestes.

Cæli empirei prærogatiuæ.

1 *Propter omnimodam incorruptionem, & naturæ suæ puritatem*.

Omnes Spiritus superni sub cælorũ nomine ob nouem

2 *Propter subtilissimam* Intelligentiæ perspicacitatem.

3 *Propter solidissimam* naturæ incorruptæ perpetuitatem, & fixam, & stabilem in Deo voluntatem.

4 *Propter maximam*, non dimensionis, sed virtutis, & potestatis *quantitatem*. Hic scias, Cælum Empireum (quod immobile est, & ab immẽso splẽdore ignis nomen suscipit, non autem à substantia, quasi sit calidum, & ignitum) circuire decem millionum millenaria, & alios milliones 314. & 285. millenarios supra alia milliaria 710. Amplitudo verò eius tres millenarios millionum, ac 600. alios milliones amplectitur.

Cæli empirei circuitus & amplitudo.

5 *Propter qualitatem lucis* in scientiæ, & sapientiæ claritate.

6 *Propter sphericam figurationem per continuatam contemplationem*. In hoc sexto paralello totum penè motũ intellectualem, & affectualem trium Hierarchiarum paucis verbis sic explicat Bonau. Quia, inquit, mens Angelica à fonte primi luminis primas recipit influitiones; quas postea ad alios diffundit, & diffundendo, & communicando, illos quibus cõmunicat, ad Deum reuocat, & reducit. Vnde affectus Angelicus circulariter mouetur, quia promouetur in Deum. Et per Deum in proximum per dilectionẽ. Et iterum à proximo mouetur in Deum per dilectionis extensionem, & continuationem, &c.

Circulatio in Angelis qualis.

7 *Propter supremitatem*, non circumspectionis, sed dignitatis naturæ, & officii, quibus sicut Cælum alia elementa, sic Angeli alias excellunt creaturas.

8 *Propter contentiuitatem* omnium inferiorum quantum ad charitatem. Nam ex affectu dilectionis Angeli hominibus electis administrant, & in esse gratiæ detinent, & conseruant.

9 *Propter ordinatã ad omnia inferiora* administrationem, vt exinde *omnium inferiorum ordinatiui* nuncupentur. Nam, inquit, Circuli Cæli ordinatè se intersecant, & hæc inferiora nunc calore, nunc frigore ordinant, & immutant. Sic Cælestes spiritus in se ordinati aliorum sunt ordinatiui, dicente Apostolo ad Galatas 3. *Ordinata est lex per Angelos in manu mediatoris. Ex his igitur nouem Cæli proprietatibus manifestum est, Angelicam naturam in scriptura Cælum aptissimè nuncupari*. Hæc fuit Bonau. conclusio in fauorem sacri hierarchicique nostrorum Mathematicorum Astrolabii.

Quomodo Angeli ordinentur vt cæli ad omnia inferiora.

Totum spiritualis Mundi Astrolabium vitæ Christi in vita Francisci reperiri per imitationem, iam superius demonstrauimus ex Interprete nostro. Totum fere Astrolabium sydereum, vnde Astronomi componunt suos horoscopos, è Cælo stellato, quod est Firmamentum, desumendum. In ipso enim adhoc posuit Deus

Astrolabium sydereum è Cælo stellato principaliter sumitur.

die

die quarto Luminaria cælestia, Solem, & Lunam, & Stellas. Genes. 1. *Fiant Luminaria in firmamento Cæli, vt diuidant diem, ac noctem. Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Et luceant in firmamento Cæli, & illuminent Terram, & factum est ita. Fecitque Deus duo Luminaria magna, Luminare maius, vt præsset diei, & Luminare minus, vt præesset nocti, & Stellas: & posuit eas in firmamento Cæli, &c.*

Quod est firmamentū, vt ex Gen. cap. 1.

Firmamenti nomine Christus significatur ob nouem rationes apud eundem Bonau. loco cit. cap. 6. Sed factum legitur hoc firmamentum in medio aquarū, &c. Ibi ex Bonauentura in firmamento habemus Christum. Hic verò ex Interprete nostro habemus in medio aquarum firmamenti, Baptismum Francisci, quo factus Christianus, vocatus est Ioannes, vt ratione officii, ad quod præfigēdus erat immediatè ab ipso Christo, vt repararet domum suam, fieret quoque firmamentū per imitationem vitæ Christi, & per eius beneficia peculiarissima ad ipsius vitæ conformitatem, quæ beneficia per firmamentum intelligit quoque Interpres, vt supra.

Firmamētū pro Christo & Franc.

In vita ergo syderea mistica Francisci reperitur vita hierarchicha Christi, vita hierarchicha Intellectualis Angelica, quia omnes illæ nouē similitudines Bonauent. de natura Angelorum applicari possunt facillimè, atque excellenter ad Franciscū. Reperitur etiam cum Mundo spirituali Interpretis nostri Mundus sensibilis, à quo dependet totum astrolabium Mathematicorum, eo modo, quo docet Bonau. in Itinerario mentis in Deum cap. 2. quod est de speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili Mundo, vbi sic in principio. *Notandum igitur, quod iste Mundus sensibilis, qui dicitur* Macrocosmus, *idest longus Mundus, intrat ad animam nostram, qua dicitur* Microcosmus, *idest minor Mundus, per portas quinque sensuum secundum ipsorum sensibilium apprehensionem, oblectationem, & iudicationem, &c.* Quam peculiariter verò intrauerit maior Mundus sensibilis in minorē Mundum rationalem animæ Francisci, explicat per admirabilē harmoniā in specie idem Doctor in eius vita c. 9. in principio ab illis verbis aliàs exscriptis, *Vt autem ex omnibus*, &c. vsque ad illa alia, *& quasi calestem concentū, &c.* Post huiusmodi autem concentum mox subdit; *Christus Iesus crucifixus intra sua mentis vbera vt myrrha fasciculus ingiter morabatur, in quem optabat per excessiui amoris incendium totaliter transformari.* Cur is transitus adeo immediatus à consonantia, & harmonia mundi sensibilis cum mundo rationali Francisci per excitationem amoris diuini excessiuam ad totalē Crucifixi transformationem?

Macrocosmus sensibilis intrat microcosmum per sensuum portas.

Dicamus primò ante responsum arcanum aliud circa nomen Ioannes, quod accepit à Matre in baptismate Fraciscus, & factus est Christianus. *Ioannes* interpretatur *Gratia Dei*, & Angeli nomine dicitur etiam gratia Dei propter nouem gratias, quas enumerat Bonau. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. & omnes repetiuntur excellenter in Ioanne nostro, vt sic intrans liberè nouem Ordines Angelorum, vt vir Angelicus, & vir Hierarchichus tripliciter appareat.

Nomine gratiæ veniunt Angeli.

Prima, & suprema in Ioanne Morico, infantulo, Viro Hierarchicho Gratiarum Dei Hierarchia.

I. GRatia est Gratia dilectionis, siue charitatis. Ista Gratia à Domino animæ immissa, ipsam inflammat, & per feruorem amoris *Ordini Seraphim* ipsam assimilat, & conformat.

Tres Dei gratiæ pro tribus ordinibus supremæ Hierarchiæ.

II. *Gratia* est Gratia sapientiæ, & diuinæ cognitionis. *Per hanc gratiam Ordo Cherubim in anima collocatur*, quando mens à sensu carnali abstracta ad susceptionem diuini luminis per cognitionem veritatis præparatur.

III. *Gratia* est gratia contemplationis, siue spiritualis delectationis, quæ ex plenitudine diuinæ dilectionis, & agnitionis in anima generatur. Hæc gratia mentem quietat, & pacificat, & velut sedem quietissimam, ac diuini superaduentus susceptionem præparat, & coaptat, *& sic Thronorum Ordinem repræsentat.*

Secunda, ac media Gratiarum Dei Hierarchia in Ioanne Morico Infantulo, Viro Hierarchicho.

IV. GRatia est gratia benignæ seueritatis, siue seueræ liberalitatis, ad benè præessendum. Hæc Gratia ordinat Prælatos respectu suorum subditorū, vt sciant qualiter se debeant inferioribus conformare, & sine tyrannide dominari. *Et sic configurantur Ordini Dominationum.*

Tres Dei gratiæ pro tribus ordinibus mediæ Hierarchiæ.

V. *Gratia* est Gratia humilitatis ad obediendum. Hæc gratia ordinat subditos respectu suorum superiorum, vt debitam

tam reuerentiam eis impendant. *Et sic per hanc gratiam Ordini Principatuum anima conformatur.*

VI. *Gratia* est Gratia patientiæ, & longanimitatis. Hæc gratia docet resistere tentationibus, & aduersas Dæmonum coercere potestates. *Vnde per patientiam conformatur homo Ordini Potestatum.*

Tertia, ac infima Gratiarum Dei Hierarchia in Ioanne Morico Infantulo, Viro Hierarchicho.

Tres Dei gratiæ pro tribus ordinib. infimę Hierarchiæ.

VII. GRatia est Gratia pudicitiæ, & castitatis. Hæc gratia hominem facit virtuosum, vt viriliter omnes motus sensualitatis rebellantes conterat, & allidat. *Et hæc virtus refertur ad Ordinem Virtutum*, quorum est officium naturam lapsam, & corruptam miraculosè reparare.

VIII. *Gratia* est Gratia eloquentiæ ad docendum. Hæc gratia ordinat animam *ad gradum Archangelorum*, quorum est docere.

IX. *Gratia* est misericordiæ, & pietatis ad compatiendum. Hæc gratia conformat mentem *Ordini Angelorum*, qui omnes suas gratias nobis communicant, qui bonis nostris congratulantur. Hactenus Bonau. ibi circa ea, quæ hic per epitomen, & synopsim restrinximus in Ioanne infantulo nostro, ex gratia peculiari Dei ita nuncupato. Qui etiam multa cum ratione ab ipso Bonau. in Prologo, vt pluries, ac diuersimodè explicatum est, *Vir Hierarchichus* dicitur.

Vir Hierarchichus Fráciscus tripliciter.

Hierarchichus in toto mundo spirituali vitæ suæ, de quo sup. Hierarchichus in toto eius firmamento, ad firmamentũ vitæ Christi cõforme: vnde & totũ eius Astrolabiũ misticũ, atq; Hierarchichũ cum Angelis sub nomine Cælorum venit. Tandẽ Hierarchichus ex significatione nominis Ioannis per hierarchicham gratiarũ Dei ordinationem. Cuncta agnomina hierarchicha in Frác. inclytã illam efformabát per mirũ, ac plenũ cælestium influẽtiarum concursum consonantiam, & harmoniã, de qua Bonau. cit. Et hoc ratione mundi sensibilis, in suo mundo rationali per respectum ad inuisibilia Dei mirabiliter inclusi. Suprema, summaque inspectione ad excelsam potentiam in ingenti mole Astrolabii Seraphici, & Hierarchici Ioannis infantuli nostri, eius Horoscopus potentissimè ipsum exaltauit cum suo paterno, ac materno stemmate ad apicem omnimodæ, atque immortalis nobilitatis, & felicitatis per intimam approximationem ad Regem Christum, de qua nobilitate aliàs cum Interprete nostro. Verum tam magna in eo exaltatio in virtute signi Libræ, sub quo baptizatus, & Ioãnes vocatus: idest virtuti Crucis Christi omninò attribuenda. Quare haud mirum, si Bonauentura præfatæ vtriusque mundi in Frãcisco harmonię coniunxerit statim memorata verba, *Christus Iesus crucifixus, &c.*

Crux Christi virga aurea extensa erga animã.

Probatur ex Interprete nostro, qui per virgam auream, à Rege Assuero versus Esther clementissimè extensam, vt legitur cap. 5 Ester, loquens super historiam Viduæ Naim, cui Dominus suscitauit adolescentem filium, intelligit Christi Crucẽ, & ita scribit Dom. 16. post Trinit. explicans totam allegoriam. Virga aurea est Crux passionis, per quam Christus acquisiuit potestatem. Vnde & dixit Ioann. 12, *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra*. Hanc virgam tũc contra animam extendit, cum accedit, & loculum tangit. Loculus est hominis conscientia, quam cum Dominus *aurea virga sua passionis tãgit, idest sui sanguinis ei signa imprimit, suæ ei passionis memoriam infigit*. Tunc surgit anima, cõfidens de misericordia, & osculatur summitatem virgæ, quæ est charitas, de qua Apostolus, *scire etiam superuenientem scientiæ charitatem Christi*, idest quæ supereminet omnem scientiam; & plenè sciri non potest charitas Christi, qua nos vsque in finem dilexit. Fuit enim super omnem scientiam hominum Deus Homo factus, iustus pro impiis mortuus. *Summitatem ergo virgæ anima osculatur, cum charitati Christi inseparabiliter adiungitur.*

Charitas Christi supereminet omnem scientiã.

Osculo suo, vt dictum est, infixit crucẽ humero dextro infantuli Ioan. Moriconi cælestis ille Peregrinus, ac proinde anima infantuli ex tunc osculata est virgam auream Crucis Christi, à quo mentaliter, & corporaliter non tantum sibi extensam, sed traditam, & impressam. Hanc autem virgam, scilicet Crucem fuisse & auream, ac lucidam, saltem quãtum ad supereminentem existimationem, & potestatem exaltandi Franc. & exterrendi Diabolum, & inaurandi, & illustrandi totum mundũ per vnicam ad auream Christi Crucem paritatẽ, duo exempla satis clarè demonstrant. Vnum est de B. Siluestro, alterum de B. Pacifico, Francisci sociis lectissimis, & sanctissimis, quorum primus, teste Bonau. cap. 2. vidit ter in somnis tota Assisii Ciuitas à Dracone magno circundari, præ cuius magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio subiacere. Contuitus

Fuisse aureã humeralem crucẽ, crucis animæ Frác. correspondẽtẽ suadet duplex visio.

Prima visio B. Siluestri.

tus est post hæc *Crucem quandam auream ex ore procedentem Francisci, cuius summitas Cælos tangebat, cuiusque brachia protensa in latum vsque ad mundi fines videbatur excedi. Ad cuius etiam aspectum præfulgidum Draco ille teter, & horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, &c.* B. Pacificus deinde, vt refert idem Bonau. cap. 4. sequenti. *Meruit iteratò magnũ Thau in fronte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius multo venustabat ornatu.*

Cur aurea crux illa, quam exierit ab ore Franc.

Crux aurea in potentissima exaltationem Francisci exibat ex eius ore, vel primò quia cum osculo humerali recipiens Francisci anima osculum Christi, recepit & Crucem auream Christi. Et huiusce aureæ Crucis osculata est simul summitatem virgæ aureæ in Cruce Christi ob summitatem charitatis Christi, ad quam deinde peruenit Franciscus. Quæ quidem charitas in ipso colore aureo ipsius Crucis significabatur, teste eodem Interprete. Vel secundò, quia sicut *per Crucem suam* redimens mundum Christus, *Osculatus est osculo oris sui* genus humanum in signum reconciliationis (osculũ enim eius huiusmodi reconciliationem significat, vt dictum est ex Interprete paulò ante) ita ore Francisci per eandem Crucem verè osculatus est Ecclesiam suam in signum reparationis eius. Vel tertiò cum eodem Interprete serm. fer. 5. Hebdom. in Quadrag. quia *os* in Sacra Scriptura frequenter accipitur pro *corde*, per quod sicut materiale os in corpore, ita pariter & in anima intrat spirituale nutrimentum. *Aperi os tuum, & implebo illud. Eo quod* (subdit Interpres) hæc dilatatio fit ad formam vasis, quod profunditate, & distensione fit capacius. *Hæc distensio est bonæ vitæ continuatio. Hæc profunditas est humilitas, &c.*

Dimensio aurei vasis cordis Franc. ex tensione bonæ vitæ, & profunditate humilitatis penè immensa.

Vas auri solidum cordis Francisci tam in extensione continuationis bonæ vitæ, quam in humilitatis profunditate valde vnicum fuit, valde Christo carum. Illa oris Frãcisci Crux aurea per omnes fines Orbis extensa, & ad Cælorum summitatẽ eleuata in terrorem Satanæ, penè imperceptam latitudinis bonæ vitæ intercapedinem, & penè immensam altitudinis humilitatis profunditatem indicauit cordis Francisci. Quod veluti tale euasurum profectò ex quo signatus fuit vix baptizatus infantulus, ab ore cælitis peregrini osculo, cruce humerum infantuli dextrum consignante, auguratum fuit. Ter autem vidit B. Siluester, vt ait Bonau. eandem visionem. Et cur ter, nisi quia *numerus ternarius* (teste Interprete nostro in fine serm. Dom. 2. Quadrag.) *ad fidem referatur*. Romana namque fides in Cruce Christi, quam ipse Christus ceu hæreditariam ab ortu ad obitum Francisco (continuatione Euangelicæ, Apostolicæ, & Seraphicæ vitæ sibi persimili, & humilitatis profunditate sibi tam compari) effecerat, ter reparanda erat trium Ordinum institutione, in quorum quolibet aurea virga Crucis Christi extendere debebat potentiam Crucifixi, & eius imperium renouare.

Ter visa aurea crux exire de ore Franc. ob fidem Romanam.

Porrò magnum Thau signum, colorum varietate distinctum iteratò, hoc est iterũ, rursus, bis vidit B. Pacificus in fronte Francisci. Crux aurea, in immensam exaltationem Francisci, & Ecclesiæ, in ore, Thau autem signum in eius fronte varios vibrauit radios; faciem illius venustans. Hæc diuersitas (quæ harmonica est, vt patebit) circa partem faciei, scilicet frontem, in qua visum est Thau, petenda est ex Sacra Scriptura in duobus Prophetis. Et primò Isaiæ 13. *Super montem caliginosum leuate signum*. Et Ezech. 9. *Signa Thau super frontes virorum*. Vbi Interpres super vtrumque textum serm. Dom. infra Octau. Natiu. *Mons caliginosus est Diabolus*. Mons per superbiam. Caliginosus per suggestionis caliginem, quam menti infert. Super quẽ peccatores (*apud Maffæũ, et Haye, sed fortè* verius Prædicatores) tunc signũ leuant, cum eum Crucis virtute victum prædicant. Exaltant vocem, cum opportunè arguunt, obsecrant, increpant. Leuant manum, quando quod prædicant voce, exercent opere. De quo signo Ezechiel 9. *Signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium*. Qui sunt isti gementes, & dolentes, *nisi pœnitentes, spiritu pauperes, qui in Cruce gloriantur, & super abominationibus, quæ fiunt in mundo, dolent, & gemunt, &c.*

Mons caliginosus cur dicitur Diabolus.

Hos signare debebat Franciscus in fronte, leuans signum Crucis, vt sibi genuinum, iuridicumque vexillum suum in Diaboli, carnis & Mundi victoriam, & exaltationem sui, & triũ Ordinũ suorum & Ecclesiæ Romanæ, ter ab eo reparandæ, atque erigendæ. Dixi signum, vexillumque iuridicum, vt me conformarem Bonau. in prologo toties allegato, vbi fatetur, signum Dei viui in Angelo ascendente ab ortu Solis, qui ad literam erat Frãciscus, denotasse in eo *officium, quod habuit vocandi ad fletum, & planctum, caluicium, & cingulum facci, signandique Thau super frontes dolentium, & gementium signo pœnitentialis Crucis, & habitus Cruci conformis.*

Quomodo tessera Crucis Christi Franc. hæreditaria, ac iuridica.

Vocare ad fletum Crucis, & signare Thau super frontes virorum ita ad inuicem

cem concordant, ficut conueniunt os, & Frons, cum hac differentia, quod os voce, frons verò fine voce animi fecreta loquatur. Os recipitur pro corde, vt paulò ante diximus; & cor non loquitur nifi per os, & per os tanquam per propriũ, & ordinarium oftium feipfum pandit. *Frons*, quæ eminet in vultu, à ferendo dicta, vt quibufdam placet, quod indicia animi præfeferat. Hinc factum, vt frons accipiatur pro vultu, & pro animi noftri affectu. *Frons* (inquit Plinius) *homini triftitiæ, hilaritatis, clementiæ, feueritatis index eft*, ita lib.11. & Cicero Att. *Ex fronte meum erga te amorem perfpicere potuiffes*. Loqui etiam frontem animi arcana, videtur annuiffe Plaut.in Caf. illis verbis: *Porrectiore fronte mecum loquaris oportet*. Habet duo labia os, quibus voces articulat, & animi conceptus prodit: habet & frons pariter & duo labia, quibus pandit animum; & dum loquitur non auditur, fed videtur, & quod indicat, fine verborũ fonitu percipitur. Nonne corrugatio frontis cordis triftitiam, eiufdem vero dilatatio hilaritatem veluti duo labia loquuntur? Os accipitur pro facie, & pro vultu. *Os, humerofque Deo fimilis*, Virg.5. Æneid. Pariter & frons, vt diximus, & concordat Tull.ad Att.lib.4. vbi ait: *Pompeius Scauro ftudet, fed vtrum fronte, an mente, dubitatur*.

Cor cũ fronte, & è contra conuenientia.

Duo labia in corde, & in fronte quoque;

Quidquid ergo erat in corde Frãcifci, vel ore apertum, vel fronte patefactum, nihil aliud erat nifi Crux aurea, nifi Thau fignum. Thau fignum memorat tantum in codice Biblico cap.9. citato. Ezechiel Propheta, qui in ferie Prophetarũ maiorũ tenet locum, tertium poft Hieremiam, & antecedit Danielem. Prophetæ omnes tã maiores, quam minores floruerunt poft diuifionẽ Regni Ifrael, quæ facta eft poft obitum Salomonis. Iuxta Chronologiam Bellarmini Ezechiel præceffit Chrifti aduentum annis 613. Ezechiel enim (vt ipfe teftatur cap.1. apud eundem Bellarm. lib. de fcript Eccle. Teftam.vet.) cœpit anno quinto tranfmigrationis Iechoniæ Regis, qui fuit annus Mundi 3371. Chriftus natus eft, tefte eodem Bellarm. in 2. parte chronol. anno Mundi 3984.

Thau fignũ memorat folum Ezech. Propheta.

Fuit Ezechiel de genere Sacrdotali, vir optimus, & fanctiffimus, & prædicabat concaptiuis fuis, eofque ad virtutes hortabatur. Sed mercedis loco, ab ipfo Principe Populi fui obtruncatus occubuit. Prædixit reuerfionem populi ad propria loca, & de aduentu Domini, aliifq; Chrifti mifteriis multa, fed obfcurè, maximè de ftructura Templi vaticinatus eft. Sed de aduentu Domini, miffi à Patre, vt redimeret Mundum per Crucem, vaticinatus eft, potiffimũ vbi locutus eft de figno Thau ibi enim ita legitur fub num. 4. illius cap.9. *Dixit Dominus ad eum* (fcilicet ad virum, qui erat indutus lineis) *Tranfi per mediam Ciuitatem in medio Hierufalem, & figna Thau fuper frontes virorum, &c.* In quem textum explicat Interpres. *Vir veftitus lineis eft Chriftus, noftræ carnis lino indutus.* Huic præcepit Pater, vt Thau, ideft fignum Crucis fuæ, & memoriam paffionis fignaret, *fuper frontes*, ideft mentes pœnitentium, qui *gemunt* in contritione, & *dolent* in confeffione *fuper cunctis abominationibus*, quas fecerunt, vel quas alii faciunt. Hæc Interpres.

De Ezechiel, & eius prophetiæ tempore.

Nomen figni Thau folum apud Ezechielem bis legitur pronunciatum, nimirum num.4. & num.6. capitis prællegati. Antiquitas autem formæ figni Thau videtur referenda ad Moyfem, qui fecit *Serpentem aneum, & pofuit eum pro figno, quem cum percuffi à ferpentibus ignitis afpicerent, fanabantur.* Num. cap.21. num.9. Ad quod alludens, tranfiens à figura ad figuratum, ipfe Chriftus apud Ioann. Euangel. cap.3. num.14. ait. *Et ficut Moyfes exaltauit ferpentem in deferto, ita exaltari oportet filium hominis, &c.* Quæ exaltatio fuit in Cruce. Textus tamen facer non explicat cuius figuræ extiterit illud lignum, in quo Moyfes exaltauit ferpentem pro liberatione populi, an fcilicet Thau, vel Crucis, &c. fuiffeque *perticam quandam*, aduertit Lyranus ex lectione Hebræorum. In nouo verò Teftamento filius hominis exaltauit feipfum ad generis humani redemptionẽ fub ligno Crucis. Beda (apud Bellarm. tom.2. lib.2. de imag. Sanct. cap.27. de vera Cruce Domini, quam dicit fuiffe ex tribus lignis) in quæft. in Gen. vbi de victoria Abrahæ fcribit, Crucem Domini fimilem fuiffe literæ Græcæ T. qualem etiam fuiffe olim Hebraicum *Thau* docet Hieron. in cap.9. Ezech. Quod verum eft, fubdit Bellar. nam parum differebant.

Signi Thau antiquitas.

Signũ Thau à figura crucis parũ differt.

Aduertendum tamen iuxta Hieronym. in prologo Galeato apud Bellar. tom.1. lib.2. cap.1. Efdram inueniffe nouas literas Hebraicas, & antiquas quidẽ reliquiffe Samaritanis; nouas autem tradidiffe Iudæis, quibus etiam nunc vtimur. Nam, vt idem Hieron. teftatur in cap.9. Ezech. litera poftrema alphabeti Hebraici antiqui, fimilis erat T. Græcorum, & figuram Crucis referebat, quoniam finis legis Chriftus crucifixus eft. Nunc poftrema litera alphabeti nullam videtur habere Crucis fimilitudinem. Vide inferius. Illud item Thau, quod Ezech. cap. 9. iubetur defcribi in frontibus gementium, apertiffimè

simè signum Crucis, quod in fronte potissimum efformamus, indicabat, teste Cypriano in lib.aduersus Demetrianum, & Hieron.in Comment.Ezech. Vide eundem Bellarm. ibidem cap. 29. de signo Crucis.

Igitur ex sacris literis circa signum Thau duo certa habemus,& vnum dubiũ. Primum certum est, Ezechielem solũ illo cap.9.bis nominasse signum Thau.Secundum certum, Moysen, qui accepit Principatum Hebræorum annis Mundi (teste Bellar.de script.Testam. vet.) 2483.obiitque 2523. antecessit Ezechielem an.888. vt patet, & ipse erexit serpentem æneum pro signo. Dubium tamen est, vtrum lignum illud, in quo exaltauit serpentem suum æneum Moyses, fuerit sub forma Thau,vel aliqua alia, aut simplex pertica extiterit; licet valde aliunde conuincat authoritas Christi,qui ne figuratũ Crucis suæ, à figura illa Thau discreparet, formã Thau illud lignum, in quo erexit serpentem Moyses,expressit. Hebræi ipsi Thau nuncupant signum, ac propterea dicens textus, quod Moyses posuerit *Serpentem æneum pro signo*, idem videtur esse, quod posuerit pro Thau,idest in Thau,*pro* enim aliquando accipitur pro *in*.

Duo certa circa signi Thau.

Crux autem in sacris paginis quater supra 40.exprimitur.In veteri Testamẽto vicibus 6.in nouo verò 28.Ibi. in opprobrium malefactorum.In nouo ad gloriam Christi, & sequacibus eius. Hic tamen vicibus 13.memoratur Crux spiritualis, de qua bis, ni fallor, locutus est Christus.Crux verò lignea illa tantum Christi, & non alia, neque illa Latronum (licet hi crucifixi dicantur cum Christo apud Matth.& alios) vicibus 18. memoratur. Qui primus nominauit Crucem in veteri Testamento fuit Moyses cap.40. num.19. in historia Ioseph.captiui in Ægypto,cum quo tenebantur in custodia Pincerna, & Pistor Regis Pharaonis, quorum declarans somnia Ioseph, dixit Pistori. Tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, *& suspendet te in Cruce, &c.*

Mentio Crucis in veteri testam. sex vicibus. In nouo 28.

Ioseph antecessit Moysen (si fides Bellarmino) annis 184. Ponitur enim Ioseph ad annum Mundi 2229.Moysen verò ante Hebræorum principatum ad ann.2403 Igitur Crux illa Pistorii Regis Pharaonis præcesserat signum Thau materiale Moysi annis circiter 264. Nominale verò Ezechielis pluribus centuriis, vel sæculis, vt patet ex dictis.

Crucis antiquitas videtur vetustior signo Thau.

Crux ergo prior est signo Thau in sacris literis veteris Testamenti, saltẽ quoad eius mentionem; nam quoad tempus nihil certi habemus ex scripturis; & etiam in nouo Testamento,tum quia qui primo eam assumpsit,auferens opprobriũ Crucis in salutem Mundi solum fuit Christus.Tũ quia S.Matthæus de ea loquens, primus ponitur inter Scriptores noui Testamẽti. Verum signum Thau longè excelluit, ac præcessit dignitate Crucem in veteri Testamento. Idem signum Thau erectum fuit ad salutem à Moyse, & ad salutem Ezechieli patefactum. Crux verò ad damnationem malefactorum inuenta fuit, & erecta. Et ideò Christus exaltationem suam per Crucem exaltationi serpentis per signum Thau comparare placuit. Pariter prior fuit in Francisco Crux & in vita christiana post baptismum statim, & in vita religiosa à principio. Ibi à Cælesti Peregrino in dextro eius humero impressa, hic ab ore Francisci exire, & colore aureo refulgere à B.Siluestro visa. Signum Thau postea vidit in eius fronte B.Pacificus, nec semel vidit, sed bis, sicut nec semel Crucem auream inspexit B. Siluester, sed ter. Quæ bina Thau visio suis arcanis non caret, sicut nec caruit terna Crucis aureæ inspectio, de qua paulò ante. *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ*, Prou.3. Vbi Interpres Dom. 9. post Trinit.loquens de Christo, ita explicat. *Duæ sunt viæ Christi*, & duæ semitæ.

Duæ viæ in Christo, & duæ semitæ.

Prima via fuit à Patre ad Matrem, *& hæc via dicitur charitas*, de qua Psalm. 138. *Deduc me Domine in via tua.*

Prima via

Secunda via fuit à Matre in Mundum, *& hæc dicitur humilitas*, de qua Psalm.76. *In mari via tua*, quasi dicat. O Christe, tu es factus via humilitatis in mari. Cum hoc nomine *Mari* iunge *a* huius pronominis *tua*, & fit *Maria*, quæ interpretatur Stella Maris. *Hæ viæ sunt pulchræ*, Cant.7 *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*, idest Iesu Christi Principis Mater.

Secunda via

Item prima semita Christi fuit Iudaica persecutio. Secunda patibulum Crucis. Hæ viæ sunt pacificæ, idest pacem nobis facientes. Vnde Isai. 53. *Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Disciplina dicta est, quia addiscitur plena. *Dei filius pro nobis suscepit passionis disciplinam, vt per sanguinem suum pacificaret quæ in Cælis, & quæ in terris, Deo Patri scilicet genus humanum reconciliando.* Hæc Interpres.

Prima Christi semita Iudaica persecutio fuit.

Secunda verò patibulũ crucis.

Charitas, & Humilitas fuerunt in Frãcisco,misso charitatiuè à Patre Christo, & dato Matri suæ Piæ, vt per hanc quasi per aliam viam daretur Mundo humil-

limè ab ipsa eius natiuitate. Hæ pariter viæ ab exordio ad progressum, & complementum reparationis Ecclesiæ apertæ sunt. In cuius signum incepit Franciscus baiulare Crucem ab ipso ortu in stabulo, & accepit Crucem in humero dextro à cælesti Peregrini osculo. Semitæ illæ duæ in ipso extiterunt altera, & altera persecutio, scilicet Patris sui à principio conuersionis suæ, & Satanæ pluries à principio institutionis Ordinis Minorum, & penè vsque ad obitum. Per vtramque viam, & semitam peruenit ad vltimam exaltationem Crucis in summo mane diei Exaltationis Sanctæ Crucis. Quia eo eodem die realiter, & visibiliter non solum virgam aureã passionis suæ extendit Christus, sub specie Seraphica Cruci affixus, verum etiam sic crucifixus approximatus est ipsi (vt vtamur verbis Interpretis nostri supra allegati) & per physicum contactum *sui sanguinis signa impressit*. Et ab ipso Christo tuc maximè per ipsa sanguinea signa data est ei plena potestas in Cælo, & in terra. Idest declaratus est cõpletissimus Reparator Ecclesiæ, qui sub potestate Crucis Christi pacificaret siue quæ in Cælis sunt, siue quæ in terris. Sic enim ceu Angelus veræ pacis natus, & ceu Arcus fœderis inter nebulas gloriæ, teste Bonau. &c.

Pariter in Franc. duæ viæ, & duæ semitæ Christi

Omnis hæc exaltatio Franc. Reparatoris Ecclesiæ per patibulum Crucis, ex suo viuo corpore efformatum, & in ipso cum Christo confixi, simillima fuit exaltationi Redemptoris. Nam volens per Crucem suam ipsum exaltare in die exaltationis suæ Crucis, vt sibi eum anima, & corpore assimilaret, ipse quoque ordinauit, qui exaltationem suam in Cruce exaltationi serpentis in signo Thau assimilare elegit, vt pro tessera sua peculiari, & insigne suo iuridico non crux illa, quæ humero dextro illi fuit osculo cælestis Peregrini relicta, neque illa, quam sub aureo fulgore ter inspexit ab ore eius procedentem B. Siluester; sed signum magni Thau, quod à B. Pacifico in Francisci fronte varietate colorum bis rutilare visum est. Vnde Bonau. cit. cap. 4. *Hoc quippe signum* (scilicet Thau) *vir sanctus magno venerabatur affectu. Frequenti commendabat eloquio, & in eis, quas dirigebat, literalis, manu propria subscribebat. Tanquam si omne ipsius studium foret signare Thau iuxta dictum propheticum super frontes virorum, gementium, & dolentium, ad Christum Iesum veraciter conuersorum, &c.*

In die Exaltationis S. Crucis data ex Franc. plena potestas. &c.

Signũ Thau Franc. insigne iuridicũ

CAPVT III.

Quatuor tẽpora in triplici vita Francisci, Christiana, Eremitica, ac Religiosa vsque ad ann. ætatis suæ 25. Christi verò 1206. Triplici septiformitate, duplicique integritate virginali auspicatissima.

CVM his quatuor tẽporibus quatuor quoque comprehendimus in triplici vita Francisci ætates, quæ sunt exẽpli gratia, Infantia. Pueritia. Adolescentia, & principium Iuuentutis, de quarum annorum periodis, gradibusque ab exordio huius libri 9. distinctè locuti sumus cap. 1. fol. 375. Quatuor hæc tempora in Francisco septem illa tempora acceptabilia includunt, quorum triplicem allegoriam, tripliciter septiformem egregiè scribit Interpres noster serm. Dom. 1. in Quadrages. super illud Pauli 2. Corinth. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile.* Addens quoque ei pulchra concordantia septem ea tempora, quæ prædixit Daniel cap. 4. Regi Nabuchdonosor, post eius conuersionem à vita, & forma bestiali ad cognitionem Dei, *Septem quoque tempora*, inquit, *mutabuntur super te, donec scias, quod Dominus excelsus sit super regnum hominum*. In his enim septem temporibus ostendit tertiò, quod vbi primò datur peccatoribus à summa Dei pietate tempus acceptabile ad delendam maculam carnis, quam cõmiserunt, secundo ad reuocandam gratiam lucis, quam perdiderunt (vt ex verbis antecedentibus textualibus misticè patet) tertiò subdit datur illud tempus acceptabile ad resumenda opera artis, quam amiserunt; ideo dicit, *septem quoque tempora, &c.* Quod ita pulchrè demonstrat. *Per siquidem septem tempora artes liberales intelligo. Liberales inquio ab effectu, non illas, quæ liberales communiter nuncupantur; sed illas, quæ liberare habent hominem à seruitute peccati, & eum propria tradere libertati*, Hæc Interpres de primo septenario.

Septem tempora Danielis ad Regem Nabuchdonosor.

Significant artes liberales moraliter

Sciendum, Artem deriuari à Virtute, quam Græci *Apo tis aretis* vocant, necnon vniuscuiusque scientiam. Apud Interpretes Latinos Ars multiplex est, sed ad tria capita redigi potest. Artium enim *aliæ contemplatiua*, vt nimirũ Theologia, Philosophia naturalis, Mathematica, &c.

Ars vnde dicta, & quomodo sit triplex.

Alia

Alia actiua, quibus spectat Ethica ad mores, Politica ad regimen Reipublicæ. Oeconomia ad regimen domus. *Alia artes dicuntur factiua*, quia ad ingenium, & ad manus spectant. Hinc artes iterum subdiuiduntur per duo genera, quorum vtrūq; includit septem artes. Priores vocantur Artes Liberales, quæ dum solius ingenii, non autem manuum ministerio peraguntur, libero homine dignæ sunt. Suntque *Grammatica Rethorica. Dialectica. Musica. Arithmetica. Goemetria. Astrologia*, quarū quatuor vltimæ subalternantur Mathematicæ.

Artes liberales septem,

Artes mechanicę septem ad Theologiā reducendæ.

Artes Mechanicæ septem & ipsæ, quas ex Vgone enumerat Bonau. tom. 6. opus. 1. de reductione Artium ad Theologiam. Vocantur, *Lanificium, Armatura, Agricoltura. Venatio. Nauicatio. Theatrica. Medicina*. In harum septem artium factione, seu productione *ista tria* (ait Seraphicus Doctor) *possumus intueri, scilicet Verbi generationem, & incarnationem. Et hoc si consideremus egressum, effectum, fructum*. Vbi demum concludit illud perbreue opusculū, ita subdit. *Hic est fructus omnium scientiarum, vt in omnibus ædificetur fides. Honorificetur Deus. Componantur mores. Hauriantur consolationes, quæ sunt in vnione spōsi, & sponsæ*.

Interpres noster, super hanc legem, & regulam in Christi, & B. Francisci schola edoctus, contemplatus est has septem artes liberales ab effectu, quem debent parere in vita christiana, quatenus sint quadruplex fructus ad ædificationem fidei, ad honorificationem Dei; ad compositionem morum, ad hauritionem consolationum, quæ fiunt per vnionem animæ cum Deo suo. Quamobrem vocauit eas liberales à libertate animi, *quæ scilicet liberare habent hominem à seruitute peccati, & eum propriæ tradere libertati*. Posita namque in homine hac libertate, ille quaternus fructus sequitur fusissimè.

Quód practicè fit per libertatem à criminibus.

Sic quilibet erit liber Grāmaticus.

1 *Liber Grammaticus* erit. Nam absolutus à crimine (cuius barbara locutio, barbara scriptura cum omnia, scilicet rationē cum Deo, sensus cum ratione, legem spiritus, & legem carnis in vtroque homine peruertat) rectè scit loqui, rectè scribere. *Loquebatur rectè*.

Liber Retoricus.

2 *Liber Rethoricus erit*. Nam vbi animus fit per peccatum seruus, arte in benè dicendo, ac eloquendo carens, haud poterit in christiana schola nisi malè dicere, & eloqui, ad differentiam illius, de quo, *Dicite iusto, quia omnia benè*.

Liber Dialecticus.

3 *Liber Dialecticus erit* in illa differēdi arte, quæ dum pro fine habet, verum à falso discernere; qui liber non est per gratiæ Dei libertatē, sed seruus per tyrannidē culpæ, hac scientia priuabitur, & malū dicet bonum, & bonum malum, & tenebras lucem, & lucem tenebras. *Vah vobis qui dicitis bonum malum, &c.*

Lib. Musicus

4 *Liber Musicus erit* non solum in modo canendi, verum etiam in modo placendi cantu suo Deo suo, cui dicit, suæ libertati reddito. *Sonet vox tua in auribus meis, &c.*

Liber Arithmeticus.

5 *Liber Arithmeticus erit* in tractando de numeris, & supputandi ratione. Nam si numerorum, vt distinguit Innocentius Tertius, alius est defectiuus, alius perfectiuus, alius superabundans, ipse cū sciat cum Petro Apostolo suos enumerare defectus, & ipsos deplorare. Sciet numerare cum Paulo duodecim fructus spiritus, & ipsos degustare. Sciet numerare cum Sanctis omnibus affluentia Dei beneficia, & ipsis gratus esse.

Liber Geometra,

6 *Liber Geometra* erit in mensurando altitudinem, & longitudinem, & latitudinem, & profunditatem terræ sui ipsius ex qua compactus, & in quam resoluendus. Quæ sine animi libertate per libertatem à crimine malè mensuratur, fitque extra veram mensuram, & eadem mensura mensurabitur à Deo.

Liber Astronomicus.

7 *Liber Astronomicus* erit, vt possit scire horoscopum suæ felicitatis, ipsoque coronari cum illa Muliere Apocalip. 12. in cuius capite *Corona stellārum duodecim*.

Transit deinde Interpres immediate ad secundum temporum septenarium allegoricum, ita connectens ipsas septem virtutes liberales. Quæ vtique, inquit, licet possint vniuersitatem perfectorum operū designare, in vniuersitatis numero signatorum, & in septenario: signant tamen specialiter *septem opera Misericordiæ, &c.* Tertium septenarium addit Interpres, loquens de tempore vernali, cum aliis septē temporibus, de quibus Ecclesi. 3. & ita discurrit.

Tempus pacis, & belli.

1 *Tempus belli*, scilicet cum hoste. Et *tempus pacis*, scilicet cum Deo reformandæ.

Tempus cultorib. aptum

2 *Tempus* cultoribus acceptum. *Tempus plantandi*, scilicet virtutes. *Et tempus euellendi quod plantatum est*. Idest amputādi vitia, & peccata per confessionem, & pœnitentiam.

Tempus pro mercatorib.

3 *Tempus Mercatoribus aptum* ad cumulandum. *Tempus acquirendi. Et tempus perdendi*. Perdendi, inquam pecuniam, & eleemosynam pro proximo, &c. *Sed istud* perdere est acquirere thesaurum indeficientem in Cælo, *vbi nec erugo, nec tinea demolitur*, Matth. 6.

Tempus pro languētibus.

4 *Tempus* languentibus aptum ad liberan-

berandum. *Tempus occidendi*, scilicet concupiscentias insurgentes. Et *tempus sanandi*, scilicet languores, & febres, & vlcera maculantium peccatorum.

Tempus pro stillantibus.

5 *Tempus* stillantibus aptum ad lacrimandum. *Tempus flendi, & tempus ridendi*, quia secundum Augustinum *debemus de peccato dolere, & de dolore gaudere*.

Tempus pro generātibus

6 *Tempus* viuentibus aptum ad generandum. *Tempus nascendi*, scilicet per gratiam. Et *tempus moriendi*, scilicet mundo, & iniustitiæ, *vt mortui mundo, & peccato, iustè viuamus*, 1. Petr. 2.

Tempus pro volucribus.

7 *Tempus* volucribus aptum ad cantandum. Represso enim humore melancolico, & incipiente sanguineo dominari, aues ad alacritatem, & cantum singulariter disponuntur. *Sic Aues, idest Contemplatiui* ad alta conuolantes, & ab illicitis abstinentes colloquiis, debent continuò diuinis laudibus occupari. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*. *Ergo* (concludit Interpres) *benè præmissa tempora super quemlibet virum iustum debent illo tempore quadragesimæ immutari*.

Hæc triplex temporis septiformitas omni tēpore fuit in Fran.

Totum tempus vitæ Francisci in Christiana vita cursu annorum 25. possumus nuncupare tempus quadragesimæ septiformiter vnum, respectu suæ iustitiæ, ac sanctitatis. Igitur in quatuor temporibus Infantiæ, Pueritiæ, Adolescentiæ, Iuuentutis in principio per annos illos 28. sub quo prima eius conersio à christiana vita ad vitam eremiticam, non defuerunt in ipso septem priora tempora septem virtutum liberalium, per quas liber euasit ante lapsum ab omni seruitute mortalis culpæ.

Pisanus lib. 3. Conform. fruct. 31. pro prima parte hæc omnia tempora tam artium liberalium, quam aliarum disciplinarum pulchrè explicat in Cruce Christi, eam proponens, vt cunctas veras scientias explicantem, ac docentem, atque vt expressiuam omnium virtutum; ac per cōsequens vt liberatiuam omnium vitiorum, vnde anima fit serua peccatis. In tota illa miranda voluminis conformitatū mole, tribus libris compacta monstratur Franciscus veluti peregrinus, peculiarisq; Hæros quidam, explicans primo actus perfectionales, quibus imitatus est quantum potuit Christum in factis, in verbis, & in consiliis. Secundò actus passionales, per quos tandem interius, exteriusque in Christum crucifixū transformatus est. Priores actus sunt in libris 1. & 2. ibi per conformitates 12. hic per conformitates 16. quarum duæ continentur in libro 3. in quo sunt reliquæ conformitates ad numerum 14. actus passionales enucleantes. Si autem in actibus prioribus totum tempus in Francisco salutare, atque acceptabile extitit, multò magis in actibus posterioribus, in quibus crucifixus cum Christo, perfectissimè didicit à Christi Cruce artes liberales prędictas, & cunctas alias disciplinas, iuxta argumentum Pisani. Et ita consummatè didicit, vt potuisset totum mundum docere. Quæ omnia ab ipso Francisci ortu, ac baptismate, in quo eum cælestis Peregrinus Cruce signauit, præmonstrauit Deus. Rursus in vita christiana Francisci nec defuerunt septem opera misericordiæ, vt statim dicemus in eius infantia. Non septiforme tempus Eccles. 3. eo modo, quo ipsi applicandum est, tum per respectum ad eius iustitiam, nunquam deperditam, tum per respectum ad eius culpas veniales, quæ gratiam non destruunt, etsi eius vim debilitent; tum demum, & id potissimum, per respectum ad eius temporalem, & spiritualem mercaturam, cui tertium tēpus respondet.

Henric. Sedul. de sæculo, & ætate Franc in vita christiana

Henricus Sedulius in Comment. vitæ S. Francisci ita breui agit de eius sæculo, & ætate. Bonauentura tradit cap. 14. Sanctum Franciscum discessisse biennio ab impressione Stigmatum, anno videlicet à sua conuersione 20. Et cap. 15. *Dominica Incarnationis 1226. quarto nonas Octobr.* Scribit etiam Vincētius Bellouacensis in Speculo histor. lib. 3. cap. 97. S. Francisco coetaneus, *vsque ad annum ætatis suæ ferè 25. in viam perditionis incessit*. Adde, illis viginti annis, quos ad frugem correptus exegit, conficitur eius vitæ totius annos fuisse 44. attigisse 15. suffragatur Antoninus his verbis. *Anno Domini 1226. 4. Nonas Octobr. Pontificatus Honorij III. anno vndecimo ætatis verò suæ 45. à prima sua ad Deum conuersione anno 20. ab institutione Religionis 18. ex quo videlicet cæpit habere fratres post diutiuam infirmitatem, & grauissimos dolores ex hoc sæculo migrauit, &c.*

Bellouacēs. sentent. circa vitā christianā Fric. in sæculo

Hæc Antoninus. Itaque de illius ætate constat. Cum autem abierit è vita anno Domini 26. supra millesimum ducentesimum subductis colligo calculis natum anno Domini 1182. qui fuit 30. Imperii Federici I. cum (autore Palmerio) Lucius III. Pontifex deligeretur. Hucusque Sedulius.

Videtur ipsi suscripsisse Sedulium.

Quid autem ipse sēserit circa assertum illud Bellouacensis, quod scilicet Franciscus vsque ad annum ætatis suæ 25. in viā perditionis incesserit, cum nihil dicat, & omninò taceat, num illi consenserit, alii iudicent. Nisi excogitarim tacuisse, quia ex verbis illis Bellou. solum deducere voluit tempus vitæ Francisci vsque ad

illius

illius conuersionem. Sed quia hic author concessit peccasse Franc. in rei paternæ effusione, vt arguit Author Alcorani Franciscani, de quo superius, suspicor hic quoque sententiæ Bellou. adhæsisse cum D. Antonino. Modus loquendi Bellouacensis videtur non posse habere alium sensum, nisi eum, quo asseritur Franciscum vt virum deperditum totam penè iuuentutem criminosè transigisse; id quod videtur opponi historiæ Bonau. toties allegatæ in contrarium. Forte locutus est Vincentius secundum apparentiam, non autem secundum veritatem facti. Quemadmodum, quia Pharisæi videbant Christum cum peccatoribus, & publicanis cõuersare, manducare, &c. tenebantque verè esse filium Fabri, & sicut cæteros homines, vt idcirco vitam eius vt malam, & criminosam in multis accusarint, & vt talem ceu mortis Crucis reum cum sceleratis damnarint.

Sed vtrique satisfit.

Concedimus nos, iuxta assertum historicum Legendæ maioris, & minoris Bonau. Franciscum inter vanos, ac lascinos hominum filios iuuenili ætate nutritum in vanis, & inter cupidos mercatores intentum fuisse ad lucrum. Quæ duo ceu valida argumenta adducunt aduersarii; ad probandum primò lasciuia, secundò auaritia peccasse Franc. At callidè dũ racent hanc duplicem coniunctionem *nec* ab ipso Bonau. binæ illi propositioni adiunctam sub diuinæ assistentiæ præsidio, ex seipsis de aliquali suspicione calumniæ arguuntur. Prior coniunctio, *nec*, priori propositioni adiunctæ, ita legitur post illa verba. *Superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia post carnis petulantiam abijt.* Posterior immediata priori propositioni est huiusmodi. *Nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, sperauit in pecunia, & thesauris.* Et circa auaritiam, quam regia liberalitate polleret Frãc. quam degener parenti suo extiterit: consule Vadingum in app. §. 3. num. 7. Et circa effusionem eius ad gaudia ob prædictam eius liberalitatem nonne multoties, teste Vadingo, ludorum præfectum, spectaculorumque prætorem creabant sodales Franciscum? Et Franciscus nonne ibidem, inter cunctos splendidè expẽdens magnam pecuniæ vim in conuiuiis, musica, aliisque recreandorum animorũ generibus, quibus ætas maximè iuuenilis solet delectari, à consodalibus suis, & passim per Vrbem FLOS IVVENVM nuncupabatur? Omnia hæc illo solo participio *effusus ad gaudia* comprehendens Bonau. statim addidit, *superno tamen sibi assistente præsidio, nec &c.* Quibus verbis probat Bonau. thesim illam suam irrefragabilem, quam absolutè, & assertiue ita antea immediatè iecerat. Vir erat in Ciuitate Assisii Franciscus nomine, cuius memoria in benedictione est, pro eo quod *Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benignè præueniens, & de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, & cælestis gratiæ donis affluenter impleuit.* Hæc est thesis illa, cui statim ad eam probandam addit. *Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate, &c.* Et aduertendum principium Legendæ Bonau. in illis verbis, *vir erat*, quæ correspondent principio historiæ vitæ Iob cap. 1. *Vir erat in terra Hus*, &c. Quasi annueret mirabile illud Iob, quod refert D. Gregorius, quod inter Gentiles fuit Iob simplex, rectus, ac timens Deum, nec recedens ab innocentia sua. At in Francisco forte est alia circumstantia validior. Iob enim non legitur fuisse enutritum, & educatum inter lasciuos, & vanos, & superstitiosos Gentiles, sicut fuit Franciscus inter vanos Christianorum filios, &c.

Demonstratur innocentia Franc ab omni lethali crimine libera?

Thesis Bon. circa puritatem, & innocentiã Fran.

Scripsit hæc Bonau. anno sui Generalatus tertio. Eius electio contigit anno 1256. quo obiit Vincentius Bellouacensis, teste Antonio Senensi in Bibliotheca Ord. Prædicat. qui Vaseum testem adducit. Vincentius viuebat tempore Innocentii IV. ad ann. 1250. fuitq; Bellouaci Episcopus, ac per consequens fuit etiam coetaneus Francisci. & contemporaneus Bonau. Scripsit quatuor Specula, scilicet Doctrinale, Historiale, Naturale, & Morale, de quibus Bellarm. lib. de Script. ad ann. 1250.

De Vincent. Bellou. & eius sæculo.

Audierat proculdubio Vincent. haud socios; quibus reuelata tota Francisci vita, vt audierat Bonauentura, sed famam Francisci in vita sæculari circa mores tã in illa sua effusione ad gaudia, quam in maxima intensione ad mercaturam. Hinc facillimè potuit sibi persuadere, ibi cum relaxata iuuentute, hic cum immoderata Patris sui acquirendi cupidine viam perditionis inuenisse circa vtramque. Eodem deinde argumento vsus est D. Antoninus 3. p. histor. tit. 2. cap. 2. vt putaret & ipse adolescentem Franciscum verbis & canticis deditus impudicis, quod inter argumenta aduersariorum adducit Vadingus loco cit. num. 10. in apologia pro Virginali castimonia Franc. fuisse Franciscum in conuiuiis, solemnibus recreationibus, & similibus verbis, & canticis assuetum non negans, sed hæc verba, & cantica fuisse

Argumentũ suum collegit Bellou. ex fama: Suũ verò Bon. ex sociis Fran.

Quis Franc. in iuuentute circa verba inhonesta.

fuisse turpia, ac lasciua negant omninò tres socii S. Francisci, qui scripserunt eius vitam, quorum vnus extitit Confessarius suus B. Leo. Hi viri sancti *expressè pudicissimum, & castissimum fuisse* (vtor verbis Vadinghi citati) *in toto vitæ cursu asseuerant. Nec solum carnis spurcitias immaculato calle transiuisse; verum etiam impudica, & lasciua verba abhorruisse audire. Nec inhonestis viris, aut vocibus quicquam voluisse in iuuentute, aut adolescentia respondere, subiungunt.*

Nec Christus nec eius discipuli fuerunt vnquã de aliqua nota impudicitiæ notati.

Inter innumeros, quos habuit Christus, & eius Apostoli ac Discipuli aduersarios & calumniatores Pharisæos, hosq; præsertim plenos oculis ante & retro in eorum perscrutãdis, accusandisque factis, illud obseruatur vt mirum, & peculiare, quod nullus ausus sit eos super aliquam notam parum honestam, ac pudicam carpere. Decens quippè erat, vt re, & fama ab omni infamia, quæ puræ vitæ integritatẽ maculare valeret, liberi essent quotquot in redemptione Mundi debebant fundare Ecclesiam absque vlla turpitudine, ruga, & macula; vt à limine suæ fundationis possent bona fronte eius sponsus, sponsique confratres, & cooperatores cum ipso in illius constructione tribuere ipsi illud encomium; *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, Cant. 1. Id pariter & decebat Francisco, futuro Christi Ecclesię Reparatori, & Christo Redemptori fermè in cunctis assimilando.

Cur Deus voluerit vitam illibatã Frã. principiò occultari

Noluit autem summa Dei prouidentia re & nomine ipsum virginem in omni vita sua reputari, quamuis multa, nec certè leuia testimonia antea præcesserint, quia propheticis oraculis prænunciatus, atque ab Angelo sub specie peregrini annũciatus, vt nasceretur ad similitudinem Christi in stabulo. Et ab ipso sacro baptismatis fonte leuatus, deinde receptus in vlnis, & osculo suo in dextro humero Cruce obsignatus. Et In pueritia à viro ac simplici, pallium pedibus illius in via qua transibat expandenti veneratus, & vt vir magnus in Ecclesia euasurus cõmẽdatus, &c. Ipsa tamen sũma Dei prouidẽtia, vt magis ac magis tale donum, ac priuilegium peculiariter decoraret, ordinauit, vt Franciscus inter lasciuos, ac vanos hominum filios educatus in adolescentia, ac iuuentute diffunderetur ad gaudia, & ad mercaturam paternam, pręseruans tamen ipsum ab omni labe, sed abscondens ipsũ ab hac reseruatione. Vt quo magis tale donum ob has circumstantias mirandum fieret, solique Deo innotesceret, eo postea consentaneum esset, vt etiam in vita nec homo, nec Angelus, sed Deus ipse sacrorum Stigmatum priuilegio patefaceret.

Sacror. Stigmatum priuilegio Deus ipse contestatus est qualis fuerit Fran. vita.

Nuncupat Bonau. impressionem plagarum, & fabrefactionem clauorum, à Christo effectam in carne Francisci *Bullã Summi Pontificis Christi ad omnimodam confirmationem Regulæ Minorum, & auctoris commendationem*. Ita cap. 4. in fine; sed de hac re fusè in sequenti tomo. Hanc eandẽ purpuream Bullam emanasse diuinitus ab ipso Christo, à quo & scriptam, & impressam ad totalem corroborationem virginitatis carnis, & mentis Francisci, asseri potest ex vltimo, ac tertio argum. Vadinghi loco cit. ad num. 13. Qui meritò ex tam raro, insolito, & vnico priuilegio euidenter deducit, difficile persuaderi posse carnem illam sanctissimam, vulneribus Christi ab ipso Christo per contactum realem decorandam, macula aliqua impudicitiæ conspurcatam fuisse. Verba Vadinghi post primam, & secundam probationem (alteram ex contestatione B. Leonis Confessarii viri Sancti: alteram ex reuelatione eidem ab ipso viro Sancto effectam) sunt hæc. *Non facile credere licet; sanctissima nostræ redemptionis pignora in corpore polluto, lasciuientique carne depositanda, quæ purissimus, & innocentissimus Agnus dira pertulit in Cruce, mundissimaque recepit in carne.*

Piumque, & omninò rationabile est iudicare, quod quem Deus prælegit suæ Ecclesiæ Reparatorem, tam immensæ prolis Patriarcham, suæ Crucis vexilliferum, memoriæ passionis Dominicæ, & Christi sacrorum vulnerum ad frigescentis Mundi corda inflammanda feruentissimum renouatorem, *non permitteret tam fædè maculari, vt carnis se manciparet spurcitijs*. Vide ibi, & quotquot citat aduersarios pudicitiæ Francisci.

Sedul. dicit Fran. vixisse annos 44. & attigisse an. 45. sed impugnatur

Quæ postea subdit Sedul. circa ætatem Francisci, quod scilicet vixerit annos 44. & attigerit annum 45. superius examinata sunt. Illud tamen mirum, quod addiderit, sibi suffragari D. Antoninum, cum D. Antoninus absolutè, & indistinctè referat, Franciscum vixisse annos 45. quos vt completos ipse sumpsi loco citato. At transeamus ad singula quatuor Francisci tempora, seu ætate, annis 25. compræhensas; demusque vnicuique suum proprium stemma gentilitium, seu hieroglyphicum cum suis symbolis vocalibus.

SECTIO

SECTIO PRIMA

Infantulus Ioannes Morico duplicē infantiam spiritualem, sibi apostolicè effeturam, vbi incipit abecedarium addiscere, mirabiliter auspicatur.

A *A. A. Domine Deus ecce nescio loqui, quia Puer ego sum.* Hierem. 141 Loqui nescis, ò mi dulcis, gratiose, felixque Infantule Ioannes, qui ideo diceris infantulus, quia nondum fari cæpisti. In te nihilominus *Apparuit* ab ortu tuo *Gratia Dei Saluatoris nostri*, vt per te denuò alloqui inciperet, totumq; Mūdum erudiret. Vocatum est nomen tuū Ioannes ab ipsa gratia Dei, ad imitationem Præcursoris Christi, vt esses quamcitius totus vox, præcursurus multimodè, sed potissimum stigmatibus sacris ipsum Christū, in secundo aduētu plagas & clauos in te ostensurum. Ipse aliunde tacere non possum, quamuis in cunctis balbutiens, elocutione infans, etsi ætate senex. Quia tamen non possum tacere, & loqui nescio, necessaria mihi profectò prima abecedarii litera, ter à Hieremia repetita A. A. A. infantium, & lactentium ori genuina. Atqui ad misterialem ipsius intelligentiam indigeo pariter *Benedicta* Episcopi tui, & Interpretis mei *Lingua*, hæc circa eam, à Propheta Deo suo patefactam, explicante, post iactum illud Christi monitum, *Attendite à falsis Prophetis*, Matth. 7. & antecedenter declaratum, vt alias dictū est. Falsi Prophetæ, ait, sunt carnales affectus, qui vt hominem seducant, fragilitatem, & infirmitatem postponunt. Rerum abūdantiam ostendunt. Prophetizant pacem. Magnam esse Dei misericordiam prædicant. Qui ideo submurmurant, vt animā peccatis alliciant. Vnde de istis plorans Hier. dicit, *A. A. A. Domine Deus*. Prophetæ dicunt, non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit. In loco isto cum carnales affectus sic loquuntur, non restat nisi gemendum, & dicendum, *A. A. A. Domine Deus*. In quo triplici A. notatur triplex dolor. Scilicet cordis, oris, & operis, vel corporis. De quo Dominus Ezech. 11. *Et tu, fili hominis, propheta, & percute manum ad manum, & duplicetur, aut triplicetur gladius interfectorum*. Hic est gladius interfectionis magnæ, qui obstupescere eos facit. Cum vir iustus audit voces Prophetarum, sibilos gregum, murmura carnalium desideriorum, statim debet percutere manū ad manum, & duplicare, aut triplicare dolorem, vel gladium doloris, quo interficiat falsos Prophetas, & obstupere faciat eorum appetitum, &c. Hucusque Interpres verbatim.

Gratia Dei incepit loqui in Fr. Ic.

Falsi Prophetæ qui misticè.

In triplici A. notatur triplex dolor.

Traxisse infantulum Ionnnem Moriconem christianam pietatem, quæ secum ab infantia semper creuit iuxta illud Iob *Ab infantia creuit mecum miseratio, & ex vtero matris meæ egressa est mecum*, ex Matris suæ, fœminæ piissimæ visceribus iam aliàs enarratum est iuxta Bonauent. in principio capitis 1. Legendæ. Hanc pietatem, seu miserationem septiformem esse ob septem misericordiæ opera, in quæ ex interiori affluentia talis virtus prorumpit, res comperta omnimodè. Quamobrē meritò Interpres noster ait, *Misericordia est misera suauitas rigans corda, &c.* Dū enim rigat, impletque miserentium corda suauiter, ac delectabiliter, effluit necessario ad miserias proximi, septiformiter subueniendas. Hæc inclita virtus, quæ est summum omnipotentiæ Dei attributum, quæquæ vt in vultu septiformi promerita coronabitur mercede æterna à Domino in Iudicii die, vt ait Matth. cap. 25. est ipsa Cæli, & terræ columna, teste eodem Interprete in fine Dom. 16. post Trinitatē, vbi ita admirabundus exclamat, loquens de conuersione peccatoris exemplo boni Latronis.

Misericordia est misera suauitas rigans corda

O profundum diuinæ clementiæ procul à fundo humanæ intelligentiæ, quia misericordiæ eius non est numerus. Cum *omnia Deus*, vt dicitur Sap. 11. *disposuerit numero, pondere, & mensura* suam misericordiam his legibus, & terminis noluit includi, immo omnia ipsa inclusit, ipsa circundabit. Vbique est misericordia eius etiam in Inferno, quia non tantum punit, quantum culpa delinquentis excidit. *Misericordia Domini*, inquit, *plena est terra*. Et nos omnes miseri de plenitudine eius accepimus. Misericordia Domini sum id quod sum, sine qua nihil sum. *O Domine si tuam subtrahas misericordiam, cado in æternam miseriam. Misericordia tua Cæli, & terræ est columna, quam si subtraxeris, omnia subuertuntur.*

Misericordia Dei vbique est, etiā in inferno.

Fuisse illam, in qua natus Franciscus, educatus, auctusque miserationem diuinitus Euangelicam, necnō & diuini amoris fomiti insitam, patet illis Bonauent. verbis cap. 1. *Inerat namque iuuenis Francisci præcordijs diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis. Quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate reple-*

Miseratio Franc. in qua natus, educatus auctus qualis.

repleuerat, vt iam Euangelij non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maximè si diuinum allegaret amorem. Hæc ibi Bonau. Ex quo patet, quod auris indicabat in Frãcisco illam miserationem, quę à sua infantia creuerat esse verè euangelicam, quia per eam monstrabatur haud surdus Euangelii auditor, sed auritus ad stuporem, ac ferè super hominem. Fomes deinde amoris Dei in eius corde, ingenti benignitate repleto insitus, potissimum excitabat eum ad huiusmodi miserationem diuino allegato amore. Hanc harmonicam consonantiam explicat ipse Bonau. cap. 9. in principio pulchra citharæ similitudine, sic dicens, loquens de eius charitatis feruore. *Subitò ad auditum amoris Domini excitabatur. Afficiebatur. Inflammabatur. Quasi plectro vocis extrinsecæ chorda chordis interior tangeretur.*

Aurita ad euangelium Harmonica: ad Dei amorem.

Totum infantiæ tempus ætate septem annorum concluditur. Dicta est infantia, teste Quintil lib. 1. cap. 2. quod ad id ferè tempus satis commodè infans fari non potest. Hinc solet dici etiam infantia, cum quis rem aliquam nouit, quã tamen explicare non potest. Cicer. lib. 3. de orat. Infans trimulus lactans est, nam annis tribus lactare solet, & anno tertio incipit loqui balbutiendo. Annis quatuor Lunari Planetæ subiacet infantulus. Dum fasciis adhuc tenetur, litera A. qua passim plorat (nam ea plorans natus, rarò ridet) sibi genuina. Exiens ab illis ligaminibus, imitansque Lunæ inconstantiam, vbi incipit aliquam voculam efformare, dicere solet, babo, mamma, tata, abba, pappa, & similia.

Infantiæ tẽpus, ethimologia.

Media infantia transacta, Astronomi ab anno 4. infantiæ vsque ad 14. in quo finem habet pueritia, dicunt subiacere humanam vitam regimini Mercurii, eloquentiæ Principis. Sed in genere Mercurii tres. Primus sydereus. Secundus fabulosus. Tertius historicus.

1 Mercurius sydereus est vnus ex septem Panetis, cuius corpus cunctorum syderum minimum ferè semper subest radiis solaribus, à quibus non recedit longius quã 28. gradibus. Ideò ab ipsis Astronomis vocatur græcè *stilbon*, quod est radians. Vnde etiam solatus, & perustus fingitur, quod Soli vicinior sit, quam reliquæ stellæ.

Mercurii in genere tres.

2 Mercurius fabulosus à Græcis apud quos Numen est Mercurius, nuncupatur Hermes ab interpretando. Alii sic dictum volunt à mercibus, eo quod mercatoribus præsidere existimetur. Quadruplex est his fabulosus apud Poetas Mercurius; est namque Ligius apud eos. Est Agriphõtes, Nonius, & Cyllenius. Præter hunc tres alii Mercurii memorantur, vnus Cæli, & Diei filius: alter Liberi, & Proserpinæ: tertius Iouis, & Cyllenes, quem fama est ob Argi cædem profugum literas Ægyptiis ostendisse. Verum tot Mercurii ad illum vnum Mercurium Iouis, & Maię Atlantis filiæ ex Pleione Nympha genitum, cui dum alas in capite, & pedibus ponunt, significant velocem ferri per aera sermonem. Dicunt ipsum & Deorum nuncium, quoniam per sermonem omnia cogitata enunciantur. Dicunt & Deum facundiæ, quod hominibus eloquentiam præstare putatur. Hunc Mercurium faciunt Deum Mercatorum, palestræ, furũ. Lyræ inuentorem. Hermaphroditi ex sorore Veneris patrem. Martis è duris carceribus liberatorem. Argi interemptorem: ac Promethei ad Caucasum relegatorem.

3 Mercurius Historicus fuit Sacerdos Ægyptius quidam, superioris, vt putant, nepos Mercurii, quem fabulantur fuisse filium Nili. Sed huius nepos & sacerdos iuxta Ægyptiacas historias Ægyptiis cũ præesset, leges illis tradidit, literasque; sed literarum characteres animalium, arborumque figuras habuisse tradunt. Hic condens Vrbem, quam à se Herboopolim nominauit; meritò nuncupatus est *Trimegistus*, scilicet *ter maximus*. Nam vir fuit verè maximus, & vt Philosophus, & vt Sacerdos, & vt Rex. Consueuerunt enim Ægyptii ex omni Philosophorum numero sacerdotes, ac rursum ex sacerdotibus Regem eligere. Sed Mercurius vt Philosophos sapientia, ita religione sacerdotes excelluit. In Imperio administrando superiores omnes Reges superauit. Primus physicis ad diuinorum speculationem se erexit. Primus de maiestate Dei, & Dæmonum ordine, animarumque mutationibus sapientissimè disputauit. Vide Diodor. Sicul.

Quis Mercurius secundũ Aegipt. historias;

Hic nuncupatus Trismegistus.

Infantulus noster Ioãnes Morico vbi sub regimine Lunę repetebat passim literã A. ploransq; simul fasciolis delicatis astrictus Cruce humero dextro signatus erat, haud incongruum erit, eandem literam A. qua frequentissimè clamabat, lachrymabatur dolẽs, & inquietus:, literę A. ter à Hierem. repetitæ ipsum referre, veluti prænuncium trium prædictorum dolorum, quos cum Interpr. misticeè paulò ante protulimus. Nomine suo *Ioannes*, inter fascias detentus explicabat humiliter sub apparitione gratiæ Dei Crucis Christi insigne, triplicata litera A. Hieremiæ, quam legit Ecclesia in Natiuitate Ioannis Baptistæ festo, subsignatum. Hinc addere poterat simul

Litera A: à Franc. fasciolis astrictus repetita quid mistice.

simul ipsa Dei miseratio, qua natus & infantulus, duplicatum, imò triplicatum gladiũ interfectionis magnæ Ezech. 11. in falsorum Prophetarum dolorem, crucifixionem, & interitum. Pro his namque Prophetis, hoc est affectibus carnalibus, (quorum effera vaticinia vindicis iustitię cælestis patefacientia imaginem, sub qua Satanæ triumphabat tyrannis, triplicabăt Ecclesiæ dolorem, ter ipsam crucifigebant, terque interimebant) natus erat Frãciscus, & Ioannes vocatus, & cælesti osculo Cruce Christi consignatus. Vt scilicet cum apparitione gratiæ Dei, & miserationis Dei inciperent signa ab ipsa repetita literula A. triplicis prædicti doloris, triplicis crucifixionis, & interfectionis magnæ, primò in seipso infantulo tempore debito, postea in toto corpore Ecclesiæ afficiendæ. Vt in hunc modum clauus clauum expelleret, nimirum dolor bonus dolorem malum. Crucifixio christiana crucifixionem satanicam, interitus ad vitam interitum ad mortem. Sic namq; alia Romana efficienda erat Ecclesia, non amplius dolens vt tristis, iã pręssa sub põdere vitiorum, sed dolens vt hilaris, iam sublcuata à leuitate virtutũ. Non amplius crucifixa à Satana, sed à Christo per Frãciscum, memoriæ suæ crucifixionis, quam omninò perdiderat, restituta. Non amplius currens ad tam apertũ peccati mortis interitũ per interemptionem vitę gratiæ; sed contra ad peccati internecionem intendens per reparationem vitę gratię in Francisco, ad pristinum statũ iam ab ipso redacta. Reperiens in Francisci, & sequacium suorum vita vitam Christi, & Apostolorum, necnon & cuncta hæc vaticinia, in eius infantia præmonstrata, adimpleta admirans.

Puerilibus clamoribus Hierem. ter clam. a. a. a. clam. infant. Franc. referendi.

Dicat ergo infantulus noster Ioannes cum Ioanne Bapt. inter fascias ligatus, & cũ Hieré. qui suiipsius figura erat A. A. A. *Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum*. Nam dum per ipsum intendit Deus præfatos dolores vaticinari, audire etiã poterit ab ipso Deo. *Noli dicere puer sum, quoniam ad omnia, quæ mittam te ibis. Et vniuersa quæcumque mandauero tibi loqueris, &c.* Ex locutionibus, seu vocabulis infantilibus Ioannis nostri tres, vt præcipuè misteriosas modo eligam; quæ sunt *Mamma, Abba, Pappas*.

I. MAMMA.

Mamma, & vber idem sunt, & mãma est & mater.

MAMMA propriè & vber idem sunt: est nãq. mamma, cuius diminutiuum mammilla, receptaculum lactis in fœmina, quo fœtus educatur.

Et nuda teneat venabula mamma.

Iuuenal. Sat. 1. *Mamma habent & capræ.* Plin. lib. 2. Est & mamma Græca dictio, qua significatur tum auia, scilicet patris, seu matris mater, tum mater, seu nutrix; quas hoc etiam nomine mamma infantuli vocant, sicut patrem tatam. Mart. lib. 1. *Mammas, atque Tatas habet*. & Cato, *Vocant patrem tatam, & matrem mammam*.

Percipio cordis mei auribus, ò infantule mi Ioannes (siue in cunabulis placidè hinc inde agitate, vt quiescas, siue inter brachia nutricis gestate per domum vt recreeris) voculam hanc *Mammam*, peculiariter, & inquietè ab ore tuo repetitam. Verum dũ tu vt infantulus ad mammillam, & ad matrem, seu nutricem naturali impetu intendis, inhians vt lac dulce ab ea captias, ipse quoque ad easdem intendo, sed altiori sensu, ad quod minimè tu vales intendere. Ego in ipsamet vocula mamma, Matrem Virginem Mariam concipio, cuius mammas spirituales suggere incepisti vix natus. Quasque pariter ex ipsa deinde tua alia infantia in opere reparationis vt primogenitus per gratiã cum Christo, eidem Virgini per naturam primogenito, suggere debes. Alio modo (mi Lector) lac suxit à virgineis Deiparę mammis Bernardus Abbas, cuius auspicatissimus ortus ortum Francisci annum nonagesimum præcesserat; & alio modo deinde suxit Franciscus Assisias. Ille namque suxit Virginis vber è Cælo plenum, vt cherubica filiatione virginaliter emineret. At Franciscus vt filius esset Virginis, Christoque, filio eius vnigenito persimilis, transcendens igne amoris Cherubinos, fieretque in Ecclesia primus Virginis filius, nomine & ardore Seraphicus. Et ratione officii vt Legatus à Christi latere longe illum præcelleret.

Mãma vox oris infantuli Fran. Deiparæ referẽda

Ex vbere Virginis, vt visio monstrauit, bibit Bernardus diuinum lac. Bibit pariter & Franciscus, quem concepit, & peperit spiritualiter eadem Virgo, vt ex antedictis iuxta mentem Bonauent. liquet. Magnus proculdubio in vtroque Diuo, multimodè in heroicis gestis infantulo, sicuti multimodè regni Christi peridoneo, hic fauor; magna profectò hæc gratia, magna sors. Verum an par in ambobus huiusmodi priuilegium, par munus, parq; donum, modò discutiendum.

BB. Bernardus, & Frãc. diuersimodè à Virginis Mãmis lacta ti.

Dicitur in naturalibus (verba sunt Interpretis nostri serm. Dom. 18. post Trin.) quod generatur aranea in fauis mellis, & corrumpitur illud, quod est in fauis, & in aluearibus apum nascuntur vermes parui, & efficiuntur eis alæ paruæ, & volant. Aranea dicta eo quod in arca fila net. In dul-

In fauis mellis generatur aranea, & vermes alati in aluearüs

dulcedine temporali generatur aranea, idest venenosa superbia, quæ in area fila extendit, quia ambulat in mirabilibus super se. Et nascuntur vermes, idest gula, & luxuria, quæ facit hominem volare ad concupiscentiam alienam. Non est ergo mirum si talium admixtione adulteretur balsamum vitæ contemplatiuæ, vel puræ conscientiæ. Ex conuictu formantur mores,

Est aranea venenosa superbia. Vermes gula, & luxuria.

Vnaque conspecta liuorem ducit ab vna. In hoc probatur te esse sine melle transitoriæ dulcedinis, si admixto lacte Dominicæ incarnationis, coagulatus, idest constrictus fueris spiritu paupertatis. Panis, inquit Augustinus, Angelorum factus est lac paruulorum, vt ipso nutriantur paruuli, &c Hæc Interpres. Qui etiã super illud Cant. 4. *Mel, & lac sub lingua tua,* intelligit Prædicatoris affabilitatem. *Vt si* (inquit serm. 4. de Apostolis) *Prædicator sit austerus fiet, sit tamen affabilis alys.*

Lac est Dominica Incarnatio, & Domini corpus.

Miseratio illa, qua natus est Franc. in die Sabbati, Virgini dicato, fuit veluti mamilla Virginis, qua antequam naturaliter à nutrice, supernaturaliter à lacte mistico virginali Matris Dei ratione tutelæ præcipuæ nutritus est, quod etiam de D. Bernardo coniectandum. Vitiosa illa mixtio ob huiusmodi spiritualis Virginis lactationem, infantulis Bernardo, & Francisco cælitus superfusam, nunquam illis affuit. Nam vterque puritate Virginali decorus. Sed ratione circumstantiæ talis mixtionis carentia in Francisco inter vanos hominum filios nutrito, & ad mercaturam intento mirabilior proculdubio. Nam plus præualuisse miserationis Virginis mammam cum Francisco, vt eum eriperet ab assiduis periculis, quam cum Bernardo (licet is aliunde potentissimè, sed haud frequenter inuasus fuerit) patet manifestè ex vtrius gestorum in sæculo collatione. Igitur in dulcedine mellis & lactis rerum temporalium non secus ac in D. Bernardo immo circumstãtionaliter prodigiosior affuit in Francisco lactea mixtio christianæ humilitatis, mũdítię conscientiæ, puritatis virgineæ, &c. Quam mixtionem suxerat ex Matris Dei miserationis mamma, cuius lac miserationem quoque perabundè effudit, qua infans educaretur, & talis educatio vsque ad mortem semper in ipso cresceret, & taliter cresceret, quod Dominicæ incarnationis, & corporis Domini quasi totum Franciscum transmutaret in lac, & ita in istud lac transmutaret, vt circa prædicta ad nouum, inauditumque stuporem futura sæcula perduceret. Fuerat nãque, &c.

Miseratio infantuli Frã. veluti Deiparę mãma illi fuit

Vbi autem in vita regulari ex virtute eiusdem lactis Virginis facta est tam Bernardo, quam Francisco mixtio illa, de qua Interpres ibidem, alio sane modo, & quidem valde sublimiori probatus est Franciscus esse sine melle transitoriæ dulcedinis per Dominicæ incarnationis lactis coagulationem, hoc est spiritu paupertatis restrictionem. Tunc enim iterum sugens virginales Deiparæ mammas, ex ea sanè veluti ex carissima Dei Ceruа bibit vinum cum lacte. Atque ex tali lacte & Ceruæ Virginis, & primogeniti hinnuli Virginis mores quoque bibit, maximè circa paupertatem. Vnde Interpres noster aliàs allegatus in serm. Dom. 3. Quadrag super illud Prou. 5. *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus. Vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore eis delectare iugiter,* dum quemlibet christianum alloquitur, totam christianam, religiosamque Francisci vitam videtur figurare. *Huius Ceruæ, ait, toti mundo charissima vbera inebrient te, ò Christiane, omni tempore. Vt omnium temporalium oblitus, tanquam ebrius ad ea, quæ ante te fuerunt, & sunt, te extendas. Sed valde mirandum est, cur dixit inebrient te, cum in vberibus non sit vinum, quod inebriet, sed lac iucundissimum. Audi quare.*

Iterũ in vita regulari Frãcisci infantia à Virgine lactata.

B. Virgo Cerua charis. cuius vbera inebriant.

Sponsus eius filius ipsam laudans, Cant. 7. dicit. *Quia pulchra es, & decora charissima in delicys, statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Hæc ibi Interpres, qui statim quatuor ilia in subiecto elogio, atque epitalamio exponens in persona filii ad Virginem Matrem suam, Sponsamque suam, primò in illius pulchritudine mentis Deiparæ pulchritudinem intelligit. Secundò in eius corporis decore decorem in æternæ vitæ deliciis, seu præmii meditatur. Tertiò in eius statura, palmæ assimilata, Matris Dei paupertatem admiratur, & nos pluries pro altissimæ paupertatis Francisci palmæ triumpho hunc eundem locum sumpsimus. Quartò Botros vberum Virginis declarat tribus illis botris, siue propaginibus vitis, de quibus, sicut & de gemmis ipsius vitis in historia Ioseph Gen. 40. quo de Pincerna Regis Pharaonis explicauit somnium suum. Gemmæ in vite, ait, sunt Humilitas, & Virginitas B. Mariæ. *Tres botri vuarum in vite Paupertas, Patientia, Abstinentia Beata Maria.* Ex his tria infert Interpres, ad probandum argumentum principale de lacte Virginis inebriante, quorum duo communissima sunt omnibus piis christianis, sed tertium pręcipuã Christi personam respicit.

Quatuor in Virgine, pulchritudo, decor, statura, botri vberũ.

Primum sic se habet. *Hæ sunt vua maturæ, ex quibus profluit vinum maturum, & odo-*

Ex Deiparę mãmillis vinum maturũ & odorifErũ profluit.

odoriferum, quod inebriat, & inebriando sobrias reddit mentes fidelium,

Secundum spectat ad residuum sententiæ allegatæ Prou. de Cerua charissima, quod fuit, *In amore eius delectare iugiter*, quatenus, ait, *ipsius amore falsam Mundi delectationem despicere, & tua carnis concupiscentiam valeas conculcare, &c.* Igitur in mammis Virginis spiritualibus lac, inebrians quos lactat, sunt principaliter supradictæ virtutes, scilicet paupertas, patientia, abstinentia. Tertium, quod subinfert Interpres, & spectat, vt dixi ad personã Christi, deducit ex illo Lucæ 11. *Et vbera, quæ suxisti.* Nota, inquit, quod sugere dicitur sugendo agere. Dum enim Christus sugebat lac, salutem nostram agebat. Nostra salus fuit eius passio. Passionem sustinuit in corpore, qui nutritus fuit Virginis lacte. Vnde dicit Cant. 5. *Vinum meum bibi cum lacte meo.* Quare non dixisti, Domine Iesu, bibi acetum meum cum lacte meo? Virginalibus enim vberibus lactatur. Felle & aceto potatur. Dulcedo lactis conuersa fuit in amaritudinem fellis, vt eius amaritudo nobis æternam dulcedinem propinaret. Vbera sugit, qui in Monte Caluariæ lancea perforari voluit, vt paruuli sugerent, de quibus Iob 39. *Pulli Aquilæ lactabunt sanguinem,* Hactenus Interpres ibi ad finem sermonis citati.

Qui vere in amore Virg. delectentur

Quomodo Christus vinum cum lacte biberit.

Tota ergo intentio principalis Interpret. ibi fuit vt probaret, quod vbera Ceruæ charissimæ Virginis Deiparæ suos inebrient. In lacte autem ipsius Virginis duo contemplatur. Vnum est miranda substantia eius: aliud verò dulcedo eius. Vt lac Virginis effectum vini quoad inebriationem pariat, prouenit, non ex eius substantia vt sic, sed ex eius dulcedine vt degustata. Per hanc enim filii Mariæ inebriantur, & inebriando delectantur iugiter in vino amoris Mariæ, à quo mirè inebriati despiciunt intrepidè falsam mundi delectationem, valentque carnis concupiscentiam magnanimiter cõculcare. Christus in cælesti mammarum Virginis Matris suæ liquore lac suxit, & bibit, & in lactis dulcedine bibit & vinum, in quo amore suo, qui sibi ipsi extasim facit, inebriatus, adeo sui ipsius vitæ ab ipso Matris lacte enutritæ oblitus est, vt minimè de illius conseruatione, sed de nostra salute, ex illius crucis morte pendente ageret, cogitaretque. Cum lacte Igitur bibit vinum, & dulcedinem vini, & proprietatem vini, sed non bibit acetum, quia in Cruce super Montem Caluariæ felle & aceto potatus, licet cum accepisset mirratum vinum, & gustasset noluerit tamen illud bibere, sicut accepit & bibit acetũ. Verum ex dulcedine ipsius lactis Virginis deriuauit, quatenus conuersa huiusmodi lactis dulcedo in amaritudinem fellis, illud deinde fel, quod ei dederũt in Cruce, ipse per nouam conuersionem transire fecit in nouam lactis dulcedinem, in nouam vini ebrietatem, qua electi, temporalium obliti, ad æternam dulcedinem omnem diligerent mentem. *Dulcedo lactis, &c.* Et vlterius *Vber sugit qui in Monte Caluariæ, &c.* Nam reuera Christus vt Iesus à mammis Virginis lactatus: & vt Iesus lactatus & crucifixus: & vt Redemptor omnium, & vt Iesus lactatus à Virgine, & crucifixus à Iudæis, & omnium Redemptor ob inebriationem lactis Matris suæ voluit esse fundator Ecclesiæ, pro qua ad summam paupertatem, humilitatem, patientiam, abstinentiam, & ex his ad publicam crucifixionem, & ad omnium redemptionem lactatus est.

Duo in lacte Virg. perpendenda.

Quomodo lac Virg. cõuersum in amaritudinẽ fellis.

Quanta in Christo ex lactis Virginis inebriatio.

Hinc factum, vt infantiæ Francisci miserationem pro spirituali Virginis Matris misericordiæ mãma sumeremus (quatenus natus in die Sabbati, & cum eadem Matris Dei miseratione, qua ab infantia lac solidum sugeret, ad salutem totius Ecclesiæ pariter natus) & rationabilem congruitatem eiusmodi lactationis à mãmis Deiparę ita indigitaremus, quemadmodum postea effectus multimodi comprobauere. Nam idcirco supponimus Virginem Deiparam lac suum mirabile abũdè cum vino Francisco ab infantia propinasse, vt posset assimilari hinnulo suo, & hoc ex vi lactis sui, ac suo postmodũ tempore de ipso tria principalia, admodumque singularia referri.

1 Quod lactatus ab vbere Matris Dei fuerit, vt Iesus, scilicet vt Iesu filii Virginis patefaceret in seipso peregrinam saluandarum animarum ebrietatem; tam omniũ temporalium singulari quadam expoliatione, Christi, Matris Christi, & Apostolorum Christi vitam renouante, quam pariter & vitæ propriæ oblitus.

2 Quod lactatus fuerit, vt ad nouam Iesus crucifixionem, ab ipso Iesu in eius corpore efficiendam, deueniret. Quod lactatus sic fuerit à Virgine, vt Iesus, & vt crucifixus, quatenus omnium Reparator, & innouator Ecclesiæ triformiter declararetur.

Tres miri effectus in Franc. ex in ebriatione lactis Virg.

3 Quod demum lactatus à Virgine, & ab ipsa educatus, & nutritus fuerit ad egregias filii sui virtutes, & perfectam similitudinem nanciscendam. Sicq; Franciscus ipse vberrima mamma Ecclesiæ euaderet, in qua tres botri vuæ essent tres eius Ordines, ex quibus veluti ex vuis

maturis profluerent per totum terrarum Orbem vinum maturum, & odoriferum ad inebriandum, & sobrias reddendū fidelium mentes. Quorumque professores mel & lac sub lingua habentes, lac & vinum propinantes, ad imitationem Parentis sui in amore Virginis delectarentur iugiter. Et semper cum lacte Dominicæ Incarnationis in ore, & lacte Eucharistiæ, quorum vtrumque ex lacte Virginis profluxit, item & dulcedine fellis passionis Christi, illam propagarent in posterū deuotionis ebrietatem, quam primus in Ecclesia ab ipso reparata fuderat Seraphica ebullitione Franciscus. Sed circa rem hanc aliàs.

Tres ord. Fran. vt tres botri vuæ.

II. ABBA.

ABBA, aiunt Latini Interpretes, Hebraica, vel potius Syriaca dictio est, in qua singulare quoddam est, quod & Patres libenter audiunt & Pueri primum sonare discunt. Componitur ex bina litera vocali a, a, & bina litera b, b, & vtraque infantibus propria. Et quia B. balatū suum proferunt oues, & A. litera salutaris est, & absolutionis nota, vt aliàs diximus, in eius duplicato characterum binario hæc vox *abba* dupliciter videtur ad viscera patris commouenda in infantulorum ore propitia. Hinc D. Paulus Rom. 8. *In quo*, inquit, *clamamus Abba Pater*, scilicet *in spiritu adoptionis filiorum*; nam hunc Apostoli, & Apostolorum sectatores acceperant, non autem *spiritum seruitutis iterum in timore*, quem olim in Hebraica Ecclesia accepērūt Patriarchæ, Prophetæ, ac Patres. Abba ergo in ore infantuli nostri Ioannis referendum ad Patrem Deum, in cuius gratia natus, & Ioannes vocatus, qui prænuncius esset, & præcursor gratiæ Christi in spiritus filiorum Dei renouatione, ablata seruitute, & formidine, qua postremum Ecclesiæ excidium timebatur in omnimodum tyrannidis Satanæ triumphum. Quotiens ergo abba, abba, abba infantuli nostri inter fascias exprimebat os balbutiēs quasi Patris Dei incipiebant indurata ab illo ferreo sæculo tenerescere præcordia, vt quamcitius abba Apostolicum resonare faceret in Ecclesia sua, in signum renouatæ clementiæ suæ per Franciscum, Virginis Matris suæ filium perdilectum.

In ore infantuli Ioannis nostri ad patrem Deum referenda.

Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, scripsit Apostolus ad Rom. ibidem. Lyranus noster ad literam. Abba Pater duo sunt nomina, idem significantia. Vnum hebraicum, alterum Latinum. Ad designandam duplicem Dei paternitatem. Vna est cōmunis bonis, & malis, qua pater est omnium per creationem. Alia est specialis, qua pater est cunctorum per gratiæ adoptionem, de qua adhuc subditur, *Ipse enim Deus, &c.* Hæc Liranus. Item Pater nomen est aut naturæ respectu prolis ab eo neutraliter genitæ, sicque à *patir* dictus, vel vt placet Varroni lib. 4. de Ling. Lat. à patefaciendo semine. Aut Pater nomen est Religionis, vnde Dii omnes Patres vocabantur; peculiariter tamen Bacchus hoc sibi nomen vindicauit, vide Seruium super 2. Georg. Aut demum Pater nomen est reuerentiæ, & honoris. Qua de re Romulus centum Senatores, quos ad Reipublicæ curam elegit, Patres vocauit. Vbi Festus, Patres Senatores ideo appellati sunt, quia agrorum partes attribuebant tenuioribus ac si liberis propriis.

Abba, Pater idem sunt, sed idiomate diuersi

Pater nomen est naturæ, religionis, et reuerentiæ.

Ex infantia naturali (qua puerulus Ioānes Morico repetens adhuc in fasciis, vel post expletis aliquot mensibus ab illis exutus lineis, sericisque ligaminibus, dictionem *abba*, patrem suum Petrum Moriconem exprimebat, quasi aliquid petens ab eo) quid in infantia gratuita Patri Deo tenerrima religione, seu religiosa reuerentia deinde petierit, Franciscus nūcupatus, colligere possumus ex interprete nostro in serm. Dom. 5. post Pascha. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, dixit Christus discipulis suis Ioan. 16. Quæ verba mira, & multa doctrina interpretatur Doctor noster reducens ea ad tria. Scilicet quod nos filii aliquod debemus petere à Patre Deo. Quid sit illud aliquid à nobis expetendum. Et quomodo possit fieri nobis hæreditarium.

Infantia duplex in Fran.

1 *Pater non potest appellari*, nisi qui habet filium; quia pater & filius sunt nomina relatiua. Cum ergo dicit, *Patrem*; intellige filium, cui pater est. Pater Deus, cuius nos sumus filii, cui quotidie dicimus Matth. 6. *Pater noster, qui es in Cælis &c.* & Isai. 63. *Tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Et ipse dicit Hier. 3. *Amodò voca me pater meus dux virginitatis meæ tu es.* Animæ virginitas est fides, per dilectionem operans, animam incorruptam conseruans. Ad quam pater tamquam dux ipsam ducit. Nos ergo filii debemus à patre nostro quid petere.

Nos filii debemus aliquid petere à Patre Deo

Animæ virginitas fides est.

2 *Omne quod est, nihil est præter amare Deum.* Amare Deum est aliquid. Et istud aliquid debemus petere, vt scilicet nos filii amemus patrem, sicut filius Ciconiæ amat patrem suum. Dicitur, quod tantum diligit patrem suum, quod quando senescit, eum sustentat & cibat; & hoc est de pro-

Quod petimus à Patre Deo debet esse amor

proprietate eius. Sic nos debemus patrē nostrum in hoc Mundo iam senescentem sustentare in membris suis debilibus, & ægrotis, cibare in pauperibus, & egenis. Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, &c.*

Si amorem petiuerimus, ipse Pater, qui est amor, dabit nobis, quod ipse est, scilicet amorem. Vnde & ipse dicit Exodi 13 *Vt daret tibi terram fluentem lac, & mel.* Nota ista tria, Terra fluens, mel, & lac. *Terra* propter sui firmitatem amorem Dei significat. Eccles. 1. *Generatio præterijt, & generatio aduenit, Deus autem in æternum stat.* Generatio, idest amor carnis præterit, & generatio, idest amor Mundi aduenit. Hæc tertia, idest Dei amor in æternum stat. Quia vt dicit Apostolus 1. Corint. 13. *Charitas nunquam excidit.* Hæc terra dicitur fluens propter sui abundantiam, Psalm. 45. *Fluminis impetus* (idest amoris diuini abundantia) *lætificat Ciuitatem Dei*, idest animam, in qua habitat ipse Deus. *Et hæc terra abundat lacte, & melle. Lac nutrit, mel indulcat, sic amor Dei nutrit animam, vt crescat de virtute in virtutem, & omnium tribulationum tribulos indulcat. Amanti enim nil difficile.* Hæc Interpres, qui statim sequens eandem diuini amoris ex lacte, & melle mixtionem, nutrientem, ac dulcorantem animam, declarat quomodo fiat hæreditas nostra.

Ipse Pater Deus amor est.

3 Cū dulcedo, inquit, diuini amoris subtrahitur, tunc in terra tuæ tribulationis amaritudo intolerabilis videtur. *Sed vt Exodi 15. Lignum indulcorat aquas Marach, & 4. Reg. 4. Farina Elisei comestibiles facit amaras coloquintidas. Sic amor Dei omnem amaritudinem vertit in dulcedinem.* Vnde Eccl. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum.* Spiritus scilicet *paupertatis, & hæreditas, idest passio Christi sunt dulciora super mel, & fauum cordi verè amanti.* Hactenus Interpres.

Subtracta diuini amoris dulcedine tribulatio fit intolerabilis.

Ex quo in dictione Abba, in ore infantuli Ioannis nostri Moriconis à natura repetita, habes veluti in quodam prognostico, imò & oraculo totum id, quod ab Abba Patre, Deo suo petere debebat in sua infantia spirituali paruulus Franciscus in nomine Christi sui. Et quod id totum nihil aliud esse debebat, nisi amor. Et quod hic amor, ex melle, & lacte perabundè coagulatus in altissima paupertate, & in Christi passione fiendus sibi erat perdiues hæreditas, & hæreditario iure Seraphicus. Nam amoris Patris Dei, & passionis Christi hæreditate tota penè Ecclesia expoliata, omnes pene eius filii, ipsius Patris Dei hostes effecti, Dei odio autore Satana, ad turpem miseriam, cælestibus bonis funditus depauperati, atq; ad extremam ruinam locupletabantur. Sicque ipsa Ecclesia in Dei odium propter eius filios miserrimè degenerabat. Hinc, vt iterū in suo triplici Reparatore binam hanc hereditatem, sine qua postrema infelicitate afficiebatur, perfectè sicut tempore Christi, & Apostolorum nancisceretur, amor Dei ab ipsa naturali infantia cordi Frācisci cum ipsa, in qua exortus miseratione diuinitus insitus legitur apud Bonau. cit. cap. 1. in principio. Qui postea hic idem amor in vita regulari in ignem animatum summè excrescens, in summum Dei amorem Christum interius, exteriusque transmutauit Franciscum. Quare quotiens infantulus dicebat in nutricis gremio *Abba*, toties eius spiritus in maternis gratiæ vlnis amorem Patris Dei quasi ex instinctu expostulabat, factum pene eius cor inquietum, inhians ex tunc illud amoris Dei accrementum, ad quod inhiandum, eius præcordiis indita fuit diuinitus illa ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia cresceret, & tanta cor ipsius benignitate repleret, *vt iam Euangelij non surdus auditor omni proponeret se petenti tribuere, maximè si diuinum allegaret amorem.*

Vox abba in ore infantuli Franc. amorem Patris Dei auspicabatur.

Franc. infantulus in gratiæ Dei vlnis abba repetens.

Hic diuinus amor ceu præcordialis, atque hæreditarius ab infantia in Francisco aiebat Abba, & Patrem Deum vocabat in Christi nomine, iam Christi præferens ideam. Ipse diuinus amor proferens ore infantuli Ioannis vocem Abba, eiusdem oculos sæpenumero prouocabat ad fletum, eumquè auspicabatur ita aduocatum futurum Ecclesiæ apud Christum, & Patrem eius; sicut erat Christus apud Patrem. Christus constitutus à Patre pro Ecclesia, ab eo in Trinitate fundata, & redempta. Franc. constitutus à Christo pro Ecclesia, ab eo tribus Ordinibus reparata, & innouata. Is idem postea amor in infantia spirituali cum naturali ipsius Francisci adolescentia sobolescens, adeo Christum passum suum ex consequenti veluti iuridicè effecit, vt dicat Bonauent. ibidem cap. 1. *Dum vna dierum sic sequestratus oraret, & præ nimietate feruoris totus esset absortus in Deum, apparuit ei Christus Iesus veluti Cruci confixus. Ad cuius conspectum liquefacta est anima eius, & memoria passionis Christi visceribus cordis adeo impressa medullitus, vt ab illa hora cū Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset à lachrymis, & gemitibus exterius continere. Sicut ipse postmodum familiariter retulit, cū appropinquaret ad finem.* Hæc impretiabilis passionis Christi hæreditas, Francisci visce-

Abba in Fran. ore eū aduocatum Eccle. præmonstrabat.

Hæreditas passionis Christi in corde Franc. medullitus reiecta.

visceribus cordis impressa medullitus, & in cordis membrana veluti in autentica scriptura relicta, declarata, & firmata: nonne & ipsa ceu hæreditarias efficit in oculis Francisci lachrimas prædictas? Dignũ planè erat, vt hæres sanguinis Christi hæres quoque & sanguinis animæ suę, ob amorem Christi sanguinis, iugiter effusi efficeretur, antequam sanguineam Christi hæreditatẽ exaratã in corpore per plagas, & clauos ab ipsius Christi manibus amplo, ac splendido apparatu patefaceret. Hinc merito Francisci imago, effigiesque oculis perabundè lachrimosis quouis modo adhuc mortalem degens vitam efformetur, penè semper præsentatur.

Hæres lacrimarum, pro Christo passo effusarum Franc.

Dixi hæreditarias in oculis Francisci lachrimas, ex quo memoriam passionis Christi cum spiritali illius crucifixione in eius præcordiis, & medullis ipse Christus reliquit. Scribit enim Bonauentura cap 5. *Licet tam esset adeptus cordis, & corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lachrimarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam*. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset grauissimam, suadente sibi Medico, quod abstineret à lachrimis, si corporei visus cœcitatem vellet fugere, Vir Sanctus respondit. *Non est, frater Medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicũ*. Quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. *Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quam lachrimas, quibus oculus mundatur interior, vt Deum videre valeat, repressa deuotione spiritus impedire*. Hæc Bonau.

Plus lachrimarum cæle stem, quã naturalẽ lucis oculorũ existimabat hæreditatem.

Coniungamus modo in vno Francisco infantulo, plerumque vocem Abba cum lachrimis exprimente duas infantias, alteram naturalem, & alteram spiritualem, & hanc veluti in ea cælitus figuratam. Nam sic reperire haud difficile erit ipsum Franciscum infantulum ore clamantem Abba, & oculis oblachrimantem semetipsum præfigurasse, quatenus in infantia spirituali factus humilitate paruulus, & ex hæreditate passionis Christi, & lachrimarum ad passionem Christi diues, iuridicam quandam aduocationem assumere debuisset pro Ecclesia, tripliciter ab eo reparata, ac innouata, iam in omnimodã patientis Christi possessionẽm introductum. Id quod suadere possumus in praxi ex doctrina Interpretis nostri loco citato super illa Christi verba. *Ego rogabo Patrem de vobis*, Ioan. 18. Ideo, inquit Interpres 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, &c.* Facimus sicut mulier, quæ habet paruulum filium, quam cum suus maritus vult verberare, ipsa tenens puerum in brachiis, opponit eum irato viro, dicens, ipsum percute, istum verbera. Puerulus obortis lachrimis matri compatitur. Pater verò, cuius viscera sunt commota super lachrimis filii sui, quem tenerrimè diligit, propter ipsum vxori parcit. Sic Dominus parcit nobis, dum pro peccatis nostris irato marito filium Iesum Christum pro nobis reconciliationis fœdere in Sacramento Altaris ei offerimus. Vt si non propter nos, saltem propter ipsum sibi dilectum, flagella, quæ iustè meremur, auertat. Et lachrimarum laboris, & passionis eius memor, nobis parcat. Vnde ipse filius dicit Isaiæ 46. *Ego feci* (scilicet hominem) *ego feram, & ego portabo, & saluabo*. Nota: ego feci hominem, ego feram in humeris meis, tanquam ouem errantem, & lassam. Et ego portabo sicut nutrix, quæ portat infantem in brachiis. Et quid Pater respondere potest, nisi vt dicat, & ego saluabo? Benè ergo dicit Christus, *Ego rogabo Patrem de vobis*. Hæc Interpres ibi.

Quomodo in infantia naturali Franc. figurata infantia eius spiritualis, & eiũs aduocatio apud Deum.

Exẽplo paruuli oblacri mãtis in gremio matris explicatur Christi aduocatio.

Tres aduocationes ordinatè, ac principaliter constituendæ sunt in Cælis apud Deum ad proportionem, seu numerum trium Hierarchiarum. Suprema, media, infima. Suprema est aduocatio Christi apud Patrem. Media est aduocatio Virginis apud Christum filium suum. Infima est aduocatio quædam peculiaris Francisci apud Patrem, & filium. In illa cælesti Hierusalem supercælesti, atque increatæ Hierarchiæ, à tribus diuinis personis constitutæ secundum Bonau. in 1. parte de Eccles. Hierarch. statim succedunt Christus, & B. Virgo. Vtrum autem hi duo constituant per se vnum aliquem Ordinẽ, alium ab increato summæ Trinitatis, & à creatis aliis nouem Angelorum, nõnulli Scholastici affirmant. Vulpes tom 1. in 3. p. Scoti disput. 23. art. 3. probat dari in cælestibus decimum ordinẽ in infantibus baptizatis, cæteris infimiorem. Alii namque Beati cuiusuis generis, vt sunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Coniugati, non faciunt ordines, veluti constituentes aliam Hierarchiam, à Hierarchia Angelorum diuisam, quia iuxta meritorum, & graduũ diuersitatem, diuersimodè quoq, intrant ordines Angelorum, quorum sedes reparant, vt communiter fertur ex D. Greg. cũ Magistro sent. in 2. Sed negat dari debere vndecimum ordinem super Seraphinos: *Ridiculum est*, inquit, *ob duo indiuidua, vix primum*

Tres aduocationes in Cælo constituendæ, suprema, media, infima.

Vtrũ Christus, & eius Mater constituant in Cælo vndecimũ ordinem.

primum numerum constituentia distinctum ordinem fingere. *Cum potius se habeant velut supremi Principes, ad quos omnes ordines Beatorum referuntur, ab eis immediatè incipiunt illuminationes fienda. Angelis primæ Hierarchiæ*. Verum cum inter Christum, & Deiparam sit ordo superioritatis, & subiectionis, cumque Bonau. citatus primam, & supercælestem Hierarchiam constituat tribus summæ Trinitatis Personis, vnde omnium illuminationum fons, & origo, & vnus ibi iuxta vnitatem diuinæ naturæ sit Princeps, non autem tres Principes, cur non possit cum aliis ex Christo, & ex Virgine ordo alius hierarchichus, & hierarchichans constitui, non videtur ratio Vulpes ita solida ad derisionē oppositæ, quatenus valeat nos conuincere, vt ipsi adhæreamus. Si in vno Religiosorum cœnobio non esset præter vnum Superiorem, & vnum subditū, Ordo vtiq; inter vtrumque hierarchichus esset, cum hierarchia nihil aliud sit, nisi sacer Principatus.

Refellitur sententia P. Vulpes.

Omnes igitur Sancti, & Beati in cælesti Curia (præter infantes baptizatos, in peculiari ordine, quia sine meritis propriis saluantur, decimo loco seorsim constituendos) reperiuntur gradatim inter nouem ordines Angelorum. D. Antoninus in 3. p. Chron. tit. 24. de laudibus, & præconiis Seraphici Francisci ex tribus ostēdit ipsum supereminere super ordinem Cherubim, collocatumque esse in ordine Seraphim. Primò ex eminentia virtualis perfectionis. Secundò ex excellentia perfectionalis dilectionis. Tertiò ex relucentia impressæ Dominicalis passionis. Ibi docet, quod in Ordine etiam Seraphim innumeri collocandi sunt, quamuis nobis sit incerta perfectionis quantitas vniuscuiusque Sancti. *De Apostolis Christi*, inquit, *cum glorioso Baptista, & Patriarchis Sanctis veteris Testamenti, & quibusdam Prophetis communiter creditur, eos omnes alios excedere. Vnde & in ordine Seraphim eos possumus existimare collocatos. Idem pie credi potest de Patriarchis noui Testamenti*, qui fuerunt Patres, Institutores, & Fundatores sacrarum Religionum, quæ in filios innumeros excreuerunt. *Vt fuerunt Basilius, Augustinus, Benedictus, Dominicus, & Franciscus. Si omnes hi perfectione excellentissimi nō sint locati in ordine Seraphim, nescio, qui alij illuc cum eis associabuntur?* Insuper docet ibi §. 3. Antoninus iuxta communem doctrinam, ex sacris literis depromptam, *quod multa perfectiones sunt Sanctorum, & dona eis data à Deo, in quibus vnus Sanctus excedit alium. Sicut Petrus excessit Ioannem in potentia miraculorum, Paulus excessit Petrum in doctrina, & prædicatione. Ipse enim Dux verbi dicitur in Actibus Apostolorum*.

Ex tribus Franc. eminet super Cherubinos.

Qui ex Sanctis vet. & noui testam. in ordine Seraph. collocandi.

Plerumque vnus Sāctus interior excedit alium superiorem in nonnullis.

Adde & tu ex Antonino illud Christi Ioann. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet*. Quod Interpres noster citans Glossam, intelligit cum Augustino iuxta alterum illius distinctionis membrum de opere iustificationis in serm. Dom. 21. post Trinit. Sit vt sit hæc maioritas operum in discipulis Christi ex duobus probatur à Lirano; primò ex doctrina, secundò ex miraculis. Ex doctrina dupliciter, quia pauci Iudæorum conuersi sunt ad prædicationem Christi, propter illos missi, vt ipse dicit Lucæ 8. qui etiam prædicauit Samaritanis; nam erant Iudæi in parte; Sed ab Apostolorum prædicatione multitudo gentium conuersa est. Tum quia Christus sola lingua hebraica prędicauit, sicut solis Iudæis. Apostoli verò omnibus linguis. Secundò quoad miracula ostendit cum Augustino maius opus fuisse in Petro sanandi infirmos ad tactum vmbræ suæ, quam in Christo sanandi eosdem ad tactum fimbriæ vestimenti sui. *Et quia*, (subdit Liranus) *propter tanta, quæ fienda erant per Apostolos, posset credi, quod essent futuri maiores ipso Christo*, hoc remouens dixit, *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt clarificetur Pater in filio*. In quo ostendit, quod Apostoli illa non fecerunt, nisi per virtutem Christi; & redundabant in gloriam Patris, cum Pater, & Filius sint vnus Deus, &c.

Vnde maioritas operum Discipulorū Christi super ipsa Christi opera.

Illa ergo maioritas in Apostolis erat accidentalis, materialis, instrumentalis, qua ipsa Dei gloria extensiuè meliorabatur, magnificabatur absque vllo præiudicio potentiæ, & maiestatis Christi. Et licet dispar sit ratio circa maioritatem operum Sanctorum inter se, de qua Antoninus, adduximus tamen hic hanc doctrinam, ad demonstrandum, quod pari modo nullum infertur præiudicium, quotiens aliquis Sanctus ex accidenti maior dicitur alio, qui in multis aliis minor est, nec illi comparandus.

Denique loquens in specie D. Antoninus in eo titulo 24. de S. Francisco, eumq; primitiuum inter omnes Sanctos constituens in opere altissimæ paupertatis, tandem circa opus peregrinum, & omnimodè nouum sacrorum Stigmatum duo peculiarissima asserit in §. 3. iuxta 3. argumentum ab eo propositum. Vnum est istud: *Quodam singulare concessum fuit B. Francisco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum. Hoc est impressio Stigmatum sacrorum, &c.* Si hoc priuilegiū ita

Duo peculiaria præter alia multa in Franc ob sacra stigm.

ita visibile, ac palpabile per vulnera profunda, & grãdes clauos in parte exteriori decens fuisset sexui muliebri, proculdubio concessum, collatumque fuisset a Christo Matri suæ, cuius amor erga ipsum infinitè excessit omnem amorem cunctarum creaturarum simul iunctarum, intellectualium, ac rationabilium. Vide Pisanum circa hanc de incongruitate sexus feminei ad eandem Francisci crucifixionem. Ipse etiam nondum legi neque in veteri Testamento ad malefactorum suorum punitionem, neque in nouo Testamento ad honorem martyrii crucifixam fuisse aliquam mulierem. Secus autem scriptum reperimus in vtroque Testamento, vt patet. Et vbi in nouo maximam ignominiam Crucis mutauit Christus in maximam gloriam, pro eius nomine crucifixos legimus plures Martyres. Modus crucifigendi communis non erat, vt multi putant, funibus alligando, sed clauis figendo.

Crucifixio illa Fran. videtur sexui muliebri incongrua,

Pictores verò solent solum Christum depingere clauis affixum, latrones autem, & Sanctum Petrum, atque Andream funibus. Sed non ita est, omnes enim clauis figebantur. Imò & omnes Crucem suam ferebant, omnesque antea flagellis cædebantur. Vide Plutarchum de tarda numinis vindicta. Marc. Tull. Act. 7. in Verrem. Nonium Marcellum verbo *Patibulum*, qui sic ait. *Deligati ad patibulum circumferuntur, deinde crucifiguntur*. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 11. Ioseph lib. 5. de bello Iudaico cap. 17. & in vita sua. *Adde* (subdit Bellar. cit. tom. 2. cap. 27. lib. 2. de Cruce vera Domini) *quod ideo dubitabatur, quanam ex tribus repertis Crucibus esset Crux Domini; quia omnes tres habebant similia foramina, & clauos*. Vide Ruff. lib. 10. histor. cap. 8.

Modus crucifigendi cõmunis non erat antiquitus.

Igitur soli Francisco, vt *singulare priuilegium concessum fuit, quod nulli ante ipsum inter natos mulierum legitur fuisse donatum* sanguinea eius stigmatizatio, quam *grande, ac singulare miraculum* nuncupat Alexander IV. in principio Bullæ suæ, & pluribus aliis miraculis, ac seorsim distinctis ad numerum tredecim confertũ ostendit Pisanus lib. 3. tract. 2. Insuetus ille huiusmodi magni, singularisq; miraculi modus, quẽ adinuenit ex se immdiatè omnipotentia Christi. Christus ipse in cõfossione Franc. eius corpus elegit ceu viuam Crucem, clauosque vel de subiecto propriæ carnis excrescentes, vel de materia nouę creationis accrescẽtes, vt fertur in præfata Bulla, ipse effecit ita solidos, nigros, & duros, mobilesq. ex vtraque vulnerum parte, sed irremouibiles, ac si essent ex ferro, in ipsis carneis foraminibus consolidato. Hæc inaudita, insuetaque crucifixio in solo Francisco vnica adhuc, neque sexui muliebri congrua (vt propterea nulla mulier inueniatur forte crucifixa in scripturis, neq; in historiis) veluti ratio quædam peculiaris visa est, constituendi Seraphicum virum in tertia aduocatione apud Patrem, & Filium, & B. Virginem modo quodam peculiari; vt in hoc etiam Ecclesia reparata, atque innouata per Franciscum maximè conueniret cum Ecclesia reparata, ac fundata per Christum. Quare adducens Antoninus aliud assertum præallegatum, ita scribit. *Si ergo volauit super pennas ventorum, quia videlicet transcendit alios Sanctos in hoc priuilegio, quod in corpore suo fuerunt corporaliter impressa insignia passionis Christi*. Et tandem in fine vitæ transcendens de hoc mundo *volauit anima eius super Cherubim inter Seraphim, etsi credi potest locatus super pennas ventorum, transcendens prærogatiua speciali perfectiones Sanctorum, & priuilegia eorum ob impressionem Stigmatum, quod de nullo alio Sancto legitur ita expressè*. Ex tam vnica in Francisco prærogatiua statim intulit ex quadam iuridica consequentia Antoninus aduocationem Francisci, quam hucusque inuestigati sumus. Sequitur enim.

In tertia, ac infima aduocatione apud Deum Frãc. constituẽdus modo quodã peculiari

Vnde sicut Dominus Iesus (vt ait Bernard. lib. de diligendo Deo) *ante Patrem ostendens latus, & vulnera sua, quæ sustinuit in passione pro omnibus hominibus, inclinat eum ad pietatem erga nos: ita & B. Franciscus, ostendens Stigmata sibi impressa Dominicæ passionis, habet inducere Patrem, & Filium suum ad misericordiam, & clementiam. Et ideo cum deuotione quilibet recurrere ad eum debet, vt faciat ei Deum propitium*. Hæc Antoninus, quæ exscripsit etiam Vading. tom. 1. ad ann. 1224. num. 25.

Transcendit Fran. specialiter perfectiones Sanctorum ob sacra stigm.

Hæc autem inductio deuotionis Christianorum per aduocationem Francisci stigmatizati pro Dei clementia, ac propitiatione, ipso aduocante, ac intercedente, impetranda, multum similis videtur esse ei quo ad modũ, de qua Interp. noster paulò ante in Sacramento Altaris. Præsentat sponsa Ecclesia in eo Redemptoris sui cunctas passiones suas, ab ortu, & infantia inceptas, lachrimas, verba infantilia, cum prolatu repetita, & ipsum Abba Pater, quod vt scribit Marcus cap. 14. in horto flens protulit, rogans Patrem more infantium ad maiorem Patris teneritudinem. Quæ quidem teneritudo tanto maior extitit in Patre, *Abba* lachrimãtis vnigeniti sui audiente, quanto quod illius inferiori portioni negauit, superiori con-

concessit, commouens vndique paterna sua viscera super totius humani generis salute. Præsentat igitur Patri diuino irato Ecclesia flagella, tormenta, crucem, vulnera, clauos in Eucharistia Filii sui. *Sic Dominus parcit nobis, &c.* vt supra. Pari modo ex sua deuotione se gerit vbi in aduocatione apud Patrem, & Filium ad Reparatorem suum Franciscum recurrit, ipsum ostendens Christo simillimũ in sacrorum Stigmatum Sacramento, ad quod ab ipsa conceptione, natiuitate, & infantia mira Dei assistentia, & gratiæ præuentione ordinatus fuerat.

III. PAPPAS.

Babæ aduerbisi est apud Græcos Babai, & est apud Latin. Papæ.

HÆc tertia dictio hic breui explicanda, prout resonans in infantuli Ioannis Moriconis ore, quæ quidem dictio annexa & ipsa videtur voci aduerbiali *Babæ*, quæ est apud Græcos *Babai*, pro quo nos Papæ vtimur. Plaut. Pseud. *Babæ nunc demum mihi animus in tuto est loco*. Ababa nuncupabatur Maximini Imperatoris Mater, auctor Capitol. in Maxim. Abaces etiam carens voce, & mutus dicitur, quomodo aliquo pacto & infantulus. Vide Interpretes Latinos apud dictionaristas. Babe ergo, Babai, & Papæ idem sunt. At Papæ ex Pappa deriuat. Pappa enim inter primas infantulorum vox, qua dum cibum petunt, & Patrem quoque compellant. Pappare deinde etsi aliquando, authore Plauto, est cibum sumere, tamen denotat etiam minutis, & blandiusculis verbis Patrem appellare. Iuuen. Satyr. 3.

Pappas est idem ac Pater, siue is, qui puerum alit.

Et similis Regum pueris pappare minutum

Poscis, & iratus mammæ lallare recusas.

Lallare antiqui dixerunt pro eo, quod est lac sugere. Videtur esse ex his vocibus, quibus nutrices alumnis suis se accommodant. Cuiusmodi sunt Pappa, & Tata pro Patre, & Mamma pro Matre. Pappas igitur (vt aliâs dictum lib. 7. prærog. 7. Regulæ Minor.) apud Græcos accipitur pro Patre, siue pro eo, qui puerum alit. Pappus deinde apud Antonium ad nepotem suum, Auus est. Qui probant in recensiores hæreticos Romanum Episcopũ Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia, vndecim demonstrant argumentis. Nimirum 1. ex diuino iure, & ratione successionis. 2. ex Conciliis. 3. ex testimoniis summorum Pontificum. 4. ex Patribus Græcis. 5. ex Patribus Latinis. 6. ex origine, & antiquitate Primatus. 7. ex auctoritate, quam exercuit Romanus Pontifex in alios Episcopos. 8. ex legibus, dispensationibus, & censuris. 9. ex Vicariis Papæ. 10. ex iure appellationum. 11. ex nominibus, quæ Romano Episcopo tribui solent, suntque ad plus numero xv. At omnium

Est pariter & auus

Primatus Romani Episc. vndecim argumentis probatur.

I *Papa*, & communissimum, & antiquissimum. Vide epist. B. Ignatii ad Marcum Zarbesem de Papa Lino, immediato Petri Successore, qui Papa in ea epist. nuncupatur.

II *Pater Patrum* dictus est Romanus Episcopus Petri successor, vt sic Damasus creatus anno 367. vocatus est à Stephano Archiepiscopo Carthaginensi in epist. ad ipsum Damasum, quem scripsit nomine trium Conciliorum Africæ. — Pater patrũ.

III *Pontifex Christianorum* apud Eusebium in Chronico anni 44. qui erat annus primus Petri in Episcopatu Romano. — Põtifes christianorum.

IV *Summus Pontifex* in præfata epist. Stephani, quo titulo vtuntur alii Patres, & in 6. Synodo in sermone acclamatorio totum Concilium vocat Agathonem, creatum anno 678. Sanctissimum Patrem nostrum, & summum Papam. — Summus Põtifex.

V *Princeps Sacerdotum*, vt in epist. Valentiniani ad Theodosium, quæ habetur ante Concilium Chalcedonen. in tom. I. Concil. — Princeps Sacerdotum

VI *Vicarius Christi* apud Bernardum lib. 2. de Consid. & Concil. Lugdunense sub Gregorio X. Vt habetur in sexto tit. de electione, cap. Vbi periculum. — Vicarius Christi

VII *Caput Ecclesiæ* apud Conc. Chalcedon. in ep. 1. ad Leonem. — Caput Ecclesiæ.

VIII *Fundamentum ædificij Ecclesiastici* apud Hieron. in epist. ad Damasum de nomine hypostasis. — Fundamentũ Ecclesiæ.

IX *Pastor ouilis Domini* apud Ambros. epist. 81. ad Siricium Papam. — Pastor ouilis Domini

X *Rector domus Dei* apud eundẽ Ambros. in 1. Timoth. 3. — Rector domus Dei.

XI *Custos vineæ Domini* apud Concil. Chalced. in epist. ad Leonem. — Custos vineç Domini

XII *Pater, & Doctor omnium Christianorum*, vt in Concilio Florentino sess. vltima. Qua ratione etiam Romana Ecclesia vocatur Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum, vt in Concil. Later. sub Innoc. III. cap. 5. — Pater, & Doctor omniũ christianorũ

XIII *Sponsus Ecclesiæ* in Concil. Lugdunensi generali, vt habetur cap. Vbi periculum, de elect. in sexto. — Sponsus Ecclesiæ.

XIV *Apostolicæ Sedis Præsul* absolutè, & supra Antiochenam, Hierosolymitanam, Ephesinã, & alias Ecclesias, quas Apostoli fundauerunt, & Apostolicas Sedes solent Patres nuncupare. Quod ex tribus probat Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 31. — Præsul Apostol. Sedis.

Episcopus vniuersalis.

xv *Episcopus vniuersalis* in Concilio Chalcedonen. Act.3. vbi leguntur ad id propositum tres epistolæ. Tali pariter ordine ponit hæc xv. nomina Bellarm. cit. contra modernos hæreticos. Vbi autem scribit supra de nomine communissimo, & antiquissimo, quod est *Papa*, circa eius deriuationem vtitur vocibus infantilibus supra memoratis. Apud Dictionar. nouissimum hæc leguntur ad rem. *Papa* Pater sensu venerantis. Eustath. docet primò monosillabum *pas* esse, deinde per reduplicationē dictū papas, sicut ex *mamma*. Deinde *pappas*, & *papas* fieri. Vox itaque est honorifica. Ita ibi. Est autem, inquit Bellarmin. *Papas* apud Græcos vox, qua blandientes, vel balbutientes pueruli parentes suos appellare solebant, vt apparet ex Philemone Comico apud Athenæum lib.8. vbi legimus *Chaire pappa philtate*. Et Homerus Odiss. lib.6. vbi filia dicit patri *pappa phile*. Apud Latinos veteres similiter patrem, vel auum, idest patrem patris significabat. Iuuenal. Sat.6.

Nomē Papa, quod est Episcopo Romano primū explicatur.

Mordeat ante aliquis quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit, timidus prægustet pocula pappas.

Item Ausonius ad nepotem suum.

Pappas, auiasque trementes,
Quæ peperit, timidus prægustet pocula pappas.

Blandulo vocabulo eccl. incepit vocare Papam pastorem

Hinc ergo Ecclesiastici Patrem spiritualem blando illo vocabulo *Papam* appellare cæperunt. Et meritò quidem, nam *Pappas* est nomen venerationis, à Siracusis tractum. Et est quoque admirationis, quatenus Papæ apud Græcos *babei*, papai admirantis interiectio est, teste Donato, aiente. Papę interiectio est mira subitò accipientis. Habet enim in se affectum verbi miror. vt *Papæ* quid video! Terent. in Eun. *Papæ, hæc superat ipsam Thaidem!* Etiam apud Scythas *Papæus Iuppiter vocatur*. Quæ quidem vocabula habent, vt video, aliqualem relationem, atque analogiam cum dictione pappas. Sic Iuppiter Diuum Pater nuncupatur, & quod veneramur, in pluribus quoque admiramur, maximè in Sedis Apostolicæ Principe. Cuius primum, principesque nomen multa quidem cum ratione ipsi *Papæ* debet esse non solum antiquitate, sed etiam dignitate, cum explicet eius pastoralem paternitatem, catholicamque, vt Interpres declarat fer.4. Hebdom.4. in Quadr. illis verbis. *Triplex pater, scilicet spiritualis, pastoralis, corporalis. Spiritualis Deus. Pastoralis Papa, vel Dominus. Corporalis ille qui te genuit.* Sic in summæ Trinitatis Monarchia primus titulus in prima hipostasi est Paternitas.

Papæus apud Scyth. vocatur Iuppiter.

Et reuera si Petri successor, excelsusq; in Romana Cathedra Antistes non esset *Papa* nomine, ac regimine, neque esset Pater patrum. Pontifex Christianorum. Summus Pontifex. Princeps Sacerdotum. Vicarius Christi. Caput Ecclesiæ. Fundamentum ædificii Ecclesiastici. Pastor ouilis Domini. Rector domus Dei. Custos vineæ Domini. Pater, & Doctor omnium Christianorum. Sponsus Ecclesiæ. Apostolicæ Sedis Præsul. Episcopus vniuersalis. Sed ea omnia in ipso essent, quæ, ablata ab ipso tenerrima erga filios suos spirituales paternitate, in prædictorum omnium nominum destructionem essent. Sed dices, nomen istud *Papa* tribuitur interdum à veteribus Patribus cuilibet Episcopo. Hieronymus in omnibus epistolis ad Augustinum eum Papam appellat. Sicut etiam nunc quilibet Sacerdos dicitur pater. Ergo haud tanti hæc vox Papa in Romano Pontifice existimanda, quatenus ex ea eius summus, catholicusque primatus concludi fas esset.

Quam iuridicum, ac princeps in Episc. Rom. nomen Papæ

obiectioni satisfit.

Respondet Bellarm. cit. tripliciter. *Primo*, quia per anthonomasiam cum absolutè pronunciatur *Papa*, ipse solus intelligitur, vt patet ex Concilio Chalcedon. act.16. de Papa Leone. *Secundo*, quia solus ipse totius Ecclesiæ dicitur *Papa*, vt patet ex eodem Concilio ibidem de eodē Papa, & ex Breuiario Liberati cap.22. *Tertio*, quia Episcopus Romanus à toto Mundo, & à generalibus Conciliis vocatur Pater, siue Papa. Ipse verò neminem vocat Papam, vel Patrem, sed omnes filios, vel fratres. Vt patet ex epist. ad Concilium secundum apud Theodoretum lib. 5. cap.10. & ex ep. Concilii Chalcedonen. ad Leonem.

Tribus de causis nomē Papa soli Pōtifici debetur.

Quotiens infantulus noster blandiendo, vel balbutiendo pappas dicebat, aliud natura in ista voce intelligebat, aliud verò intendebat illa Dei gratia, quæ in infantuli nomine explicans Christi Præcursoris insignia, in eius reapse anima peculiarissima rerum magnarum custodiebat iura, ac prognostica. Pro reparanda Romana Ecclesia conceptus, & natus est iste infantulus Ioannes; igitur & pro adiuuando Papa, totius Romanæ Ecclesiæ Principe cælitus missus est.

Pappas, Papa, dicebat blandiendo, ac balbutiendo paruulus Ioannes Morico inter fasciarum ligamina, & veluti alter Ioannes Baptista, in matris vtero clausus, ita ceu gratię filius ab aureo Chrisostomi ore, & Interpretis nostri sumens moriua, ita loquebatur. *Video* admirabundus, & venerabundus Papam *Dominum*, mihi in spiritu

Prognostica in voce Pappas ab infantulo Ioanne erga Papam Rom. pronūciata.

spiritu Patrem, & video in ipso eius Vicarium, mihi Papam, & Patrem pastoralem. *Video Dominum, qui naturæ posuit terminos* vsque ad annum ætatis meæ 27. ne possim Sacrosanctæ Romani Papæ moli in sacrilega hostium molimina apponere humeros, eamq; simul cũ illo Apostolica erigere monumenta, necnon & ad pristinam venerationem, atque admirationem eius renouare nomenclaturas.

Non expecto tempus adolescendi. Sed lustrorum *tempus mihi non est hic necessarium. In me est enim qui est æternus. Egrediar ex hoc* puerilium inuolucrorum tabernaculo. *Rerum admirabilium* in vitæ Christi, & Apostolorum renouatione *compendiosam prædicabo cognitionem. Sum signum*, super me à vultu Domini signatum, & ab ipso interius, exteriusque postea cruciformiter signandum. *Significabo Christi*, reconciliati cum peccatoribus per Virginem *aduentum* in Ecclesia, ab eo per me reparanda. *Sum Tuba* noui Testamenti his tẽporibus nouissimis, & sicut tuba veteris Testamẽti inuitabo ad bellum sacramentalis cõfessionis totum Orbem, in maximã Diaboli perniciem. Inuitabo ad epulum pœnitentiæ, sine qua non potero reparare quod peccatum destruxerat. Inuitabo ad festum gloriæ, in mundi & carnis gloriæ destructionem. Sic tripliciter trium Ordinum institutione, totidemque legum latione *proferam filij Dei* in carne mea sãguineam carnis suæ per vulnera, & clauos indulgentissimam pro omni Christiana Republica *dispensationem. Tuba canam eo ipso paterna benedicens Christi linguæ*, me ter allocuturæ, vt vadam in eius reparandam domum, pro qua illam traham obedientiæ promptitudine, vt mecum *loquatur*, dando mihi os, & labia, & verba, quibus nulla mortalis potentia resistere valeat. *Tuba canam, & vterum maternum* Ecclesiæ Romanæ penè extinctum, ac sterilem effectum, triformiter *vinificabo*, factus triplex Legislator.

Quomodo dicendus infantulus hic signum Christi.

Item & tuba noui testamenti.

Tuba canam, & dum *Pappas* modo pronunciare solummodo scio, dicam postea alio ore *Papam*, ad eius pedes vt vir paruulus, & abiectus prostratus. Exprimam *Papam* in Minorum legislatione, & vbi hanc legem ex diuino instinctu S.R.E. pedibus subiiciam, erigam collabentem Ecclesiam, ne in interitum abeat. Exaltabo

Quomodo Franc. xv. Episcopi Romani nomenclaturis profuerit

1 *Papam Romanum*, vt veluti dignus successor Petri, non amplius adeo petulanter contemnatur, ac paruipendatur à filiis; sed è contrario veneretur, admireturque.

2 Veluti legitimus *Pater Patrum* tenerrimè ametur, ac diligatur.

3 Veluti inclitus *Christianorum Pontifex* eius pontem maiori studio petatur in transigendo à ripa fluminis mortalitatis ad aliam immortalitatis ripam.

4 Veluti *Summus* super alios particulares Pontifices *Pontifex* non amplius in ima scelerum, errorumque vilipendia iura sua tam enormiter conculcata inspiciat.

5 Veluti eminens *Sacerdotum Princeps* cernat in pristinũ principatum suũ, nunc penè redactum in nihilum, renouatum cum vniuersa Ecclesia, cui apostolico iure principatur.

6 Veluti immediatus *Vicarius Christi* gaudeat de innouatione vitæ Christi, & Apostolorum, in qua Vicariatum suum vim, extremè modò collapsã, roburq; deperditum iterum reassumpsisse, experimento probabit.

Quid præstiterit Christi Vicariis iuuaminis

7 Veluti visibile *Caput Ecclesiæ* cuncta membra Ecclesiæ meliori forma, ac vnitate sibi copulata conspiciat.

8 Veluti Apostolicum *Aedificij Ecclesia fundamentum* solidius firmetur, erecta iam super ipsum tota Ecclesiæ suæ mole.

9 Veluti generosus *Pastor ouilis Domini* liberius oues suas pascat, & ad pascua ducat, territa iam, atque hinc inde fugata incursione luporum.

10 Veluti supremus *Custos vineæ Domini*, nom amplius adeo pertimescat vulpeculas paruas, iam captas, ne demoliantur vineam.

11 Veluti excelsus Pater, *& Doctor omnium Christianorum*, nouos filios suos in innouata Ecclesia tenerrimè amplexetur. Atque innouatam, ac propagatam per cuncta Mundi climata Christianitatem ex amplissima cathedra, ex Minorum Fratrum in omni disciplinarum genere cœtu conflato, apostolicam doctrinam doceat, ac disseminet.

Quam cathedræ Petri doctrina apostolica iuuarit

12 Veluti vnicus *Sponsus Ecclesiæ* charis sponsæ suæ amplexibus ad pristinã pulchritudinem, ac decorem redactæ, maiori dilectione cordis ligamenta foueat.

14 Veluti diuinus *Apostolicæ Sedis Præsul* præsit, vt prosit Sedi suæ; cui & vt præsit gloriosior, & vt prosit fructuosior, pedibus suis meipsum, meos, legem meã ab ore Christi acceptam, subiiciam.

15 Veluti *Episcopus vniuersalis* possit cum Petro dicere subditis suis, videns ouile suum reparatum. *Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*. Et verbo, & exemplo demonstrare cum Christo

Episcopo vniuersali Romano vniuersaliter proficuus Franc.

quod bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et ipse solus in seipso exprimere septem stellas dexteræ Dei, pro quibus Episcopus meus Antonius de Lisbona (factus hæreticorum malleus, & brachium meum dextrum in defensionem Papæ, Patris Patrum, Christianorum Pontificis, summi Pontificis, Sacerdotum Principis, Christi Vicarii, Ecclesiæ Capitis, ædificii Ecclesiastici fundamenti, ouilis Domini Pastoris, Vineæ Domini Custodis, Patris, & Doctoris omnium Christianorum, Sponsi Ecclesiæ, Apostolicæ Sedis Præsulis, Episcopi vniuersalis) ita in concionibus suis apostolicis explicabit Dom. 2. post Pasch. super c. 1. Apoc. *Stellæ sunt Episcopi, qui debent alijs lucere verbo, & exemplo vitæ, quos habet in dextera, idest in potioribus donis, quæ per dexteram significantur*.

Septẽ stellæ in dextera Christi significãt Episcopum Romanum.

Septem sunt hæ stellæ ob numerũ vniuersalem, per quem omnes Episcopi sunt in Episcopo vniuersali Romano, qui potissimum septies Christo assimilandus est, iuxta septem candelabra aurea, visa à Ioanne, in quorum medio erat filius hominis. Sunt enim sibi necessaria septem, teste eodem Episcopo Antonio ibidem, nimirum. *Vitæ munditia. Diuinæ Scripturæ scientia. Linguæ eloquentia. Orationis instantia. Circa pauperes misericordia. Circa subditos disciplina. Populi commissi cura sollicita*. Sic in quindecim, sibi soli de iure debitis nomenclaturis erit septiformiter in Christi dextera stellifer, & septiformiter lucebit cum Christo *in medio septem candelabrorum aureorum* Satis de dictione Pappas; in ore infantuli nostri Ioannis Moriconi auspicatissimè in Papæ auxilium pronunciata.

Septies Episcopus Romanus debet esse stellifer, & septiformiter lucere.

SECTIO II.

INFANTIA FRANCISCI
Circa arcana alphabetalia ad multimodam trium Ordinum Franciscanorum, & Ecclesiæ felicitatem directa.

Translatio corp. Franc.

AGens Bonau. de Canonizatione, & translatione corporis Francisci ab ædicula Sanctæ Mariæ de Portiuncula ad Ecclesiam S. Georgii, hæc scribit in specie. Peruenientes denique ad Ciuitatem cum iubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, *in Ecclesia S. Georgij cum omni reuerentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus literas didicit. Ibique postmodum primum prædicauit. Postremò ibidem locum primum quietis accepit*. Hæc Bonau.

Tenerè, ac delicatè (verba sunt Vadinghi in Apparat.) Parentes Francisci hunc suum primogenitum enutriendum, iisque curarunt imbuendum moribus, & artibus, quibus sibi prospiceret, & domui esset honori. Primò addicunt puerulum literarum rudimentis, mox Latio vniuersali Europæ sermoni addiscendo. Ita Analista. Puto autem ipse, quod literulas erudimentales ad prima Grammatices elementa cum Rethorica, & lingua Latina didicerit In pueritia Franc. in Ecclesia S. Georgii. Literulas verò alphabetales in domo propria, in qua delicatè, ac tenerè educabatur vsq; ad quartum, vel quintum infantiæ annum.

Locus, in quo puerulus Franc. literas didicit.

Ab anno quarto infantię cessans Lunaris Planetæ regimen, vt diximus, sumit infantis dominium Mercurius, eloquẽtiæ Numen, eumque retinet per totam pueritiam annos quatuordecim. Infantes circa abecedarium principio exercentur in Alphabetalibus latinis literulis, elementaribusque, quæ sunt numero 23. & cum coniunctione illa &, numerantur 24. Semper in priori Abecedarii facie inscripta est, impressaque apud Christianos, catholicosque præceptores, siue pedagogos Crucis Christi nota, vt proinde vulgariter abecedarium ipsum *Sanctam Crucem* appellirent idiotæ. Italicè Pater, seu Mater infantuli alicuius, iam apti ad discendum abecedarium solet dicere lingua sua. *Mando il mio putto, ò figliuolino à scuola per imparar la Santa Croce*.

Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo, Lucæ 14. Erat equidem talis Domini manus in puerulo Ioãne Baptista, quem stupidus alloquens eius Parens, ac summus Pontifex Zaccarias, soluens in illius nominis virtute linguæ vincula, idcircò exclamauit, *Tu puer propheta altissimi vocaberis, &c.* Vtrumque profectò, tum scilicet Euangelicum stuporem, tum oraculum paternum in persona nostri infantuli Ioannis Moriconi videtur tangere Bonau. in prologo, vbi illum Ioannis Baptistæ & in præcurrendo Christum, & in munere prophetali comparat.

Manus Domini cũ Io. Morico sicut cum Ioanne Baptista.

Verum vt peculiarius vim manus Domini cum puerulo nostro Ioanne circa alia explicemus, videtur dicendum quoque ex Interprete nostro, quod fuerit huiusmodi Domini manus cum eo, vt per eum poneret in ruinam (præmonstrans id pariter in suo addiscendo abecedario) quotquot in ruinam ponebant Ecclesiam suam,

suam, *Et in resurrectionem multorum*, sine quibus collapsa Ecclesia minimè erigi poterat. Dixit Simon ad Mariam, recipiens in vlnis suis Infantulum Iesum: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Dicit Maria in suo cãtico (subdit statim Interpres Dom. infra oct. Natiuit.) *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Deposuit, idest deorsum posuit, hoc est quod dicit Dominus per Abdiam 1. *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ, &c.* Et infra ostẽdens huiusmodi ruinam, in quam infantulus Iesus positus, adducit illud Zachar. 14. *Erit ruina Equi, & Muli, & Cameli, & Asini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illis.*

Iesus infantulus positus in ruinam et in resurrect. multorum.

1 *In Equo superbia.* Hier. 8. *Omnes conuersi sunt ad cursum suum quasi Equus impetu vadens.*

Equus superbiæ simbolũ

2 *In Mulo luxuria.* Psalm. *Nolite fieri sicut Equus, & Mulus.*

Mulus luxuriæ.

3 *In Camelo auaritia.* Matth. 9. *Non potest Camelus*, idest auarus, *per foramen acus*, idest paupertatem *transire*, scilicet Christi.

Camelus auaritiæ

4 *In Asino torpor negligentiæ, quæ est sentina omnium vitiorum.* Vnde dicitur *Asinus*, quasi *alta sinens*. Torpor enim negligentiæ non alta conscendere, sed per plana semper vult ire. Vnde Genes. 22. dixit ad pueros suos, *Expectate hic cum Asino*. Pueri sunt pueriles, & carnales affectus, qui expectant cum asinino torpore, & tarditate.

Asinus torporis.

5 *In iumentis voluptuosa quinque sensuum delectatio*, de quibus Isaiæ 30. *Onus iumentorum Austri in terra tribulationis, & angustiæ.* Terra est caro, quæ spinas, & tribulos tribulationis, & angustiæ nobis germinat. *Hoc est onus iumentorum*, idest quinque sensuum, qui sunt iumenta Austri, idest mundani gaudii. In hac terra tribulationis, & angustiæ, quam iumenta conculcant, & suffocant, sunt *Leo* superbiæ. *Leena* luxuriæ. *Vipera* iræ; & *Regulus* volaus inuidiæ, & vanæ gloriæ.

Iumenta quinque sensuum delectatio.

O Domine Iesu ruant omnes bestiæ istæ, & iumenta, vt peccator iumentinus simul corruat, & corruens, spiritualis surgat. *Ecce positus est hic in ruinam.* sequitur: *Et in resurrectionem multorum.* De qua Ezech. 37. *Facta est super me manus Domini.* Hucusque Interpres, apud quem vide reliqua.

Certum est Interpretem nostrum præsentare ibi in illis vltimis verbis, *ò Domine Iesu*, &c. clamores communes Ecclesię ad Iesum Saluatorem pro eius reparatione, veluti similes clamoribus Sanctorum Patrum, & Prophetarum veteris Testamenti pro eiusdem Ecclesiæ fundatione per Redemptorem Mundi. Pater Deus ex ipsa infantia declarauit ore prophetico Simeonis, paruulum filium suum natum esse, ac datum, positumque simul tum in ruinam prædictarum bestiarum, nempe Equi superbiæ, Muli luxurię, Cameli auaritiæ, Asini torporis, & iumentorũ quinque sensuum. *Tum in resurrectionem multorum.* Ex his enim duabus rebus, scilicet ruina quinque vitiorum, & resurrectione plurimorum fundanda erat Ecclesia per redemptionem. Pari modo dicendum est de Francisco, ab ipsa eius natiuitate, & infantia in æqua ruina, & resurrectione positus, vt posset ipse Saluator per ipsum reparare Ecclesiam suam, sicuti erat in decretis.

Bestiæ, quas posuit in ruinã Iesus infantulus.

Et Fran. ad earum excidium etiam exortus.

Animaduertendum tamen, arcanum peculiare in prædicto bestiarum quinario recondi. Ad illa quinque destruenda, ex quarum ruina multorum resurrectio, & ex hac constructio Ecclesiæ christianæ erupit, totidẽ voluit recipere super Crucem in corpore suo pro consummatione redemptionis plagas Christus Dominus, illasque per analogiam ad quinque Ciuitates Chanaam, iuxta oraculum Isaiæ 1. pluries cum Interprete nostro alibi explicato. Vt sic loquerentur lingua comminuta; nam *Chanaam comminuta* interpretatur. *Vulnera enim Christi*, ait, *quasi quadam lingua comminuta loquuntur de nobis ad patrem, non vindictam, sed misericordiam.* Hæc Interpres.

Quinarium vulnerum Christi contra bestiale criminum quinarium

Loqui lingua comminuta, siue per suas minutias, ac frustula, aut verbis, aut literis est propriè infantium, & lactentium locutio. Comminuta sunt infantiũ verba, imperfecta, atque blandula; seu balbutiẽter prolata. Cum postea incipiunt literis loqui, hæ alphabetales sunt, comminutæ, solæ, & dispersæ, forma, & qualitate variæ per seriem abecedaricam. Abecedarius autem Latinus duo genera literarum in prima sui partitione grammaticaliter admittit; in quorum primo sunt literæ vocales, in secundo literæ consonantes. Hæ autem consonantes in tres classes diuidunt. Nam aliæ sunt semiuocales, quorum sonum à vocalibus auspicamur. Aliæ sunt mutæ. Aliæ demum liquidæ, de quibus Latini Grammatici communiter. K, & y. in ipsum inserunt Latini, cum tamen sint literæ Græcanicę. Prior dicitur apud Græcos *cappa*. Latini verò ea non vtuntur, nisi in dictionibus Græcis, quas ceu latinas qualitate varias pro se vsurpant, vt *Kirieleison*, idest, *Domine miserere*, & passim *Kalendas* pro prima die mensis. Sed de cunctis literis inspice inferius. Posterior deinde

Infantiũ locutio alphabetalis comminuta dicẽda est.

de litera, scilicet y, quæ vocalis est Græcorum, & ipsis propria, apud Latinos alphabetarios reperitur. Ea namq; vtuntur solummodo in dictionibus nonnullis cōscribendis. Eius loco antiqui, qui peregrinam literam nullā recipiebant, quintā vocalem substituebant. Demum in Alphabeto Latino litera H. pro aspiratione in pronunciatione posita est. Igitur ordines literarum in Abecedario Latino, in quo comminuta lingua, idest literulis seorsim comminutis, ac diuisis incipiunt loqui infantuli, tot sunt, quot in Christi corpore vulnera, in Cruce suscepta, scilicet quinque. Nam primus ordo continet literas vocales. Secundus literas consonantes. Tertius literas semiuocales. Quartus literas mutas. Quintus demum ordo literas liquidas complectitur.

Quinq. ordines literarū in alphabeto, quot in Christi corpore plagæ.

Quinque Christi vulnera in Cruce lingua comminuta loquuntur (ait Interpr.) quasi dicat lingua alphabetali infantulorum, quemadmodum & lingua verbali, qua ipse Christus primo, postea D. Paulus Doctor gentium aliquando locuti sunt. Ille in horto ad Patrem, iste scribens ad Romanos; & vnusquisq; quasi blandiēdo clamans, *Abba Pater*. Nullus enim ex saluandis in virtute Crucis per Christi plagas & vulnera poterit ingressum Cælorum adipisci, nisi prius fiat paruulus, vt monuit Apostolis suis Christus. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnū Cælorum*. Habet vir iustus & suam infantiam, qua loqui debet elementaribus Alphabeti characteribus, qui in tribus radicalibus linguis, Hebraica, Græca, Latina suis non carent mysteriis. Vnde D. Hieronymus in præfatione in libros Regum loquens de Alphabeto Hebræorum, ita exorditur.

Viginti & duas literas apud Hebræos, Syrorum quoq. & Chaldæorum lingua testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est. Nam & ipsi viginti duo elementa habent eodē sono, sed diuersis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem literis scriptitant, figuris tantum, & apicibus discrepantes. Certumq; est Esdram Scribam, legisque Doctorem post captam Ierosolymam, & restaurationem Templi sub Zorobabel alias literas reperisse, quibus nunc vtimur, cum ad illud vsque tempus idem Samaritanorū, & Hebræorū characteres fuerint. Et post pauca alia, quibus demonstrat Hieronymus parem numerum literarum alphabeticarum Hebraicarum cum libris canonicis veteris Testamenti, ita concludit. *Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus hebraicè omne, quod loquimur, & eorum initijs vox humana comprehenditur; ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis, & exordijs in Dei doctrina, tenera adhuc, & lactens viri iusti eruditur infantia.*

In alphabeto hebraico literæ 22. quot sunt in vet. Testam. libri canonici.

In his infantia viri iusti adhuc tenera eruditur.

Sed qualis huiusce tenerrimæ infantiæ abecedarius, sine cuius literulis, & exordiis in Dei doctrina erudiri infantilis virilitas nequit, vt sic verè *Ex ore infantium, & lactentium perficiat Deus laudes suas, vt destruat inimicum, & vltorem?* Certè ille huiusmodi abecedarius est, quem principio didicit D. Paulus 1. Corinth. 13. *Cum essem paruulus*, inquiens, *loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Idipsum videtur contigisse Francisci infantiæ, in qua *vt paruulus loquebatur* super literulas alphabetales. *vt paruulus sapiebat*, nec tardè, nec sine multa expectatione, & admiratione, quia erat multa gratia, & venustate præditus, & in cunctis ferè ab ipsa naturali infantia, cælitus elargita, ac dotibus præcipuis supra hominem ditata, expeditus. *Vt paruulus cogitabat*, ne erraret, & ad alapas, & verbera pedagogi sui solers infans incurreret. Præmonstrabat porrò quędam præludia virilitatis iuuenilis illa in eo inclita prærogatiua addiscendi tam promptè, atque expeditè ipsum abecedarium. In statu namque iuuenili vix incepta eius spiritali infantia visus est Vir Seraphicus, atque Apostolicus.

Dotes peregrinæ Fran. in addiscendo abecedario.

In Alphabeto ergo Hebraico, Syriaco, Chaldeorumque 22. characteres numerātur, quot sunt libri canonici veteris Testamenti. Totidem quoque sunt notæ in alphabeto Latino, ablata litera H. quæ de rigore non est litera, sed aspiratio. In alphabeto autem linguæ Græcæ communis Atticæ, Ionicæ, Doricæ, Aeolicæ numerantur 24. Sub quo etiam numero libros veteris Testamēti, quos 24. efficiunt, reducunt, quemadmodum etiam Iudæorum nonnulli, qui in eorum alphabeto enumerant & ipsi literas 24. resultantes ex 22. elementis ob literā Iod, ter propter reuerentiam Diuini Nominis ab eis repetita.

Tot sunt literę in alphabeto latino, quot in hebraico.

Discrimen inter alphabetum, & abecedarium ex eo sumendum, quod etsi tam illud, quam hic duplex sit, & nonnisi varietate nominis impar, attamen alphabetum ex græca deriuatione sic appellatur. Abecedarius autem è latina. Princeps enim litera in alphabeto est *Alpha* græcè, in abecedario verò est A. latinè. Alphabetum à Græcis desumit appellationem, abecedarius autem à Latinis. Et tam apud illos alphabetum, quam apud istos abecedarius

Discrimen inter alphabetum, & abecedarium

cedarius nihil aliud est primo modo, nisi literarum collectio, seu ordinatio à prima litera sic nuncupatus. Sed secundo modo accipitur tum alphabetum, tum abecedarius pro eo, in quo aliquid per ordinem literarum quis digerit sua scripta, tractatus, libros, argumenta in quocunq; genere disciplinæ. *Diligentius factum est, quam nostri vel latinè, vel punicè, quos abecedarios vocant Psalmos facere consueuerunt,* scribit August. in Psalm. exposit. Vide Celium lib. 14. c. 28. Bud. in pandect. & alios. Habes pariter apud Latinos, quod abecedarius dicatur tyrunculus, vt exempli gratia noster infantulus Ioannes Morico, qui adhuc vltra literarum cognitionem nihil profecit, licet è regione auspicatus sit alphabetariam, abecedariamque eam scholam, quam in suo seraphico, apostolicoque Licæo diuinitus erigendo nouiter fundare debebat. Vt in ea, veluti in quadam Euangelica pædagogia totius Mũdi doceret infantiam, pueritiamque, per quã caro, & sanguis, in sentina omnium vitiorum torpescentes, nihil aliud expectabant cum Asino (relicta fidei, religionis, morumque christianorum ad montẽ ascensione) nisi omnimodum per Ecclesiæ eradicationem descensum, interitumque. *Pueri sunt pueriles & carnales affectus, qui expectant cum asinino torpore, & tarditate,* diximus supra ex Interprete nostro.

Quæ pædagogia à Fri. in Ecclesia pro infantia mundi fundanda.

Ergo Ioannes infans, vt filius gratiæ alphabetarius, abecedariusque affectus præmonstrabat, quod in schola sua apostolica ad destructionem huiusmodi puerorum, carnis, & sanguinis alphabetariorum, abecedariorumque, atque exinde hostium Dei in totalem Reipublicæ perniciem stultescentium, ac debaccantium, ex ore infantium, & lactentium incipienda, perficiendaque erat laus diuina. *Ex ore infantium, & lactentium, &c.* Vbi Interlinearis: *Non pro ætate, sed qualitate simplicium, insipientium. Quasi non solum à perfectis, sed ab insipientibus prædicatis.* Ex qua sententia distinguenda duplex infantia, & insipientia, & vtraque extrema. Vna ea est, quæ in schola Dei incipientes suos nuncupat infantes, quasi ad prima rudimenta alphabetalia, in qua exorditur prima simplicitas, & puritas. Altera infantia, ac insipientia simul in viris perfectis reperitur. Primam expressit D. Paulus loco citato, quando dixit, *Cum essem paruulus, &c.* scilicet (postillat Lyranus) balbutiendo, & imperfectè. *Sapiebam vt paruulus,* apprendendo aliqua, quæ magis essent reprobanda, & è conuerso. *Cogitabam vt paruulus,* scilicet vana, & inutilia. Secũdam infantiã, & stultitiã idẽ Apostolus ibidem statim significauit non amplius sub nomine paruuli, sed viri. *Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli,* scilicet non conuenientia &c. Hæc Lyranus.

Qui infãtes & lactentes spiritualiter

Duplex infantia, & insipientia in Christi pædagogia.

Vtraque infantia coniungens sibi & insipientiam, quanto amplius immediatè est a Deo (sicut in puerulis immediatè est à pædagogis alphabetica instructio) tanto amplius apta est perficere sua blandienti, ac balbutienti lingua ipsorum Angelorum linguam. Quod explicat egregiè Lyranus super illud *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem,* quasi diceret, Angelorum, ad destructionem populi Iudæorum per Romanos, qui populus fuit Christi inimicus, & vltor, putans se vlcisci de Christo pro lege Mosaica. Laus Angelorum de diuinitate Christi in eius ortu ad perfectionem redacta fuit ab infantibus, & pueris clamantibus in Templo. *O sanna, &c. Pueri isti,* inquit *non sunt homines literati, qui ex scientia legis, & prophetarum possent cognoscere diuinitatem Christi, & sic confiteri. Propter quod ista laus videtur processisse à Spiritu Sancto, linguas etiam mouente. Sicut locutio Asinæ Balaam non fuit ab ea, nisi passiuè tantum. Et sic ista laus puerorum videtur perfectior fuisse, quam Angelorum, quantum ad hoc, quod efficiebatur immediatè a Spiritu Sãcto, qui præcellit omnes Angelos in infinitũ.*

Quomodo Infantes, & lactentes perficiant Angelorum de Deo laudẽ.

Vtramque etiam prædictam infantiam Deus ipse duabus literulis vocalibus alphabeti Græci declarauit Ioanni, dicens, *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis.* Alpha pro infantibus in principio. Omega pro infantibus in fine. Cum tamen quælibet infantia hæc sine insipientia esse nõ possit, pari modo nec erit sine Christi Cruce. Insipientia enim hæc infantilis, siue in incipientibus, siue perfectis Crux Christi est, vt patet ex doctrina euangelica, & apostolica, atque ex ipso Crucis titulo In ipso namque cum tribus linguis dignioribus, scilicet Hebraica, Græca, & Latina, literæ quoque trium alphabetorum, nimirum Hebraici, Græci, Latini exaltatæ videntur, simulque exaltatæ in Christo exaltato *Alpha, & Omega,* quia (inquit Interpres Apocal. 1. in ser. Dom. 2 post Pascha) ipsi Christo nihil præteritũ, nihil futurum, sed esse est ei præsens, cum sit alpha & omega, principium & finis. Quasi diceret, quidquid Christus docet literulis suis paruulos, & infantes suos, temporaneum non est, sed æternum est, alpha est & omega est Hebræis, Græcis, Latinis. Principio per extensum scriptum fuit tribus illis linguis in eo titulo *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum,* vt apparet in tabula

In titulo crucis Christi tria alphabeta exaltata.

Quidquid Christus docet, alpha, & omega est.

tabula ipsa, palmo vno cum dimidio oblonga, in Basilica S. Crucis in Ierusalem. Postea in exemplis abbreuiauerunt Christiani per notulas capitales solummodo more Romanorũ in hunc modũ I. N. R. I. Vnde factum, vt eo amplius triplex alphabetum prædictum in Christi Cruce cum ipso Christo exaltaretur. Pariterque significaretur, quod christiana infantia siue alphabetaliter instruenda, siue perfectè instructa à Cruce incipere debet. Christus ipse Cruci affixus comparauit exaltationem suam exaltationi serpentis, quẽ Moyses pro signo, scilicet in Thau (vt paulò ante explicauimus) erexit in deserto contra serpentes igneos. *Et sicut exaltauit Moyses, &c.* Ioann. 12. Mira quidem res, portentosaque profectò, vt filius Dei crucifixus serpenti pergrandi, ac visu horribili placuerit seipsum comparare. Explicemus mysterium aliquo arcano peculiari, ac nouo.

Cur Christ. in cruce serpente se cõparauerit

Memoria crucifixi vitia crucifigit, ait Interpres noster, vt alibi dictum est. Sed quibus clauis? Illis, inquio, qui ex dentibus serpentis desumuntur. Et qui, inquies, hi dentes serpentini circa rem nostram? Audi si placet. Emblematum Princeps Alciatus expendens illud Apostoli 2. ad Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus viuificat*, vtitur Cadmi literarum alphabeticarum inuentoris fabella, ita canens affabulando & ipse ceu mythologista in fabulæ explicationem de Cadmo, literarum alphabeticarum apud Græcos inuentore.

Emblema de Cadmo literarum græcanicarum inuentore

Vipereos Cadmus dentes, vt credidit aruis,
Seuit & Aonia semita dira solo.
Terrigenum clypeata choros exorta virorum est,
Hostili inter se qui cecidere manu.
Euasere quibus monitu Tritonidos armis
Abiectis data pax, dextraque iuncta fuit.
Primus Agenorides elementa, notasque magistris
Tradidit, ys suauem iunxit & harmoniam;
Quorum discipuli contraria plurima vexant,
Nonnisi palladia quæ dirimuntur ope.

Commentatores huius Emblematis plurima scribunt de inuentoribus literarum alphabeticarum, maximè græcarum. Cadmum, Agenoris filium attulisse eas à Phenicia in Græciam, communior sententia refert, de qua Plinius lib. 7. cap. 56. Solinus cap. 13. & alii, licet haud pauci aliter excogitent. Cadmus, vt aiunt, nonnisi sexdecim literas, quot sunt in serpentis ore dentes inuenit. Idcircò serpentinis dentibus ratione paritatis numeri hæ literæ assimilantur. Literæ alphabetales pariter & ipsæ (vti fingitur de dentibus serpentis, à Cadmo interfecti, illisque ab ordine ablatis per aruum disseminatis) tanquam in sola alphabeti serie otiosæ dissipantur, seminantur, atque ita demum plures numero, variæque digestæ ob varios animi conceptus nunc concordes, nunc concertantes viuunt, agunt, pugnant.

Cur primæ 16. literæ à Cadmo inuẽtæ serpentis dentibus cõparatæ

Tonorum, & spirituum in notulis alphabeticis imaginarias quasdam esse lanceas, & galeas exercitus, potes philosophari. Partes multæ elementorum sursum eminentes, talium rerum speciẽ probant. In alphabeto infantulorum, veluti in quodam campo militari non solum illinc lãceatos, ac leuis armaturæ intueris milites, verum etiam cataphractos, si diligentius rem inspicies, clypeis, ensibus, ac ballistis instructos. Sed fas est ad id figurationis huiusmodi martiales extrahere imagines ex alphabetalibus Hebræorum elementis, à quibus profectas fuisse literas nostras cum ipsis figuris, non absurdè quibusdam videtur.

Alphabetũ paruulorum veluti cãpus militaris.

Ex notis hisce militaribus (peracta pugna, & pax introducta) suauis harmonia erumpit, auctore Cadmo, eas tradẽte magistris; fecit namque, vt consonantes cum vocalibus grato admodum, ac perdulci consensu inter se iungerentur, & quasi sociarentur, ad enunciandas profundissimas humanæ mentis notiones. Vel vt disciplinæ liberales haberent inter se commune quodam vinculum. Vt quasi mutuum auxilium sibi præstarẽt. Est enim omnium artium præclara quædam harmonia, quamquam singulæ præceptis distinguantur.

Literæ Alphabeti latini ex literis hebraicis deductæ.

Vt serpens in Cruce Christus, è cuius morsu Mors perempta est, ceu dentes vipereos ad titulum Crucis suæ effixit literas hebraicas, græcas, latinas. Quasi aliis essent ad mortem (haud per virtutum, hæc passim contigit ex hominum malitia, sed per vitiorum in Christi nominis, & eius Crucis virtute interfectionem) aliis verò essent ad vitam. Nam interfectis vitiis, virtutes necessariò reuiuiscunt. Sic dum hæc vitia, non autem virtutes literæ occidunt, dentibus serpentinis veluti clauis crucifigentes crimina, immo in Thau Crucis signo affigentes cum ipsis criminibus Dracones plurimos, spiritu gratiæ Dei anima viuificatur. Infantuli simplices, & incipientes addiscentes alphabetum, incipiunt quoque dentibus vipereis mordere ignorantiam, vt postea paulatim vlterius progredientes, eam in ætate adulta sub magistris, ac doctoribus inter-

Literis veluti clauis serpentini: configenda sunt vitia.

interficiant. Sed dum Christiani sunt, debent quoque principio scire, propterea alphabetum ipsorum nuncupari *Sanctam Crucem*, & sub *Crucis signo* imprimi, & incipi, quia clauos ad confixionem vitiorum, vnde Dei, & virtutum ignominia adnascitur, in dentibus serpentis Christi ceu in simbolis literularum alphabeticarum, quatenus hæ proficuæ sibi fotent, perquirere fas est.

Infantia Frā cisci in addiscēdo alphabeto bis auspicatissima.

Infantulus Ioannes noster habebat in humero dextro *Crucis signum*, à cælestis Peregrini osculo in baptismate relictum. In alphabeto etiam habebat *Christi Crucem*. Quare eius infantia in addiscendo sub duplici Cruce alphabeto, duplicem quoque Crucem auspicabatur duplicis infantiæ eius spiritualis, duplicisque insipientiæ, seu stultitiæ, per quam suo tempore malam, sacrilegamque, vniuersaléq; per corruptos mores infantiam, in qua pené Ecclesia omnis exciderat, in bonā, sanctamque infantiam ad eiusdem Ecclesiæ reparationem commutaret.

Infantia prima spiritualis Francisci à stultitia Crucis nouis, admirandisque modis incepit, vt ex primordiis suæ conuersionis liquet. Sapiens tunc ceu paruulus, & infans, & lactans, tendensque ad perfectionem laudis Dei in destructionem hostis satanici, qui & vltoris est in Dei vindictæ contra peccatores executionem, nullum alium habuit immediatum magistrum, ac præceptorem veluti perdiligentem, assiduumque, summumque pedagogum nisi Christum, vt ait Bonau. cap. 2. de perfecta Francisci conuersione his verbis. *Quoniam autem seruus Altissimi Doctorem non habebat aliquem in huiusmodi nisi Christum; addidit adhuc ipsis clementia eum in gratia visitare dulcedine.* Hęc in Francisco infantia incipiens instituere pædagogiam suam, nihil aliud assumpsit pro stemmate suorum discipulorum, nisi Crucem, super quam in serpente Christo inuenirent & ipsi sub tanto Duce quasi dentes vipereos veluti exercitus, qui concorditer nouo scribendi, & dicendi modo iuxta Christi, & Apostolorum doctrinam irruerēt contra inimicos Crucis. *Cum igitur*, scribit idem Bonau. cap. 5. *cerneret vir Dei Frācischus suo exemplo ad Crucem Christi baiulandam feruenti spiritu plurimos animari, animabatur & ipse tamquam bonus Dux exercitus Christi ad palmam victoria per culmen inuicta peruenire virtutis, &c.*

Immediatus Franc. pręceptor in eius infantia spirituali Christus.

Mira prior in Franc infantia spiritualis.

Mira ergo, ac noua hæc prior spiritualis in Francisco infantia sub præceptore, & ductore Christo, quemadmodum & mira in ipso naturalis infantia sub bino Crucis insigne: altero in humero dextro à cælesti Peregrino peregrinè relicto, altero in alphabeto, quod discebat, ab Ecclesia communiter impresso. Summè profecit Franciscus sub priori infantia spirituali, crucifigens seipsum cum Christo, & vitia cum seipso, & Mundum, & carnem, & Diabolum cum vitiis. Sicut etiam & multum profecisset ab infantia naturali circa literas humanas, diuinasq; si postea in adolescentia eum haud applicuissent parentes mercaturæ, in qua tamen moraliter profecit ad miraculum. Attamen perueniens ad postremam infantiam, & penè ad statum innocentiæ, quasi nihil adhuc didicisset, iam ad priorem alphabetum redeundū esse fatebatur. Id tamen non mirum, nam res tam peregrina accidit ei potissimum post crucifixionem corpoream per plagas, & clauos, quos in carne sua fabrefecerat, & infixerat Christus. Christus dixit in Cruce *Sitio*, & nihil aliud sitiuit ibi spiritualiter, nisi animarū salutem, pro qua semper *cucurrit in siti* ab eius ortu, & per omnes suæ ætatis periodos, vt explicat Interpres noster. Itaque optabat fermè Christus redire ad primordia vitæ suæ, ad infantiam, pueritiam, adolescentiam, virilitatem, atque ad pręterita horum temporum incommoda, & labores; & his expletis quasi infinito circuitu iterum eadem incipere optabat, ne vnquam ab ista siti liberaretur. Hic excessus amori diuino genuinus est, & ab eo penitus inseparabilis. Eodem ferè modo aduertit de Francisco Bonauentura cap. 14. Faciebat, inquit, vir sanctus quoniam propter excrescētes in pedibus clauos, ambulare non poterat, corpus emortuum per Ciuitates, & Castra circumuehi; vt ad Crucem Christi ferendam cæteros animaret. *Fratribusque quoque dicebat. Incipiamus fratres seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia; vt leprosis sicut à principio ministraret, corpusque iam pra labore collapsum reuocaret ad pristinam seruitutem, etc.*

Factus vir Christo interius, exteriusque per similis flagrabat ad primam infantiam redire.

Eadem sitis in Frāc. post stigmata, quæ fuit in Christo cruci affixo.

Qui pædagogi in euāgelio.

Paulus scribit ad Corinth. 4. *Nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Vbi Lyranus Alii instruxerunt eos de quibusdam minoribus, propter quod vocat eos pædagogos, se autem patrem eorum, &c. Et ad Gal. 3. *Itaque lex Pedagogus noster fuit in Christo; vt ex fide iustificentur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pedagogo.* Idem Lyranus. *Itaque lex pædagogus, &c.* Idest disponens ad Christum, sicut Pędagogus disponit puerum ad virtutem, tempore futuro habendam. *At vbi venit, &c.*

Cur lex vetus pædagogus dicatur.

Idest sub obseruationibus legalibus, sicut puer adueniente ætate adulta, iam non est sub pedagogi disciplina, sed superioris doctrina, & eadem ratione adueniente Euangelio, cessant legalia. Hæc Lyranus.

Verum etsi à prioris Regulæ institutione omnis Euangelii medulla venerit in Francisco, cui Altissimus illam Regulam reuelauerat: Et quamuis etiam circa illius Euangelicam obseruantiam ipse ita profecerit, vt meruerit interius, exteriusque cunctam Crucifixi Dei patefacere Academiam ad docendum cum ipso Christo crucifixo totum Mundum, & vniuersam Ecclesiam renouandam, prout de facto per se, & per suos Minores vtrumque effecerat: nihilominus ad pristinam infantiam redire peroptabat, ad quam etiam vt ad ipsam suos fratres redirent, sollicitabat; ne vnquam in se, & in suis etiam post aduentum Legis cęlitus datæ ad Legis Euangelicæ reparationem cessaret pædagogus. *Incipiamus fratres seruire Domino, &c.* Talis est humilitatis, & amoris Dei natura, maximè vbi Religiosi non in statu, sed in schola perfectionis sunt. Sed hoc potissimum oportet de iure Franciscanis, vt ipsorum nomen intrinsecè demonstrat. *Minores* appellantur, vt veluti infantes semper loquantur lingua comminuta, & veluti alphabetum minutis literis congestum addiscerent intra quinque Ciuitates plagarum Christi, quarum formam exprimebat in suo corpore Franciscus. *Minuo* enim (aiunt Latini) idem est *ac minorem redeo*. Fiant ergo Fratres Minores cum Francisco; Minorum Institutore, ac Fratre Minore nomine, re, & exemplo in eius schola veri Minores, & quasi semper incipientes, & veluti infantes sub pædagogi ferula, vt literulis penè comminutis, & abecedariis cum Christo crucifixo loquantur lingua Chananęa vocibus blandiendo, ac literulis quasi balbutiendo. Sic namque semper in exordio positi *tenera adhuc & latens viri iusti eruditur infantia*. Et dum ita eruditur, auget mirum in modum in desiderio redeundi ad pristina, semper nouo quodam fomite vlterius procedenti iuxta naturam ad debitum illorum, qui profitentes vitam Apostolicam, in via, non autem in termino perfectionis sunt. Ipse Seneca scribit epist. 110. more ethnico. *Vnicuique nostrum pædagogum dari Deum non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ ex eorum numero, quos Ouidius ait de plebe Deos*. Sæpius etiam (inquit idem) est humani generis Pædagogus, quod notauit nouissimus Dictionarii Latini Auctor.

Mira Franc. infantia spiritualis post sacra stigm.

Lingua comminuta intra ciuitates plagarũ Christi Minoribus propria.

Hucusque ex felici Ioannis pueruli infantia sub bino Crucis Christi vexillo, sibi ab ipso ortu iam proprio alphabetum addiscente, eius quoque binam infantiam, quam debent vsque ad mortem inhiare cum ipso Minores, auspicati sumus. Remanet modo breui adducere in Academia, ac Bibliotheca Franciscana sub ducatu Bonauenturæ, in hac quoque bina infantia viri incliti, tum solutum, tum rithmicum suum alphabetum, ipsumque cruciforme tripliciter consignare. Quod & ipsemet Franciscus didicit in spirituali pædagogia, in qua & Princeps euasit in vniuersam Mundi infantiam edissendam, vt diximus.

Agenda in sequẽtibus

PVNCTVM I.

Tria Alphabeta, tribus signis Pōtificibus cōnsignata, & Bibliotheca Seraph. apponenda; sed ex vna infantia Francisci, sub duplicis Crucis insigne Alphabetum addiscentis binæ infantiæ Apostolicæ præmonstrata, in Ecclesiam Romanam, per stultitiæ Crucis doctrinam infantiliter instruendam, erigendamque.

PRopria sunt, ac præcipua tria hæc, quæ modo explicare statuo Alphabeta, Academiæ, ac Bibliothecæ Seraphicæ Franciscanorum. Concors pariter illorũ est deductio ab ipso christiano alphabeto, quod in sua infantia sub binæ Crucis præsagio addiscere incepit Franciscus, vocatus tunc Ioannes. Refert Bonauentura, vbi incipit agere post cap. 15. & vltimum legendæ suæ maioris de virtute Sacrorum Stigmatum hæc in specie. *Totum Viri Dei studium, tam publicum, quam priuatum circa Crucem Domini versabatur. Et vt Cruci signaculo, cordi eius à principio suæ conuersionis impresso, corpus consignaret exterius, in ipsa se Cruce recludens, habitum pœnitentiæ sumpsit, Crucis imaginem præferentem. Quatenus sicut mens eius intus Dominum Crucifixum induerat, sic & corpus eius indueret arma Crucis. Et in quo signo Deus potestates aereas debellarat, in eodem suus exercitus militaret, &c.* Hæc Bonauentura de infantia prima spirituali Francisci, ab eius conuersione sumente exor-

Totũ Franc. studiũ Crux Christi fuit.

exordia. Verum hæc ipsamet spiritalis infantia ab ipsa infantia naturali Viri sancti auspicata videtur. Nam vtraque consignatio cruciformis, cordis scilicet, & corporis in infantuio Ioanne reperitur. Illam cordis recepit ipse per Baptisma, quo Christianus factus est, nimirum per sanctificantem gratiam baptismalem, qua Cruce Chisti signatus ad sacram militiam sub venerando vexillo Sanctæ Crucis Christi ex tunc adscriptus fuit. Hæc interior consignatio per signum Crucis, quod recipit infans à Sacerdote exterius in fronte, significatur, estque cunctis christianis communis. Fuisse autem sub peculiari quadam prærogatiua infantulo nostro effectam, possumus colligere ex illa exteriori consignatione, qua cælestis ille Peregrinus osculo suo mirabili in humero eius dextro Crucis iconem reliquit. Sic peculiarissimæ in modo nascendi prærogatiuæ, hæc pariter prærogatiua (in qua præcipuus corporis character in Cruce illa cælesti, præcipuū quoque Crucis characterem cordis infantuli indicare voluit) præter communem modum respondit. Vbi deinde incepit Sanctam Abecedarii Crucem addiscere Ioannes, incepit quoque se disponere ad susceptionem habitus elementaris disciplinæ, quæ sub Crucis signatura habitum pęnitentialis Crucis, ab ipso in prima infantia spirituali sub Præceptore Christo assumendum, præfigurabat. Vt isthinc inciperet quoque Cruciformem Academiam suam, Bibliothecam suam instituere, ex qua, præter innumeros alios, exiens Bonauentura optimè instructus, ad eius decus, & ornamentum duo alphabeta componeret. Mihique motiua præstaret, ea triplici Cruce alphabetali enucleandi.

Primum Bibliocheca Seraphica Alphabetum Hebraico-Latinu-Cruciforme, in suis connexionibus, & verbis Christi, in Monte & in Cruce prolatis ter septiforme. Necnon & primo Bonauent. Alphabeto conforme.

Ad te

I. N. R. I.

Vade, Francisce. Et repara:

I
Beati Pauperes spiritu.
Pater ignosce illis.

Aleph.	Doctrina	A
Beth.	Domus	B
Gimel.	Plenitudo	C
Daleth.	Tabularum	D

Domine Leuaui. Psal. — Animam meam. xxiv.

II
Beati Mites, &c.
Amen dico tibi, hodie.

He.	Ita	E
Vau.	Et	F
Zain.	Hæ	G
Heth.	Vita	H

III
Beati qui lugent.
Mulier ecce filius tuus.

Teth.	Bonum	I
Iod.	Principium	K

IV
Beati qui esuriunt:
Heli, Heli Lamazabat.

Cap.	Manus	L
Lamed.	Disciplinæ, seu cordis	M

V
Beati Misericordes.
Sitio.

Mem.	Ex ipsis	N
Nun.	Sempiternum	O
Samech.	Adiutorium	P

VI
Beati mundo corde:
Consummatum est.

Hain.	Fons, oculus	Q
Phe.	oris	R
Zaddi.	Iustitia	S

Domum meam, quæ vt cernis — Tota destruitur.

VII
Beati Pacifici:
Pater in manus tuas.

Coph.	Vocatio	T
Res.	Capitis.	V
Schin.	Dentium	X
Thau.	Signa Z	Y

Signum
Vrbani Papæ III.

Aldha-

Alphabetorum literarum, linguarumquè varietas.

ALphabeta, suis literulis, aut notulis, charactribusque digesta haud apud omnes eadem: quemadmodum neque eædem voces, neque idiomata, vt ait Aristoteles. Perperam asseruere nonnulli tot genera esse per totum Orbem literarum alphabeticarum, quot pariter & linguarum. Videmus namque quamplures nationes, linguis diuersæ, vno, eodemque vti charactere. Itali, Hispani, Angli. Galli latinas literas in vsum habent. Vnde credendum tria esse veluti primordialia literarum genera, iuxta tria principaliora idiomata. Scilicet Hebraicum. Græcum. Latinum. Literæ deinde alphabetales, secundum quod magis, vel minus ad hasce linguas approximantur; ita quoq; magis vel minus illis conformes sunt. Sic sub lingua Hebraica comprehendi vidētur Literæ Armeniacæ, Chaldaicæ, Syriacæ, & aliæ nonnullæ, propter nescio quam conformitatem, quam inter se habere demonstrant. Et certè scimus eosdē characteres, quos Cadmus ex Frigia transtulit Græciæ, illos eosdem esse apud Misiam, Macedoniam, multasque alias Prouincias, omnes idiomate differentes, ac varias. Gothi, Vandali, Hunni retinent literas quemadmodum & Germani, Poloni, aliæque nationes parum nostris dissimiles; forsan ex eo, quia horum populorum locutiones magis Latino idiomati accedunt, quam alicui alio. Et hæc est ratio, quare inter septuagintaduas linguas, è Turris Babilonicæ constructione, linguarum confusione exorta, natas semper principem locum retinuerint: Maiorque pars librorum in toto Orbe in ipsis linguis sit composita, atque ordinata.

Subalphabeto hebraico quæ literæ veniunt.

Quæ sub alphabeto græco.

Fuerunt quoque multi alii libri literis Arabicis consignati, quibus Philosophię, Medicinæ, atque Astrologiæ maior pars edita est. Et ea potissimum tempestate, qua ex Italia, & Europa exulantes cum gente Gothica bonæ artes, has deinde Arabes, necnon & Mauritani, populi barbari recuperauere, ac reassumpsere. Similiter exiere alia scripta, Armenica, Siriaca, Ægyptiana, Frigia, Francica, Hispanica. Quæ verò tamen satis parua visa sunt respectu eorum, quæ hebraicè, græcè, latinè edita fuere. Adde, quod in tribus his nationibus, scilicet hebraica, græca, latina Mundi Monarchia semper amplius floruit, viguitque. Vide Mutium Pansam in sua de Bibliotheca Vaticana historia italicè composita discurs. 3. p. 1. fol. 10.

Quæq; sub Latino.

In tribus nationibus Mūdi Monarchia magis floruit.

Princeps ergo ex tribus primis, atque radicalibus alphabetis, hebraicum est, hocque quadruplex. Alterum omnium antiquius illud faciunt, quod ab Angelo in terrestri Paradiso didicit Protoplastes. Alterum, quod Abraham, transiens flumen Euphratem, à Deo accepit. Tertium, quod Deum Moysem, legis tabulas ei tradentem, docuisse fertur. Quartum demum faciunt, quod postremò inuenisse Esdram, publicum populi Hebræi Scribā asserunt; quodque Iudæi omnes hodie in vsum habent, vt supra dictum est, & infra quoque dicendum. Vide Theodosium, Ambrosium, Augustinum, Panteum citātem in sua de lingua Siriaca, atque Chaldaica institutione apud eundem Pansam p. 4. fol. 316. Quamobrem aut mirum, si tanta charactetum, seu literarum diuersitas in lingua Hebraica reperiatur. Reliqua duo alphabeta radicalia, scilicet Græcum, Latinumque cunctis sunt nota.

Alphabetū hebraicum quadruplex

Alphabetorum, & linguarum varietas. Titulus Crucis Christi, in quo Lingua Latina precedit Hebraicam, Græcamque.

POrrò omnis omnium Alphabetorum moles, expressa picturis eximiis, illorum authores, atque inuentores patefacientibus, in hac Bibliotheca Vaticana, veluti in quodā haud solius Vrbis Romæ verum & totius Orbis, cuius Vrbs caput est, & Regina, Theatro, inspicitur, & admiratur. Post eius restaurationem, & magnificentiam per duos Romanos Pontifices, Zachariam huius nominis primū, authore Platina, & Nicolaum V. duo, magni ingenii, magnæ doctrinæ, animi, & regiminis Minores, Xistus IV. Ligur, & Xistus V. Picænus eam summè magnificarunt, celebremque & aliam fermè pulchritudine, & splendore reddiderunt. De primo ad eius Epitaphium.

Omnia penè Mundi cuiusuis generis alphabeta in Bibliotheca Vaticana.

Templa, domum expositis, vicos, fora, mœnia, Pontes
Virgineam Triuij quod repararis Aquam.
Prisca licet Nautis statuis dare commoda Portus,
Et Vaticanum cingere XISTE iugum.

Pius

Plus tamen Vrbs debet. Nam quæ squallore latebat
Cernitur in celebri BIBLIOTHECA loco.

Sixtus V. eam allo sito ad fecit picturisque exornauit.

Xistus verò V. palmam IV. penè subripiens, celebriori sito transtulit, fundauitque Bibliothecam, eamque ad supremum magnificentiæ, & decoris apicem euexit. Accipe eius inscript. ibi affixã. *Sixtus V. Pontifex Maximus Bibliothecam ædificauit. Porticus coniunxit anno Dom.* 1588. *Pontificatus sui Anno tertio.* Hic etiam Pontifex ingentem illam structuram exterius, interiusque appingi fecit, atque imaginibus permultis, ac perillustribus ad librorum exercitium superbè exornari. Interiores picturæ eius gesta celebriora illinc exprimunt; istinc verò per suas columnas miro ordine, atque artificio distributas tria perbelle repræsentant, scilicet Concilia œcumenica, celebriores Bibliothecas, clarosque in literarum alphabetalium diuersi generis inuentionem viros, cum quorum nonnullis & ipsa alphabeta sunt appicta tali ordine, vt priora spectent linguæ Hebraicæ, posteriora linguæ Græcanicæ, sequentia linguæ Latinæ, postrema aliis linguis. Circa hoc tertium pro re nostra series literarum alphabetalium inuentorum ita se habet, seruans, vt puto, rationem temporum.

1 *Adam* diuinitus edoctus. primus scientiarum, ac literarum inuentor.

Literarũ hebraicarũ inuentores.

2 *Filii Seth* columnis duabus rerum cælestium disciplinam inscribunt.

3 *Abraham* Siras, & Chaldaicas literas inuenit.

4 *Moyses* antiquas Hebraicas literas inuenit.

5 *Esdras* nouas Hebræorum literas inuenit. Hæ hodie sunt in vsu, vt diximus ex Bellerm. tom. 1. lib. 2. cap. 1.

Literarum Ægiptiacarum.

6 *Mercurius* Thoyt Ægyptius sacras literas conscripsit.

7 *Hercules* Ægyptius Phrygias literas conscripsit.

8 *Mennon*, Pharoneo æqualis literas in Ægypto inuenit.

Literarum Phœniciorũ.

9 *Isis* Regina, Ægyptiarum literarum inuentrix.

10 *Phœnix* literas Phœnicibus tradidit.

Literarum Græcanicarum.

11 *Cadmus*, Phœnicis frater, literas sexdecim in Græciam intulit, *Alpha. Vita. Gamma. Delta. Epsilon. Iota. Kappa. Lamda. My. Ny. Omicron. Pi. Ro. Sigma. Taf. Ypsilon.* Quæ sunt apud Latinos. A. B. G. D. E. I. C. L. M. N. O. paruum, P. R. S. T. Y. Illis sexdecim Græcis quatuor postmodum addidit Palamedes, totidemque Simonides Melicus, de quibus paulò infra, vt omnes essent 24. quibus hodie vtuntur Græci, appositis *Zita. Ita. Thita. Xi. Phi. Chi. Psi. Omga.* Quæ sunt apud Latinos, Z. I longum, Th. X. Ph. Ch. Ps. O. magnum. Aristoteles apud Plinium testatur, antiquas Græcorum literas fuisse 18. Et quod duas alias ipsis addiderit Epicharmus potius, quam Palamedes. Sequuntur aliæ inscriptiones Vaticanæ.

12 *Linus Thebanus* Græcarum literarum inuentor.

13 *Cecrops Diphies* primus Atheniensium Rex, Græcarum literarum author; Huic picturæ inscriptum est totum alphabetum Græcum integrum.

Literam Y. inuenit Pitagoras.

14 *Pythagoras* Y. literam ad humanæ vitæ exemplum inuenit.

15 *Epicharmus Siculus* duas Græcas addidit literas.

16 *Simonides Melicus* quatuor Græcarum literarum inuentor. nimirum Xi. Ita. Psi. Omega.

17 *Palamedes* bello Troiano literas quatuor adiecit, Zita. Thita. Phi. Chi.

Literarum latinarũ inuentrix.

18 *Nicostrata* Carmenta latinarum literarum inuentrix. Literæ ab ea repertæ hæ fuerunt. A. B. C. D. E. G. I. L. M. N. O. P. R. S. T. V. Quibus Euander eius filius, Archadumque Rex sex alias addidit. H. K. Q. X. Y. Z. Vnde in eius sequenti inscriptione.

Aborigenarum literarũ doctor.

19 *Euander*, Carmentæ filius Aborigenes literas docuit.

Literarũ hetruscarum author.

20 *Demeratus* Corinthus Hetruscarũ literarum author. Hic extat alphabetum Hetruscum ex corruptione hebraicæ linguæ, quam, vt aiunt, primũ Noe Patriarcha anno 100. post diluuium attulit, cõpactum.

21 *Claudius Imperator* tres nouas literas adiauenit, F. reliquæ duæ vsu obliteratæ sunt.

In vltimis columnis Vaticanæ Bibliothecæ, nempe septima, & octaua, hæ postremæ inscriptiones adleguntur. In priori columna.

Literarum Armenicarum.

22 *S. Ioannes* Chrisostomus literarũ Armenicarum inuentor.

Literarũ Illiricarum.

23 *S. Hieronymus* literarum Illyricarum inuentor.

24 *Vlphias* Episcopus Gothorum literas adinuenit.

In posteriori columna.

Alphabetũ Arabicum.

IESVS CHRISTVS *Summus Magister cælestis Doctrinæ Author.* Hactenus de literis, & Alphabetis diuersi generis ex Pansa citato. Qui ad finem huius postre-

mæ

mæ inscriptionis addit *Alphabetum Arabicum*, suis præcipuis characteribus consignatum. Verum quis eorum fuerit inuentor, nondum ipse reperiisse testatur. Literę alphabetales quantum ad figuram, & granditudinem, distinguuntur in maiusculas, & minusculas. Maiusculis notis eas tradidisse suos authores certum est, incertum verò vtrum iidem characteres minusculas adinuenerint. Quando ergo inceperint notulæ minusculæ, quæ figura videntur dissimiles, ipse nondum legi. Scio tamen recensiores nonnullos testari, literas minusculas tempore Ciceronis extare, at per consequens longe ante incepisse.

De author. liter. minusculárũ incertũ est.

Tanta Alphabetorum varietas decorant hodie hanc in Vrbe Bibliothecam Vaticanam, nec paucam gloriam magni Sixti V. nomini, ac memoriæ inserit. Alphabetum verò pro Bibliothecæ Seraphicæ apparatu, ac decoramento vnum erit vt figura, duo autem vt figurata, & hæc duo ter cruciformia erunt. Dum enim ex vna parte infantulus Ioannes noster sub duplici binæ Crucis auspicio legit alphabetum suum Latinum hilariter, & attentè, magnam præbens pædagogo suo, ac parentibus expectationem, prænunciat simul quidquid futurum sit circa binam infantiam suam spirituale ad totius Christiani Orbis infantiæ per nouam Academiam, ac Bibliothecam à se erigendam documentum, & instructionem, in baiulandam, & sequendam cum ipso, nouo, ac iugi studio Christi Crucem. Hinc Bonau. exiens vt Doctor Seraphicus à Seraphica Academia, ac Bibliotheca Francisci, summi doctrinæ Seraphicæ Magistri, semperque in suo magistratu veluti infantuli alphabetalibus elementis instruendi, voluit duobus alphabetis omnem Fratrum Minorum, imò & Religiosorum, & Christianorum edocere infantiam, illa magnæ Academiæ aperiens, ac Seraphicæ Francisci Bibliothecæ apponens. Primum alphabetum soluta oratione ab eo digestũ est sub hac intitulatione. *Alphabetum Religiosorum*. Secundum versiculis rithmicis numero 24. conflatum, præfert hanc in specie inscriptionem. *Alphabetum Religiosorum incipientium*. Vtroque viri religiosi infantiam alphabeticè instruens, incipit cum litera A. ab amore, ibi per negationem, hic verò per affirmationem, vt patebit infra. Nam sicut naturaliter prima litera, quam exprimit egressus ab vtero flens & plorans infantulus, est A. vt supra explicatum est cum Lirano in ortu Francisci (vnde ad imitationem naturæ in cunctis cuiusuis nationis alphabetis princeps litera semper est A.) ita quoque amare connaturale & homini, adeout in hac vita necesse est, vt aliquid amet, siue sit æternum, siue temporaneum.

Promptitudo Franc. in addiscendo alphabeto.

Cur cuncta alphabeta habeant A. primam literam.

Discens verò infantulus noster Ioannes alphabetum suum sub binæ Crucis auspicio, & præmonstrans quoque de longe binum Bonauenturæ alphabetum, suæ Bibliothecæ Seraphicæ inscribendum, haud inconcinnè factum quis existimabit, si vtrumque ipse triplici Cruce figurare statuerim. Et in qualibet Cruce addere lateraliter illa verba, quæ de Cruce mandans, & præcipiens Ecclesiæ suæ reparationem, dixit Christus Francisco intra domum S. Damiani, iam desertam, ac semidirutam, & ipse Franciscus iam spiritualiter infantulus, *Vade Francisce, & repara*. Nam, vt refert Bonauentura c. 2. ter Christus, Cruci ligneæ picturatæ affixus repetens semper eadem verba, allocutus est Franciscum adhuc in Christi pędagogia puerulum.

Cur author duo Bonau. alphabeta ter crucifor mia ediderit.

Finis cathalogi Alphabetorum Bibliothecæ Vaticanæ habet illam inscriptionẽ cum prædictis characteribus. *Iesus Christus, summus Magister cælestis doctrinæ author*. Et quidem coniunctio, & connexio illa satis digna, & multa cum ratione infantiæ Hebraicæ, Ægyptianæ, Frigiæ, Phœnicicæ, Græcanicæ, Latinæ, Aborigenæ, siue vt legit Ambrosius, indigenæ, Hetruscæ, Armenicæ, Illyricæ, Gothicæ, necessaria, quatenus vt auspicata ad salutem animæ suum quæuis natio exordiatur alphabetum, ducatu Iesu Christi summi Magistri, ac cælestis doctrinæ in virtutis Crucis suæ authoris indiget. Videtur istud arcanum explicare Interpres noster in serm. Dom. 2. post Trinit. super illud 1. Reg. 30. *Puer Aegyptius seruus viri Amalecbitæ contemptus à Domino suo, & dimissus, ægrotare cæpit, quem Dauid inuenit, & pauit, & ducem itineris sui fecit*. Puer Ægyptius, inquit, est amator sæculi huius, opertus nigredine peccatorum, qui quia in Mundo currente in mũdanis operibus currere non potest, à Mundo despectus, & infirmus relinquitur. Quem Christus inuenit, *quia quos Mundus despectos deserit, ipse in amorem suum conuertit, & cibo verbi diuini pascit, & ducem itineris sui facit; quia quandoque quod vtile est peccatori assumit. &c.*

Finis alphabetorum Vaticanorum continet misterium.

Hæc miserrima, despecta, atque infirma pueritia ibi magis à Mundo derelinquitur, eiciturque, vbi magis Mundus dominatur, magisque despectus frequentes sunt, & amari in illa pædagogia, in qua more aulico, aulicum istud didicit theoricè, ac practicè sub scutica, & alapis alpha-

Quæ mũdana pueritia à mũdo despecta, à Christo colligatur.

alphabetum: cantauitque persæpè cum Iacobo Reinerio excellentissimo Musico, & simul aulico.

Alphabetũ aulicum.

1 *Aula eadem est omninò fides, qua mobilis aura.*
2 *Blanditur, sed post mordet ceu Scorpius Aula.*
3 *Consilij raro melioribus vtitur Aula.*
4 *Dissimulat regnare diu, qui poscit in Aula.*
5 *Exulat integritas, pietas, & candor ab Aula.*
6 *Ferre moram, atque iram frœnare docentur in Aula.*
7 *Grande sophos ridère bonos censetur in Aula.*
8 *Horrent vera loqui, cupiunt qui crescere in Aula.*
9 *Inuidiam qui ferre nequit, discedat ab Aula.*
10 *Kirie qui senuere canent Eleison in Aula.*
11 *Languent virtutes, scelus omne at regnat in Aula.*
12 *Muneribus mentes hominum capiuntur in Aula.*
13 *Nugas Aula leues, & fumus vendit inanes.*

Quæ nimis carè vendantur in aula.

14 *Otia quisque honesta cupit, procul exeat Aula.*
15 *Porta Erebi in terris Aula, & tua, Tantale pena est.*
16 *Quæstus adulari, & mentiri est primus in Aula.*
17 *Rara auis in toto verè pius Aulicus Orbe est.*
18 *Sinceris, & simplicibus væ semper in Aula.*
19 *Turpe senex, & inops quandò incolit aulicus Aulam.*
20 *Vitæ difficilis methodus benè dicitur Aula.*
21 *Xantae retroibis, erit quando constantia in Aula.*
22 *Ydra Aula est, capitum multorum horrenda venenis.*
23 *Zenones fatui sunt, atque Thrasones in Aula.*

Habes, Lector, Alphabetum istud totum mundanum, quia totum aulicum, quod & ipse per annos fermè nouem expertus sum, apud commentaristam Alciati super Embl. 87. cui titulus *in Aulicos*. Sub huiusmodi alphabeto durè edocti quamplurimi, ceu infantes miserrimi, & pueri contemptibiles, ac fatui à Mundo derelinquuntur. Verum vbi haud pauci inueniuntur à Christo, statim quasi modo geniti infantes, ex quorum ore magis ac magis eius laus perficitur, introducuntur in eius pædagogia, vt discant suum Christianum alphabetum, disponentes se, vt efficiantur sicut paruuli, incipiendo à litera A. quæ iuxta regulam veterum Romanorum in Christi schola amorem Dei, & proximi, vnde tota lex pendet, & Prophetæ, denotat. *Quos Mundus despectos deserit, Christus inuenit, & ipse in amorem suum conuertit. Et cibo verbi diuini pascit. Et ducem itineris sui facit.* Sicut fuit cum Apostolis, à Mundo despectis, ac vilipensis, per quos cunctis nationibus peruenit Christus, ipsarumque docuit elementis fidei christianam infantiam; proponens in christiano alphabeto amorem sui, & proximi, vt ipsa fides præcipit. Et omnem Principem, aulicorumq; prosternit tyrannidem, & stultam Mundi infantiam, ac pueritiam infantili stultitia Crucis confudit, delusitque.

Quos expulit aula, Christus inuenit, & colligit.

A litera A. eos incipit alphabetaliter docere.

Titulum Crucis Christi, quem scripsit, & affixi iussit Pilatus super caput eius, & ipse posui in qualibet Cruce alphabetali, literis tantum Latinis haud per extẽsum, sed per suas notas capitales, more Romanorom. Placuit potius eo vti veluti Christi capiti proximiori, atque immediato. Vnde ex hac potissimum ratione excellentiam, & magnificentiam linguæ Latinæ super Hebraicas, Græcasque commendant scriptores, docetque Baronius tom. 1. Annal. ad ann. 16. & 78. Ordo literarum in eo titulo non est idem apud Euangelistas: Lucas enim cap. 23. ait: *Erat autem & superscriptio scripta super eũ literis Græcis, Latinis, & Hebraicis. Hic est Rex Iudaeorum*, Ioannes verò cap. 19. *Scripsit autem Titulus Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudeorum. Et erat scriptũ Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Super hanc diuersitatem iuxta glossomata sacrorum Interpretum in similibus, ait Baronius ad annum citatum 16. quod etsi diuersi inter se reperiantur Euangelistæ, non ordinem tamen ipsi secuti sunt; sed tantum quod factum fuit, insinuarunt. Deinde demonstrat Latinam inscriptionem primo loco positam esse, incipiendo à parte digniori, quæ capiti Christi Regi proximior erat, ac proinde ordinem, quem ponit Ioannes esse sequendum. Ita ad annum præfatum 78. quod patet in praxi, quod ipsum Titulum Crucis in Basilica S. Crucis in Ierusalem, in quo inscriptio Latina ad Christi caput immediata ita signata est, *Hyesus Nazarenus Rex Iudaorum.* Rationes præeminentiæ, & maiestatis linguæ Latinæ super Hebraicam, & Græcam, quas affert historicè idem Baronius locis citatis, haud rationi temporum, & naturæ inter linguas, & linguas, scilicet

Ordo tituli Crucis Christi non est idem apud Euangelistas.

ordini tamẽ Ioannis standum est.

scilicet Hebraicam, & Latinam, & Græcã referendæ, sed mutationi rerum.

Lingua hebraica cum suis apicib. ante cõfusionem sola fuit per totũ orbem.

Lingua Hebraica, simul cum eius apicibus coæua cum ipso Adamo vna fuit per totum Orbem, vndique, & vbiq; vel maiori ex parte habitatum, vt lib. 15. sup. cap. Gen. 10. & 31. probat Pererius, iuxta illud *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; postea vndique, & vbique à diluuio erutum. Durauitque in illa prima ætate eadem lingua sola in toto Orbe annis 1657. Pererium alii recensiores sequuntur contra Genebrardum, & alios, asserentes tunc ante diluuium gentes Asiæ mediterraneæ fines minimè transiisse. Ex eadem postea lingua, communissima quoque vsque ad Turris Babel constructionẽ, quatenus tunc ibi cõfusa ortę supernaturaliter sunt aliæ linguæ matrices (quæ an fuerint 70. an 72. iuxta capita familiarum, ex quibus deinde multæ aliæ linguæ subortæ sunt, adeout nulla lingua ex radicalibus, seu matricibus sua caruerit prole, ex mixtione, & corruptione cum aliis linguis exorta) vide Historicos apud Genebrardum. Literæ Hebraicæ in confusione linguæ & ipsæ pariter confusæ fuerunt, vt declarat Cornelius à Lapide ex Glossa ordinaria super Genes. Elementa, ait, primæuæ linguæ, puta literæ apud omnes gentes, & linguas eædẽ manserunt. Sed aliter & aliter combinatæ, & traiectæ, quod est confundere, & commiscere. Sic & sillabę multæ, quin & dictiones eædem.

Linguæ matrices principaliores vno tẽpore exortæ

Linguæ matrices, & radicales in regionibus suis *vnusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis*, vt habetur Gen. cap. 10. ortæ ex Hebraicę linguæ confusione eodem tempore fuerunt, in constructione scilicet Turris Babel, de qua Genes. cap. 11. Genebrardus in nonnullarum enumeratione cum suis subalternis, ab eis progenitis, post Hebraicam ponit immediatè Latinam linguam, ita scribens,

1 *Hebraica* matrix, & genitrix Syriacæ. Chaldaicæ. Arabicæ, & in quibusdam Punicæ, ait Tostatus.

2 *Latina*, Italicæ. Valachicæ. Gallicæ. Hispanicæ.

3 *Græca*, Doricæ. Ionicæ. Æolicæ. Atticæ.

4 *Sclauonica*, Polonicæ. Bohemicæ. Moscouiticæ.

5 *Germanica*, Helueticę. Saxonicę. Anglicæ. Scoticæ.

6 *Tartarica*, Turcicæ. Sarcamanicæ.

7 *Abyssina*, Æthiopicæ. Sabeæ, &c.

Omnes linguæ ex vna confusa miraculosè progenitæ acceperunt deinde nomen à regionibus, quas familiæ, & gentes, per Orbem dispersæ incolere inceperunt. Sicut lingua Hebraica quando communis erat omnibus hominibus, non habebat certum nomen. A tempore Heber Patriarcha incipientes aliæ linguæ, illa communis, quæ nullum habebat nomen, ad distinctionem aliarũ dicta est hebręa; quia mansit in domo Heber, vnde Hebræi dicti sunt. Antea enim dicebantur Populus Dei, ad differentiam Gentilium illis annis 1657. ante diluuium, & post diluuium vsque ad Heber, trinepotem Noe, natum anno 97. post ipsum diluuium, qui erat ann. Mundi 1754. Deinde ab ipso Heber, in quo remansit lingua antiqua in confusione linguarum, Dei populus dictus est Hebræus, & lingua dicta est Hebraica, soli populo Dei communis facta vsque ad captiuitatem, de anno Mundi 3377. post legem scriptam an. 1154. Iudæi quoque dicti sunt Hebræi, & Iudæa eorum lingua à Iuda filio Iacob, à quo & Regnũ Iuda.

Linguæ omnes acceperunt nomen à regionib. suis.

Characteres, & apices alphabetales aliarum linguarum, puta Latinæ, & Græcæ, etsi è literis hebraicis deriuari probetur, non simul tamen in linguarum exordio, sed postea reperti sunt, & penè circa eadem tempora. Nicostrata, Carmenta cognominata à carminibus, quibus dabat responsa, erat enim fatidica Mulier, fuit literarum latinarum inuentrix, & mater Euandri Regis, à quo relicta Arcadia ob parricidium grauissimum, consedenteque in Latium, ibique oppidum Pallantæum super Palatinum Montem construente, Vrbs Roma prima fundamẽta cognoscit, imò & nomen, vt placet illi sententiæ ex innumeris aliis, & omnibus variis, quæ multis ante Romulum sæculis Romam conditam asserit, primũque Valentiam appellatam. Romam autem dici cæpisse post Euandri, & Aeneæ aduentum; qui Latina voce in Græcam eiusdem significationis translata *Romam* appellarunt. Hinc Carmentalis porta, quæ postea scelerata dicta est; quod per eam sex & trecenti Fabii cum clientum quinque millibus egressi aduersus Etruschos, ad amnem Cremeram omnes interfecti sint. Ouid. 2. Fastor.

Circa eadẽ tẽpora penè repertæ litt. græcæ, & latinæ.

Quo tẽpore Roma condita est.

Sæcula, Romulum, quem communiter Romæ conditorem faciunt, præcedentia, tria supra annos 83. enumerari possẽt iuxta Chronol. Bellar. par. 1. Regnum enim Æneæ in Latium ponit Bellarm. sub Iudices Hebræorum, in annis Heli, in quibus includuntur anni Sampsonis, & sub Monarchas Assiriorum, regnante Eupales, ad annum Mundi 2850. Deinde Romam

conditam esse anno 12. Achaz Regis Iuda, Mundi verò 3233. ipsemet Bellarm. refert. Igitur characteres latinæ linguæ à Carmenta muliere Arcada prædicta, Regi Euandri matre paulò ante Aneã traditi sunt Latinis, quò cum filio suo imprudente occisore patris se transtulit.

Græcia autem accepit primas literas à Cadmo, Phœnicis fratre, Agenorisque Phœnicum Regis filio. Aiunt quoque, authore Suida, Cadmum historiam inuenisse, & primum prosaicam orationem instituisse; fuisseque paulò iuniorem Orpheo. Sapientes gentium fert Bellarmin. cit. Orpheus, & Linus temporibus Iudicũ dicuntur floruisse. Primi Iudices Hebræorum, cuius antesignanus Iacob Patriarcha, ad annum Mundi, teste eodem Bellarm. ibidem, 2138. vltimus verò in serie illa decem & septem Iudicum Samuel, qui Heli prædicto, regnante Aenea in Latio, successit. Quamobrem etsi nesciamus tempus præcipuum annorum Mundi circa originem literarum Latinarum, Græcarumq; id tamen pro comperto habemus, vtraque sub Iudices Hebræorum incępisse. Suadet haud parum hanc literarum Latinarum, Græcarumque quasi contemporaneitatem Plinius, qui lib. 7. cap. 58. refert, *Veteres literas Græcas fuisse easdem pene, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delfica Tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio dono Principum Mineruæ, dicata in Bibliotheca*. Tacitus lib. 11. Annal. dicens. *Formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum, &c.* Igitur vetustas literarum Latinarum, Græcarumq; par fermè, quemadmodum & similitudo literæ Latinæ Romanæ erant maiusculæ, & propterea Romanæ nuncupatæ. Habuisse tamen & minusculas, patet ex Scaligero cap. 19. indicum, & inscriptionum, & ex aliis, quos adducit Curtius Hinghirami trac. 4. op. 74

Græcia accepit literas à Cadmo.

Litt. græcæ latinæ contemporaneę

Itaque pluribus de causis, tum ex natura sua, tum aliunde longè excellit Latinas, & Græcas linguas, lingua Hebraica, sancta, ac diuina iuremeritò cognominata, licet post captiuitatem populi corrupta, & ex hebraica, & Chaldaica, Siriaca effecta, cessasset vulgaris esse, & communis omni populo, sicut antea erat, & quæ à principio suo ab Adamo sortita est characteres. Lingua Hebraica in veteri Testamento locutus est Deus Patriarchis, & Prophetis, & populo suo: & hi quoque lingua Hebraica locuti. Lingua, & literis hebraicis antiquioribus, quas à Deo accepit Adam, & vsque ad Esdram, alphabetum antiquum mutantem durauerant, tradita est Lex, Decalogum, oracula, misteria. Et in nouo Testamento eadem lingua, & non alia vsus est Christus, vt dictum est supra; & ipse Christus digito suo scribens in terra (vt habetur in historia de muliere adultera) nonnisi characteres hebraicos efformauit. Exordia sua accepit in Christo sub hebraica lingua Christiana Ecclesia, qua etiam lingua declarata fuit humani generis redemptio. Quæ sicut fuit Ecclesiæ principium, ita erit & finis, & qua principaliter loquentur Sãcti in Cælo. Vide Gen. ibid.

Linguæ hebraicæ purę encomia.

Christus nõ nisi hebraica lingua locutus est.

Demum hebraicæ linguæ apices, seu literæ siue antiquioris alphabeti, siue alphabeti Esdræ, significatiuæ sunt, linguæ propriæ fœcunditatem, profunditatem, vimque misterialem, licet in Siriaca lingua valde diminutè, & ipsæ seruantes. Literæ autem Latinæ, quemadmodũ & Gręcanicæ nihil significant ex se, sed eo modo, quem dicemus inferius. Circa linguam, & literas noui Testamenti scripsisse Apostolos Hebraicè, aut Græcè, aut Latinè, habes apud Bellarm. cit. pluribus in locis, præcipuè cap. 15. lib. 2.

Quare ex mutatione rerum, maximè per imperium Græcorum, Romanorumque creuit ad summum nunc græcæ ad maximum hebraicæ detrimẽtum linguæ, nunc latinæ ad græcæ subiectionem per omnem Christianam Ecclesiam dignitatẽ & maiestatem. Adeout hebraica lingua, è qua deinde per mixtionem cum lingua Chaldaica orta & Siriaca, in captiuitate incepta. Bellar. cap. 4. ex domina effecta cum gente sua sit serua, ac subiecta, & à Græcis primò, & postea à Romanis in nullo pretio habita, immò in plurimis prohibita, ac spreta quoq; cũ ipsa lingua Græca, vt patet ex Baronio cit. ad annum 16. Et lingua Græca esse penè cunctis communissima cessauit, vt infra patebit. Multo plus aucta est linguę Latinę maiestas in nouo Testamento, vbi duo præcipua ipse animaduerto; vnum est illud Patri familias Matthæi cap. 20. ad operarios vineæ suæ; *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi*. Vbi Glossa Ordinar. Iudæi de capite vertentur in caudam, & gentes de cauda in capite. Vnde Moyses in Deut. 16. & 28. *Aduena, qui tecum moratur, ascendet super te. Ille erit in caput, & tu eris in caudam*. Lyranus, *Erunt nouissimi primi*. Quia Gentiles, qui à Iudæis erant quasi viles reputati, sunt conuersi deuotè ad fidem Christi. *Et primi nouissimi*. Quia Iudæis, qui fuerant populus peculiarissimus ipsius Dei, propter infidelitatem sunt ab eo derelicti. Et hoc est quod subdit. *Multi sunt vocati* ad fidem Christi per legem, & Prophetas. *Pauci verò electi*, quia pauci de Iudæis comparatione crediderunt

Vnde diminutio dignitatis linguarũ hebraicæ & græcæ.

Quomodo iudæi de capite cõuersi in caudam.

runt in Christũ. Et de credentibus multi reuersi sunt ab Ecclesia, & adhuc reuertuntur ad vomitum. Hæc Liranus.

Et lingua hebraica deprima in nouissimam.

Nouissima, ac deiecta Hebraica gens effecta idipsum contigere & eius linguæ fas erat ob veritatem Ecclesiæ Latinæ, & lingua latina prima fieri, ac princeps, maiestate, imperio, conformitate ad legem nouam, & sacramenta. Licet lingua hebraica semper venerationem debitam sortita sit apud vtramque Ecclesiam, Latinam, Græcamque. Nam libri sacri, & canonici fuerunt scripti lingua hebraica, & illa, qua Adam, & Eua, & Patriarchæ omnes locuti sunt, præter libros Esdræ, & Danielis Chaldea, & mixta ex Hebraica, & Chaldea, quæ tunc erat in vsu, & postea à regione Syriæ Syriaca, & à metropoli regionis Syriç Hierosolymitana deinde fuit nuncupata. A temporibus enim Esdræ desit, vt diximus, in populo Dei lingua Hebraica esse vulgaris in illis septuaginta ãnis captiuitatis inter Chaldeos in Babilone. Ibi namque populus linguæ propriæ oblitus, didicit Chaldaicam. Et deinceps Chaldaica, seu Syriaca vbi magis vigebat fuit illi materna, vt probat Bellarm. cit. cap. 15. ex cap. 8. lib. 2 Esdræ, & ex verbis Christi, & Euangelistarum; & ex vsuque Sinagogarum, in quibus Iudæi scripturas hebraicè legunt. Hinc idem Esdras inuenit nouas literas hebraicas, antiquas verò reliquit Samaritanis, nouas autem tradidit Iudæis, quibus etiam nunc vtuntur. Bellarm. supra allegatus ex cap. 1.

Lingua hebraica antiqua defecit in populo in captiuitate.

Hæc lingua Syriaca adeo tempore nouissima est respectu linguarum Latinæ, & Græcæ, quæ inceperunt in constructione Babel ann. circiter 300. & fortè minus post diluuium, Mundi verò 1791. quod post annos 1677. amplius inceperit. Nam captiuitas populi, quæ ann. 70. durauit ponitur à Bellarm. ann. Mundi 3377. Libri tamen sacri semper seruauerunt editionem hebraicam Moysis, & Prophetarum, quæ nunquam fuit corrupta (taceant quæso recensiores hæretici) ac proinde vt tales semper in magnam habiti venerationem ratione huiusmodi linguç antiquissimæ, atque adeo primæ omnium linguarum, vt testatur tum ipsius breuitas, & simplicitas, tum auctoritas doctissimorum hominum. Vide Bellarm. cap. 2. cit.

Esdra reliquit antiquas literas hebraicas

Secundum, quod aduertere promisi, sic proferam. Pontius Pilatus Præses ad partes Syriæ pro Romanis, qui tamen Romanus non erat, sed Galius Auinionẽsis, vir spurius fuit ex matre, vilissima genere, exercitio verò molitrice. Ipse filium legitimum parentis sui, viri nobilis occidit, scripsit titulum, consignauitque literis hebraicis, græcis, & latinis illis *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, & posuit super Crucem, ait Ioann. 18 Glossa ibi sic explicat. *Hæ tres linguæ præ cæteris eminebant. Hebræa propter Iudæos, in lege gloriantes. Græca propter Gentilium sapientiam. Latina propter Romanos imperantes. Ergo velint nolint Iudæi omne Regnum Mundi. omnis mundana sapientia, omnia diuinæ legis sacramenta testantur, quod Iesus est Imperator. credentium, & confitentium.*

Quis fuerit Pilatus.

Cur scripserit illis tribus linguis titulũ crucis.

Liranus. *Moris Romanorum erat scribere causam mortis crucifixorum super lignum Crucis, Iudæi autem contra voluntatem Pilati petierunt Christum crucifigi, vt patet ex prædictis. Et ideo per talem modum scripsit titulum, vt redundaret in verecundiam eorũ &c.* Et ita contigit; nam Pilatus scribens titulum causæ, vt aduertit Marcus cap. 17 haud scripsit vt ipsi Iudæi petierant, scilicet quod Christus se faciebat Regem Iudæorum, quod erat apertum mendacium, & ipse palam testatus fuerat nullam caussam mortis inuenisse ad morti Christum tradendum: Sed scripsit prout ipse debebat, tum ad ostendendam facti veritatẽ, tum ad confundendam Iudæorum inuidiam, ac pertinaciam, Christi mortem contra omnem iustitiam, & ipsammet Pilati voluntatẽ execrabili impietate nullo colore tergiuersanda, & à viro gẽtili etsi parum iusto damnata, inhiantem.

Talis titulus redundauit in Iudęorum verecũdiam.

Ordo autem, in quo posuit, scripsitq; tres illas linguas Pilatus, respondit mori Romanorum in causa præcedentiæ. Ita quod quantò plus remouit à Christo linguã, & characteres hebraicos, tantò plus nouissimam eã, illosq; declarauit, tum respectu linguç Grçcæ, tum etiam & Latinæ linguæ. Hancq; postremam ostendit vt supra cæteras digniorẽ, atque excellentiorem. Nam Latini, & Græci per vtramque Ecclesiam, & Imperiũ exaltare debebant potissimum nomen Iesu, & eius Crucis misterium aduersus Iudæos, ipsam linguã hebraicam antiquiorem, sanctiorem, ac veriorem mille artificiis turpiter per suos Rabinos Talmudisticos deprauaturos.

Pilatus seruauit morẽ Romanorũ in titulo crucis Christi in causa præcedentiæ.

Eo ordine scriptus Titulus, ait Baron. loco cit. ad ann. 73. *quem ponit Ioannes. Hebraicè, Græcè, Latinè, vt apparet in parte Tituli, quæ Romæ extat.* Hanc partem superius adnotaui. *Ita tamen, vt secundum ea, quæ dicta sunt ad ann. 16. Et quæ I.C. habet L. Decreta, ff. de re iud. In ipsius ordine nobilior locus, ac proinde prior ille sit vnus, qui Christo vicinior esset. Sicque Latina prior, nouissima vero Hebraica. Vt quæ Græca inferior, & barbara à Romanis haberetur posi-*

Quare lingua latina Christi capiti immediata præcedere debebat.

Probatur ex Baron. secũdum ordinẽ sedendi, procedendi, & recumbendi Roman.

ta esset inscriptio. Ad hæc statim addit rationem ita subdens. *Siquidem apud eos in theatro locus infimus Senatorum. Summus verò plebis, & in triumpho postremus Imperatoris. Sed in Triclinio nouissimus Consulis erat, sicque sedendo, procedendo, & recumbendo locus vltimus primus esset*. Vnde est illud Nicolai Papæ in Michaelem impiũ Imperatorem, furore quodam percitum, in latinam linguam insultantem. *Hæc*, inquit, *cum Hebræa, & Græca in titulo Domini à reliquis discreta insignem principatum tenens, omnibus nationibus prædicat Iesum Nazarenum Regem Iudæorum*. Lingua Græca ob Monarchiam Græcorũ abstulit linguæ hebraicæ omnem dignitatem iterum sub Ducibus post solutũ à captiuitate populum. Alexander Magnus fundauit Monarchiam illam, durauitque annis quinque. Scissa post eius mortem in quatuor Regna, scilicet Macedonicũ, Ægyptianum, Siriacum, Asianum eo magis dilatata est Græcorum lingua. Bellar. cit. cap. 15. contra editiones vulgares hæreticorum Sacræ Scripturæ in quarto argumento de necessitate linguæ communissimæ pro vnitate Ecclesiæ in publico scripturarum vsu, & Conciliorum Oecumenicorum celebratione. *Hæc est*, inquit, *ratio à priori, cur Apostoli omnia fere græcè scripserunt. Quia tunc lingua græca erat omnium communissima*, vt M. Tullius tẽstatur in oratione pro Archia Poeta. *Græca*, ait, *leguntur in omnibus ferè gentibus. Latina suis finibus exiguis sanè continetur*. Interiit Cicero eloquentiæ Pater, qui per omnium honorum gradus ad Cõsulatum ascendit anno Vrb. 690. Reipublicæ strenuusque defensor pro ea proscriptus, & occisus à Marco Antonio in Triumuiratu anno ætatis suæ 63. Vrbis 711. Mundi 3944. iuxta supputationem Bellarmini. Iulius Cæsar I Romanorum Imperator (viuẽte eodem Cicerone, quem Cæsar in gratiam suam receperat, quia in bello ciuili partes Pompeianas secutus erat) ad ann. Mundi 3937. post defectionem Regni Syriæ, quæ cõtigit in Philippo II. ann 3902. & paulò post defecerunt Reges Iudæorum, & Reges Ægyptiorum, illi in Agrippa iuniore anno 4055. annos post Christi mortem 39. Hi verò antea in Cleopatra ann. Mũdi 3932. ante natum Christum ann. 52.

Scissio Monarchiæ græcorum in quatuor regna mag. dilatauit græcã linguam in hebraicæ detrimentũ.

Lingua latina tempore Ciceronis nõ excedebat Latii fines.

Erat namq; græca lingua ferè vbique communis.

Vbi postea cæpit incrementum Monarchiæ Imperatorum Romanorum, quæ tempore Ciceronis in infantia erat, vt ob id adhuc præualeret, essetque communis lingua Græca, hæc quoque ita incæpit diminuere, ac dignitate circa communẽ vsum perdere, sicut per Monarchiam Græcam lingua Hebraica nouissima ex prima reddita est. Docet Bellarm. ibidem immediatè his verbis. Deinde autem conuersæ sunt scripturæ in linguam Latinam, quia paulò post crescente Imperio Romano, desiit Græca lingua esse communis in Occidente, & cæpit Latina esse communis saltem apud eruditos in tota Italia, Gallia, Hispania, Africa, aliisque regionibus. Desierat enim iamdudum linguæ latinæ vsus in Italia apud populum; nam Redeuicus, qui anno M.CLXX. florebat lib. 2. de reb. gestis. Feder. cap. 70. scribit, in electione Victoris Papæ his vocibus populus acclamasse, *Papa Vittore Santo Pietro l'elegge*, B. etiam Thomas, qui ante annos 100. floruit in commentar. cap. 14. 1. ad Corinth. testatur, suo tempore aliam fuisse in Italia linguam, qua populus vtebatur, & alia, qua scripturæ in Ecclesia legebantur. Hæc quoq; Bellar. loco cit. Gloriatur tamen latina lingua, & meritò in suamet desitione in communi, tum quia remanens apud eruditos in maiorem existimationem peruenit pluribus ex causis, nam cum esset communis, non erat æqualiter apud omnes cuiusuis status pronunciata, etenim meliori forma docti, & nobiles quam indocti, & rustici loquebantur. Tum quia ex huiusmodi etiam desitione per aliarũ linguarũ mixtionem ortæ tunc ex ea tres nobilissimæ linguæ, Itala, Hispana, Galla. Qualibet in suo genere florida, & excellens.

Paulò post crescente Imperio Rom. diminuta est in occidente.

Lingua latina iamdudũ cessauit cessauit esse communis in populo.

Fatemur nos cum August. lib. 2. Doctr. Christianæ cap. 11. ad intelligentiam scripturarum necessariam esse cognitionẽ tantum trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ. Quia illis linguis vniuersa Ecclesia vsa est in communi, & publico vsu scripturarum: cum tamen iamdudum desierint esse vulgares. Has quoque tres linguas veneramur in titulo Crucis Christi omnium scripturarum authoris, & finis, atque idcircò in huius rei prognosticum affixas. Veneramur & ipsas in suis editionibus omnibus, quæ adhuc in Ecclesia suam seruant authoritatem, & de quibus Bellar. cit. de editione Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Græca, & hæc varia est. At Latinam, quam viciniorem habere voluit Christus super ipsum Crucis Titulum, quem vt scriberet Pilatus ipse ordinauit, cunctis præstantiorem præcedentia, maiestate, & potentia profitemur. Habuerunt Hebræi (ait idem Bellarm. ibidẽ cap. 12. in 3. argum. contra hæreticos recensiores pro authoritate latinæ editionis vulgatæ) sua lingua authenticam scripturam, idest Testamentum vetus ex versione LXX. & Testamenti noui ipsos primos fontes. Igitur æquum fuit, vt Latina Eccle-

Ad scripturarũ intelligentiam tres linguæ necessariæ sũt.

Ecclesia, in qua sedes Petri est, & in qua perpetuò fides christiana mansura erat, haberet sua lingua authenticam scripturam. Non autem habuit aliã ferè à mille annis, quam istam, igitur, &c. Ista lingua illa pura latina est, cuius habitus incæpit supernaturaliter à Deo cum aliis in constructione Turris Babel. Caput autem illius familiæ, cui primo talis linguæ habitus cælitus traditus fuit, se transferens ad hanc postremam, egregiamque Europæ partem supra cæteras totius Orbis plagas amœniorem, incolensque Italicas oras, ex regione Latii eius, & familiæ suæ lingua Latina deinde nuncupata est, simulq; Italica, de qua Augustinus ipsam omnibus aliis latinis Sacræ Scripturæ editionibus anteponens, ita scribit, vt alias retulimus ad finem tract. 3. *In ipsis interpretationibus Itala cæteris præfertur. Nam est verborum tenacior cum perspicacitate sententiæ.* Vide eum lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 15. Et inde intellige, haud mirum esse, si latina lingua nostra cessans esse communis in Italia, & magis magisque frequens apud esteros, pluribus barbara sit effecta, dura, degener, arida, obscuraque.

Linguæ latinæ prærogatiuæ.

Præeminentia Ecclesiæ Latinæ ob Petri Christi Vicarii Sedem vniuersæ Reipublicæ magistram, tenentemque semper catholicæ fidei principatum, præfigurata extitit in nomine, & imperio Christi, literis latinis sibi vicinioribus explicatis: Vt penè sicut debebat Christi authoritas, & potentia in Cruce exaltata, in Ecclesia Latina vsque ad finem Mundi excellere, ita par erat, vt linguis Hebraica, ac Græca-Latina lingua præemineret, & in ipsa pariter, sicuti & in lingua Hebraica finiret Ecclesia Latina, in fine Mundi ab Hebræis amplexanda. Marcianus Imperator in Concilio generali Chalcedoniæ coram amplissimo Patrum Senatu conuentus cōcionaturus, *licet homo Græcus, & inter Græcos, & in ditione, ac regione Græcorum eamdem orationem latinè prius, postmodum græcè dixit. Vt ex ipsius Synod. act. constat.* Baronius vbi sup. ad ann. 78.

Præeminentia Ecclesiæ latinæ ex Petri sede

Summo mane die 14. Septemb. in die Exaltationis Sanctæ Crucis, anno 1224. crucifixus fuit à Christo in trabea carnis suæ cruce Franciscus. Adhuc, vel nondum, vel pauló post iuxta seriem Bonau. c. 13. semiuiuus totus, totusque alius, & penè in proprio sanguine calescens super Aluernæ Montem, eloquens Episcopi sui, & Interpretis nostri Lingua concionabatur ad fratres prædicto anno 1224. qui erat annus quartus eius transitus ad Minores. Titulum Crucis Christi I.N.R.I. fuit illius mirandi Præconis Franciscani thema. Cōcionis illius regio Prouincia Arelatæ in Gallia. Locus verò Comitia, quæ ibi celebrabant fratres. Quanti autem meriti fuerit tunc Concionator, quanti concionis fructus, quātique auspicii, iubiliq; Frācisco, in cruce vel exaltato, vel quamcitius exaltando, & clauando, voluit Deus patefacere digno miraculo. Refert Historiam D. Antoninus part. 3. tit. 24. cap. 2. §. 3. ex D. Bonau. apud quem cum enarratio integra sit, placet ex ipso hic eã rescribere prout extat cap. 4 Legendæ.

Quando stigmatizatus Franc.

Anno 1124. stigmatiz Franc prædicat Anton. super titulū Crucis I.N.R.I in Gallia.

Dum egregius Prædicator, qui & nunc Christi præclarus Confessor Antonius de Titulo Crucis Iesus Nazarenus Rex Iudæorum in Arelatensi Capitulo fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis, *Monaldus* nomine, ad ostium Capituli diuina commonitione respiciens, *vidit corporeis oculis B. Franciscum, in aere subleuatum, extensis velut in cruce manibus benedicentem fratres*. Tanta verò, & tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, vt de vera Sancti Patris præsentia certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet. Licet postmodum id non solum per euidentia signa, verum etiam per eiusdem Sancti Patris verba exteriori fuerit attestatione compertum. *Credendum sanè, quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium sacrum Antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, vt pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam seruum suum Franciscum prædicationi præsentauit veracis sui preconis Antonij, vt approbaret veritatis eloquia, præcipuè Crucis Christi, cuius erat baiulus, & minister.* Hæc ibi Seraphicus Historicus, qui etiam rem hanc tangit cap. 13. in quo hęc visio inter septem ibi enarratas tenet locum penultimum, atque immediatum ad stigmatizationem. Easq; omnes narratas esse chronologicè demonstrat Bonauent. illis verbis ad Franc. *Ecce iam septem apparitionibus Crucis Christi in te, & circa te, secūdum ordinem temporum mirabiliter exhibitis, & monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requiescis peruenisti.* Vadingus ex nostratibus eam retulit ad an. 1224. num. 42. post misterium stigmatizationis, post quod fortè visio illa contigit. Martyrol. ex vtrisque ad diem 2. Aprilis, vbi de B Monaldo, in cuius gestis ad ann. 1211. iuxta eiusdem Vading. chronologiam, ipsam retulimus.

Apparet ei Franc extensis manib. in crucis formam.

Benedixit fratres capitulariter congregatos, approbauitq; Antonii sui eloquia.

Vbi resonabat Antonius ad exaltationem Crucis, & Crucifixi, atque titulum Crucis, simul Latinæ Ecclesiæ exaltabat præeminentiam, statim adfuit ex præcipua virtute Dei Franciscus, iam per Christū,

Congruit, vt ibi præsens esset diuinitus Fran. vbi in tit. crucis Eccl. Latina exaltabatur.

& à

& à Christo, & cum Christo eadem Exaltationis Crucis die & ipse exaltatus in Cruce. Vbi audiebantur ab Apostolica, Seraphicaque Antonii Lingua illæ quatuor dictiones, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, præsens fit in Crucis forma Franciscus, vel exterius quoque Crucis Christi baiulus, & minister, vel quamcitius efficiendus. Vt sic patefaceret Deus, quod sicut ipse Iesus Nazarenus, in Cruce exaltatus triumphans ceu omnium Rex de hostibus omnibus, erexit Ecclesiam suam Latinam vt dignam capitis sui coronã, & corporis sui sponsam, in cuius signum literas latinas sibi viciniores habere complacuerat, ita seipsum nouo quodam modo iterum exaltare elegerat in Francisco, eo quod per Virum hunc catholicum, & totum apostolicum eandem Ecclesiam Latinam, vndiquè, & vbique miserrimè collapsam, erigere clementer statuerat.

Et quod iam explicans Antonius inter plura, & omnia diuina (ac propterea Francisci sui præsentiæ, diuinitus è Tuscia in Galliam translatæ vtique promeritus) illas duas primas tituli Crucis dictiones, *Iesus Nazarenus*, addensque simul stuporẽ Vrbis Ierosolymæ, ipsum Iesum ceu Regẽ triumphantem excipientis, constituerat, declarauerat que in virtute Nominis, & Crucis suæ Franciscum, ibi visibiliter adductum in attestationem veritatis, triformem Ecclesiæ suæ Latinæ Reparatorem. Quemadmodum ipsemet vt Iesus, & vt Nazarenus, vnde & vt Rex Iudæorum in Crucis Christi titulo effecerat illum trium Ordinum Institutorem, triplicemque Legislatorem. Sermocinabatur familiariter Antonius ad cętum Fratrum, aiebatq; fortè os eius mellifluum. *Iesus Nazarenus* scripsit Præses Romanus in Crucis Christi titulo, ò fratres, & illum eundem scripsit, de quo Matth. 21. *Cum intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa Ciuitas, dicens quis est hic?* At commotæ per inuidos Pharisæos Ciuitati fuit citò à turbis responsum. *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* Commendabant ipsum (fratres, explicabat, vt puto tunc Anton. sicut postea scripsit, feriæ 3. Hebdom. 1. Quadr. serm. 2.) de quatuor

Explicatio Antonii tituli crucis Christi

1 De clementia miserantis dulcoris, *Hic est Iesus*.

2 De notitia dirigentis splendoris. *Propheta*.

3 De munditia excellentis pudoris. *Nazarenus*.

4 De iustitia exercentis rigoris, quia *Galilæus*, idest rotans, scilicet peccatores. 1. Reg. 25. *Anima inimicorum tuorum rotabitur*.

Quatuor in Christo, vt Iesu, vt Propheta, vt Nazareno, vt Galilæo.

Ergo si es plenus peccatis, hic est *Iesus*, miserans viscerosè.

Si ignoras, hic est *Propheta* radians luminosè.

Si debilis, aut fragilis, hic est *Nazarenus*, recreans copiosè.

Si ostinatus, hic est *Galilæus*, conterens dolorosè. *Aduerte autem, quod iste benedictus flos recreat, quia odore, quia decore, quia pudore, quia sapore. Sic enim est flos, quod cum hoc simul est fructus.* Vix finitis hisce vltimis verbis tractus Christus ab odore, à decore, à pudore, à sapore, & à flore, & fructu sui ipsius, dum redolens in ore Antonii perfloridi non tantũ fratres, sed Cælum totum recreabat, voluit secum ibidem transferre Francisc. sequẽti mane ab ipso super Aluernam miro modo crucifigendũ. Iesus & odor, Nazarenus & decor, Rex & pudor, Iudæorum & sapor, certè respondent ad inuicem in titulo Crucis Christi. Flos campi, & Lilium conuallium fuit in Cruce appensum, & confixum à Iudæis. Nam dum ipsum declarauit Pilatus virum innocentissimum, quasi se recreatum ostendit ab eius odore, per bonam famam. Ab eius decore per miram corporis formam. Ab eius pudore per eius honestissimam, ac modestissimã vitã. Ab eius sapore per cæleste doctrinã.

In Iesu, vt flore iuxta cognomen Nazarenum quatuor.

Christũ ipsum Iudæi tractarunt, petentes eum crucifigi contra Pilati voluntatem, vt rem fœtidam, contemptibilem, ab omni pudore, ac sapore alienam. At Pilatus scribens in causa mortis Christi, illa quatuor, quæ antea ipsum rapuerant, vt declararet innocentiam eius in confusionem Iudæorum, quatuor pariter dictionibus terna loquendi forma testatus est Iudæis, Græcis, Latinis. Quod scilicet quem petierunt à se crucifigi, erat Iesus odore recreans. Erat Nazarenus, decore venustans. Erat Rex, pudore coronatus. Et Rex Iudæorum erat sapidus sapientia æterna, imò erat Rex Regum, & Dominus Dominantium. Qui siue in fundanda Ecclesia sua Latina vt Redemptor Mundi, siue in ea reparanda per Franc. vt *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, est quoq; plenis peccatis Iesus miserans viscerosè: ignorantibus est Propheta, radians luminosè. Est debilibus, ac fragilibus Nazarenus, recreans copiosè. Est ostinatis Galilæus cõterens dolorosè. Hactenus de concione Interpretis nostri super titulum Crucis Christi condigna profectò apparitione Francisci *secundum Crucis figuram in aere sublevati, non phantastica visione*, ait Bonauentura cap. 13. In Hymno tamen primarij Vesperarum festi Sancti Antonii supponitur Franc. stigmatizatus

Quæ terna loquendi forma testatus est Pilatus.

tizatus ante illam visionem. Canitur enim ibi.

Hic stigmatum qui baiulo
Patri natus imitatur,
Dum prædicat de Titulo,
Confixus ille cernitur.

In vita S. Bonau. sept. die infra oct. habetur, quod ipse composuerit officium Francisci. Vadingus tom. 1. ann. 1227. n. 4 loquens de Fratre Iuliano de Spira ait, quod Vir iste, vt quibusdam placet, nobili stilo, & eadem melodia, qua vsque modo vtimur exornatum, officium B. Francisci, & B. Antonii composuit. Vide eundem Vading. tom. 1. 1228. num. 78. & tom. 2. 1278. num. 3. Et Martyrol. 9. Februar. de B. Iuliano, publicus Lector Parisiis, vbi obiit miraculis clarus anno 1285. Editio autem illorum officiorum iuxta carmina, & harmoniam Ecclesiasticam, qua adhuc vtimur, cõtigit sub Generalatu D. Bonau. vt aduertit Vadingus, ac per consequens de eius iussu, ac licentia. Vnde fortè chronologia circa septem apparitiones cruciformes prædictas emendata est in illis versiculis præfatis. *Hic stigmatum qui baiulo, &c.*

In quodam opusculo authoris off. S. Ant. concinnasse D. Bonau. probatur.

Cõsultò igitur in qualibet Alphabetali Seraphicæ Bibliothecæ Cruce eundem Crucis titulum cum sola inscriptione Latina abbreuiata apposuimus, quem per extensum scripsit super caput Christi Romanus Præses, constanterque voluit, vt ita publicè legeretur ab Hebræis, à Græcis, & à Latinis.

Titulus Crucis Christi tempore Innocentii VIII. creati ann. 1484. repertus fuit Romæ apud Basilicam S. Crucis in Hierusalem, vbi plus annis mille à Cæsare Valentiniano antea positus fuerat. Et eodẽ die accidit hæc inuentio, quo Ferdinandus Catholicus Hispaniæ Rex, ac eius cõsors Regina Isabella, pietate Seraphica in Franciscanos, quibus cum Viro suo confitebatur, & per quos meruit Orbis Americani inuentionem, vt aliàs dictum, vi Vrbe Granatensi capta, è Maurorum potestate illud Regnum abstulerunt. Vna tantum pars tituli hodie extat, signata, vt diximus, in hunc modum, *Hyesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Qui ter præcepit Franc. è Cruce, *Vade, Francisce, repara, &c.* septẽ beatitudinibus ipsũ extulit ad similitudinem sui. Septem cõnectionibus hebraicis D. Hieronymi, & totidem latinis D. Bonau. vtramque ipsum infantiã spiritualẽ alphabetaliter docuit. Instituensq; cruciformem, ac triformem Ecclesiæ suæ Reparatorem, ad Crucem suam leuauit Romanam fidem, ad quam antea leuaueuerat Vicarium suum Vrbanum III. exclamantem: *Ad te Domine leuaui animam meam*. Nunc remanet explicanda prædictæ Crucis consonantia, quæ triplex erit in sui argumenti vnitate, vt apparebit.

Quo tẽpore repertus Romæ Titulus Crucis.

D. Antonius de Padua, D. Hieronymus, D. Bonauentura triplicem prioris Crucis alphabetalis in Bibliotheca Seraphica construunt harmoniam.

Septem verba protulit in Cruce Christus, quæ Interpres noster cũ septem lucernis, & septem infusoriis candelabri aurei ex Prophetæ Zachar. 4. & cum septẽ Beatudinibus Euangelicis, quæ Christus ipse prædicauit super Montem Thabor, miro artificio ad inuicem concordat. Rescripsimus fideliter hanc concordantiam lib. 6 panegirico 7. vnde hic sufficiet concisis verbis principio iuxta argumentum ab ipso Interprete propositũ illam repetere, quatenus solummodò septem Christi verba, totidem Beatitudines complectatur, iuxta synopsim, quæ talis est in themate. Septem infusoria sunt septem verba Christi, prolata in Cruce, quæ omnia ad inuicem concordemus.

Septẽ verba Christi in Cruce cum vii. Beatitudinibus euãgel.

1 *Beati Pauperes spiritu, &c. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

2 *Beati mites, &c. Amen dico tibi, hodie mecum eris, &c.*

3 *Beati qui lugent, &c. Mulier ecce filius tuus, deinde dicit Discipulo. Ecce Mater tua.*

4 *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiã, &c. Heli, heli lamazabathani, hoc est Deus meus, &c.*

5 *Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Sitio.*

6 *Beati mundo corde, quoniam ipsi, &c. Consummatum est.*

7 *Beati pacifici, &c. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hæ sunt septem partes argumenti Interpretis, quæ paulò infra in concordantia breuiter elucidantur. De septem Beatitudinibus, & vita actiua cum operibus misericordiæ, & de vita contemplatiua cum oratione, & 12. fructibus, & quinque sensibus corporis habes miram synopsim apud Bonau. in 3. p. centiloquii sect. 46.

Literæ Alphabeti Hebraici antiqui sub numero 22. ita sunt ordinatæ, sicut in Cruce nostra signatæ sunt. Literę Alphabetorum Græci, ac Latini deriuant pariter immediatè ab alphabeto hebraico, & possunt

Literæ Alphabeti Hebr. num. 22.

possunt distingui *in naturales*, & sic nihil ex se solitariè, sed simul coniunctæ,& ordinatè inter se aliquid denotant. Nam qui inuenit eas ceu prima elementa, ad conceptuum animi mixtionem inuenit. Nec natura potest ex vno solo elemento aliquod mixtum generare. *In significatiuas* iuxta morem Romanorum, vt in tertia Cruce dicemus. *In figurales*, quia sub aliquibus figuris tū in characteribus maiusculis, tum minusculis variæ sunt formæ, & sic possunt esse multorum arcanorum simbola. Ac demum *in misticas*, quæ apud Græcos, auctore Isidoro, sunt quatuor, scilicet, Ypsilon, Thita. Taf. Omega. Quibus correspondēt literæ nostræ latinæ. Y. Th.T.O. magnum.

Ab ipsis deriuant literas alphabet. græci, & latini.

Literæ 4. misticè apud Græcos.

Secus autem dicendum cum D. Hieronymo de literis hebraicis. Ipse namque epist. ad Paulam Vrbicam, & in præfat. in comment. super Threnos: tot explicat varias significationes alphabeti hebraici, quot enumerat literas, & sunt illæ eędē, quę in Cruce nostra extāt, scilicet 22. Animaduertendum tamen, literas hebraicas excrescere nonnunquam vsq, ad num. 24. imò & 27. Ex vno namque & 20. characteribus iudaicis, & ex litera *Iod*, ter propter reuerentiam diuini nominis repetita, elementa 24. resultant. Item Hebręi habent in suo alphabeto literas simplices 22, quæ illud conficiunt. Habent etiam & quinque duplices, seu repetitas, geminatas, vel biformes, quæ in fine dictionum aliter, quam in principio, & in medio scribuntur. Hinc exorta illa multiplex varietas partitionū librorum veteris Testam. de qua Sixtus Senens. in sua Bibliotheca.

Literæ alphab. hebraicę quomodo crescant ad num. 27.

In septem connexiones literæ alphabetales Crucis nostræ disterminatæ sunt, in quantum singulis extant ceu tituli singulæ Interpretis nostri concordantiæ. Ipse D. Hieronymus ad eandem Paulam Vrbicam, post declarationem arcanorum literarum alphabeti hebraici, quam infra in 2. Cruce recta linea dabimus, in septem connexiones ipsas diuidit circa diuinorū librorum intelligentiam, vt statim videbimus. S. Bonau. edidit in suis opusculis duo alphabeta latina, alterum soluta oratione, hocque in lectiones 23 perbreuissimè distinxit. Alterum versiculis rithmicis numero 24. composuit. Illud intitulauit iuxta antiquiora exemplaria (& videtur conclusioni conformius) *Alphabetum boni Monachi in schola Dei*. At iuxta editionem Romanam, *Alphabetum Religiosorum* præscribitur. Istud verò nuncupauit, *Alphabetum Religiosorum incipientium*. Hinc literæ latinę appositę finistorsum in Cruce nostra, nonnisi alphabetum 1. Bonau. indicant, & nihil aliud. Prout scilicet accommodari potest cum septem tum Interpretis nostri concordantiis, tum etiam & cum D. Hieronymi connexionibus. Denique signū Vrbani Papæ III. idcircò addidimus in extremitatibus huius primæ nostræ Crucis, quia Ioannis nostri infantia hunc Pontificem amplexa est, adeout extinctis Lucio III. qui fuit creatus anno Domini 1181. die 29. Augusti, seditque annos 4. mens. 2. dies 28. & Vrbano III. præfato, creato 1186. die 25. Nouemb. sedenteque ann. 1. mens. 10. dies 25. Ioannes noster natus die 4. Octobris, expleuerat annos 6. mensem vnum, diesq; 18. Eratque sub pædagogia alphabetali, incipiebatque latinè, & italicè legere, ac Salutationem Angelicam, Orationem Dominicam, aliasque orationes sacras multa gratia, ac promptitudine recitare.

Hinc variæ librorū vet. Testam. partitiones.

De alphabetis editis à Bonau.

Sub Vrbano III. infans Ioan. 6. habebat annos.

I.

Beati pauperes spiritu. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Connexio prima Hebraica ex quatuor literis.

POst interpretationem elementorum intelligentiæ ordo dicendus est. Fiūt enim ex his literis vii. connexiones particulares. Quarum prima est, *Aleph. Beth. Gimel. Daleth.* Doctrina. Domus. Plenitudo. Tabularum. *Quod videlicet Doctrina Ecclesiæ, quæ Domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine*. Hieron. cit. ad Paulam Vrb.

Ordo connexionum ex literis hebraicis.

Dicit Interpres in prima concordātia. *Qui à paupertate spiritus ducitur, verè cum Iesu Christo pro se persequentibus potest orare, dicendo*, Pater ignosce illis, quia &c. *Qui spiritu est humilis, in se delinquentibus ignoscit. preces fundit, &c.* Paupertas spiritus, & humilitas spiritus in doctrina euāgelica, & ecclesiastica docetur. Vtraque hæc virtus ducens nos ad amorē Christi, ipsa pariter ad proximi amorem in Christo allicit, vt cum Iesu Christo, dilecto à nobis pro nos persequentibus orare possimus, ac delinquentibus ignoscere, precesque pro eis effundere.

1. constat literis Aleph. Beth. Ghimel. Daleth.

Et hæc quiddem tota lex est, & Prophetæ, teste D. Paulo. Igitur in priori Interpretis concordantia est Aleph pro doctri-

Prima Interpr. concordātia ex paupertate, & humilitate spiritus.

doctrina. Est Beth pro domo. Est Ghimel pro plenitudine. Est Daleth pro Tabularum. Nam doctrina Ecclesiæ ob paupertatem spiritus, & spiritus humilitatem fit domus Dei, in qua plenitudo legis reperitur.

Quam Dei gratia infantulo nostro Ioãni præostendens in primis quatuor literis alphabeti latini, quatuor lectiones eum in infantiæ spiritalis alphabeto addisciturum ostendit. Et eas ipsas, quos deinde in Francisci schola seraphicè edoctus, paupertatis, & humilitatis spiritus sapiẽtia mirabiliter plenus, pauperibus, & humilibus spiritu scribere, ac dictare debebat Bonauentura. Nam eius

Lectio prima sub litera A.

Amor cum nescientia.

Ama nesciri, & pro nihilo reputari. Hoc tibi salubrius est, & vtilius, quam laudari ab hominibus.

Lectio secunda sub litera B.

Beneuolencia erga omnes.

Beneuolus sis omnibus, bonis, & malis, & nulli onerosus.

Lectio tertia sub litera C.

Custodia cordis, & oris, & omnium sensuũ

Custodi cor tuum ab euagatione, os tuum ab otiosa locutione, & cæteros sensus sub rigore disciplinæ.

Lectio quarta sub litera D.

Dilectio solitudinis, & silentii.

Dilige solitudinem, & silentium, & inuenies quietem magnam, & conscientiã bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequentẽs strepitus, & magna distractio cordis.

Sine his quatuor Bonau. literulis alphabetalibus, earumq. lectiunculis, & monitis quis vnquam poterit dici pauper, & humilis spiritu cum Christo erga in se peccantes, & delinquentes? Quis his carens, doctrinam Ecclesiæ, quæ domus Dei est, quamque Franciscus vt pauper, & humilis spiritu reparauit, librorum sacrorum reperire poterit plenitudinẽ, à Bonauentura Francisci discipulo in libro Crucifixi pauperrimi, & humillimi magistraliter repertam, & alphabetaliter explicatam?

I I.

Beati mites, &c. Amen dico tibi, &c.

Connexio Secunda Hebraica ex quatuor literis.

II. Cõnexio ex He. Vau. Zain. Heth.

SEcunda connexio est *He. Vau. Zain. Heth.* Ista. Et. Hæc. Vita. *Quæ enim alia potest esse vita sine sciẽtia scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur, qui est vita credentium?* Hieron.

Secunda Interpr. cõcor. ex quadriformi mansuetudine:

Dicit Interpres in secunda concordantia. *Ille mitis est, qui nec afficit, nec afficitur opprobrijs. Non scandalizat, nec scandalizatur. Qui cum bono Latrone, imo Confessore audire merebitur. Hodie mecum eris in Paradiso.* Felix hæc vita est, in scientia scripturæ euangelicæ miti viro, quadriformiter mansueto promulgata. Nam per ipsam non solum ipse Christus agnoscitur, qui est vita credentium, verum ab eius ore, cum eo ob paupertatem, & humilitatem spiritus spiritualiter crucifixa audire merebitur, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sed ante hanc gratiam necesse est, vt qui mitis esse laborat, legat, & obseruet quæ alijs quatuor sequentibus literulis scribit Bonau. quæque Gratia Dei infantulo nostro Ioanni prænũciabat sub Pædagogi ferula. Docet namque

Lectio quinta sub litera E.

Electio paupertatis, & simplicitatis.

Elige paupertatem, & simplicitatem, & cum paucis sis contentus, & non facilè murmurabis.

Lectio sexta sub litera F.

Fuga hominis, & rumorum sæcularium.

Fuge hominem, & sæculi rumores. Quia non potes esse satis Deo, & hominibus. Æternis, & transitoriis.

Lectio septima sub litera G.

Gratiarum actio cordis & oris ad Deũ in omni statu.

Gratias age Deo semper corde, ore, & qualitercumque tibi succedit in grauamine, & dolore. Nam Deus omnia prouidè dispensat in Mundo, vero, & recto iudicio ab æterno.

Lectio octaua sub litera H.

Humiliatio in omnibus, & cum omnibus.

Humilia te in omnibus, & sub omnibus, & inuenies gratiam ab hominibus. Et eris quoque Deo acceptus, & hominibus dilectus. Et Diabolus fugiet citius propter

propter humilitatis virtutem sibi valde contrariam.

Hæc omnino docet militatis, & mansuetudinis virtus, scilicet humilitatem in omnibus, gratiarum actionem in quauis rerum vicissitudine, fugam hominis & rumorum sæcularium Paupertatem, & simplicitatem. Hæc ita quadriformiter circumstantionata virtus ad scientiam scripturarum acuit mentem per approximationem vitæ Christi, à quo tandem audire mereatur, Hodie mecum eris, &c.

III.

Beati qui lugent, &c. Mulier ecce filius tuus, &c.

Connexio Tertia Hebraica ex duabus literis.

III. Connexio ex Teth & Iod.

TErtia connexio habet *Teth. Iod.* Bonum. Principium: *Quia quamuis nūc sciamus vniuersa, quæ scripta sunt*; tamen ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et nunc per speculum in ænigmate videmus. Cum autem meruerimus esse cum Christo, & similes Angelis fuerimus, tunc librorum doctrina cessabit, & *tunc videbimus facie ad faciem Bonum Principium sicuti est*. Hieronym.

Tertia Inter pr. concordantia circa lugentē ob quatuor.

Dicit Interpres in tertia concordantia. *Qui pro peccatis sui, vel proximi, vel miseria huius exilij, vel dilatione regni luget, à Domino consolatur. Qui Matrem suam, de passione sua lugentem consolatus est, dicens, Mulier ecce filius tuus.* Sed huiusce consolationis terminus Teth, & Iod erit. Quia quamuis nunc sciamus, &c. Tunc videbimus Bonum Principium Deum facie ad faciem. Hanc tamen visionem præuenient in lugentibus, à Domino consolandis duo sequentia Bonau. monita. Nam habet.

Lectio nona sub litera I.

In omni opere pura intētio quærenda.

In omni opere bono habeas intentionem puram ad placendū Deo, qui inspector est cordis, & diligit iustos, & puros.

Lectio decima sub litera K.

Karissimi amici inimici sint nobis.

Karissimos reputa amicos, & patronos, qui te premunt, & vituperant. Si enim rectè sapis, & consideras lucrum, inde acquires. Nam prosunt tibi in bono, qui obsunt in malo.

Lugens pro quatuor supradictis idcirco placet Deo, qui eum consolatur, vt consolatus est Matrem suam, de sua passione lugentem, quia intentione pura ab ipso fletu purificatus gemit, sciens quod Deus inspicit cor, & diligit iustos, & puros. Sed nec purus in suo gemitu esse potest, nec iustus cum lucro, nisi ecu charissimos amicos, & patronos suos vituperatores, & oppressores reputabit. Nam secus haud rectè gemet, quemadmodum haud rectè sapiet. *Qui enim prosunt lugenti in bono, qui obsunt in malo ipsum etiā in Euangelio perfectè instruunt, vt pro illis quatuor lugere sciat, & consolari à Domino, bono, & summo principio hic, & in alia vita mereatur.*

IV.

Beati qui esuriunt, &c. Heli, heli lamazabathani, &c.

Connexio Quarta Hebraica ex duabus literis.

QVarta connexio est *Caph. Lamed.* Manus. Disciplinæ, seu cordis. *Manus intelliguntur in opere. Cor, & disciplina intelliguntur in sensu. Quia nihil facere possumus, nisi prius quæ facienda sunt, sciremus.* Hieron. IV. Cōnexio ex Caph, & Lamed.

Dicit Interpres in quarta concordātia. *Qui esuriem, & sitim habet iustitiæ, reddet vnicuique quod iustum, & suum est. Scilicet Deo, & proximo dilectionem. Sibi ipsi pro commissis afflictionem. Hæc triplex iustitia in illis tribus verbis notatur, Deus Deus meus vt quid me dereliquisti. Idest quare me tantæ pene exposuisti?* Hæc proculdubio triformis iustitia ponit manus cum *Caph* in opere, nam non in sola theorica consistit, sed in praxi quoque. Cum *Lamed* autem cor ponit, & disciplinam in sensu, vt sciatur ab esuriente, & sitiente iustitiam, quomodo vnicuique quod suum est, & iustum reddendum sit. Hæc pariter conscientia est, quam docet Bonau. in aliis duobus sequentibus monitis. Dicit namque Quarta Interpr. cōcordantia tripli cem respicit iustitiam.

Lectio vndecima sub litera L.

Labore, & dolore cum gemitu, & fletu acquiritur Regnum Dei. Deliciis, & honoribus perditur Paradisus. Labore, & dolore Regnum Dei acquirendū.

Lectio duodecima sub litera M.

Magnum donum Dei est, pauperem esse in hoc Mundo propter Christum, & infimum tenere locum. Magna superbia altum petere gradum. Ad alta semper Diabolus suadet honores ambire, fugere despe- Magnum donum est, imū tenere.

Magna super bia alta petere.

despectum, vt cadat ascensor eius retrorsum, dũ ad breue dominatus fuerit pauperum. Minima dona permagna reputa. Eris & dignus maiora accipere. *Redde Deo, & proximo dilectionem, & tibi ipsi pro commissis afflictionem, quid aliud est, quam labore, & dolore, cum gemitu, & fletu acquirere Regnum Dei, spretis iam delicijs, & honoribus, pro quibus Paradisus perditur? Verè ille esurit, & sitit iustitiam in amore Dei, & proximi, in quo labor, & dolor est, qui ad magnum paupertatis donum inhiat in hoc Mũdo propter Christum, & infimum tenere locum, contemptis, & conculcatis esurie, & siti superbiæ, altum gradum suasu Diaboli semper petentis, &c.*

V.

Beati misericordes quoniam, &c. Sitio.

Connexio Quinta Hebraica ex tribus literis.

V. connexio ex Mem. Nũ. Samech.

QVinta connexio est *Mem. Nun. Samech.* Ex ipsis. Sempiternum, adiutorium. *Hoc explicatione non indiget, sed omni luce manifestius est, ex scripturis in æterna subsidia ministrari.* Hieron.

Quinta Interp. concordancia est de misericordia cũ Christo.

Dicit Interpres in quinta concordãtia. *Qui misericors est, Deus erit misericors in illo. Hoc immisericordes Iudæi non fecerunt*, qui Christo sitienti in Cruce, non calicem aquæ frigidæ, sed acetum felle mixtum obtulerunt, qui cum gustasset, noluit bibere. Quia amaritudinem, idest culpam pœnæ gustauit nostræ, sed culpam nõ sibi incorporauit. *Hoc idem faciunt Iesu Christo falsi Christiani, peiores Iudæi: ideo misericordiam non inuenient in tempore tribulationis.* Nota, quod in aceto tria sunt consideranda. Primò enim fuit acerbum. Secundò vinum depuratum. Tertiò deterioratum fuit in acetum. Sic falsus Christianus ante baptismum fuit vua agrestis, & acerba, quia infidelis. *Omnes* (inquit Apost. Ephes. 2.) *nati sumus filij iræ.* Suscepto baptismo factus est quasi vinum odoriferum, scilicet per fidem. Sed postea deterioratus est in acetum per mortale peccatum, quod quantum in se est propinat Christo, non in Cruce pendenti, sed in Cælo regnanti, &c.

In aceto tria sunt, & quid misticè

Vir misericors dum in hac vita temporaliter subuenit Christo, in membris suis esurienti, ac sitienti, veluti in ea Cruce, in qua & illi multimodè pendent, fit Christus sibi ex ipsis membris suis sempiternũ adiutorium, & sic habebit secum *Mem. Nun. Samech.* Idque omni luce manifestius est ex scripturis: *Beati misericordes, quoniã misericordiam consequentur*, vt in æterna subsidia ab ipso Christo ministretur; sed immisericordibus Christianis secus erit. Dicit Bonauenturæ

Ex misericordia tẽporali sempiternũ adiutorium.

Lectio decimatertia sub litera N.

Neminem spernas. Nulli noceas. Afflicto, & egeno condoleas Et nunquam te extollas.

Nemo spernendus, & nulli nocendum.

Lectio decimaquarta sub litera O.

Omne tempus tuum Deo vtiliter expẽdas. Nihil enim pretiosius tempore, in quo promereri potes Regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque amabilem, benignum, & affabilem sine dissolutione te exhibeas. Omnia bona ad laudẽ Dei referas, & sine consilio, & deliberatione nihil facias.

omne tẽpus vtiliter expendendus.

Lectio decimaquinta sub litera P.

Primò semper quære in opere tuo an Deo placeat, vel displiceat. Nec timore, nec amore age contra conscientiam tuã. In dubiis ad scripturam, & obedientiam Prælati tui recurre, nec tibi ipsi nimis cõfide. Prius disce tacere, quam loqui, potiusque velis instrui, quam docere. Tutius enim est velle latere, quam apparere.

Primò quid quærendum

Fierentne Beati sine harum trium lectionum alphabetalium documentorum obseruantia misericordes? Nequaquam profectò, immo misericordes esse deficerent, facti animæ suæ immisericordes, & crudeles. Quis enim sui misericors esse potest, si nulli penè miseretur; dum vt neminem spernat, vt nulli noceat, vt afflicto, & egeno condoleat, vt nunquam se extollat parum studet? Corruit planæ misericordiæ virtus, quæ, teste Interprete, *est misera suauitas rigans corda*, vbi obseruantia duarum prædictarum lectionum cessabit. Nam misera illa suauitas in miserrimã amaritudinem, arefacientem pectora commutabitur.

Qui verè erga seipsos misericordes.

VI.

Beati mundo corde, &c. Consummatum est.

Connexio sexta ex tribus literis Hebraicis.

VI. connexio ex Hain. Phe. Zaddi.

SExta connexio habet *Hain. Phe. Zaddi.* Fons, siue oculus oris iustitiæ, *secundum illud, quod in quarto numero exposuimus.* Hieron.

Quarta Interp concor dantia circa munditiam cordis.

Dicit Interpres in sexta concordantia. *Qui munditiam habere vult cordis; vt Deum videat, necesse est, vt omni peccato finem imponat, vt dicat cum Iesu, Consummatum est.* Sic fons, & oculus oris iustitiæ, scilicet sanctitatis irrigans eius mentē, tribuit illi oculum diuinū, ad Deum videndū aptissimum, præstatq; os ipsius Dei, ad diuina eloqui idoneum. Sic opere, corde, & disciplina, quæ facienda sunt ad huiusmodi munditiam augendam, perficiendam, stabiliendam, cælesti doctrina sciet. Et cum Bonau. alios instruere poterit tribus sequentibus lectionibus. Nam inquit

Lectio decimasexta sub litera Q.

Quæ doceatur in hac 16 lectione tria sunt.

Quæcumq; ad te non pertinent, de his non iudices, nec te intromittas, vt semper pacem habeas. Qui communia sectatur, & singularia vitat, magis diligetur, & citius ad bonum finem perueniet. Qui tempestiuè tacit quod debet, lætior postea erit.

Lectio decimaseptima sub litera R.

Reuersio ad interiora cordis quam necessaria viro religioso.

Reuertere ad interiora cordis tui, & claude ostia oris tui, ne vagari incipias per varia desideria mundi consilio Diaboli. Nocent mala audita. Tentant pulchra visa. Turbāt illata vituperia. Recede ergo ab omni iracundo, indocto, dissoluto, & mane in silentio cum Deo.

Lectio decimaoctaua sub litera S.

Sobrietas in victu multorum bonorū causa.

Sobrius esto in victu. Modestus in vestitu. Prouidus in verbis. Honestus in moribus. Maturus in consilio. Fortis in aduersis. Humilis in opprobriis, & humilis in prosperis. Gratus in beneficiis. Hilaris in dispectibus. Patiens in doloribus. Discretus in omnibus agendis.

Hæc omnia mundi corde ad Dei inspectionem idonei videbunt, obseruabunt, docent alios sub literis hebraicis Hieronymi, Hain. Phe. Zaddi. Et sub literis latinis Bonau. Q. R. S. in alphabeto infantuli nostri Ioannis eamet præfigurantibus.

VII.

Beati pacifici, &c. Pater in manus tuas, &c.

Connexio Septima ex quatuor literis Hebraicis.

SEptima connexio est (quæ & extrema quò & in ipso quoque septenario numero fit misticus intellectus) *Coph. Resch. Schin. Thau.* Vocatio. Capitis. Dentium. Signa. *Per dentes articulata vox porrigitur. Et in his signis ad caput omnium, qui est Christus peruenitur. Per quem peruenitur ad Regnum sempiternum.* Hieron.

VII. cōnexio ex Caph. Resch. Schin Thau.

Dicit Interpres in septima concordantia. *Qui pacem habet peccatoris, verè meretur vocari filius Dei Patris. Cui cum ipsius vnigenito dicit in hora suæ mortis. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Quia à pace peccatoris ad pacem transit æternitatis.* Filiatio hæc dum vocem suam articulat his iisdem signis, de quibus Hieronymus, ad Christum peruenit, commendans ipsi in obitu ei spiritum suum. Docet Bonauenturæ

Septima Interp. concordantia circa pacem peccatoris

Lectio decimanona sub litera T.

Time Deum offendere in minimis negligentiis, & defectibus tuis. Noli præsumere in bonis, nec desperare in aduersis. Timor Dei facit recedere à peccato. Et sollicitat in bono opere, vt bonum benè fiat. Totum te Deo cōmitte, & quod tibi est graue, fiet citò portabile. Pax tua in patientia multa. Leuis est omnis tribulatio pro vita æterna.

Timor Dei quam proficuus.

Lectio vigesima sub litera V.

Vēde Deo omnia commoda tua, & dabit tibi solatia meliora, gratia adueniente in vna hora. Nemo ditior, nemo liberior eo, qui se ad omnia Deo dat. Et Christum amando emit, qui Mundum in Cruce redemit.

Vendenda Deo omnia commoda.

Lectio vigesima prima sub litera X.

Xpus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse desiderium tuū, lucrum tuum, tota spes tua, & merces tua. Si aliud quæris, quam purè Deum, damnū patieris: laborabis, & requiē nō inuenies.

Christus quærendus, in quo omnia bona.

Lectio vigesima secunda sub litera Y.

Ymnos, & psalmos canere, Monachorum est, & Clericorum. Quibus congaudent Angelorum Chori, laudantes Deum iugiter in regno Cælorum. Seruire carni mors.

Ymnum, & psalmorū cātus quibus proprius.

mors. Cibus vermium. Vita peccatorum. Fomes morborum. Corruptio corporũ. Inquinatio morum. Perditio bonorum. Acquisitio multorum malorum, & dolorum. Seruire Deo beatitudo animæ. Sanitas corporis. Prudentia spiritus. Vita cælestis. Dulces hymnos Deo cantat, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. Initium, & finis omnis boni religiosi Deũ corde amare. Ore laudare, & fratrem suũ exemplo ædificare.

Lectio vigesimatertia sub litera Z.

Zacheus descendens humilitatis magister.

Zachee frater, descende de altitudine sæcularis scientiæ. Veni, & disce in schola Dei viam humilitatis. Et mansuetudinis. Et patientiæ. Et per quam possis Christo docente, ad æternam beatitudinis gloriam securè peruenire. Amen.

Conclusio.

In cordis libro istud alphabetum scribendum.

Scribe, Monache, Alphabetum istud in corde tuo, quasi in libro vitæ, & per singulos dies chartulam suam inspice. Et bonos mores assuesce. Pauca sunt verba. Sed magna sunt misteria, & perfectorum opera. Ornant exterius, & quietant interius. A contemptu, & sui ipsius abnegatione incipit vita boni religiosi Monachi, & proficit vsque ad contemplationem Dei.

In hac Alphabeti Seraphici conclusione terminus est Crux Christi, à qua vita religiosa incipienda per contemptum, & abnegationem propriã, docente Christo, Iesu Nazareno Rege Iudæorum in Crucis titulo declarato: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. A Cruce incepit vita Frãcisci, in stabulo exorientis. In baptismate christiana effecta Cruce insignita est. In infantia alphabetum didicit sub duplicis Crucis insigne. In alphabetalibus literis applicatus noster infantulus, cruciforme alphabetum auspicatus est in triformem, & cruciformem Ecclesiæ reparationem, pro qua suspirabat Sanctissimus, & piissimus Christi Vicarius Vrbanus III. *Ad te Domine leuaui animam meã*. Hinc anno 1187. Ferrariæ, quò se Verona discedens receperat, Roma profecturus, cum tristem nuncii accepisset à Iosepho, Tarẽsi Archiepiscopo; exeunte Semptembri Vrbem Sanctam Hierosolymam decimo obsidionis die Saladinum in suam adduxisse potestatem; Crucemque Domini in manus impiorum peruenisse, tantum pius Vrbani spiritus (qui ob calamitates orientalis Ecclesię animam sua precibus, & lachrymis ad Dominum leuauerat, ne eius Crux perderetur, iam cernens Crucis memoria penè ab omni Ecclesia deperdita) doloris hausit, vt teste Ciaconio, sustinere non poterit, quin Ferrariæ obiret 19. Octobris. Amissa ab Ecclesia duplici Cruce, scilicet spirituali ob omnimodam Passionis Christi obliteratione, necnon & materiali ob captam à Saladino Hierusalem, Infantulus Ioannes noster sub insigne duplicis Crucis alphabetum addiscebat, præmonstrabatque cruciforme duplicis suæ, & suorum infantiæ alphabetum. Quo tum Crucem spiritualem per renouationem Passionis Christi, tum visibilẽ per stigmatizationem carnis suę vtrique Ecclesiæ restituere debebat, atque eleuationẽ animæ Vrbani ad Deũ suũ minimè frustraneã extitisse, postea declarare

Infantia nãturalis Frãc. à cruce incepit, sub cruce didicit. Spiritualis tota crux extitit.

Ob captam Ierosolimã, & Christi Crucem per dictam obiit Vrbanus 3.

Francisci namque duplex infantia spiritualis, in Cruce exaltanda, & per Crucem edocẽda iuxta septem Interpretis nostri Beatitudines, & septem D. Hieronymi connexiones hebraicas alphabetales, & septem lectiones Seraphicas alphabeti Bonau. constituere debebat Bibliothecam suam, vt sic vndequaque esset in suis alphabetis cruciformis. Per quorum primũ ore Bonau. sui plus exemplis, quam verbis semper palam disceret. *Scribe Monache alphabetum istud* Hebraico-Latinum *in corde tuo, quasi in libro vitæ, & per singulos dies chartulam suam inspice. & bonos mores assuesce*, vt pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens, & sitiens iustitiam, misericors, mũdus corde, pacificus septies beatè effectus, ascendere possis cum Christo in Cruce, per contemptum tui, & abnegationem tui in teipso crucifixus. Et septem Christi verba ab ipso audire, quorum quodlibet te in tua paupertate spiritus, in tua mansuetudine, in tuo luctu, in tua esurie, & siti iustitiæ, in tua misericordia, in tua cordis mũditia, in tua pace, te beatum temporaliter, & æternaliter declarabit. Satis de priori Cruce alphabetali.

Conclus. Bonau. per conformitatem ad DD. Hieron. & Ant. de Padua.

Secundum

ALphabetum rythmicum alterum Bonau. pro Religiosis incipientibus, & pro Bibliotheca Seraphica, in gratia alphabeti infantuli nostri Ioannis, qui in tota Ecclesia Apostolicam pædagogiam renouare debebat, nouamque fundare Scholam, his 24. versiculis metro, eo amplius seraphico, quo simplici cõstatũ est.

Alphabetum Religiosorum incipientium D. Bonauenturæ.

Amor paupertatis ponitur in principio vt 1. inter Beatitudines

1 Ama paupertatem. Sis vilibus contentus.
2 Bonis sẽper actibus iugiter intẽtus.
3 Caue multiloquium. Studeas silere.
4 Deum omni tempore prę oculis habere.
5 Esuriem amplectere, gulam refrœnando,
6 Fratrumque conuiuia segniter sectando.
7 Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare.
8 Humilibus consentiens, maiores honorare.
9 In omnibus obediens, Prælatoquę parebis,
10 Karitatem insuper cum omninus tenebis.
11 Lumbos stringe lubricos Domini timore,
12 Mundans cordis oculum casto cum pudore.
13 Nihil seruans proprium, nudum sequens Christum,
14 Onus leue sufferens, mundum vincens istum.
15 Passum Christum recole corde gemebundo,
16 Quærens Dei gloriam, nihil aliud in Mundo.
17 Resistendo vitiis, orando feruenter,
18 Sacramentum sumere debes reuerenter.
19 Tu motum mentis comprime, iram mitigando,
20 Vanaque colloquia sollicitè vitãdo.
21 Xpo frui cupiens, cellam frequentabis,
22 Yesum super omnia sic dulciter amabis.
23 Zelo Dei feruens charitatis igne;
24 Et in te peccantibus agnoscas benignè.

Sub litera X. ponit Xpum more antiquorum.

Ita & sub Y Yesum ponit.

Non nomen, sed factum, non verbum, sed adiectum facit beatum.

Ad maiorem intellectum totius harmoniæ præiactæ Crucis, & ad omnem amouendam confusionem, placet nunc recta linea rescribere totum Alphabetum Hebraicum cum suis significationibus, simulque ipsi apponere correspondentiam haud omnimodam, quia hanc non habemus, sed aliqualem literarum Alphabeti Latinorum cum characteribus Alphabeti Hebræorum.

Aduertentia ad Lectorẽ.

Significatio literarũ hebraicarũ, & cõformatio liter. latinarũ cum lit. hebraicis

1	Aleph	1	Doctrina	1	A
2	Beth	2	Domus	2	B
3	Gimel	3	Plenitudo	3	G
4	Daleth	4	Tabularum	4	D
5	He	5	Ista	5	H
6	Vau	6	Est	6	V
7	Zain	7	Hæc	7	Z
8	Cheth	8	Vita	8	C H
9	Teth	9	Bonum	9	T
10	Iod	10	Principium	10	I
11	Caph	11	Manus	11	C
12	Lamed	12	Disciplina	12	L
13	Mem	13	Ex ipsis	13	M
14	Nun	14	Sempiternũ	14	N
15	Samech	15	Adiutorium	15	S
16	Hain, alii Gnain	16	Fons, siue oculus	16	A
17	Pe	17	Oris	17	P
18	Zadic, seu Zaddi. Tsade	18	Iustitia	18	Z
19	Coph	19	Vocatio	19	Q
20	Resch	29	Capitis	20	R
21	Sin, siue Scin, Schin	21	Dentium	21	S
22	Thau	22	Signa	22	T

Ordo literarũ latinarũ ad literas hebraicas

Author

Author nouissimus Theatri vitæ humanæ t.4.sub lit.L.alio ordine ponit,vt apud ipsum videre potes. Veteres Hebræi, ait Bellarm.cap.11. quod propriè vocales nō

Veteres Hebræi propriè vocales non habebant.

haberent, vtebantur eorum loco quatuor consonantibus,Aleph.He. Vau. Iod. Per Aleph exprimebant A. Per Vau O. & V. Per Iod E, & I. Hoc posterius alphabetum nostrum cruciforme priori antecedenti in titulo I.N.R.I.& illis verbis lateralibus,extra iconē Crucis conscriptis, scilicet, *Vade Francisce, & repara*, &c. solummodo conformatur ob rationem ibi prææallegatam. Aliquot modo literas accipimus in præsentialibus ex necessitate, & secundum regulam, quam dicunt accommodatitiam. *Hain*, exempli gratia, apud Hebræos est altera litera A.nostra, quam cum O. commutabimus, sicut cum *X*. eorum primum Z.& cum V. S. & sic de aliis, vt infra patebit.

Romanus Pontifex Gregorius VIII. creatus anno Domini 1187.die Octob.20.

Sinopsis de Rom. Pont. Greg.viii.

Vir fuit facundus: at sanctitate vitæ, animique integritate præclarior extitit. Clade namque Ecclesiæ Oriētalis etsi electus, non tamen consternatus apparuit. Ardore namque animi circa rem christianam inferior suo Prædecessori Vrbano III. nequaquam fuit. Sed (heu dolor) in Petri Cathedra solum mensem vnum, & dies 27. sedit, & infantia Ioannis nostri ad annos 6. menses 3. & dies 15. porrexit. Obiit Gregorius die 25.Decembr. Pisis, quo se, Ferraria relicta, expeditionem in infideles pro recuperanda Vrbe Sancta Hierusalem paraturus contulerat. Sicque diem claudens extremum, clarissima lux Orbis extincta est, & inter hæc sanctissimi Pontificis vota, & pios conatus defecit. Eius Signum, *Dirige me Domine in veritate tua*. Ad quam veritatem alta, peregrina, ac noua quadā directione ordinabat

Eius signum vocale.

ipsa Dei gratia, quæ infantiam Ioannis Moriconis in primis literis instruebat, Veritas in pluribus defecerat in Ecclesia, in pluribus tota Christiana Republica aberrante à veritate. Ad hanc dirigi inhiabat Gregorius, reformationem, ac renouationem suspirans Ecclesiæ. Vnde in altera hac Cruce Seraphica pro Bibliotheca nostra signum Gregorii haud incōsultè additum, dum quod ipse suspirabat adeo proximum erat in illo infantulo, qui per binam infantiam trino alphabeto cruciformi totam Rempublicam orthodoxam, ad Christianam, & Apostolicam veritatem reducere debebat, Crucemque, quam perdiderat spiritualem, à vitiis, & à Diabolo sibi surreptam, ac longe Cruce materiali pretiosiorem feliciter restituere, sicut in primitiua Ecclesia.

PRIMA CONCORDANTIA.

QVatuor literæ latinæ in hac priori concordantiā sunt, A.B.C.D. Quibus respondent hebraicè Aleph, *Doctrina*. Beth *Domus*. Caph *Manus*. Daleth. *Tabularum*. Omnibus quatuor primi versiculi rythmici alphabeti Bonauenturæ videntur plurimum conformari. Etenim

Ex quatuor resultat hæc concordantia.

1 *Amare paupertatem, & vilitatem.*

2 *Bonis semper actibus iugiter intēdere.*

3 *Cauere multiloquium propter studium silendi.*

4 *Deum omni tempore habere præ oculis*, nonne doctrina Ecclesiæ est, verè religiosa, imò & apostolica;& etiam domus Dei est, in qua bina vtriusque hominis manu, manui Dei innixa, in diuinorum præceptorum, & consiliorum euangelicorum tabulis temporaliter laborandum pro mercede æternorum? *O bone Iesu, vbi manus tua,ibi vita nostra*, ait Interpres noster Dom.24. post Trinit. Ob adhærentiā

Vbi manus Iesu,ibi vita nostra.

ad Iesu manum, sine qua nihil facere possumus, manus nostra, idest opera nostra sollicita profectò erunt, ac proficua circa paupertatis, & vilium rerum amorem. Circa iugem bonorum actuum intentionem, & attentionem. Item duplex os, scilicet cordis, & corporis huiusmodi opera multiloquio accludunt, vt silentio assuescamus. Studeamusque solerter, vt semper Deum ante oculos habeamus.

II. CONCORDANTIA.

ET hæc altera concordantia ex quatuor literis erumpit, quæ sunt E. F. G.H. Ex Iudæis non habemus correspondentiam pro literis E. & F. loco tamen earum vtemur Teth, quod elementum est apud eos T.primum. At hoc non vtemur pro vtraque litera prædicta E.& F.nisi ratione significationis Teth,quæ est *Bonum*. G.nostra est apud illos Gimel, *Plenitudo*. H.est He, significans *Ista*.

Latini non habent E.& F.ex Iudæis

5 *Esuriem* habemus in E. ad refrœnandam gulam.

6 *Fraterna conuiuia*, segniter secanda habemus in F.

7 *Gaudium* cum gaudentibus, & è contrario habemus in G.

8 *Humilitatem* tam circa personam propriam, quam circa honorem maiorum habemus in H.

Nullum planè horum monitorū extat, quin

In hac ex 4. literis concordantia loco E. & F. lat. sumitur Teth hebr.

quin bonum esse non optetur. At nullum bonum perfectum esse potest ex integra sua causa (nam malum ex singulis defectibus oritur) ad quod Religiosus incipiens tendit sine doctrina ista, qua sub gratiæ Dei plenitudine docemur *esurire*, ne effrenis gula insolescens à magna Patris familiæ, scilicet Dei cœna miserrimè excludamur, & ad famem sempiternam (quod Deus auertat) nos damnet. *Docemur fratrum conuiuijs* omninò pigrescere. Regnum enim Cælorum, & regimen Religionis, quæ Regni Cælorum assimilatur, non est cibus, & potus, ad quos illi sedulò inhiant, quorum Deus, & idolum venter, deferens in ore linguã, & gulam, & in animo ambitum. Per quem plurimi *ventre præambulo incedunt*, vt scribit Interpres, dum fratrum conuiuia cum suis, à quibus obsequentur, frequentant. *Exactor enim est venter* (ait idem Interpr. Dom. in Septuages.) *qui quotidie gulæ tributum cum clamore exigit*. Vnde & vt Deũ coguntur ipsum venerari, & vt exactorẽ inquietissimum, & turpissimum pingui, & iugi tributo satisfactum tenere. Atque in gratiam sui de cibis, & potibus, prandiis, conuiuiis, & similibus loqui, confabulari, & vbi hæc non arrident indignari in mensa, extra mensam, & vbique. Nam de cura boni regiminis, ac religiosæ disciplinæ eo ventri minus interest, cui propriũ est illud carmen apud Interpretem,

Gula, lingua, & ambitio quam perniciosæ Religioni

Cũ satur est venter, cantat miserere libẽter

Quo minus curat de altera vita, & gratiã Dei, & Religionis transfert in gulam, & in luxuriam duplicem, scilicet corporis, & præeminentiæ. Licet infelicissimi, ac miserrimi eius adoratores cogãtur ex altera vita nobis nonnunquam fateri, *Murmuratio, refectio, & ambitio ad tartara nos duxerunt*. *Sed hunc exactorem* (subdit Interpres) *pœnitens non audit, quia ei non ad voluptatem, sed necessitatem tantum obedit*. Et dum ita se gerit cum ventre, ventris adoratores abhorret, eos obsequi spe alicuius commodi temporalis erubescit, eorum oppressionem haud pauet, cũ eos inspiciant ceu *arbores autumnales, quæ à ventis circumferuntur*. Et quod *vita nostra vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*, Iacob. 4. super quem locum vide Interpretem Dom. 3. post Pascha.

Tria excidiũ religiosis moliũtur

Item docemur plenè in bonitatis schola, linguæ, & gulæ, & ambitionis expugnatores effecti, Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus autem plorare. Charitas enim christiana, & maximè religiosa vtrumque præstat. Docemur plenè *Humilibus* consentire, honorareq; maiores. Et ex manibus ipsius bonitatis in hac alphabetali schola accipiemus pro corona, ad humerũ deferẽda, librum illũ, de quo Iob. 31. *Librũ scribat ipse, qui iudicat vt in humero meo portem illũ, & circundẽ illum quasi coronam mihi*. Vbi Interpres ex D. Gregorio Dom. 14 post Trinit. *Librum in humero portare, est sacram scripturam operando perficere. Prius autem describitur in humero portari, & post sicut corona circundari, quia sacri eloquij mandata si benè portantur in opere, postmodum nobis victoriam exhibent in retributione*.

Quid est librum in humero portare

III. CONCORDANTIA.

HÆc sequens concordantia duabus literis constat, quæ sunt I. K. & in alphabeto hebraico sunt Iod *Principium*. Cheth *Vita*.

Duæ literæ in hac 3. concordantia

9 *In omnibus* minimè obediens Prælato suo Religiosus erit;

10 *Karitatem* insuper cum omnibus nec poterit tenere, vt decet, nisi incipiens seruire Deo, inhiauerit voluptate, & operatione ad principium infinitum, quod est vita æterna, & ad vitam æternã, quod est illud principium infinitum. Nam etsi sciret vniuersa, quæ scripta sunt, ex parte tamen cognoscit, & ex parte prophetat, & nunc per speculum in ænigmate videt. Non tamen merebit esse cũ Christo principio, & eius vita, ad quam lento gressu vel obedientia, vel charitate pergens, retro tandem respexit, ac remansit, & ineptus ad Regnum Cælorum, vt docet Euangelium, factus est. Nec merebit similis Angelis bonis in Cælis in gloria, sed Angelis malis in gehennam in pœnis fieri. Et dirum vindicis iustitiæ principium in morte æterna sine fine experiri.

Obedientia, & charitate ad Christum inhiandum

Obedientia ad hoc laborat (ait Interpres Dom. 20. post Trinit.) *vt ædificium boni operis in altum crescat*. Et Dom. 22. loquens de charitate. *Charitas*, inquit, *in quatuor maximè consistit. In cordis compunctione. Gloriæ contemplatione. Proximi dilectione. Propriæ vilitatis recordatione*. Quomodo igitur ad summum omnium principium in æternam vitã poterit quis eleuari post mortem, nisi eius obedientia ad hoc laborauerit, vt ædificium boni operis in altum cresceret: atque eius charitas compunctiua cordis esset, gloriæ contemplatrix, proximi dilectrix, propriæque vilitatis recordatrix?

Obediẽtia ad quid hic laboret.

Charitas in quatuor præcipuè consistit.

IV. CONCORDANTIA.

TRibus latinis literis hęc quarta concordantia conflatur, quæ sunt L.M.N. apud Hebræos Lamed *disciplina*. Mem *ex ipsis*. Nun *sempiternum*. Disciplinam, vt ad Regnum sempiternum gressus dirigere valeamus ex ipsis tribus versiculis sequentibus Seraphici Alphabeti intelligere fas est.

11 *Lumbos* stringens lubricos Domini timore, benè quidem in prima Ordinis scholæ infantia incipit euadere discipulus.

12 *Mundans* cordis oculum casto cũ pudore, incipit quoque sapientiam virorum perfectorum imitari.

13 *Nihil seruans* proprium, nudum sequens Christum, incipit tertiò reperire in ipso Christo veluti in proprio omniũ disciplinarum fonte omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei. Sicque Interpres noster super significationem trium nominum hebraicorum Agab, Micheas, Ramoth ex 3. Reg. 21. ita scribit in fer. Sabb. hebdom. 1. in Quadrag. *Agab*, idest *fraternitas Patris* omnem hominem signat, qui adoptatus per fidem, & gratiam ad Regnum Patriæ ordinatur. *Micheas quis hic*, verè nullus vnde abest *timor Domini, cui solum* conuenit humilitatem stabilire. Quia *nisi timor Domini tenuerit te, cito subuertetur domus tua*, Eccl. 27, *Ramoth* excelsum signum, factus animi, qui benè dicitur Ramoth, idest *aceruus testimonij*, quia omnis mundana prosperitas siue casus est sibi testis. Ait enim, ego deficio sicut dicit D. Bernardus. *Ruina ipsius voces sunt eius*.

Qui addiscit Alphabetum Bonau. à Dei gratia in alphabeto infantuli Ioãnis nostri cruciformiter præmonstratum, infans fit in schola Minorum, atque *Agab* per filiationem adoptiuam Patris Dei dici potest. Inde statim transformatur in *Micheam*, nam factus *quis hic* in aliorum sciscitatione, poterit illis responperi, hic ille est, in quo timor Domini lumbos stringens lubricos, tenet firmiter domum mentis suæ, cui partes tres (teste eodem Interprete Dom. 10. post Trinit.) scilicet *Humilitas* pro fundamento, *Virtutum congeries* pro parietibus, *Charitas* pro tecto.

Sic tali timore, ab adoptiua per fidem filiatione deriuante oriens initium sapiẽtiæ, huius cælestis lumen mundabit cordis oculum casto cum pudore. Dabitque cum vno oculo Iob illos binos oculos, de quibus Interpres. *Beati oculi mundi corde, qui vident Iesum Christum*. Iob 42. *Nunc oculus meus videt te*. Beati oculi, quos stercus diuitiarum non excæcat. Nec lippitudo sollicitudinum obnubilat, *quia ipsi vident Dei filium*. Per hunc vnum oculum, & duos oculos simul benè videbit Religiosus, quod nihil proprium seruare debet, vt nudum sequatur Christum. Videbit in *Ramoth aceruum testimonij*, cauebitque omnem ruinam prædictam, quam humana prosperitas loquitur. Qui oculi vident Dei filium.

V. CONCORDANTIA.

HViusce quintæ concordantiæ literæ quatuor latinæ concurrunt O.P.Q.R. Ex alphabeto hebraico non habemus elementum, O. nostro correspondens. Loco eius posui ipse in imagine Crucis Hain, quæ quidẽ litera apud Hebræos est alterũ elementum A. cui interpretatio *fons*, siue *oculus*. P. deinde latinè ex hebræis Pe *oris*, Q. ex Coph *vocatio*, R. ex Resch. *capitis*. Sequamur modò alios quatuor versiculos Alphab. Bonau. Quatuor lit. in hac 5. concord. conueniunt.

14 *Onus leue sufferens, Mũdum vincens istum*. Pauca dicit, sed multa docet, quæ potissimum ad æterni luminis fontem eò mentis oculum habere monet, quò post suaue Christi iugum, post illius leue pondus, ad requiem perennem pennis Columbæ in ictu oculi peruenitur. Vnde Psaltes. *Quis dabit mihi pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam*. Item subdit tibi Quid est onus leue sufferre per mũdi victoriã.

15 *Passum Christum recole corde gemebundo*, suadetque profectò, vt oris Christi osculum perardenter cum sponsa appetas, si ad professam perfectionem inhianti affectu quamcitius attingere cupis. *Osculetur me osculo oris sui* Cant. 1. Vbi Interpres, aliàs datus. *Osculum hoc est fœdus perpetuæ pacis*. Dum enim motus animæ, & sensualitatis sunt ordinati inter se, & saporem suum infundit Deus animæ, *tunc est animæ perfectio*. Ad hanc perfectionem attingendam, & capessendam vocatio capitis Ecclesiæ (quod est Verbum caro factum, & est Christus passus, & hic osculum animæ est, dum corde gemebundo recolitur) per studium sacrorum librorum, quod semper vocat, & semper allicit, instanter prouocat. osculum mysticè perpetuæ pacis fœdus est.

16 *Quærens Dei gloriam, & nihil aliud in Mundo*.

17 *Resistendo vitijs, orando feruenter*. Etenim, teste Interprete nostro loco cit. *Qui in stadio doctrinæ euangelicæ, & decem Decalogi præceptorum, & quinque sensuum dele-*

delectationis mortificandæ benè currit, bravium, idest remunerationem coronæ incorruptibilis accipiet, dummodo antea onus leue patienter sustulerit per victoriam mundi, passum Christum corde recoluerit gemebundo, quæsierit Dei gloriam, & nihil aliud in mundo, restiterit vitiis, oraueritq; feruenter. Torpor enim in oratione, alterius gloriæ, quam Dei quæsitio, Christi passi obliuio, reluctatio ad onus leue per subiectionem ad mundi tyrannidem vanam reddit professionem, & religionē, & currentem in stadio vel à cursu remouet, vel ad casum impellit.

Torporis in oratione damna.

VI. CONCORDANTIA.

AMplectitur hæc penultima concordantia quatuor characteres, scilicet S.T.V.X. Apud Hebræos S. est Sin *dentium*. T. est Thau, *signa*. Elementum V. respondens nostro, non habent, neque X. habent, cuius loco posui ipse *Zain*, quæ litera significat *Hac*, & est primum *Z*. in illorum alphabeto. Itaque ex tribus literis hebraicis, *Sin, Thau, & Zain* fiunt hæ tres dictiones veluti in vna cōpleta oratio, *dentium signa hæc*. Videamus modò quomodo conueniat hæc oratio ad incipientium religiosorum pædagogiam iuxta sequentes versiculos Seraphici Alphabetarii.

Quator lit. explicantur in hac sexta concord.

18 *Sacramentum sumere debes reuerenter*. En primò elementum S.

19 *Tu motum mentis comprime, iram mitigando*. En secundò elementum T.

20 *Vanaque colloquia sollicitè vitando*. En tertiò elementum V.

21 *Xpo frui cupiens, cellam frequentabis*. En quartò elementum X.

In Sacra Scriptura *dentes* misticè, ac spiritaliter diuersimodè accipiuntur. In rem præsentem quæ de dentibus affert Interpres noster in serm. Dom. 14. post Trinit. præstant sanè haud parum. *Nunquid ad præceptum tuum volabitur Aquila*. Iob 39. Ex hac Iob quæstione refert Interpres nonnulla de Aquila, prout est viri iusti simbolum, sed potissimū illud, quod hæc auis regia ex tribus ouis, duo tantū, proiecto tertio, in nido ponit. Nota, subdit, quod tria oua, vel tres filii Aquilæ sunt tres amores Viri iusti, scilicet amor Dei, proximi, & sui. *Quem tertium omninò à nido suæ conscientiæ debet expellere. Priuatus enim amor sui valdè impedit amorem Dei, & proximi*. Et ideo omninò abiiciendus est, quem filium Iob à nido suo eiecerat, cum dicit, *Lacero carnes meas dentibus meis*. Dentes dicuntur quasi cibos diuidentes, *& significant sensus interiores, qui singula inquirunt, & quæ cogitant quasi mandunt, & comminuunt, & ad ventrem memoriæ transmittunt. His dentibus Sancti si qua carnalia deprehendunt in se, vehementer in se ipsis insequuntur, & à nido propriæ conscientiæ eiiciunt*. Quid pulchrius in rem nostrā, quid luculentius? *Dentium signa hæc* sunt iuxta alios quatuor versiculos Bonauent. iam præscriptos. *Dentes* hominis interioris, & spiritualis *circa Sacramenti Altaris sumptione* in quodlibet irreuerentiæ signū durè acuendi, vt illud à conscientiæ nido expellant. Pariter motum mentis comprimentes, elatæ mentis, & iracundiæ fomenta confringūnt. Vanaque colloquia multa vigilantia discerpunt, eius carnales appetitus lacerantes. Sensibus interioribus, quorum sunt simbola, singula inquirunt. Et quæ cogitant (dum mens religiosa *frequens in cella Christo frui cupit*) quasi mandunt, & comminuunt, & ad vētrem memoriæ transmittunt. Id testari potest hæc mea cellula, in qua annis quatuor completis commorans perassiduè, opus Hierarchichum, & istud de Francisco ter Legislatore, & nonnulla alia edidi opuscula, apud me M.S.

Tres amores in viro iusto qui.

Amor priuatus quā perniciosus.

Dentes misticè sensus interiores.

Acuendi in mentis defectus.

Assidua cellæ commoratio proficua admodū religioso.

VII. & VLT. CONCORD.

TRes literæ remanent in hac postrema concordantia breui explicandæ, scilicet Y. Z. Et. Pro litera Græca y. quam Latini à Græcis mutuant ob nonnullas dictiones, de quibus supra, posui ipse in Cruce altera alphabetali elementum hebraicum *Samech*, quod est apud Iudæos S. altera, & interpretatur *adiutorium*. *Ypsilon* etiam, inter quatuor misticas Græcorum literas princeps, illud dextrorsum ostendit adiutorium, teste Pithagora, qui hanc literam inuenit, quod ad beatam vitam tendit. Z. nostra respondet *Zadich*, siue *Zaddi* hebræorum, apud latinos est significatiuè *Iustitia*. *Vau* est *Et*, quam Latini copulam nuncupant, quaque Bonau. Alphabetum suum claudit sub litera Y.

Tres literæ explicantur in hac postrema concordantia.

22 *Iesum* (more antiquorum Romanorum) super omnia dulciter amandum posuit Seraphicus Alphabetarius. Ita enim scripsit Pilatus in Titulo Crucis latinis literis *Hyesus Nazarenus*, &c. vt superius adnotauimus. Posuit deinde sub litera Z.

23 *Zelum* Dei, charitatis igne feruentem. Denique sub copula *Et* (quam Alphabatarii pro infantulis imprimunt in abecedariis cum aliis tribus sillabis *con, rum, bus*) ad infantiam Religiosorum inci-

Ter vlt. versiculi alphabeti Bonau.

pientium instructionem posuit.

24 *Et in te peccantibus* benignè ignoscas. Addiditque statim sententiosè veluti appendiculam quandam,

Non nomen, sed factum, non verbum, sed adiectum facit beatum.

Adiutorium ergo, iustitia, Et, sunt tres dictiones, quæ inter se permutatæ (Græcis *antistacon* est literarum permutatio) faciunt hanc orationem, *Adiutorium, & iustitia*, vel *iustitia, & adiutorium*. Iesum autem super omnia dulciter amare quid est? Respondeat Interpres noster literulā græcam y. subiiciens in prima responsi sui voce, loquens de Ysachar, quem alloquens, eiusque futura prædicens parens suus Iacob Genes. 49. ita inquit. *Ysachar asinus fortis accumbans in terminis, vidit requiem, quod esset bona, & terra quod esset optima, & supponit humerum suum ad portandum*. Quem textum ita expendit Interpres in serm. Dom. infra oct. Natiuit.

Paupertatis simbolum Ysachar.

1 *Ysachar*, qui interpretatur *merces*, significat Paupertatem, quæ omnia temporalia abiicit, vt mercedem æternitatis accipere possit. Asinus est animal oneriferum, quod asperis, & vilibus vescitur. Sic Paupertas portat pondus diei, & æstus, grossis, & asperis pascitur. Sequitur.

Termini, in quibus requiescit paupertas duo.

2 *Accumbat in terminis*, non inter terminos. *Duo sunt termini, ingressus scilicet, & egressus vitæ nostræ. In his accubat, idest requiescit Paupertas*. Considerat enim pauperrimum hominis ingressum, & vilissimum eius egressum. Et ideo non vult accubare inter terminos, vt audiat (sicut dicitur Iudic.) sibilos gregum, idest suauem suggestionem Dæmonum. *Inter terminos habitat, vel accubat qui ingressum, & egressum vitæ suæ non attendit. Sed in carnis voluptate, & mundi vanitate requiescit*. Sequitur

Paupertas supponit humerum ad portandum Iesum.

3 *Vidit requiem, quod esset bona*. Requiem scilicet cælestis beatitudinis, quod esset bona; & terra æternæ stabilitatis, quod esset optima, & *supponit humerum suum*, ad portandum scilicet *Dei filium*. *Ipsum Iesum portat*, cum pro amore ipsius omne, quod ei accidit, patienter supportat. Vnde Ecclesiast. *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe. Paupertas ergo in humeris portat*. Hæc fuit Interpretis conclusio ibidem supra Genes. 49. de *Ysachar*.

Paupertas ergo omnia temporalia abiiciens pro æternis, & in terminis suis requiescens, requiemque æternæ beatitudinis inspiciens pondus diei, & æstus, veluti iumentum oneriferum, quod asperis, & vilibus vescitur, portat. Portat quoque & ipsa amoris humero, quo &

Sic etiam in tali portatione duos humeros acquirit.

cuncta aduersa supportat, *Dei filium*. *Portat ipsum Iesum*, pro quo & amans super omnia fit, & patiens omnium aduersitatū fit. Sicque ratione huiusmodi amoris patientis, & potentiæ amātis duos acquirit humeros Paupertas, vt cōcludit Interpres illis verbis. *Paupertas ergo in humeris portat*. Dum fit digna, vt supponat Iesu humerum, est *iustitia*, idest Sanctitas. Dum actu Iesum portat, est adiutorium, quod venit sibi, vt portari valeat ab ipso, quem portat, Iesu, iuxta illud, *adiutorium nostrum in nomine Domini*. Ipse Iesus portatus Iustitia, & adiutorium per essentiam est, vnde omnis nostra iustitia, & adiutorium. Quid simile protulit Augustinus serm. 13. de tempore super Lucam cap. 2. de Beato Simeone summo Sacerdote, Iesum puerulum in vlnis suis accipiente. *Simeon Senex*, ait, *ferebat Christum infantem, Christus regebat Simeonis senectutem*.

Sic est iustitia, & adiutoriū in Iesu, qui est iustitia, & adiutorium per essentiam.

Hæc Paupertas, de qua loquitur Interpres noster, meritò in Alphabeto Bonau. ceu radix, & fons omnium bonorum prima est, sicut & inter beatitudines euangelicas. Nam

Amor paupertatis in principio Alphabeti Seraphici vt illius fons.

1 *Amata Paupertas* vilibus contenta est, vilibus & asperis vestitur. Paupertas omnia temporalia abiiciens, vt mercedē æternam acquirat, necessario

2 *Bonis semper actibus* fit iugiter intenta est.

3 *Cauet multiloquium*, studetque silere.

4 *Deum omni tempore* præ oculis habet.

5 *Esuriem amplectitur* gulam refrenando.

6 *Fratrum* conuiuia, vt sibi peraduersa contemnit.

Paupertas videns requiē, quod est bona, & terra æternæ stabilitatis, quod est optima.

7 *Gaudet cum gaudentibus*, cum flentibus plorat.

8 *Humilibus consentit*, maiores honorat.

9 *In omnibus obediens*, Prælato paret.

10 *Karitatem* insuper cum omnibus obseruat.

Paupertas ad onus diei, & æstus assuescens,

11 *Lumbos* stringit lubricos Domini timore.

12 *Mundat* casto pudore cordis oculum.

13 *Nihil seruat proprium*, vt nudum Christum sequi possit, iam omnium temporalium exuta.

14 *Onus* leue suffert, mundum vincit istum.

Paupertas oneri diei, & æstus assueta

Pau-

Paupertas in terminis suis accumbans, & requiescens,

15 *Passum Christum* corde gemebundo recolit.

16 *Quærit Dei gloriam*, & nihil aliud in hoc Mundo.

17 *Resistit vitijs*, feruenter orat.

Ipsa cōplet alphabetum Seraphicum

18 *Sacramentum sumit* reuerenter, ac deuotè.

Paupertas demum complens totum Alphabetum Seraphicū, veluti princeps, & primiceria in pædagogia Franciscana, dum supponit humerum ad portandum Dei filium, facta iustitia, & adiutorium ab ipsa Dei filii iustitia, & adiutorio, ne sub tam digna sarcina viliter cadat.

19 *Tumorem comprimit* mentis, iramque pectoris mitigat:

20 *Vana colloquia* vt morum corrumpentia sollicitè fugit.

21 *Xpum frui cupit*, cellam frequentat. Quem portat feliciter humeris suis,

22 *Iesum super* omnia dulciter amat.

23 *Zelo Dei feruet* charitatis igne.

Factum, & adiectū, non autē nomen, & verbum vult vera paupertas.

24 *Et in se* peccantibus ignoscit benignè. Sciens, quod

Non nomen, sed factum, non verbum, sed adiectum facit beatum. Factum enim Euāgelicæ Paupertatis, quam omnes Religiosi profitentur, dum nomini respondet, & adiectum verbo, soluit Christi linguam in illo sermone super Montem Thabor, vt inciperet *Beati Pauperes spiritu*, &c. Paupertas enim spiritu dum totum hominem interiorem possidet, factum & adiectum amplectitur, exteriora verò, quæ sunt nomen, & verbum ab se abiicit, quotiens interioribus minimè correspondent.

A' literula A incepit addiscere alphabetum suum Ioannes noster in infantia naturali. Ea princeps litera præmonstrabat ipsi soli amorem Paupertatis altissimæ, nulli alii antea ex Ordinum Institutoribus concessæ. Ab hac exordiendum in infantia spirituali opus innouationis totius Christianitatis à prima penè illius infantia. Sicut de facto ab ea postea incepit tam Franc. in Christi Cruce, quam tota Christianitas in ipso per doctrinam Crucis; & nonnisi post monstratum ipsi cælitus armamentarium, militaribus armis, Cruce signatis confertum. Vbi sub duplici Crucis insigne didicit alphabetū suum, & prima rudimenta introductoria ad simplicem sillabarum, & dictionum coniunctionem, necnon & lecturam orationum, quæ in abecedario sunt impressæ, in alphabeto deinde Religiosorum incipientium à Cruce Franciscus initia præstitit, & per nouum, ac peculiarem modum, sicut nouum, & peculiare debebat esse opus illud triforme, ab ipso incipiendum, persequendum, & complendum.

Prima litera alphabeti præmonstrauit Ioan. nostro amorem paupertatis.

Ab amore ergo Paupertatis incæpit spirituale alphabetum Franciscus, & illud proprium, quod postea ex eius schola rescribens Bonau. tradidit Religiosis incipientibus. Quantum in ipso profecerit Franciscus, vix incipiendo eum legere, & addiscere à paupertate, patet ex visione, quam habuit Innocentius III. vbi inspexit eum vt pauperculum, humero suo Basilicam Lateranam sustinentem. Quasi de ipso prophetauerit Iacob in Ysachar illis verbis; *Et supponit humerum suum ad portandum*, prout interpretatur Doctor noster. In huiusmodi alphabeto Cruciformi profectus Francisci semper creuit, & nunquam dixit sufficit, hinc non mirum, si postquam in illa visione contuitus est idē Pontifex, quod *proprio dorso submisso* Frāciscus sustentabat Lateranum, ruinæ proximum, deinde duo dorsa, seu duos humeros Vir sanctus acquisierit, coniungens altissimæ Paupertati altissimam humilitatem. Nam dicit Interpres loco citato immediatè. *Paupertas in humeris portat Iesum, Humilitas verò ad pectus, & in brachijs.* Quæ bina portatio illam binam Francisci portationem denotat, quæ illi soli cōcessa fuit. Nimirum internam, & externā per vulnera Christi, & clauos, quos in corde ipse prius inuisibiliter detulit, postea in corpore visibiliter. Factus sibi *Iustitia, & adiutorium* Christus, & ipse in Christo factus *Iustitia, & adiutorium* totius Ecclesiæ, ab ipso alphabetaliter instructæ, atque amore Paupertatis reparatæ. Aliud denique artificium animaduertendum in breui præsentis alphabeti constructione. In qua principio posuit Seraphicus alphabetarius *Amorem Paupertatis* veluti *alpha*, scilicet caput, & radicem omnium dicendorum. *Ama Paupertatem, sis vilibus contentus*. In eius deinde fine veluti *omega*, & centrum omnium bonorum operum per copulam *Et* posuit charitatem, & amorem erga in nos delinquētes, illis verbis: *Et in te peccantibus ignosce benignè*.

Quantus Frācisci profectus in studio alphabeti Seraphici.

Bina portatio Iesu, scilicet intern̄a & externa in Franc. vnita

Aliud artificium in con structione alphab. Bonau.

Super Euangelium de dilectione inimicorum, *Audistis quia dictum est antiquis*, Matth. 5. ita exponit Interpres noster fer. 6. de diligendis inimicis. Secundum, inquit B. Gregorius lib. 28. Moral. cap. 19. *Charitas dicitur vinculum perfectionis, quoniam omne bonum, quod agitur per illam ligatur, ne pereat, &c.* Et paulò post. *Et ideo ad hanc charitatem habendam Saluator nos inducit in Euangelio hodierno, vbi suadet incendium, vt hostes diligamus, &c.* Et inferius demonstrans iuxta literam Euangelicam

Charitas circa hostium dilectionem incendiū dicitur.

Hoc incendium triforme esse debet.

licam ex huiusmodi incendio erga inimicos peregrinum, triplexque oriri charitatis ligamen per dilectionem, subdit. *Dilectionem Saluator suadet quãtum ad tria, quantum ad affectionem cordis, diligite.* Quantum ad subiectionem operis, *benefacite*. Quantum ad locutionem oris, *orate. Amicitia enim in corde radicatur. Ore reuelatur. Sed opere comprobatur.*

Vide pulchrum ligamen alphabeti seraph. Ergo cum omnes virtutes ad charitatem veluti ad proprium centrum, in quo ligantur vt conseruentur, propendant, *Et in nobis peccantibus benignè ignoscere*, nihil aliud sit, nisi magnæ charitatis incendium, in quo tria in vnum, ne rumpi possit (vt etiam docet Interpres fer. 3. hebdom. 3. Quadrages. in principio) fortiter ligantur; quidquid operis virtuosi in alphabeto Bonauenturæ suadetur ab eius exordio ad ipsius finem ex natura charitatis inspicit. Charitas namque potissimum erga hostes impensa trahit ad se.

Charitas trahit amorem paupertatis spiritus. 1 Amorem Paupertatis spiritus circa vehemẽtiorem animi nostri affectionem, quæ nos natiuo fomite ad vindictam de inimicis prouocat, & ex Dei mandato ea expoliari cogemur, & digna amplecti cum patientia vilipendia. Quia *Charitas patiens est*. Ipsa

Bona opera vnit. 2 Bona opera dignificat, vnitque fortiter. Quia *Charitas non agit perperam*.

Cauet multiloquium. 3 Cauet verba superflua, silentium sibi amicum efficit. Quia *Charitas non irritatur*.

Deum præ oculis habet. 4 Deum omni tempore præ oculis habet, imò ipsa Deus est, in quo manet, & è contra. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Ipsa

Esurie corpori cibat animam. 5 Esurie corporea animam cibans, in cordibus nostris diffusa per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, *omnia suffert*, ac proinde effrœnem gulam iugulat.

Fratrũ conuiuia cõtẽni. 6 Fratrum conuiuia ob Dei mensam, in qua accumbans Deus ipsi administrat, paruipendit.

Gaudet cũ gaudentibus. 7 Gaudet cum gaudentibus, cum flentibus plorat, quia *non gaudet super iniquitate, congaudet veritati*.

Humilibus consentit. 8 Humilibus consensit, maiores suos honorat. Quia *non quærit quæ sua sunt, non est ambitiosa*.

In omnibus obedit. 9 In omnibus licitis obediens est, maximè Prælatis suis; Quia *patiens est, benigna est* in Christo suo, & cum Christo suo virtute sua, scilicet virtute Spiritus Sancti, qui est fons viuus, ignis, charitas concepto, facta & ipsa obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Ipsa

10 Kara omnibus est, omnes æquo contuitu inspiciens; quia *non æmulatur, omnibus omnia* cum Apostolo effecta. Kara omnibus est

11 Lubricos lumbos, spiritus timoris Domini per munus septiforme genitrix, fortiter constringit. Lũbos strin-git lubricos.

12 Mundat, purificatque casto cum pudore cordis lumina. Mundat cordis oculum

13 Nihil proprium seruare potest cum nudo Christo, in quem suos transformat. Ipsa deinde Charitas, omnia sustinens, Nihil proprium seruat

14 Onus quodcumque sibi leuissimum est, præter peccatum, quod sufferre non potest. Præter mundum, quem victus sub pedibus idcircò tenere satagit. Onus omne sibi fit leue

15 Passum Christum corde gemebundo adeo recolit, vt cum ipso patiatur, elangueat, dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. In Cruce spiret cum Christo, *quia fortis est vt mors dilectio*. Passum Christum recolit

16 Quærit in Mũdo nihil aliud (quia dum sapiens est nihil aliud scit quærere) quam Dei gloriam. Quærit Dei gloriam

17 Resistendo vitiis, imò & destruendo, quia ligat virtutes omnes, dum orat, feruenter orat, quia *non cogitat malum*. Resistit vitiis

18 Sacramentum sine reuerentia sumere nescit, quia filia Dei est, *& omnia credit, omnia sperat*. Sacramentũ reuerenter sumit

19 Tumorem, siue iram mentis comprimit, quia non inflatur. Tumorem comprimit.

20 Vana colloquia abhorret, sollicitèque vitat, quia *Charitas ædificat*. Et vt cætera vno verbo claudam, Charitas est, quæ in viro Religioso Vana colloquia aborret

21 Xpum frui cupit, cellam frequentando. Xpo fruitur

22 Yesum super omnia dulciter amat. Yesũ diligit

23 Zelo Dei feruet triplici incendio, iuxta doctrinam Euangelicam erga inimicos, quia eos diligit, pro eis orat, eis benefacit. Propterea rediens ad semetipsam, vt ad proprium cæterarum bonorum operum centrum, Zelo Dei feruet

24 Et in se peccãtibus benignè ignoscit. Ipsa enim *nunquam excidit*, maximè vbi respicit proximum sibi infestum, vt videtur annuere Interpres noster in Dominica 21. post Trinitatem ex Diuo Gregorio illis verbis. *Tunc alta Charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit. Et quæ benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa, &c.* Sed quando hæc Charitas benignè descendit ad infima? Iam ostendit Bonauentura in postremo versiculo Et in se peccantibus ignoscit. Sic nunqui excidit ab infima descendens ad summa.

sub

sub copula Et, addens statim, *In te peccantibus ignosce benignè*. Nullus enim alius Charitatis descensus potest esse infimior isto. Per ipsum ascendens Charitas ad summa Cælorum, ibique nunquam excedens, sicut excidit fides, & spes, experitur, quod crucifixa cum Christo, ignoscens inimicis incendio triplici, cruciforme totum Alphabetum Seraphicum iure efformandum est. Quia ipsa illis viginti tribus monitis totū hominem spiritualiter crucifigens, & totum mundum in homine, eum eleuat ad supremam Dei filiationem, vt in alia vita videns ipsum facie ad faciem, cantare possit liberè

Non nomen, sed factum. Non verbum,
sed adiectum facit beatum.



Tertium

Tertium Seraphicæ Bibliothecæ Alphabetum purè Latinum, in ſex partes, iuxta ſex D. Bonauent. monita diſtributum, atque rythmico Alphabeto eiuſdem ſub alia forma conformatum.

Domine

I. N. R. I.

Vade, Franciſce.

I

A Duplex vigilantia altera circa orationem
B Altera circa San-
C ctorum Lectio-
D nem.

Et repara.

Doce me facere psal.

II

E Studium de cordis,
F & omnium ſen-
G ſuum corporisho-
H neſtate.

III

I Super cuſtodiam
K linguæ ſedula
L cura vigilan-
M dum.

IV

N Summa ſit ſollici-
O tudo circa ædifica-
P toria,per verba vel
Q referenda, vel loquenda.

Voluntatem tuã: cxlii.

V

R Memoria benef.Dei, & peccatorum. Me-
S moria deſideriorum Paradiſi.Memoria pœ-
T narum Inferni. Memoria tribulatorum.
V Memoria miſeriarũ Mundi.

Domum meam, quæ vt cernis

VI

X Nullos alios in cor-
Y de, vel in ore, ni-
Z ſi nos ipſos iudican-
Et dos.

Tota deſtruitur.

✠

Signum
Clementis Papæ III.

Alpha-

Vide tom. 4. Theatr. nouissimi vitæ humanæ mul ta circa omnia literarũ genera.

APud Authorem Theatri vitæ humanæ nuper citatum habes Lector dignis synopsibus per collectaneum ex scriptoribus tum antiquis, tum recensioribus sub litera L. definitionem, & ethimologiã literarum. Variam vocis acceptionem, & scriptionem. Literatũ inuentores. Quos primos ab Hebræis literas acceperint. Literarum numerum apud Latinos, & Græcos, & aliarum gentium scriptores. Literarum adiectarum authores apud Græcos & Latinos. Ordinem, siue stationem literarum, & figuras in genere. Nomina, & pronunciationem, earumque originem, & causam apud Hebræos, Syros veteres, Arabes, Turchas, Persas, Phenices, Samaritanos, Iones, & Græcos. Æthiopes, Iacobitanos. Latinos. Hispanos. Gallos. Italos, Germanos, Anglos. Belgas, &c. Armenos ex Bibliotheca Vaticana. Sclauos. Saracenos. Moscouitas. Habes ibidem tria integra alphabeta, Hebraicum, Græcanicum, Latinum. Literarum notas, & figuras communes. Vsum, & dignitatem literarum, Earũ formam apud Ægyptios. Et alia digna scitu habes apud eundem authorem circa literarum significationẽ, scriptionem, pronunciationem, vbi agit de Grammatica in fine, & de scriptione, & literarum vi, & obligatione, quam inducunt.

Et alibi apud ipsum plura habes de literis

Verum literæ omnes latinæ in hoc tertio alphabeto nostro purè latino in sex partes distinctæ, nihil aliud, mi Lector, tibi exhibebunt, nisi alteram concordantiam, sex monita, & totum alphabetum rythmimicum prædictum D. Bonau. sibi annectẽtem. Hanc eandem concordantiam præmonstrauit quoque Gratia Dei, quæ ab ortu Francisci in stabulo apparuit, & in illius infantia. Quæ quidem in ipsa eius instructione alphabetica alphabetalem eruditionem binæ eius infantię Apostolicæ ad omnium nationum, circa fidem Romanam per se, & per suos tres Ordines in toto Orbe instruendarum profectũ auspicata est. Nec sub alia forma huiusmodi alphabetalis doctrina proponenda erat, nisi sub forma triplicis Crucis iuxta numerum trium allocutionum, à Christo de Cruce Francisco effectarum. Tum quia ipse Christus per Crucem suam, & per doctrinam Crucis redimens Mundum, per eandem postea ipsum, sub mole vitiorum in extremam vetustatem, ac decrepitatem redactum, reparare, & innouare fas erat, mittens ad tam arduum opus Franciscum.

Cur sub crucis forma omnis alphabetalis doctrina Franc. exhibita.

Cornua tria huius tertiæ Crucis nostræ indicant Signum illud Clementis Papę III. quod his verbis affert Ciacconus. *Domine doce me facere voluntatem tuam*. Creatio Clementis III. doctrina, prudentia, vitæ integritate Viri, etsi ætate iuuenis, nec prædecessoribus suis Lucio III. Vrbano III. & Gregorio VIII degeneris, contigit die 6. Ianuarii, Epiphaniæ Domini sacro, ad annum 1188. sedit annos 3 menses 2, dies 20. Quare infantia Ioannis nostri ex Pontificatu Clementis III. participauit, ni fallor, menses octo cum dimidio, quo tempore periodos annorum septem, qnibus includitur prima hominis ætas, expleuit, & suam incepit pueritiam.

Explicatur signũ Clem. PP. iii. Fr. ic. infantiam complentis.

Doctrina Domini de eius facienda voluntate in Christi Vicario, doctrina Crucis est, & nonnisi infantium, & puerorum Euangelicorum. Hanc Christus clausit in oratione Dominica *Pater noster* in tertia petitione illis verbis, *Fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra*, Matth. 6. Quam orationem in alphabeto puerorum, Cruce in principio signato, simul cum Salutatione Angelica *Aue Maria* legimus. Oratio Dominica, quã composuit Christus, traduntque Pædagogi infantibus simul legendam, vbi addiscunt alphabetum infantiæ Apostolicæ interest. Apostolis enim dixit Dominus Matth. 6. *Sic ergo vos orabitis. Pater noster, qui es in Cælis, &c.* Apostolisquoque, ipsum interrogantibus Matth. 18. Quis putas maior est in Regno Cæloum? nullum aliud responsum dedit, nisi prius *aduocans paruulum, statuit in medio eorum, & dixit. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in Regno Cælorum. Et qui susceperit vnum puerulum talem in nomine meo, me suscipit, &c.* Quatuor vicibus paruuli Christus meminit in hoc loco, nec sine misterio, vt mox dicemus. Fuisse illum paruulum, quem ad se coram Apostolis, & Discipulis suis aduocauit, infantulum quendam, qui haud adhuc infantiæ cursum excesserit, patet ex commentario super hunc locum D, Hilarii, vbi ita describit omnemin vita Apostolica credentium vitam, ab ipsis Apostolis, speciem humilitatis Christi circumferentibus in infantiam christianam redactam,

Doctrina de facienda Domini voluntate infantię euangelicæ interest.

Oratio Dominica, Apostolis à Christo tradita, cur in alphabeto infantium impressa

Paruulus à Christo vocatus coram Apost lis infans erat.

Nonnisi, ait, reuersos *in naturam puerorum* introire in Regnum Cælorum Dominus docet. Id est *per simplicitatem puerilem* vitia corporum nostrorum, animęq; reuocanda. *Pueros autem credentes omnes per audientia fidem nuncupauit*. Hi enim Patrem sequuntur, Matrem amant. Proximo velle malum nesciunt. Curam opum negligunt. Non insolescunt. Non men-

Quomodo viri apostolici & omnes christiani ad vitam infantiũ reducẽdi

tiuntur. Dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. *Reuertendum igitur ad simplicitatem infantium. Quia in ea collocati speciem humilitatis Dominicæ circumferemus.*

Ista autem reuersio ad simplicitatem infantium efficienda est per omnimodam remotionem illius puerilis infantiæ, quæ cum tota mundana sit, ac proinde etiminum malitiæ occupata, infantiæ Apostolicæ, & Christianæ, eiusque simplicitati vndique aduersatur. Hinc Interpres noster, iam superius in hac re allegatus, sed aliis verbis, puerum nuncupat gulæ appetitum super 1. Reg. 2. ad illum textũ. *Veniebat puer Sacerdotis habens fuscinulam tridentem, & tollebat carnes crudas.* Et Interpres. *Sacerdos est venter, puer gulæ appetitus*, de quo Prouerb. 29. *Puer, qui derelinquitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Si enim gula appetitus non refrænatur, sed relinquitur voluntati propriæ, matrem, idest carnem suam confundit.* Quæ propter sibi immoderantiam aliquando ægritudinem incurrit, & quandoque ad laqueum perducit. *Iste puer habet fuscinulam tridentem, idest trium dentium, in qua notatur triplex rapina gulæ.*

Reuersio ad simplicitatẽ infantiũ per alterius infãtiæ amissionẽ efficienda est.

Puer Sacerdotis vèteris est gulæ appetitus

1 Aut enim aliena deuorando comedit.

2 Aut sua, prodigè viuendo, consumit.

3 Aut in cibis excessiuis tempus, & modum non custodit.

Fuscinula tridens triplex gulæ rapina.

His tribus dentibus omne, quod fuscinula leuat puer, Sacerdos venter sibi vendicat. Qui non carnem coctam, sed crudam vt lupus sibi dari desiderat, vt eum accuratius præparet. Hæc ibi Interpres, qui etiam in sermone Dom. 14. post Trinit. loquens moraliter de paruulo mundi, paruulo Euangelico aduerso vtitur generaliter in mundanam cuiusuis generis infantiam illa sententia Iob 5. *Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* Vbi sic ipse. *Paruulus est, qui appetit terrena. Magnus qui æterna. Paruulus ergo occiditur, quia nullus hac peste moritur, nisi qui hæc terrena appetit.*

Paruulus est appetens terrena.

Vide pulchram antiphrasim. Appetens terrena, in quacumque mundana celsitudine, & granditudine positus infans fit, & paruulus, cuius proprium alphabetum illud aulicum, quod supra retulimus, est. Appetens verò æterna, magnus est, sed magnus esse non potest, nisi paruulus efficiatur, & infans, vt monet Christus iuxta commentarium Hilarii, &c.

Appetens æterna magnus est.

Quod monitum Apostolis effectum est, & eorum successoribus, vt sunt maximè Christi Vicarii, qui Petro Apostolorum Principi succedunt. Atq; in Apostolico de Alphabeto, Crucis formã iure habente, ipsi potissimum rogare debet quotidie, *Fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra.* Vnde meritò Clemens III. sibi assumpsit simbolum illud vocale, *Domine doce me facere voluntatem tuam.* Hæc oratio necessitatem Ecclesiæ vniuersæ, in magno excidio communiter tunc positæ respiciebat. Inquit enim Interpres super illud *Fiat voluntas tua, &c.* Quasi dicat. *Sicut fit in iustis, sic fiat in peccatoribus. Visita ergo terram, & inebria eam, vt non spinas, & tribulos, sed granum plenum in spica, idest contritione, & confessione, quæ pungit, germinet, vt ex eo fiat panis bonæ voluntatis, confirmans cor hominis.* Hæc Interpres quasi ad orationem, & suspiria Clementis III. respiciens. Vicinumque remedium in infantia Ioannis nostri patefaciens. Per eũ namq; infantia apostolica præcellentem quamcitius debebat Deus visitare terram, & inebriare eam, vt non amplius spinas, & tribulos, sed granum plenum in spica per prima rudimenta pœnitentiæ, cuius alphabetum à contritione, & confessione exorditur, noua faciens omnia semper germinaret, triformiter reparata, & panẽ bonæ voluntatis cor hominis cõformantẽ abundè produceret. Quatuor vicibus meminit Christus, vt aduertimus, huius nominis paruuli, taliq; graduatione, vt ferè omnem spiritualem Ioannis nostri infantiam, ab Apostolica infantia ad viuum rettrahendam, expresserit.

Signũ vocale Clem. III.

1 *Aduocans paruulum statuit in medio eorum.* Franciscus passim seipsum paruulum nuncupans, in medio Apostolorum vt paruulus positus fuit à magna eius humilitate. Medium enim est proprius locus Iesu, vt diximus cum Interprete nostro, vbi de hora ortus Francisci. Franciscum namque loco sui quoad perfectam imitationem statuit Iesus per vitam Apostolicã, quatenus illum ceu idoneum Ecclesiæ Reparatorẽ, sibique anima, & corpore simillimum efficere ipsi placuit.

Franc. vt par uulus in medio Apostolorum.

2 *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Franciscus pro Regno Cælorum (vt non solum sibi, sed etiam toti Ecclesiæ ingressus Cælorum pateret) conuersus est, & effectus valde præcipuè paruulus. Miramur enim, eum huiusmodi paruitatis, & infantiæ eminentia ipsius Christi, paruulorum Ducis, & in ipsa paruitate summi, & huius paruitatis magistri altitudinem pertigisse.

3 *Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in Regno Cælorum.* Talis extitit Franciscus, neque si talis haud esset maior fieret in Regno Cælorum,

Paruulus Franc. in terra, & maior in cælis.

rum, vbi ad sedem primi Angeli euectus est.

Paruulus Francisc. omnem fermè amplectens, humilitatis dimẽsionem.

4 *Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Franciscus non solum omnes paruulos in nomine Christi suscepit, omnẽ fermè latitudinem, & altitudinem, & magnitudinem, & profunditatẽ religiosæ humilitatis per nouã, omnimodã, ac peregrinam imitationẽ ad vitã Christi, & Deiparæ, & Apostolorũ in sua puritate compræhendens, sed ipsum Christum pluries suscepit infantulum. Quæ quidem susceptio tanto specialior extitit in ipso (nam plurimi alii Sancti reperiuntur, qui meruerunt Iesum puerulum in vlnis suis suscipere) quantò postea ipse solus idoneus inuentus est, vt Christum Iesum, quasi denuò exinanitum in Cruce, & in ea duris clauis confossum, sub specie Seraphica acciperet, & cum ipso exinaniri, & visibiliter crucifigi. Et vbi Bernardus dixerat apud Bonau. tom. 7 de Regul. Nouit. Totus sit tibi crucifixus in corde, qui pro te fuit fixus in Cruce; id in Francisco aliter contigit. Nam totus fuit ipsi crucifixus in corde, & totus confixus in Seraphica Cruce, quando totus fuit vt Franciscum crucifigeret in carne, atque seipsum figeret in Francisco. Hæc tamen res tam prodigiosa, hocque tam peculiarissimum priuilegium causa extitit, vt Franciscus taliter infans, & paruulus euaderet, vt ad pristinam infantiam, in qua inceperat suum cruciforme alphabetum, rediret, vt alias rescripsimus ex cap. 14. Legendæ Bonau. in princip.

Suscepit Christum paruulum pluries in vlnis

Denuò seu iterum exinanitum super Aluernã

Monita sex Bonau. ex fine Regulæ Nouitiorum, singulis quatuor versiculis rythmicis attribuendo, harmonicè respondent cruciformi structuræ huius tertij Alphabeti.

IN Conuentu Fratrum Minorum Parisiis (verba sunt collectoris opusculorũ Bonau. tom. 7. ad finem Regulæ Nouitiorum) conuersante bonæ memoriæ Fratre Bonauentura tunc Generali Ministro, & post Cardinali: Frater iuuenis, studens ibidẽ, bonæ indolis, & ei satis familiaris, accessit ad eũ semel, & deuotè rogauit, vt sibi ex parte dignaretur, quomodo iuuẽtus sua posset in Ord. conseruari sine macula, & querela, & ad vitã æternã proficere. Qui magno cum quodam suspirio sic respondit. Fili mi iuuenis, si vis sine macula, & sine labe infamiæ conseruari in Religione, sex tibi mandata recole, & incessanter repone, quæ documentis, & exẽplis Sanctorum Patrum accepimus.

Vbi Bonau. & quãdo iuuenem quendam per sex monita instruxerit.

PRIMVM MONITVM cum quatuor literis Alphabetalibus A.B.C.D.

P*Rimo circa Orationem, & Sanctorum lectionem semper vigila. Quæ duo vt perficere possis, & non perdere, Ecclesiam valdè frequenta. Die & nocte cellam continua super omnia, ita quod extra eam, vel Ecclesiam nunquam inueniaris cum aliquo otiosus in via, vel in platea. Sed semper finito officio, vel finita commestione, vel seruitio, vel alterius obedientiæ mandato, sine aliqua mora regrediaris ad cellam oculis inclinatis, & ibi redigas te.*

1. Monitum circa orationẽ, & sanctorum lectionẽ versatur.

Duo, quæ in hoc primo monito clauduntur, haud difficile erit ad quatuor primas literas prioris partis huius tertii alphabeti, quæ sunt A.B.C.D. & ad quatuor etiam documenta, quæ sub hisce literis rythmicè claudit idem Bonau. referre.

A. princeps Alphabeti litera (non solũ ratione suæ dignitatis in pronunciatione, verum etiam ex ipsa natura, vt dicunt multi, & ipse ex doctrina Lyrani superius tetigi) amorem Paupertatis, contentæ vilibus merito explicat ante omnia alia in Alphabeto suo altero Bonau. Nam Paupertas inter Euãgelicas Beatitudines prima est, & antesignana. Ipse Martialis lib. 2. de Codro, *Codrus ait, alpha penulatorum*. Est penula, vnde & penulati, vestis densa, ac vilis ad arcendas à tempore pluuias. *Alpha* prima litera Alphabeti Græci, ac pro principe à Martiali ibi accepta, demonstrat argutè, ac facetè apud ipsum, vt commentatores aduertunt, quod Codrus ille, de quo ipse loquitur, primũ tenuerit locum inter pauperes. Iste Codrus in Ecclesia reparanda per altissimam paupertatem Franciscus antonomasticè extitit, ac proinde multa cum ratione Bonau. Francisci imitator sub A. amorem paupertatis, vilibus contentæ, atque idcircò penulatæ, & prout Minoribus excellenter attribuendæ, principio posuit. Huic Paupertati iunguntur tria alia sequentia sub literis B.C.D. Sed cuncta quatuor simul prædicta duo prioris moniti Bonau. amplectuntur.

Codrus alpha penulatorum quis ex Martial.

Codrus quòque is dicendus per excellentiam Franc.

Enim verò *Amor* religiosæ Paupertatis, vilibus contentæ, *Bonis* semper actibus iugis intentio, *Cautio* de multiloquio euitando, & de silentio seruando, *Deum* omni tẽpore præ oculis habere, & tum orationem, tum Sanctorum lectionẽ in huiusce Alphabeti studiosis exhibent. Immò vt video, omnia prædicta nonnisi profi-

Quomodo 1 ac biforme B. monitũ ad 4. primas literas reducatur.

cua oratio sunt, nonnisi sedula Sanctorum lectio.

1 *Amor Paupertatis*, ob quam religiosus debet vilibus contentus esse, oratione sua, quæ est eleuatio mentis in Deū ad Deum ipsum expeditè, & sine vlla rerum caducarum retardatione rapitur.

Oratio circa 4. quæ docet Bonau. sub primis lit. alphab.

2 *Boni actus* orationē illam efficiunt, de qua sponsus Christus, *Sonet vox tua in auribus meis*, &c. De hac oratione pluries Interpres noster aliàs adductus.

3 *Cautio multiloquij*, ac silentii cura; & studium in oratione maximè addiscitur. Per ipsam etiam & docemur

4 *Deum omni* tempore præ oculis habere. Atque & vt amatores Paupertatis, & vt bonis actibus semper intentos, & vt cautos circa multiloquium, sine quo discimus silere, ad frequentissimam Sanctorum lectionem nos prouocat. Vel dicamus, & fortè melius ex eodem Alphabetario alibi in 3. par. Centiloquii sect. 46. Oratio, inquit, sic describitur ab Augustino lib. de spiritu, & anima cap. 50. t. 3. *Oratio est pius mentis affectus, ad Deum directus*. A Ioanne Dam. orth. fid. lib. 3. c. 24. Oratio est ascensus intellectus in Deum. Idem ibidem. *Oratio est expressio desiderij directi in Deum propter bonum adipiscendū, vel malum remouendum, formata per verbū interius, & exterius*. Et magistraliter sic. *Oratio est ostensio voluntatis nostræ ei, à quo impetrare speramus id, quod desideramus*. Gregor. lib. 33. moral. cap. 21. in fine. *Veraciter orare est in compunctione amoris gemitus, & non composita verba resonare*.

Ipsa prouocat ad sācto rū lectionē.

Oratio quinque modis describitur.

Verum is pius mentis affectus, in Deū directus: Hæc intellectus ascensio. Illud expressum desiderium de bono adipiscēdo, vel malo remouendo: Hæc voluntatis nostræ ostensio ad id, quod speramus, impetrandum: Hæc denique amoris compunctio per gemitus, quomodo in orante possent reperiri vnà cum rebus illis, quæ monitis prædictis ex diametro opponuntur? Odium ad paupertatem per rerum pretiosarum appetentiam, Acedia aduersus bonos actus, Multiloquium sine vllo studio silendi, Acclusio oculorum mentalium ad Deum: optimè quidem orant in Pædagogia Mundi, carnis, & Diaboli, malè verò in Pædagogia Seraphica. Nam ibi pium affectum in Deum destruunt. Intellectus ascēsionem omninò deprimunt. Desiderium ad bonum retrahunt, atque ad malum accersunt. Voluntatem religiosam viliter descendere ad ima cohibent. Omnemq; compunctionem diuini amoris attenuant, ac desiccant. *Oratio* namq; (teste Interprete nostro Dom. 5. post Pascha) *est hominis Deo adhærens affectio, & familiaris quædam allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum quamdiu licet*.

Stare nō potest sine iis, quæ sub 4 primis literis explicat Bonau.

Quod autem attinet ad Sanctorum lectionem, item mihi in promptu est ipse Bonau. qui opusc. de institutione Nouitiorum cap. 4. quod est de otio vitando, & vanitate sensuum, hęc scribit pręcipua. Mundus, in quo fluctuamus, variis tempestatum ventis agitatur. Et qui non vult, Nauem cordis sui quassationibus conteri, vndarum influxione demergi, vel in extremas plagas vētorum flatibus impelli, affigere eam funibus bonarum cogitationum assuescat ad petram immobilem, quæ est Christus. Funem ne facilè rumpatur, ex triplici resticulo componas. Videlicet

Quam vigilandū super nauē cordis in mūdi mari

1 *Ex sacrarum scripturarum deuota lectione*.

2 *Ex sedulæ orationis compunctione*.

3 *Ex bonarum actionum humili exercitatione*.

Lectio dat materiam, & quasi semen bonæ cogitationis.

Oratio rigat. Et ad perfectum roborat, & cor illuminat ad intelligentiam. Et impinguat affectum ad saporem.

Petra Christus, ad quā nauis cordis triformis funis ligandą.

Bona actio, maximè condita pinguedine charitatis, & obedientiæ, vel alterius virtutis, lætificat conscientiam, & dat fiduciam spei in Deum. Etsi ad horam intercipit deuotionis quietem, tamen meretur postea maiorem dulcedinis infusionem, & gratiam puritatis.

Verum prædicta, quæ cōtra sunt *amori* paupertatis, *bonis* actibus, *cautioni* de multiloquio, Deo præ oculis habendo cum vitiosa reapse sint, nequeunt profectò per sacrarum scripturarum, Sāctorūq; lectionem materiam, & quasi semen bonę cogitationis exhibere; quinimò ex seipsis prohibent. Proindeque oratio si qua esset, nihil haberet, quod rigaret, & actio, non integrè bona (quia malum ex singulis defectibus) nihil prodesset.

SECVNDVM MONITVM & ipsum biforme, super quo vnū breui expendendum antequam suis literis concordetur.

SEcundò circa honestatem cordis, & omniū sensuum corporis tui super omnia stude. Quæ duo vt valeas adimplere, nunquam cum aliqua persona spiritualem familiaritatem habeas; sed omnibus sis communis. Ita quod nullus possit aduertere te, nisi communem, & nulli specialem, modo iam dicto.

2. Monitum cordis, & omniem sensuum corporis honestatem claudit

Quod docet hic Bonau. circa huius alterius biformis moniti obseruantiam

in

in praxi fundatur. Meminit me aliàs obiter tetigisse, sed non explicuisse id, quod mihi ad istud propositum apud Vrbem quandam Regni Neapolitani ad annum 1643. vel 1644. Guardianatus munere fungenti contigit. Muliercula quædam multum spiritualis, ac sanctitatis fama haud vulgariter præcellens, quę magnam partem non solum sæcularium vtriusque sexus, verum etiam Cleri, ac Religiosorũ suæ traxerat societati, de prophetico spiritu, & de patratis ab ea prodigiis palam acclamabatur. Tres, quibus vtebatur, cõfessarii, scripserant eius vitam ab illius ortu, & cuncta, quæ prædixerat (& iam adimpleta fuisse contestabantur) quæue ipsa effecerat, scripseratq; mirabilia diligẽter adnotauerant. Inter hæc mirabilia nec pauca, duo præcipua scitu, ac narratu digna hic referã. Alterum contigit, me prædicante in Ecclesia PP Conuentualium eiusdem Vrbis in festo Immaculatæ Conceptionis Deiparæ die Decembris 8 Circa finem concionis surrexit hæc muliercula in medio auditorii, proiectaque penula, extensisque hinc inde magno impetu brachiis quasi ebria ex repletione spiritus, cæpit statim sudore sãguineo per totam faciem perfundi, & sanguineis lachrymis flere. Plurimi statim ex Religiosis, nedum sæcularibus, linteolis, ac sudariolis tergentes vultum eius, colligerunt sanguinem ex deuotione. Quem sanguinem in iisdem linteolis ipse videns (à quodam Religioso mihi ostensum vix peracta concione) citò respondi iuxta genium meum, rem illam esse illusoriam, deceptoriam, & vanam.

Refert autor euentũ quendam, sibi ad annum 1643 contigentẽ.

Prodigiũ deceptorum eiusdam muliercula spiritualis

Alterum prodigiũ longe maius deinde euenit, vbi hæc Muliercula sacram communionem accepit è manibus sui principalioris Confessarii, Viri docti, optimiq; Concionatoris, & in conceptu spiritualitatis tum in suo Ordine, tũ in sæculo haud vulgariter: cui passim dicere antea solebat illa Muliercula, sibi filia spiritualis lectissima super cæteras, quasi prophetasset, quæ illi postea succedebant. Ea igitur vice vix sumpta communione, ceu furibunda, & effrœnis surrexit, eiecitque item panulam, qua cum corpore totam faciẽ etiam cooperiebat; paulisper stans fixa, velut tota in Deum absorta, mox statim cecidit veluti mortua. Quid autem ipsi tunc euenerit, reuelauit ipsamet eidem Confessario suo, cui ipsum casum illa antea prædixerat.

Alterũ eiusdem generis & deceptoriũ pariter.

Detulit postmodũ ei interulam laneam sanguine multo per totum conspersam, contestans illi ex suo corpore per sudorẽ effluxisse ob vehementem appræhensionẽ passionis, & tormentorum Christi. Vnde capta occasione, id quod antea à Præsule illius Vrbis post plures instantias, repetitasque expostulationes (fortè parum cõsultè effectas, vt postea probauit exitus) obtinere non potuit, obtinuit tandem etsi difficulter. Affectio huiusce Confessarii tunc temporis sui Cœnobii ibi Rectoris erga hanc filiam suam spiritualem ingens erat, & reciprocus. Quia ad inuicem ambo prædicabant suam sanctitatem, sibique multo apud populum, & magnates augebant conceptum, & nomen sanctitatis. Passim singulis annis cum aliis confratribus, & consororibus ad refocillandum spiritum pergebant àd loca recreatiua ad mare, ad vineta, ad villas, & pomaria. Ea namque Vrbs deliciis perabundat, & nonnisi 1500. passibus distat à mari. Prædicans semel in Cathedrali illius Vrbis prędictus Confessarius magno feruore, atque energia exclamauit lætanter ex pergamo, dixitque hæc formalia verba italicè. *Rallegrati ò fortunata Città, hauendo vna creatura, la quale ogni dì recita l'offitio della Vergine con l'istessa Vergine.* Lætare, ò felix Ciuitas, habens quandã creaturam, quæ singulis diebus recitat officiũ Virginis cum ipsa Virgine.

Aperit Confessario suo arcanũ illud.

Obtinuit igitur Confessarius ille ab illius Vrbis Præsule, vt huius tam sanctæ Religiosæ examinentur scripta, ac gesta, quasi inhians eam viuentem canonizari. Renuens autẽ Antistes ille examini præsidere, vt rogabat Cõfessarius, iussit tamen ei, admodũ super hac re sollicito, vt vocaret me; quod & fecit, licet reluctanter, vt ipsemet Antistes, vocans me per nuncium, mihi retulit.

Vide rem in discretam ex vnius mulierculæ sub specie sanctitatis deceptione

Quinque in eo examine fuimus, cum ipso Confessario, & alio etiam, quo ex tẽpore illa muliercula vtebatur, & Archipresbytero Ecclesiæ Cathedralis, Viro docto, atque theologo eximio. Durauit examen per horam integram, potissimum circa lachrymas antedictas, & sudorem sanguineum, quem non emanasse ex oculis illius, neque à corpore, sed aliunde arte humana, vel dolo satanico, nec esse humanum sanguinem nonnullis rationibus quantum potui, ac sciui contra illorum sententiam practicè demonstraui. Nihil tunc fuit conclusum, solum Confessarius ille maior tradidit mihi pauca quædam scripta poetica illius filiæ suæ spiritualis, quam me præsente extollebat vsque ad astra, vt ea veluti cælitus inspirata, ac dictata attentè percurrerem. Vix ostio Conuentus mei ingresso, detegi in eisdem scriptis, quæ per viam volueram, falsitatem huiusmodi Mulierculæ. Reperi enim

enim illorum authorem, & tamen ipsa contestata fuerat Confessario suo, apud quē de se magna fides, ex afflatu Spiritus S. ea scripsisse, & quod peractis aliis, quæ deficiebant, & finito opere, Christus Iesus celebraret secum nuptias, traderet ei annulum, declararetque eam sponsam suam. Prius namque dicebat, quod in frequentibus apparitionibus, in quibus nonnunquam missam ipse Christus sibi celebrabat, Angelis Christo celebranti inseruientibus, filiam suam solummodo nuncupabat, non autem sponsam.

Deteguntur eius doli.

Ex detectione illius falsitatis tota moles sanctitatis huiusmodi mulierculæ, & simul Confessarii sui (non sine maxima commotione totius Ciuitatis, & plurimorum regulorum, & Dinastarum vtriusque protectorum) corruit statim. Nam Antistes scribens Romæ, & interim ex ore mulierculæ detegens multa parum honesta circa administrationem confessionis sacramentalis (comprahendensque verū esse illud iuxta praxim, quod sæpenumero similis conuersatio spiritualis, valde peculiaris, & assidua incipit in caput muli, & desinit in caudam asini) accepit responsum, vt loco carceris assignaret illi ædiculam suam propriam, prohiberetque omnimodum commercium. Parum deinde stetit, & accessit Romæ sub Innoc. X. vbi vt muliercula seducta dimissa, ac derisa, pristini exercitii collationibus, & conuersatione penitus sibi interdictis, non multo post obiit in patria sua.

Cautio mul ta circa rem hanc adhibē da

Doctor Seraphicus illam familiaritatē spiritualem cum aliqua persona prohibet religioso viro, qui de honestate cordis, & omnium sensuum corporis debet super omnia esse sollicitus, quæ singularis est, valdeque domestica, & assidua. Hinc subdit. *Sed omnibus sis communis; quod nullus possit aduertere te, nisi communem, & nulli specialem.* Quod duo Religiosi eiusdem Ciuitatis minimè obseruabant cum vna præcipua discipula præfatæ mulierculæ, ad quam solam singulis diebus à mane vsque ad vesperam, & deinceps intendere volentes, chorum, & orationem relinquebant. In omnibus sensitiui, commoda propria multa cura perquirentes, Superioremq; dominari satagentes. Et se sanctos, sicut ab illa filia spirituali, quam sanctam ipsi quoque prædicabant, prædicari, & teneri affectantes. Hi duo omnem familiam, cum qua in prædicto Cœnobio commorabantur, totamque fraternitatem, & ipsum Superiorem inquietabant, licet breui, & non multo post venit remedium, maximè post detectionem falsitatis principalis magistræ.

Declaratur ex hoc euen tu Bona. mo nitum.

Aduersarius vester Diabolus tamquā Leo rugiens, &c. cui resistite fortes in fide, 1. Pet. cap. 5. *Hoc dicit,* exponit Interpres fer. 6. in capite ieiunii, *quia ait Ioānes 1. can. cap. 4. carissimi nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo est. Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in Mundum.* Ex horum numero puto esse quemcumque ab aliqua sua filia spirituali (cui solummodo attendere potissimum studet, & nōnullis aliis nobilibus, quos illa in eius rete trahit, tenetque, quamque ipse illam etiam sanctam prædicat) sanctum prædicari non refugit. Apostolus Iacob scribit cap. 2. ep. Canoni: *Fratres nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierint in conuentum vestrum, &c.* Hi quidem in personarum acceptione siue in Conuentu Fratrum, siue in cœtu pœnitentium, ad confessionem sacramentalem accedentiū, quales sint, ex seipsis cognoscuntur, atque se abire eandem viam, de qua Prouerb. 14. *Est via, quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem,* palam demonstrant.

Haud omni spiritui cre dendum.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum, dixit Iesus Discipulis suis Matth. 5. Vbi pulchrè Interpr. Dom. 6 post Trinit. Scribæ, & Pharisæi, inquit, qui interpretantur diuisi, sunt hipocritæ, qui in oculis hominum scribentes, iniustitiam scripserunt. Et sunt quidam superstitiosi Religiosi, qui se iustos reputantes, cæteros aspernantur. *Istorum iustitia est in manuum, & capillorum ablutione, in vestium compositione, in polita officinarum ædificatione, in multiplici institutionum, & præceptorum variatione. Iustitia verò pœnitentium est in spiritu paupertatis. In amore fraternitatis. In gemitu compunctionis. In afflictione corporis. In dulcedine contemplationis. In despectu terrenæ prosperitatis. In dulci amplexu aduersitatis. In proposito perseuerantiæ.* Hæc ibi Interpres, quæ omnia reperiens D. Hieronymus, vt scribit ad Aellam, si tamen sua est illa epistola, in D. Paula Romana, rebus vilibus contentissima, meritò supra cæteras dilexit, sine tamen ea singularitate, qua amitteret communem fieri cunctis cum Apostolo. Dilexit etiam plus cæteris Christus Matrē suam. Ioannem Euangelistam, & singulariter dilexit, & Magdalenam tenerrimè dilexit. Non tāmen reliquit, quin esset cōmunissimus omnibus. Hæc in viris probatis iustitia abundans est supra iustitiam Scribarum, & Pharisæorum. Horum spiritus aufugiendus, nec illis credendum est. Nam incedunt viam præfatam, quæ videtur

Pharisæorū iustitia, seu sanctitas.

Singularitas in similibus à D. Hieron. spreta.

videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. Dicat ergo Seraphicus Magister. *Nunquam cum aliqua persona spiritualem familiaritatem habeas. Sed omnibus sis communis, &c.*

Literæ Alphabetales respondentes huic secundo Monito E. F. G. H.

Studiosus de cordis, & sensuum honestate circa quatuor.

MOnitum hoc alterum Bonauenturæ biformiter exhibitum, respondere aliis quatuor sequentibus versiculis Alphabeti eiusdem sub literis E.F.G.H. sic demonstratur. Studiosus de honestate cordis, & sensuum omnium, necessariò pro istorum obseruantia debet discreta sobrietate victus, & esurie per virtutem abstinentiæ, fugaque frequentium conuiuiorum fratrum refrenare gulam. Debet pariter more apostolico, gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare, Humilibus consentire, maiores honorare. Sine his posse illa duo secūdi moniti iuxta mentem Bonau. seruari nō video. Gula haud per esuriem frenata, conuiuia lætanter recepta comitem passim habent plurima adminicula, cordis honestatem periclitantia, sensusque ad hinhonesta, & vituperabilia impellentia. Honestas cordis, dum homo interior benè componitur omnibus cum D. Paulo omnia fit: sicque vbi oportet gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus. Sensuum honestas, vnde homo exterior regulatur, venerabilem spirat modestiam, & simul cum hac cælestem quandam humilitatem. Imò neque illa cordis, neque hæc sensuum honestas sine humilitate valeret. Nam teste Gregorio apud eundem Bonau. ibidem de Regula Nouitiorum cap. 4. in fine, quod & alibi docuimus cum Interprete nostro. *Qui cæteras virtutes* (inter has honestas decus est) *sine humilitate congregat, quasi puluerem in ventum portat.*

Honestate cordis homo interior benè componitur.

Honestate sensuum homo exterior.

Agens idem Bonau. in eodem cap. 9. in princip. de honestate circa hominem exteriorem, ita scribit. *Cum honestas sensuum exteriorum sit ornatiua virtutum, ideo in omni verbo, & actu tuo semper honestatem cum discretione prætendas*. Ait enim Apostolus 1. Corinth. 14. *Omnia honestè cum ordine fiant in vobis*. Si ergo desideras honestatem, & felicitatem virtutum inuenire, & inuentam facilè retinere, *stude semper habere subscripta*, &c. Hæc subscripta in textu Seraphico sunt, frequens oratio. Verborum otiosorum, inhonestorum, & dissolutorum, adulatorum, susurrorum, murmuratorum, bilinguium, & detractorum euitatio, cautio, derisio, abhorritio. In locutionibus præmeditatio, ordo, vtilitas, honestas, duplicitatis, & simulationis fuga, dicente Augustino. *Omnis simulatio, & omnis duplicitas mendacium est*. Et propterea alibi. *Omnia verba ante veniant ad limam, quam ad linguam*. Accessio quotidiana ad lauandum paropsides, & alia nonnulla ibi subscribit Bonau. pro quibus ad rem nostram ipse sic cum eodem cuicumque religioso incipiente repeto. Stude semper habere subscripta, & subintellecta sub literis E.F.G.H. alias tua honestas siue cordis, siue sensuum exteriorū aut vera non erit, sed apparens, aut non debet dici ornatiua virtutum, quia virtutes veræ debent esse, & virtutes simulatæ duplicia vitia sunt.

Honestas sensuum exteriorum est ornatiua virtutum.

Verba prius limanda, quā loquenda.

Est honestas dignitas, decus, laus, virtute comparata; vnde Cicero in off. *In officio colendo sita est honestas omnis, & in negligendo turpitudo*. *Sunt quinque sensus*, teste Interprete nostro Dom in Passione, *Nuncij cordis, & ianua. In quantum autem nuncij libenter accedunt ad illa, ad quæ eos cor transmittit. In quantum autem ianua, libenter suscipiunt, quæ cor diligit, & acceptat, & illa diligentissimè introducit*. Duo versiculi Bonauenturæ sub literis E.& F. respiciunt sensum gustus, qui dum ceu nuncius cordis libenter accedit ad esuriem amplectendam, ad quam cor eum transmittit, & veluti ianua libenter suscipit monitum illud, *Fratrum conuiuia segniter sectando*, quod diligit cor, & acceptat, & diligentissimè introducit, contra effrenem gulam generosè pugnat, eamque expugnare conatur. Vnde fit, quod dum virtute sobrietatis, & esuriei in vitium capitale gulæ sensus gustus insurgit, eumque refrenat iuxta placitum cordis, honestas, quæ immediata felicitati virtutū ponitur à Bonau. cit. huiusmodi gustvm comitatur, cū sit dignitas, decus, lausque, virtute comparata.

Quinq; sensus cordis nuncii sunt, & ianua.

Honestati spectat dignitas, decus, laus.

Posito autē tali sensu gustus viceuersa, prout scilicet gulæ inseruit, quia ad hanc seruitutem obligat eum cor, ad quod inseruit gula, & de se possessionem accipit, ponuntur statim ob negligētiam esuriei, & sobrietatis in destructionem honestatis quinque turpitudines, quas recolit Interpres noster loquens de ieiunii tempore, quo effrenem, inquit, ardorem gulæ refrenatur, Dum ieiunamus, subdit serm. 2. Dom. 1. Quadrag. *Tentat nos Diabolus de gula, in qua peccamus quinque modis*. Vnde versus.

Gula quinq; modis peccamus.

Præpropero. Lautè. Nimis. Ardenter. Studiosè.

1 Præ-

1 *Prepropero*, idest cum præuenitur hora.

2 *Lautè*, cum diuersis, & variis salsamentis, speciebus, & ciborum lautitiis pruritus linguæ excitatur, & hebes irritatur appetitus.

3 *Nimis*, vt cum vltra corporis necessitatem cibaria sumũtur. Dicunt enim quidam gulosi. *Ieiunare tenemur, tantum ergo semel comedamus, quod pro prandio, & cœna recompensare possimus*. Isti sunt sicut brucus, qui arborem, cui insidet, non relinquit, donec totam ipsam comedat. Brucus dictus est eo quod in bucca totus est, & gulosos significat, qui in gula, & in ventre sunt toti, & scutellam, quam tanquam castrum obsident, non dimittunt, donec totum, quod in ea est deuorent. *Aut enim crepabit venter, aut euacuabitur scutella*.

Gulosorum discursus tẽpore ieiunandi

4 *Ardenter*, cum homo se effudit super omnem escam, & quasi magnum castrum oppugnaturus, brachia erigit, manus extendit, totum comedit, & est in mensa quasi canis, qui in coquina parem non desiderat,

Cur comparentur bruco

Ardentia.

5 *Studiosè*, cum esquisita cibaria requiruntur, & magno studio præparantur, sicut legitur 1. Reg. 2. de filiis Heli, qui non carnem coctam, sed crudam volebant accipere, vt eam studiosius, & accuratius præpararent. Hæc Interpres de quinque defectibus circa vitium gulæ, quod cum sensui gustus, & per hunc ceu per nuncium, vel ostium cordi etiam spectet, quinquies quoque honestatem hominis exterioris, & interioris turpiter labefactat. Nam modestia, turpitudini aduersa, virtute, vt diximus, comparatur. Sensus autem ad gulam, immodestiam nutrit, immodestumque cor patefacit, scilicet nulla dignitate, decore, ac laude hac parte promeritum. Imò per ipsum cordis ostium, quod est os, in quo cum sensu gustu gulæ obsequenti, insidet lingua, omnis honestatis ordo plerumque confundi solet. Oratio frequens esse non potest, & si qua taliter qualiter nonnunquam extat, non ad Deum Cæli, sed ad Deum ventris mentem eleuare passim studet; recogitando modum idolo illi tam voraci satisfaciendi circa ciborum inquisitionem, reperitionem, præparationem. Verba otiosa euitare vel ea audiendo, vel proferendo difficile est, & sic de singulis, quæ tetigimus ex Bonau.

Studiositate.

Sensus ad gulam inhonestatem fouet

Cuncta penè quæ ad honestatem faciunt deturpat.

Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare iuxta doctrinam Apostoli ad Romanos 12. pertinet ad virtutem pietatis. Interpres noster referens septem vias ex 15. quos effecit Iacob, in serm. 3. de omnibus Sanctis, tertiam in terram orientalem iuxta puteum, à quo remouit lapidem, & adaquauit oues, & osculatus est Rachelem venientem ad puteum, Gen. 29. ita explicat. *In quo notatur profectus in spiritu pietatis*. Terra enim Orientalis est cor charitate feruens. Oues sitientes sunt proximi, defectum aliqualem spiritualem, vel temporalem sustinentes. Hos adaquat, qui ex pietate, quantum potest aliorum miserias releuat. Rachelem osculatur, qui bono profectui alterius congratulatur. *In his enim duobus consistit pietas. Scilicet in compassione malorum proximi, & in cõgratulatione bonorum*. Rom. 12. *Gaudere cũ gaudentibus, & flere cum flentibus*. Igitur ex hac pietatis virtute biformi necessariò resultat dignitas, decus, laus virtute comparata, & hæc nonnisi honestas est, interioris, & exterioris hominis ornatiua. Quemadmodum etiam humilibus consentire, maioresque honorare. Hi namque duo humilitatis actus eam ostendunt virtutem, quæ est omnium virtutum basis, & custos, & per consequens omnis honestatis cordis, & sensuum fundamentum.

Tertia via Iacob in terram orientalem pro virtute pietatis

Pietas, & humilitas circa virtutem honestatis

TERTIVM MONITVM
sub literis I. K. L. M.

TErtiò circa custodiam linguæ studiosissimus esto. *Itaquod quando stas cum aliis. nunquam loquaris nisi necessaria. Et tunc nonnisi requisitus. Nec laudes aliquem, nec vituperes absentem, vel præsentem quantocumque audias alios similia dicentes*. In hoc tertio monito lingua auribus coniuncta est per illa verba *quantocumque audias, &c.* Linguam similiter, & aures simul annectit S. Iacobus Apostolus cap. 1. ep. can. sic aduertẽs, *sit omnis homo velox ad audiẽdum, & tardus ad loquendum, & tardus ad iram, &c.* Ex locutione per linguam, & auditione per aures tria monet Apostolus, quæ explicat Bonau. opusc. Dietæ salutis Dom. 4. post Pascha. *Vulgo dicitur*, inquit, *qui non est prudens, sit saltem benè credens*. Et ideò B. Iacobus monet nos specialiter ad tria.

3. Monitum circa custodiam linguæ versatur.

Tria monita ex B. Iacob. Apost. circa linguam, & aures.

1 Primum est velocitas contra contemtum obedientiæ. dicens, *sit omnis velox ad audiendum*.

Velocitas in obed.

2 Secundum est taciturnitas contra peccatum linguæ. Ideo addit, *tardus ad loquendum*.

Taciturnitas.

3 Tertium est mititas contra peccatum iræ, ideo dicit *Tardus ad iram*. Primò igitur debemus acquiescere, & hoc est opus obedientiæ. Secundò debemus liben-

Mititas

libenter tacere cōtra vitium linguæ. Tertiò debemus esse quieti contra peccatum iræ.

Interpres noster eadem Dom. 4. post Pascha ita exponit. *Iacobus in epistola docet cauere peccatum, iustitiam diligere, iudicium timere*, cum dicit capite primo. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram*. Ita ibi contractius, & breuius, nam in qualibet parte tria prædicta Bonau. reperiuntur. Dum à nobis cauetur peccatum in genere, necesse est, vt per opus obedientiæ acquiescamus. Taceamus contra vitium linguæ. Simus quieti contra crimen iræ. Dum iustitiam diligimus, studemus esse veloces ad obediendum. Taciturni, ne locutione labamur. Mites, ne irascamur. Dum iudicium timemus, timemus etiam contemnere obedientiam, Deum, vel proximum verbis offendere. Itaque inquietari. Tres ergo virtutes in monito Apostolico suadentur, nimirum Velocitas ad obediendum contra vitium inobedientiæ. Taciturnitas ad loquendum, cōtra vitium linguæ. Tarditas ad irascendum contra vitium iræ.

Siue fuga peccati. Iustitiæ delectatio. Iudicii timor.

Tres virtutes contra tria vitia.

Verum horum, & cunctorum vitiorum, & omnimodæ iniquitatis seminarium esse linguam scribit cap. 3. idem Apostolus illis verbis. *Et lingua ignis vniuersitas iniquitatis. Constituitur etiam in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotā natiuitatis nostræ*. In qua sententia natiuitas, seu vita humana à lingua, malè custodita ad vniuersitatem iniquitatis inflammata, dicitur Rota propter duo.

Lingua seminarium, siue vniuersitas iniquitatis.

1 Quia sicut in globosis, teste Aristotele, est maxima reuolutionis mobilitas, ita pariter rota vita humana facillimè per se, iam vndique inflammata, & maculata ab vna lingua subtus supra reuoluitur, commoueturque.

2 Quia cum Rota principium, & finē in sua circumferentiali linea non habeat, totaque simul extans, æternitatem, quæ est tota simul, adumbret, sicque sit ipsius Dei figura; Lingua malè custodita, effrenisque effecta, nunquam cessat offendere vitam vsquedum eam ad æternitatem proiiciat, in qua infinita durationis circulatione blasphemabit Deum æternū, cupiens potissimum totam Dei æternitatem absorbere, vt totam vnico verbo cum ipso Deo æterno destrueret, si posset. Ideò subdit Apostolus, *inflammata à gehenna*. Flamma linguæ est flamma gehennæ. Flamma gehennæ ad æternitatem accensa in æternum cælestis æternitatis odium, ipsam Dei æternitatē destrueret, si posset, dum quantum in se est destruere Deū sine

Vita humana cur rota dicta vbi malæ linguæ subiacet.

fine peroptet. Hinc Bernardus apud Interpretem nostrum loco citato. *Quis numeret, quantas modicum membrum lingua attrahat sordes? Quam multiplex in labijs incircumcisis immunditia coaguletur? Quanta sit pernicies hominis incircumcisis labijs?* Nemo parui existimet tempus, quod in verbis consumitur ociosis. Siquidem acceptabile est tempus, & dies salutis. Euolat irreuocabile verbum, nec aduertit insipiens quid amittat. *Confabulari (inquiunt) licet donec hora prætereat. Quam tibi ad obtinendum veniam, ad inquirendum gratiam, ad agendum pœnitentiam, ad promerendum gloriam indulsit gratia conditoris, &c.* Vide alibi, & etiam Bonauenturam pluribus in locis suorum opuscul. præcipuè tom. 2.

Sordes linguæ innumeræ omnino

Hora recreā di animi nō est sine fructu expendē da

Ablata ergo linguæ custodia à viro religioso, impossibile prorsus est, id probante experimento, *In omnibus* obediens esse, ac Prælato sine querimoniis, & vt plurimum cum conuiciis parere, & nonnunquam pertinaciter ille contemnitur, maximè vbi lingua rotam bilis, non ita breui extinguendam accendit, inflammatque. *Karitatem* tenere cum omnibus quomodo poterit, qui non custodit linguam suam, si linguæ mos sit per iurgia, dissensiones, susurrationes, detractiones, irrisiones, charitatem scindere? *Si modicū lingua membrum est*, ait idem Apostolus, & magna exaltat, & ex modico membro fit ingens ignis, *qui magnam siluam incendit*, hoc est *siluam virtutum*, legit Interpr. vbi supra, quorum *Regina charitas est*, teste eodem Interprete? Imò *Lumbos* lubricos timore Domini quis religiosus stringere valeret, cum lingua ceu inquietum malū omnem timorem tam erga Deum, quam erga homines funditus æradicet? Ac demum *mundare* casto cum pudore cordis oculum vir linguosus difficulter poterit; incauta enim lingua circa lasciuia citò assuescit, & quam maximè, omni pudore deperdito. *Quis numeret*, &c. quantas modicum membrum linguæ attrahat sordes? Quasi dicat, innumeræ sunt sordes, & turpitudines linguæ in quarumcumque virtutum munditiem, quæ dum ceu ignis siluam earundemque virtutum incendit, in cinerem redigit, inficit veneno mortifero, vt ait Apostolus ibidem religiosum, & ferè cuncta eius opera venenata reddit.

Sine linguæ custodia obedientia, charitas, castitas, munditics veneno inficiuntur mortifero

MONITVM QVARTVM, Cuius literæ sibi respondentes N. O. P. Q.

iv. Monitum circa verba ædificatoria.

QVartò sis summè sollicitus, vt nunquam referas, vel loquaris cum aliquo de his, quæ audis de alijs, nisi illa sint ædificatoria. Elementa quatuor cum hoc quarto Bonauenturæ monito per suos rythmos cõcordanda sunt, scilicet N.O.P.Q. Primũ est circa *Nihil propriè* seruandum, vt sic nudus Christus liberè sequi possit. Secundum circa *Onus leue* sufferendum, vt Mundus iste vincatur. Tertium circa *Passum Christum*, vt corde gemebundo recolatur. Quartum circa *Quærendam Dei gloriam, &* nihil aliud in Mundo.

Quam nociuũ sit quod exit e lingua vt destructorium.

Quidquid è lingua religiosa exit, si ædificatorium non est, sed è contra destructorium, in pluribus nociuum fit Religioso. Et quantum ad rem præsentem, scit proculdubio lingua prioris versiculi documentum destruere, ac simul non solum dicto, sed etiam scripto, si opus fuerit, Monacho iuueni sub aliquo colore suadere proprietatem, vt sic malè præpeditus non possit Christum nudum sequi. Scit & secundum destruere, ac simul ostendere onus illud non adeo leue esse, sed potius graue, vt ipsum relaxet, & de ipso Mundus triumphet. Scit etiam destruere tertium, totam inflammans natiuitatis rotam, & cor in gelu commutans erga Passum Christum, imò & in ferrum, ne vnquam resoluatur in fletum. Scit deniq; & quartum documentum destruere, loquens frequenter haud de quærenda Dei gloria, sed de quærenda propria, & ea, quæ sunt mundi, & sunt vanitatis. Vbi contra autem eius verba ædificatoria sũt, nititur lingua ædificare proximum suum in cunctis illis, in quibus includuntur allocutiones ædificatoriæ, suadentes aliis quæ decet religiosos, & inter quæ præcipua sunt, ne *Nihil proprium seruent, vt nudum sequantur Christũ Onus leue ferant, vt istum vincant mundum. Passum Christum recolent corde gemebundo. Quærant Dei gloriam, & nihil aliud in mundo.* Quid simile protulit Bonau. in Religiosos, qui alio modo se gerunt verbis circa hæc, & similia. *Turpissimum est*, inquit par. 4. *nescire tempus, nisi friuolis, & fabulosis narrationibus detinere. Væ tacentibus de te Domine, quoniam loquaces muti sunt.* Muti sunt, quia dum multum sic loquũtur ad destructionem, non autem ad ædificationem, ostendunt, quod cor eorum haud est sicut a professione obligantur circa obseruantiã, nihil proprii seruandi, sed potius eam eliminandi. Haud circa promptitudinem oneri leui ferendi, sed potius proiiciendi, vt sub religiosa veste à mundanis non differant. Passum Christum recolere, de quo nunquam loquuntur: quærere Dei gloriã, de qua nesciunt loqui, ad alia in destructionem assueti, quomodo poterunt? Vulgò dicimus, *Lingua it vbi dens dolet*. Italicè, *La lingua và doue il dente dole*. Si in horum corde esset Christus passus, si Dei gloria esset, Christũ passum verbis, & factis recolerent, Dei gloriam quærerent, & de ea loquerentur. *Væ tacentibus de te Domine. Euolat irreuocabile verbum, nec aduertit insipiens quid amittat, &c.* vt supra cum D. Bernardo apud Interpretem.

Quã viceuersa proficuũ verbum ædificatorium.

Væ tacentibus de Domino.

Lingua it vbi dens dolet.

MONITVM QVINTVM, Cuius literæ, illi concordantes R.S.T.V.

v. Monitum cõtinens memoriã circa quinque.

QVinto versetur ad cor tuum frequenter memoria beneficiorum Dei, & peccatorum tuorum, & desideriorum Paradisi, & pœnarum Inferni, etiam omnium, qui sunt in tribulatione constituti. Hæc quintuplex, seu ad quinque obiecta respiciens memoria inducit absque vllo dubio Religiosum ad quatuor alia, quæ explicat Bonauentura sub literis R.S.T.V. Nimirum ad *Resistendum vitijs*, feruenter orando: ad *Sacramentum* reuerenter sumendum: ad *Tumorem mentis* comprimendum, & iram mitigando: ad *Vana colloquia* sollicitè fugienda.

Inter tres partes Prudentiæ, de quibus Interpres aliàs allegatus, Memoria tenet locum primum, estque respectu præteriti, ad differentiã intelligentiæ, & prouidentiæ, nam illa respicit obiecta præsentia, hæc verò futura. *In atrio, siue castro animæ nostræ*, docet Interpres Dom. 3. Quadr. *sunt tres Thalami, videlicet Thalamus thesauri, & hic est Memoria, vbi collata beneficia debent reponi, quæ sunt thesauri, homini traditi. Thalamus consilij*, & secreti scrutinii, & hic est interius, & ideo thalamus quieti cubiculi, & hic est cor, vel conscientia. *Thalamus conuiuij*, vbi solus Rex cum suis Principibus conuiuatur; & hic est voluntas, ad quam nullus, nisi solus Rex admitti debeat, & illos, quos vocare vellet; ibi namque sunt, vel esse debent dulcia fercula amoris, & charitatis. Hæc Interpres. Qui generaliter sine vlla specificatione in memoriæ thalamo collocat thesaurum beneficiorum cuiusuis generis. Hæc autem beneficia in quinque partes

In atrio, seu castro animæ tres thalami, quorũ 1. thalamus memoriæ.

Beneficia Dei bifariè accipienda.

partes postea distinxit Bonauent. in hoc quinto monito. Non solum enim Dei dona per se, & in se circa misteria fidei beneficia sunt, verum etiā circa innumera alia, inter quæ illa proculdubio veniunt, quibus beneficus Deus facit, vt memoremur peccatorum nostrorum ad cōtritionem, & desideriorum Paradisi ad inflammationem, & pœnarum Inferni ad liberationem, & omnium, qui sunt in tribulatione constituti ad pietatem. Horum quinque, ad profectum memorata constituunt thesaurū thalami memoriæ, beneficiis (prout sunt vel dona Dei in se, vt supra, vel dona Dei respectu peccatorum nostrorum, & desideriorum Paradisi, & pœnarum Inferni, & omnium, qui sunt in tribulatione) confertum.

Beneficia Dei sunt ad inuicē colligata quæ refert Bonau. in 5. monito & in 4. lit.

In hoc itidem thesauro ceu beneficia peculiaria Dei reponenda veniunt quatuor prædicta Bonau. sub præfatis literis R. S. T. V. Magna quippe beneficia Dei sunt *Resistere vitijs* feruenter orando. *Sacramentum* reuerenter sumere. *Tumorem mentis* comprimere, iram mitigando. *Vanaque colloquia* sollicitè fugere. Hæc quatuor, à præpictis quinque, quintique moniti beneficiis colligata, ligant mutuo & ipsamet prædicta quinque. Quis enim Religiosus non meminit frequenter intra cor suum beneficiorum Dei, & peccatorum suorum, & desideriorum Paradisi, & pœnarum Inferni, & etiam omnium, qui sunt in tribulatione constituti, dum studet solerter resistere vitiis per feruentem orationem, Sacramentum reuerenter sumere, Tumorem mentis comprimere, Vanaque colloquia fugere?

Thalam. dicitur cubiculū nuptiarū.

Interpres noster vbi supra de tribus thalamis (quos ideo thalamos nuncupat, quia in castro, vel atrio animæ Christus semper nuptias celebrat; est enim thalamus apud Latinos commune coniugis vtriusque cubiculum, vnde & Epithalamium carmen nuptiale) ita statim annectit. Ad hos thalamos Dæmon diuersis posticis ingreditur. *Thalamum memoriæ ingreditur per posticum ingraditudinis*. Thalamum interius per posticum erroris. Thalamum conuiuii per infinitos posticos. Quia per minam ibi factam superbiæ. Per discordiam, susurrationem, & odium. Per fenestram alteram vanæ gloriæ, & inuidiæ, &c. Quæ ponit Interpres post ingressum Dæmonis ad Thalamum memoriæ, veluti consequentia, ex antecedenti illo de amissione gratitudinis quasi necessariò deriuantia, ponit. Magnum enim beneficium Dei est in thalamo quieti cubiculi veritas religiosa, quæ ibi consilium, & secretum scrutinium, idest cor, & conscientiam tranquillat.

Quomodo Dæmon ingrediatur tres thalam. animæ.

Ingreditur Dæmon thalam. memoriæ per ingratitudinē.

Magnum Dei beneficium est in thalamo conuiuii humilitas, concordia, taciturnitas, amor, gloria non vana, charitas fraterna, ac similia. Vbi autem ingreditur Diabolus thalamum memoriæ per posticum ingratitudinis, hæc ei parat ingressum ad duos alios thalamos immediatos. Ingratus enim omnium cuiussuis generis beneficiorum immemor fit. Et ideo Interpres sine vlla differentia, seu specificatione dixit, *Thalamum memoriæ ingranditur Dæmon per posticum ingranditudinis*, nihil aliud addēs scilicet beneficiorū Dei, vel hominum. Nam superius pari modo generaliter locutus fuerat de beneficiis sine vllo etiam discrimine, vt diximus.

Ingrat. quidquid accipit vertit in perniciem.

Ingratus igitur admittens Dæmonē in thalamo thesauri memoriæ, vniuersaliter malus est. Obliuiscitur enim beneficiorū Dei. Peccatorum suorum. Desideriorum Paradisi. Pœnarum Inferni. Etiam omnium, qui sunt in tribulatione constituti. Sacramentum reuerenter sumere. Tumorem mentis comprimere. Vana colloquia fugere. Ingratus expoliatus thesauro beneficiorum circa eorum reminiscentiam, & obliuionem, aperit ostium tum thalami quieti cubiculi ad errorem, tum thalami conuiuii ad minam superbiæ, ad discordiam, ad susurrationem, ad odium, ad vanam gloriam, & inuidiam, &c. *Dabitur genti facienti fructum eius*, Matth. 21. Vbi Interpres fer. 6. Hebdom. 2. quæ est de Vinea Ecclesiæ, ita in principio. *Verè hoc modo nihil augetur ab ingrato, sed quidquid acceperit, et vertitur in perniciem*.

Aliquis vir bonus eligēdus pro regula memoriæ nostræ.

Ipse Bonau. in opusculo Pharetræ lib. 2. cap. 2. vbi agit de memoria ad res diuersas, docet in fine ex Seneca de Benef. *Aliquis vir bonus eligendus est, atque semper ante oculos habendus. Vt sic tamquam illo spectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. O felicem qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet, &c.* Optima quidē aduertentia hæc est, ac tanti Magistri ad instructionem nouelli, atque incipientis Religiosi digna. Dirigendo enim prudenter in aliquem Religiosum probatæ vitæ, & exemplaritatis intelligentiam, veluti in obiectum præsens, felix aliquis breui fit quatenus se ad memoriam potest faciliter interius, exteriusque seipsum componere. Reperiens in illum quidquid imitari non pigebit, frequenterque excerci cupiet, vt versetur ad cor suum memoria beneficiorum Dei, qua gratus tanto benefactori effectus, *Resistere* vitiis, quæ Dei obliuisci faciunt, orando feruenter studebit. Me-

Quomodo autē hoc fiet declaratur.

moria peccatorum suorum, per quam propriam miseriam agnoscens, magnamque Dei in puniẽdo crimina seueritatem, in expectando ad pœnitentiam, patientiã, in pascendo pietatem; *Sacramentum reuerenter sumere* vigilabit. Memoria desideriorum Paradisi, per quam inhians infantiam illam, de qua Christus, *nisi efficiamini sicut paruuli; Tumorem mentis comprimere* statuet. Memoria pœnarum Inferni, & etiam omnium, qui sunt in tribulatione constituti, per quam vana eloquia fugere primum satagет; etenim reperiet multos ex vanis colloquiis, & otiosis verbis damnatos, quia testatus est Dominus Pharisæis Matth. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Deinde excitabit cogitationem circa tribulationem proximi, ad eas piè compatiendas, & subueniendas, quia videbit inter pœnas Inferni sepultum Epulonem illum, qui Lazari ærumnas nec compati voluit, nec subuenire.

Verba otiosa multos damnant.

SEXTVM MONITVM
Sub postremis Alphabeti literis X. Y. Z. Et.

SExto sis sollicitus non iudicare in corde tuo, vel ore, nisi te ipsum. Hæc faciens saluaberis inter homines. Dicitur Exod. 2. quod Pharao quærebat occidere Moysen, *qui fugiens de conspectu eius, moratus est in Terra Madian.* Et tu fuge (monet Interpres Dom. 6 post Trinit.) quia Diabolus quærit te interficere, *& habita in terra Madian, quæ interpretatur Dei iudicium. Vt terram tuam iudices, ne à Domino iudiceris. Et sede iuxta puteum humilitatis, vt haurias aquam, in vitam æternam salientem.*

vi. Monitum de iudicio nonnisi circa seipsum solũ

Terra Madiã Dei iudiciũ.

Ex iudicio ergo sui ipsius, siue in corde, siue in ore, duo maxima bona lucratur Religiosus; alterum est, per quod euitabit Dei iudicium. Alterumq; per quod perueniet ad puteum humilitatis, vt hauriat aquam, in vitam æternam salientem. Veluti riuulorum plurimorum huiusmodi aquæ sunt fontes tria proposita alphabeta cruciformia. Et in gratiam infantiæ Ioãnis nostri, alphabetum sub binæ Crucis insigne addiscentis, alphabetumq; Bibliothecæ Seraphicæ auspicantis, exposita, atque enucleata. Posita enim humilitate ex iudicio terræ propriæ, & euitatione iudicii Dei (quæ humilitas debet esse duplex, scilicet interior, & exterior, vt docet idem Interpres ibidem, & serm. 2. Dominicæ 3. Quadrag.) ponitur etiam basis, & custos omnium virtutum. Hoc modo ex cruciformi Christi, & Francisci humilitate hauritur profectò aqua tamquã per riuulos, & canales omnium bonorũ, quæ exposuit Bonau. sub 23. prioris alphabeti elementis. Hauritur pariter & alia aqua posterioris, & postremi alphabetorum. Et postremi per sex monita prædicta hauries, ò Religiose,

Ex iudicio circa seipsũ duo præcipua bona.

Literæ terni alphabeti Seraphici seu riuuli putei humilitatis.

1 Amorem paupertatis, quæ vilibus contenta esse debet,
2 Bonis actibus iungens intentionem, & perseuerantiam.
3 Cautionem circa multiloquium, silendique studium.
4 Deum hauries, quatenus præ oculis habere niteris.
5 Esuriem, qua frenabis gulæ immoderantiam.
6 Fratrum conuiuiorum segnem sectationem.
7 Gaudium cum gaudentibus, cum flentibus ploratum.
8 Humilibus consensum, honoremque erga maiores.
9 In omnibus obedientiam, & maximè cum Prælatis.
10 Karitatem cum omnibus, & erga omnes.
11 Lumborum lubricorum Domini timore constrictionem.
12 Munditiem per castum pudorem oculis cordis. Hauries itidem
13 Nihil illud, per quod proprium abhorres, vt nudum sequaris Christum.
14 Oneris leuis sufferentiam, qua hunc mundum vinces.
15 Passionis Christi memoriam, excitans cor ad gemitus.
16 Quærens Dei gloriam, & nihil aliud in Mundo.
17 Resistendo vitiis, orando feruenter.
18 Sacramentum reuerenter sumendo.
19 Tumorem mentis comprimendo, iramque mitigando.
20 Vanaque colloquia sollicitè vitando.

Epilogus dictorum versiculorum rithmicorũ.

Hauries denique ex puteo humilitatis vltimã aliam aquam in hoc sexto monito sub literis X. Y. Z. Et. Scilicet

21 Xpo fruẽdi hauries cupiditatem, cellæque frequentationem.
22 Yesu super omnia dulciter amandi dilectionem.
23 Zeli Dei feruorem per ignem Charitatis.
24 Et in te peccantibus remissionem, & benignitatem.

Hanc pretiosam aquam hauriens, ò Religiose incipiens, ex humilitatis puteo, tibi

tibi propterea exhibito, quia quærens habitare in terra Madian, sollicitus fuisti non iudicare in corde tuo, vel in ore tuo, nisi teipsum: experientia probabis, *Quod non nomen, sed factum, non verbum, sed adiectum facit beatam*. Quia hæc aqua saliens in vitam æternam per illa sex monita Bonauent, sine quibus neq; huiusmodi aqua hauriri possibile erit, ea faciēs, ò Religiose, & per ea hanc aquam hauriens, saluaberis inter homines. Hactenus de tribus Alphabetis cruciformibus Bibliothecæ Seraphicæ, pro infantia Apostolica, ac Franciscana potissimum idoneis. In quorum quolibet scribentes triplex mandatum, Francisco à Christo de Cruce datū pro reparatione Domus suæ, placet modò addere eiusdem Bonau. sententiam illam, è qua incipit enarrare septem apparitiones, Francisco effectæ circa eius cruciformitatem, & crucifixionē ab exordio suæ conuersionis vsque ad finem vitæ. Iam verè ait cap. 13. alloquens Franciscum impleta est prima visio, quam vidisti. Videlicet, quod Dux in militia Christi futurus armis deberes cælestibus, signoque Crucis insignibus decorari. *Dum in principio tuæ conuersionis Crucifixi visio compassio doloris gladio mentaliter te transfigens, sed & auditus vocis de Cruce, tamquam de throno Christi sublimi, & secreto propitiatorio, procedentis, iuxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera indubitanter fuisse creduntur, &c.*

Conclusio totius alphabeti, & sex monitorum simul.

Franc. infantia apostol. crucifixa.

CAPVT V.

PVERITIA VIRI SERAPH.

Nomine nouo, quod accepit à Patre in toto Orbe absolutè primitiui. Cuius hierogliphicum tria Lilia aurea hisce literis I. R. F. N. subsignata, sub Romanis Pontificibus Clemente III. præfato, & Celestino III.

IAm scripsimus ex D. Bonau. cap. 14. Franciscum in D. Georgii Ecclesia, in qua postmodum primitus prædicauit, postremò locum primum quietis ibidem sepultus accepit, *puerulum literas didicisse*. Linguam latinam didicit in ea Ecclesia Franc. sed potissimum linguam Gallicam ex naturali propensione ad eam, quæ in Italia tunc maximè vigebat, & præcipuè inter mercatores.

Ecclesia D. Georg. Mar.

In pueritia mutauit nomen, Patre suo ita iubente, puer noster Morico, & ex Ioanne, quod uomen à Matre in Baptismate acceperat, vocatus est Franciscus. Quod nomen primum in toto Orbe insonuit, hocque retinuit Vir Seraphicus vsq; ad mortem, vt tali nomenclatura absolutè diceretur nouus homo, qui ferme postea in cunctis operibus, & gestis suis nouus quoq; appareret. Secundū historicā narrationem duæ veriores iuxta Vadinghi iudicium solent assignari causæ, cur Parens Francisci voluerit illi mutare nomen. Alii dicunt id effecisse ex mira promptitudine, qua breui tēpore, & præter morem, & expectationem, imò fermè supra humanas vires, eam linguam puer didicerit. Alii attribuunt id quoque affectui paterno ad nationem Gallorū, apud quos assiduo commercio, facultatum copia perdiuiti, ob rem mercatoriam diuertebat. Et maximè tunc temporis parentis Francisci haud infimæ nobilitatis inter Ciues suos, vt ait Tossignanus, innatus amor erga Francos, quorum Rex Philippus Augustus, Sancti Regis Ludouici Auus, vbique celeberrimus habebatur, quod aduertit Author Martyrologii nostri. Quando autem mutauerit primogenito suo nomen Petrus Bernardoni, nū scilicet statim post redditum à Gallia, vbi tempore ortus illius reperiebatur, an in susceptione Sacramenti Chrismatis, Historici apud Vadingum in app. non conueniunt. Reprobat meritò deinde idem Vadingus sententias, tum de Franc. mutatione nominis in Chrismate, tum Ioannis Marquez, qui de orig. Erem. cap. 21. §. 14. malè Bonau. interpretatur, asserens in Baptismate vocatum esse Franciscum. Tum Ioannis Lorini in Acta Apost. c. 16. & 14. vbi putat dictum esse ita Franciscū à popularibus, quod est expresè contra Bonau. & alios communiter. Ciaccon. & Chronic. Martin. sub Innoc. III. tenuisse aiunt nomen Ioannem vsque ad conuersinnem, postea dictum fuisse Franciscum. Sed malè id referunt, addit Vadingh. ibidem, cui nec placet sententia Rodulphi, de qua paulò infra art. 4.

Cur parens Ioann. nostri mutauerit ei nomen, vocauitq; Franc. duæ causæ assignantur.

Quando parens Petrus primogenito suo mutauerit nomē, non conueniunt historici

Circa hæc, & similia habes Lector nō. nulla arcana, prælibata ab eodem Vadingo, & ab aliis, in 1. tomo Hierarchiæ fol. 22. vbi de Francisci Baptismate, nominibus materno, ac paterno.

SECTIO

SECTIO I.

Nouum Francisci nomen misteriosum quidem, & pluribus arcanis consertum. Tria aurea Regum Francorum Lilia sibi profectò idonea.

PLena autem sacramentis, & misteriis extitisse in Seraphico homine, primitiuo, & nouo in Mundo hæc nominis nouitas; iam antea inter mortales minimè audita, pii Scriptores ostendunt, inter quos Iacobus de Voragine Ord. Prædicatorum, & Episcopus Ianuensis, præcipuus vtique existimandus. Ipse namque septem arcana pandit apud eundem Vadingum ibidem circa huiuscemodi nominis mutationem penè cælitus ordinatam.

Septē arcana in mutatione nominis Franc.

1 *Ratione miraculi connotandi. Linguam enim Gallicam miraculosè à Deo recepisse cognoscitur*. Vnde dicitur in Legenda sua. *Quod semper cum ardore Spiritus Sancti repleretur, ardentia verba foris eructans, gallicè loquebatur*. Tenerrima dos est Pietas, & miseratio suauis est, gratiosa, hilaris, prompta, ebullens, in qua conceptus Franciscus, natus, educatus, vt pluries dictum est ex Bonau. Nec aliud est Spiritus Sancti immissio, nisi pietas, & miseratio, & suauitas, & gratia vberrima, & lætitia, & promptitudo, & ardor. Vide Interpretem nostrum Dom. 5. post Pascha super illud Cant. 4. *Veni auster*, alibi à nobis pluries adductum. Tenerrima quoque est lingua Gallica, dulcis, blanda, lepida, multa hilaritate, promptitudine, & clara in pronunciatione, sicut & eius gens in moribus candida. Hinc non mirum si talem linguam, pietati, & miserationi eius, nominique genuinam diuinitus receperit Franciscus, ad promptè, dulciter, ardenter, hilariter verba, Spiritus Sancti plena eructandum. Sic enim decebat, vt summus artifex Deus idoneum instrumentum illi tribueret, *vt semper ardore Spiritus Sancti repletus ardentia verba foris eructans, gallicè loqueretur*.

Secundū arcanum ratione officii diuulgandi.

2 *Ratione officij diuulgandi*. Vnde dicitur in Legenda, quod diuina prouidentia sibi hoc vocabulum indidit. *Vt ex singulari, & insueto nomine opinio ministerij eius toti citius innotesceret Orbi*. Sic videtur loqui Isaias cap. 62. de Christo, ad ministerium redemptionis misso illis verbis. *Et videbunt gentes iustum suum: & cuncti Reges inclitum suum, &c.* Quod vt statim hęc vniuersalis visio, hæcque notitia fieret, addit. *Et vocabitur tibi nomen nouū, quod os Domini nominauit*. Sic quoque decuit Francisco Reparatori Ecclesiæ, vt scilicet acciperet nomen nouum, singulari prouidentia sibi impositū ratione officii citius diuulgandi. In pueritia accepit nomen nouum à parente suo Vir Sanctus in prognosticum, & auspicium pueritiæ eius moralis, & misticæ, quo dicendus erat saluator, & innouator Romanæ fidei, tāto per se, & tres suos Ordines in toto Orbe citius innotescendus, quanto nomine, habitu, & professione nouus. Prior pars huius argumenti habetur apud Interpretem nostrum in Dom. 1. post Epiph. in qua agitur de tempore, loco, & modo quærendi Christum. *Cum factus esset Iesus annorum duodecim &c.* Lucæ 2. In hoc nomine Puer Iesus notatur, inquit, profectio viri iusti, qui debet esse *Puer*, idest purus aer quoad seipsum. Et *Iesus*, idest Saluator, scilicet quoad proximum. *Puritati autem sex sunt necessaria. Cordis munditia. Corporis castimonia. Inter aduersa ne adijciatur, patientia. Inter prospera, ne eleuetur, constantia. Et, vt in his valeat perseuerare, humilitas, & paupertas*. Ad hoc verò vt sit *Saluator*, sex opera misericordiæ sunt etiā ei necessaria, quæ sunt. *Esuriui; & dedistis mihi manducare*, &c. His dictis (quæ omnia in mistica pueritia Francisci, in puero Iesu purissimi, & in ipso proximi Saluatoris, in totius Eccles. reparatione excelluerunt, sicut alibi docuimus) ita concludit Interpres. *Hic est duodenarius annorum viri iusti, qui ascendere desiderat Hierusalem cū puero Iesu, de quo hic dicitur*, cum factus esset Iesus annorum duodecim. In pueritia naturali, annorum 14. conclusa ascendit quoque Franciscus cum puero Iesu Hierusalem. Nam eius anima libera a læthali culpa, nunquam diuisa est à Iesu gratia, & amicitia, & ab illa visione pacis, quam anima iusta, in eiusdem gratiæ tranquillitate adhuc viatrix possidet.

Puer Iesus ann. 12. quid misticè denotet.

Vir iustus in suo profectu debet esse puer, & Iesus.

Sic erit annorum duodecim ascendens Hierusalem cum Iesu.

Circa alteram partem prenotati argumenti quoad celerem innotescentiam tū per se, tum per suos Ordines, nouæ pueritiæ misticæ Francisci, nouo nomine, ex gallica deriuatione recenter in Mundo pronunciato insignitæ, plura scripsimus versus finem tertii tractatus, & alibi quoque. Quæ celeris innotescentia ob incredibilem, celeremque profectum, & fere ab omni humana prudentia, & prouidentia imperceptibilem, merito ceu instantaneam nouissimè appellauit Laurentius Beyerlinch, author Theatri Vitæ humanæ tom. 5. sub liter. R. verb. Religiosus, sic dicens, loquens de Religione Minorum. *Singulare est in hoc Ordine, quod nulla vnquam*

Nullus ordo ita citius innotuit in toto orbe sicut ordo Min.

quam

quam Religio, ab hominibus inuenta, tam breui tempore tanta incrementa cepit, quanta hic Ordo, qui vno penè momento totum Mundum cum admiratione multorum impleuit. Verum, si castiganda essent ea huius scriptoris verba, *ab hominibus inuenta*, potissimum id exequendum erit de Religione Minorũ, ne apertè contradicatur attestationi ipsius Institutoris in suo vltimo testamento, de qua re alibi, ac testimonio Bonau. qui in op. de tribus quæstionibus ad Magistrũ innominatum ita fatetur de seipso. *Fateor coram Deo, quod hoc est, quod me fecit vitam B. Francisci eligere, quod non fuit per hominum prudentiam inuenta, sed per Christum.* At de hoc aliâ fusè.

Castigandus author theatri vitæ humanæ.

3 *Ratione effectus consequendi. Vt scilicet per hoc daretur intelligi, quod ipse per se & per filios suos multos seruos peccati debeat francos, & liberos facere.* Sed ipse Francisc. sub tali nomine alio modo francus, liber, promptus, expeditus, audax, magnanimus, non piger, non tardus, non timidus in rebus Christi, & Ecclesiæ Apostolicæ libertate, & sinceritate donatus, tales quoque effecit suos sequaces, vix ab ipso francos, & liberos à culpis, & à Mundo effectos, sub Paupertatis altissimæ vexillo, vt videtur annuere Bonau. aliàs allegatus, sub quo verè Franci circa strenuum reparandæ Romanę fidei opus, iuxta morum; dotumque similitudinem gentis Francicæ, magnis facinoribus propensæ, reperti sunt. Vide propè finem tract. 3. & alibi quoque. Et sequens arcanum huic annecte, dum ait

Tertium arcanum ratione effectus consequendi

4 *Ratione magnanimitatis in corde,* nam Franci à ferocitate sunt dicti. *Quia eis inest naturalis feritas,* & magnanimitas animorum. Vide in Hierarch. cit. fol. 25. sub num. 3. quò arcana 3. & 4. simul explicantur, & breui ex Tossign. Vult enim hic Auctor, hoc nomen quasi diuino instinctu expressisse sancti iuuenis ingenuitatem, libertatẽ spiritus, & eius cor ad ardua impauidum indicat. Etenim inter Italos hoc nomen Francus quasi liberum, vel audacem ad res arduas animum. Vnde carmen

Quartum arcanum, ratione magnanimitatis

Etsi Parisios dixerunt nomine Francos,
Quod sonat audaces.

Vadingus, vt diximus, veriorem putat sententiam prædictam, duobus motiuis fundatam. Sed Iacobus de Voragine non id intendit, sed tantum demostrare vult conuenientiam noui nominis cum moribus, dotibus, & indole pueri Francisci.

5 *Ratione virtuositatis in sermone, quia eius sermo instar securis incidebat, &c.*

5. 6. 7. Arcanum.

6 *Ratione terroris in Demonum fugatione.*

7 *Ratione securitatis ex virtute, & operum perfectione, & honestatis in conuersatione.* Hæc tria arcana postrema respondent misticè antiquitati morum Romanorum, quod ita explicat idem Auctor statim. Aiunt enim *Franciscas* dici signa quædam instar securium, quæ Romæ ante Consules ferebantur. Quæ erant in terrorem, in securitatem & in honorem. Hæc ille ibi. Vading. ipse num. 3. & 4. in app. ex Aimonio Monacho vetusto, Gallorum Historico lib. 1. cap. 11. Machæram Gallica. nam vsu Romanorum Franciscam vocat. Vide etiam num 7. tom. 1. Hierarch. nostræ citatæ. Et circa securim Franciscam Valerium, & alios Scriptores prophanos passim.

Quid Franciscas apud veteres.

Ob id fortè placuit Deo, ad maiorem comprobationem huius noui nominis, nouo homini Francisco admodum idonei, demonstrare semel ipsum B. Pacifico, à duobus gladiis in Crucis modum vsque ad viscera transfixum, vt scribit Bonauent. cap 13. in fine. Bina hæc Francisci viscerum ab iisdem gladiis, siue ensibus, seu machæris effossio nonne & ipsi tribuerunt Seraphicam virtuositatem in sermone, cælicam formidinem in Dæmones, apostolicam securitatem, & operum perfectionem, & honestatis in conuersatione?

Pro hierogliphico, seu stemma pueritiæ Francisci tribuimus *tria Lilia aurea*, quæ decorant Regum Gallorum scutum gentilitium. Hoc fecimus primò ratione propensionis Francisci ad Gallos, tum in vita sæculari, in qua ipse primum meruit Franciscus nuncupari, quod nomen totum deriuatione Gallicum est, tum etiam in vita regulari, in qua primam, & prædilectam sibi elegit Prouinciam Franciæ. Secundò ratione symboli quo ad vitam spiritualem, ad quam etiam Franciscus plures Reges, & Principes vtriusque sexus sanctos, beatos, vitæ & morum probitate augustos, ad suos tres Ordines, & Leges traxit. Trium Liliorum aureorum Regum Galliarum historiam plurimi scriptores vsque ad hæc nostra tempora retulerunt, nec tamen in ea enarranda concordes inueniuntur.

Cur auctor pueritiæ Frãcisci tria Lilia aurea tribuerit pro hierogl.

Voto facto (aiunt) suasu S. Clotildis Coniugis suæ, de Fide Christiana suscipienda à Clodoueo Austrasiæ, seu Frãciæ Orientalis Rege, tunc vicit, subiugauitq; Alemanos, eorumque occiso Rege, Regnum potitus est, anno Christi 485. alii 499. cum ipse victus, & penè subiugatus reperiebatur. Mox, vix cælitus ea obtenta victoria, reddens Deo suo promissa, accessit humillimè ad diuinum lauacrum, suscepitque cum baptismate oleum sanctum

Synopsis historica de origine triũ Liliorum aureorum Regum Galliarum.

ctum

ctum; in vitrea ampulla Angelo deferente, peragenteque rem sacram S. Remigio, Remorum Antistite, qui & ipsum in Regem Germanorum vnxit, consecrauitque) tum Fidem Christianam, tum & nouũ nomen Ludouici. Moxque etiam exiens ab Ecclesia ceu Princeps fide, religione, pietate, cultu, & nomine nouus, noua quoque facta sunt arma gentilitia, quæ in scuto suo regio antea deferebat. Statim namque horridum trium bufonum insigne, in floridum schema, seu stemma trium Liliorum aureorum in campo cælesti commutatum est. Sic in Rege Clodoueo tria prodigia tunc in eo euentu mirabiliter concurrerunt. Siquidem prodigiosa equidem extitere, victoria de Germanis, oleum sanctum, cælitus per Angelicum nuncium à Deo missum, & commutatio stemmatis prædicti. Circa hæc mirabilia, & potissimum sancti crismatis, & Liliorum aureorum vide Scriptorem grauissimum (ita vocat eum Surius) in appendice ad Chron. Ioan. Naucl. fol. 519. Verum Genebrard. in suo Chronograph. quoad determinatũ Liliorum numerum. *Carolus VI.* (inquit ad annum 1389.) *Francorum Rex tres flores Lilorum pro insigni Regum Franciæ pingi instituit. Cum iam inde ab Odone incertum Liliorum numerum per insignia sua spargerent, & adhiberent Reges.* Hæc ipse adnotaui tom. 2. de rebus Principum Austriacorum fol. 120. Et alibi etiam tum latinè, tum italicè nonnulla obseruaui circa rem hanc. Odonis Regnum ab anno 890. vsque ad annum 899 vt notat Lucidus cap. 8. de Regib. Franc. agitque de eo idem Gen. sub anno 892. Fuit autem Carolus VI. ex stirpe Valesia, Trinepos S. Regis Ludouici de gente Capeta. Nam eius parens fuit Carolus V. Rex. Auus Ioannes Rex. Proauus Philippus Comes Valesius. Atauus Carolus sine terra, Comes Valesius. Abauus Philipphus audax Rex, & filius hæresque S. Regis Ludouici, eius Tritaui.

Baptisma Clodou. Regis, in quo tria prodigia contingerunt.

Quid sentiat circa hanc historiã Genebrard.

Huic tamen miro stemmati gentilitio iunctum deferunt Reges Francorum dignum, inclitumque nomen *Christianissimum*, ceu primogeniti Ecclesiæ per Carolum Magnum, cui primum iuremerito ab Ecclesia huiusmodi nomen concreditum. Bonau. etiam (vt aliàs adnotatum est, præcipuè in 2. tomo Hierarchiæ) bis nuncupat B. Franciscum *Christianissimum*. Primò in cap. 8. quod est de Pietatis affectu, &c. viri sancti, vbi sic. Cumque in pauperibus cũctis & ipse *Christianissimus Pauper* effigiem Christi prospiceret, siqua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat: verum etiam ac si illorum propria essent, iudicabat esse reddenda. Secundò in cap. 14. cernens Franciscum in vltima eius infirmitate nudum ad terram iacentem, ita exclamat. *O verè Christianissimum virum*, qui & viuens Christo viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari.

Trium Liliorum aureorum Regum Franc. stemmati iũctum nomen christianiss.

Franc. bis nuncupatus à Bonauent. christianiss.

Carolus huius nominis I. Francorum Rex (cuius innumera gesta, & omnia magna, & omnia christianissima, vt propterea primo ab vniuerso Orbe magnus, & christianissimus nuncupatus, postea à Sancta Sede Romana apostolico diplomate in bina hac nomenclatura declaratus, & confirmatus) à tyrannide Desiderii vltimi Longobardorum Regis liberauit temporaliter Ecclesiam, restituitque in eius sede Leonem Papam III. vnde & meruit anno Dom. 800. in Regem Romanorum, & in primum Imperatorem Occidẽtis coronari, &c.

Gesta Caroli I. Frãc. Reg. omnia magna, & christianissima.

Franciscus similiter deferens in nomine Francorum vocabulum, atque in magnis gestis suis expressam Christi viuentis, & morientis, & mortui similitudinẽ, nomenque Reparatoris Ecclesiæ, quam à tyrannide vitiorum liberarat, meritò eodem superlatiuo titulo bis nuncupatur à Bonau. Christianissimus. Qui etiam & primogenitus tum in Domo sua Moriconum, tum in Domo Ecclesiæ quoad eius reparationem iuxta præcipuum Christi mandatum dicendus; atque exinde tribus aureis Liliis hierogliphicè exornandus. Hi enim flores admodum huiusmodi nomini correspondent.

Mistica nonnulla de Liliis ex Interprete nostro pluries sparsim attulimus in hoc opere, & alibi quoque. In Liliis Regum Francorum habemus tria. *Quantitatem* sub numero ternario. *Substantiam*, quæ in ipsis floribus est. *Qualitatem*, quæ est in eorum colore aureo. Hæc tria cælica esse testandum, ex illa historia, quæ vult (vt diximus) cælitus commutata esse antiquorum Francorum arma in tria Lilia aurea. Hinc puto, ad huius rei contestationem scutum gentilitium eodem tempore mutans pristinum colorem, tria illa aurea Lilia in campo cæruleo miro modo expressisse. Possem sigillatim haud pauca secreta patefacere in re præsenti super tribus his rebus de aureis Francorũ Regum Liliis. Sed omnia omittens, tantũ referam commentarium morale Interpretis nostri, in quo tria quoque profert circa substantiam Liliorum super Matth. 6. eisque sub symbolo agri tribuit etiam

Tria perpendenda in aureis Regum Gallorũ Liliis.

aurum

aurum misticè. *Considerate Lilia agri, quia non laborant, neque nent*, ait textus euangelicus, ore Christi ad Apostolos prolatus.

Tria sunt naturaliter in liliis, & totidem moraliter.

In Liliis tria sunt (exponit Interpr. alibi adductus ex serm. Dom. 15. Trinitatis) *scilicet Medicina, Candor, Odor*. Primo medicina est in radice. Candor, & Odor in flore. *Et significant pœnitentes spiritu pauperes*, membra sua cum vitiis, & concupiscentiis crucifigentes. *Qui habent humilitatem in corde*, reprimentem humorem superbiæ. *Candorem castitatis, & sanctimonia. Odorem bonæ famæ*. Isti dicuntur Lilia agri, non deserti, non horti. *In agro duo notantur, soliditas sanctitatis, & perfectio charitatis*. Ita Interpres ibi, qui alibi sub auri simbolo iuxta communissimam allegoriam explicat charitatem, alibi postea *auream* facit præcipuo intellectu *Virginis Paupertatem*, explicans aurum Throni Salomonis, Paupertas enim suos efficit Reges in throno cælesti, potissimum Franciscanos, Christi, Virginis, & Apostolorũ Paupertatem affectu, & effectu profitentes. Testatur Franciscus cap. 6. Reg. ita alloquens suos Minores.

In agro duo notãtur, quorum primũ est perfectio charitatis.

Hæc est illa celsitudo altissimæ Paupertatis, quæ vos charissimos meos hæredes, & Reges Regni Cælorum instituit. Pauperes rebus fecit. Virtutibus sublimauit. Hæc postrema Francisci verba respondent illis verbis Euangelicis *non laborant, neque nent*, iuxta expositionem Interpretis paulò infra, vt aliàs scripsimus, qui loquens de paupertate, & humilitate, ita inquit. *Iusti crescunt de virtute in virtutem, quia non laborant, vt Aegyptii in lateribus, idest carnis voluptatibus. Neque nent, idest diuersa fila cogitationum torquent in temporalibus*. Et paulò post *Considerate ergo temporales, temporis fugitiui amatores, qui laboratis, & onerati estis, qui fila infinita torquetis, quomodo Lilia agri crescunt*.

Iusti non laborant, neq; nent vt laborant mũdani

Autor Martyrologii nostri in vita B. Blanchæ Virginis Clarissæ, Philippi Longi Franciæ, & Nauarræ Regis filiæ, de qua nos aliàs, flectit hæc Christi verba ad rem temporalem iuxta literam, non tamen œconomicè, sed politicè, & in gratiam Legis Salicæ contra prætensionem Eduardi III. Angliæ Regis, qui iure Matris Regnum Galliæ sibi vendicare contẽdebat. Ex præscripto, inquit, Saluatoris Matth. 6. & Lucæ 12. *Lilia non laborant, neque nent*. Non enim id Gallici Regni sceptrum debetur, nisi Nobilibus. qui non laborant, & non sine causa, teste Apostolo Rom. 13. *Gladium, ensemque portant; nec datur nisi masculis, qui non nent*. Quibus verbis Philippus Valesius, Regnũ Frãciæ iure paterno est adeptus, prout conclusũ fuit tunc contra Legis *Salicæ*, seu *Gallicæ* oppugnatores. Hæc auctor Martyrolog. Sed Lilia aurea Regum Galliæ, sacrorũ Liliorum aureorum Euangelicorum explicant symbola in Francisco, illa patefaciente iuxta doctrinam Interpretis nostri supra declaratam. Sub eis eadem Lilia regalia cum subiectione plurimorum Heroum vtriusque sexus Francorum, Regũ, Principum, Magnatuum, ad D. Franciscũ, & eius leges generosa, magnanimaque liberalitate subiiciuntur. Plures namque gloriantur in altissima Paupertate, & Apostolica Humilitate Liliis aureis Francisci subesse, & sub illis florere (sibi ipsis, Mundo, & Satanæ imperando) quam præesse temporaliter, & temporaliter solummodo sub propriis floribus eminere.

Lilia Franci ca non laborant, neque nent circa legẽ Salicã.

Quam glorientur Reges, & Principes Galli sub liliis aureis Franci. sci florere,

Inter cœtus Regum Catholicorum, & Christianorum Mundi nulla natio ita moribus, effectu, & professione respondet circa propensionem ad D. Franciscum, & eius Ordines stemmati gẽtilitio, sicut Reges, & Principes Franciæ. Hi namq; supra cæteris multimodè in multis Heroibus, & Heroinis, Ordinem Minorum, Ordinem D. Claræ, Ordinem Pœnitentium profitẽtibus, ternam Liliorum societatem ternæ Francisci Legi consecrantes, in multis quoque Lilia Euangelica euaserunt, non laborantes, neque nentes, prout supra explicatum est. Hi pœnitentes effecti sub vexillo Franciscano, spiritu pauperes membra sua ad exemplum Francisci, & eius imitatorum cum vitiis, & concupiscentiis crucifixerunt. Hi Liliorum Euangelicorum *radicem*, scilicet *Humilitatem*, in qua est medicina, seu antidotum *contra superbiam*, plantare, ac firmare studuerunt. *Candorem Castitatis*, & sanctimoniæ nancisci, & colere. *Odorem bonæ famæ* vniuersum Mundum recreantem, semper seruare. Et Lilia agri esse ob soliditatem sanctitatis, *& sic pariter aurea fieri ob virtutem Charitatis, & Paupertatis.*

Superant ferme omnes nationes affectu, & profess. erga Franc,

Hi multis sũt vt patet ex historiis.

SECTIO II.

Elucidantur ante arcanũ de Eccles. S.Georg. prenotatæ quatuor literæ subsignantes hieroglyphicum Pueri Francisci, addito etiam signo vocali prædicti Romani Pontificis Cælestini III.quod est,

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Mos priscorum Romanorum in inscript. sub literis alphab.

MOs fuit priscorum Romanorum sub literis alphabetalibus multa seorsim, & coniunctim adnotare in suis inscriptionibus. Omnia fermè exempla rescripsit nouissimè Dictionarium Cerdæ. Ibi in specie sub litera I. extant In. Inter. Intra. Iunius. Iulius, &c. Sub litera R. Roma. Romanus. Romanorum, Rex. Regulus. Regnum. Sub litera F. Felix. Familia. Figura. Fides. Filius. Faustum. Sub litera N. Non. Nomen. Noster. Numisma. Numerator. Ipse autem in re præsenti alludens mutationi nominis Francisci, ac simul retentioni operum Ioannis iuxta verba Bonau. mox subiicienda, sub literà I. intelligo Ioannem, sub literà R. rem Ioannis, sub literis F. & N. Francisci nomen. Ex vocabulo Franciscus sumpsit vir Seraphicus nouum nomen. Ex Ioanne relinquens Ioan. vocabulũ, retinuit rem vocabuli, quam rem in significato noui nominis Francisci noua forma postea explicauit. Incipiens sub eo triforme reparationis Ecclesiæ opus, persequens, & perficiens. Vade Bonau. enarrationem Legendæ minoris ita exorditus est. *Franciscus primum Ioannes vocatus à Matre, deinde Franciscus à Patre, vocationis quidem paternæ vocabulum retinuit, sed & rem materni nominis non reliquit.*

Sub lit. suis quatuor intelligit auctor Ioannẽ, rem Ioannis Francisci nomen.

Res generalem habet significationem, quia auctore Paulo Iurisconsulto tam corporalia, quam incorporalia comprehendit. Inter plures acceptiones illa mihi modo quidem arridet, qua *Res* pro dominatione, & imperio sumitur apud Virg. 3. Æneid.

Res sumitur à Virg. pro dominatione, & imperio.

Postquam res Asiæ, Priamiq; euertere gentẽ
Immeritam, visum superis, &c.

Rem, quam ex vi vocabuli significat nomen *Ioannes*, est *Gratia Dei*. Dominatio, & Imperium Ioannis Baptistæ, gratia Dei ab vtero matris suæ repleti, circa seipsum extitit etiam supra vim culpæ venialis. Hanc tamen dominationem, hocque imperium inter deserta, ac siluestria animalia portus est, vt canit de eo Ecclesia. Sed Franciscus ex quo gratiæ Dei filius effectus est virtute ipsius Dei gratiæ, & ad maiorem Dei gratiæ exaltationem, dominationem, & imperium supra robur lethalis criminis, inter ipsas Mundi vanitates, & pericula peccandi septies in die, adeptus est. Ioannes remansit re, non in desertis, sed inter vanos hominum filios. Franciscus euasit nomine, at non inter siluestres bestias, sed inter aspides, & basiliscos mercatorum. Quare Bonau. id veluti nouum admirans in Francisco ibidem, quod etiam fecit in Legenda maiori, ita statim subdit. *Licet enim inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus in vanis, & post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negocijs, supremo tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes post carnis petulantiam abijt, nec inter cupidos mercatores sperauit in pecunia, & thesauris, &c.* Ad quod mirum, super illud Ioannis Baptistę ex circumstantia maius comprobandum, addidimus aliam doctrinam D. Gregorij de Iob, & S. Thomæ de operibus primi hominis in statu innocentiæ. Puto tamen, quod Sanctus Iob vir simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo in nullo se immiscuerit circa mores cum Gentilibus, etsi inter Gentiles in terra Hus, cuius erat Princeps, natus, educatus, extinctus. Sed Franciscus inter vanos fuit hominum filios iuuenili ætate enutritus in vanis, & lucratiuis mercationum deputatus negotiis. Et nihilominus rem Ioannis retinuit. Quoniam superno sibi assistente præsidio, &c. Felicia ergo Lilia aurea Francica, & Franciscana, à Francisco iure merito explicata, ac quatuor præfatis literis consignata.

Dominatio, & imperium Io. Baptistæ culparum leuiarum in deserto

Franc. vero inter ipsas Mundi vanitates.

Iob Gentiliũ Princeps, & tamẽ rectus, & simplex, & timens Deum.

Sub regimine Clementis III. Papæ mens. 8. & diebus 15. Ioan. Morico expleuit infantiã, & ingressus est pueritiam, in qua mutauit nomen. Idem Pont. Clemens III. vt diximus, & iam eius simbolum vocale explicauimus, vixit in Pontificatu annos 3. menses 2. & dies 20. Cælestinus Tertius eius successor creatus eodem die, quo Clemens decesserat, & eodem anno 1192. sedit probatissimè, an sanctissimè annos 6. menses 9. dies 11. Ac proinde tota ætas Francisci, mortuo Cælestino, pertigerat annos 16. menses 5. & dies 26. Sub ipso ergo Cælestino. (quem fuisse sicut patria Romanum, ita ex Romanorum Principum de gente Vrsina alias scripsimus) annis 2. mens. 5. & die 26. ingressus fuerat exordia adolescentiæ suæ Franciscus. Ad annum autem Christi 1195. qui erat annus 4. Pontificatus Cælestini, & finis

Ætas Franc. sub toto regimine Cælestini III. ann. 16. mẽs. 5 dies 26.

Annus ortus D. Anton. de Padua.

finis pueritiæ Francisci, ortum habuit in Portugallia ad Vrbem Metropolitanam Vlisipponensem brachium dextrum Francisci, idest D. Antonius de Padua Episcopus suus, & Interpres noster. In Vmbria verò apud ipsam Vrbem Assisiam primogenitam Francisci eodem anno nata est, scilicet D. Clara, ob quam factus est secundò Reparator Ecclesiæ per sexum fœmineum. Quare haud modica felicitas extitit tunc huic Pontifici, & eius Vrsinæ genti (huiusque in egregium prognosticum eius futuræ dilectionis haud pariter modicæ, sed maximæ erga Franciscum, & suos Ordines) tum omni Reipublicæ Christianæ, vt sub illius regimine expleret Frãciscus pueritiam, & inciperet adolescentiam. Atque orirentur duæ Columnæ Ecclesiæ D. Antonius Lisbonæ, & D. Clara Assisio.

Signũ Cælestini iii.

Signum vocale, seu symbolum summi, ac Sanctissimi Christi Vicarii Cælestini illud est apud Ciacconium. *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Psal. 16. Et qui hi gressus Papæ Cælestini Tertii, quæ hæ semitæ Dei, in quibus tales gressus perficere ipsemet inhiaret? Ex doctrina Interpretis nostri possumus colligere responsum, in re præsenti certè non contemnendum. Cõmendat Christus Sponsus Ecclesiæ suæ Sponsæ gressus, pulchrosq; eos dicit haud ex regulato, seu gratioso honestoq; ambulãdi modo, sed ex calceamẽtis, sic eã alloquens. Cãt. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis in calceamentis.* Fallar, nisi in isto encomio apostolicos gressus respiciat Deus, potissimum in visibile totius Ecclesiæ Principe, sibi Vicario, ac Petro Principi Apostolorum successore, ad cuius exemplum, omniumque aliorum Apostolorum ipse potissimum Pontifex pedibus calceatis, dũ supra calceos defert Crucẽ, eoque sustinendus, & dirigendus est, debet quoque efficere gressus suos. *Nota* (exponit Interpres hunc locum in serm. de Apostolis) *Calcei, seu sotulares muniunt contra frigus, contra lutum, contra asperitatem viarum. Sic Apostoli. Contra frigus pigritiæ munimur consideratione sollicitudinis eorum.* 2. Corinth. 11. *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Contra lutum auaritiæ* consideratione Paupertatis eorum, & Humilitatis. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Contra asperitatem tentationum* consideratione laboris, & martyrii eorũ. Psal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*

Quid calcei mistice

Erant iam hi gressus, pedibus calceatis more apostolico effecti, in Cælestino. Propterea haud gressus, vt efficeret, sed vt eos perficeret exquirebat. Et vt perficeret in semitis Dei expostulabat. *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Ex quibus verbis colligo, quod petebat per huiusmodi rogandi formam Cælestinus, peroptabatque totius Ecclesiæ innouationem, in Dei semitis, rectis quoad nos effectis, ab aliquo Reparatore auctoritate Pontificia efficiendam. Patet ex illo Isaiæ, *Parate viam Domini. Rectas facite semitas eius.* Quod Ioannes Baptista apud Lucam 3. prædicauit. Et ipse Isaias cap. 26. inquit, *Semita iusti recta est. Rectus callis iusti ad ambulandum.* Quę duo loca ita declarat Interpres Dom. 4. Aduent. *Semita dicta quasi semi, idest medium iter. Semita est quælibet Religio, quæ voto Paupertatis, & continentiæ se coarctauit, & coangustauit.* Vnde Isai. 28. Coangustatũ est stratũ, itaut alter decidat, & palliũ breue vtrumque operire nõ potest. *Religio inquam stratum est, quæ si benè fuerit coangustata tanquam semita, solum suscipiet sponsum castitatis, & obedientiæ spiritum. Et expellet adulterium fornicationis, & inobedientiæ vitium. Et breue pallium paupertatis vtrumque, idest proprietarium spiritu, & pauperculum operire non potest. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? Quæ conuentio pauperculi, & proprietarij, qui est quasi Belial inter filios Dei.* Rectas ergo facite semitas Dei nostri. Hæc Inter.

Semita à semi cur dicta

Semita dicẽda est quælibet Relig.

Cur paupertas dicatur breue palliũ

Semita propriè via angustior est diuersa à via plaustrorum.

Rara per occultos ducebat semita calles.

Virg. 9. Æneid. Semis, semissis medietas est. Semi autem indeclinabile idem est ac dimidiatum. Interpres in eo loco deduxit semitam à medio itinere, non quod propriè semita, quæ ex se denotat angustiorem viam, medium iter sit, sed quia loquens de semita Religionis benè ordinatæ, atque in suis votis, & constitutionibus more apostolico angustatæ, mediũ quasi iter ipsam esse ad Cælum, tacitè ostendit. Iuxta dicterium illud Italicum, *Vn buon principio è la metà dell'opra.* Bonũ principium est medietas operis. Tempore Cælestini III. extabant tres Religiones primariæ, scilicet S. Basilii Magni, S. Augustini, S. Benedicti. Harum incliti Institutores, & imitatores plurimum profecerant in toto Orbe orthodoxo, vt inferius specialius demonstrabimus.

Cur semita quasi mediũ iter dicenda Religio benè ordinata.

Iam in deterius in dies fideles labebantur, nec prædictæ Religiones sufficiebant ad eorum reparationem, & innouationẽ. Quare Romanus Pontifex Cælestinus licet gressus suos, vt par erat ceu bonus Pastor efficeret, attamen eos perfici in Dei semitis ad ipsum Dominum preces assiduas effundens, suspirabat, *Perfice gressus*

Pont. Cælestinus signo suo vocali reparatorẽ Ecclesiæ expostulabat.

gressus meos in semitis tuis. Hanc Vicarii sui expostulationem gratanter suscipiebat Deus, maximè quia Religionem illam, de qua supra cum Interprete, vicinissima erat. Et eius Institutor perfecerat infantiam, & inceperat adolescentiam, qua peracta cum principio iuuētutis post annos 11. exordiri debebat opus innouationis, & reparationis Ecclesiæ per semitas arctissimas, quas calcauerat Christus, B. Virgo, & Apostoli, Sed in Ecclesia, penè deperditæ erant. In quibus semitis gressus Pontificis Cælestini, imò cunctorum Successorum perfecti apparerent.

Completa fuisse verba sua testatus asset, si sciuisset Eccl. reparatorē iam adolere.

At quid effecisset Cælestinus, si dum clamabat ad Deum suum, cernens tales calamitates, *Perfice gressus meos in semitis tuis*, reuelatum sibi fuisset, quod iam adolebat ille, qui per trium Ordinum semitas rectas facere debebat vias Domini, & eius gressus paternos in innumeris Franciscanis perficere: & quod iam statum Ecclesiasticum in Vrbe Assisii illemet incolebat, dicebaturque Franciscus? Abbas Ioachinus, qui anno 1195. viuebat sub eodem Cælestino Tertio, super prophetiam Beati Cyrilli Carmelitæ de Francisco, & eius Ordinibus suspirabat, teste B. Pisano lib. 1 fruct. 1. pro 2. parte. *O quam gauderem si tantum Patrem cum filijs mererer videre.* Erat tunc temporis (vt aliàs dictum est) Franciscus in pueritia. Porrò Pontifex Cęlestinus si vidisset in prędicta ętate Frãciscum scius diuinitus, quid ille esset vtiq; facturus, summè gauisus esset, & veluti ad finem redacta sua vota testatus esset, pro quibus assumpserat illud signum. *Perfice gressus meos in semitis tuis, &c.*

Synopsis de D. Georgio mart. ex Cappadocia, & ordine equestris militiæ

Hæc eadem Cælestini vota auspicata quodammodo etiam cerno in ipsa Ecclesia S. Georgii, in qua post literarum humanarum perceptionem, primitus prædicauit Franc. vt retulimus ex Bonauentura, & sepultus fuit eius sacrum corpus antequam ad grandem Ecclesiā post aliquot annos translataretur. Illustre martyrium S. Georgii Cappadocis Ordinis Equestris militaris (quem fuisse illius Ecclesiæ, quā postea tradidit Gregorius IX. D. Claræ, vt scribit Vading. ad ann. 1230. num. 2. in cuius ambitu extat nunc percelebre Clarissarum Monasterium, tunc tutelare suppono) celebramus sub ritu semiduplici die 23. Aprilis. Plures alios eiusdem nominis legimus Sanctos apud Martyrologium, scilicet Georgium Episcopum Antiochenum 19. Aprilis. Georgium Diaconum Martyrem cum aliis quatuor, 27. Iulii. Georgium Presbyterum 25. Octobris. Georgium Limniotam Monachū, & Mart. 24. Augusti. Georgiūm Diaconū cum Aurelio 20. Octob. Demum Georgiū Episc. Vienn. 2. Nouemb. Græci in Monologio de nostro Georgio aiunt. *Memoria Sancti, & gloriosi, & magni Martyris Georgy, cognomento Tuopelophori.* Non tantum in Oriente vbi passus, sed etiam in Occiduis oris clarissimus fuit. Extat epigramma Venantii Fortunati de Basilica, eiusdē nomine erecta in Gallia, de qua Baron. in Martyrolog. & de eius reliquiis per totū fermè Christianum Orbem diffusis, & in magna veneratione habitis. Epigramma prædictum ita legitur.

Plurimi DD. Georgii in Eccl.

Eius martirium contingens in Oriēte, totū orbē illustrauit.

Carcere, cæde, siti, vinculis, fame, frigore, flammis,
Confessus Christum duxit ad astra caput.
Qui virtute potens Orientis in arce sepultus,
Ecce sub Occiduo cardine præbet opem.

Caput tanti, ac tam celebris Martyris hic Romæ colitur in Ecclesia, eius nomini erecta ad velum aureum. Brachia eius, alterum in Ecclesia S. Vincentii Parisiis, alterum verò Colonia Agrippina venerātur. Picturis communiter S. Georgius exprimitur, ceu Eques armatus, qui hastæ cuspide Draconem perhorridum interficit. Iuxta quem etiam Virgo posita, manus tum suppliciter, tum gratanter subleuans, quasi vbi prius illius auxilium, vt à tetro illo monstro, de proximo eam deuoraturo, liberaretur, implorarat, deinde gratias maximas de tam singulari beneficio sibi præstito, ipsi redderet.

Eius reliq. conspicuiores.

Opinatur tamen Baronius loco citato symboli potius, quam historiæ alicuius picturam hanc expressisse imaginem. In nullis enim, subdit, quæ recensuimus Sancti Georgii actis antiquis quicpiam eiusmodi legitur. Sed à Iacobo à Voragine absque aliqua maiorum auctoritate ea ad historiam referuntur. Quæ potius in Virgine illa typum exprimunt, more maiorū, Prouinciç, vel Ciuitatis alicuius, quæ aduersus Diaboli vires tanti Martyris imploret auxilium. Symbolicas eiusmodi picturas pingi à Christianis olim consueuisse, satis docet Eusebius in vita Constantini Imp. lib. 3. cap. 3. vbi agit de pictura Constantini, deque Dracone ab eo medio ventre transfixo, & in mare proiecto. Ita pariter contigit circa picturam præfatam S. Georgii Equestris ordinis militis. Sed de imagine S. Georgii ex

Quid sentiēdum de eius pictura, in qua interficientē Draconē exprimunt.

Simbolicam esse, non autem historicam opinatur Baron.

ex qua sanguis fluxit, vide quos citat historicos idem Baron. ibidem.

Sub tutela tamen eximii Martyris, Orientalibus, Occiduisque plagis clarissimi duo præcipua Francisci gesta iam rescripsimus ex Bonau. alterum in pueritia, in qua Fräciscus apud prædictam Ecclesiam D. Georgio dicatam primas literas didicit. Alterum in iuuentute, in qua incipiens prædicationem eò primitus prædicauit. Hinc haud obdubitandum Francisci deuotionem, ac pietatem, quæ ab eius infantia cũ ipso exordia sumpserat, quæque erga omnes Sanctos seraphico spiritu rapiebatur, præcipuam extitisse ad D. Georgium magnum Martyrem, in Oriente & Occidente celeberrimum. *Ex recordatione Sanctorum omnium* (ait Bonau. cap. 9.) *tanquam lapidum ignitorum in deificum Franciscus recalescebat incendium*. Vnde diuina prouidentia factum puto, vt sicut viuens ingenti amore eundem Diuũ prosequutus est vsque ad mortem, ita quoque mortuus apud eundem diuum à se peculiariter dilectum primam nancisceretur sepultutam, ibique aliquot annis moraretur.

Sub tutela D. Georgii Magni mart. pueritia Fräcisci ad magna auspicata

Par equidem fuit, satisque consentaneũ, vt sub tutela magni Martyris Georgii, ob insuetum, ac peregrinum martyrium Magni nomenclatura promeriti, ille puer addisceret prima humanarum literarum rudimenta, qui postea studens perfectè in libro Crucifixi, eumque sibi simillimum in actis perfectionalibus, & passionalibus reddens, ab ipso deinde nouo, & prorsus nulli nec retroactis, nec succedaneis sæculis adhuc concesso martyrii genere, integro biennio sustinendo, donaretur, & decoraretur. Sicque ex hac parte sine exemplo Magnus euaderet; Deferens vulnera, & clauos Christi Crucifixi. Qui interius, exteriusque confossus, non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, & ab ipso Christo totus in Christi Iesu Crucifixi expressa similitudine ipse solus transformatus: Ipse solus sic transformatus, fidem vtriusque Ecclesiæ, etsi Occiduis plagis natus, educatus, crucifixus, mortuus, ac tumulatus, triformiter restauraret. Qui virtute potens Occidua in arce sepultus, ipse sub orti cardine opem præberet. Qui ceu viua pictura in ordine Equestri, ac militari, more Apostolico, ab ipso Deo ante oculos B. Syluestri præsentatus proferret haud Lanceę cuspidem, sed auream Crucem ex eius ore miro modo procedentem, quæ solummodo visa, Draconem tartareum terrefaceret, non pro vna, aut duabus, vel quatuor prouinciis liberandis, sed pro eximendo à Satanę tyrannide omnem Mundum orthodoxum. Nec vti magnus Imperator Constantinus, qui suscepto baptismate posuit Ecclesiam in christiana libertate; sed ceu Rex Regum Christus, qui pari fermè modo ordinauerat reparare fidem suam per renouationem vitæ suæ, & Apostolorũ suorum, mittens Franciscũ in Mundum, sicuti eam fundauerat per opus redemptionis. Qui demum nonnunquam supernaturali virtute post obitum debebat ex sua imagine, cum stigmatibus sacris depicta aduersus obdubitantes, & incredulos effundere sanguinem, & eos in meliorem intellectum reducere. Quod scribit Bon. c. 16. de miraculis Franc. post mortem, & primò de virtute sacrorum Stigmatum.

Congruum fuit Franc. tutelæ Diui Georg.

Vtriusque Eccles. profuit Franc. fidei reparatione.

Viua ceu pictura extitit in prosternẽdum Draconẽ Diabolũ.

Hæc, & similia possunt auspicari de puero Francisco sub tutela D. Georgii Magni Martyris, & ipso incomparabiliter magno breui euasuro. Quæ quidem ceu magna, & noua volens Deus antea præmonstrare, ipse ordinauit id, quod sæpè contigit Francisco, exiens cum aliis pueris, & condiscipulis à schola Ecclesiæ D. Georgii. Quotiens enim occurrebat ei deferenti iuxta puerorum morem libellorum peram, *Quidam vir de Assisio valde simplex, & vt creditur eruditus à Deo, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, Asserens omni fore Franciscum reuerentia dignum. Vtpote qui esset in proximo magna facturus, & ob hoc ab vniuersitate fidelium magnificè onorandus*. Bonauentura cap. 1. aliàs allegatus.

Exiens à scola Eccles. D. Georgii ceu vir magnus in Eccl. euasurus declaratus est.

ADOLESCENTIA FRANC.

Sub auspicio eiusdem D. Georgij Magni, Militis & Martyris, explicans in stemmate tria castra turrita ceu Anicius miles mysticè efficiendus, & cognomento Catholici decorandus, proferensque signum Innocentij III.

Fac mecum Domine signum in bonum. *Psal.* 85.

DOtes omnes, & prærogatiuas certè miras, & insuetas, præmonstrantes magnalia adolescentiæ Francisci ita succinctè complectitur Seraphici Bonauent. calamus cap. 1. *Porrò mansuetudinis lenitas cum elegantia morum; Patientia, & tractabilitas supra humanum modum: Munificentiæ largitas vltra suppetentiam facultatum, quibus*

Dotes Fräc. adolescẽtis.

bus bona indolis Adolescens certis florere conspiciebatur indicijs; quædam videbantur esse præludia, quod copiosior super eum foret in posterum diuina benedictionis abundantia diffundenda.

Hyppocrates vii. gradus in hominis ætate complectens, vt à principio huius quarti tractatus scripsimus, tribuensque infantiæ annos 7. pueritiæ 14. adolescentiam anno 25.claudit. Quo exacto, incipit iuuentus, protrahiturque vsque ad annum 35. Postea succedit virilitas, duratque vsque ad annum 42. Mox senectus vsque ad 61. à quo incipiens decrepitas, hæc ætas vitæ termino concluditur. Vide Censorinum lib.de die natali.

Adolescētia annis 25.clauditur.

S.Georgius Magnus Martyr Cappadox fuit Anicius, haud genere, sed virtute bellica tum pro Imperio Romano, tum pro Imperio Christi, & pro hoc non simpliciter Anicius, imo Anicior, & Anicissimus. Declaremus ænygma iuxta probatiora monumenta. Disputant Historici, nec inter se conueniunt de origine nominis Gentis Aniciæ Romanæ, inter Prosapias celebres in toto Orbe armis,toga, in quauis penè dignitate sæculari Ecclesiastica, & in cuiusuis generis sanctitate longe clarioris. Quæ apud Scriptores prophanos,Ethnicos, Christianos, Principes, Reges, & quod egregius est, & ab omni assentationis nota alienum inter ipsos sacros auctores, & Sāctos Patres Hieronymum, Augustinum, cæterosq;adhuc vt percelebris, & admirabilis legitur vna cum Cn.Flauio Ædilis Curulis, creatus ex Plinio, Liuio, & aliis ad ann.Vrb.439. Aniciæ gentis auctor (vt alias de rebus Austriacis fusè actum est) Q. Anicius Romanus. Dictus tamen Prænestinus vel quia Præneste natus, sicut plures nobiles Romani in Prouinciis, & Municipiis exorti, inde cognominati sunt. Vel quia hostis iudicatus,cum aliis Præneste in exilio missus. Vel quia plurimum Præneste degere solitus. Vel demum, quod Prænestinorum Ciuitas sub ipsius patrocinio fuerit constituta. Vide Abbatem Ioannem Seifridum Silesium, Auctorem grauem lib.2. super arborem Anicianam in sol aureos ramos amplè, splendidèque per Orbem fermè totum vsq;ad Hasburgios, Austriacos nouissimè diffusam,cap.4. cui titulus, *Vtrum Familia Anicia fuerit patritia, an plebeia?* In capite deinde quinto immediato vnde dicti sint Anicii demonstrans, agensque de militibus Legionariis Romanis Aniciis, quatuor refert sententias circa nomen Anicianum.

D. Georg. Mart. fuit virtute Anicius.

Q. Anicius Prænestinus gentis Aniciæ Romanæ auctor.

De nominis Anicii origine.

1 Sententia est Ioannis Petri Villæ de Canibus, Messanensis Marchionis,qui, vt refert Abbas Arnoldus Vion in opusc. §.7. *Anycios ab Anysi Aegyptij Rege*, qui regnauit tēpore Oziæ Regis Iudæ,oriundos, & cognominatos tradit. Atque tandem ex Anysiis Vphoniæ gratia Anicios nuncupatos.

Alii deducūt ab Anisi Rege Aegipti.

2 Sententia, teste eodem Vione, est Onuphrii Panuini in 1. lib. ne Gente Frangip.M.S.cap.2.qui à Matre *Ann Anicios dictos* putat. Hanc refert Cornelius à Lapide in Gen.cap.37.fol.266.

Alii ab Au parente

3 Opinio est Ioannis Annii Viterbiens. in Commantar. in Berosij sui,haud veri, sed supposititij librum, vbi agit de Genealogia primorum Ducum post diluuium, ex quadam Thusciæ Regione *Aniciense*, cuius meminit Plinius cap.22. dictam ab Anitino Sabatii Sagæ postero *Aniciam gentem* contendit. Idem tamen Seifridus hasce tres sententias, vt parum veras reijcit. Primò, inquit, nulli coniecturæ innititur: Familia enim Aniciana Romana est, non autem peregrina, & aduena. Et Turriani, qui fuerunt Anisij, Anisii in cunctis monumentis, & non Anicij inscribuntur apud Ioannem Gruterū è Schedis Alisij Lollini Episcopi Bellunensis. Secunda sententia si vera esset, *Anucij*, non autem Anicii ex gente Anicia oriundi dicerentur. Quippe cum nulla euphoniæ causa prætendi possit, nō alias quoque Minitij non *Minutij*, Genitii nō *Genuti*, Æbirii non *Aebutij*, quæ Romana sunt nomina dicendum foret. Tertia sententia mendosè citat Plinium, qui eo loco Lapidicinas Anicianas ait fuisse in agro Tarquiniensi circa lacum Volsiniēsem, vnde marmora Romam connectebantur, ad Aniciorum ædes construendas, &c.

Alii ab Aniciense Tusciæ regione

Reiiciuntur hæ tres sententiæ,vt parum veræ.

4 Ergo, ac vera sententia, ab eodem ex Arnoldo solidè declarata, & probata inniti videtur S. Gaudentii Episcopi Brixiani auctoritati. Is namque Sanctus Doctor in serm. de Machabœis, vbi posteaquam comparauerit eos Aniciis propter inuictum animi robur, ita subdit. *Nemini absurdum videntur, quod eos paulò ante Anicijs comparaui. Anicij quippe ex Græco sermone à nobis nuncupantur inuicti.* Quod verum dicit Gaudentius. *Inuictus* enim Latinè, est Græcè *Aniceitos*. Testantur id Legionarii milites apud Romanos, qui ob inuictam, & in armis spectatam virtutem sub *Aniciano* nomine instituti fuerāt. Quique alias *Inuicti* nūcupabantur, de quorum numero fuit S.GEORGIVS *Cappadox*, vt testantur veterrima eius gesta, quæ citat Vion in opusc.§.7.Qui ex hisce Militibus in Oriente sub Magistro Militum inter auxiliares Palatinos erant *Inuicti*

Quarta sent. & verior ab inuicto animi robore Anicios deriuat.

Milites Legionarii Romani,Anicii dicti, idest inuicti.

Alii seniores, alii iuniores nuncupati.

Eti iuniores dicebantur. Qui verò in Occidente sub Magistro peditum etiam inter auxilia palatina militabant, partim *Inuicti seniores*, partim Inuicti iuniores nominabantur, vt tradit auctor notitiæ vtriusque Imperii.

Eorũ arma diuersa erãt.

Arma diuersa vtrorumque horum militum vide Lector apud Guidonem Pancirolum Comment. in notit. Imperii Occident. & Orient. lib. 2. cap. 22. & 36. De Aniciis Equitibus loqui videtur Alexand. Genial. dier. lib. 6. cap. 22. Arma enim, quæ horum Equitum describit, in vetustissimis D. Georgij Magni Martyris statuis, & simulacris cernere licet. Subscribere videntur hanc sententiam D. Thom. Aquinas (cuius genus per Stirpem Francipanam, quæ est Ramus 13. Arboris Anicianæ, ex qua postremò & Austriaca apud eundem Seifridum lib. 3. cap. 16. ad Aniciam gẽtem radicaliter idem Seifridus refert) similiter & Gisebertus in præfatione in opusc. Boethij de Sacratiss. Trinit. Nam Boethius ipse quinq; se nominibus inticulans, Torquatum Seuerinũ Boethium appellat. *Vocatus Anicius*, inquiunt, *fortitudine, Seuerinus grauitate. Opitulatione Boethius Meritis Manlius.*

D. Thomas Aquin. origine Anicius.

Nomina Boetii quinque.

Quæ mistica interpretatio innixa videtur insitioni vetustissimæ gentis Manliæ Torquatæ cum arbore Aniciana. Vide eundem Seifridum cap. 1. lib. 3. & cap. 13. vbi in specie super ramum 10. agit de gente Anicia Seuerina Boethia.

Fui ex ramo in arboris Anicianæ.

Anicius ergo D. Georgius Martyr eo modo, quo dictum est iuxta nominis Anicii interpretationem. Sub tutela tam magni Anicij, inuictissimique Militis tum Christi Redemptoris, tum Cæsaris Romani veluti Anicia reperta est Frãcisci adolescentia. Et eò amplius ita reperta est, quò nec Mundus potuit ipsam vincere, nec caro, nec Diabolus, ex diuino sibi assistente præsidio, vt diximus cum D. Bonauentura, iam inuincibilis, & inexpugnabilis reddita, quamuis àd Mundi gaudia effusa, & rebus mercationis intenta. Quia nec eiusmodi diffusio ad ea gaudia, nec talis intentio ad eam mercationem excessit limites in munitissimam gratiæ arcem, seu triplex adolescentis Francisci animæ castrum; nam ipsam prosternere vnquam potuit, etsi ita de propinquo circumualauerit, inuaderit, & captu facillimam crediderit. Sicque veluti nouus *Anicius* cum Anicio D. Georgio tripliciter turritus, fortisque, & inuictus redditus est à Dei brachio, vincens Mundum, & carnem, & Diabolum. Superbiam. Luxuriam. Auaritiam inter ipsa tam proxima horũ vitiorum per plures annos peccaudi fomenta. Præmonstransque ab ipsa adolescentia, quod in vita regulari ceu Anicius plus expertus, & ex ordine seniorum per se, & per tres Ordines idem animi robur contra eadem vitia principaliter pro Ecclesiæ Romanę reparatione irruere debebat, semper vincens, & inuictus apparens. Quare merito ex eius dotibus, & prærogatiuis in adolescentia deduxit Bonau. illam consecutionem. *Quibus bona indolis adolescens certius florere conspiciebatur indicijs, quadam videbantur esse præludia, quod copiosior foret in posterum diuinæ benedictionis abundantia diffundenda.*

Anicia effecta est Frãc. adolescentia sub tutela D. Georgii Anicii.

Quia inuicta reddita contra cõmunes hostes inter ipsa labendi fomenta.

In miraculo illo, quo Christus suscitauit adolescentem, vnicumque viduæ Ciuitatis Naim filium, duo equidẽ notabilia affert Interpres noster super Euangel. Lucæ 7. fer. 5. Dom. 4. Quadrages. Primum circa accessum Christi ad feretrum emortui adolescentis, ipsumque tangentis. Secundum circa adolescentiæ ætatem exsuscitandi iuuenis. Alterum potest referri ad personam Francisci adolescentis; alterum verò ad totam Ecclesiam ab eo reparandam. *Accessit Iesus*, inquit sacer textus, *& tetigit loculum. Hi autem, qui portabant steterunt.* Steteruntne qui portabant defunctum adolescentem ex sese, an verò ex Christi, feretrum haud sine misterio tangentis virtute? Respondet Interpres ex D. Cyrillo his verbis. *Statim ad Christi sacratissimum tactum portatores steterunt facti immobiles.* Ideo Christus tangere voluit, vt efficaciam suę carnis, siue humanitatis ad humanam salutem ostẽderet. Qui autẽ ad eius tactum steterunt portitores, mirandum non est; nam vt dicunt mundani sapientes est *Piscis*, qui dicitur *Formido marina* ab effectu. Cum in rete includitur, facit formidare, & obstupescere manus piscatoris. Igitur hic piscis, qui natauit in aquis tribulationum huius Mundi, debuit stuporem inducere ad tactum loculi ipsis portitoribus. Quod igitur eius humanitas habuerit virtutem, patet, quia magis erat ipsi vnita diuinitas, quam ferro ignito ipse ignis: quia ista fuit maxima vnio post vnionem, quæ est in Trinitate. Sed ferrum ex eius vnione cum igne operationem, & efficaciam ignis habet; igitur, &c. Hucusque Interpr.

Cur Christus suscitans adolescentem filium viduę Naim voluerit tangere feretrum.

Ad tactũ feretri manus Christi portitores steterunt.

Reuocato ad vitam Francisco, iam libero ex contactu manus gratiæ Dei, præcipuo quodam fauore eius hominem interiorem exsuscitantis è culpæ originalis morte (ob quam anima in sui corporis feretro spiritaliter extincta, fertur, vt inferius explicat Interpres ex Glossa) meritò steterunt eius portitores. Hi portitores circa peccati originalis mortẽ ante, & post

Post exsuscitationem animæ diuersimodè reperiuntur. Nam antea præstat eos mortuæ animæ ira, *quia omnes nascimur filij iræ.* Postea verò eos fomes præstat, quem relinquit originale crimen etiam post eius expulsionem. Afferuntur ab Interprete sub numero quaterno ex D.Ambros. iuxta numerum quatuor passionum, seu affectuum principalium, nuncupanturque communiter, amor, odium, timor, spes. Hi semper portant, & impellunt irascibilem, & concupiscibilem, sensusque omnes ad mortem actualis culpæ, nam *Stimulus carnis mors*.

Sic pariter ad accessum gratiæ Dei steterũt portitores in Franc. adolescentia.

In tota infantia Francisci hi quatuor portitores post eius inclitissimæ animæ viuificationem steterunt, quia ætas illa immatura, neque adhuc in vsum rationis peruenta, incapax fit mortalis criminis. Steterunt similiter in tota Francisci ijdem portitores adolescentia, & modo admodum admirabili, sicut mirabiliter etiam accessus, & virtus gratiæ Dei superni præsidii assistentia, vt loquitur Bonau. ingis inter ipsa mortis spiritualis discrimina in Viro Sancto extitit. Quod aduertens D. Vincentius Ferrerius, qui post Bonauent. exactis ann. 100. & amplius floruit, nimirum anno Dom. 1410. *Lucernam* Lucæ 11. sub cuius etiam simbolo commendauerat Christus Præcursorem suum, assumpsit pro themate in serm. de S. Francisco. Demonstrans in ipso tot radios, quot ad extremum vitæ recepit à Christo vulnera *ad illuminandum*, circa memoriam passionis Christi *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Qui radij apud ipsum sunt Paupertas Apostolicalis. Asperitas pœnitentialis. Humilitas cordialis. Charitas diuinalis. Firmitas perpetualis. Sub hoc postremo radio ita ad finẽ inquit. *Quintus radius est firmitas perpetualis. Quia in tota vita sua perseuerauit in sanctitate, & bona vita*. Hæc ille. Quid est bona vita, sanctitati iuncta? Est certè integra vita, *quia bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus*.

Franc. sub Lucernę simbolo.

Circa secundum, quod affert Interpres loquens allegoricè cum D. Ambrosio de ætate exsuscitati iuuenis, scilicet de illius adolescentia, ita scribit, explicans paucis verbis totum humani generis redemptionis opus. *Per hunc adolescentulum* intelligere possumus hominem quemlibet huius Mundi, qui mortuus affertur, dum scilicet omnes tendimus ad mortem. Cuius funeris portitores erant quatuor elementa. *Loculus transgressionis lignum. Quod lignum Christus tangens, dum scilicet positus est in Cruce, fecit stare, morti scilicet imponendo terminum. Et adolescentulum resuscitauit, quia nunc absorta est mors in victoriam.*

Adolescens dictũ genus humanum, à Christo redemptum.

Adolebat misticè in illo Viduæ Naim vnico filio adolescenti tum totum humanum genus indigens redemptione, tum etiam & totus Christus, qui vt ipsum redimeret venerat. Sed vterque diuersimodè adolebat. Quod vt intelligatur, scire oportet, idem esse propriè *adolere* (vnde adultus, adolesco, adolescens, & adolescentia, & diminutiuum adolescentulus) ac *crescere, augere, augumentum sumere*. Verum aliquando *adolere est sacrificare*, & quasi odorem Dijs præbere.

Vrbanasque adolere pingues, & mascula thura,

cecinit Virgilius. Quoniam verò sacrificium igni fieri consueuit, adolere pro vrere capit Varro, illis verbis, *cum intestina adoleuissent*. Adolescentia ergo totius generis humani ob peccatum originale mistica erat, quia per illud peccatũ adolebat, hoc est sacrificabat, & quasi odorẽ præbebat non Deo vno, sed Dijs multis, siue Dæmonibus per idolatriam, siue criminibus per legum naturæ, & scriptæ transgressionem. Ad hanc destruendam Christus adolescentiam per redemptionẽ ceu adolescens adolescenti accessit, & tetigit loculum, & steterunt portitores, & adolescens extinctus audita eius voce statim resurrexit. Nam & ipse Christus seipsum adolere oportuit, scilicet sacrificare in igne charitatis, & odorem Deo Patri præbere, extensus in ara Crucis. Dicat ergo Interpres *per hunc adolescentulum, &c.* subiungatq; *Loculus transgressionis lignum, &c.* Etenim positus in Cruce Christus verè adoleuit per sui ipsius sacrificium, sicq; adolere cessauit humanum genus nõ amplius Dijs alienis, ac Dæmonibus adolens, sed ipsi Christo, Deo suo, qui pro se adoleuerat.

Adolere est aliquando sacrificare.

Sic Christus adoleuit pro mundi adolescentia

Integra in bona vita Francisci adolescentia hominum omnium adolescẽtiam in Ecclesia vniuersa, indigente reparatione, inspiciebat. Hac enim de re talem effecerat eum Christus in illa ætate in ordine ad huiusmodi reparationem, qualem postea interius, exteriusque adolere perauctam, inuictamque constantiam melius posset in charitatis feruore, se totũ Deo, & proximo sacrificans, sicut scripsit Bon. c. 9. de feruore charitatis, & desiderio martyrij Francisci illis verbis, aliàs datis. Nõ habebat aliud Christi pauper, nisi duo minuta, corpus scilicet, & animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continuè, vt quasi omni tempore per rigorem ieiunij corpus, & per ardorem desiderij spiri-

Fran. adolescentia generis humani ab eo reparandi adolescentiam inspiciebat.

spiritum immolabat, *Exterius in atrio sacrificans holocaustum, & in templo interius concremans thymiama*.

Franc. holocaustum in thimiama

Istud autem adolere, in adolescentia Francisci præmonstratum, ad quem scopum referebatur? Audi eundem Bonau. ita mox pergentem. Sic autem cum charitatis excessiua deuotio sursum in diuina ferebat, vt eiusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes, & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis cæteris *germanum pietas* cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitus imagine, & sanguine redemptis auctoris germaniorem Christi charitas faciebat. *Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit.*

Postrema Francisci, *Anicianaque* fortitudo super Montem Aluernam apparuit, quia tunc anima, & carne confixus adoleuit insuperabiliter ad complementum plenè & cõsummationem totius Ecclesiæ reparationis, dicente Bonauentura paulò ante quam appareret ei Christus, in specie Seraphica crucifixus. *Excreuerat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Iesu in lampades ignis, atque flammarum, vt aquæ multæ charitatem eius tam validam extinguere non valerent, &c.* Hæc, hæc profectò extitere, quæ dotum, & prærogatiuarum Francisci adolescentis eximiora prælúdia auspicata sunt, *quod copiosior foret in posterum diuinæ benedictionis abundantia diffundenda*. In qua quidem auspicatione dum *bona indolis adolescens* Franciscus *certis florere conspiciebatur indicijs*, Anicium hæc ipsum pariter præmonstrabant, & pietate germanum, vt dicit Bonau. Namque id sibi cognomentum in Ecclesia hæreditarium fieri debebat, quod postremò Gens Anicia Romana per Principes Germanos Habsburgienses Austriæ Archiduces, à Regibus Castilianis (quorum insignia gentilicia Castrum Turritum, super quod eminet Leo, ensem vnguibus strictum eleuans) in Christiana Republica hæreditauit. Hoc fuit nomen *Catholicum*, quod cum Regnis, & ditionibus Hispaniæ transtulit ius connubiale ad prædictos Habsburgios germanos, qui ramum 18. Arboris Anicianæ constituunt.

Super montẽ Aluernæ extremè Anicius Franc.

Cognomẽtũ Catholicum Germani Austriaci à Castilianis hæreditarũt

Bonau. vt diximus tribuit Francisco viuenti bis nomen Christianissimũ, quod Reges Galliæ hæreditarunt, quodque præcedi videtur tempore à cognomento nominis Catholici annis fermè 64. Vide si placet quæ sufficienter tradidimus super rem hanc tom. 2. Hierarch. fol. 514. & sequent. Sed istud nomen Catholicum ob insuperabilem Francisci virtutem in reparandam tripliciter vniuersam Fidem Catholicam, accepit statim Vir Sanctus post mortem in sepultura à Gregor. IX. Is namque Romanus Pontifex, de quo aliàs passim, in lapide sepulchrali dicans, consecransque Francisco suo totam illam inscriptionem, propria manu exaratã, ita more Romano incepit. V.S.C.A. hoc est, vt communiter explicatur, Viro. Seraphico. Catholico. Apostolico. In versiculis deinde 4. & 5. nuncupat ipsum *Christiani Orbis fulcimentum, Ecclesiæ Reparatorem*. Hoc postremum encomium respondet verbis Christi, qui è Cruce ter mandauit Francisco Domus suæ reparationem. Illud verò antecedens visioni respõdet Innocentij III. Basilicã Lateranen. humeris suis Franc. sustinentem cernentis. Quod dedit ipsi Christi Vicarius nomen *Catholicum* post nomen Seraphicum, tribuit deinde vniuersa Ecclesia Seraphica, D. Bonau. eam generaliter regente, in primis Vesperis festi S. Francisci illis primis versiculis, *Franciscus Vir Catholicus, & totus Apostolicus*. Sicque Anicianum nomen & Catholicum nomen, & nomen Apostolicum de iure ligantia simul in Viro Seraphico, peculiari quodam nexu copulata videntur.

Franc. idem nomen hæreditauit in Ecclesia.

Accepit illud primo à Papa Greg. ix. statim post eius obitum.

Tria cognomina in titulo epitaphij sepulchralis Franc. data.

In signo suo vocali Innocentius III. præfatus exprimebat circum numisma Pontificium illa verba, *Fac mecum Domine signum in bonum*, ex Psal. 82. desumpta. Erat Innocentius ex Comitibus Signiæ, ac proinde radicali gente Anicius per stirpem Frangipanam. Ramum 15. arboris Anicianæ sic intitulat Seifridus lib. 3. cit. cap. 18. *Gens Anicia Francipania, Signia, Hungarica*. In eius fine hæc habet. Procedente demum tempore familia hæc illustris ad Anagniam Ciuitatem Campaniæ in Hernicis translata. Sed quo temporis interuallo (Vion inquit) explicare non valeo. *Ibidem quoque clarissima extitit, protulitque Romanos Pontifices, doctrina, & sanctitate celebres, Innocentium III. Gregorium IX. Alexandrum IV. aliosque S.R.E. Cardinales* (inter hosce hodie in vltima promotione, ex Gubernatore Vrbis Romæ, electus D. Nicolaus Ioannes, verè Anicius erga Anicium Franciscum, & suos Minores, de quo aliàs in Hierarchia, & alibi) *& vtriusque status tam Ecclesiastici, quam secularis viros praclarissimos*. Hæc Seifridus.

Innocent. iii. per stirpem Francipaniã radicaliter Anicius.

Ætate iuuenili, ac florida annorum 30. si Ciacconio fides, fuit creatus Pontifex Innocentius III. Anicius genere, & gestis. Sub ipso quoque animi robore, & constantia ex inuicta Dei virtute (de qua Bonau.) circa Satanæ molimina Anicius adolescens Franciscus erat. Eius

Ex Comitum Signiæ sobole cum alijs Heroibus Eccl. ac secularibus emersit.

Adolescētia Franc. sub Innoc. iii.

adolescētia vsque ad annum 25. amplexa est ex regimine Innocentii, creati anno 1198. annos octo cum dimidio. Mortuo namque Cælestino III. Francisci ætas annos 16 menses 15. & dies 25. vt diximus compleuerat. Innocentius verò rexit Ecclesiam annos 18. mens. 6. & dies 9. Signo illo, seu symbolo vocali, quod exscripsimus ex præfato Ciacconio, tantus, ac tam magnus, piusque Christi Vicarius expostulabat à Domino *signum in bonum*; idq; pro totius Ecclesię bono, vniuersaliter sub mali pondere oppressæ. Quod profectò bonum vt eueniret, deuictis hostibus, qui vndique in perniciem fidei Catholicæ aduersus ipsam triumphabant, Aniciano proculdubio, seu inuicto, catholicoque illo bono indigebat Orbis orthodoxus; quod Franciscus Anicius, catholicusque de proximo præmonstrabat.

Synopsis gestorū Franc. in tota adolescentia.

Etenim tota eius conuersio ab adolescentia incepit, & in ea consummata est vsque ad vitam eremiticam. Adolescens adhuc in Mundo Franciscus ad annum ætatis suæ 24. alia eius noua, ac peregrina munera celitus sibi collata, sub expressis supernæ pietatis auspicijs exordia habuere. *Facta super eum manus Domini, & immutatio dexteræ excelsi, quæ diutinis languoribus ipsius corpus afflixit, vt coaptaret animam ad Sancti Spiritus vnctionem*, scribit Bonau. cap. 1. immediatè post enarratum exemplum de viro illo simplici, qui vestimentū suum ad pedes pueruli Frācisci extendere assolebat. Ex qua mira Sancti Spiritus vnctione pergit mox Seraphicus historicus ad seriò enarranda alia peculiarissima Francisci mirabilia, in quibus nunc post vestitum ex proprijs indumētis generosum, pauperrimumque militem sibi occurrentem inopinato, visumque cælitus amplum palatium, militaribus armis Cruce signatis confertum, ad militiā sacram terræ Sāctæ se præparauit, *sperans decus* adipisci militiæ, vt ostensa visio (quam nondum benè perceperat) *sibi præmonstrabat*. Nunc vix proximiori Ciuitati appulsus, statuit citò ad Terram suam reuerti ex expresso Domini mandato, *iam exemplar obedientiæ factus*. Nunc à publicæ negociationis tumultu se subtraxit, & alia mirabilia maximè circa apparitiones Christi Iesu, eiusque allocutiones, &c. Quæ in superioribus rescripta sunt, quæque finem habuere vbi post receptum à patria sua vt stultum, & vt talē conuiciosè, derisorieq. luto, saxis, clamoribus tractatum, penitque à Patre suo demum (verè stultescens pro Christo in stultam Mundi sapientiam) se totū exuit corā Antistite Guidone, de cuius manda-

Vide hæc fusè superius.

to accepit gratanter pauperrimū, vileque mantellum cuiusdam agricolæ illi inseruientis, coque ipse manibus suis cruciformem tuniculam effecit, illaque induit corpus suum, iam durè ab ipso tractatum. Cuius carnem asperrimo circumdederat cilicio; quod cum sæcularibus vestibus minimè proiecit, sed ambobus brachijs cum fortiter constringens, quantum potuit, abscondit.

Exercitia Frāc. in adolescentia antequā Christus ei Eccl. suæ reparationem præciperet

Inter prædicta, & alia facinora verè noua, & vnica in tali adolescente, & fermè in tota Ecclesia haud adhuc ab eo cū vestimenti mutatione solitaria vita amplexit, hæc minimè tacenda, quibus Antesignanus, & exemplar aliorum primitiuorū in Ecclesia effectus Franciscus. Eius Bonau. ad finem cap. 1. describit exercitiū antequam ipsum alloqueretur Christus crucifixus, terque ei in habitu sæculari degenti, mandaret Domus suæ reparationem. Cum prius, inquit, leprosorum non solum consortium, verum etiam longinquum conuitum vehementer horreret, iam propter Christum crucifixum, qui iuxta verbum propheticum Isaiæ 53. cōtemptibilis vt leprosus apparuit; vt semetipsum plenè contemneret, humilitatis, & humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat.

Quam obsequiosus circa sacerdotes, & sacramēti altaris.

Visitabat enim frequenter domus ipsorum. Liberaliter eleemosinas erogabat, & cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur, & ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verum etiam seipsum cupiebat impendere: aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens: aliquando scindens ad largiendum eius, cum præ manibus alia non haberet. *Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter subueniebat, & piè, præcipuè in ornamentis Altaris, quo & cultus diuini particeps fieret, & cultorum inopiæ supplementa præberet.*

Quā liberalis erga pauperes visitās Apostoli Petri limina.

Cum autem religiosa deuotione tunc temporis limina visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores Ecclesiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, vni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, & semicinctijs contectus illius, diem illum in medio pauperum cū insolita spiritus iucunditate transegit; vt & sæcularem gloriam sperneret, & ad perfectionem Euangelicam gradatim cōscendens perueniret. *Mortificationi carnis inuigilabat attentius, vt Christi Crucem, quā interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corde. Agebat autem hæc omnia Vir Dei Franciscus nondum habitu, vel conuictu sequestratus à Mundo.* Hæc postrema

Sera-

Seraphici Historici verba, quibus totum caput illud 1. quod est *de conuersatione Francisci in habitu sæculari*, concludit, verè *Anicium*, scilicet inuictum, & insuperabilem à Mundo ipsum demonstrant. Ac proinde eius adolescentia anno ætatis suæ 25. complens sub trium castrorum hieroglyphico promerita equidem, vt nondum habitu, vel conuictu sequestrata à Mũdo, benè tamen Christi Crucis interius, exteriusque baiula, è Cruce sua Dominus crucifixus ternam Ecclesiæ suæ reparationẽ præciperet, & ad alia noua gesta in Mundi contemptum Franc. alliceret cum maxima, insuetaque totius Mundi admiratione. Mundus quippe ex eius in sacro baptismi lauacro mundatione vsque ad habitus mutationem defecisse vinum suũ reapse expertus est, licet aliter apparenter videbatur, vt dictum est, iam Franciscus spectaculis, conuiuijsque, & alijs recreationibus assuetus. *Deficiente vino*, &c. Io. 2. Vbi Interpres Dom. 2. post Epiph. acutè ita explicat. *Vtinam deficiat nobis vinum*, de quo Deuter. 32. *Fel draconum vinum eorum, &c.* Id enim est Mundi gaudium, de quo Salomon Prouerb. 23. *Non intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, &c.* Mira ergo, & noua in Seraphico homine oraculis propheticis præmonstrato in sæculari nouem mensium vita conceptio, mira natiuitas. Mira deinde in vita christiana eius baptismalis renouatio. Mira demum infantia, pueritia, adolescentia, quæ per binam Crucis baiulationem nondum extra Mũdum ad illam crucifixionem animæ, & corporis disposuit Franciscum; per quam solus fieret, & primus esset in Ecclesia circa actus perfectionales, & circa actus passionales vtriusque crucifixionis, & paupertatem, & alia absolutè vnicus Christi imitator esset post Virginem, & Apostolos, & Domini Præcursorem, &c.

Mũdus ipse vim Anicianam in sui dedecus admirabatur in Franc.

Circa actus hos passionales vide S. Anton. 3. p. titul. 23. §. 2. & quantum ad paupertatem etiã tit. 24. §. 1.

CAPVT VI.

VITA EREMITICA FRANCISCI

In qua Dei famulus duos annos iuuentutis expleuit, ab anno scilicet ætatis 25. Christi 1206. vsque ad annum 27. Christi verò 1208 sub ipso Innocentio III. explicans pro stemmate tres salices iuxta fluentes aquas.

Textus Historiæ D. Bonau.

SIc igitur Seruus Regis Altissimi nudus relictus est. Vt nudum sequeretur Crucifixum Dominum, quem amabat. Sic vtique Cruce munitus, vt animam suam ligno salutis committeret, per quod de Mundi naufragio saluus exiret. Solutus exinde Mundi contemptor à vinculis mũdanarum cupidinum, Ciuitate relicta, securus, & liber secretum solitudinis petijt, vt solus, & silens supernæ audiret allocutionis arcanum.

Liber exit Franc. à mũdi naufragio

Cap. 2. in corpore.

SECTIO I.

Misterialia secreta biennalis Francisci solitudinis, nulli Legi Regulari, potissimum Eremitarum Sancti Augustini subiectæ.

E*Ffundam super sitientem aquas, & fluenta super aridam. Effundam spiritũ meũ super semen tuum; & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluẽtes aquas.* Hunc textum Isaiæ addit immediatè Interpres (veluti damno spiritali, atque vniuersali animarum generale remedium apponens) textui illo Matth. 11. *Herodes tenuit Ioannem, & posuit eum in carcerem propter Herodiadem, &c.* Istum secundum textum ita exponit moraliter in Dom. 2. Aduent. *Herodes est Mundus. Herodias est caro. Ioannes spiritus hominis. Vincula vanitas, & voluptas.* Herodes, & Herodias Inter-

Anima à quibus incarceretur.

interpretantur glorians in pellibus, & gloria pellis. Mundus, & caro in exteriori pulchritudine habent gloriam, de qua Isaia. *Quid facietis in die visitationis, & calamitatis, de longe venientis?* Ioannes interpretatur gratia Dei, *& significat spiritum hominis, qui gratiam Dei in baptismo suscepit.* Hinc statim per concordantiam sic annectit. *Vnde Isaias,* Effundam super sitientem, &c. Subditque glossam suam ita dicens. Sitiens, & arida est anima ante baptismum. *Nam eramus* (inquit Apostolus Eph. 2.) *filij iræ natura.* Sed Dominus *effundens aquam baptismalem,* effudit spiritum, & suam gratiam, vt de filijs iræ faceret filios gratiæ. *Et sint semen, & spiritus,* idest filii Sanctæ Ecclesiæ. *Et germinent herbas quasi salices,* idest Sanctos, in fide virtutibus inhærentes. *Iuxta præterfluentes aquas,* idest charismata gratiarũ. Hæc ibi Interpres super vtrumque textum allegatum, quorum priori explicatione ostendens veluti remedium infelicitatis carcerationis spiritus hominis; de quo iam dixerat, statim addit. *Hunc Ioannem, gratia sic illuminatum Herodes, & Herodias, idest Mundus & caro alligant suis vinculis. Mundus vanitate, caro voluptate. Mundi vanitas consistit in superbia, & auaritia. voluptas carnis in gula, & luxuria, &c.* Quæ quidem incarceratio erat tunc communis in tota Ecclesia: nec tamen ipsa miserat cum esset in vinculis duos ex discipulis, scilicet spem, & timorem, eo modo, quo ibi exponit Interpres; sed Virginis Matris pietatem eius cõmuni miseria mouit, visceraque commouit, vt intercederet à Filio suo tam duræ incarcerationis liberationem per reparationis remedium.

Anima ante baptismum sitiens est, & arida.

Sancti sunt veluti salices.

In capite 2. Legendæ persequens adhuc Bonau. Francisci adolescentiam vsque ad ad annum 25. addensque alia, quæ contingerunt ei (& iam paulò ante tetigimus) vsque ad totalem renunciationem legitimæ suæ, Parenti effectam coram Episcopo Assisiatis, eius vitam solitariam sub illo sacco cruciformi, quem manibus suis designauerat, consueratque, itaut proposuimus, incipit describere. *Solutus exinde Mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinum, Ciuitate relicta, securus, & liber secretum solitudinis petijt, vt solus, & silens supernæ audiret allocutionis arcanum.* Hæc superna ad Franciscum allocutio, & pro illo eodem arcano similis ferè extitit allocutioni Dei ad Iacob, cui prædicta verba Isaiæ 44. pronunciarat, vbi dixerat ei ore Isaiæ *Et nunc audi Iacob serue meus, & Israel, quem elegi. Hæc dicit Dominus, faciens, & formans te, ab vtero auxiliator tuus. Noli timere, serue meus Iacob, & rectissimè quem elegi. Effundam enim aquam super sitientem, &c.* Auxiliator Francisci, omnia vitia supplantaturi extitit Deus ab vtero matris suæ Picæ, quæ dum ipsum parere non poterat, misit ei Angelum suum sub peregrini specie, vt ex eius monito pareret in stabulo, sicut ibi mox peperit. Auxiliator extitit deinde Deus in tota eius mundana vita, ab omni lethali crimine libera. Is idem auxiliator soluens omnimodè à Mundo, quem Mundi contemptorem, & supplantatorem ab ipso in Mundum ingressu immediatè effecerat, & ad vitam eremiticam, & solitariam adducens, biennoque ibique retinens, promisit illi de proximo, *Effundam super sitientem aquas, & fluenta super aridam.* Fideles pietate arentes, aquis, & fluentibus per opus reparationis, & propagationis indigebãt. Sitiebat proinde Ecclesia per duplex baptismum, alterum misticum, quod triplex est, & in qualibet Religione inuenitur, primo aquam reparationis. Secundo sitiebat per baptismum sacramentale (quatenus inhuiusmodi reparatione multi infideles, non solũ quibus omnis Mũdus nouus conflandus, verum & alii in alijs Orbis partibus dispersis, plurimiq; etiam Pagani, & Iudæi baptizandi erant) fluenta suæ propagationis, & dilatationis. Vt quod destruxerat impietas, longè superaretur à Dei gratia, Ecclesiam suam reparante, ac propagante, aiente Apostolo, *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Sed Dominus effundens aquam baptismalem, effudit spiritum, & suam gratiam, &c.* Hæc tamen gratia baptismalis per lauacrum sacramentale post baptismum illud misticum triplex, scilicet professionis religiosæ, flammis, & sanguinis, contigere debebat in triplicis reparationis opere, per Franciscum aggrediendo, prosequendo, perficiendo. Et quia reparatio Ecclesiæ celeriter incipienda erat, iuxta gratiæ Dei morem (nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia) & perenniter prosequenda vsque ad finem Mundi, ad huius veritatem extant sequentia Dei verba, cum postil a Interpr. prædicta, *& sint semen, & spiritus, idest filij Sanctæ Ecclesiæ, & germinent herbas, idest Sanctos, quasi salices, idest in fide virtutibus inhærentes iuxta præterfluentes aquas, idest charismata gratiarum.*

Auxiliator Franc. Deus ante, & post ortum.

Sitis Eccles. ad duplex baptisma.

Cur tres salices stemati Franc. in vita eremitica tradendi.

Salix, arbor nota, à saliendi, idest crescẽdi celeritate. Tres ordines altè, & celeriter, qui altè, & celeriter radicarent, dilatarentur, semenq; perenniter propagarent, plãtaturus in horto Ecclesiæ Frãc. meritò equidem sub trium salicum stẽmate præfigurauimus, eique in vita eremitica, & solitaria haud inconsultè tribuimus. Quippe

pè in illa vita solitaria reparans postremò tres Ecclesias Franciscus mendicando, moxque commutans vitam eandem in vitam regularem, ab illa materiali, ac terna reparatione præmonstrauit illi Deus tres Ordines, scilicet Minorum, Clarissarum, & de Pœnitentia, quibus triformiter reparanda erat Ecclesia. *Diuina namque prouidentia nutu, qua Christi seruus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit Ecclesias, antequam Ordinem incheans Euangelium prædicaret. Vt non solum à sensibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora ordinato progressu conscenderet: verum etiam vt quid esset facturus in posterum sensibili foris opere misterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius Sancti viri ducatu secundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum.*

Vita eremitica gloriatur de Elia, de Præcursore Christi, & de ipso Christo.

Eremitica, ac solitaria vita antiquior in veteri Hebræorum Ecclesia gloriatur meritò in Propheta Elia. Minus antiqua in exordio Christianæ Ecclesiæ gloriatur tum in Christi Præcursore, tū in ipso Christo, deserti, ad eius 40. dierum, & 40. noctium ieiunium perapti, incola. Recentior autem hæc vita & ipsa gloriari oportet in Francisco, in quo ex antiquioribus eremitis cernere meruit Eliam, & ex minus antiquis & Ioannem Præcursorem Christi, & Christum ipsum. Eremitarum institutum in vtroque Testamento antiquissimum, celeberrimumque, quod grauissimè repræhendunt recensiores hæretici, doctè, & potēter defendit Bellarminus in quinta disputatione de Monachis tom. 2. lib. 2. cap. 39. Demonstrans ibi vitam eremiticam illarum tempestatum sanctam, perfectam, & Deo gratā ex testimonio scripturæ, primò aperit oppugnatoribus, quod ipsa Scriptura vehementer laudat Heliam, & Ioannem, qui Eremitarum Principes fuerunt; siue solitudinem, siue asperitatem vitæ consideres. Ad hanc solitudinem, atque asperitatem vix baptizatus à suo Præcursore ipse Christus *ductus est in desertum à spiritu, &c.* vt scribūt Euangelistæ. In vno Francisco solitario etsi solitudo illa, siue eremus qualis fuerat illa Eliæ, eaque Ioannis esse non poterat, asperitas tamen vitæ eius maxima erat, & valdè equidem tunc temporis noua. Bonau. in prologo toties allegato venisse Franciscum, præseferentem imitatoriam Præcursoris similitudinem, in spiritu, & virtute Eliæ, quemadmodum & ipse venerat Præcursor, scribit; sed quod peculiare postea fuit in Francisco præter illam imitatoriam Præcursoris similitudinem extitit profectò apparitio eius super Currum igneum, &c. de quo aliàs. Venisse etiam Franc. instar Christi, & ceu Angelum veræ pacis, habentem signum Dei viui, idest Christum ipsum, ab eo in actibus perfectionalibus, & passionalibus vnicè imitandum, ibidem scribit idem Doctor. Ergo in persona Francisci solitarij reperiebatur figuraliter Elias, Præcursor Christi, & ipse Christus. Porrò quilibet horum in sua vita solitaria diuersimodè Princeps dicendus. Elias in veteri Ecclesia. Præcursor in exordio nouæ Ecclesiæ Christianæ. Christus in opere Redemptionis, quia exiens ab illo eremo baptizari voluit ab suo Eremita, ac Præcursore, & mox statim incipere prædicationem. Pariter Franciscus deferens secum insignia Eliæ Prophetæ, Præcursoris Christi & Prophetæ, Christi, & Prophetæ in illa sua solitudine, vacans ibi per biennium, ibiq; prophetans, Princeps euasit, & primus, quatenus ipse primus esse debebat, qui inde exiens, ad Præcursoris Christi circa prædicationem pœnitentiæ, & ipsius Christi similitudinem opus reparationis, mutans vitam eremiticam in religiosam (sicut fecerat idem Christus) aggrederetur, iuxta mandatum, ter sibi a Domino è Cruce prius factum.

Et etiam de Francisco in quo illi tres erant.

Tres Principes vitæ solitariæ, quilibet in suo genere

Damus istud principatum Francisco nostro in illa biennali, ac solitaria vita; negamus tamen tunc temporis regulam Eremitarum D. Augustini professum esse, imo cum Tossiniano, Henrico Sedulio, & quotquot ante Vadingum scripserunt ex nostratibus, commentitium verè fuisse, vanèque assumptum quidquid in re hac ante omnes inconsultè placuit scribere Iacobus Philippus Bergomensis Eremita Augustinianus tertio post Franciscum seculo. In eum, & sequaces, quibus placuit eius sententia, prius quā Philippus super eā melius reflecteret, tandem mouit calamum Vadingus in percelebri illo suo Apologetico ad finem tom. 1. Annal. de prætenso monachatu Augustin. S. Franc. in quo refellit varios errores vnica controuersia, cuius 1. paragraphus aperit disputationis occasionem, & scopum. 2. refellit prætensum hunc Monachatum ex temporum chronologia. 3. contra eundem Monachatum varias objicit rationes. 4. Respondet oppositis argumentis. 5. Recenset, ac simul refellit huiusmodi prætensi Monachatus assertores, quibus antesignanum præfatum Philippum Bergomensem constituit, tandemque addit breui Apostrophe ad Lectorem.

Quis auctor sent. prætensi monacha. tus Eremit. D. August. in Franc.

Apologeticum Lucæ Vading. in preconium monachatū.

Plurimum tenetur Ordo Minorum magno

gno Patriarchæ Augustino, à quo Franciscus recepit ex suorum Canonicorum (alibi tam in Hierarchia, quam in isto volumine, præcipuè fol. 412. perperam ex Clericorum) Regularium Fernandum de Lisbona, nunc Antonium de Padua, eius tum in reparationem Ecclesiæ, tum sui Ordinis brachium dextrum. Attamen velle eum radicaliter obligare quasi pius Institutor ab Eremitis emerserit, res quidē valde extorta est, & violenta, ne dicam parum iusta, & sine vllo consilio. Pro reddenda gratitudine de D. Anton. dedit Ordo Minorum D. Bonau. ceu strenuum pugilem ad magnum iuuamen PP. Eremitarum prædictarum in Lugdunensi Cōcilio. Vide quæ super id adnotauimus in 2. tomo Hierarch. fol. 134. & eundem Vading. ibidem.

Error fol. 412. hic corrigitur.

SECTIO II.

Incidens in latrones Franciscus in illa solitudine, ipsis, eum quis esset interrogantibus. Præco sum magni Regis Prophetice respondit.

VOX *clamantis in deserto*, excurrens Franciscus eam solitudinem nuncupandus profectò per similitudinem ad Christi Domini Præcursorem. Sribit enim Bonauentura in hunc modum. Dumque per syluam quamdam iter faciens, laudes Domino lingua Francorū Vir Dei Franciscus decantaret cum iubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo quis esset interrogantibus, Vir Dei confidentia plenus prophetica voce respondit. *Præco sum magni Regis*. Bonau cap. 2.

Duo genera liter in præconibus

In Præconibus generaliter duo sunt, nomen, & officium, & officium circa duo versatur. Alterum ciuile circa plura, alterum præcipuum circa vnum:

1 Præcones à præcinendo dicti sunt, quasi præcantes, quod ante canant, & nuncient, quod est faciendum. Vel, vt inquit Priscianus, à Præ, idest valde canendo. Sunt enim qui iussu Magistratus publicè aliquid ore denunciant, Plaut. in Pœn. *Exunge Præco fac populo audientiam*. Et Virg. lib. 5.

Precones vnde dicti.

Victorem Aeneas Præconis voce Cloantum Declarat.

2 Præcones erant in iudicijs, qui Senatus consulto prædicabant posteaquam decreta erant. Qui iudices & candidatos suis nominibus appellabant. Qui literas in Senatu publicè legebant. Qui bona, quæ proscribebātur publicè actioni proponebant, ac proclamabant & pretia, vt inquit Cicero, conficiebant.

3 Præcones laudum nostrarum dicūtur, qui res à nobis gestas laudando diuulgant. Cicero pro Arch. *O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris*.

Factum est verbum Domini super Ioannē filium Zachariæ in deserto, Lucæ 3. Super quem textum duo distinguit Interpres noster, Præco Christi, vt malleus in hostes Christi. & Præco Francisci, vt fulmen in destructores legis Frācisci, in deserto Ordinis Minorum Principis. Inquit enim sic. Duo sunt in præsenti Euangelio videnda. Primo sit B. Ioannis auctoritatis collatio gratiosa ad prædicandum, *Factum est verbum Domini*. Secundo humilitatis conditio fructuosa ad promerendum, ibi *Omnis vallis implebitur*. Quoad primum Ioannes Prælatū, vel Prædicatorē Sanctæ Ecclesiæ significat, qui debet esse *filius Zachariæ*, qui interpretatur *Memoria Domini*. Vt semper habeat in memoria, quasi in quodam memoriali Passionem Domini. Vnde Isaiæ 26. *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderabit in nocte. Sed & spiritus meus in præcordiys meis. De mane vigilabo ad te*. In nocte scilicet aduersitatis ipsum desiderare. Et in mane prosperitatis ad ipsum vigilare debemus; *eiusque Passionis memoriale tenere*. Quoad secundum. *Omnis vallis implebitur, &c.* Hoc est quod dicit Isaias 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos*. Vallis est humilitas mentis, de qua Hier. 2. *Vide vias tuas in conualle*. Idest cognosce peccata tua in duplici humilitate. *Humilitas ostendit seipsum*. Hæc interpres ibi.

De nocte, & de die ad Dominū mistice vigilādum per passionis Christi memoriale.

In duplici humilitate peccata cognoscenda sunt.

Factum est verbum Domini in illo deserto super Franciscū, eremiticæ vitæ cultorem. Qui laudū Domini Præco factus est, quia per *syluam itinerans laudes Domino lingua Francorum decantabat cum iubilo*. Præcones enim, vt diximus tertio loco, laudum nostrarum dicuntur, qui res à nobis gestas laudando diuulgant. Vnde & ipse Franc. respondit latronibus, *Præco sum magni Regis*. Istud quoque verbum Domini factum est in illo deserto super Franciscum, misticè filium Zachariæ. Erat namque Frenciscus interius, exteriusque Christi Crucis baiulus, vt dixerat Bonau. paulò ante ad finem cap. 1. *Mortificationi carnis inuigilabat attentius, vt Christi Crucem*,

Franc. in deserto filius Zachariæ.

Crux Christi mistIcum desertum

cem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Quod idemmet desertum in ipso Francisco misticè demonstrabat, quod explicat ipse Interp. vbi supra de Ioanne vox facto in deserto, aiente de seipso ex Ioannis 1. *Ego vox clamantis in deserto, &c. Desertum*, inquit, *fuit Crux Christi, in qua fuit derelictus, nudus, & spinis coronatus*. In deserto binæ Crucis, scilicet interioris, & exterioris baiulus Franciscus, desertum Crucis Christi, à Mundo orthodoxo derelicti, ferebat. Ferensque tale desertum in se in illo siluescenti deserto factus præco laudum Domini, statim factus est & Propheta; nam *Latronibus prophetice respondit, preco sum magni Regis*. Scilicet illius magni Regis, qui verè vt talis sic declaratus fuit à suis inimicis, quãdo ductus ad mortẽ ab ipsis exaltatus est in Crucis throno, in quo affixus scripsit titulus qui eum damnauerat Præses Romanus I.N.R.I. *Preco sum magni Regis* respondit prophetice Franciscus, ac perindè responso illo prophetico multa comprahendens, quasi dicere voluit. *Ego vox clamantis in deserto* sum vobis, ò latronibus, qui me interrogatis quis essem, & quales vos estis per figuram ad omne genus humanum, semiuiuum à latronibus criminum relictum, benè scio. Propterea *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas eius*. Precones namque aute canere debent, vt nuncient quid est faciẽdum. Et ipse iussu concistorialis, æternique Magistratus, scilicet summæ Trinitatis, cum Spiritus Sancti charitate in meo corde diffusa inhabitantis, quid per me citò facturus sit Deus in Mundo, spiritu prophetico vobis latronibus annuncio.

Franc. in deserto binum Crucis Christi desertum deferebat

Prophetica eius respon. sio ad latrones multa comprahendit.

Ego magni Regis preco, & vox clamãtis in deserto. *Vox est in aere. Et Praedicator totus debet esse aereus, idest caelestis, vt eius conuersatio sit in Cælis*, docebit suo tepore Episcopus meus, meumque brachiũ dextrum in totius Ecclesiæ bonum Dominica 4. Aduentus. Idemmet quoque prædicabit Dom. 13. post Trinit. *Latrones esse sensus corporis*, quorum vos ideam præsefertis, & ipse dico vobis, quod preco sum magni Regis, qui aduersus hos latrones, omnem Rempublicam Christianam spiritualiter latrocinantes, me misit. Ipse magni Regis preco quæ decreta sunt ab æterno à senatuscõsulto altissimi Dei ex mihi iniungẽdo quãcitius à S. Apostolica Sede prædicandi munere, prædicabo. Ipse Iudices, & Præsules, & cãdidatos triplicis senatus trium Ordinũ, ãme instituẽdorũ professores appellabo. Literas, seu leges tres, quas ex Dei nutu tribus meis Ordinibus tradidero, Senatui Curiæ Romanæ, ac Pontificiæ ipse legero, & exhibebo. Bona quoque temporalia, proscripta à Christo illis verbis: *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus*, proclamabo peculiari quodam preconizandi modo. Vtpotè quæ ita eorum pretia pauperibus distribuantur, vt & affectu, & effectu ipsis renunciando, sensuum latrones vndique faciliter, & liberè expelli possint, & Ecclesia, vijs Domini rectis iam factis, possit & ipsa sicut Christi, & Apostolorum tempore, sub Euangelica Paupertate plenã victoriam de illis obtinere.

Cur vox clamantis in deserto

Latrones sũt sensus corporis.

Plena victoria de sensuum latronibus circa temporalia obtinetur per Franc. paupertatẽ.

Preco sum magni Regis, quia à magno Rege missus, ipsum magnum Regem aduersus latrones sensuum, per quos Diabolus latrocinatur animas, prædicabo. Et ad ipsum conuertendo Ciues meos, & alios innumeros, quibus ero omnimodæ perfectionis exemplar, renouabo Mundum prædicatione, miraculis, & exemplis. In sublimi positis Regibus, & Principibus, tyrannis, & Monarchis tum ecclesiasticis, tum sæcularibus ero ad terrorem, & ad pietatem; spiritibus auernis ad formidinẽ, & deiectionem. Deuotis ad perfectionẽ. Doctis, & sapientibus, etsi vir idiota, ad illuminationem euangelicæ veritatis. Angelis ero in amicitiam, consortium, & iubilum, ac sedium ipsorum reparationem. Sanctis in specialem seruitutem, & reuerentiam. Populis omnibus ad informationem. Peccatoribus ad conuersionem. Perfectis ad virtutum confirmationem. Pauperibus in amorem, & dilectionem. Altis corde in abnegationem, & humiliationem. Prauis ad pœnitentiæ exhibitionem. Bonis ad Crucis, & Passionis Christi meditationem. Piis ad misericordiæ continuationem.

Preco magni Regis Fran. ad omnem personarũ statum.

Preco sum magni Regis, ò latrones mei, quia pro magno Rege Christo factus modò vox clamans per has syluas, & nemora ad ipsius cantandas laudes, exibo quamcitius, & verbo Dei latrones, vobis similes ex lupis conuertam in agnis, & ex prædonibus viarum in Precones veritatis euangelicæ. Latrones, qui sunt omnes auari, ad Deum pertraham per Mundi contemptum. Latronibus, qui sunt omnes impij, ero in punitionem. Latronibus, qui sunt tria vniuersalissima vitia, ad dignam ero direptionem, subripiens ipsis animas, quas in vniuersæ Ecclesiæ depopulationem ipsi rapuerant. Latronibus, qui sunt lubrici, & carnales, ad carnis ero macerationem, & frenum. Ero, inquam, vt *Preco magni Regis* verbis, & factis, & vt omnibus omnia effectus. Prælatis ad sui deiectionem, & humiliationem, & inclinatio-

Quinque genera latronũ in quæ preco magni Regis factus.

Alia genera personarum ad quæ missus Franc.

nationem. Religiosis ad considerationem. Fidelibus ad mirorum executionem. Dei amicis in orationem. Deum gestantibus in contemplationem, & in Christi adhæsionem. Animalibus, & volucribus in pergratam dulcedinem, & domesticam conuersationem. Cordibus in perscrutationem. Temporibus in agnitionem. Afflictis in fiduciam, & consolationem. Deficientibus ad saluationem. Elementis in domiuium, & præfidentiam. Nam aer mihi fiet in tenebris lucidus. Ignis inter prunas ardentes vt ros flans. Terra in domo medici se glutinabit. Aqua se in vinum mutabit.

Qui latrones morales & spirituales.

Demum *Preco sum magni Regis*, nam ero quamcitius in formidinem, & fugam latronum tū moraliū, qui sunt deprauati mores, tum spiritualium, qui sunt corruptelæ, & errores, de quibus *Iob, nudos dimittunt homines, quibus non est operimentum in frigore*. Ero Papæ, & Cardinalibus in præcipuam tegulam ob præcipuam ad eos subiectionem, ac reuerentiam. Ero Cælestibus in honorem, & gloriam, & lætitiam. Ero mortuis in viuificationem. Ero vniuersis Christum colentibus tum pro Ecclesia militante in terris, tum pro Ecclesia triumphante in Cælis, in exultationem, & sublimitatem. Nam vt Preco magni Regis inter egregiores Christi crucifixi Latrones vnus, & vnicus effectus in explicandis in corpore meo visibiliter vulnerum, & clauorum Redemptoris insignibus veluti è Christi latere Legatus tripliciter, ac completissimè eius Ecclesiā reparabo, factus trium Ordinum Institutor, triumque legum lator. Hinc postea hi tres Ordines latrones Ecclesiæ fient. Ordo Minorum eam anteibit. Ordo Clarissarum in latere dextro incedet. Ordo de Pœnitentia in latere sinistro locabitur.

Latrones tripliciter solent accipi.

Hæc vltima verba, quæ prædictis, è 4. Pisani Conformit. prælibatis addidimus, nomini Latrones, iuxta eorum deriuationem in bonam partem alludunt. Latrones explicant Latini Interpretes Græca dictio est, quæ dupliciter accepta, scilicet contractiuè, ac deriuatiuè; primo modo ad duo respicit, alterum proprium, & commune, elterum verò significatiuum; secundo autem modo ad vnum tantum refertur more antiquorum.

1 *Latrones* contractiuè, ac propriè sunt verè illi, qui & viarum obsessores, eò quod viatores aut vita, aut pecunia spolient. Horat. lib. 1. Ep.

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Ita dicti, auctore Festo, quod à *latere* adoriantur. Vel à *latendo*, quod latenter insidientur.

Significatiuè venatores

2 *Latrones* significatiuè, seu per translationem vsurpant Poetæ pro venatoribus. Virg. lib. 12.

Fixumque latronis impauidus frangit telum.

Cum superius dixisset.

Saucius ille graui venenatum vulnere pectus.

Venatores enim & ipsi latent insidiantes feris siluestribus, & ab illarum latere passim adoriuntur.

Deriuatiuè magnorum Principum custodes.

Hi tuebantur regiam Principum

3 *Latrones* deriuatiuè apud antiquos dicebantur cōducti milites (italicè, guardia del Principe) ad Principum custodiam, & tutamen. *Latreyo* enim græcè est latinè inseruio. Nam seruiebant mercede. Moris autem erat, vt hos Imperator & circa se habere, & primos mittere ad omne discrimen. Varro putat huiusmodi stipatores latrones dictos quasi *Laterones*, quoniam circa latera esse solebant, quos nunc *Satellites* vocant, qui Principis alicuius latus tuentur, qui & *Laterni*, & stipatores vocantur. Vnde Plaut. in Mil. *Nam ego hodie ad Seleucum Regem misi parasitum meum, vt latrones, quos conduxi hinc ad Seleucum deducerent, qui eius regiam tutarentur.*

Cur antiquitus D. Pauli imago ad Petri dexteram sculpta

Iuxta hanc explicationem respondet tertiò ex Antonio Nebrissensi Bellarminus ad eam quæstionem, cur in antiquis sigillis, quibus diplomata summi Pontificis obsignantur, inueniantur imagines Petri, & Pauli, sed huius à dextris, illius à sinistris? Cum duo simul incedebant, inquit, olim id obseruabatur, vt senior, & honoratior ad leuam esset. Iunior autem latus eius dextrum clauderet, & nonnihil præcedere in signum obsequij. Inde enim dicti sunt *Laterones*, & per contractionem *Latrones*, qui dextrum latus nobiliorum hominum defensionis causa tegebant. Id ille probat, subdit Bellarm. multis argumentis, sed præcipuè testimonio duorum illustrium Poetarum. Nam Ouid. lib. 5. Fastorum de sene ait.

Et medius iuuenum, non indignantibus illis,
Ibat, & interior si comes vnus erat.

In signū obsequii, & maioritatis doctrinæ, nō autem auctoritatis id factum.

Porrò interiorem dici eum, qui ad partē leuam est, ex Virgilio discimus, qui lib. 5. Æneidos ait de Cloantho, qui ad sinistrā partem Gyæ nauigabat,

Ille inter Nauemque Gyæ scopulosque sonantes,
Radit iter læuum interior, subitusque priorem,
Præterit

Addere possumus Eusebij testimonium, qui

qui lib.1.de vita Constantini scribit, se vidisse in Palæstina Constantinum adolescentem obeuntem Prouinciam cum seniore Augusto, semperque ad dexteram eius incedentem. Neque dubium esse potest, quin Constantinus adolescens, ac penè priuatus in loco minus honorato esset, quam senior Augustus. Hæc Bellarm. de Rom.Pont. lib.1.cap.27.de comparatione Petri cum Paulo. Itaque Paulus ad dexteram Petri cum ense in dextera, non solum depictus est in signum obsequij, verum etiam defensionis Ecclesiæ, cuius Princeps est Petrus. Nã etsi Petrus maior est potestate, Paulus maior est sapientia. Lege Maxim. serm.vlt.de Petro, & Paulo, vbi Petro clauem potentiæ, Paulo clauem sapientiæ datam esse dicit. Et D. Pauli doctrina singulare Petri dexteræ tutamen est, ac propugnaculum.

Adde & tu in signũ defensionis.

Petrus maior est Paulo auctoritate, Paulus maior Petro doctrina.

Latrones ergo, à latere Francisci improuisò adorti, quibus interrogantibus *quis esset, respondit prophetice, Preco sum magni Regis*, auspicati sunt aliquo pacto qualis ipse futurus esset, è Christi latere vt eius legatus missus in destructionem latronum prædictorum, ac ferocissimarũ bestiarum, Christi oues Leoni tartareo obsequentium liberè deglutientium expulsionem, & quales tres eius Ordines facti pro Ecclesia reparanda, tum Euangelici *venatores*, tum *laterones* Apostolici ad eius restaurationem, defensionem, propagationem, hostiumque suorum triumphum. *Nam instar reparatæ triplicis fabricæ*, (quam in vita illa eremitica exequutus est, obediens Christo, id tripliciter mandanti sibi è Cruce) *ipsius Sancti Viri ductu secundum datam ab eo formam, & doctrinã Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum*. Bonau.ad finem cap.2.pluries allegatus.

Tres Ordines Franc. quando latrones Eccl. dicendi

SECTIO III.

Franciscus in foueam, niuibus plenam à latronibus proiectus, ibi iacet misticè vt Preco Regis.

Quia verò homines illi reapse latrones erant, viarum obsessores, & etiã Venatores, aut vitæ, aut pecuniæ viatorũ, deriderunt indignanter illud propheticum Francisci responsum, maleq; Franciscum ipsum tractauerunt. At illi *percutientes eum, in defossum locum plenum niuibus proiecerunt, dicentes, Iace rusticè Preco*

Proiectio Franc. à latronibus in foueam plenam niuibus arcana.

Dei. Bonau.ibidem. Istud factum respondet secundo puncto, quod proposuit Interpres illis verbis vbi supra, *Omnis vallis implebitur*, &c. *Hæc est duplex humilitas fructuosa*, &c. Simulachrum animatum humilitatis Christi, in Francisco mirabiliter efformatum, in fouea illa niuibus plena semisepultum, & vt quid rusticum ibi proiectum, & vt proiectum ibi Preco Dei Dei famulus nuncupatus, suis vtique sacramentis minimè caret. In facto hoc tria breui pendenda, scilicet Humilitas Francisci in fouea. Humilitas Francisci intra altas niues immersa. Humilitas Frãcisci rusticè iacens, nec tamen titulo Preconis Regis expoliatus Franciscus, imò ab ipsis latronibus in eo declaratus, & conformatus, licet non amplius Regis, sed Dei Preco nuncupatus.

Duplex humilitas fructuosa.

Proiecerunt in defossum locum.

1 Relinquite Ciuitatem, & habitate in petra, Ierem.48. idest in Christo, explicat Interpres in serm.Sabb. Dom.2. in Quadrages. Verum si aliqua in petra fouea non erit, certè non poterit habitari. Igitur meritò hæc Petra Christus, qui dicens sponsæ suæ, *In foraminibus petræ, in cauerna maceriæ ostenne mihi faciem tuam*, ferè per totum fodi profundè voluit, vt à suis per totum habitaretur, ibique fructus vt viuerent reperirent, imò & Regnis cælestibus potirentur.

Petra Christus vndiq; fossa, & habitabilis.

Fossa dabit tellus optato tempore fructus.
Fossa caro Christi calica regna dedit.

cecinit Interpres noster Dom.in Sexages. alibi datus. Foueas corporis Christi crucifixi, egressus humillimus Frãciscus à Ciuitate sua, & à domo Patris sui, factusq; syluarum, nemorumque incola, iuterius, exteriusque per carnis macerationem secum ferebat, teste Bonau. Quare in foueam illam, niuium plenam ictibus, percussionibus, calcibusque à latronibus corpore proiectus, ac derelictus, multò altius mente se profudit in profundissimas confossi, ac vulnerati Christi foueas, cauernasque, quas intra cor suum profundè custodiebat. Humilitas enim (potissimum in Francisco) quo magis corporaliter deiiciebatur, eo magis spirituali ter in confossum Christum transformabatur, intrans penetrabilius dilecti sui cauernas sanguineas, & exiens inde, magis, ac magis in eas immersus totus canoius, iubilans, exhilaraus, verbisque iaculatoriis in noua, altiora, ac feruentiora Dei sui preconia ceu illius Seraphicus Preco erumpens. Sicut contigit in hoc facto, vt ipse Bonau.refert, ita subdens. *Ipse*

Intra foueã niuium Frãcisc. altius custodiebat in corde Christũ confossum

vèrò

verò recedentibus illis exiliuit de fouea, magnoque exhilaratus gaudio altiori capit voce per nemora laudes Creatori omniũ personare.

Plenum niuibus.

In fouea illa vbi Frãc. proiectus erat misticè septimus quidam puteus.

2 Niues, eam foueam tunc implẽtes, (postea in regulari vita materiã vtriusque puritatis in Seraphico Heroe administraturæ, vt scribit Bona. cap. 5.) congruæ quidem corpori humillimi Frãcisci virgineo, niueoque candore decoro, qui vt declararetur completissimus Reparator Ecclesiæ, à Christo Redemptore, seraphicè confosso, seraphicè quoque confodiendus erat. Ex illa fouea non aliud tunc præmonstrabatur, nisi puteus ille septimus, mundanæ cupiditatis scelerum omniũ abundè confertus, qui nunquam humanam explens insatiabilitatẽ, meritò puteus *septimus dicitur*, inquit Interpres super cap. 9. Apocal. *duabus de causis*, Vel quia sentina est lacus septimus criminalium. *Cupiditas (vt dicitur Timoth. 6.) est radix omniũ malorum* Vel quia *septimus dies non legitur habere vesperam, sic nec cupiditas sufficientiã habet fundum.* Intra hunc puteum tunc reperiebatur Ecclesia, qui erat niue plenus. Sed quæ, qualisque hæc nix, illum puteum adimplens? Prælibandum arcanum ex Arca vtriusq; Testamenti Interpretis nostri. Danielis 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius quasi nix candida, & capilli capitis eius quasi lana mũda. Thronus eius flamma ignis. Rota eius ignis accensus. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius.*

Is puteus & ipse niuibus plenus in quo iacebat Eccl. omnis.

Interpres noster explicat hunc textum in serm. Dom. 22. post Trinit. de vniuersali Dei iudicio. Vbi autem loquitur de niue vestimenti Iudicis, atque de ipsius Throno, ita subdit ad primum. Vestimentum eius sicut nix candidum. *Saluator transfiguratus in Monte, & gloriam Diuinæ Maiestatis assumens, in candidis vestibus videtur. In iudicio enim vestimentum eius erit candidum, in quo putum oritur, sincerumque iudicium, & nullam personam in iudicio recipiens.* Vnde Petrus Act. 10. *In veritate cõperi, &c.* Nota, quod nix à nube, vnde venit, vocata est, de qua Ambrosius. *Qui plerumque glacialibus flatibus rigentes aquæ solidantur in nubem, rupto aere nix funditur. Nix est candida, & frigida.* In iudicio erit candor quoad bonos, & frigus quoad damnatòs. Candor enim in *Venite benedicti.* Frigus in *Ite maledicti.* Ad secundum, *Thronus quasi flamma ignis*, ita pergit Interpres. *Thronus Dei (vt ibi dicit Glossa Origenis) sunt Eremitæ, & Monachi, & alij, qui in vno loco degentes, Deo militare student, nec per loca discurrunt, quorum quietis cordibus insidet Deus. Qui benè flamma ignis dicuntur; quia à lectione Dei, & proximi desiderio calestis patriæ inflammantur.*

Cur Dei iudicium niui assimilandũ.

Quomodo producatur nix.

Qui thronus Dei ignitus misticè

Fouea illa, in quã humillimus adolescens Franciscus, degens per nemora solitariã vitam, à latronibus proiectus fuit, iam symbola putei septimi præfati præmonstrabat. Nix magna, qua illa fouea plena erat, candor, & rigor iudicii Dei aduersus genus humanum, in magnam foueam, puteumque profundissimum scelerum perplenum immersum, significabat. Quod monstrauit visio magno Patriarchæ Dominico, de qua D. Antoninus 3. p. tit. 23. Franciscus Eremita in illam multã niuem immissus erat thronus Dei ignitus. *Thronus Dei sunt Eremitæ, quia dilectione Dei, & proximi, &c.* Et verè vt talis ex illa, niue exiuit, accensior, & ignitior effectus, *quia recedentibus latronibus, exiuit de fouea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori capit voce per nemora laudes Creatori omnium personare.*

Franc. Eremita in illã magnam niuem immersus erat thronus igneus.

Ipse quoque debebat, intercedente Virgine, extinguere rigorem niuis Christi Iudicis, vt ex niue retineret solummodo albedinem in signum clemẽtiæ, & pietatis. Frigoris autem rigorem relinqueret pœnitentiæ virginei Francisci, qui ad pœnitentiam cõuertens Ecclesiam, ex puteo septimo, de quo supra, illam totam niueam, candidam, sinceram, & innouatã extraheret; sed non antequam ipsam in iuramenti puteum proijceret. *De hoc infelici puteo*, scilicet septimo (ait idem Interpres vbi supra) *egreditur peccator pœnitens.*

Quia debebat extinguere niuis irascentis Dei rigorem

Imò ipsa pœnitentia est puteus iuramenti Genes. 46. De quo etiam Cant. *Fons hortorum puteus aquarum viuentium.* Vbi Interpres serm. 2. Dom. 1. in Quadrag. cõcordans cum puteo iuramenti, apud quẽ mactauit Iacob, *Pœnitentia*, ait, *puteus est. Viuæ sunt aquæ pœnitentiæ, quia viuificant plantas virtutum emortuas; imò statim producunt flores, & fructus. Emittunt radices, & stipites dilatant.* Eundem puteum iuramenti pro humilitate intelligit Interpres in serm. fer. 4. Dom. 1. Quadrag. *Quia*, inquit, *iureiurando facit Deus crescere humiles per meritum in plebem suã, quia qui se humiliat exaltabitur.* Igitur pœnitens exiens ex profundissima 7. putei fouea, à superbia omnium scelerum capite habitata, debet introire altam quoque foueam putei iuramenti humilitatis, quę fons, & origo est christianæ pœnitentiæ, aliarumque virtutum moralium. Verùm neq; pœnitentia Francisci ex abyssali fouea per opus re-

Pœnitens egrediens de puteo septimo, intrat puteum iuramenti.

para-

parationis extrahēda sine niuibus. Quod patet ex illo Matth. 17. de vestibus Christi transfigurati, *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*. Vbi pulchrè Interpres Dom. de Transfig. *Animæ nostræ vestimenta sunt corporis membra, hæc debent esse candida*. Vnde Eccles. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida*. Sed quo candore? *Sicut nix*. Quod promittit Dominus per Isa. cap. 1. *Si fuerint peccata vestra rubra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Nota hæc duo. *Coccinum, & Nix*. *Coccinum* est quidam pannus, qui habet colorē ignis, & sanguinis. *Nix* est frigida, & alba. *In igne ardor peccati. In sanguine ipsius immunditia. In frigiditate niuis Sancti Spiritus gratia, in albedine mentis munditia designantur*.

Animæ nostræ vestimēta

Nix mysticè quid.

Franciscus Eremita intra foueæ prædictæ niues, nix frigida, & alba erat, prout explicat eius Episcopus. Et eo magis talis erat, quia è puteo septimo egressus, liber, & saluus ab omni læthali macula, & ingressus puteum iuramenti humilitatis, & pœnitentiæ, ibique in frigidiores, candidioresque Spiritus Sancti gratiæ, mentisque munditiæ niues immersus, Thronus Dei igneus apparuit, ibi amplius ignescens interius, vbi niuiū materialiū frigus magis excruciabat exterius. Itaq; apparens ibi vt rara, inclitaque humilitatis, & pœnitētiæ forma, & exemplar Franciscus, quid esset facturus Ecclesiæ monstratum est. Nimirum, quod ipse eam extraheret à puteo septimo, & in puteum iuramenti eam immittens, inde (iam à niue iudicij Dei, in eam irascentis libera, quia absoluta ab igne ardoris peccati, & à sanguine immunditiæ illius) exiret vt nix frigida, & alba. Frigida ob gratiam Spiritus Sancti. Alba ob mentis munditiam. Recedentibus ergo latronibus, exiliat lætior, ac feruentior Franciscus ab illa fouea, niuium plena, *magnoque exhilaratus gaudio*, dum magnalia adeo recondita in publicum totius Orbis orthodoxi beneficium auspicabatur mortalibus *altiori incipiat voce per nemora laudes Creatori omnium decantare*.

Franc. intra foueæ niues nix erat.

Niueā quoque efficere debebat Eccles. in opere reparat.

Iace rustice Preco Dei.

3 Respondens Franciscus latronibus dixit, *Preco sum magni Regis*. Latrones verò, proijcientes eum *in fossum locum plenum niuium*, vt ibi rusticè iaceret, Preconem ipsum vocarunt, sed non magni Regis, sed Dei. Sicque sensum verborum Francisci, quod formaliter propheticū fuit, materiale verò amphibologicū extitit, quia de magno aliquo Rege terreno, ac temporali intelligi poterat. Et de hoc (ni fallor) intellexerunt latrones illi, vt ex hinc vt virum rusticum, mentecaptū ruralitati natum, & addictum, sub illo indumento per nemora circum vagantem ac stultescentem eum tractauerunt. Ex Admiranda vtiq; Dei prouidentia prophetice respondit latronibus Frāciscus dicens. *Preco sum magni Regis*. Etenim Spiritus Sanctus loquens per eum, magni Regis Dei preconem ostendit, sicut paulo post vt talem ipsum aduersus publicos latrones bonorum, temporalium & spiritualiū Ecclesiæ, toti Orbi exhibuit. Prophetice quoque aliquo pacto vocauerunt Franciscum, respondentes mala pro bonis ijdem latrones, in illam foueam talē rusticè iacentem, relinquentes *Preconem Dei*.

Respōnsum Franc. ad latrones illos duplex sensum continebat.

Factū latronum ei consonum apparuit.

Prophetia Francisci enygmatior, hæc verò latronum clarior, & fermè illam ex Dei nutu, qui impios nonnunquam prophetare permittit, enucleans. Franciscus tacuit rusticitatem suam, quia nōnisi apostolicam rusticitatem forma, & habitu illo, quo induebatur tum hominis exterioris, tum quoque & hominis interioris indicabat. Latrones tamen inter verbera, & verba ipsam explicuerunt, ac Franc. promeritam esse demonstrauerunt, dicentes. *Iace rustice Preco Dei*.

Iace rustice, ò bone, hilarisque adolescens, in ea, quam agis, eremitica vita per syluas, & nemora. Nisi enim rusticè modò iaceres, nequaquam posses ad proximam subleuari rusticitatem, per quam Christus Redemptor Mundi, & Apostoli, & Discipuli eius fundauerunt Ecclesiam. Ex qua excidens miserrimè Ecclesia, à rusticitate christiana, & apostolica transijt in eam rusticitatem barbaram, ac tyrannicam sub iugo Satanæ, ex qua per tuam rusticitatem euangelicam quamcitius liberanda est.

Iace rustice, & dum sic rusticè iacis dicaris simul *Preco Dei* cum Christo, cum Apostolis, cum Præcursore Christi, qui fuit totius siluestræ rusticitatis viuum, loquensque simulacrum, vndique innonocentem, puramq; rusticitatem spirans, E qua veluti ex nubecula quadam parum obtutibus grata, imo perhorrida aureos radios cælestis vitæ nouū sydus vibrabat admiraculum. Vnde meritò diceris à Bonau. *Destinatus à Deo secundum imitatoriam similitudinem Præcursoris. Et quasi stella matutina in medio nebulæ claris vitæ micans doctrinæ fulgoribus*.

Qualis symbolicè rusticitas, in qua relictus à latronibus Frāciscus.

Hæc, hæc rusticitas tua, ac tuorū, relicta eremitica vita, breui circundabit Mundū, vt efferos mores populorum, Regum, Principum, fidelium, infideliumque mirandum

randum in modum cicuraret. Rusticitas moralis (quæ passim formæ exteriori minimè respondet, & è contra, quia in dies experimur nonnullos forma rusticos, sed moribus ciuiles, & vrbanos) est græcè *agrotis*. Opponitur ex diametro vrbanitati, in qua mores ciuiles sunt, tractabiles, blandi, sociales, clementes, commodæ vitæ amatores. Vnde Ouid. 1. de Ponto Eleg. 9.

Rusticitas moralis.

Nec tu tradideris vrbana commoda vitæ,
Quærere Nasonē, quærit & illa tamen.

Opponitur vrbanitati.

Rusticitas autem è regione longè aliter se habet, vnde Martial. lib 7.

Hirsutum & dura rusticitate crucem.

Hinc rusticitas quandoque sumitur pro inepta, & timida verecundia ex eodem Ouidio in arte. Quid simile ostendit Virgil. 2. Ecl. illo carmine.

Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis.

Vbi loquitur propriè de illo, qui vita, & moribus incultus est.

Verum in ista vita rustica, & inculta reperiuntur aliquando mores, adeo christianè culti, & vrbanè, & ciuiliter supra omnem vrbanitatem, & ciuilitatem humanam exornati, vt nonnisi angelicæ vitæ, Vrbem, & Ciuitatem cælestem incolentis, normam, & formam in terris exprimant. Flos rosarum, in diebus vernis à nullo cultus, huic rusticitati potest pro symbolo adaptari, iuxta illud Eccles. 50. de Oniæ filio, *Quasi flos rosarum in diebus vernis*. Explicat enim Interpres Dom. 12. post Trinit. *In rosa duo sunt notanda, punctio, & delectatio. Spina stimulat. Flos rosæ delectat. Sic in vita iusti est spina compunctionis, & odor delectationis, & hoc in diebus vernis, quia in prosperitatis tempore gaudet etiam aduersitate*, &c. Quid rusticitius, quid rigidius ipsa Rosa in sua planta vndique spinis circumsepta, vndique ibidem inculta? Verum quid cultius, ciuiliusque potest verno tempore ipsa Rosa inueniri, etsi à planta illa tam rigida, & inculta prorumpat? Incultæ spinæ in vita mistica & religiosa pariunt deuotas cordis compunctiones, ex quibus oritur delectationis rosa.

Cum vita rustica passim vita angelica simul.

Ipse Tullius distinguens inter rusticitatem, & rusticitatem, inquit de hac secunda pro Ros. *Vita hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ magistra est*. *Iace rustice* dixerunt latrones illi Francisco post proiectum eum in foueam præfatam. *Rustice* aduerbialiter pro barbarè, siue imperitè vsurpabant Veteres, vt solet rusticus. Vnde ipse Tull. 3. de offic. *Vrgent sanè rusticè; negant enim posse, & in eo perstant*. Ita vsurparunt latrones illi illud idem *rusticè* in Frāciscum, tanquam in virum barbarum, & imperitum ab eis obiectum. At reuera parsimoniæ, diligentiæ, & iustitiæ ex tunc magistra erat Francisci vita, siluescens, agrescensque per nemora ad biennium. *Vita hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, & iustitiæ magistra est*.

Vita rustica & agrestis iustitiæ magistra.

Rusticè pro barbarè, & imperitè.

Hanc vitam rusticam tamquam omnis iustitiæ, & sanctitatis magistram Christus ipse, quem moribus *curialissimum Dominum nuncupat* Bonau. laudauit in Præcursore, & Precone suo, approbans simul maximam illius in victu, & vestitu, & habitatione rusticitatem, & austeritatem (hæc tria hodie negant Hæretici contra vitam eremiticam) carpensque è regione vrbanos, & ciuiles, qui parum christianè, & minus religiosè eam derident, & subsannant. *Quid existis in desertum videre hominem mollibus vestitum?* Matth. 11. Vbi Interpres alibi allegatus ex Dominica 3. Aduent. *Dicitur hic*, inquit, *quod Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca eius locustæ, & mel siluestre*.

His Bellarm. ex textu pariter euāgelico meritò loco citato arguit recensiores hæreticos, audacter, & variè asserentes Ioannem nunquam fuisse in eremo, nec tam aspero victu, & vestitu vsum, vt nos dicimus. Et Centuriatores col. 364. dicunt circa victum, locustas Ioannis fuisse genus cancrorum, idest optimorum pisciū, quos piscatores proijciebant, tamquam in lege prohibitos. Sed Ioannem illis manducare solitum Euangelica libertate. Verum tria subdit Bellarm. de victu, quod scilicet locustę illę non fuerunt pisces delicati, sed aut veræ locustæ, quæ sunt minuta animantia, vel certè herbarum summitates. Primum probat, quia Græca vox *acrides* nihil aliud significare potest, vt Eusebius docet. Secundum, quia Christus Lucæ 7. ait. *Venit Ioannes, non manducans, neque bibens*, idest vsque adeo tenui cibo, & potu vtens, vt nullo vti videatur. Tertium, quia sic exponunt omnes Patres apud Canisium.

Quæ locustæ quibus vescebatur Io. Baptista.

Quod verò pertinet ad rusticitatem vestium (valde simile vestitu Eliæ, de quo etiam legitur, illum in Monte Carmelo, vbi versabatur, pilis induisse zona pellicea præcinctum 4. Reg. 1.) expressè dixit Christus ipse apud Matth. cit. vt supra, additque etiam. *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*. Et Interpres noster magno spiritu ad literam, & ad sensum, & intentionem Christi, cuncta in maximū Ecclesiæ suæ damnum futura præuidētis, ac prædicantis, ita addit, ex deserto Ioannis

Religio desertum mistice est, aliis sibi degener est.

nis trahens imaginem deserti pœnitentiæ, in deserto Religionis, in quem nondum intrarat Franciscus, peragendæ. *Non dico Religio, sed Dæmonum legio fecit de deserto palatium, de claustro castellum, de solitudine curiam regalem. Religiosus, & miles de eodem panno partiuntur sibi vestimentum*. Sed eremi cultor, maximus Vatum de pilis Camelorum habuit vestimentum. Sed si beatus Ioannes, prænunciatus ab Angelo, sanctificatus in vtero, laudatus à Domino, *Inter natos mulierum, &c.* tanta fuit vsus asperitate; Quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, reprobandi à Domino (nisi misericordia affuerit) quid debemus facere? Quanta afflictione, quãta asperitate nos affligere? *In deserto ergo* (concludit Interpres) *pœnitentiæ sit vilitas habitus, asperitas victus, vt verè possimus vocari religiosi, idest relegati, scilicet ab omni voluptate carnali*.

Asperitas, & afflictio religiosorũ, maximè Minorũ magna esse debet.

Denique quantum ad rusticitatem habitationis (ex qua exiens Ioannes omnis sanctitatis, & iustitiæ scholam aperuit, vt meritò in ipso venisse Messiã crederetur) aduertit Bellarmin. ibidem in hunc modum. Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem, &c. in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismũ pœnitentiæ*. Vbi notandum, inquit, eam regionem Iordanis, quò Ioãnes prædicabat, fuisse etiam desertam; sic enim ait Matth. 3. de re eadem loquens. *In diebus illis venit Ioannes Baptista in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ*. Ergo Ioannes (subinfert) venit à deserto in desertum. Sed prius illud desertum vbi mansit Ioannes (annis 23. à septimo scilicet anno infantiæ suæ) antequam prædicare inciperet, adeo erat desertum, vt eius comparatione illud alterum non videretur desertum. Alioqui cur Lucas diceret venit à deserto in regionem, si hæc regio erat æquè deserta? Itaque vera est Euthimii sententia, qui in cap. 3. Matth. docet, duplex fuisse in Iudæa desertum, vnum interius, quo nimirum nemo, aut rarissimi penetrabant. Alterum exterius, vbi non habitabant quidem homines, tamen per illud sæpius iter faciebant. Ac Ioannem quidẽ fuisse vsque ad annum 30. in interiori deserto, deinde postremo vitæ suæ anno in deserto exteriori. Hucusque Bellarm.

Regio Iordanis, circa quam prædicabat Ioannes erat deserta.

Ioannes à deserto interius venit ad desertum exterius.

Sed vertamur intuitum ad Bonau. apud quem similiter reperiemus Franciscum ex interiori deserto exire ad exterius, haud ex syluis, nemoribus, plantis syluestribus, spinetis, & vepribus conflatum, sed ex hominibus, vnico modo desertis, & derelictis, sicut & Franciscus ipse vno quoque modo ab eodem Mundo desertus, & derelictus. Et veniens (pergit Bonauẽtura ibidem statim) ad quoddam vicinum Cœnobium *eleemosynam petijt vt mendicus*. Et recepit vt incognitus, & despectus. Inde verò progrediens, deuenit Eugubium, vbi à quodam amico pristino agnitus, & susceptus, *paupere tunicula*, vt Christi pauperculus est contectus. *Exinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos, eratque cum eis diligentissimè, seruiens omnibus propter Deum. Lauabat ipsorum pedes, ligabat vlcera, educebat plagarum putredinem, & saniem abstergebat. Osculabatur etiam ex miranda deuotione vlcerosas plagas, ipsorum euangelicus medicus mox futurus*.

Vsque ad ann. 30. incoluit Ioannes desertum interius.

Exiens Frãc. à deserto interius materiale, venit ad desertum exterius misticum.

Ioannes Baptista, Christi Præcursor, Princepsque Eremitarum, in spiritu, & virtute Eliæ missus, exiens ex interiori ad exterius desertum, & ipse quoque misticũ pœnitentiæ desertum, deserti pœnitentiæ Baptismum prædicauit in ætate ann. 30. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Christus Dominus omniũ Eremitarum Princeps vt Deus & homo, ad Mundi redemptionem, & Ecclesiæ suæ fundationem petijt statim (vix baptizato in Iordane à Ioanne) desertum, ibique primus in noua lege instituit quadragesimale ieiunium. Exijt inde ab eo in ætate quoque ann. 30. & quod prædicarat eius Præcursor pœnitentiæ desertum, & ipse prædicare incepit. Quod & fecit pariter Franciscus, vt in 1. tractatu fusè dictum est, & penè in eadem ætate, factus ex eremita pœnitentiæ prædicator, necnon institutor trium Ordinum, triumque misticorum desertorum in Ecclesia ab eo reparanda plantator. Quælibet enim Religio, teste Interprete nostro; desertum misticũ est. Quod docuit Bonau. loquens præsertim de Franc. in prologo per comparationem ad Præcursorem Christi, quem & ipse præcurrit *viam parans in deserto altissimæ Paupertatis, tam exemplo, quam verbo pœnitentiam prædicans*. Ita in prologo.

Io. Baptista misticũ quoque desertũ prædicans pœnitentiã.

Quælibet religio desertum misticũ dicenda.

Christus autem duobus Ioannis Baptistæ discipulis, è carcere ab eo missis, vt interrogarent eum, *Tu quis es?* respondit, *Ite & renunciate Ioanni, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c.* Matth. 11. Vbi Interpres loco citato Dom. 2. Aduẽt. in cęcis intelligit superbos. In claudis hypocritas. *In leprosis luxuriosos*. In surdis auaros. In mortuis gulosos. In pauperibus humiles. Ex hisce omnibus cõflatur illud humanum, rationaleque desertum, in quo habitans humillima Paupertas, inter tot feras syluestres, quot sunt tales criminosi, ceu horridum desertum eos spiritualiter incolit, circuitque. Nec tamen eos abhorret, quia ex deserto (superbi enim

Desertũ morale malum ex veprium criminũ conflatur.

In hoc deserto cur non abhorreat habitare humilitas

enim ab humilitate derelicti sunt, hypocritæ à veritate, luxuriosi à castitate, auari à liberalitate, gulosi à victus sobrietate, & omnes à Dei gratia, sine qua perhorridè syluescit omnis anima) conatur in amœnissimum hortum eos transmutare virtute pœnitentiæ. Istud desertum in omni fermè prędicatione sua incoluit Christus, vt propterea dixerit discipulis Ioannis, *Cæci vident, &c.* intra hoc desertum aperuit suorum miraculorum admirandum thesaurum, factus corporum, & animarũ illorum medicus, & curator.

Trahès istud exemplum à Christo

Sic & Franciscus exiens ab illa eremo *vt totius humilitatis amator, se transtulit ad leprosos, &c. Ipsorum Euangelicus Medicus mox futurus*. Miraculorum autem virtutem non postea cõmunicauit Deus Francisco, sed tunc propriè, teste Banauentura ibidem immediatè his verbis. *Propter quod tanta est à Domino consecutus virtutem, vt in spiritualibus, & corporalibus morbis expurgandis mirabilem efficaciam obtineret*. Referã, subdit, vnum ex multis, quod accidit, viri Dei fama postmodũ latius clarescente. Cum enim cuiusdam de Comitatu Spoletano os pariter & maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet, nec subueniri posset eidem aliquo medicinæ remedio; contigit, vt propter Sanctorum exposcenda merita Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, seruo Dei occurreret. Cumque vellet ipsius osculari vestigia, Vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculum oris dedit. Dum autem leprosorum seruus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contigeret, omni fugato morbo, subitò æger ille sanitatem reportauit optatam. *Nescio, quod horum magis sit mes ritò admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo*.

Quem perfectè imitatus est Franc. in tali deserto miraculorũ operator effectùs.

Insigne Frãcisci miraculum,

Sic iacens *rusticè Franciscus* Dei Preco, sancta rusticitate (ita nuncupat eam Bonau. in Speculo Disciplinæ quatenus ex Cicerone *est iustitiæ magistra*) in sanctis moribus cum maxima vitæ austeritate plenè confirmatus, surrexit inde aduersus barbaram morborũ corporalium, & spiritualium rusticitatem. Futurus mox, transiens à vita Eremitica ad vitam Religiosam, trium Ordinum institutor, in quorũ quolibet Sancta, ac Seraphica, Apostolicaque rusticitas, iustitiæ, & sanctitatis suã aperiret scholam, totumque Mundum doceret. Quæ refert Bonauent. statim post prædicta in illo cap. 2. spectant ad reparationem trium Ecclesiarum iuxta mandatum, à Domino iam Francisco è Cruce alta voce ter effectum, cum adhuc esset in habitu sæculari. In vita autem eremitica huiusmodi reparationem mendicatione peregit, qua peracta, biennalis eius solitudo finem habuit.

Surrexit Frãciscus ex illa rusticitate aduersus barbaram rusticitatem spiritualem.

CAPVT VII.

VITA REGVLARIS FRANCISCI

Euangelica. Apostolica. Seraphica. Cruciformis. Ab anno iuuentutis 2. qui erat ætatis 27. Christi 1208. ad annum virilitatis postremum, qui erat ætatis 42. Christi 1223. & finis prioris Legis Minorum, abbreuiatæ in secunda. In toto hoc tempore, & vsq; ad obitum ad ann. 1226. ætatis 45. explicans Franc. suum peculiare stemma, de quo infra, cursu ann. 11. instituit tres Ordines, eisque tradidit Leges sub duobus Romanis Pontificibus Innocentio III. & Honorio III.

Textus Historiæ D. Bonau.

In Domo Virg. concipit Franc. spiritum veritatis euangelicæ.

In Ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente seruo ipsius Francisco, & apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ, & veritatis, continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur aduocata ipsius, meritis Matris Misericordiæ concepit, & peperit spiritum Euangelicæ veritatis.

Occasio mutandi vitam eremiticam in vitam regularem.

Dum enim die quadam Missam de Apostolis deuotus audiret, perlectum est Euangelium illud, in quo Christus Discipulis ad prædicãdum mittendis formam tribuit Euangelicam in viuendo, ne videlicet possideant aurum, vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod audiens, & intelligens, ac memoriæ

moriæ commēdans Apostolicæ Paupertatis amicus, indicibili mox perfusus lætitia. Hoc est, inquit, quod cupio, Hoc quod totis præcordijs concupisco. *Soluit proinde calceamenta de pedibus. Deponit baculum. Peram reijcit. Et pecuniam execrat. Vnaque contentus tunicula, reiecta corigia, pro cingulo funem sumit. Omnem solicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, & Apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptet. Capit ex hoc Vir Dei diuino instinctu Euangelicæ perfectionis æmulator existere, & ad pænitentiam cæteros inuitare, &c. Cernens autem famulus Christi, &c.*

Mutat Frāc. statum eremiticum.

Cap. 3. Legendę in principio.

IN *Ecclesia igitur*. Habitus sæcularis Francisci in prima eius conuersione, quam describit Bonau. cap. 1. non alius extitit ab eo, sub quo deinde perfectam conuersionem amplexus est, quam idem Doctor refert cap. 2. immediato. Quod patet ex fine cap. 1. citati illis verbis. *Agebat hæc omnia Vir Dei Franciscus nondum habitu, vel conuictu sequestratus à Mundo*. Sub huiusmodi habitu alloquens eum Dominus de Cruce in Ecclesia Sancti Damiani, quam primò reparauit, postea illam D. Petri Apostoli, mandauit ter ipsi sensibili voce Domus suæ reparationē. Ex eadem Ecclesia nondū reparata exiens, & plura sustinens patiēter, ac gratanter ludibria, & opprobria (luto, saxisq; impetitus, ceu mente captus à Ciuibus, à Patre verberibus affectus, à quo etiam & carceri in domo sua mancipatus) renunciauit tandem omnibus coram Antistite Assisiate, sicque mutauit omnimodam formam sæcularem in eremiticam. Verū vt mutaret inde post biennium hanc formam in formā Apostolicæ rectitudinis, & regulam (solo habitu exteriori, ac cruciformi, quem manibus suis ipse designauerat, & consuerat detento, sed relicta tunicula interiori, quā amicus suus Augubio fecerat) exiuit è Virginis Domo, quā tertio reparauerat, ibique morabatur, vt subdit Bonau. Itaque Christus Iesus Virginis filius Cruci affixus verbis suis in Ecclesia S. Damiani declarauit Franciscum domus suæ Reparatorem. Virgo autem Christi Mater in Ecclesia, sibi sacra sub Annunciationis titulo instruit Franciscū adeo mirabiliter, vt idoneum reddiderit ad arduum reparationis opus aggrediendum, respondens eius ardentissimis votis, ardentique dilectioni erga eam, quæ concepit Verbum, plenum gratiæ, & veritatis. Christus triplicata allocutione genuit ad nouam vitam Franciscum, ipsumque quodammodo in suum consecrauit Legatum, à Latere suo mittendum. Mater vero Christi peperit ipsū, fecundauitque simul, quia apud eam manens, concepit, & peperit Franciscus Euangelicæ veritatis spiritum.

Primum habitum Frāc. non reliquit

Christus cōsecrauit Frāciscū in Legatum suum

SECTIO I.

Ordinis Minorum initia tria tempora diuersimodè respiciunt. Nimirum, mutationem vitæ Eremiticæ in vitam Euangelicam, & Apostolicam. Inceptionem prædicationis, & discipulatus, ad quem Franc. scripsit legem. Legis approbationē per Sedem Apostolicā.

I. DVm *enim die quadam Missam de Apostolis deuotus audiret, &c.* Qui ex mutatione habitus, ac vitæ eremiticæ, & solitariæ Francisci ponunt initia Ordinis Minorum, assignant eis annum tam ætatis, quam Christi, mensem, & diē. Sed circa annum ætatis est aliqualis inter eos discrepantia. Verum quantum ad mēsem, & diem tales extant oppositiones, vt vinci posse non videantur. Asserentes cum Baronio, & Vadingo natum Franciscum anno Domini 1182. ipsum anno ætatis suæ 24. qui erat Christi 1206. vitam eremiticam amplexum esse testantur, & anno deinde 26. eam mutasse in vitam regularem. Alii cum Mariano, aiente natum Franc. anno 1181. eum solitudini annis duobus applicatum demonstrant cum esset annum 25. salutis verò 1206. religiosum verò asserunt ob illius vitæ eremiticæ mutationem circa ætatem ann. 27 qui erat etiam annus Christi 1208. quando Apostolicæ rectitudinis Regulæ (etsi nondum habuerit discipulos, quos tamen mox adeptus est, eisque regulam tradidit, anno 1210. à Sede Apostolica confirmatam) se incepit per omnia coaptare, & tamquam verus Apostolicæ Paupertatis amicus *soluit calceamenta de pedibus, deposuit baculum, &c.* Vide Vading. sub anno eodem 1208. à quo annales suos memorabiles exordiri placuit, reijciens sententiam illam, qua asseritur Franc. tres annos explesse in solitudine.

Sententiæ discrepantes circa hanc materiam.

Circa mensem, & diem maxima insurgit,

git, duplexque difficultas, & fermè insuperabilis. Bonauentura refert vt supra, quod Franciscus audita Missa de Apostolis ex lectione Euangelica sumpserit motiuum reijciendi omnia, quæ vitæ eremiticæ, ac solitariæ erant, non autem Euangelicæ, atque Apostolicæ. Id autem contigisse de mense Octobri die eius 18. Sancto Lucæ dicato, sentit Marc. Vlisipp. lib. 1 cap. 7. cuius verba Vadingus in Apologetico suo de prætenso (non habitu vt perperam legit Bordanus) sed Monacatu, traduxit latinè. *In hac lectione euangelica, in hoc facto, in hoc die, anno scilicet 1208. mense Octobri, die S. Lucæ hic Beatus Vir initium dedit Regulæ Minorum anno ætatis suæ 27. expletis annis duobus suæ conuersionis.* Sed hæc apud apologeticum Vadinghi citatum num inueniantur, paulò infra dicemus. Si ergo (infert Bordonus) expleuit biennium suæ primæ conuersionis Franciscus, cœpit eam conuersionem circa eundem mensem Octobris anno 1206. assignando diem 18. Octobris, quo currit Euangelium S. Lucæ cap. 10. Hoc pariter modo ipse superius argumentatus sum, circa diem natiuitatis Francisci, eum reducens ad 4. Octobris, in quo extinctus, ex suppositione, quod perfectè ann. ætatis 45. compleuerit. Quamobrem addita modò sententia Marci, videtur tota auspicatio rerum Franciscanarum à mense Octobri, in quo natus Franciscus, altera, & altera vice conuersus, & tandem mortuus, desumenda.

Mensem Octob. ad diē festū S. Lucæ assignant aliqui circa exordia Ordinis Min.

Verum sententiam Marci (quem Euangelici textus similitudo ex cap. 10. Lucæ facillimè fallere potuit, vt ait Vadingus tom. 1. Annal. ad ann. 1208. n. 2.) videtur non posse concordari cum Bonau. Nam alia est Missa de Apostolis, de qua loquitur Bonau. alia Missa de S. Luca Euangelista, qui non fuit Apostolus, sed vnus ex 72. Discipulis. Item in illa tunc temporis Missa assignat Bonau. Euangelium, in quo Christus Discipulis ad prædicandum mittendis, formam tribuit Euangelicam in viuendo, ne videlicet possiderent aurū vel argentum, &c. De his scripsit S. Matthæus cap. 9. S. Marcus cap. 6. in quo fit mentio de sandalijs, loco calceamētorum assumendis. S. Lucas cap. 9. Qui omnes conueniunt, illud præcepisse Christū duodecim Discipulis suis. In Missa autem S. Lucæ legit Ecclesia eius Euangelium ex cap. 10. in quo Christus conuocans 72 Discipulos dixit illis. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis, &c.* Illud mādatum minus explicitum idem tacitè videtur esse cum prædicto, duodecim Apostolis expressius tradito, vt colligitur ex marginibus Biblicis, & ex glossis sacrorū Interpretum; quamuis in ipso non fiat mentio de argento, de auro, de pecunia, de tunicis (de his apud Matth. & Lucam) de virga, de hac apud Matth. & Marcum ibi ad deponendam, hic ad resumendam. Nihilominus Textus Euangelicus alius est, & alia Missa in festo S. Lucæ. Et quem audiuit Franciscus in Missa Apostolorum non poterat esse ille S. Lucæ, ex cap. 10. 72. Discipulis intimatus, sed prædictus SS. Matth. 10. Marc. 6. Lucæ 9. Hæc est vna difficultas, aduersus sententiam Marci validissima.

Sed non ita solidè, & ad certitudinē historicam.

Euang. in festo S. Lucæ aliud est ab illo, quod audiuit Frāncisc. renuncians vitæ solitariæ

Alia deinde oritur difficultas ex histor. Bona. Nā in nulla Apostolorū festiuitate habetur (vt adnotauit Bordon. ibidem) in toto Missali antiquo Euangeliū Matth. cap. 10. vbi memoratur de auro, de argēto, &c. Neque in nouis reformatis à Pio V. solummodo in Missa pro Peregrinantibus habetur istud Euangelium, quod antea non erat in eadem Missa antiquorū Missalium. Sed Bordono dicendū ex Vadingo cit. quod legebatur etiam fer. 5. in oct. Pentecostes, prout modò legitur Euāgelium Lucæ ex cap. 9.

Alia difficultas & quidē magna ex Bonau. asserto

Vadingus tom. 1. citato duo resoluit super rem hanc, alterum vt facilè certum ex incerto contra sententiam Marci; alterum verò ad refugium pro vtraque sentētia Bonau. scilicet & Marci. Primum sic. Cum verò hæc omnia reiecerit Franc. ex sola in sacris misterijs percepta lectione singulorumque expressè mentionem factam in illius diei Euangelio dicant Bonau Marcus, & alij, imò & de Apostolis Missam asserat Bonau. celebratam, *tam facilè colligere licet non D. Lucæ festo hac euenisse, quam difficile scire, quo certo die contigerint.* Nec enim in nulla Apostolorum festiuitate Euangelium, in quo omnia hæc interdicuntur, continentur, nec in annum recitantur, præterquam in Lucæ 9. in feria quinta post Pentecosten. Secundū. *Illud est refugiū, quod forsan ea ætate ab hac nostra aliqua fuerit rituum diuersitas, nec ydē Euangelici Textus, qui modò leguntur in Apostolorum solemnitate, vel votiua Missa, aut in die B. Lucæ (quam ex aliquo vetusto codice credibile est signanter Marcum adnotasse) aliud tunc cantabatur Euangelium, in quo supradicta exprimebantur.* Hæc Vadingus ibi. Ex quibus nihil certi colligere possumus quantum ad mensem, & ad diē potissimum inceptionis primordialis Ordinis Minorum, etsi pro comperto habēdum id, quod refert Bonau. circa præfata motiua B. Francisci, vitæ eremiticæ formā

Vadingh. iudiciū circa sententiam tam Bonau. quam Marci

Sub dubio vtrumq; explicat, & solum refugitiuè admittit.

Quod asserit Bonau. nihil de mēse, & de die annuens pro certo habendum.

in

in formam Euangelicam, & Apostolicam commutatis.

Secundum Tempus originis Ord. à discipulatu Franc.

II. *Capit ex hoc Vir Dei,&c.* Hic scribit Bonau.exordium priuatæ prędicationis Francisci, qua ad pœnitentiam alios inuitabat. Sicque incæpit Vir Sanctus habere discipulos vsq; ad numerum duodenarium, quorum vndecim, vt probat Vadingus, scripsit Regulam, tradidit dein. de duodecim antequam approbaretur, nam duodecimum dum Romam pergeret, in Vrbe Reate acquisiuit, vt aliàs adnotatum. Istud alterum tempus inceptionis Ordinis Minorum (cui fauet Breuiarium Romanum, vt mox parebit) ponit Pisanus lib 1. Conform. fruct. 8. vbi post enumeratos nominatim, ita subdit. *Hi sunt primi, qui B.Francisco adhæserunt vita, & habitu, & post illos multi alij, vita, & verbo, & signis insignes. Et sic à B. Francisco istis Ordo Fratrum Minorum Euangelicus, & primus institutus est anno videlicet* 1207. *die* 16. *Aprilis*. Idipsum fatetur Memoriale Ordinis, subdit Bordonus, sub initium §. *Eructauit.* Et Bordonus ipse lib. 3. citat reducens initium Ordinis ad ann. 1208. die 16. Aprilis, *quo eodem die*, inquit, *recepit Franc. in suum socium primo B.Bernardũ Quintaualle, vt habet Martyrol. ad* 10. *Iulij* (sed annum huiusmodi receptionis ponit idem Martyrol. in secũda editione 1209.) *Secundo B.Petrum Cataneum ad* 10. *Martij.* Martyrol. ibi agens de eodem Sancto Viro die 10. Martij, die eodem 16. Aprilis ponit vna cum B.Bernardi initiatione. *Deinde* 23. *eiusdem mensis, & anni recepit Ægidium, qui fuit tertius eius socius. Hæc omnia* (claudit) *Vadingus in Apolog. sect.* 5, §. *quinto ex communiori Cronistarum recensione, & supputatione*. Prima vice citat hic Author Vadinghi Apolog. ad fol. 112. postremo adducit eum ex sect. 5. §. 5. At nec illa, nec ista (adeo confusè ab ipso Bordono adducta) cũ in toto illo Vadin. Apologeticu nõ extent, vel ab alijs ipse ex abrupto rescripsit, vel neq; in priori eius editione Madritica in quarto ad ann. 1625. quo etiam anno traducta est hispanicè, ibique impressa. Neque in editione secũda in folio ad finem tomi 1. Annal. Forsan erunt in tertia editione Lugdunensi in 8. ad ann. 1621 cum defensione contra Thomam Herreram Augustianum, Apologetici impugnatorem. Dixi forsan, quippè id ipse pro nunc ignoro, quia ea editio nundum ad meas manus peruenit.

Refertur à Bordon. sed nimis confusè

Tertium Tẽpus orig. Ord. Min à confirmatione Reg.

III. *Cernens autem famulus Christi* paulatim accrescere numerum Fratrum, scripsit sibi, & Fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua Sancti Euangelij obseruantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad vniformem viuendi modum necessaria videbantur. *Desiderans autem per summum Pontificem approbari, disposuit cum illo simplicium cœtu Apostolicæ Sedis adire præsentiam, de sola confisus directione diuina.*

Aduentum Francisci in Vrbem cũ illo simplici duodecim Discipulorum cœtu ponit Breuiarium Romanum ad annum Domini 1209. qui erat annus 11. regiminis Innocentij III. Verba Breuiarij die 4. Octobris, tria tẽpora prædicta breui enarrantia, sunt ista in 2. lectione 1. nocturni. *Cum autem illud ex Euangelio audisset,* Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, sibi eam regulam seruandã proposuit. *Itaque detractis calceis, & vna contentus tunica* (istud est primum tempus in quo Franciscus formam vitæ eremiticę mutauit in formam vitæ euangelicæ, & religiosæ) *cum duodecim socios habuisset, Ordinem Minorum incepit*. Istud est secundum tempus, de quo dictum est. Addit mox immediatè tertium tempus idem Breuiarium, ita subdens. *Quare Romam venit anno salutis* 1209. *vt sui Ordinis Regula ab Apostolica Sede confirmaretur.*

Circa annũ huiusmodi confirm. non conueniunt Historici.

Prædicta tria tẽpora apud Breu. Rom.

Quæ primò adnotauit Vadingus in argumentum huius primæ Regulæ Franc. tom. 2. opuscul. S.Franc. hæc sunt. Hanc scripsisse Regulam (ait Rodulphus lib. 1. fol. 8.) anno Domini 1206. die 6. April. sed errauit. Neque enim adhuc socios habuit, quibus leges ferret, Franciscus. Eam autem confirmasse Innocentium anno Domini 1209. ait Miranda cap. 50. in Regula Minorum. Alij verò 1206. & 1207. Rebell. cap. 8. in fine 1212. Pontificatus eiusdem Innoc. III. Cæteris verius, & certius asserunt Gonzag. par. 1. de orig. Seraph. Relig. Roder. tom. 1. qq. Regul. q. 4. art. 1. & Sedul. comment. in cap. 4. vitæ S.Franc. §. 11. Hoc factum anno Dom. 1211 Pontificatus Innoc. III.

Aduertentia Vadingh. in argum. 1. Regulæ Franc. in eius opusculis.

Quæ autem deinde adnotauit idem Vadingus tom. 1. Annal. 1210. sub nu. 18. ita se habent, prout ea posuimus tom. 2. Hierarch. fol. 372. Factum autem hoc (inquit) in Curia Romana, approbatãq; suprapositam Francisci Regulam hoc anno docent ex recentioribus Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 23. ex vetustioribus Marianus, Legenda sociorum Francisci, & Thomæ Cælani, quibus tamquam antiquioribus, & exactioribus obseruatoribus subscribendum iudico, etsi aliàs in argumento prædictæ Regulæ, vbi varias aliorum retuli opiniones, putauerim cum

Alia eiusdẽ in 1. tom. Annal. qua amplectitur annum 1210.

Henrico Sedulio, & Antonino Florentino 3.p.tit. 19.cap.1.§.4. hæc accidisse anno 1211. Propter hanc (vt reor) Regulę approbationem hoc anno Ordinem institutum volunt aliqui cum Antonino Florentino, quibus Ioann. Feder. Matenensis ann.1210. Onuphrius Panuinus,& Geneb.in Cosmograph.Sed Onuphrius in annum 1209.cui adstipulatur Breuiarium Romanum,& Genebrardus in ann.1215. factum referunt. Hæc Vadingus ibi. Vbi aduertendum Breuiarium Romanum minime sub certo suffragari Onuphrio, nec Mirandæ citato, quia Breuiarium solum refert aduentum Francisci in Vrbem ab anno 1209. cum duodecim socijs, vt sibi confirmaretur Regula; sed non dicit eo ipso anno confirmationem obtinuisse. Quare cum non statim Francisco confirmauerit Pontifex Regulam, imò post haud modicam oppositionem tum eiusdem Pontificis, tum fermè totius Curiæ Romanæ, valdè probabile est, anno eodem 1209. venisse Franc. Romam, & anno sequenti 1210.Regulæ suæ confirmationem obtinuisse.

Quid sentiendum circa intellectum Breuiar. Romani.

Genebrardus deinde loquitur de altera eiusdem Regulæ confirmatio in Concilio Lateranensi eo anno 1215.Hinc castigandum mendum illud, in quo fol.6. tom.2.Hierarchiæ, perperam positum est Ordines Prædicatorum, & Minorum cōfirmasse Innocentium III. alterum 1205. alterum 1209. Debebat dicere inchoatos sub Innocentio ad eosdem annos iuxta Ciacconium. Nam Ordinem Prædicatorum approbauit Honor.III.1216. Ordinē verò Minorum 1210. Innoc. III. illum per Bullam sub Regula D.Augustini, hūc viuæ vocis oraculo sub Regula, quam Altissimus Franc.reuelauerat.

Quid circa Genebrard.

Primordijs ergo Ordinis Minorum triplex tempus assignandum ex melioribus supputationibus Historicorum. Primum ad annum 1208. quando Franciscus mutauit vitam eremiticam in euangelicam. Secundum ad annum 1209.quando incepit habere discipulos, quibus scripsit & Legem, & Romam venit. Tertium ad annum 1210. quando Romanus Pontifex Innocentius III.approbauit sibi Regulam, relinquensq; Franciscus illud primum desertum materiale,quod liberè per bienniū incoluit, plantauit statim, intrauitque suum desertum spirituale, longè illo celebrius, necnon & multimodè in Ecclesia necessarium & nouum. Iuxta numerum trium temporum prædictorum tres pariter gradus in huiusmodi deserti ingressū efficiens Vir Dei, horum postremus intimior, & vsque ad mortem accepit,tenuitque Euangelicæ perfectionis apicis brauium: Apostolorum,imò & ipsius Christi vestigia terens ad vnguem.Istud desertum spirituale est Ordo Minorum, cuius immediata dependentia ad solum Christum Iesum, eiusque Matrem referenda, mediata verò ad Franciscum, vt ex dictis in pluribus locis patet.

Ordo Minorum vt nouum quodā desertum in Ecclesia

Eius immediata dependentia Christū respicit, & Matrem Christi.

Desertum hoc nostrum descripsit misticè Interpres noster in serm.3. Dominicæ 1.in Quadrag. super illud Matthæi 4. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu*. Vbi vni deserto materiali annectens alia sex, ita demonstrat quartum, loquens primò in genere de qualibet Religione, postea de Religione Minorum, cuius Institutor Franciscus. *Quartum desertum*, ait, *idest Religionis professionem ardua vita aggreditur.* Ideo talibus professoribus dictum est. *Estote fortes in bello*; nam Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum,&c.* De hoc deserto 1.Machab.2. exclamauit Matathias voce magna in Ciuitate, dicens: *Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, veniat post me, & fugit ipse, & filij eius in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in Ciuitate. Tunc descendebant multi, quærentes iudicium, & iustitiam in desertum,&c.* Matathias interpretatur donatus à Domino, vel donum, *& signat virum iustum, & religiosum, specialiter tamen Religionis fundatorem, vt B.Franciscum, &c.* Vide reliqua alibi pluries.

Figuratus fuit in deserto, ad quod confugit Matathias.

Ex isto Interpretis nostri commētario adeo in re, de qua agit egregio, ac lepido nititur Ioannes Marquez Salmanticensis suum contra illius mentem, quem primò excogitauit Bergomensis, monachatum, vanè non minus ac in aliis, quæ affert, figmentis extorquere, vt refert, refellitque Vadingus §.1. in fine his verbis. Iudicet Lector, vnde vel leuiter posset suspicari, vel à longe deducere ex hoc loco S.Franciscum aliquando Augustiniēsibus nomen dedisse, quantumuis laboret Marquez illud venari ex eo, quod prius vocet Franciscum Religiosum, quam Ordinis Institutorem, illis verbis. *Signant virū iustum, & religiosum, specialiter tamen Religionis fundatorem, vt B. Franciscum*. Et ex illis. *Matathias virum religiosum signat, qui habet filios quinque, idest sensus, quos, mundū fugiens, ad montem perfectionis euangelicæ secum ducit.* Subtilis sanè verborum discussio, si ex istis suum intentum exsugat. Hęc ibi Vadingus.

Io.Marquez valde impropriè extorquet sensum verborū *D. Antonii de Padua.*

Quibus adde, quod Marquez subtilitas eo deuenit in isto argumentādi ex D.Anton.Patauino genere, vt turpiter labatur, minimè aduertens, vitam iustam, & religiosam in se regularem propriè non esse, ante-

Vita religiosa non est vita regularis, sed è contra quia se habet vt genus

antequam aliquam regulam, relicto sæculo, profiteatur, cum possit esse adhuc sæcularis, vt loquitur Cicero pro Cæc. *Huic ego testis gratias agam, quod & in eum misericordem se præbuit, & in testimonio religiosum.* Idcircò D. Antonius ex generali locutione descendens ad peculiarem, contraxit genus speciei discrimine, dicens, *specialiter tamen Religionis fundatorem.* D. Augustinus, D. Benedictus ceu viri iusti, & religiosi, scilicet amici Dei, pij, timentes Deum, Religionis christianæ cultores erant intrantes quartum desertum, hoc est *Religionis professionem ardua vita aggredientes.* Sed talem professionem aggredientes facti sunt vel Monachi, vel Regulares, atque Monachorum, & Regularium Patriarchæ. At vbi prius viri iusti, & religiosi erant, regulares non erant, sed sæculares. Omnis enim vita regularis monastica est, vel religiosa est, sed non è contra, ne cogeremur dicere, quod omne animal sit homo.

DD. Augustinus, & Benedictus.

Ad hæc: illa verba *Matathias virum religiosum signat, &c.* adeò apertè pugnant aduersus intentum Marquez, quod dum ea pro se adducit, cōtra se esse necessariò fatendum est. Basis illius comparationis D. Antonij Matathias est, qui cum esset in sæculo vir religiosus, ac zelator Mosaicæ legis, montes, & deserta petijt, &c. Cum ergo D. Antonius Matathiæ comparet Franciscum, antequam is plantaret, ingrederet urque desertum Ordinis Minorum (vt malè interpretatur Marquez) eūq; nuncupet generaliter ante huiusmodi ingressum virum iustum, & religiosū, necesse est fateri (alias similitudo turpiter claudicaret) quod Franciscus quemadmodū & Matathias in illa vita eremitica, ac sequestrata à sæculo non erat religiosus regularis, sed sæcularis, & solitarius, & sub veste rudi, liber ab omni lege regulari. *Subtilis sanè verborum discussio* (repetendum cum Vadingo) *si ex istis suum intantum exsugat Marquez.*

Sententia D. Anton. potius obest, quam prosit Marquez.

Sed quid (subdit) si ego probabilius ex eodem D. Antonio adijcerem, licet omninò illud non asseram, nullos tunc fuisse Fratres vel Eremitas Augustinianos, sub quibus potuisset S. Franc. militare, vel saltem hos non cognouisse S. Antonium, seu ad eius notitiam non peruenisse? Alludens enim S. Doctor in serm. 10 post Trinit. ad furtum Achan, qui furatus est Regulam auream, ait. *Regula aurea est vita Religiosorum, quæ hominem distortum, & prauum ad mensuram rectè viuendi corrigit, & modum rebus ponit.* Hanc regulam ferè omnes Religiosi furati sunt, quia ad veritatem Euangelij non ambulant, secundum Patrum instituta non viuunt, sed distortè, & simulatoriè vitam suam ducunt. *Rugulam auream B. Benedicti Monachi furati sunt. Regulam auream B. Augustini Canonici; & sic de singulis Religiosis, qui sua non quæ Iesu Iesu Christi sunt, quærunt.* Hæc Antonius.

Ordo eremitarum D. Augustini tempore D. Antonii vel nō erat, vel ipsi haud innotuerat.

Duos oidines hic memorat D. Antonius.

Ex quo loco verisimilius (ait Vading.) aut potiori fundamento deduci putarim tum solos Canonicos sub Regula S. Augustini militasse, vel ita saltem constasse D. Antonio, quam ex superiori loco indicasse eundem sanctum virum, sui Institutoris Augustiēnsem Monāchatum. Hactenus Vadingus.

SECTIO II.

Stemma vitæ regularis Francisci, vnius in tribus Apostolis, trium Ordinum Institutoris, triumque Legumlatoris, sex sigillis intra mirū quodam speculū refulgentibus circundatum.

Plantans in peraltum, amplum, laboriosumque montem, intransq; Franciscus desertum Ordinis Minorum, tres hædos, tres tortas panis, sēper duraturas, & lagenam vini, nunquam defecturam sibi, ac suis summa cura, ac studio parauit, confecit, exhibuit. Patet ex Interpretis nostri doctrina, in qua loquens ipse sub symbolo Montis Tabor de vitæ perfectæ excellentia, ad quam ascendendum cum Petro, cum Iacobo, & cum Ioanne, statim concordat Montem Thabor cum Quærcu Thabor, & hos tres Apostolos cū tribus viris, de quibus Samuel ad Saul 1. Reg. 10. *Cum veneris ad quercum Thabor, inuenient te tres viri, ascendentes ad Deum in Bethel. Vnus portans tres hædos. Alius tres tortas panis. Et alius lagenam vini.* Concordantia Interpretis verè miranda, & ad rem nostram valde peculiaris est ad demonstranda cuncta primitiua Francisci in vita regulari. *Quercus Thabor, & Mons Thabor significant sancta vita excellentiam, quæ benè dicitur Quercus, Thabor, & Mons.*

Super montem excelsū & altū plantauit, & incoluit Frāc. Ord. Minor. desertum

Sanctæ vitæ excellentia simbolicè.

1 *Quercus*, quia præstans, & inflexibilis per finalem perseuerantiam.

2 *Mons*, quia alta, & sublimis per Dei contemplationem.

3 *Thabor*, qui interpretatur lumen veniens, per boni exempli illuminationē. *In sancta vita excellentia hæc tria requiruntur,*

Quercus ob perseuerantiam

Mons ob altitudinē, & sublimitatē.

Thabor ob lumen boni exempli.

tur, vt sit constans in se. Contemplans ad Deum. Illuminans proximum. Cum ergo veneris, idest venire, vel ascendere dispo- sueris ad Quercum, vel Montem Thabor, inuenient tres viri ascendentes in Bethel. Isti sunt *Petrus*, idest *agnoscens*. *Iacob*, idest *supplantator*. *Ioannes*, idest *Dei gratia*, Petrus portans *tres hædos*. Iacobus *tres tortas panis*. Ioannes *lagenam vini*.

Petrus portat tres hædos, se in tribus peccatorē agnoscēs.

1 *Petrus, idest ille, qui se agnoscit peccatorem*, portat tres hædos. In hædo notatur fœtor peccati. In tribus hædis tria genera peccatorum, per quæ principaliter peccamus. *In cordis scilicet superbia, in carnis petulantia, in Mundi auaritia*. Qui ergo vult *ad montem luminis* ascendere, istos tres hædos debet portare, idest in his tribus peccatorem se agnoscere.

Iacobus vitiorū supplātator portat tres tortas panis.

2 *Iacobus, idest ille, qui carnis vitia supplantat*, & tres tortas panis portat, *suauitatem mentis* significat. Quæ consistit in cordis humilitate, corporis castitate, & paupertatis amore. Quam suauitatem nemo poterit portare, nisi prius vitia supplantauerit. *Tres ergo tortas panis, idest triplicem mentis suauitatem portat, qui cordis superbiam reprimit, carnis petulantiam restringit, Mundi auaritiam abycit.*

Triplex mētis suauitas ex trium vitiorum victoria,

3 *Ioannes, ille scilicet, qui gratia Domini præueniente, & subsequente* hæc omnia fideliter, & perseueranter conseruat, verè lagenam vini portat. *Vinum in lagena est gratia Spiritus Sancti in bona voluntate.*

In cunctis, quæ hi tres Apostoli significant excellunt Frāc.

Hæc Interpres, quæ quam excellenter, & solitariè reperta sint in Francisco, plantans super excelsum, & amplum montem, scilicet super sanctæ vitæ excellentiam Ordinis Minorum desertum, eumque primo introeunte, planum fit, ex peregrina transfiguratione illa, quam ibidem ipse Franciscus solus adeptus est super nemorosum, ac desertum Aluernæ Montem. Deferens ergo Vir Apostolicus (sanctæ vitæ excellentiam, tunc temporis ab omni Ecclesia desertam, ac derelictā, eminenter ascendens) cum Petro tres hædos, cum Iacobo tres tortas panis, cum Ioanne lagenam vini, hæc omnia ipse postea hæreditario tribus suis tunc reliquit desertis, scilicet Ordinibus, quorum secundum anno 1212. fundauit. Tertium verò anno 1221. In illo Antesignana extitit D. Clara Virgo Assisias, in hoc verò D. Luchesius de Podio Bonizio, vulgò Pogibonzi, de quibus aliàs suis locis.

Igitur haud inconsultè, Duce Interprete nostro, in vita regulari Francisci tribuimus ipsi veluti idoneum stemma *tres hædos*, in quibus vir sāctus vicit taliter tria prędicta vitia in seipso, vt meritò in ipsa destruenda ad totius Ecclesiæ erectionem ipse immediatè à Christo eligeretur. *Tres tortas panis* ob triplicem mentis suauitatem, in qua Franiscus cordis humilitate, corporis castitate, paupertatis amore Christo simillimus effectus, tanto potentius superbiam vitæ cordis repressit, carnis petulantiam restrinxit, Mundi auaritiam abiecit, quantò decens fuit, vt propinquius vtroq; homine vtrique homini Dei, & hominis, corde & carne accederet, & Ecclesiæ Reparator Redemptori Mūdi cōformaretur. *Lagenā vini*, cuius significatio in Francisco excessit limites, quia gratia Spiritus Sancti in illius bona volūtate excessiua extitit, adeout nunquam quieuit, donec in totum Christum totum transformaret Franciscum, Seraphicumque totum efficeret, & in hac gratia parem minimè haberet.

Quā meritò symbola triū hædorū, triū tortarū panis & lagenæ vini Frāc. assignata.

Sex sigilla, stemma vitæ regularis Francisci circundantia, desumpta sunt ex doctrina Pisani nostri. Agens enim hic sanctissimus, ac doctissimus Minorita lib. 1. Conform. fruct. 2. de Christo cælitus emisso, & de Francisco destinato, scilicet a Deo misso, & destinato, tria ibi declarat. Primum est, quod B. Franciscus fuit à Domino destinatus. Secundum de tempore, quo fuit, & debuit destinari, & mitti. Tertium ad quid faciendum à Deo B. Franc. est directus, & transmissus. Primum ostendit duodecim viis.

Sex sigilla pro stemmate Franc. vnde desumpta.

1 Via est *Sacra Scripturæ figura*. Vbi aduertendum est, ait, quod vt dictum est fructu, & conformitate præcedenti, iam *B. Franciscus, gratia diuina fauente, fuit Patriarcha, Propheta, Apostolus, Martyr, Doctor, Confessor, Virgo, & Angelus, & Christo præ alijs Sanctis conformior*, vt præsens opus declarat. Si figuræ capitis Christi ad mēbra possunt aliquando coaptari, idest ad Sanctos, à fortiori B. Francisco. Et quia similis fuit omnibus Sanctis, & electis, per figuras omnium potest figurari; quare per missos, directos, & destinatos a Domino, & ab ijs, qui Domini vicem, seu figuram retinent, proculdubio signatur, &c. In eo Pisani Cathalogo directos, & missos reperies *Ioseph* missum à Patre ad fratres Gen. 27. *Iudam* à Iacobo Gen. 42. *Moysen* in Ægyptum Exod. 3. *Dauid* ad Saul 1. Reg. 17. *Heliam* in Bethel 4. Reg. 2 *Angelum* ad castra Regis Assiriorum 2. Paral. 12. *Neemiam* in Iudæam Neem. 2. *Abacbuc* in Babilonem Dan. 14. *Isaiam* missum à Domino Isaiæ 6. *Hieremiam* Hier. 1. *Ezechielem* ad gentem apostatricē Ezech. 2. *Ionam* ad Niniuem Ionæ 1. *Ioannem* Baptistam, quem misit Deus Ioann. 1

Duodecim viis ostenditur directio, ac missio Franc. à Deo effecta.

Omnes hosce xiii. à Deo directos, vel missos in eo Pisani cathalogo nominatim,

tum,& alios suppresso nomine inuenies in vno solo Francisco. Quia, inquit, Franciscus est *Ioseph* ratione vaticinii prophetalis. *Iudas* ratione collaudationis diuinæ. *Moyses* ratione immunitatis à scelere. *Dauid* in Diaboli superatione. *Helias* in obseruantia diuinæ legis. *Angelus* ratione paruitatis. *Neemias* in zelo. *Abachuc* in carnis subiugatione. *Isaias* in sanctificatione. *Hieremias* in compassione. *Ezechiel* in conformatione. *Ionas* simplicitate. *Ioannes Baptista* pœnitentiæ exhibitione. Hæc Pisanus, qui statim omnia ibidem succinctè probat suis paralellis per ea, quæ gesta sunt in Francisco, præcipuè tamen id facit Conform. 10.

Omnes in Franc. simbolicè repetiũtur.

2 *Via est Ecclesiæ censura* per D. Papã Gregorium IX. in prosa illa *Caput Draconis vltimum*, &c.

3 *Via est dignitas Cardinalis* per D. Bonauenturam in Prologo, vbi incipit, *Apparuit Gratia Dei*, &c.

4 *Via est Christi charitas visceralis* in Francisci visceribus ab infantia diffusa, potissimum in adolescentia intra D. Damiani Ecclesiam, in qua ter ipsi à Christo Domus suæ reparatio mandata fuit.

Aperiuntur aliæ vndecim viæ.

5 *Via est diuinalis reuelatio*, de qua quarta pars Legendæ.

6 *Via est Virginis gloriosæ apud Christũ filium supplicatio*, ob quam destinatus fuit Franc. ad reparandam Ecclesiam.

7 *Via est* de qua ibi idem Doctor, & alibi apud alios scriptores, & eundem Pisanum alia exempla referentem.

8 *Via est* Francisci, & septem fratrum destinatio ad quatuor Orbis partes Dei nutu.

9 *Via est Domini Iesu Christi ad Beatum Franciscum locutio* circa Indulgẽtiam Portiunculæ, &c.

10 *Via est B. Francisci ad animas feruor, & dilectio, ad quas viscera gestabat materna.*

Viscera Frãcisci erga animas materna erant.

11 *Via est ipsius Francisci per sacra stigmata consignatio ad mundum renouandum.*

12 *Via est Sanctorum secundum diuersitatem temporum* in Mundum à Deo directio, & destinatio. Namque à primo homine vsque ad tempora B. Francisci non destitit mittere operarios in vineam omni tempore.

Secundum, quod declarat Pisanus, spectatque ad tempus, quo missus est Franciscus à Domino immediatè per sensibilem allocutionem, aperit pro maiori intelligentia sexti sigilli Ioannis Apoc. 6. & 7. sigilla septem, totidemque ætates in nouo Testam. Sed ad horum intellectum tangens ipsum nouum Testamentum ceu rotam in medio rotæ veteris Testamenti, huius septem quoque sigilla declarat iuxta septem ætates. In cuiusuis eorum sigillorum aperitione suos illius ætatis insigniores Heroes ex sacra pagina memorat, & quis inter eos supra cęteros apud Deũ peculiarissimus extiterit, patefacit. Exempli gratia. In

De Frãcisci missionis tẽpore.

1 sigillo, & ætate *mundialis fabricationis* ab Adam vsque ad Noe præcipuus solummodo præ cæteris inter omnes inuenitur Enoch, de quo Ecclesiast. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradiso, & debet venire tempore Antichristi.* Apoc. 11. In

Sigilla vlt. iuxta septẽ ætatum numerum in veteri Testam.

2 Sigillo, & ætate *humanalis declinationis, & infectionis* ob corruptam vniuersaliter carnem, à Noe vsq; ad Abraham; præcipuus, & solus est *Noe* iustitiæ preco. Qui inuentus est perfectus, & iustus. *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, Eccles. 44. In

3 Sigillo, & ætate *singularis plebis electionis*, ab Abraham vsque ad Moysen, præcipuus & solus ipse *Abraham* inuentus est, vt à Deo mitteretur. eiusque posteritas in peculiarem Domini plebem, populumque eligeretur. In

4 Sigillo, & ætate *diuinalis potentiæ demonstrationis* erga populum suum, à Moyse vsque ad Dauid. Sed in exitu de Populi Ægypto solus *Moysem* præcipuè electus. In

5 Sigillo, & ætate *peculiaris dominationis* per regiam potestatem, à Dauid vsque ad Eliam, solus *Dauid*, vir secundum cor Dei, missus à Deo in populi sui liberationem ab hostibus. In

Henoch in 1. Mundi ætate præcipuus. Noe in 2. Abraham in 3. Moises in 4. Dauid in 5. Elias in 6. Simõ in 7

6 Sigillo, & ætate *Prophetalis irradiationis*, à tempore Eliæ vsque ad transmigrationem Babylonis, ipse solus *Elias* inter tot Prophetas peculiariter directus à Deo legitur; *nam surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, Eccl. 48. Et tandem per turbinem super currum igneum in Cælum conscendit, tempore Antichristi mittendus. In

7 Sigillo, & ætate *generalis vexationis* populi Iudaici, quæ cæpit à transmigratione Babylonis, durauitque vsq; ad Christum, præcipuus inuenitur, & singularis vir Dei *Simon* filius Oniæ, cuius inclita preconia apud Eccles. cap. 50. *Ex his vij. sigillis, siue ætatibus patet, quod septem singularissimos homines ad mundum renouandum destinauit Deus*, infert Pisanus. Nimirum in 1. Enoch. In 2. Noe. In 3. Abraham. In 4. Moysen. In 5. Dauid. In 6. Eliam. In 7. Simonem. Cuncti hi septem Heroes in vno Francisco virtutum & meritorum insignia ad miraculum explicuerunt in hac vltima Mundi ætate. Ad præfatorum sigillorum

Horum virtutes, & merita in vno Franc. ad miraculum renouata.

Alia vii. sigilla iuxta totidem ætates noui testam.

gillorum, & ætatum veterum instar septē quoque sigilla, & ætates ponit Pisanus in nouo Testamento. *De quibus, ait, sex iam vt traditur transierunt, & septima expectatur, siue iam incepit.*

In 1. singularis Christus Redemptor

I. *Sigillum, & prima ætas* noui Testamenti vocatur *visceralis miserationis plenitudinis*, scilicet gratiæ, in qua IESVS CHRISTVS plenus gratiæ, & veritatis missus solus, vt totius Mundi Redemptor, & Ecclesiæ fundandæ Caput, Sub Octauiano, & Tiberio.

In 2. Paulus Doctor gentium.

II. *Sigillum, & Aetas Apostolaris prædicationis*, à die Pentecostes incipientis, in qua sub Tirannis Principibus inter omnes Apostolos, & Discipulos Domini solus PAVLVS electus, vt gentium Doctor, Vas electionis, vt portet nomen Iesu cunctis gentibus, &c.

In 3. D. Laurent. Mart.

III. *Sigillum, & ætas victorialis triumphationis* sub Cæsarum persecutionibus tēpore Martyrum, quæ vsque ad Magnum Constantinū durauit ann. 300. & amplius. In ea D. LAVRENTIVS missus est, quatenus supra cæteros emineret.

In 4. S. Antonius Abbas Pater omniū Monach. & Anacorit.

IV. *Sigillum, & ætas carnalis subiugationis* à baptismo Magni Constantini incepit, durauitque vsque ad tempora Beati Benedicti. In hac ætate fuerunt plurimi Sancti Confessores, in desertis Ægypti, & aliis locis morantes, multimodè carnem in seruitutem spiritus redigentes. Paulus vt primus, & Princeps Eremitarū, & post plures alij famosi, ac celeberrimi à Deo directi. Præcipuè tamen B. Abbas ANTONIVS dicendus, ceu Pater omnium fermè Monachorum, & Anachoritarum. Ipse namque Magister Pauli simplicis, Hilarionis, Macharij, & aliorum, cui post superationem Dæmonum dixit Christus. *Quia viriliter fecisti, te faciam in toto Orbe nominari.* Quo nomine (subdit Pisanus) & alii ad sanctè peragendum sunt incitati.

In 5. S. Benedictus Abb. re, & nomine Benedictus.

V. *Sigillum, & ætas mirabilis Mundi subleuationis à pressuris*, quæ inerant in Orbe per Vandalos, Gothos, Hunnos, Lōgobardos, & alios. In hac quinta ætate ad eius sigilli aperitionē missi sunt multi probi, & Sancti viri, teste Gregorio Magno in suorum Dialogorum libris. Qui mirabiliter Mundum signis, & virtutibus subleuarent. *Sed inter eos* (ait Pisanus) *missus est singularissimus vir, re & nomine* BENEDICTVS. *Cuius conuersatio, vita, doctrina, ac per Orbem nominatio qualis fuerit, B. Gregorius 2. Dialog. libro luculenter expressit.*

VI. *Sigillum, & ætas Pænitentialis, & passionalis Crucis, reuocationis* nuncupatur à Pisano, quod tempus, inquit, incæpit a B. FRANCISCO, tempore Federici II. Imperat. vt dictum est. Quo tempore apertum est sextum sigillum, vt Ioannes ponit Apocal. 6. *Et factus est terramotus magnus*, vt 2. p. 1. fructu explicatum.

In 6. B. Frā. sub Feder. ii. Archityrannus Eccl. Romanæ.

Illo enim tempore Mundus cruciabatur, & spiritualiter Romana Ecclesia propter Saracænos per ipsum Federicum ad partes fidelium adductos, vt multi non auderent Papam, seu Ecclesiam nominare. Nec Christum, seu Apostolos prout debebant sequebantur. Vita Christi erat in contemptu, & per despectum paupertatis, & appetitum diuitiarum omninò obliterabatur. Intentus erat à maiori vsque ad minimum quilibet *Auaritiæ*, signatæ per malleolos. *Superbiæ* signatæ per stupam. *Luxuriæ* signatæ per picem. *Inuidiæ* signatæ per naptam. Quibus fornax per ministros Dæmonis incēditur huius Mundi, vt in figura habetur Daniel. 3. Hoc, inquam tempore, vt Ioannes Euangelista inspexit cap. 7. sexto aperto sigillo *ab ortu Solis*, idest de Ciuitate Assisij, ad Orientem posita, *ascendit Angelus*, idest Angelicus Vir Franciscus, puritate, & sanctitate consimilis Angelis directus à Domino.

Fornax Babilonica tūc maximè accensa.

Interpres noster explicans suo tempore hanc eandem figuram sub ipso Federico II. in napta intelligit Auaritiam, in stupa Vanamgloriam, in pice Luxuriam, in malleolis superbiam. *His quatuor, ait, succenditur fornax Babylonis, & ardet totus hic Mundus. In qua sunt tres pueri, scilicet Sydrach, Misach, & Abdenago. Sed Angelus Domini extinguit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantis. In his tribus pueris tres virtutes designantur, quas qui habuerint, à fornace Mundi exhibunt illæsi.* Ita Interpres in exposit. mist. super cap. 3. Daniel. vbi etiam in *Sydrac*, qui interpretatur decorus meus *Castitatem* explicat. In *Misach*, qui interpretatur quis vt risus, *Patientiam*. In *Abdenago*, qui interpretatur seruus tacens *Obedientiam*, &c. Liber euasit Francircus à Mundi fornace per virgineam castitatem, quam nunquam maculauit, etsi diffusus ad Mundi gaudia ob assiduam diuini præsidij assistentiam, vt scribit Bonauē. Liber euasit à parentum carnalium manibus per Patientiam inuictam, & tandem omnimodè exiuit à Mundo per obedientiam, Deo immediatè præstitam. Quare ceu Angelus legatus, à Domino missus liberauit Ecclesiam suam à fornace scelerum, fecitque medium fornacis quasi vētum roris flantem ob beneficjum renonationis illius, quæ renouatio tripliciter vnica fuit iuxta trium Ord. institutionē.

Angelicus Dei Legatus Franc.

His,

Quõmodo Franc. Angelus ab ortu Solis, quo tẽpore, & ad quod ascenderit.

His, & similibus annectit Pisanus loco citato tria quæsita, nimirum quomodo ascenderit Franciscus vt Angelus ab ortu Solis. Quo tempore ascenderit. Ad quid ascenderit. Ad primum, & ad tertium respondet ex D.Bonau.in prologo, rescripto iam verbatim ad textũ historiæ huius libri 9. Ascendit namque *Angelicus vir Franciscus cum signo Dei viui, &c.*& ascendit propter tria, quæ ibi adducuntur, & Pisanus fusè explicat. Et ascendit tempore Federici II.iuxta prædicta. Vbi autem explicat tertium motiuum secundi quæsiti, quod est de signo Thau pœnitentialis Crucis nouem argumentis, ita concludit, reducens omnia ad tria. *Quibus nouem apparet B. Franciscum directum à Christo, vt non solum Crucem meditaretur, sed & Crucis gloriam prædicaret, ac prædicando ad Crucifixi sectanda vestigia, & suæ Passionis accipienda insignia fideles inducerentur.* Hæc Pisanus, qui statim quasi addens tertiam partem stemmatis propositi de Speculo, ita subdit, alloquens omnem Rempublicã totius Orbis orthodoxi.

Tertiũ quæsitũ nouem argumentis declaratur, quæ ad tria reducuntur.

Qui capit ergo pœnitentiam exercere, vitã Christi tenere, ac Iesu Crucifixi magnalia videre, B.Franciscum inspiciat, attendat, prosequatur. Quod igitur ad præfata à Christo emissus sit, iam dicta docent. Et ipse docuit tã vita, quam exemplo, & verbo. Sed expressius longe ante vt Speculum proposuit Ecclesiæ cunctæ Franciscum, agens Bonauentura c.6.in princip. aliàs adductus, agens, inquã, de illius humilitate, & obedictia, & de cõdescensionibus diuinis sibi factis ad nutum. Omnium virtutum Custos, inquit, & decor Humilitas copiosa virum Dei vbertate repleuerat. *In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator. Cum in veritate SPECVLVM esset, & splendor omnimodæ sanctitatis.* Connexionem hanc inclitæ, & peregrinæ humilitatis Francisci cum omnimodæ sanctitatis speculo, sic explicat Interpres in serm.Sabb.hebdom.4.in Quadr.vt exinde vnde primus, & solus nomenclatura, & meritorum eminentia Seraph, in omni Ecclesia, & inter omnes Ordines Monasticos, & regulares igni Christi immediatus, Franciscus Speculum Seraphicum euaserit, apertè demonstret. Nullam aliam causam assignans, rationi philosophicæ consonam, nisi humilitatem, ob quam & sedem Seraphinorum Principis meruit Vir, vberrimè, ac superlatiuè humillimus adipisci. *Ego sum lux Mundi* (fatetur Christus de seipso Ioan.8.) *qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Idē Christus lux testatur. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Vbi pulchrè Interpres cit. post adductam rationem philosophicam, & naturalem de inflammationibus in terræ cẽtro effectis.

In stẽmate vitæ regularis Francisci ipse vir Sanctus est speculum

Et speculum omnimodæ sanctitatis.

Christus cur dicatur lux inflammatiua cordium

Sic verè, ait, est lux Christus inflammatiua cordium. *Ignem enim veni mittere in terram.* Sed hic ignis non accenditur nisi vbi eius lucis radij aggregantur. Hoc autem solum fit in humilibus, qui tenent locum centri, quia æqualiter à tumore circumferentiæ tenentur. Quia ad circumferentiam qui sunt, habent cor tumidum, & inflammatum. Insuper semper ambulant in magnis in corde suo, & circumferunt hinc inde varijs tentationibus cogitationes. *Solus autem humilis stabilis est ad instar centri. Ibi fit aggregatio diuinorum radiorum, ibi fiunt inflãmationes. Exemplum huius de SPECVLO concauo.* Sunt enim speculum, *quia ipsorum vita est Speculum,* & terra ab omni macula polita per mansuetudinem, qui nullam continet austeritatem. *Concauum per humilitatem, & ideo ex eo ignis accenditur, sicut experientia docet.*

Humilitas tenet locum centri, superbia verò circumferẽtiæ.

Tale speculum (in tota regulari vita Francisci ideo Seraphicum ad similitudinem ignitæ vitæ Christi, pariter & nouum in Ecclesia, ad eam vndique, & vbique inflammandam, quia nouiter concauum in Apostolorum, & Virginis, & vitæ Christi renouatione) illud idem christallum extitit, de quo aliàs in 1.parte cum Interprete ex cap.1.Genes.super illa verba, *Fiat firmamentum in medio aquarum,* vbi ita exponit. Aquæ istæ sunt christallinæ. *Christallum enim radijs Solis tactum, vel percussum, scintillas ardentes emittit. Sic fidelis vir, ac iustus Solis radijs illuminatus, scintillas recta prædicationis, & bonæ operationis, proximum accendentes debet emittere.*

Speculũ Seraphicum Franc. eximio christallo

Habemus ergo in regulari Franc.vita cum Interp. nostro, christallum cũ radijs Solis Christi, in quẽ & biformiter transformatũ, à quo intimè penetratũ, profundè superfusum, abũdè, & amplè circumfusum. In recta prædicatione scintillans, imò magis focos vibrans per omnem terram. In accendendo proximum alter ignis diuinus effectus. Habemus & cum eodem *Speculum concauum* prædictum & cũ Bon. *omnimodæ sanctitatis Speculum,* & cum eodem cap.15.*Sanctitatis Speculum, & totius Euangelicæ perfectionis exemplar.* Cum Pisano autem in hoc eodem Speculo tria reperimus singularissima, supplè Pœnitentiam nouam, vitam Christi renouantem, magnalia Crucifixi Iesu non adhuc visa, sed pro vniuersa Ecclesia opere cõpleta. Vnde meritò cum eodem dicendũ, *Qui cupit pœnitentiam exercere, vitã Christi tenere, ac Iesu crucifixi magnalia videre*

Encomia de speculo Frãcisci ex Interp. Bonau. & Pisano.

B.Fran-

B. Franciscum inspiciat, attendat, prosequatur.

Quodlibet tempus quadriformis vitæ Speculi Francisci, siue sæcularis, siue Christianæ, siue Eremiticæ, siue Regularis ante, & post mortem sua primitiua tibi patefacit per sex ætatis periodos, quæ fuerunt in ipso nouiter, & excellenter cõceptio, & ortus, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, limen senectutis ad annos tres, quia obijt ann. ætatis 45. Christi verò 1226. Perficiens cursum suum gloriosum sub Honorio III. ex clara prosapia Sabella, de qua tom. sequenti, cuius vocale symbolum illud idem, quòd assũpserat Cælestinus III. Vrsinus, scilicet *Perfice gressus meos in semitis tuis*, quod superius declaratum est. Cælestinus enim, cuius Magister Domus erat, eum crearat in Cardinalem; vide Ciacconium, &c. Quotquot primitiua potuimus inuestigare in Francisci conceptione, de qua nullus antea (vt sciam) scripserat, & in eius ortu sub ductu Bonau. & Interpretis nostri, & paucorum aliorum: & in eius infantia, & pueritia, & adolescentia, iam adnotata sunt in hoc quarto tractatu. Primitiua autem in iuuentute (à qua incepit vita Francisci regularis anno eius 27. cuique successit iuuentus anno eius 36. durauitque ad annum 42. Iuuentuti senectus successit anno 43. & 45. tota eius vita conclusa est) habes lector maiori ex parte in antecedentibus tractatibus. Reliqua inuenies etsi non omnia apud legẽdam Bonauent. ferè tamen illa habes ex chronologia 1. tomi Ann. Vadinghi, & potes cuncta distinguere in *Vaticinia*, de Seraphico homine cælitus prænunciata. In *Prodigia* verè in Ecclesia prima. In *Cognomenta*, noui hominis meritis consona. In Mira *solatia*, à creaturis terrestribus, & cælestibus, atque vel ratione, vel sensu carentibus ipsi exhibita. In *Condescensiones* creatoris ad serui Dei nutum, vt ait Bon. In *Apparitiones, & reuelationes* singulares, & varias In *Monita salutaria*. In *Apophtegmata. Itinera. Ordines. Legislationes, Priuilegia*, inter quæ *Indulgentia Portiunculæ*. *Sacra Stigmata*, de quibus alibi, & in officio de Sacris Stigmatibus cum octaua nuper edito pro sacro Monte de Lauerna. In *Euentus* in eius obitu, sepultura, Canonizatione sub Gregorio IX. ad annum 1228. In *Spectacula*, *Miracula*, & multa alia.

In quolibet tempore vitæ Franc. extant sua primitiua

Synopsis omnium primitiuorũ Francisci.

Possunt reduci in plura genera.

Quomodo autem sex præfata sigilla noui Testament, intra Seraphicum Francisci speculum numero sex eius ætatum respondentia inueniantur, dicendum post solutionem vnius argumenti, quod contra seipsum obijcit Pisanus loco cit. ad finem his formalibus verbis. Sed quia in 2. parte huius expositionis loquendo de sexto sigillo noui Testamenti dictum est *præ alijs B. Franciscum* directum à Christo, quia plures tunc sunt etiam destinati, sicut S. Bernardus Abbas, qui parum ante fuit B. Franc. sicut etiam S. Dominicus, & sic de alijs; videtur alijs Sanctis derogari, nec debere missionem B. Fräc. præ cæteris attribui. Respondetur, ait, quod non est negandum, quin etiam prædicti sint missi, cum in quolibet sigillo, & ætate tam noui, quam veteris Testamenti sint multi Sancti à Domino missi. Sed præfati sunt expressi ob excellentiam sanctitatis ad alios. B. enim Franc. venit, & ascendit ab Oriente, Dominicus, & Bernardus ab Occidente. Insuper Franciscus in filijs sanctitate, numero, & scientia, & nobilitate est exaltatus, vt fructu, & conform. 8. patebit. Fuit etiam ipse conformis Christo, vt hoc opus declarat. Et suis stigmatibus consignatus, vt ostendit fructus, & conformitas 31. *His ex causis dictum est Franciscum antonomasticè à Deo destinatum tali tempore, & talibus finibus, & fine.* Hæc Pisanus iuxta communem SS. Patrum, & potissimum D. Antonini doctrinam aliàs in hac quarta parte allegatam.

Obiectio Pisani contra seipsum.

Responsio ipsius.

In aperitione sexti sigilli merito inter omnes excelluit Franc.

Quod dixit Pisanus de postremo hoc sigillo, ipsum alijs præcedentibus annectens, videtur desumptum ab exordio diplomatis Alexandri IV. anno primo Pontificatus sui Anagniæ emanati, Christi vero 1255. ad perpetuam rei memoriam. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopiscopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis præsentes literas inspecturis, & audituris. Benigna, inquit, operatio diuinæ voluntatis in Cælo potens, & innouans singula sapienter, & immutans mirabilia super terram, postquam Dei filius victor mortis ad Patrem, vnde descenderat, vehiculo propriæ maiestatis ascendit, *mirificæ fortitudinis viros ad consummationem Sanctorum, diuersis temporibus suscitauit*, à quibus testimonium spei gloriæ cum Christo, in Deo reconditæ, firmaretur: & Ecclesiæ Sanctæ ad promissam requiem festinandi in hoc peregrinationis exilio, quod tædiosa desiderij eius dilatione protrahitr, per ipsos consolationis solatium perueniret. His verbis claudit Pontifex quinque memorata sigilla, vnde transiens statim, & immediatè ad sextum, ita subdit. *Inter alios autem diebus nostris B. Franciscus almus Christi Confessor apparuit signis, & virtutibus gloriosus, &c.*

Verum cum S. Patriarchæ Dominici directio cum Francisci missione extiterit, vtpotè

D. Dominicus ad dextrum Franc. latus vt ter Magnus Frā ciscus ad eiulatus sinistrū vt multiplex Primitiuus,

vtpotè qui ambo inseparabili ligamine, ac robore repararent Ecclesiam, nunquam possent primitiua Francisci (etsi antonomasticè talia) facere, quin cum ipsis eius consodalis Dominicus iure meritò associetur, & in huiusmodi societate magnus triformiter appareret.

Hinc pulchrè D. Antoninus p.3. tit.23 cap. 1. §. 1. Sicut Ioannes Baptista ait velut Lucifer primum Solis Ortum Christi, scilicet primum prænunciauit aduentum, sic iste Dominicus velut vesperus Solis occasum, idest secundum aduentum Domini creditur præuenisse scilicet ad iudicium. Et ideo congruè de isto dicitur. *Hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*, idest in Ecclesia militanti, & postea triūphanti. *Et* hoc tripliciter. *Est enim magnus in virtutum excellentia, in gratiarum affluentia, in scientiarum peritia.* Ecce Patriarcha Dominicus tripliciter Magnus apud Antoninum, sed si §. 2. de similitudinibus quibusdam inter Christum, & Dominicum percurres vbi de siti martyrij eiusdem Patriarchæ, inuenies cum Dominico ter magno Franciscū principaliter primitiuum, potissimum in gestis passionalibus. Inquit enim sic. *Solum passio actualis Dominico defuit; quam Dominus noster pro omnibus sustinuit. Stigmata verò eius socio, & fratri indiuiduo relegauit B. Francisco, vt dicere posset cum Apostolo. Ego stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto veraciter impressa, & ipse similitudinem exteriorem in se habet.*

Passio actualis Christi Dominico defuit.

Cuncta, quæ ad illud primitiuum (primum in Ecclesia, & adhuc sine exemplo) nimirum passionis actualis post Christum ordinauit Deus in Francisco, omnia fermè noua, ac primitiua apparuere ab eius ortu in stabulo vsque ad obitum in nuda terra. Idem Antoninus ibid. tit.24. cap.1. §.1. vnicum demonstrat Franciscum ascendens quinque gradus scalæ, qui sunt humilitas Francisci. Mundi abdicatio. Carnis maceratio Aduersitatum tolerantia. Vitij expugnatio. Loquens autem de eius Paupertate, quam cum D. Thoma in tres gradus distinguit, & postremum amplexatus est Franciscus, *Hanc*, inquit, *extremam paupertatem elegit B. Franc. in se, & in Ordine suo*. Et §. 2. qui est de Francisci charitate, qua sex alijs Seraphicis volauerat, in sexta ala ita fatur. *Respice Religiones, nullum reperies pauperiorem Ordine D. Franc. Nullum tam mendicam paupertatem mandasse suis sicut ipse, nullum pauperiorem Francisco &c.* Ergo primitiua extrema hæc in Francisco Panpertas in Ecclesia renouanda. Primitiua & ipsa sub hac paupertatis extremitate mendicitas.

Primitiua Francisci, in quinq; gradibus scalę mysticæ.

Primitiua eius paupertatis, & mēdicitatis.

Ad hanc nanciscendam, præcipua Dei assistētia conceptus est sub signo quo natus Christus Franciscus. Natus in stabulo iuxta annunciationem Angeli sub forma peregrini apparentis *in medio duorum Animalium, & dum medium silentium tenerent omnia*, vt Christus. Baptizatus, & à dicto Angelo è fonte baptismi leuatus, & in humero dextro ab osculo illius, miro modo cruce Christi consignatus. Educatus vt pauper spiritu, & affectu, & nunquā à Christo per lethale crimē disiunctus etiā diffusus ad gaudia, & intentus ad lucra, vt loquitur Bonau. Et vt innumera sileam (& cuncta in ipso fermè primitiua, & noua in tota vita) nisi hanc paupertatis Euāgelicæ margaritā, extremæ mendicitatis ditissimā in gradu summo potiretur, ad erigendam robore virtutum Ecclesiam extremè depauperatam idoneus minimè extitisset, vt visio Innocentio monstrauit prout refert Bonau. cap. 2. & ex eo Breuiar. Romanū die 4. Octob. Nec ad postremum illud obstupendumque Stigmatum primitiuum peruenisset iuxta illud Interpretis nostri pluries allegatum ex Dom. infra oct. Natiuit. Domin. *Paupertas ipsum Iesum portat, cum puro amore ipsius omne quod ei accidit patienter supportat.* Vtitur verbo illo *portat*, vt alludat Paupertati Francisci, qui dixerat prophetatus ab Apostolo Paulo. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Quorum Diem festum hac die 17. Septemb. currentis anni 1666. in hoc cęnobio Transtiberino, Diuo Patriarchæ Franc. dicato dum celebratur, finem recipit hunc qnartum tractatum, nondum elapsis mensibus quatuor scriptum, censuræ exhibitum, & in maiori parte impressum. Intentio enim mea erat, tres tantū tractatus priori huic tomo connectere, & non amplius. Quia vero paruum admodum volumen scripta ab anno præterito edita, & penè impressa exhibuissent, mox mihi in mentem venit hunc quartum tractatum alijs tribus adiungere. Sed reuertamur ad D. Antoninum.

Ad quę ab ipsa conceptione fuit directus Frā ciscus.

Paupertas cur dicatur in Francisco: quod portet Christum.

Die 17. Sept. huius anni 1666. finit hic 4. Tractat. mensib. 3. expletus.

In præallegato titulo 23. Præcursorem 2. Christi aduentus facit D. Dominicum Antoninus, quemadmodum loquitur de Francisco Bonau. in prologo. Triformis magni nostri Dominici Christi Præcursoris in 2. aduentu granditās in vtraque Ecclesia ab ipso Antonino ibi constituitur. *Hic magnus vocabitur*, ait, *in Ecclesia militanti, & postea triumphanti*.

Magnus triformiter D. Dominicus in vtraque Ecclesia.

Similiter & inclytè primitiuum demonstrarat Franciscum hic & ibi Bonauentura. Hic in sua peregrina humilitate, vnde & omnis eius aduersus Luciferianam superbiam exaltatio. Ibi in adeptione

ptione sedis, ex qua primus Angelus corruit, trahens cauda sua tertiam partē stellarum. Pariter hi duo Præcursores secundi aduentus Christi in Christi aduentu in iudicio simul apparebunt, indicātes & ipsi cum Christo, & Apostolis duodecim tribus Israel, & etiam Angelos apostatas. Alter vt magnus in Ecclesię reparationem, alter vero vt primitiuus. Cum filio hominis *appparebit signum filij hominis in Cœlum* Matth. 24. scilicet Crux, vt canit Ecclesia *Hoc signum Crucis erit in Cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Cum hoc signo & parebunt etiam*, & cum hac Cruce omnia passionis Christi instrumenta. Magnus Dominicus, habens ad frontem quæ à principio in eius baptismate visa est stellam præfulgidam, titulum Crucis Christi, & Christi lanceam fortè deferet, ad latū dextrum primitiui Franc. positus. Primitiuus verò Franciscus pandens sua stigmata vt Christi vexillifer explicabit Crucē ad latus sinistrū magni Domin. vt suadere verisimilitas ex Bonauent. videtur. Hanc geminam in duobus Reparatoribus Ecclesiæ verisimilitatem haud fortè ineptè, & inconsultè adnotare placuit, agens de quatuor sacrorum Stigmatum causis. Repetam hic denuò ipsam, quia vt puto fortè non displicebit.

Indie Iudicij apparebit Crux Christi.

Titulus Crucis Christi fuit propria manu à Pilato inscriptus *literis Hebraicis, Græcis, & Latinis*, vt referunt Euangelistę. Ordo Prædicatorum hisce tribus linguis principaliter operatione, prædicatione, & doctrina circa negotium reparationis Ecclesiæ, pro qua etiam & ipse simul cum Minorum Ordine eodem tempore institutus est, adhuc laborat, vsque ad Mundi interitum pariter & laboraturus. Rursus quantum ad Christi lanceam Christus Iesus magnus Dominus est, & Redemptor animarum, Dominicus paruus Dominus, & earum Reparator. In Redemptione *venit Dei filius tempore acceptabili*, ait Interpres noster serm. 1. Dom. 1. Quadr. *Obediens Deo Patri perdita restaurauit. Contraria contrarijs curauit*. Lancea, qua eius latus & cor apertum est vt habetur Ioann. 19. tribus illis lanceis se apposuit, quibus Ioab. 2. Regum 18. in cor Absalon infixit. Quæ tres lanceæ (subdit Interpres) significabant tria vitia, nimirum Gula, *in quacumque die comederitis &c.* Vana gloria, quæ tota superbia est *Eritis sicut Dy*. Auaritia *scientes bonum, & malum*, quibus Adam percussit Diabolus in cor *vt calorem diuini amoris extingueret, & omninò vitam auferret*. Exiens autem ex Christi latere, a lancea aperto sanguis, & aqua, iterum diuinum amorem in cordibus nostris ascendit, & spiritalem vitam simul reuiuiscere fecit. Cum ergo Magnus Dominus paruo Domino, scilicet Dominico suo veluti huiuscemodi amoris, & vitæ Reparatori consimilem virtutem tradiderit, equidem Lanceæ suæ symbola, ac trophea simul consignauit, quatenus prædictis tribus lanceis, sine quarum remotione reparatio fieri nequieret, se strenuè opponeret. Hinc principio tres igneas lanceas ad instar sagittarum in Christi dextera ipsemet intuitus est, vt refert communis historia. Statuerat enim Christus, ob prædicta tria vitia principaliter aduersus genus humanum indignatus, ipsum eradicare. At B. Virgo pro remedio Dominicum designauit, simulque iram filij compescuit. Aliunde apud Assisium Christus ipse immediatè præcepit ter Francisco suæ Domus reparationem è Cruce.

Dominicus & Franc. in die Iudicij vt Præcur. 2 Christi Aduentus.

Christus obediens Deo Patri perdita restaurauit.

Tres lanceæ in cor Absalonis infixę tria vitia significant.

In has se opposuit D. Dominicus lanceę Christi explicans trophea.

Qui ergo accipere meruit à Christo magnam potestatem celestium, terrestrium, & infernorum, eo modo quo explicat Antonius ibidem, ac proinde lanceæ suæ typum per virtutem prædicationis, vt ex hoc potissimum eius Ordo Prædicatorum nuncupatus reperiatur, cōgruum verisimileq; videtur, vt deferat in 2. Aduentu Christi, atque in vniuersali iudicio, quod ipse præcurrit, lanceam Domini, virtute cuius in scelera & hæreses potentissimè, ac constantissimè digladitus est, frangens quoque tres lanceas Satanæ, scilicet Superbiæ, Luxuriæ, Auaritiæ &c. Item qui suos instituit vt linguis, & literis Hebraicis, Græcis, Latinis totum Orbem docerent, videtur certè congruere sibi gestatio tituli Crucis Christi, illis tribus linguis inscripti.

Dominico ter magno titulus Crucis Christi, & lancea tribuenda.

Sit pariter Franc. Dominico suo cōpar, & socius signifer Crucis Christi, tanquā qui è Cruce recepit mandatum à Christo de reparanda Ecclesia, Christique Crucem corde, & corpore gestauit excellenter, & supra cæteros Sanctos, quorum nullus ante, & post ipsum reperitur in corpore stigmatizatus vt ipse. Appareat quoq; in gestatione illorum duorū passionis Christi instrumentorum Dominicus ter Magnus cum D. Antonino: Franciscus verò in gestamine Crucis Christi multipliciter Primitiuus cum D. Bonauentura. Porrò circa ideas, iconesque sex præfatorum sygillorum intra speculū Francisci eo magis ipsa cōfirmāt responsū Pisani ad argumentū quod ipse contrà seipsū obiecit. In

Franciscus multipliciter primitiuo Crux Christi propria.

1. Sigillo, & ætate apparuit Christus vt fundator Ecclesiæ suæ, & vt Redemptor omnium. Eius deinde imago intra speculum Francisci Reparatoris sui, ceu rediuiuus in pristina sua excellentia, & glo-

Christi imago in speculo Franc.

& gloria redactus, ob suæ imitationem, in illius vita perfectissima per totum orbem iterum veluti in prima ætate diffusæ, & vbique viuificatæ, vbi antea ceu extincta cernebatur. In

2. Sigillo, & ætate D. Paulus admiratus vt primus, nonne postea nouissimis diebus in Francisco quasi denuò visus est in Mundo, vt Doctor mirificus gentium omnium, & vt vas electionis &c. In

D. Paulus in Francisco.

3. Sigillo, & ætate Laurentius Archidiaconus inter cunctos martyres penè excellens ignescens demum in Francisco Archidiacono, & Archileuita inter omnes Institutores Ordinum, in igne illo spiritali se ab eo imitatum esse gloriatus est, per quem ignem materialem vicit ipse in corpore, quem & vicit quoque Franciscus, in interiori homine igneus, extendens se nudus bis super ardentes prunas, semel in Apulia, & iterum in Ægypto, vt dictum est. Vnde de eo potest quoque dici, quod dicit S. Leo Papa in natali S. Laurentij: *Superari charitas Christi flamma non potuit. Et segnior fuit ignis, qui foris vssit, quam qui intus accendit.* In

D. Laurentius Archileuita.

4. Sigillo, & ætate S. Antonius Abbas excelluit supra cunctos. In

5. Sigillo, & ætate S. Abbas Benedictus, valdè eminens apparuit vt dictum est. In

6. Sigillo, & ætate antonomasticè talis B. Franciscus admiratus est. In eius speculo relucent ad miraculum primum sigillum *visceralis miserationis plenitudinis gratiæ reparatiuæ Ecclesiæ*. Secundum sigillum *Apostolaris prædicationis* in renouata à Francisco apostolica vita. Tertium sigillum *Victorialis triumphationis* per martyrium in Francisco per desiderium pro fide Christi: in carne verò eius ad maius incendiũ amoris Christi, in multis eius socijs, & triplicis latæ legis ab eo professoribus in actu. Quartum Sygillum *carnalis subiugationis* per omnimodam abnegationem rerum temporalium, & austeritatem vitæ verè nouam, & primam. Quintum sigillum *Mirabilis mundi subleuationis &c.* imo & omnimodæ renouationis.

Vide omnia prædicta sigilla in solo Francisci speculo.

Quæ quidem imagines exaltant gloriam Christi, D. Pauli, D. Laurentij, D. Antonij Abbatis, D. Benedicti. Omnes enim in speculo Francisci renouati apparent. Omnes habent in Francisco, maximè primi, ac prisci Ordinum Fundatores aliquid vt proprium, & à Francisco vt primitiuum miro modo effectum. Et eo vel maxime, quia potissimum, vt docet Bonau. alias allegatus, instituens Franciscus ordinem suum, tria principaliter, iuxta triplex quo flagrabat desiderio, quæ reperit in Eremitis, Cœnobitis, & Clericis plebium rectoribus dispersa, adeo inter se Altissimo præmonstrante, ac reuelante immediatè mirabiliter, ac perfectè coniunxit, vt ipsa omnino renouaret: sicque in vnum redacta, noua, & primitiua per quodam peculiare commistum ad vitam Christi, & Apostolorum renouandam, & cum ea omnem Ecclesiam reparandam, idonea fierent, quod ita dispersa minimè id efficere potuissent.

Omnes prisci institutores Ordinũ habent aliquid nouum in Francisco

Item & Clerici rectores plebium.

Quale autem fuerit hoc triplex in Francisco desiderium, & qualia illa tria dispersa, ab eo primum coniuncta, vide Bonau. in Determinationibus Quæstionum circa Regulam S. Francisci, quæst. 1. in antedictis rescripta. Ibi enim inuenies ex Cœnobitis Franciscum desumpsisse studium virtutum ad Christi imitanda vestigia. Ex Eremitis contemplationi diuinæ vacationem. Ex Clericis plebium rectoribus curam animarum, hanc autem non ex officio, seu *debito necessitatis, sed ex libera charitatis affectu*, quo ad lucra animarum intenditur, quæ solius Christi sunt, non quæ propria quærendo. Hæc tria in vnum congesta effecit Franciscus Euangelica, Apostolica, Seraphica, noua, ac proximè apta, vt vitam humanam, & regularem vitæ Christi perfectissimo vnionis modo intimè conformaret, prout conformauit ad miraculũ. Propterea vbi vt nouam eam regulam, & vt nouum eum ordinem nolebat principio approbare Innocentius III. vidit statim Franciscum (iam nouum in Ecclesia cruciformitate, ruditate, & vilitate habitus, paupertate, mendicitate) magnanimiter apponuere humeros Lateranæ Basilicæ, ceu verè idoneum ad renouandam Ecclesiam, sicut mox in publico concistorio, omnia Francisco benignè concedens, confessus est; vt scribit Bonau. cap. 1. & ex eo Breuiarium Romanum citatum.

Quid sumpserit Franc. ex Cœnobitis, Ex Eremitis, ex Clericis.

Vide supra pluries.

Aliundè etiam eius socius Dominicus ex Canonico Regulari D. Augustini ita renouauit illius Patriarchæ regulam, ordinem Prædicatorum instituens, vt veluti vir ter magnus in gestis suis, meritò primitiuo Francisco, in cunctis suis rebus nouo adiunctus sit in Ecclesiæ Romanæ, & fidei Catholicæ renouationem. Ille magnitudine in excellentia virtutum, magnitudine in gratiarum affluentia, magnitudine in scientiarum peritia. Iste primitate circa vtramq; imitationem actuum scilicet perfectionalium, & passionalium vitæ Christi, & trium Ordinum institutionem, vt sic in triformi Ecclesiæ renouatione primus esset, & solus. Quem autẽ in fine primi tractatus, qui est *de institutione primæ* legis

D. Dominicus merito primitiuo Franc. adiunctus.

Epilogus versiculorũ 4. tractatuũ.

legis Minorum, quo ad quatuor eius *circumstantias*, ita suppliciter allocutus sum illo carmine: *Sancte Francisce propera; Tua lege Romam prospera*. Et ad finem secundi tractatus *de eadem lege prout lata* xiii. *socijs & approbata ab Ecclesia*; illo alio carmine *Sancte Francisce accelera, & alias leges prępara*. Et etiam ad finem tertij tractatus: *de legibus D. Claræ, & Tertij Ordinis de Pœnitentia*, illo tertio carmine. *Sancte Francisce resera Te nobis, & nos recrea*; nũc quoq; in fine huius quarti tractatus *De vita sæculari, Christiana, Eremitica, & regulari Sanctissimi Patriarchæ* (quibus concluditur his prior tomus, annos tantum 13. percurrens) quarto carmine inuocabo, sed pro sequenti tomo, qui ab anno 1223. in quo abbreuiata Minorum lex percurret annos 543. vsque ad præsentem diem; ita cantabo.

SANCTE FRANCISCE REGVLA BREVIORI MVNDVM REGVLA.



INDEX QVARTVS RERVM NOTABILIVM.

A

B

Bar-

For-

I

L

Or-

Sen-

T

Tem-

FINIS INDICIS.

Errores præcipui inter quamplurimos.

1 *Clemens IV.* Clemens V. fol. 15.
2 *Discessum*, discessus 119.
3 *Alias legem*, alias leges 160.
4 *Caput Geleatum*, galeatum 179. panegir. 23.
5 *Ablatum*, oblatum 190. in titulo cap. 3
6 *Intrant* intrat in titulo sect. 1. ad fol. 320.
7 *Quem*, quæ, in titulo lib. 8. 370.
8 *In ipso seipsum* in ipsum seipsum. 373.
9 *Interius ita quoque*, interius non ita quoque ibidem.
10 *Clericorum Regularium*, Canonicorum Regularium tum in Hierarchia tom. 1 tum hic 226. & 412. Habes emendationem vbi de vita Eremitica S. Franc. in præsenti volumine ad cap. vlt. tract. 4. Et etiam in indice.
11 *Visio beata horaria Eliæ Prophetæ* fol. 393 Quando ab Eliseo diuisus est non ita probatur, sicut quando delituit in spelunca Montis Oreb. 3. Reg. 19. ex prærogatiua Ieiunij. Fauet sententia Basilij hom. 1. de ieiunio, & aliorum. Quod aduertimus in opusc. M. S. cui titulus *Octauarium pro sacris stigmatibus*. Vbi etiam ex Bonau. cap. 7. *Itinerarij Mentis in Deum* probatur visio beata transeunter B. Franc. in actu stigmatizazionis.

Seraphim Christus, Seraph Christus. 486. & alibi.

Errores alios cuiusuis generis, & penè innumeros, siue autoris, siue impressoris Lector beneuolus plenè corrigat, de plano censuret, prudenter contempletur, piè commiseretur. Quos autem reperiet in argumentis seu inscriptionibus, titulisue, numeroue tractatuum, librorum, sectionum, punctorum, paragraphorum, Panegiricorum, locorum sacræ Scripturæ, & similium, emendatos habes in præscriptis tribus indicibus. Vide quæ scripsimus tribus Ordinibus S. Francisci, ac lect. beneu. Ep. 3. ad limen huius voluminis.